2 H man. 253-2

Digitized by Google

<36616422130011

<36616422130011

Bayer. Staatsbibliothek

taat.
othek
München

2 H.mon. 253-2

Digitized by Google

HISTORIÆ GENERALIS & SPECIALIS *DE ORDINE* CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI PRODROMI

TOMUS POSTERIOR.

IN QUO

OMNIUM IN GERMANIA ECCLESIARUM, ABBATIARUM, PRÆPOSITURARUM, PRIORATUUM, TAM ABOLITORUM, QUAM TRANSLATORUM, PRÆCIPUE VERO ACTU EXISTENTIUM, ET SUB HOC INSTITUTO FLORENTIUM ORTUS, PROGRESSUS, ALIAQUE EORUM FATA BREVITER, EA TAMEN ATTENTIONE ENARRANTUR, UT AD ABSOLUTAM EORUM CAPESSENDAM NOTITIAM, NIHIL PROPEMODUM DESIDERARI POSSE VIDEATUR. SED PLENA PERIPHRASI AD IPSUM (FAVENTIBUS SUPERIS) OPUS DILATA.

OPERA, ET STUDIO

JOANNIS ANTONII ZUNGGO
CANONICI REGULARIS LATERANENSIS
S. AUGUSTINI VORAVII IN STYRIA PROFESSI, IBIDEMQUE BIBLIOTHECARII, NOTARII PUBLICI, JURATI, ET POENITENTIARII APOSTOLICI.

MONACHII ET PEDEPONTI,
Apud
JOANNEM GASTL, Bibliopolam.
Annô M D CC XLIX.

Bayer. Staats-
Bibliothek
München

Digitized by Google

REVERENDISSIMO,
ILLUSTRISSIMO, AC AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO
CAROLO JOSEPHO

Ex

Illuſtriſſima S. R. I. Comitum de BREÜNER Familia, Inclyti ac Celeberrimi Collegii Pöllenſis Canonicorum Regularium ſub Regula S. Auguſtini Lateranenſium

PRÆLATO DIGNISSIMO,

Sacræ, Regiæque Bohemiæ & Hungariæ Majeſtatis Conſiliario &c. Domino, Domino Præſuli, ac Mæcenati Gratioſiſſimo.

REVERENDISSIME, ILLUSTRISSIME, AC AMPLISSIME DOMINE, DOMINE PRÆSUL &c. MÆCENAS GRATIOSISSIME.

ADvolat ad ſinum Benevolentiæ tuæ, *Præſul Illuſtriſſime, ac Ampliſſime*, Prodromi mei de Hiſtoria *Sacri Ordinis noſtri* tomus alter, pennâ inſtructus litteraturæ quidem, tuô minùs dignæ præſidiô, at materiæ tantæ, ut tam *Te*, quàm *Natales tuos*, denique & *Honorem* ipſum, quô emines, aſſequatur.

Quidquid in Te magnum conſpicitur, continent illa, quæ præſens opus exornant. Sacram Religionem noſtram, ut optimè noviſti, illæ Apoſtolicæ virtutes ad fertile adeò incrementum evexerant, ut vix angulus cogniti quondam orbis exiſteret, quo non eadem Zelum fidei, quaqua emigrantem, comitaretur. Illæ, inquam, Apoſtolicæ virtutes, quæ primò oſtenderant in lege gra-

tiæ opulentiam, contemptu rerum, ſummos regendi apices, annihilatione ſui, fertiliſſimam Proſapiam intemerata virginitate eſſe comparandam, his Tu adeo non tam ſolicitâ curâ aſſueveras, quàm natus eras, ut, cùm aliàs nobilibus animis, neſcio quis, ambitus gloriæ, ac èminentiæ ſolet eſſe congenitus, Tibi Religioſa modeſtia, & rerum terrenarum neglectus jam veluti à juventute characterem ſui impreſſerint, nè quid aliud aut ambires, aut ageres, niſi quod mundo abjectum, ſed Deo acceptum haberetur. Hinc, quam Tibi Generis Tui claritas, quin nativarum dotium præſtantia dudum ſpoponderat in ſæculo gloriæ claritatem, Tu fortiore animô reſpuiſti, quàm illa ardentiore impulſu obtrudere potuiſſet. Digniſſimus ideò, ut è ſpineto fallacitatis mundanæ Te, antequam lædereris, eripiens transplantaveris in illius Religionis viridarium, quod tot venuſtiſſimis abundat floribus, quot ſui cultores numerat.

Atque hæc Tibi *Reverendiſſime, ac Illuſtriſſime Præſul*, dum virtutes ipſæ tuæ omni teſte alio veraciores adeſſe demonſtrant, Parallelion Tuum in præſenti volumine non ſemel depictum comperies, Præſules nempe leges non alienô fucô, ſed ſua virtute decoros adeò atque exultos, ut multos eorum etiam inter Divos pia poſteritas colat, & hodiedum imitari conetur. Natalium Tuorum fulgorem, ſic intuemur, ut aciem penè oculorum noſtrorum obtundant tot indè promicantes ſereniſſimi radii, quot ex iis veluti nobiliſſima ſydera identidem ſibi præfixa conſpexerant in Hemiſphærio noſtro Auſtriaco, complures Provinciæ. Minimè enim impervium eſſe poteſt, quanta ex Illuſtriſſima Familia Tua jam per aliquot ſæcula pro Deo, pro Cæſare, pro populo egerint, nullo præconiô ſatis memoranda. Certè, ut primus hujus Nobiliſſimæ Familiæ Tuæ veluti in Germania noſtra auſpex è Belgio *Andreas* Anno 1402. advena pedem ſtabilem figere conſtituit, jam quaſi quoddam novum ſydus ſibi exortum fuiſſe felicium eventuum Prodromum omnis lætabatur Reſpublica Auſtriaca, quod, ut oſtenderetur evidentiùs, jam eundem ipſum Styria noſtra paucis poſt adventum ſuum annis Provinciæ Præſidem ſalutavit, cujus officia in rem communem tanti nominis fuerant, ut idem ſucceſſorem hujus præclari muneris non alium, quàm *Philippum* filium ſortiretur; ex quo poſtmodum inſignes adeò ad bonum univerſi egregiè promovendum ſurculi prodierant, ut vel ipſum Illuſtriſſimæ hujus Proſapiæ vocabulum affectum propenſiſſimum in omnibus cordibus cieret, ac æſtimationem. Nimius, non laude (quippe, quæ hac in cauſa nimia nunquam

eſſe poteſt) ſed ſermonis prolixitate non tam mihi, quàm Tibi, (qui nihil plus refugis, quam laudari, cùm Tibi non aliud cordi ſit, niſi laudanda facere) fore videor, dum Dedicatoriæ Epiſtolæ limites integro volumine vix arcerentur, ſi conſtitutum mihi eſſet, eximia acta depingere Majorum Tuorum; occurrerent enim mox *Sigefridi Jacobi* in illa laudabiliſſima pacificatione Anno 1606. tractata cum *Illisbaſio* Rebelle & perduelli Catholicæ Religionis inimico acta, in quibus quanta *Sigefridus* noſter pro Religione egerit, reſtantia hodiedum monumenta oſtendunt. Aut *Joannis Philippi* Archiſtrategi generoſiſſimi in bello illo Auſtriaco à perverſiſſimis ruſticis periculoſo non minùs, quàm nefando Annô 1626. auſu concitato, in quo Ipſe fulminis inſtar, quaſi *Scipio* alter in hoſtes ruens, eoſdem ſic aut profligavit, aut diſtraxit, ut totam Auſtriam uno veluti ictu priſtinæ reſtitueret Serenitati. Aut *Sigifridi Chriſtophori*, cujus operam quanti Auguſtiſſimus Imperator *Ferdinandus* habuerit, tot munera ſatis indicant, & Provinciæ multiplicis ſubeundæ onera, quibus Eum identidem honorare dignatus eſt, dum jam ut Mareſchallus Styriæ præeſſe jubebatur, jam in componenda cum Hungaris pace Commiſſarius aſſiſtere, jam arma adversùs Religionem tum in Auſtria, tum Styria ab hæreticis infeſta temeritate protruſa, dexteritate penè incredibili partim dimovere, partim confringere: Aut *Godefridi*, qui annô 1590. ac deinceps quaſi alter à latere Epheſtion prædicto invictiſſimo Imperatori ſemper aſſiſtens promptiſſimo obſequio, Conſilio, & auxilio fuit. Horum itáque venerandâ memoriâ primis tantummodò labiis prolatâ, profectò noſtra ipſa, quibus aut viximus, aut adhuc vivimus Deo auſpice, tempora, quantos non viros tum Auſtriæ, tum Styriæ, conterminíſque Provinciis ſuſpiciendos dedêre. Nam *Carolum Beicardum* (cujus Tu ex Fratre Nepos) non ſanguinis tantum, ſed Clariſſimæ animi dotes, ut primùm ad Clavum Provinciæ noſtræ Capitanei munere decorandum provexêre, nonnè is emicuit ex univerſis ejus actis, átque Conſiliis Prudentiæ, juſtitiæ, æquanimitatis, Religionis in Deum, Charitatis in proximum fulgor *Excellentiſſimus*, ut hunc ipſum in illo titulum non tam officium, cui præerat, quàm abſolutiſſima virtutum præſtantia jure exigeret: probant pietatis ejus inclytæ adhuc exſtantia teſtimonia, átque præ aliis ſe teſtem veluti ſiſtit Divus ille Thaumaturgus *Franciſcus Xaverius*, cujus in ſacrata eidem Divo Græcenſi Capella, ampliſſima annuali dote Noveſiam Devotionem auxerat, alibi quóque congregationi in ejuſdem honorem inſtitutæ tanta incrementa præſtitit,

ut quaſi ſolus totam illam animâſſe adhuc dignè videatur. Nec minùs Divus alter Seraphicus à Carolo noſtro in Filiis ſuis propè arcem (quam poſſederat) Ernavienſem conſiſtentibus, quanto honoratus ſit innenarrabilis penè munificentiæ penuario, iidem lubenti gratitudine profitentur. Et hanc probitatem, quam admirabatur omnis Styria in *Carolo*, non minùs collaudabat in Ipſo Genitore Tuo, & extollunt adhuc in Excellentiſſimo, ac Illuſtriſſimo D.D. *Carolo Adamo* (quem Fraterna cognatione attingis) hodie ſapientiſſimè Provinciæ noſtræ ejusdem Capitanei Muneris honore præſidente. Sed & horum fertiliſſimis præconiis ut ut ultrò inſiſtendi animus contendit, ac Calamus, iteratò retrahit tum ipſa, quam dixeram, agnata toti Illuſtriſſimæ Stirpi Tuæ ab omni laudum cupiditate penitùs aliena modeſtia, tum præfixum evitandæ prolixitatis ſtudium.

Itaque dum hos omnes conciſô tantummodò encomiô, & poſtremis apicibus attingere licuit, reſtat tamen, ut proximiora virtuti Tuæ (nè ſcilicet tranſiliam propoſitæ materiæ metam) memorare me deceat, quæ in univerſa Illuſtriſſima Tua Familia jam è trecentis & ampliùs annis tanta fuêre, ut ſi ob merita Cæſari, populóque impenſa, ſemper inter Primates Provinciæ exaltata fulgeret, profectò non minùs Deo ſe acceptiſſimam facere conaretur. Neque enim minùs Ipſa ſupremo Numini, quàm Summo in terris Monarchæ deferebat; inde eſt, quòd ſacris Religionum diverſarum vinculis veluti totidem pretioſiſſimas gemmas tredecim è ſequiore ſexu illigaverit Nobiliſſima germina, de quarum innocentiſſimo æquè, ac probiſſimo conſortio ſibi applaudere, cùm adhuc conviverent, veſtales virgines poterant Monaſterii Göſſenſis, earum ſex *Helenam* nempè, *Dorotheam*, *Catharinam*, *Reginam*, *Iſabellam*, & *Felicitatem* complectentis. Aliæ quóque Gynecæi Viennenſis, quod *Regium* dicunt, & *Cæciliam*, atque *Leonoram* fovebat; deníque illæ, quæ ad *Portam Cœli* in eadem Metropoli inſtitutum noſtrum ſectantes quatuor (niſi fallar) junctas ſibi gratulabantur, *Annam Mariam*, *Euſebiam*, *Polixenam*, ac deníque *Eliſabetham*, illam nempe, quæ ſuis virtutibus meruit, ut reliquis in Abbatiſſam præficeretur, aliquot annis præclarô ſanè exemplô & vigilantiæ ſtudiô ſuis non tam præſidens, quam Breünerиano Sanguini propria humilitatis, ac affabilitatis modeſtia omnibus omnia facta, Mater ſimul reliquarum, & ſoror, finem vitæ clauſit tanto ſuæ probitatis odore relicto, ut hodie adhuc in hoc ſacro Parthenone pietas illius, prudentiáque virente memoriâ honoretur. Præambula Ipſa fortaſsè fuerat, ac prænuntia, quæ ſuis in præſidendo moribus

ribus

ribus præſagiret, quantum ſibi Sacrum Ordinem noſtrum devincturа ſit Illuſtriſſima Familia Tua, ut ſi in ſexu ſequiore inſignem adeò, fortémque nutrierit Mulierem, quæ digna eſſet, ut ſupra modium conſtitueretur, haud equidem defutura ſit, ut huic Inſtituto noſtro ſuppeditaret *Virum* ad ſuſtinendum Præſidium ſacrum, omni virtutum numerô abſolutum.

Porrò quamvìs ignorem minimè, quanta jam dudum in Eccleſiaſtica militia præſtiterint Nobiliſſimi generis Tui conſortes plurimi, átque ex his præcipuè *Joannes Friedericus* Decanus Olomucenſis, altérque *Joannes Joſephus* inſignis ibidem Canonicus, *Carolus* quóque Ordinis Melitenſis, *Maximilianus* verò Ordinis S. Jacobi Equites præſtantiſſimi, præcipuè tamen inter hos eminuit *Fridericus Philippus*, quem tantis in amoribus *Ferdinandus Tertius* Imperator habebat, ut eundem ſibi in Epiſcopum ſuæ Metropoleos expeteret, *Joannem* autem *Joſephum Magnus Leopoldus* Archiepiſcopum Pragenſem ſolis allectus tanti viri meritis decerneret. Verùm Te in tota Illuſtriſſima Familia tua primum elegit Dominus, ut ſibi in Miniſterio ſuo arctiore, id eſt, ſacro Religionis vinculo conſtrictus deſervires. Primus Tu es *Præſul Illuſtriſſime*, qui Deo vota Religioſa depromſeras, ſed & Tu Primus es, quem Deus ſummo inter tuos honore voluit inaugurandum, ut evidenter oſtenderet tantas eſſe in altiſſimo ſuo Conſilio Majorum Tuorum prærogativas, tanta Tua propria merita, tantum deníque in totam Tuam Proſapiam Divinæ bonitatis affectum, ut ſi plures in ſacra Religione exiſterent, eorum omnium vertices, æqualis mercedis gloria decoraret. Ideò applaudit ſibi Inclytum Collegium Tuum, dum eum in Te invenit, quem dignè optaverat, Præſulem, *Carolum* nempe, & *Joſephum* Illum Genevenſem Divum imitaris Zelô pietatis, hunc diſpenſatorem Ægypti ſollicitudine curandæ rei familiaris; in illo *Prælatum* agis, in iſto *Patrem*, utrobíque felix, quòd talibus præſis, quos etſi æmulos Infulæ Tuæ (prohibente ſcilicet, quæ in hoc Tuo virtutum Phrontiſterio viget, ſubmiſſionis modeſtiâ) non habueris, habuiſti tamen, & adhuc habes ardentiſſimos Tuæ probitatis æmulatores, & ſi Styriam aliquando in Græciam verſam æſtimare quis vellet, Tuum non niſi Collegium oporteret, ut adeat, redivivum ſibi viſurus omnium optimorum morum, ſcientiarúmque Athenæum.

Hæc dum ſolertiùs penetro, adverto jam me in meta eſſe propoſiti mei, quò collimabam; cui enim hunc ſecundum Prodromi Tomum Sacri, & Apoſtolici Ordinis noſtri Hiſtoriam ſingulariter de Collegiis & Monaſteriis per totam Germaniam diffuſis tractantem in patrocinium potiùs, quàm Tibi deferrem, in quo intuitu uno répério, quæ alioquin labore non exiguo, diſperſim fuiſſent colligenda. Agit hic Tomus de noſtrorum Collegiorum fundatione, ſeu ortu, variiſque (ùt ſemper fieri ſolet in iis, quæ humana, ac mortalia ſunt) fatis, tu quaſi omni fato ſuperior, dum talia leges, ſenties haud dubiè, affirmabíſque vera eſſe illa, quæ dudum ſancti quòque Patres agnoverant neceſſaria eſſe, quibus ſacra Religio inter viciſſitudines humanas immota perſiſtat. Agit idem,

idem, meminitque viros noſtri Ordinis eximios, ſcilicet ad tuæ pietatis ſimilitudinem graphicè delineatos, ut videas eorum præclara perquirendo facinora, quanta tua ſunt, quibus eorum imitator, jam antea exſtiteras, quam hæc legendo ad Ipſa æmulando concitareris. Denique immixta is continet alia quóque, hiſtoriam tum ſacram, tum profanam immodicè colluſtrantia, cujus Tu, ùt es minimè expers, ſic (annè dubitem?) futurus es gratioſiſſimus promotor. Hæc dum mihi *Præſul Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Mæcenas Benevolentiſſime* firmus adpromitto, fac, quæſo, ut opus iſtud meum ea ſecuritate adversùs omnes, qui eidem fortaſſe malignantur, in ſinu tuo requieſcat, quâ vallatus feliciore progreſſu, faventiore ſydere, ac paſſu celeriore ſubſequus paulò poſt ad prelum parandus Tomus prodire valeat, dum interim tibi tot feliciſſimos Regiminis Tui annos precor, quot in hoc volumine paginas dicatas volui, & quot ego ad ſuperos aut miſi, aut mittam ſuſpiria, ut felix perennes, meque gratiis Tuis dignari non deſinas, dum vivo

Reverendiſſimæ Illuſtriſſimæ, ac
Ampliſſimæ Dominationis tuæ

Humillimus Servus,

JOANNES ANTONIUS ZUNGGO,
Can. Reg. Vorav. Biblioth. ibid. Jurat. Notar. & Pœnit. Apoſt.

APPRO-

FACULTAS
REVERENDISSIMI, ET AMPLISSIMI
D. D.
PRÆPOSITI.

UT Hiſtoriæ Generalis, & Specialis, de Ordine Canonicorum Regularium, Prodromi Tomus poſterior à R. D. JOANNE ANTONIO ZUNGGO Collegiatæ noſtræ Eccleſiæ Voravienſis Canonico Capitulari Bibliothecario, & Notario Apoſt. Publ. Jurato, curiæque Romanæ immatriculato compoſitus publici Juris per typum fieri poſſit, tenore præſentium facultatem concedimus. Actum in Canonia noſtra Voravienſi 6. Jan. 1741.

(L.S.)

LAURENTIUS JOSEPHUS
Præpoſitus ibid. mppr.

APPROBATIO
CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS
VIENNENSIS.

HUnc ſecundum Tomum, Prodromi Hiſtoriæ Generalis, & Specialis de Ordine Can. Reg. S. Auguſtini Concinnatum â Plurimùm Reverendo, ac Clariſſimo Domino Joañe Antonio Zunggo Canonico Regulari Lateranenſi S. Augùſtini Voravii, ibidémque Bibliothecario &c. diligenter perlegi: cúmque in eo multa eruditè pertractentur, & veteribus Documentis comprobata, nec quidquam contineatur fidei, aut moribus adverſum; ideo luce publica dignum cenſui. Viennæ Auſtriæ 8va Septembris 1741.

L.S.

FRANCISCUS HÖLLER
è S. J. SS. Theol. Doct. Profeſſor S. Script. & in Fac. Theol. p. t. librorum Cenſor.

AD

AD LECTOREM.

PRodromi Secundam Partem Tibi ſiſto, experire! num Charetis pollicitationes jactaverim, dum fidem præſto, & fortaſſe etiam majorem, quàm ſacramento tenebar. Diutior hujus Tomi dilata editio non meæ culpæ eſt, ſed temporum, utinam meliorum, & non penè ad incitas usque inviſorum litteris. Jam tertius propè annus abiit, quô typo maturum prodire in lucem voluiſſem. Alia adhuc fuêre neque mearum virium, ut tollerentur, obſtacula, quibus hucusque nihil non moleſti tollerare oportuit.

Sed ut ſæpiùs è malis bonum elicitur: quemadmodum tunc ſe benè navigâſſe dixit Zeno, cùm feciſſet naufragium, ſic bene mihi vertit hæc typi dilatio; nam cognoſcere quædam conceſſum eſt interea, quibus conſulerem, neque deeſſem aut meliora, aut utiliora Suadentibus. Apud Manutium in adag.

Ut primùm Tomus Primus publicus eſſe cœpit, faſtiditus eſt, ùt aſſolet, à nonnullis: Quidam aſpernabantur Propoſitum; Verùm hos non moror, non tanti ſunt, ut eorum palato ſerviam, potiore, ac multorum aliorum exſpectatione deluſâ: diſpliceam nonnullis, modò quibusdam proſim, iſtud cæpi experimentô: Alii improbabant vaſtitatem operis, tot voluminum (quemadmodum in præfatione prioris To-

mi ſpoponderam) molem, ut unus homo conſtruat, impoſſibile ajebant, opus eſſe plurium annorum, quàm quinquagenarius & hôc major ſe aſſecuturum ſperet; nonnemo Bibliopolarum opera ſucceſſivè complenda, tantùm non omnino Vulcano deſtinanda cenſuit: præclarè iſta, ſivè ab hominibus antelucani, ut ita dicam, lucri cupidis; aut ab aliis, qui conſilium, judiciúmque prævertunt, Naſuti nimiùm. His reſpondeo: Imprimis neſcire ſe, iſti produnt, quid ſit Prodromus, & quô conſiliô conſcriptus. Hæc verò Prodromi ratio, quàm ex prioris partis præfatione §. *quod ſi quæras &c.* poſt obſervationem ſeptimam ſatis declarata ſit, etiam viderint Lippientes. Ex hujus Prodromi prærogativa eam nobis operis aut inſtituendi aut ordinandi, ſcribendíque libertatem vindicamus, ut nihil nobis ſponſio inibi data imponat oneris, niſi ut ſcribamus: monogramma hôc Prodromô exhibuimus; placeat, an diſpliceat? utrinque feror, continuaturus placita, emendaturus minùs probata.

Néque mihi apio opus eſt, quaſi tantæ vaſtitatis molimini ſuccubituro; en tibi & in hoc remedium, Ideam propoſiti operis percepiſti, faverint ſuperi, temporibus magis proſperis ſecundaturi, vita ſimul ſoſpite, habebis intra luſtrum opus completum, ſin immineant duriora hanc jam crede ſecundam partem conſultò ſic eſſe inſtructam, ut Prodromo toti prodeſſent quidem, quæ polliciti ſumus plura Volumina, ſufficiat tamen unum: quod ſi iſtud quóque mihi perficiendum iniquior fortuna vel mors excuſſerit, confide, fore, ut laborem poſt me, alius forſan & feliciùs, & eruditiùs ſuppleat. Atque hac ſtipulatione te ſecurum reddo.

Porrò jam ad ſecundam Prodromi partem mentem advertimus; Multa námque occurrunt ſpinis, obſita, út verbi gratiâ, dum de Illuſtriſſimo Præmonſtratenſi ordine ſermo occurret. Mediò fermè hujus partis æquore transactô, pervenit ad manus noſtras induſtriâ Viri Clariſſimi (quem nuper nobis invida è vi-

vis

vis eripuere fata tot gratitudinis titulis, quo penè apicibus in hoc opere recolendum) Philippi Säller, Hugonis Stivagienſis Annalium Tomus primus: Lætabar, tam nobilis eruditionis libro, & hoc ædipo dubium meum, quô dudum in diſcriminando inſtituto Præmonſtratenſium à noſtro agebar, tandem diſſolvendum confidebam, verùm ſefellit ſpes, etſi enim in præfatione de origine ſui ſacri ordinis hic Illuſtriſſimus Author quædam præclarè ediſſerat, & ſpeciem cum Canonicis Regularibus S. Auguſtini eandem aſſerere videatur, at ambigenti, ex iis, quæ profert, nulla ſublata difficultas, unde nihil, quæ de hoc celeberrimo inſtituto diſcurrimus, usque dum libuit immutare.

Transgredimur ad Windeſemenſes: mare, ùt dici ſolet, miſcuimus Cælo, &, ubi vel umbra ſpei affulſerat, eò directæ ſupplices, ut benè de hac Congregatione merituris cederet narratio. Verùm littus aravimus, & auribus ſurdis cantata eſt fabula; itáque ſucciſum propoſitum! interea tamen adeò iniqui non ſumus, ut pii Windeſemenſium manes præcipuè quorum tanquam primorum Patrum memoria in benedictione eſt, velimus, expient hodiernorum in nos commiſſam duritiem, ſed cùm aliundè ſine horum favore (manſuetioribûs patrociniis) ſuppetant præclara documenta, ea ex parte in hoc Tomo referre non piguit, ſed copioſiora in ipſo opere comparitura ſunt, hæc de priſtino Windeſemenſium ſtatu nos facturos promittimus, de recentiore nihil eſt, quod ultrò dicamus.

Petrum noſtrum Forerium non ita pridem Beatorum calculo ſummô oraculô aſſertum peculiari Embolismo honoravimus, dignum majore honore virum tot virtutibus inclytum, & de reſtaurato ſacro ordine noſtro tam benè meritum. Author ille exſtitit novæ Congregationis Canonicorum Regularium, quam ſancti Salvatoris nuncupari voluit, inſignes ipſi ſuperandi obices fuerant, & profectò trabs in omnibus; verùm ùt ait Hieronymus: *litterarum radices amaræ, dulces ſunt fructus*, quantam utilitatis meſſem Beatus hic diſciplinæ Ze-

lator collegerit, hodiedum florens imò quotidie accreſcens ejus eximia, & toti Eccleſiæ proficua congregatio oſtendit. Explicat in Parthenonibus ramos ſuos utcunque jam ad noſtram usque Germaniam, ſed & unum virorum Argentoratenſe non ita pridem ſurrexerat; Urbem hanc qualicunque jure ſibi cum tota Alſatia Gallus addixerit, ad Germanum tamen ſolum referimus meritò: an enim ideò Germani non ſumus, ſi nos (quod tamen avertant Superi) aut hinc Turca, aut inde Gallus occupet? Hæc tam felix Foreriana Congregatio ingerebat conſilium ſparſim ſæpiusculè de Congregationum prærogativa, ac emolumentis libandi potius aliqua, quàm differendi, quamvis, quantùm non tam meo, quàm multorum pectori hoc bonum inſideat, non facilè dixero, neque eſt, ut adjungam, quæ Clariſſimi mecum Viri, ac utriusque litteraturæ (ſacram profanámque intelligo) peritiſſimi contulerant de hujus inæſtimabili pretio, muróque penè inexpugnabili conſervandæ cuicunque demum Religioni. Solùm audiamus Jacobum noſtrum de Vitriaco profectò graphicè perorantem: ubi ei de Aroaſienſibus Canonicis ſermo: *Quoniam*, inquit, *nihil magis virtutem religionis conſervat, ubi plures ſunt congregationes & conventus, quàm reſpectus ad unum ſuperiorem, qui diverſa ſub ſe membra regit, & continet, quaſi ſummum & ſupremum Caput. Semel in anno, ſub primo & principali Abbate Generale Concilium celebraturi conveniunt, omnes unanimiter hujus ordinis Abbates, ſecundùm quod Religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, reſecent ſuperflua, inſtituant & addant, quæ fuerint ſuperaddenda, vel ſecundùm temporum, aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda, commutent, & novis ſupervanientibus, ita vetera rejiciantur, quòd vetuſtiſſima veterum prima ſcilicet antiquorum Patrum inſtituta, firmiter & invariabiliter obſerventur. Principalis ſiquidem Abbas filias ſuas, inferiores ſcilicet Abbatias per ſe, vel viros idoneos ſtudioſè viſitando, quantùm religioni ſubminiſtret fulcimentum, nè per negligentiam defluat, vel per diſſolutionem ſtatus religionis enervatus corruat, ex his liquet conventibus & Congregationibus, quæ ex uno tantùm Abbate pendentes, & uni ſoli ſuperiori intendentes,*

cum

*cum corruente plerúmque corruant, cùm non habeant, unde aliàs fulciantur. Væ ſiquidem Soli, quia, ſi ceciderit, non habet ſublevantem, Funiculus autem triplex non facilè rumpitur; frater enim fratrem adjuvans, eſt quaſi civitas munita. Si autem corrupto capite ad prælatos ſæculares membra recurrerint, & Scyllam * fugientes, frequenter Charybdim incurrerunt, & fugientes arma ferrea, in arcum æreum inciderunt: Quidam enim Eccleſiarum Prælati, Regularium diſſenſionibus tantò magis exultant, quantò velut in aqua turbata copioſiorem reperientes piſcationem ab altera vel utraque parte hac occaſione pecuniam emungere non formidant. Quodſi fortè juſtos & timoratos invenerint Prælatos, qui ab omni munere manus excutientes eorum partes intercedente pecuniâ, favere renuerint, tandem facta ad Dominnm Papam appellatione diſcurrendi, & evagandi materiam libenter inveniunt* &c. Hæc Vitriacus: ſanè, mea quidem opinione, ſi qua eſt Religio præclarè florens, Congregationibus ſtabilitur, & tum demum labantibus qualicúnque ex cauſa quibusdam non raró monaſteriis opitulans manus ſuccurrit. In Hungaria ante belli turcici, priore ſæculo notiſſimi apparatum, numerabat Ordo noſter aliquot Collegia, numerabant & Benedictini, pariter Præmonſtratenſes, inundata, ac tyranicè vexata à Machometanis non ſolùm, ſed & ipſis perduellibus Hungaris omnia penè Collegia & Monaſteria, aliquanto tempore ſub cineribus jacuêre, cùm demum piiſſimo & æquiſſimo Cæſare *Ferdinando,* nec non ejus æternâ memoriâ digniſſimo Succeſſore *Leopoldo*, oblata eſt cuicúnque Ordini ſuorum Monaſteriorum reſtitutio unàcum fundis, ac dote (quantùm circumſtantiæ admiſerant) Fundationis; Primi, qui reſtituti, Benedictini erant, imitati mox tam præclara veſtigia Præmonſtratenſes; unde ſtivagien: in Annalium præfat. citat. *poſt redemptum,* inquit, *ab infidelibus regnum Hungariæ, Abbates Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæ, refuſo in ærarium Viennenſe argento, nonnullas Ordinis Præpoſituras recuperârunt, & eorum regimen paternum ſuis annexuêre Abbatiis.* Canonicorum Regularium, ſeu noſtratium abolita omnia; exſtat in Archivio noſtro documentum quoddam ſic ſonans: *Præpoſituræ Regulares, ſive Canonicorum Regularium in Hungaria*

* Fortè inversè.

garia fuêre, Primò : Præpoſitura de Thonab. Secundò : de Vybely B. Mariæ Virginis, Diœceſis Strigonienſis. Tertiò: Præpoſitura de Develich, quæ vigebat 1292. Quartò: Sancti Ladislai in Strinigienſi Comitatu, Diæceſis Veſprincenſis. Iſtæ quatuor Præpoſituræ in Regno Hungariæ, fuerunt annô 1692. à Reverendiſſimo D. D. Cardinale Gallonich Collegio Voravienſi Can. Reg. in Styria perhumaniter oblatæ, unacum aliqua domo in civitate Budenſi: ut ſaltem in quavis Præpoſitura interim ſeptem Canonici habitent, donec ſucceſſu temporis Apoſtolicus iſte ordo in priſtinum ſtatum refloreat, attamen ex certis rationibus Collegium Voravienſe oblationem iſtam non acceptavit. Hæc ibi: inter alias rationes præcipua fuit Canonicorum minor numerus, quàm ut ſimùl proprio, alieniſque Collegiis provideret, hinc cum quibusdam aliis initum conſilium ad conſtituendam cauſam communem; abnuêre omnes, oggerentes forſan illud, *tecum habita, & nôris, quàm ſit tibi curta ſupellex.* Sic multi ſibi, pauci communi bono ſtudent; conclamata res eſt, ubi plurium monaſteriorum ſub uno ſupremo capite unio, virtus tum conjuncta fortior, malis ſibi imminentibus reſiſtit ſecuriùs, & ſimili occaſioni emergenti ſuccurrit feliciùs, hæc, ut rationem redderem propenſi, & ſæpiùs proditi à me in congregationes ſtudii.

Prolixam Monaſteriorum Circuli Burgundici & utriusque Saxonici deſcriptionem in hac ſynopſi ægrè fortaſſe quis tulerit, ut in opere ipſo aut nimia ſequatur Farrago rerum, odioſa legentibus, verùm nè quæſo vapulem, ut, dum juſtior eſſe cupio in omnia collegia ſcriptor, iniquus audiam. Id quidem indubitatum, peræquâ proportione fore deſcriptionem in opere, comparatè ad præſentem, ut ſi quod hic diffuſiùs, longè copioſiore calamo proponendum ſit in opere, jamque ſupponendum, ſupellectilem documentorum uberiorem ſuppetere. In præfatione primo Tomo præfixa, ſollicitavimus votis, quibus poteramus, documenta: multorum humanitati debemus omnino gratum animum, qui non ſolùm preces audivêre, ſed ſolari nos ex abundanti dignati ſunt, alii usque dum duriores, an conſpe-

ᶑo hoc ſecundo ſTomo emolliendi ſint, nôrint Superi; ſi minùs? non ringent iſti ad proſequendum opus animum, major enim, fortiórque eſt faventium numerus, quàm reſiſtentium, pergant illi *Licinium* agere vel *Philonidem*, non ideò ſcientiæ occumbent.

In Collegiorum deſcriptione, ſolita uſus ſum dicendi libertate, nihil tamen dubiorum occurrentium decido, ſed ubi fert occaſio, propono in controverſiam vocanda: nemo me in hoc toto labore refractarium habebit, cedam ubique lubens ambiguitati meæ ſuccurrentibus, & docentibus certiora, veluti exempli cauſâ multorum Collegiorum origines obſcuriores ſunt, nec ab erudito quocunque abnuendum, frequentiſſimè contigiſſe, ut vera fabulis per nonnullos ſciolos miſcerentur, quod præcipuè tum factum ingemiſcimus, quando, ſive depopulatione hoſtili, ſive flammarum, originalia in fumum abiêre; ſic enim factum, ut recolligenti ſe tali monaſterio, inter priores curas venerit notitia non penitùs abolenda fundationis, fuêre (ùt jam aliàs obſervaveram) qui propè religioni ſibi duxiſſent, talis fundationis initia referre ſine miraculis; profectò factum eſſe à quibusdam ſimpliciori-bus ſcriptoribus, ut dùm certa non ſuppeterent, proderent exiſtimata, res eſt manifeſta. Quid ergò in his ſtatuendum? ubi certiſſimè cognitum, hiſtoriam talem eſſe longè ipſo rei eventu recentiorem, inſuper erroribus Chronicis, aliisve maculatam, ſi dein Heteroclyta quædam acta accedant, an talibus quaſi ex tripode datis auſcultandum? minimè certè: quia hodierna inter doctos elimata utcúmque criſis longè alia diſponit, animúmque requirit veritati attentiſſimum, abjecto omni ſtudio partium, &, ut fieri poteſt, conjecturis nonniſi proximis veritati, in defectu certitudinis Solerti operâ quæſitæ nec obtentæ. Idem intelligendum opinor de aliis quibuscúnque; tantùm ne in hiſtoria præcipuè, quam tractamus, ſacra, quidquam temerè, vel adblandiendo agamus.

 Mo-

Monitus à quodam amicè, rogatúſque fueram, cur incorporatas, ùt vocant Eccleſias, quemadmodum ſunt, Parochiæ, Beneficia, denique loca Thaumaturga, non æquô ordine, ac ipſa collegia memorem, erunt & alii, qui hoc ipſum requirant; his ſatisfacio, præſentem Prodromi Tomum ſuo jure gaudere, ideo, potiora ſi conſpectui deferam, ea, quæ accedunt, haud opus eſt iſthic edere; ideam pono, non rem ipſam, etſi aliquo modo & iſtam, ùt ſuperiùs monui: deinde ſcio multa, quæ nec ab ipſis liberalitatem in communicandis documentis ſuis mihi exhibentibus, ſic elucidatè traduntur (ſolô ad ſummum nomine loci ſignatô) ut inde hiſtoriam formem, hinc ubi talium in iſtis magis enucleandis auxilium operior, alios intereà hâc morâ haud irritabor.

Denique deſcriptioni cuique ſubjunximus præcipuos fontes, ex quibus adducta hauſimus, ne videamur in rebus, quæ nonniſi teſtimoniis, ac Authoritatibus ſtabiliuntur, quidpiam ex nobis finxiſſe: noverint prætereà ſubſequi operis Lectores, producenda in eo, diplomatum, aliarúmque tabularum, ac chartarum fides, argumentorum denique pondera nonnunquam poſita unde deſumpta ſint. Optamus porrò, ut hæc ſecunda Pars Prodromi eum nanciſcatur favorem, quô animati ſtudium noſtrum in concinnando reliquo opere augeamus: utut enim hujus laboris ſuſcepti finis, & meta non eſt, niſi Dei gloria, & deſiderium promovendi honoris Apoſtolici, ac antiquiſſimi inſtituti noſtri: attamen neſcio, quàm vaticidè effatus ſit Vates Pelignus, dum cecinit: *excitat auditor ſtudium, laudatáque virtus.*

OBSER-

PRODROMI
TOMUS POSTERIOR
OBSERVATIO.

GErmaniam noſtram diſtinctis temporibus diverſi limites ambiêrunt, & ex quot penè bellorum fatis emerſerat, tot inde novis terminis cingebatur. Juxta dimenſionem, quam nobis Ptolomæus exhibet, L. 2. C. 2. & 3. reperimus eam ad orientem Viſtulâ, & Alpibus Sarmaticis: ad occidentem (teſte Tacito C. 1.) Rheno: ad meridiem (juxta eundem) Danubio: ad ſeptentrionem denique, versùs dexteram Cherſoneſi Cimbricæ (hodie Jutiæ) Mari Suevico, ſeu ſinu codano, ùt refert idem Tacitus, aliàs Mare Germanicum dicto, fuiſſe concluſam. Vide citat. Tacit. L. 37. & noviſſimè Cellarium Geogr. Antiq. L. 2. C. 5. n. 5. Definiebatur tunc tota Germania in longitudine 60. dierum itinere, id eſt: noſtro computu circiter 360. milliarium Germanicorum, & in latitudine, 9. dierum, ſeu milliarum noſtrorum 54 & continebat quinque Principales Nationes, unde reliquæ minores gentes tanquam ex propagine deſcendebant: ſcilicet *Vindelos*, ſeu *Vandalos* inter Albim, & Viſtulam ad mare Suevicum; ab his ortum ſumebant ſuum *Burgundiones*, *Vaurini*, *Gothæ*, *Rugii*, *Lemovii*, *Longobardi*. 2dò: *Ingævones* terram ab oſtio Rheni per tractum littoris Oceani ſeptentrionalis, totius peninſulæ Cimbricæ complexu, usque Scandinaviam incolentes; Hanc gentem Plinius L. 4. C. 13. nuncupat *Germaniæ primam, à qua clarior fama aperiatur.* Sub his floruêre *Cimbri*, *Teutoni*, *Chauci*, *Friſii* ſeu *Friſones*, *Sitones*, *Helleviones*, & *Sviones*. 3tiò: *Iſtaëvones* ad Rhenum ſitos, ſub quibus *Dructeri*, *Marſi*, ſeu *Marſaci*, *Sigambri*, *Uſipetes*, & *Tencteri*. 4tò: Hermiones ſinum Germaniæ inhabitantes, ad Albim, Oderam, & Viſurgim, usque Danubium; horum poſteri *Suevi* erant, *Hermunduri*, *Marcomanni*, *Cheruſci*, *Catti* &c. Denique 5tò: *Peucinos* & *Baſtarnas* cum *Dacis*, loca Sarmatiæ ad Viſtulam poſſidentes.

Magnæ Nomen hæc Germania obtinuit, aut etiam *Transrhenanæ*, cùm quoque cis Rhenum populis æquè Germanis non modicum ſpatium in Gallia Belgica ſubeſſet, quod ideò *Germaniam* dixerunt *Cisrhenanam*.

Verùm Sæculô poſt Chriſtum quintô jam alia erat limitum Germaniæ facies, nam *Gothis*, *Wandalis*, *Suevis*, *Burgundionibus*, &c. Ultrò ingenti armorum poteſtate ſe protendentibus, ampliabatur meridiem, ac occidentem versùs eorundem poſſeſſio, aliis interim nationibûs quædam eorum loca invadentibûs, de quibus omnibus Jornandes de rebus Get. & Eginhardus in Vita Caroli videri poſſunt.

Sed quia Inſtituti noſtri ratio expoſcit eos Germaniæ limites exhibere, qui & primorum fidem invehentium ſtationes, & primitivas à Clericis votivis inhabitatas Eccleſias contineant, nec minùs eos, qui ſucceſſu temporis identidem præfigebantur, ne ſcilicèt quidpiam honoris, & gloriæ tam pretioſæ parti totius Europæ, & Ordinis noſtri adeò ſollicitæ Conſervatrici ſubtrahamus, conſultiſſimum viſum eſt nobis, eos obſervare fines, quos *Caroli Magni* tempore incœpiſſe, ſub *Maximiliano* verò Auguſto ſæculò XVI. ineunte, perfectâ, & accuratâ diviſione per decem hodiedum conſuetos circulos Imperii conſtitutos fuiſſe ſcimus; Ita, ut primus (nam ab occidente commodioris deſcriptionis causâ ordimur) ſit *Circulus Burgundicus*, 2dus: *Weſtphalicus*, 3tius: *Rhenanus inferior*, 4tus: *Rhenanus ſuperior*, 5tus: *Saxonicus inferior*, 6tus: *Saxonicus ſuperior*, 7timus: *Franconicus*, 8vus: *Suevicus*, 9nus: *Bavaricus*, 10mus: *Auſtriacus*.

Quos quidem omnes Circulos eô modô præſentamus, quô jure alioquin ſibi debito exiſtere deberent, non verò, quô, injuria bellorum & quæque audentium; tum malâ vicinorum ambitione prædominante, tum ipſorum heterodoxorum effrænatæ conſcientiæ libertate medullam propè Imperii devorante, abſtracta eſt, & hinc inde plura adhuc detrahenda quæruntur.

Cæterùm prænotare libuit, nos omnia compendiô promiſſô producturos, ſolúmque contractim, inſtrumenta interim, documenta, ac demum rem ipſam ſecundùm accuratam cujusque Eccleſiæ ſeriem chronologicam ad opus paratum differentes, non tamen requiſitam iſthic Chronologiam intermiſſuri ſumus, ſed annotaturi, occurrentium rerum Epocham, prout contigêre.

Secundò: omnem nos incertitudinis aleam declinaturos promittere nequimus, de iis enim rebus ſcribentibus, quæ (ſi ullæ aliàs) viciſſitudini humanæ, alterationique ſubjacent, cavere omnem errorem non eſt poſſibile; præcipuè in relatione facienda de locis multùm à Scriptore diſſitis, ac inſuper documentis non rarò ex ſolo librorum calculo deſumendis, qui dum præſens, quô ſcribimus, tempus quandóque non attingunt, iis contenti eſſe cogimur, quæ demum ibi certiora, ac luculentiora reperimus: atque ideò iterum, quócunque hic monogrammaticus labor noſter pervenerit, iterúmque ſupplicamus, de ſubmittendis ex propriis Archivis, & cuique Collegio particulari notitiâ in promptu exiſtentibus documentis.

Denique tertiò omnia Collegia dabimus in quovis Circulo ſecundùm ordinem Alphabeticum, nullo habitô reſpectu ad qualecunque nobilius; quod conſultò præmonere libuit, nè quid honoris debiti cuiquam videamur ſurripuiſſe.

CIR-

CIRCULUS BURGUNDICUS.

Circulus hic inter præcipuos, tam locorum opulentiâ, quàm Diſtrictûs amplitudine, jure æſtimatur: nam (ùt præfati ſumus) cùm hunc præſentandi animus ſit, prout in prima Circulorum Imperialium diviſione extiterat, complectebatur, teſte Zeilero in ſua Geographia Imperii tit. 2. totum Burgundiæ comitatum, *Franche Comte* non ſolùm, ſed & omnes ſeptemdecim Provincias Belgicas, ſcilicet Ducatus quatuor: *Brabantiam*, *Limburgum*, *Luceburgum*, & *Geldriam*, Comitatus octo, *Hollandiam*, *Seelandiam*, *Flandriam*, *Arteſiam*, *Hannoniam*, *Zutphaniam*, *Namurcum*, & S. R. I. Marchiam *Antverpiam*. Dominia quinque *Mechliniam*, *Trajectum*, *Frislandiam*, *Provinciam Tranſiſulanam*, *Grœningam*. Et quia juxta quosdam, ſi non tota, ſaltem potior Picardiæ Pars, Arteſiæ, Hannoniæque confinis, olim ad Germaniam pertinuiſſe putatur, ùt refert Budæus, hinc quædam nobis de hac licebit noſtræ Germaniæ inſerere: Lothringiam, quòd inter Partes Germaniæ Burgundicas computemus, id nos jure facere, nemo diſſentiet. Cæterùm, quòd omiſſis aliorum recentiorum Geographorum opinionibùs ſtatuerimus Meridianum primum cum Patre Ricciolo, & Scherero in ſuis noviſſimis tabulis ad *Inſulam Palmam*, eorum nobis præ aliis accuratiores tabulæ perſuasêre.

SS. Alcei, & Acheoli Abbatia Ambiani. *Fundat. ſæc. 4. Fl. rei.* Hæc Eccleſia S. Firmino origirem ſuam debet Ambianenſium Epiſcopo, non primo, qui & Martyr ſæculi quarti initiô, ſed ejus poſt Divum *Eulogium* Succeſſori, & in numero Epiſcoporum tertio, adeóque ad medium circiter Sæculi quarti florenti: Hic enim dicitur templum Virgini Deiparæ exſtruxiſſe extra urbem Ambianenſem, ad quod poſtmodum corpus S. *Acheoli* ex Eccleſia S. Petri translatum tot claruit miraculis, ut templum illud deinceps S. *Acheoli* ſit appellatum. An verò, aut quo tempore Congregatio aliqua ante Sæculum undecimum ſit ibi inſtituta, nulla nobis documenta inſinuant. Primum, quod exſtat (ſi non fallor) illud eſt, quod Dacherius in ſuo Spicilegio retulit ad annum 1085. In Concilio Compendienſi, annô *T. 1. p. 626.* prædictô *Rorico* Ambianenſis Epiſcopus privilegium Canonicis in Eccleſia *SS. Acei & Acheoli* contulit hoc tenore, *ut illam ab omni reditu Epiſcopi, Miniſtrorúmque ejus liberam eſſe decernat, & in eo Clericos, qui Canonicè, & regulariter Deo ſerviant, deputet:* Dein *ad Honorem*, inquit, *Patroni noſtri Martyris, & Epiſcopi Firmini, cujus ſacratiſſimum Corpus per tot annorum circulos in Eccleſia, debi-* *Exſtat loco citatô.*

ta veneratione quievit; communi aſſenſu amoris dulcedine, G. Fratris noſtri, & Subdiaconi præbendam perpetualiter habendam conceſſimus Fratribus ibi deputatis, aut vivente eô, ſi ita diſpoſuerit, aut potiùs, quando gradietur viam univerſæ carnis, ita, ut arbitriô eorum de præbenda procurent perſonam eligere, qui quoad vixerit uſum fructum obtineant præbendæ, ſi autem de medio abierit, quidquid victui noſtro conveſcentibus nobis in Refectorio reſervabitur, Canonicus S. Areoli abſque retractione diſtribuatur, quidquid verò ſuperſit, Canonicis S. Martini erogetur. Provideant autem arbitriô Capituli noſtri, quatenùs Vicarius eorum de hac præbenda in Canonicis horis perſolvendis nobiſcum Canonicè aſſiſtat. Qui autem Eccleſiæ illius Prioratum habuerit, unâ integrâ Hebdomadâ, ſicut Eccleſiæ noſtræ Sacerdotes, Miſſarum Solemnia concelebret. Ex hac ſanè conſtitutione obſervat Barrius in notis ad hanc chartam, juxta informationem à Reverendiſſimo D. Abbate hujus loci an. 1701. communicatam, præbendæ illius conceſſionem ſic intelligi, ut *aliquis Canonicus nomine totius Congregationis vicariè in Eccleſia Cathedrali aliis adjunctus choro aſſiſtat, ac cum iisdem horas Canonicas perſolvat*: præbendæ verò is ſit uſus, *ut quamdiu nominatus à Canonicis S. Acheoli Vicarius vixerit, victum cum Cathedralibus Canonicis percipiat, & hujus ſumptus à præbenda præfata detrahantur, eô verò, quod ex illa ſupereſt, fruantur Canonici S. Acheoli: At defunctô Vicariô, per integrum annum* (ùt colligitur ex litteris *Gerini Roriconi* ſuccedentis) *portio pro victu Vicarii accedat Canonicis SS. Acheoli, altera dein, quam percipiebant iſti vivente Vicario, per integrum annum adveniat Canonicis S. Martini.* Sic conſtitutæ regulariter viventium Congregationi an mox, ad obſervandum, ſit propoſita regula *S. Auguſtini*, divinare non poſſumus, cùm ejus in allegato à nobis privilegio nulla mentio fiat: at ſucceſſu temporis aſſumptam fuiſſe ab iis, ſatis declarat ejuſdem per aliquot Sæcula uſque ad noſtra tempora regularis obſervantia, quæ floruit in hac percelebri Abbatia ſemper illibatâ cuſtodiâ. Ante annos plus minùs triginta magna inter hos noſtros Canonicos, & Cathedrales exorta eſt Controverſia, quis eorum, corpore, reliquiiſque *S. Firmini* in Eccleſia ſua glorietur: Canonici enim Regulares S. Acheoli reperientes tres tumbas (in quarum una ſignatum nomen fuerat *S. Firmini*, in altera *S. Fauſtiniani*, in tertia *S. Thuribii* (dubitare vix poterant, hujus *S. Firmini* Corpus tertii Epiſcopi eſſe Ambianenſis, ſuæque Eccleſiæ Fundatoris, cùm tamen diu eſſet, quòd Cathedrales poſſeſſionem certam ejuſdem corporis prætenderent in ſua Eccleſia; diu etiam diſceptatio hæc tenuit, præcipuè, cùm ſuis Scriptis & Diſſertationibus Canonicos Regulares foverent duo non infimæ eruditionis viri, *Joannes Mabillonius*, & *Joannes Baptiſta Thiers*. Productis his velitationibus uſque ad annum 1715. 10. Jan. demum palmam Cathedrales obtinuêre Canonici, cùm in horum Eccleſia convocatâ omni plebe, ipsiſque Acheolanis, apertus eſt locus putatæ quietis *S. Firmini*, repertúmque ſuo nomine ſignatum, de anno 1279. Corpus ſacrum; an *S. Firmini*, de quo quæritur? haud equidem extra omnem ambiguitatem eſſe dicam: Certè, ſi Mabillonius tunc vixiſſet, dubito vehementer, num tam facili negotiô res fuiſſet compoſita, cùm non unus, ſed plures hujus nominis Epiſcopi, & certiſſima *S. Firmini* in Eccleſia S. Acheoli ſepultura, aliáque complura motiva, per hanc inventionem necdum ſublata, Mabillonio ampliorem diſcurrendi occaſionem non ſuſtuliſſent: ſed de his nos plura alibi. Cæterùm Eccleſiam hanc primitùs *Prioratum*, dein *per Theodoricum* Epiſcopum an. 1145. in Abbatiam elevatam dicit Henſchenius. At *Theodorici* litteræ an. 1145. datæ ſunt, non Canoni-

cis

ejs *S. Acheoli*, ſed *S. Martini*, quos fortè ejuſdem Eccleſiæ opinari potuit, deceptus per privilegium *Guerini*, ſeu *Warini*, in quo Canonicis *S. Martini* Præbenda Fratrum S. Acheoli conceditur, non ſenſu unionis unius Eccleſiæ cum alia, ſed ceſſione illius præbendæ per Vicarii obitum vacantis, ùt ſuprà diximus: fuiſſe tamen tempore illo, id eſt, annô 1145. Abbatiam, patet ex eadem Theodorici charta, in qua ſubſcriptus *Deodatus Abbas S. Acheoli* legitur.

Sita eſt hæc Abbatia ad ipſam Urbem Ambianenſem. Baron. in notis ad Martyr. Rom. die 25. Sept. Bollan. act. SS. ad diem 1. Maji in vita SS. Acheoli &c. n. 3. coment. Prævii. Samarthani Gallia Chr. in Eppis Ambian. Spicil. Dach. t. 1. p. 626. & t. 3. p. 497.

S. Agnetis aliàs veterum Nonnarum dictus, Virginum Canonicarum Prioratus Windeſemenſis.

Hujus olim percelebris loci Fundatorem ſe exhibuit Nobilis Eques *Gerardus Hemskerck*, qui, ut ſibi perſeverantes ad Deum Oratores conſtitueret, cœnobium in ipſa Urbe Dordracenſi exſtruxit, illúdque Virginibus ſacris ſub regula *S. Auguſtini* habitu Canonico Victuris inhabitandum conceſſit, quæ ſe mox Congregationi Windeſemenſi ſubmiſerunt; à confeſſionibus, ſpiritualíque directione ùt plurimùm per Canonicos Rubeæ, aut Viridis Vallis proviſæ. Cùm pro Eccleſia conſtruenda fundamentum effoderetur, inter erutas glebas ſtatuam repererunt lapideam, Virgineæ Matris præferentem figuram, quæ honorificè aſſumpta, ejuſdem *Gerardi* beneficiô in Sacellum Marianæ Venerationi ſacrum, & Eccleſiæ ipſi contiguè erectum tranſlata eſt, Altaríque impoſita. Tam benevolam pietatem gratiarum Mater non aliter niſi gratanti ſuorum favorum reciprocatione ſuſcepit; nam ampliſſima mox beneficia illic eam implorantibus eſt impertita: ſed tunc rursùs occluſit ſuæ miſericordiæ ſinum, cùm hoſtes illius infenſiſſimi Hæretici cœnobium depopularentur, & Ancillas Virgineas non ampliùs redituras ex illo deturbarent. Dicunt adhuc hodie templum illud apparere, ſed ſi non ſpelunca latronum factum eſt, ex quo tempore in manus Heterodoxorum incidit, certè gratiarum locus ampliùs eſſe non poteſt, dum ibi fundamentum illarum fides vera deficit. Buſch. Chron. Wind. lib. 1. c. 45. Boland. ad diem 8. Febr. in vita S. Suræ V. M. §. 2. n. 19.

S. Agnetis Montis Prioratus Windeſemenſis.

Ortum, progreſsúmque hujus quondam celeberrimi cœnobii deſcripturis, planam, plenámque viam nobis coævus ejusdem cœnobii Religioſus, ſincerúſque Chroniſta ſuppeditat Ven. *Thomas Kempenſ.* ex quo pleraque ſynopticè decerpemus, quæ ad præſentem deſcriptionem neceſſaria fore judicabimus. Primùm itaque cùm devotiſſima Clericorum in communi viventium, & per *magnum Gerardum* inſtitutorum congregatio, tanta incrementa ſumeret, ut per totam, latámque Diœceſim Trajectenſem diffunderetur, erant de hoc ſancto germine aliqui in civitate Zwollenſi uniti, qui in quodam Vico ejuſdem juxta antiquum Conventum Beginarum domum conſtruxerant, in qua Deo humiliter, ac devotè pariter ſerviebant. *Joannes de Vinmen*, Vir (dicere auſim) Sanctiſſimus, à Deo corporis cæcitate adhuc in juvenilibus annis percuſſus, ſed tanta animi luce coruſcus, ut tota ejus vita imò totus Joannes omnibus lucerna eſſet lucens, & ardens virtutis exemplô: Hic cum *Wichmanno Ruvinck* & *Reynero Leonis de Rhenen*, nec non aliis duobus, vel tribus bonæ voluntatis viris, adjunctâ (tanquam alterâ Marthâ Matre, ſcilicet præfati Joannis,)

Regelandt nomine, in dicta domo aliquantò tempore Deo ſerviente, cùm Gerardo magno Zwollis prædicanti aſſiſteret, eidem aliquando ſecretiùs avocato mentem ſuam, ſibíque aſſociatorum aperit, quâ ſummoperè anhelabant, ſecretioris vitæ deſideriò ſibi ſeparatis, ſejunctíſque ab aſſiduo ſæcularium hominum accurſu, locum aliquem aſſignari, in quo religiosâ quiete Deo ſuum valerent ſecuriùs famulatum præſtare. Fecit id altera die paratò animô Gerardus, nam verſùs montes Nemelenſes iter arripiens cum fratribus præfatis, indéque perquirens, tandem pedem figit, ac, ubi novum Monaſterium erigendum, paternâ providentiâ demonſtrat locum planitie ſeminibus aptâ excultum, & neceſſitatibus vitæ curandis accomodum, nec minùs quaſi à Deo ad pietatis inſtituendæ ſecretiora ſtudia jam electum. Accedebat huic naturali emolumento divina quædam præſignatio, utpotè, quòd ſæpè, antequam vel aliquis hominum ad ſerviendum Deo hìc divertiſſet, paſtoribus, & vicinis viſiones apparuerint hominum albatorum, qui in montis circuitu proceſſionem facere videbantur: conſtitutò igitur Domini *Gerardi* conſiliò, ſancti propoſiti exitum interea Dei omnipotentis beneplacito ſecuri committunt.

Factum id eſt annò 1384. quò eodem tempore magnus Gerardus vitam mortalem deſerens piiſſimè obiit. Sed non deſtitère ab incæpto propoſito fratres, concurrentibûs enim pluribûs Fautoribûs, atque Patronis, *Jacobo Wittecap*, & *Gosvvino Tyaſen*, ab Hæredibus de Beramen, & Nemel, ad quos collatio fundi pertinebat, partem illam terræ, locúmque expetentes gratioſa conceſſione obtinuère. Exſtructô igitur parvô domiciliô de lignis ſolùm, glebiſque compactô ſub incæpto inſtituto paulatim pluribûs ſeſe devotis viris adjungentibûs perſtiterunt uſque ad annum 1398. cùm demum omnium voluntas Fratrum ad fundandum Monaſterium exarſit: *Videbant enim ſine monaſtica diſciplina ſtatum domûs in debito regimine perſeverare non poſſe.* Ubi verò quidam miraretur, dicerétque: *Quô modô tam pauperes vellent monaſterium conſtruere, & religionem non redditu ati acceptare? Pater Joannes de Vmmen fertur reſpondiſſe, audiviſſe ſe ſemper à Sanctis, paupertatem adeò bonam eſſe, ac omnium bonorum cauſam, atque incrementum.* Néque piiſſimum virum ſpes ſua fefellit, nam: *Eôdem annô Trajectenſis Epiſcopus Canonicorum Regularium verus amator Fridericus de Blankenheim plenam auctoritatem attribuit, novum Monaſterium conſtruendi devotis Presbiteris Egberto de Linghen, Wolfordo Mathiæ, cæteriſque Clericis, ut illic omnipotenti Deo ſecundùm regulam D. Auguſtini in ordine regulari dignè, ac devotè militarent. Hâc ergò licentiâ favorabiliter obtentâ, elegerunt locum in allodio, Weſterhoff nuncupato, in confinio de Gherner, in Parochia de Dalveſſen, honorabili Viro Domino Friderico Denter ejusdem Parochiæ Curato ſuum ad iſta conſenſum adhibente. Necdum enim Zvvollenſes patiebantur, ut in monte Nemelenſi Monaſterium exſtrueretur. Dederat autem hunc eis locum in Weſterhoff Egbertus Mulart armiger in Haſſalt integer amicus, & ſpecialis devotorum Patronus, ibi ergò pro primo Eccleſiam parvam cum modicis ædificiis erexerunt, quam in honore Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ conſecrari fecerunt: & locum eundem ad honorem almæ Matris Chriſti, hortum B. Mariæ venerabiliter nuncupaverunt. Parata autem ad regularem vitam manſione in die Virginis annunciatæ adveniente Suffraganeo Trajectenſi Domino Huberto Hyppuſenſi Epiſcopo, conſecratis priùs in eodem loco tribûs Altaribûs cum cæmeterio, ipſóque Altari ſummô, & Miſſâ ſolemni modulatione decantatâ, in plurimorum tam Clericorum, quàm Laicorum præſentia, inveſtiti ſunt à Venerabili, ac Religioſo Viro Domino Joanne Wale Priore Regularium Civita-*

vita-

vitatis Zwollenſis ad hujusmodi officium ſpecialiter vocato, *primi quatuor Fratres nimirum Egbertus de Linghen Presbyter*, *Wolfardus Mathiæ de Medenblik*, *Joannes Vmmen Clericus*, *& Frater Joannis de Vmmen primi Authoris*, *& Dericus Clivis Clericus ex civitate Clivenſi. Clerici verò, qui habitum Ordinis nondum aſſumpſerant*, *fuêre Wicholdus Joannis Daventrienſis*, *Henricus Huetinc Daventrienſis*, *Joannes Kempis Diœceſis Colonienſis* (alius à Joanne Kempis primo hujus loci Priore, ùt habes in Chron. S. Agnet. f. 24.) *Hermannus Kempis Diœceſis ejusdem.*

Paſchate finito novum hoc monaſterium unitum eſt Windeſemenſi Capitulo, primúsque inde Rector conſtitutus *Egbertus Ringhe* Conventualis domûs S. Salvatoris in Eemſtein: At verò, cùm diverſis emergentibûs incommodis locus hic diſciplinæ regulari minùs aptus videretur, non paucis licèt, præcipuè per cives Zwollenſes, injectìs obſtaculis, impetrârunt tandem à Friderico Epiſcopo, ut Fratribus remeare liceret ad locum primitùs à *Gerardo Magno* aſſignatum in Nemelenſi monte, & inhabitatum à cæco Joanne de Vmmen, dictum montem S. Agnetis, cujus ſacris honoribus locus ille dicatus fuerat; qui dein à præfatis Canonicis inhabitari cæptus adeò pariter Epiſcopo *Friderico* in amoribus erat, ut, cùm aliquando equitans circa montem, profecturus Zwollas, ex comitibus ſuis quæreret: quis ille locus eſſet, & qui morarentur in eodem? reſpondiſſétque Vicarius ſuus: *Ille locus eſt monaſterium veſtrum, mons ſcilicèt S. Agnetis*, *ibi habitant Fratres de monte.* Reſponderet Epiſcopus, tenero planè dilectionis affectu, *bene eſt*, *Deus conſervet eos.*

Necdum autem annus abierat, cùm DEus graviſſimâ peſtilentiâ terram illam viſitaret, nec parceret illis ipſis, quos paulò ante ad ſervitium ſuum aſciverat in novo hoc plantato monaſterio. Quidam enim Laicus *Joannes Fabri* urbis Zwollenſis peſte infectus, atque ad montem perveniens, cùm hoſpitalitatis ibi jura expeteret, ac obtineret congruâ charitate, morbô prædictô interiens aliquot Fratribus cauſa mortis exſtitit. Sed non tamdiu juſta DEI ira deſævîit, quin paulò poſt benigniori ejus clementia diſponente reliquis cuſtoditis, continuò major Religioſorum Canonicorum accederet numerus; adeò quidem, ut annô 1399. poſt paſcha primus ab eiſdem Prior eligeretur *Joannes Kempis* Conventualis in Windeſem, digniſſimus planè, qui hujus novelli loci clavum regeret ad auſpicatiſſimum eiuſdem augmentum, utpote qui *annis novem præſidens tam in ædificiis*, *quàm in libris*, *& aliis neceſſariis bona monaſterii commendabiliter melioravit*: Quæ ſingulariter & accuratè chroniſta noſter enumerat ad ſtuporem penè impenſi laboris, quò ſoli Religioſi dicuntur intrà paucum tempus montes, & colles humiliaſſe, ac vallium concava depleviſſe, montuoſúmque locum illum, & arenoſum in ubertatem fructuum, ac planitiem terræ deduxiſſe; ut Fratres ipſi tunc laborantes ad invicem dicerent, verum eſſe ſermonem Domini dicentis: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis*, *dicetis monti huic: Tolle te hinc*, *& fiet &c.* Matth. 17. 19. Sicut autem primus Prior *Joannes* Kempis regimen hujus monaſterii in ſanctitate, & ſolerte præſidendi prudentia firmavit, ſic ſubſequi per continuum Priores, incomparabili planè id imitatione continuaverunt. Quis enim, *Willhelmus Vmiken* Joannis Succeſſor annò 1408. electus? Quis, tertius ibidem præſul *Theodoricus Clivis* annô 1425. ad id Officium vocatus? Quis, eidem Theodorico ſuffectus annô 1448. *Henricus Willhelm de Daventria?* Ac alii complures (quos brevitatis causâ dimittimus) ſatis comprobant diffuſa, quæ cuíque

eorum chroniſta noſter ſubſcribit, encomia, nos autem ſuo tempore latiùs daturi ſumus. Néque minore] ſanctitate effulsére non pauci ex Religioſis reliquis Canonicis: ſed nobis ad alia properantibus ſufficiet vel unius(quem nominavimus jam ſæpiùs) chroniſtæ hujus cænobii, laudi aliquantulum immorari, *Thomæ* ſcilicet, quem vulgariter à loco natali *Kempenſem* dicimus cognomentô *Hämerlein*; qui*, ùt ipſe notavit, annô 1399. Scholaris antea Daventrienſis ex Diœceſi Colonienſi natus veniens *Zvvollas* pro indulgentiis, deinde lætus procedens ad montem *S. Agnetis*, faciénſque inſtantiam pro manſione in eodem loco, miſericorditer acceptatus, ac annô demum 1406. in die Sacramenti, quæ tunc fuit in profeſto S. Barnabæ, cum duobus aliis clericis inveſtitus fuit; vixítque in hoc monte *S. Agnetis* uſque ad anni 1471. diem *S. Jacobi Majoris*, ætatis ſuæ annum 92. inveſtitionis 65. & Sacerdotii 58. in ea vitæ integritate, ac innocentia, ut non multò poſt obitum ſuum jam meruerit quendam ſuæ converſationis Biographum nanciſci: néque hic aliter per totam ſuæ ſcriptionis ſeriem de illo, quàm de viro aliquo planè pio, ac ſancto ſtylum efformat, ut ſtatim ex nomine ipſo, quemadmodùm Biographis eorum temporum moris erat, ſanctitatis, ac omnigenæ laudis præſagia elicere conetur. Nec obeſt, quòd eum disertè titulô ſancti, vel beati non indigitet; ſic néque Raymundus de Capua, dum vitam *S. Agnetis de monte Politiano* ſcribit, eam ſanctam nominat; ídque de pluribus aliis monſtrari poteſt. Præcipuè autem *Thomam* noſtrum commendare videtur à notiſſimo illo de imitatione Chriſti libello, hæc ejus verba: *Iſte bonus Pater ſolitus erat dicere, quando fuit cum conventu ſpaciando, vel cum aliis, quando ſenſit inſpirationem divinam, quando ſponſus ejus ſcilicèt JEſus Chriſtus voluit cum ſponſa loqui, tunc humiliter petiit licentiam dicendo: dilecti Fratres oportet me ire, unus me expectat in cella, & Fratres piè annuentes petitioni ejus, multum ædificati fuerunt. Et ſic impletum fuit in eo illud: ducam eum in ſolitudinem, & ibi loquar cum eo, & ipſe Thomas ad Dominum illud: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Quid tunc loquebatur Domino, & quid loquebantur ad invicem, habemus in tractatu ejus, de interna Chriſti locutione ad animam fidelem: qui tractatus habet hoc idem pro themate in ſecundo capitulo: loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Fuit autem hæc vita (& quæ hîc adduximus) ſcripta non multô tempore poſt *Thomæ* obitum, ipſe enim hic author in eadem vita ait: *Multa alia plura de ejus vita, & converſatione audivi à Fratribus illius conventûs, qui adhuc vivunt, quod vix milleſimam partem enarravi ſcribendo.* Porrò de præfato libello jam antea teſtimonium tulit Joannes Buſchius Chroniſta Windeſemenſis, Thomæ noſtro notus planè, ac in converſando familiaris. Sic ille L. 2. c. 21. de viſione quadam, quam habuerunt duo Fratres notabiles* de monte S. Agnetis in morte Joannis Huesden Prioris Windeſemenſis *quorum*, inquit, *unus Frater Thomas de Kempis Vir probatæ vitæ, qui plures devotos libros compoſuit, videlicet qui ſequitur me de imitatione Chriſti, cum aliis &c.* Hæc ſententia certa erat apud Belgas, eos ſaltem, quibus *Thomas* cognitus & coævus extiterat, quíque ejuſdem doctrinam, pietatem, ſcripta deníque, auribûs, oculis, manibúſque tanquam originali hæreditate ſuſceperant. Evolavit autem non inter prolixum tempus notitia hujus libelli ad exteras terras, & paſſim pro eo obtinendo certatum eſt, plus curatô, reſpectóque, quid in eo ſcriptum ſit, quàm quis Author haberetur; cùmque tunc necdum typô libri evulgarentur, ſed ſolùm ſcribentium operâ; etiam ſolitum erat, ut ſæpè uno

vo-

volumine, diverſorum Authorum opuſcula & conſcriberentur, & compingerentur: quod veterum codicum gnaris certiſſimum eſt. Undè in Italia factum, ut ſæpiùs opuſculis à cancellario Pariſienſi *Joanne Gerſone* (qui anno 1429. 4tò idus Julii id eſt 12. obiit) editis, præcipuè verò tractatui, quem de meditatione cordis confecit, iſte libellus de imitatione Chriſti ob affinitatem materiæ necteretur omiſsò nomine, quod hic nunquam legaliter præfixum tenuiſſe videtur. Ex tunc vulgi ſenſu, & eorum (quibus minùs notus *Thomas* noſter *in angello cum libello*, plerúmque latitans erat) *Joannes Gerſon* ſicut alterius, ita & iſtius per concomitantiam author credebatur, imò & audentiùs lapſu temporis ſcribebatur: quamvis in loco nativo hujus libelli, toto ſcilicet Belgio, rideretur potiùs quàm tunc oppugnaretur iſta Germanis hiſce imperita aliunde judicata opinio. Attamen cùm annô 1494. curâ & perſuaſu *Georgii Pirkhamer* labore Petri Donhauſer primùm ederentur typis omnia *Thomæ* opera in ſeparato volumine, aperta in facie libri de imitatione reperitur proteſtatio, derogans eundem hactenùs malè arrogatum *Joanni Gerſoni*, néque opinor multùm inde velicatum fuiſſe, potiſſimùm, cùm Authores, in alienis, diſſitisque locis pro *Gerſone* ſtantes, facilè cederent, Flandris teſtimonium, ut ita dicam, oculare perhibentibus pro *Thoma Kempenſi*, quales præter tres allegatos fuére *Joannes Mauburnus*, qui ſententiam pro *Thoma* dixit, & dicere potuit eò ſecuriùs, quòd in ipſo S. Agnetis monaſterio vixerit; & quidem *Thomæ* tempore: *Joannes Tritbemius* Abbas Spanhelmenſis Benedictinus, & rerum Flandricarum non modicè gnarus: *Matthias Farinator* natus Auſtriacus, ſed propè totam Germaniam percurrens, nec ignarus eorum, qui Flandriam ſcriptores colluſtrârunt; ut reliquos omittamus. In tantum autem authoritas horum Scriptorum Germanorum profecit, ut paſſim Itali ipſi cognitum errorem hactenùs malè pro *Gerſone* certantem deſererent, reciperéntque *Thomam* genuinum Authorem. Uſquedum novô planè & inauditô commentô quidam Ord. S. Benedicti Abbas *Conſtantinus Cajetanus* prodiret, qui, ut omnium opiniones, judiciáque evelleret, nunquam hactenùs cognitum, imò ne unquàm in orbe exiſtentem Authorem, quem nomine *Joannis Gerſen* veſtivit, ex conſuetâ ſui ingenii libertate produxit: Dico, *libertate*; quis enim eruditorum ignorat, quæ Cajetanus iſte fingere, quæ moliri conſueverit? ut vel hæc ſola, in quibus non ſemel deprehenſus, convictúsque eſt, ſufficerent (ſine alia confutatione) tam malè notati Authoris perſpectâ ratione, huic à ſe ſuſcitatæ controverſiæ robur nullum ineſſe poſſe, nullámque veritatem: cui verò de iſto fortè ignota narramus, ſolùm is adeat Bolandiſtarum volumina, & quæ de eo iidem Authores in Paralipomenis Pontificum, inque vita *S. Ignatii* notârunt, perquirat, habebitque ſatis, quod dictis noſtris abundè fidem adſtruat, átque confirmet, patentiſſimum autem figmentum hujus *Joannis Gerſenis* vel hoc unum abundanter oſtenderet, quòd *Pirkhameri* tempore, id eſt 1494. *Joannes Gerſon* Cancellarius, néque ullus alius uſque ad Conſtantini Cajetani infauſtam fabulam Author protruderetur, & Cajetanus ideò ex ſimilitudine nominis novum hominem Benedictinum fingeret. Quis, quæſo, eruditorum, hujus ſolius ſubſtitutione nominis æquivoci non ſufficienter fraudem apprehendat, aſtúmque fallentis? præcipuè, cùm omni labore impenſo ad hodiernum diem pars adverſa *Gerſenem* aliquem aut è Sandapalis Abbatum Vercellenſium effodere nequeat, aut in necrologiis vel ſaltem ſcri-

ptum

ptum ſine impoſtura reperire. Ex quo pariter liquet, quàm temerè quidam nuperus Scriptor fabuloſum hunc Gerſenem planè in Catalogum SS. Benedictinorum relatum ſomniaverit. Hæc breviter de Venerabilis Thomæ noſtri obſervare placuit ſanctiſſimo partu, qui âbſque dubio, etiamſi hujus libelli Author non eſſet, ſuæ piiſſimæ vitæ prærogativâ aliquando (dum Deo libuerit hujus merita etiam Eccleſiæ Suffragiô ſub ſancti titulo coronare)altiore cultu ab univerſo orbe, quàm mox memoratus Gerſen, ſuſpiciendus erit. At ſicut non video, ut unius præcellentiæ causâ altera ſubticeatur, aut negligatur, ita jure,ac meritò in utróque *Thomam* noſtrum convenit prædicare, qui ob hunc ipſum libellum præcipuè, jam à penè ſynchrono illud Daniel: 12. ſibi adſcribendum obtinuit: *Qui erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.*

Cæterùm nihil refert ultrò, pro adſtruendo libello iſtô *Thomæ* noſtro, adferre, re jam confectâ adeò, ut, cùm noviſſimis temporibûs quidam liber ſub *Gerſenſis Polycratis* nomine verè fabuloſi conſurgeret, & per virum eruditiſſimum Canonicum Regularem Pollinganum *D. Euſebium Amorth*, nunc in eadem Canonia Decanum digniſſimum *exauctoratus* eſſet: hic Gerſen Polycraticus ſuum, in Kempenſem libellum, arrogatum imperium(eôdem virô clariſſimô velut altero impugnante orante) unà cum viribus, vitáque amiſerit.

Intereſſet autem adhuc iſthinc, referre ea, quæ de Venerabilis *Thomæ* noſtri reliquiarum elevatione annô 1672. non ſine prodigiis peracta, & atteſtatione ocularis teſtis piæ memoriæ Domini *Joannis Wager* Presbyteri roborata juſſû Sereniſſimi Principis *Maximiliani Henrici* Archiepiſcopi Colonienſis ad inſtantiam jam antea factam ſereniſſimæ Hiſpaniarum infantis, Belgarúmque Principiſ, ac Gubernatricis *Iſabellæ Claræ Eugeniæ* Thomæ noſtri cultricis eximiæ, ſed in vita ſuô hôc votô fruſtratæ innotuerunt: quam hiſtoriam annô nonô poſt hanc elevationem fidelî ſtylô deſcriptam cum aliis nonnullis adjunctis per Reverendiſſimum, ac Doctiſſimum *D. Henricum Brewer* hiſtoriographum Cæſareum ad manus habemus. Sed quia prolixiora ad futurum opus noſtrum differrimus, pro nunc filum quàmvis inviti abrumpere cogimur.

Denique, ut ad cœnobii S. Agnetis montis fata revertamur, perſtitit illud in ſuo Sanctiſſimo inſtituto úſque ad annum 1559. quo tempore ſub Priore, *Cuperino* nomine, ob intolerabilem, quam ab Hæreticis, & incendiariis, aliíſque graſſatoribus inibi patiebantur, vexationem, Canonici ejuſdem loci dimiſſionem, alióque emigrationem à ſumma ſede petiêrunt. Unde ordinante cumprimisPaulô quartô, & poſt eum annô 1561. Piô quartô Pontifice, conceſſum eſtCanonicis prædictis, ut quò vellent, ad aliud ſuæ Profeſſionis tamen, monaſterium diſcederent;aut ſi permanere mallent, à Regularibus ſuis inſtitutis, eorúmque obſervatione & habitûs regularis geſtatione, ac paupertatis voto abſoluti ſint, & liberati. Sícque ipſum monaſterium cum omnibus fructibus, ac proventibus novo Daventrienſi Epiſcopatui eſt unitum, ipſa Eccleſia autem facta eſt Parochialis. Néque tamen hæc dotatio diu dicto neo erecto Epiſcopatui profuit, utpote, poſtquam ibidem duo conſequenter ex ordine Fratrum Minorum nominari eſſent Epiſcopi, eorum primus *Joannes Mahuſius* nè conſecratus quidem, à Statibus Tranſiſulanis diverſimodè vexatus tandem ſpontè renuntians, ac Aldenardæ in privato vivens, ſed hac urbe ab Hæreticis annô 1572. 4. Oct. expilatâ, & ipſe deprehenſus vulneribûs ſauciatus, pedibûs concul-

culcatus, ac ſemivivus relictus integris quinque annis ſuperſtes annô 1577. die 10. Maji. obiit. Alter *Ægidius de monte* electus an. 1570. vitam eô annô, & menſe, quô prior, pluriмis adverſitatum procellis jactatus finiit. Deniq́ue exinde tribûs à Capitulo Daventrienſi electis ſucceſſivè Vicariis Generalibûs ſub tertio publicus jam Catholicæ Religionis cultus deſiit, ac annô poſtmodum 1591. tota civitas Daventrienſis, cunctáque Epiſcopalia jura poteſtati Fœderatorum ceſſerunt, ipsúmque S. Agnetis cœnobium, quod antea ablatam ſibi regularitatem ingemiſcere potuit, tum omnem omninò in ſe ſuppreſſam pietatem uſque ad hodiernum diem cogitur deplorare.

Fuit verò dictum Cœnobium alio quóque nomine nuncupatum *Pergh-Clooſter Van Mirakelen*, id eſt, *Montis Monaſterium miraculorum*, quod nomen obtinuiſſe dicitur ex miraculorum frequentia, meritis præcipuè S. Agnetis, cujus ibidem ab anno 1461. ſacer Sarcophagus (in quo Reliquiæ multo tempore requieverunt) à Canonicis Trajectenſibus obtentus publico cultui, uſque ad tempus iſtius fatalis emigrationis, expoſitus fuit, meminítque Rosweydus, ſua adhuc ætate multos Catholicos retinentes antiquæ pietatis morem nudis pedibûs eum locum adiiſſe, ob ſignorum ibi editorum, & ipſius Thomæ Venerab. memoriam. Multùm autem dubito, an hic devotionis ardor adhuctum inter Heterodoxorum impia ludibria perſeveret.

Extitit ad fluvium Vechtam mediô milliari Gallicô ſupra Zwollam Chron. Wind. l. 2. c. 21. & Mont. S. Agn. in proem. &c. 1. 2. 3. &c. Vita Kemp. apud Rosweyd. Boland. cit.

S. Albani Præpoſitura.

Hujus Eccleſiæ exordium primis fidei Catholicæ iſthic per *B. Maternum* inductæ temporibus Scriptores aliquot tribuunt: Sodalitium eandem ab origine incolens, cùm diverſum diverſi augurentur potiùs, quàm, certis documentis edocti affirment, neque eſt, quòd nos, cujus illud aut inſtituti, aut ſexûs fuerit, definiamus. Monachos Benedictinos in eo fuiſſe certum aſſerit Gramajus, quod plenô calamô in ſuam Galliam Chriſtianam Dyoniſius Sammarthanus immiſit; verùm & hic & ille dum aſſerunt, nec probant, rem infectam relinquunt: nos illa tempora obſervamus, quibûs certum eſt, in hac Eccleſia Canonicos, eóſque Regulares vixiſſe, pro quibus uterque ſupra laudatus ſcriptor, eô verius ſcripſit, quò firmiorî productô argumentô.

Itaque Albertus Secundus Comes Namurcenſis è ruinis excitans Eccleſiam iſtam Canonicis tribuit incolendam, comiti Archidiaconus Leodienſis Fredericus innata ſibi in res Deo ſacras liberalitate ſecundat, facultatibûs immodicis, libris, ſacriſque reliquiis ſibi à Patre Gozilone Lotharingiæ Duce relictis in perpetuam hujus loci dotationem contraditis. Quæ reliqua ſunt fundationem hanc novam conficientia ex Gramaijo ſubiicimus: Qui, cùm dixiſſet reparatæ Eccleſiæ Albertum, & uxorem ſuam decimas, alióſque proventus pro 12. Canonicis aſſignâſſe: *Atque hæ* inquit, *ſunt prabendæ unius inſtitutionis, quinque aliæ ſunt alterius, credo (ab aliquo ſucceſſore Alberti adjectæ) quia autem inter quinque illas, una erat cæteris, opibûs, & dignitate præſtantior, eam Balduinus Imperator dividens, ex una duas fecit. Philippus autem Balduini Succeſſor additô novô chorô Eccleſiam augens, & totam reficiens, numerum Canonicorum usque ad 20. ſupplevit, & addidit viginti Vicarios, Eccleſiâ dedicatâ per Guidonem Card. ſanctæ ſedis, Altaria & ſacella ferè Comites fundârunt certatim, volentes Eccleſiam hanc ſuæ munificentiæ expertem. Godefridus annô 1116, Henricus annô 1216. Jolendis annô 1216. Gulielmus annô 1336. Ludovicus ejus Filius annô 1370. Altaria quisque fundavit, & dotavit. Vi-*

ta horum Canonicorum ab ipſo fundationis exordio Regularis fuit, quod docent clauſtrum, dormitorium, & alia arctioris diſciplinæ loca, quæ adhuc conſpiciuntur, cum autem fervor ille primitivus tepeſceret, bellorum, ùt fit, injuriis ſub Henrico cæco (circa ſæculi decimi tertii medium) licentiorem vitam inducentibûs, Guido legatus Apoſtolicus & Antiſtes Praneſtinus, aſſenſu Leodienſis Epiſcopi, & Philippi Comitis aliquatenùs repreſſit, noxiam Canonicorum libertatem, & leges vivendi poſuit, aut veriùs repoſuit, quæ ſervatæ aliquamdiu in deſuetudinem jêrunt. Maximè tempore bellorum ſub Balduino Imperatore: Igitur nondiu poſt illam reſtaurationem diſciplinæ Canonici durârunt in cæpto opere, certè annô 1211. tanta apud illos libertas extra clauſtrum vivendi prævaluit, ut non poſſet Philippus Comes eandem reprimere, niſi conſtitutâ pænâ, *ut ex collatâ ab ipſo decimâ totius territorii & poteſtatis de Templues nemini Canonicorum percipiendum quidpiam detur, niſi qui matutinis interfuerit, & in dormitorio jacuerit. Præpoſitus autem & Decanus ejusdem Eccleſiæ, ſi matutinis interfuerint, & in dormitorio jacuerint, duplicem habeant portionem.* Profectò hoc tempore, & cùm *Guidonis* ſtatuta inciperenr Canonicos hujus Eccleſiæ obligare, nunquam credam eosdem ſub diſciplina Regulari ſtrictè ſumpta vixiſſe, ſed eâ ad ſummum, quâ multos etiam noſtris temporibûs Canonicos, ut ſaltem aliquantùm Canonici nomen æmulentur, videmus ad ſimilitudinem aliquam clauſtralem cohabitare. Sed hæc neutiquam vita illa Regularis (niſi impropriè) dici poteſt, quam ſæculis prioribûs Canonicos paſſim obſervâſſe compertum eſt; quodſi enim in ſolo convictu, & cohabitatione, aut dormitione in uno clauſtro tota, & perfecta regularitas conſiſteret, ſanè omnes Chriſtianorum bene regulatas ædes, Clauſtra, & quosvis in iis habitantes, ac ad piam, certámque normam vivendi obligatos domeſticos, regulariter viventes dicere poſſemus, quem ſenſum de Canonicis antiquis nunquam intenderunt ſcriptores. Nunc hæc Eccleſia ſæcularis ab an. 1560. dignitate Epiſcopali per Pium quartum honorata refulget.

Exiſtit in urbe Namurco: Gramey. in Hiſt. Namurc. Tom. 2. Sect. 25. Gall. Chriſt. Tom 3. in Epiſ. Namurc. Mir. Suppl. dipl. parte 3. c. 109. Fiſen. Hiſt. Leod. T. 1. ad an. 1046.

Albarum Dominarum Lovanii Prioratus. Cujus modicam notitiam haurire ex Hiſtoria Melchlinienſi licuit. Quasdam ſcilicet mulieres vanitatum mundi pertæſas exemplô S. Magdalenæ ſe collegiſſe ad pænitentiam, dein annô 1252. inſtitutum S. Victoris Pariſiis tum maximè florens ſuſcepiſſe, & habitum, & communi expensâ Sacellum erexiſſe: quibus tamen dein iterum recalcitrantibus, cùm deſtinatus ad inducendam reformationem Prior San-Martinianus Henricus de ponte nequiquam laboraret, annô 1466. ac deinceps Epiſcopali decretô in ordinem redactis, regula S. Auguſtini neglecta reaſſumenda præcipitur an. 1501. quô factô paulò poſt Cæcilia de Argentem Hoijo illuſtri genere nata potiorem cænobii partem ſuo ære exſtruxit. A quo tempore úsque nunc eas in Angelica obſervantia permanere indubium eſt. Exiſtit hic Prioratus in urbe Lovanienſi. Hiſt. Mechlin. p. 172. docum. commun.

Albarum Dominarum Thenis Prioratus. Titulô, & Exemplô S. Mariæ Magdalenæ primitùs ad agendam pænitentiam converſarum mulierum exſtitit domicilium, inde diſciplinâ S. Victoris Pariſiis inductâ, annô 1601. regulæ S. Auguſtini ſub Canonico inſtituto victuras ſe ſubmisêre. Exiſtit in dicta urbe Hiſt. Mechlin. p. 276. Fundat. Floret.

Albi-

Fundat. Horſt.

Albiniacum Abbatia S. *Chilleno* ſacra, de qua Baldricus in ſuo Chronico Atrebat. ſequentia refert: *In vico*, inquit, *Albiniaco eſt Monaſterium Canonicorum, videlicet S. Kiliani, qui Scotus fuiſſe traditur*: Hæc ille. Sanctum hunc *Kilianum* non eſſe confundendum cum *S. Kiliano* Martyre, & Epiſcopo Herbipoli quieſcente, certum omninò eſt: imprimis enim verior, puriórque vita, quæ tum ſecundô locô apud Caniſium Tom. 3. f. 180. tum à Bol. 8. Julii 1. locô exhibetur, nullam earum rerum facit mentionem, quæ de hoc *S. Kiliano* referuntur: Dein, quem Baldricus *Kilianum*, hunc M. S. Codices Eccleſiæ Trajectenſis apud Surium die 30. Auguſt. in vita *S. Friaci Cillenum*, & alii apud eundem die 28. Oct. in vita *S. Faronis* Ep. Meldenſis, *Chillenum* dicunt, narrántque Poſteriores, hunc *Chillenum* Scotum fuiſſe, & à *S. Farone*, apud quem aliquamdiu diverterat, ad Atrebatenſes miſſum, Evangelium prædicâſſe, ac populum illum doctrinâ, & illuſtribûs miraculîs ad Chriſtum duxiſſe; cùm econtra S. Kilianus Epiſcopus, & Martyr, licèt æquè Scotus, at non in Arteſiam, ſed Franconiam migraverit, nihil habens cum *Friaco*, aut *Farone* commune, unde & Martyrologium Uſuardi apud Grevenum die 2. Oct. habet: *Item D. Chilleni, qui de Scotia à S. Farone in Provinciam Atrebatenſem miſſus, ipſam ſanâ ſuâ doctrinâ, & miraculorum ſignis Chriſto aquiſivit.* At verò alter Kilianus Ep. M. disertè ad diem 8. Julii memoratur ſub nomine *Ciliani*. ùt eſt apud Grevenum.

Miræus in libello de origine Can. Reg. aìt cap. 23. ſe hiſtoriam ex monte S. Eligii, ſed imperfectam accepiſſe: in ea aſſeritur *Chilenum* poſt viſitatum à ſe *S. Fiacrium* in Francia commorantem peregrinationem præferendo, propoſitúmque ſuum implendo, ingreſſum eſſe Comitis *Eulfi* curtim Axonæ contiguam, ubi Sitibundo ſancto uxor *Eulfi* potum negans exareſcentibûs penuariis punita eſt Dei judiciô: *Eulfus* autem re cognitâ, inſecutus Beatiſſimum *Kilianum* humili petitione reditum ejus impetravit, ſed & benedictionem domûs ſuæ. An hanc domum *Chilenus* in obſequium divinum ab *Eulfo* obtinuerit, hiſtoria non meminit, aliud porrò *Albiniacum* ab hac *Eulfi* æde fuiſſè, ſatis apparet, quòd curtim ejus Axonæ contiguam hiſtoria dicat, cùm *Albiniacum* ſeu *Albygni* ad Scarpim fluvium in Arteſia adjacens pluſquam 15. milliaribûs *Axonâ* vulgò *Aiſne* diſtet. Potuit tamen hic locus ſub dominio *Eulfi* fuiſſe, quem in grati animi ſignum *Chilleno* dederit. Cæterùm hujus *S. Chilleni* nec Martyrologium Romanum meminit, nec in notis Baronius: Nos de *Albiniaci* origine alioquin nihil experti habemus, quô nimirum tempore Clerici, Canonicíve inducti ſint, ſolùm interea *Miræi* authoritate, atque *Baldrici* confiſi, quòd hic Albiniaci ſuo tempore Canonicos exſtitiſſe adſtruat, & ille hunc locum tanqnam Abbatiam nominet, intérque noſtras conſtituat: cui adde Martinum Zeilerum, qui in Topographia ſua Burgund. f. 197. hæc ſcribit: *Aubignii Aulbignium, vel Albigniacum, Vicus in Arteſia jure civili gaudens, ubi S. Chilianus, ſeu Chilenus Epiſcopus quieſcit in Præpoſitura Regularium Canonicorum, ad proximum S. Eligii montem pertinente.* Denique Albiniacum montis S. Eligii Prioratum legimus jam annô 1208. exſtitiſſe, ùt colligitur ex Galliæ Chriſtianæ Tom. 2. unde quoque fuſiora documenta nos obtenturos ſperamus.

Diſtat ab Atrebato 1. & ſeſquimilliari Gallicô versùs Occidentem ad Fl. Scarpe. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 24. Zeiller. Top. Burg. f. 197. Caniſ. Vita S. Kil. T. 3. f. 180. Boland. 8. Jul. Uſuard. &c. Gallia Chriſtiana T. 2. in Epptu Atrebatenſi p. 428. in 11. & 12. Abb.

Fund. ad finem Sæcu-li 7 mi Ord. Ciſt.

Alciacum *ſeu* Auchi les moines. Hoc Cœnobium primùm ſub *S. Silvino* Epiſcopo extructum pro ſacris Virginibus, dicitur, ab *Adalſquaro*, ejúſque conjuge ad finem ſeptimi, aut initium octavi Sæculi, cùm teſte Molano apud Baron. in notis Mart. Rom. ad diem 17. Feb. *S. Silvinus* objêrit annô 715. qui in Morinis, quibus *Alciacum* inſertum eſt, admiranda religione enituit, & virtute miraculorum; apud eosdem quóque ſacra Lipſana ſua poſt mortem relinquens. *Alciacum* noſtrum ab hoc Sancto nomen ſortitum eſt, dictúmque poſthac *S. Silvini* Cœnobium, illùc diſſipatis bellorum incurſione Virginibùs, Clerici communi contuberniô viventes ſucceſſêre; uſquedum annô 1072. Heribertus Abbas Bertinianus hunc locum obtinens, primùm ibi ſui Ordinis (S. nimirum Benedicti) Abbatem conſtituit; ùt notat Iperius in ſuo Chronico Bertiniano ad annum præfatum. Miræus, aut potiùs Foppenſius in notis ad WalteriComitis Hesdinienſis donationum literas cap. 46. Supplem. Dipl. ait: *Alciacum cum villa Sithin Adroaldum virum illuſtrem, prole carentem S. Bertino annô 654. tradidiſſe præſente S. Audomaro Tervanenſis Urbis Epiſcopo; cúmque Bertinus cæpiſſet domum orationis apud Alciacum inſtituere, Adalſquarius vir nobilis, & ejus conjux Aneglia, Baſilicam Alciaci in honorem B. Mariæ, & S. Petri Apoſtoli circa annum 680. conſtruxerunt. Ibidem eorum filia Sicchedis, depoſita ſæculari veſte, Deo dicata nonnullis ſociatis Virginibus præfuit, ante Adventum S. Silvini Epiſcopi, cujus defuncti tumulum Sicchedis memorata aurô, & gemmis cælavit variis. Danis poſtea in Galliam irruentibùs, S. Silvini Reliquiæ ad Sithin Cœnobium ſunt translatæ. Exinde ſurrexit Englramus Comes Hesdinienſis, qui Eccleſiam Alciacenſem à Barbaris deſtructam, annô* 1072. *inſtauravit, éſtque ibidem ſepultus.*

Annô 1072. Heribertus Abbas Sithienſis primùm in Alciaco Abbatem conſtituit Suelgerum Monachum Sithienſem, vivente Drogone Morinenſi Epiſcopo. Hæc citatus Foppenſius, haud dubiè ex præfato Iperio: Bellum Saxonicum annô 771. incœpit, duravítque uſque ad annum 804. juxta Pagii computum ex Annaliſta Metenſi. Hinc inter hos 33. annos devaſtatum *Alciacum* fuiſſe, juxta Iperii relationem neceſſe eſt. Reſtitutâ verò per *Carolum M.* pace, Saxonibùsque non ſolùm devictis, ſed, & uſque ad fidem Chriſti amplectendam cum *Witichindo* Duce eorum cicuratîs, *Alciacum* quóque reſpirare incœpit, & tunc credibile eſt, ſacris Virginibùs diſperſis Clericos ſucceſſiſſe, uſquedum annô 1072. Sithienſes locum illum jure per *S. Bertinum* ſibi aſſertô vindicârunt. Diplomata, donationéſque exſtantes ad majorem noſtro inſtituto conducentem notitiam nil omninò continent. Hæc, quæ de Clericis poſt Virgines ſacras *Alciacum* incolentibus ediximus, nobis Bollandiſtæ ſuppeditârunt. Quos vide die 17. Febr. in vita *S. Silvini* comment. Præv. §. 4. n. 30. Dum verò Foppenſius cap. 23. Diplo. Miræi ait in notis, fundatum fuiſſe Monaſterium iſtud ſub annum 700. primò pro Sanctimonialibus, quibus ſucceſſerint Monachi ab inſtauratione poſt Nortmannos, ſubſiſtere nequit; nam pax Nortmannorum firmata eſt, ùt diximus, an. 804. & *Carolus Magnus* eo tempore omnem conatum impendit reſtaurandis monaſteriis, ac reducendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, prout Capitulare demonſtrat an. 805. apud Theodonis-Villam ſtatutum: Hinc, cùm apertè habeamus ex Iperio, Monachos annô 1072. Alciacum inductos, negari vix poterit à *Caroli* tempore uſque ad *Suelgerum* primum Abbatem Benedictinum, inibi Clericos extitiſſe. Nos tamen non ita huic opinioni inhæremus, ut contrariè edocti, non etiam

etiam eandem deſerere ſimus parati.

Diſtat ab Aria ſemimilliari Gallicô versùs Occidentem. Iperius in Chron. Bertin. Bolland. loc. cit. Foppenſ. l. c.

Fund. circa Annum. 660. Ord. Ciſt.

Alna. Fundata eſt Abbatia hæc à *S. Landelino*, & conſtituti ibi ab eo Clerici *communis vitæ* dicti, circa annum 660. Sæculi dein duodecimi annô 1144. *Alberone* Secundo Leodienſi auxiliante Epiſcopo regulæ ſe ſubjecerunt S. Auguſtini, ſed vix quatuor annîs elapsîs, ſcilicet: annô 1148. menſe Decembri miſſus eſt huc Conventus Monachorum ex Claravalle, qui illud hodiedum obtinent.

Sita eſt ad Sabim fluvium, vulgò Sambre, primo lapide à Tudinio, ditionis Leodienſis oppido, cui vicinum eſt Cœnobium Benedictinorum Lobienſe &c. Tabulæ Alnen. Eccle. & Mir. Cod. Dipl. Tom. 2. c. 27.

Fundat. 1468. Floret.

Alnetum Marianum Prioratus Virginum. aliàs: Onſe Lieve Vrovwe Elſe. Fundatus primùm hic locus pro Beginis fuerat à tribus Matronis, annô verò 1468. in monaſterium verſus eſt operâ, & induſtriâ Joannis Moens, ad eum locum inveſtiti, & à Virginibus regula S. Franciſci electa, demum certis de cauſis regula dicta in Auguſtinianam commutata eſt, ipſæque Virgines Canonicarum inſtitutum ſunt amplexæ, hanc commutationem ſede Apoſtolica per D. Lucam Sabinienſem Epiſcopum confirmante. Subjectum inde hoc Cœnobium eſt Canonicis *Corſendoncanis*, ſed turmis Belgicis omnia ſubvertentibùs *Jacobus Boonen* Archiepiſcopus Mechlin juri huic Parthenonem ſubtraxit, ſcóque aſſeruit, dum pace reſtituta Virgines bellò exules ſuum iterum in clauſtrum remeârunt.

Hodie Archiepiſcopi Mechlinienſis ordinatione adminiſtratur à quodam Canonico Averbodienſi. Exiſtit Diſthemii in urbe. Hiſt. Mechlin. parte 1. pag. 251. Docum. commun.

Fundat: ſæc. 4. ſæcularis.

Ambianenſis S. Mariæ Cathedralis. A tempore *S. Firmini* ſub Diocletiano martyriô coronati, & hujus Eccleſiæ primi Epiſcopi ſecundùm formam Apoſtolicam eadem communis vitæ Clericos votivos Sectatores habuit, velut ex authenticis documentis notavit *Joannes de Nigravalle* Bibliothecarius Apoſtolicus in Catalogo Eccleſ. regul. Galliæ, taléſque ſæculô nonô in hac Eccleſia exſtitiſſe non incongruè innuit donationis charta *Angilguini*, ejúſque conjugis, in qua complura confert *ad ipſam Eccleſiam, ſeu etiam ad opus Fratrum, Deo ibidem militantium.* Sub quorum nomine non alios, quàm *votivos* notari ab antiquis ſolitos, jam alibi demonſtravimus. Sed fortaſsè uſque ad ſæculum decimum tales permanſerint, quô cum plerisque aliis, ùt Trithemius in hiſt. Hirſaugi. ad annum 977. advertit, ſuam videntur regularem depoſuiſſe converſationem.

Sita eſt hæc tanquam totius Picardiæ Metropolis in urbe ejusdem nominis ad Sarnonam amnem in confiniis Arteſiæ. Auth. cit. Bar. in not. ad 25. Sept. Democharus l. de Sacrif. Miſſ. in Catalogo Ep. Ambian.

Fundat. circa annum 687. Ord. S. Ben.

Andaginum aliàs à tempore tranſlati illuc corporis *S. Huberti* Tungrenſis Epiſcopi, *S. Hubert en Ardenne*, nuncupatum, propè annum 706. aut potiùs an. 687. condi incœptum eſt, cujus Author *S. Beregiſus* exſtitit, cùm locum Andaginum *Plectrudis* interventu à *Pipino* majore domûs Franciæ obtinuit ſchedulâ prodigiosè è cœlo delapsâ, ùt refert *Pipinus* in ſuo privilegio: *Hic eſt, verò ſchedulæ cæli tenor: hic locus à Deo electus ad ſalutem animarum multarum, terra ſancta eſt valdè magnificanda, ſervorúmque patrimonium, quod augebitur, & à poteſtati-*

ſtatibus protegetur, variè tamen tribulabitur, qui verò hunc locum vexaverit, ſic in radice marceſcat, ut ultrices ultionis æternæ pœnas ſuſtineat. Monaſterium illinc conſtituit Beregiſus, Baſilicam B. Petri Apoſtolorum Principis nomini, ac reliquiis conſecrans, *quam Clericis Canonico Ordine viventibus ipſe Pater in eodem habitu ſociatus tradidit.* ùt refert Author Anonymus Monachus Andaginenſis in libello de vita ejusdem Sancti à ſe compoſito annô 937. quod confirmat ante illud *Jonas* Epiſcopus translationem corporis *S. Huberti* annô 817. factam deſcribens: *Cella Andaginum olim inhabitatoribus habitûs Canonici floruit.* Ipſô annô Translationis eandem jam penè in nihilum redactam Abbatiam *Waltrandus*, quem Surius ex M. S. Codice Vulcardum nominat (præeunte in hoc Molano) Monachis Benedictinis tradidit, qui eam adhuc incolunt.

Situm hoc Monaſterium eſt in ſaltu Arduennæ ad amnem Andaginum, urbi inſertum 9. milliaribûs Leodiô, decem verò diſtans Luxenburgô. Mab. in Annal. l. 19. n. 34. Mir. Cod. Dipl. Suppl. part. 3. c. 1. Molan. in Nat. ad 2. Oct. Zeill. Topog. Burg.

Fund. 1057. ſeculare.

Anderlachtenſe S. Petri.

Eccleſiam hanc cum dotis titulo, omníque appendente jure à *Fulcardo Regilindis* ſponſa contractu antenuptiali obtinens, & annô 1057. amplioribûs cum adjecto monaſterio donationibûs proſequens, allodium opulentum *Canonicis Fratribus Beatiſſimo Petro in ea deſervientibus liberè poſſidendum conceſſit annô* 1078. Vixêre aliquamdiu hoc in Clauſtro communi vitâ Canonici, poſtmodùm illam, quam pleráque alia, ſortem expertô, cùm in habitaculum ſæcularium Clericorum mutatum eſt. Annô certè 1175. adhuc communis vitæ in ea retentæ exſtant veſtigia.

Sita eſt hæc Præpoſitura in Suburbio Bruxellenſi cultu *D. Guidonis* Agricolæ eidem Eccleſiæ multùm deſervientis, circa annum 1112. ſanctè defuncti, celeberrima. Mir. lib. de Can. Sæc. c. 90. & Not. Eccl. Belg. c. 104.

S. Andreæ Prioratus propè Ariam Urbem.

Fundat. ... Floret.

Hujus, quæ nobis ſuppetit, notitia ex Pennoto accipitur, qui ſcribit: *S. Andreæ juxta Ariam Audomarenſis Diœceſis, Prioratus Conventualis, ex quo Prioratu aſſumptus eſt Venerabilis, & Reverendiſſimus Abbas nomine Frater Joannes, qui nunc Abbatiali Monaſterio Sanctorum Amandi, & Bertiliæ Mareolenſis in agro Atrebatenſi præſidet, ùt ex illiusmet literis ante paucos menſes accepi.* Hæc Pennotus. apud Samarthanos Prioratus Regagalis nuncupatur. Cætera latent.

Situs eſt propè Ariam urbem. Pennot. l. 2. c. 38. n. 2. Samarth. Gall. Chriſt. Tom. 3. in Epptu Atrebat. pag. 445.

Annenburgenſe Virg. Canonicarum Prioratus.

Fundat. ſæc. 14. Exſtinct.

Sumpſit initium ſuum hic Parthenon ſæculô 14tô in Urbe Sylvæducenſi in Burgo Divæ Annæ pridem honoribus ſacrô exſtructus. Inſigne Canonicarum Regularium Cœnobium *Gramayus* nuncupat, ſed quod Roſſemiani milites annô 1544 diruerunt, translatum inde an. 1584. in urbem, cùm antea in Suburbanis ſubſiſteret. Fide Catholica cum publico exercitio ſuppreſſâ, & ipſum eſſe deſivit.

Gramayus in Taxandria cap. 16.

S. Antonii Prioratus Windeſemenſis.

Fund. ... Exſtinct.

Pauciſſima nobis hoc de Cœnobio, ut diſſeramus, ſuppetunt, cujus nec Authorem, nec tempus fundationis, usque nunc reperire potuimus. Illud ſub Capitulo Windeſemenſi, & quidem primis ejus erectionis temporibûs, exſtitiſſe teſtatur Chronicon Windeſemenſe, primósque Clericos annô 1447. habitum ſanctæ religio-

nis

nis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* in Feſto Inventionis ſanctæ Crucis accepiſſe ſcribit noſter Kempenſis. Ex quo conficitur Monaſterium iſtud mox à prima fundatione Windeſemenſes Conſtitutiones recepiſſe, cùm idem jam interpoſteriora quadraginta quinque referatur, quæ ſe poſt annum 1430. Congregationi Windeſemenſi ſubmiſerant. Viros ibi exſtitiſſe ſpiritu, ac doctrinâ præclaros, dubitari non finit vel ipſa Windeſemenſis Unio, & M. SS. pretioſa, inter quæ illud, quod præſtanti fide vitas Sanctorum complectitur à Bollando memoratum. Jacet nunc inter ruinas, & cum reliquis in Belgio fœderato ſuppreſſis monaſteriis (haud dubiè duplicia reddenda hæreticis profanatoribus ſuis) à Divina ultione exſpectat.

Situs erat hic Prioratus in Tuventia, ſeu Twenter Tranſiſulanæ Provinciæ, inter Almeloam, & Otmarſiam medio, ab utroque, itinere, duobùs, & penè mediò milliari Germanicô diſtans Oldeſalia. Buſch. Chr. Windeſ. L. 1. c. 55. Chron. S. Agn. cap. 24. Boll. ad 4. Febr. in vita S. Lietphardi.

Antverpienſe S. Michaëlis.

Fund. an. 720 Ord. Præm. S. Amandus Tungrenſis Epiſcopus, (ùt refert S. Willibrordus) Eccleſiam circa annum 642. in caſtro Antwerpis cultui SS. Apoſtolorum *Petri, & Pauli* conſecravit, quam dein annô 726. idem S. Willibrordus à *Rochingo* Antverpienſium Principe donô obtinuit, ut in ea Presbiteri ibi ſervientes pro prædicto *Rochingo*, ac Conjuge ſua *Bebelina* Domini miſericordiam exorent. Multis poſtmodùm privilegiis ſtabilita demum ſub titulo *S. Michaëlis* præcipuè tum innotuit, cùm *Tanchelinus* venenum ſuæ perfidiæ per totam Antverpiæ viciniam diffunderet; Apoſtolicus econtra Zelotes ille *D. Norbertus* ſuâ doctrinâ, ac virtute velut ſaluberrimè oppoſitô antidotô, tanto fructu reprimeret, ut Canonici *S. Michaëlis* viventes à *Norberto* viros depoſcerent, qui labenti propè per nequitiam Tanchelini Eccleſiæ Antverpianæ aſſiſterent, eandem ipſam S. Michaëlis cum plurimis juribus, privilegiiſque ſic illis cedentes, ut hi ad aliam *S. Mariæ*, quæ nunc Cathedralis eſt, annò 1124. emigrarent; quam ceſſionem *Burchardus* Epiſcopus Cameracenſis ſpeciali deſuper annò 1135. privilegiò firmavit: ex quo hæc Eccleſia uſque ad finem ſæculi 12. conſtanter ſub miniſterio Canonicorum regulariter viventium ſubſtitit, dum demum ſuò modò in membrum ſpecialis Congregationis Norbertinæ tranſiit, (de qua inferiùs plura diſſeremus) ſub qua illud tanquam una ex principaliſſimis Abbatiis hujus ſacri Ordinis numeratur. Quo tempore verò tranſlati in Eccleſiam majorem Canonici ſe à Regularibus diſtinguere cœperint, non ſatis deprehendimus.

Sita eſt hæc Abbatia in ipſa urbe Antverpienſi. Mir. L. de Can. Sæc. c. 91. & cod. Dipl. f. 1. c. 6. &c.

Aquacurtenſe. aliàs Aicurtis, Ajulcurtis Eaucourt.

Abbatia nobilis, & antiqua, cujus fundatio an. 1101. obtinuiſſe videtur, dum *Odonem* Presbiterum, & Eremitam Fundatorem hoc eodem an. Confirmationis privilegiô *Lambertus* Atrebatenſis Epiſcopus donavit, in quo inquit: *Eccleſiam, quam devotio tua ædificavit in loco ſolitudinis, qui dicitur Ajulcurtis, tibi & Succeſſoribus tuis, in propoſito Religionis perſeverantibus liberè poſſidendam contradimus.* Interea vehementer dolendum, de hoc Odone penè nihil notitiæ ſupereſſe: Teſtatur enim Miræus, ſe ex ore cujusdam Canonici Aquæcurtenſis accepiſſe, nullam planè memoriam *Odonis* Fundatoris reſtare, ob monaſterium ſæpè exuſtum à Francis: cùm tamen certum ſit, virum fuiſſe ingentis æſtimationis. Profectò Lambertus eum non aliunde in dicto

ſto ſuo privilegio , *Reverendiſſimum Fratrem, & Compresbiterum* nuncupâſſet. Mihi ſanè id dudum occurrerat, *Odonem* quòdam honoris caractere fuiſſe inſignem, cùm hoc Titulo *Reverendiſſimi*, item & *Compresbiteri* honoratum legerem, qui tunc Abbatibus, aut Presbiteris nulla alioquin Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus inſolitus erat, maximè ut ab Epiſcopis tribueretur: verùm in hoc notitiæ qualiscúnque obtinendæ defectu, quid decernamus, non ſuppetit. *Odonem* deníque magnæ virtutis fuiſſe, vitæ aſſumptæ ratio abundè demonſtrat, quem tanquam piiſſimè mortuum Molanus in ſuo auctuario non dubitavit notare.

Quòd Miræum corrigat Dionyſius Samarthanus adſcribentem *Odoni* huic fundationem Congregationis Aroaſienſis, locum reperit ſuum: quem tamen hoc ipſum ſcripſiſſe, nobis incompertum, quàmvìs tam librum de Origine Canonicorum Regularium, quàm Opera omnia diplomatica, non tralatitiò uſu frequentiùs disquiſiverimus, niſi fortè in veteri editione (quà omninò caremus) ſphalma potiùs Scriptoris irrepſerit, *Odonem*, dum *Cononem* debuiſſet, referentis. Membrum fuiſſe Congreg. Aroas. quidem aſſerit in notis ad Diploma *Lamberti*, in Catalogo id omninò omittit, ùt atet L. de Orig. Can. Reg. c. 10.

Quandò in hanc Aquacurtenſem Eccleſiam Canonica inducta ſit diſciplina, nequit pariter à nobis definiri, primitùs enim per *Odonem* Eremitas inſtitutos fuiſſe, apertè nimìs *Lambertus* in citata charta effatur: *Curam*, inquit: *animarum Confratrum tuorum Eremitarum tibi comittimus, & decimam agri eidem Eccleſiæ circumjacentis, quam Fratres Eremitæ incolunt, annuimus.*

Dionyſius Samarthanus, Lambertum dicit Acquacurtam privilegiis adornâſſe, ac imprimis facultate eligendi Abbatem, *ùt patet*, inquit: *Ex ejus Diplomate dato XVII. Cal. Nov. An.* 1101. At, ſeu id in Diplomatibus Belgicis Miræi, ſeu in inſtrumentis Dionyſii ſcruteris, ne verbum de facultate eligendi *Prælatum*, ne dicam, *Abbatem*, reperies. Hæc Diplomatis in re præſenti verba: *Unde juſtas petitiones tuas, & Balduini Decani noſtri pio affectu proſequentes, & te, & Succeſſores tuos hac donamus libertate, ut tantummodò Epiſcopo reſpondeatis, & in manu ejus in libertate Spiritûs permaneatis.* An hoc ſit facultatem eligendi Abbatem concedere, aut monaſterium, ipsúmque loci hujus Archimandritam, ad Abbatialem dignitatem elevare, cujusvis judicio transſcriptum eſto. Ipſum tamen *Odonem* non hujus chartæ beneficiô, ſed alia occaſione hujusmodi honorem & ſibi, & monaſterio Aquæcurtenſi, dum ſimul illud ipſe quóque Canonicâ vivendi normâ inſtruxerat, obtinuiſſe lubens aſſentior ex omni parte (ut quid certi adſtruamus) inſtrumentis deſideratis, ſi hoc unicum Lamberti Diploma excipias. Floret adhuc hæc Abbatia noſtris temporibûs, éſtque Aquacurtenſis Abbas Comes de Courcelles, Dominus de Ligny, & Wallencour, Præpoſitus, & Dominus de Meerſen, Clemmen, & Beke &c.

Exiſtit in finibus Arteſiæ, unâ leucâ à Bapalma oppido non procul Aroaſiâ. Mir. de Orig. Can. Reg. cap. 50. & cap. 10. idem Dipl. Belg. L. 1. cap. 46. Gall. Chriſt. t. 3. col. 446.

Ardenum, *ſeu* Ardres. Præpoſitura primùm ab *Arnulfo*, concedente *Drogone* Tervanenſi Antiſtite, an. 1069. *pro Canonicis Deo ſervituris in honorem S. Audomari* ibidem tunc quieſcentis fundata eſt, ac dote ſat munificâ locupletata: poſtmodum eorundem Canonicorum *conſiderans negligentiam Baldricus Ardenſis Toparcha* eandem Canonicis Regularibus (*Milone* Epiſcopo Morinenſi annuente) ſub Norbertino *Fund. annò 1069. Ord. Præm.*

in-

inſtituto Deo militantibus extradidit annô 1144. qui in ea usque nunc perſeverant.

Sita eſt hæc Præpoſitura in oppido hujus nominis in confiniis Bologniæ, & Arteſiæ ad fauces Ardres fluvii, quatuor milliaribus ſuprà Audomaropolim. Mir. Cod. Belg. T. 1. c. 37. & 59.

Arienſe in urbe ejus nominis S. Petri Præpoſitura.

Balduinus cognomentô *Pius*, aliàs dictus *Inſulanus* hujus Collegii, & cum eo quatuordecim præbendarum Fundator adſtruitur, legitúrque in quodam Chronographo verſu muris chori Arienſis adſcripto, ſed ſatis incultò:

BIs ſepteM tV præbendas
BaLdIne dedIſtI.

haud dubium, quin antiquioribus documentis innixô, quæ memoriam noſtram effugerint. Primum inſtrumentum, quô nobis hujus Arienſis Eccleſiæ notitia ſuppetit, eſt Privilegium *Philippi* Regis an. 1075. fundationem *Balduini* confirmantis, ſed nulla in eo mentio præbendarum, quæ dein occurrit in charta *Philippi* Alſatii Flandrorum, & Veromandorum Comitis data an. 1169. magni in hanc Eccleſiam benefactoris, qui ſedecim præbendis Canonicalibus fundationem *Balduini* adauxit, & paulò poſt, annô nimirum 1172. *trecentarum menſurarum terræ donationem* addidit, denique annô 1190. rurſus dotavit ſex præbendis, in quarum extraditionis literis ait inter reliqua: *Se eas dediſſe prædictis Canonicis in perpetuam eleemoſynam. Præbendæ autem*, inquit: *quotiescunque vacaverint, non niſi Sacerdotibus dari poſſunt, & ſtationariis, hac addita conditione, quòd quamdiu uterque noſtrûm* (hoc eſt *Philippus*, Uxórque ejus *Mathildis*) *vixerit, vel etiam alter tantùm, donum illarum præbendarum in manu noſtra retinemus, & dabimus cuivis, dummodò ſit Sacerdos. Cùm autem contigerit poſt noſtrum deceſſum aliquam præbendarum illarum vacare, Decanus, & Capitulum idoneam perſonam ſtudebunt eligere, electam Præpoſito præſentabunt, Præpoſitus præſentatæ Perſonæ præbendam vacantem aſſignabit.* Harum à *Philippo* præbendarum deſignatio, & præbendariorum electio, ac inſtitutio videtur pro hoc tempore Arienſem Eccleſiam ſæcularem inſinuare, nam C. ſuper 4. de ſtat. Mon. & Can. Reg. à Clemente 3. definitum eſt annô 1190. imò tanquam jam anteà decretum ad executionem imperatur de regulari Canonico, in morte proprium contra regulam retinente: adeóque nec præbendæ hoc tempore videntur compatibiles fuiſſe cum Canonicis Regularibus, utpote quæ dominium arguunt proprietatis. Hanc objectionem quamvìs non magni momenti adducere placuit, eorum in obſequium diſſolvendam, qui omninò, ſi Eccleſias præbendatas alicubi exſtitiſſe reperiunt, nihil certius, quàm ſæcularium Canonicorum fuiſſe concludunt. Scio autem, nullum per hoc (talia opinantibus, ac concludentibus) argumentum ſuppeditari, præcipuè allegatîs temporibûs: nam imprimìs multæ ſæculìs prioribûs Eccleſiæ Canonicæ, eæque regulares exſtiterant, imò fundabantur ſub obligatione obſervandæ regulæ Aquiſgranenſis, erántque tunc Canonici aliqui ſub hac regula, aliqui verò ſub regula S. Auguſtini, cæteroqui non alia fors ſorte diſtincti, quàm Monachi S. Benedicti, quos ſimpliciter tales vocamus, & Monachi *Fructuarienſes*, de quibus ad rem noſtram Schaffnaburgenſis ad annum 1071. cùm hujusmodi Reformatos narrâſſet in Sigebergenſe Cœnobium, & S. Pantaleonis Coloniæ, demúmque & in Salefeld inductos, ſubjungit, & ſe illuc veniſſe, collaturum cum eis de ordine, & diſciplina monaſterialis vitæ, eò quòd magna quædam, & præclara de illis vulgi opinione jactarentur:

Denique (verba ſunt Schaffnaburgenſis) *ſicut vulgò aſſiduitate vileſcunt omnia, & popularium animi novarum rerum avidi magis ſemper ſtupent ad incognita: nos, quos uſu noverant, nihili æſtimabant, & hos, quia novum, inuſitatúmque aliquid præferre videbantur, non homines, ſed Angelos, non carnem, ſed ſpiritum arbitrabantur. Et hæc opinio Principum, quàm privatorum mentibus altiùs preſſiúsque inſederat. A quibus ad populum derivatus rumor tantum terroris pleriſque in hac Regione monaſteriis injecit, ut ad ingreſſum illorum aliàs triginta, aliàs quadraginta, aliàs quinquaginta auſterioris vitæ, metu ſcandalizati, de monaſteriis abſcederent.* Quantamcúnque in hac forma vivendi reperit diſcrepantiam, ejusdem tamen ſpeciei Monachos tam Fructuarienſes, quàm quos *Anno* Archiepiſcopus reformari curavit, Lambertus Hiſtoricus æſtimavit, ùt patet ex ſubſequo contextu. Et quid dicam de illis, quos Mabillio in Annalibus ſuis meminit, ipſam S. Benedicti regulam ignoraſſe? an non hi potiùs diſcriminati Monachi habendi fuiſſent, quàm qui Aquisgranenſem, Auguſtinianámque, utpote utrámque tamen Canonicam obſervabant? Nihil igitur referebat, ſeu ſub hac, ſeu illâ regulâ militarent, donec demum regula Auguſtiniana ſucceſſu temporis eam diſtinctionem induxit, ut, qui ſe huic ſubjicere renuerent, & aliam, id eſt, Aquisgranenſem aliunde dimitterent, aliis dudum ſæcularibus Canonicis, ſeu Clericis accenſerentur. Verùm quo tempore id factum? definiri nequit; quamvis certiſſimum, hanc mutationem ad unam temporis Epocham conſtringi non poſſe. Néque obſtat Conc. Agathen. C. 48. ubi generaliter conceditur Epiſcopis, juxta Gloſſam, & Clericis: *De rebus propriis vel aquiſitis, vel quidquid de proprio habent hæredibus ſuis derelinquere.* Nam id & Auguſtinus conceſſit, *ut, cui voluerint, dent, ſeu Eccleſiæ, ſeu Cognatis.* Hoc enim non erat proprietatis vitium, quod à Prælatis concedebatur, & novimus modernam praxim apud Epiſcopos ex Religioſis factos, non tamen minùs exinde Religioſos. Adde! id quóque de Canonicis, Clericíſve intelligi poſſe, qui votivi nunquam fuerant, quales non diu poſt tempora Apoſtolorum jam exſtitiſſe, alibi dictum. Interea niſi certiora indicia producantur, ſolarum præbendarum ratio nullum perpenſis noſtris principiis facilè movebit, ut dicat, talium Eccleſiarum Canonicos inter Sæculares computandos.

Nam præbendas, ipſos apud Canonicos jam Auguſtinianæ regulæ addictos repertas fuiſſe, notum eſt ex Canone 5. Conc. Colon. à nobis in Exegeſi noſtra relato: ſolebántque tum apud hos, tum apud ipſos etiam Monachos, præcipuè Officialibus, ſeu Obedientiariis in perpetuum rerum fructum quædam bona concedi; hinc à Concilio Trid. decretum Seſſ. 25. C. 2. *Ut nemini Regularium, tam Virorum, quàm Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, & cujuscúnque qualitatis fuerint, etiam quòvis modò ab eis aquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs poſſidere, vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.* Hoc ergò decretum ſuſtulit uſum hactenùs eidem contrarium, adeóque ſolitum. Et quod hìc ſignatè notandum occurrit, eſt, jam olim ante Concilium Aquisgranenſe, imò ante tempora *Chrodegangi*, vel certè tunc, in Collegiis Canonicorum quamdam permixtionem votivorum, & proprietariorum ſic exſtitiſſe, ut ſæpè beneficia, ac officia iſtis præ illis obtingerent, nec ablatum hunc uſum legimus. Quin, cùm jam ſtrictior illa reformatio ſæculô undecimô aſſumpta in multis Collegiis per inſtitutum Auguſtinianum invaleſceret, adhuc inſerti erant Reformatis aut relaxati illi, diſpenſatíque Aquisgranenſes, aut pla-

planè proprietarii ; ſæcularésque Clerici. Exempla talia poſt ſæculum undecimum, ac deinceps videri poſſunt apud Thomaſſ. p. 3. L. 2. C. 26. & 27. ex quo dein factum, ut ſæculares Clerici poſſidentes non ſolùm beneficia extra monaſteria, ſed officia quoque aliqua, ùt ſunt Sacriſtæ, Æditui, Theſaurarii &c. præcipuè in Cathedralibus illicerent Regulares ad ambitionem talium proventuum, maximè, quòd iis in perpetuum tribuerentur. Exſtat Honorii 3. Decretum, hanc opinionem noſtram dilucidans: *Præcipimus*, inquit Honorius, *ut in nullo Monaſterio ad præbendas recipiant de cætero Abbates, & Monachi Clericos ſæculares. Nec hi, qui jam recepti ſunt, vocem vel locum in Capitulo, Dormitorio, vel Refectorio, ſeu Clauſtro ſibi vendicare contendant, ſeu Monachorum cœtibus importunè ſe præſumant miſcere &c.* Quod hic ob Monachos prohibetur, à Clericis ſæcularibus factum, necdum ob minorem inter hos diſcrepantiam cautum legimus apud Canonicos: Et hoc ipſum cauſa dein fuit, ut ſæpiùs diſciplinæ diſſolvendæ occaſio ſuppeditaretur Regularibus, ex quo, tanto impetu, non rarò integra

Cap. ad noſtram,

Collegia facta ſunt ſæcularia. Innocentius III. quibuſdam Canonicis Nemoſenſibus tunc Regularibus, qui regularitatem reticentes, petebant confirmationem ſuper quædam beneficia regularia ſibi perſonaliter concedenda, renuit(dum eadem beneficia inaudiit regularia) in perpetuum conferre. Occaſionem hoc petendi ſuppeditavit Canonicis perpetuitatis beneficiorum cupiditas, quæ dum ſolerent conferri ſæcularibus Clericis in perpetuum, hanc perpetuitatem etiam ùt Regulares appetebant.

Hæc omnia adduximus, ut appareat, qua libertate ſæculô 12. ac 13. Canonici, quos certò Regulares novimus, non obſtante recente reformatione, vixerint: ut hinc meritò concludere liceat, & id prioribus, maximéque Auguſtinianæ Regulæ necdum affixis uſu veniſſe. Itaque *Arienſe* hoc, de quo agimus, Collegium aliud non fuit, quàm Canonicorum Aquiſgranenſi Regulæ adſtrictorum, Regularium ergò, atque Votivorum, ùt aliàs jam probavimus. Nam quamvis à *Nicolao* ſecundo hæc regula quoad aliqua refutata fuerit; non tamen id factum quoad omnia, librum enim primum ſummoperè approbat: *Præter*, inquit, *quod indifferenter inſerta concurrunt quædam Capitula Canonum, quæ quibuslibet abſolutis popularibus Clericis, non autem his, qui ſpecialiter Canonici dicuntur, congruunt. Abſolutos populares Clericos* vocat *Nicolaus* eos, qui nulli Collegio adſcripti inter Sæculares, ùt nunc dicimus, cenſebantur; quos pridem exſtitiſſe, & paſſim quidem, nullus unquam negaveram; votivam autem Clericalem vitam, de qua loquimur, ſemper conſervatam, & in Collegiis Clericalibus floruiſſe, de quibus vitæ communis; inſtitutæ in eis, documenta ſufficientia proſtant, niſi perſpicua argumenta in contrarium adferantur, omninò contendo, & ſufficientibûs rationibûs me jam eviciſſe confido; nam amplior uſus rerum, & dominii licentia, quam Aquisgran. regula præfert, non inſinuat ſæcularitatem, ſed laxiorem modum vivendi, velut actu non ſolùm in multis Collegiis Canonicorum, ſed ipſorum etiam Monachorum contingere nemo expertus diſſenſerit, ſed non attingimus extranea. Egregios obtinuit hæc Præpoſitura viros, quorum ſuo tempore merita, laudémque debitam non ſilebimus, præcipuè *Petri de Chreſeka*, & *Roberti de Meſſines*, qui ambo hujus loci Præpoſiti memoriam ſui perennem omnibus bonis reliquerunt, ille ob pietatem inſignem, quâ erga terram ſanctam ferebatur, ubi & obiit; hic ob zelum præſtantem æmulatæ fidei contra Albigenſes,

quò ſe Balduino Conſtantinopolitano, Flandriæ Comiti, in expeditione adversùm illos Comitem adjuvaxit.

Eſt autem Arienſis hæc Præpoſitura ipſo in oppido Aria, vulgò Aire, olim Diœceſis Morinenſis, nunc Audomarenſis, olim Flandriæ, nunc Artheſiæ Comitatui innexa.

Miræ Dipl. Belg. l. 1. c. 65. & 66. & Suppl. p. 36. 14. Foppenſ. nov. collect. Dipl. Belg. p. 26. 72. Mab. Annal. Bened. Tom. 4. Append. n. 77. Cap. ad noſtram 5. de Confir. util. decret. Greg.

Fundat. ſec. ſolò Ord. Bened. S. Arnulfi Abbatia. Hujus antiquiſſimæ Eccleſiæ initium ſæculò ſecundò ſancto Metenſium Epiſcopo *Patienti* tribuitur, quem Chronicon Epiſcoporum Metenſium ait, diſcipulum fuiſſe S. Joannis Apoſtoli. Primùm conſecrata fuerat ſanctis Apoſtolis, mole exigua, ſed lapſu temporis magnò ædificiorum, aliarúmque prærogativarum incrementò ſuccrevit. An jam à divo *Patiente* dictæ Eccleſiæ additum ſit, ùt vocamus, monaſterium, quamvis vix dubitem, at deficientibus veterum documentis, ut idem Chronicon in *S. Arnulfo* inſinuat, abſolutè nolim aſſerere, dum aliunde, ejuſdem ſæculò 5tò per Hunnos ſubverſæ, poſtmodùm intra annos 640. & 654. hic Præſul eximius alter Fundator extitit, ac Propagator. Certè cùm in ea ſacræ ipſius Reliquiæ à *Goërico* Succeſſore conderentur, continuò multiplicatis miraculis, diffuſáque ejus ſanctitatis famâ per omnes circumjacentes regiones mirum in modum eſt adaucta, ita quidem, ut priſtino Eccleſiæ nomine ſenſim obſoletò, *Arnulfi*, uti meritis, ſic & honorata ſit nuncupatione. Neque dubitationi locus ſupereſt, cùm primùm Cœnobii aut Collegii eidem Baſilicæ ſtructura adjuncta eſt, ſeu id *S. Patientis* tempore, ſeu dehinc obtigerit, eandem Clericos votivos, ac Regulares incoluiſſe uſque ad *Othonis* Imperatoris, & *Adalberonis* Epiſcopi Metenſis tempora, id eſt, annum 942. teſtantur imprimis iſtud acta Abbatum quatuor primorum Arnulfiani monaſterii, apud Martene infra citandum, ubi Author eorum ſequentia ſcribit: *Quando*, inquit, *mutatus fuit Ordo, id eſt Canonici Regulares in Ordinem monaſticum, tunc factus eſt Albertus primus Abbas in Eccleſia S. Arnulfi.* Nota Lector hoc verbum *mutatus eſt*, quod ſanè non indicat, Ordinem monaſticum anteà ibi unquam extitiſſe: ut adeò immeritò Mabillonius aſſerat in ſuis Annalib. ad an. 585. Eccleſiam illam ab Hunnis ſubverſam paulò poſt *reſtitutam, Monachisque conceſſam.* Sed in hoc refutando non operamur; ſuffeceerit hic adjeciſſe, quæ Boshius in commentario prævio ad vitam *S. Arnulfi* ad 18. Julii in eundem notavit: ubi cùm anteà ex Madaurenſi p. 31. obſervâſſet, Baſilicam prædictam Monachis primùm ſæculò decimò fuiſſe conceſſam: Subjungit, rem hanc ſibi quidem certam videri, quidquid eam etiam alibi negare videatur Mabillonius, *Monaſterium enim*, inquit N. 6. *& Baſilica S. Arnulfi ad Canonicos regula, id eſt, Regulares pertinuit, donec illos inde, quia diſſolutioris erant vitæ, nec emendari poterant, expulit Adalbero Metenſis Epiſcopus iſtius nominis primus ſubjunctis Monachis S. Benedicti &c. ubi habet inſtrumentum authenticum apud Meuriſſe p. 304. quod & aliud ſequitur, quô bona Canonicorum iiſdem Monachis Imperator idem adjudicat tertiô Idus Junii, annô Domini 949. item alia ipſius Adalberonis, quæ tam apertè docent nunquam ante illud tempus Monachos ad S. Arnulfum fuiſſe. Ut ſatis mirari nequeam, ea vel à Mabillonio viſa non fuiſſe, vel certè locis à me lectis diſſimulata.* Hæc Boſchius: At quid miremur, hoc Mabillonii pro inducto ſæculò jam ſextò monachiſmo in Eccleſiam Arnulphi aſſertum? cùm mirari præſtaret,

ret, quòd argumentò æquè vacillanti, imò à ſe ipſo in diverſis locis ſubversò, evincere contendat, paſſim nomine Clericorum intelligendos prioribûs ſæculis Monachos eſſe. Vide, quæ de hoc in noſtra Exegeſi diſcurrimus.

Inſtrumentum verò illud, quô Adalbero Clericis ejectis inducit Monachos, exſtat apud Miræum in ſua notitia Eccleſ. Belgii, in quo zeloſiſſimus hic Præſul inter alia inquit: *Monaſterium cunctis notum, ſcilicèt B. Arnulfi, in quo videbatur coadunatio Clericorum, utque veridicè dicam, Acephalorum, ſub ſpecie CANONICORUM REGULÆ extiſtere, ſuccrevit ardor ſummi deſiderii, ut qui illorum mores, & vitam incorrigibilem noveram, quò potioribus, & vita præſtantiſſimis ipſius loci præbendam converterem diſciplinis, hujus ſiquidem deliberationis ſumma fuit, ut eos inde expellerem, & Deo auctore vitam inſtituerem monaſticam, niſi ſe ipſos ſanctæ illius ſubderent vitæ; ſed hos quaſi deſpectui habentes, ut erant jurati cœtu, maluerunt eſſe pares in imperfectionum conſenſu.* Hæc ibi: deploranda certè tanta in dictis Clericis perverſitas, & obſtinatio, quæ plurium Collegiorum ab Ordine ſacro Canonico deficientium cauſa fuit, atque corruptella.

Tempus verò præcipuè à *S. Arnulfo* usque ad ſæculi decimi initia, (quibûs labefactari cœpit, ac penè corruere diſciplina Canonica) intermedium computando, ſemper præcipuo honore ab omnibus ſuſcepta eſt tum Eccleſia ipſa, tum hujus Clericalis Congregatio, & ùt veridicè teſtatur locô citatô Mabillonius, in hac Baſilica multorum Imperatorum, Regum, ac Principum, inſigniúmque Perſonarum monumenta exſtabant. Nunc de eadem nihil omninò ſupereſt; dum ſæculô 16. Carolô quintô urbem Metenſem incaſſo Marte, impugnante diruta, ac ſolo æquata eſt, Monachis in ipſam prædictam urbem migrantibûs, & obtinentibûs Conventum Fratrum Prædicatorum, qui usque ad quatuor illud jam ante deſeruerant, dogma hæreſis Lutheranæ ſectantes.

Meuriſſius p. 304. in Hiſt. Ep. Metenſ. Martene Theſaur. Anecdot. t. 3. c. 1199. Miræ. not. Eccleſ. Bel. l. 2. c. 24. Mab. l. 7. n. 31. Ann. Ben. Acta SS. in vita S. Arnulphi 18. Julii.

Aroaſia *aliàs* Aridagamantia vulgò Arovage: Arovaiſe. S. Nicolai Abbatia.

Fund. anno 1097. Ibidem ret.

Hanc celeberrimam, & nullis ſatis Encomicorum titulis prædicandam Abbatiam, ſi, ùt par eſt, deſcribere conaremur, non modò præfixum compendium, ſed totius hujus libri limitem excedere cogeremur, tanta nobis de ea loquendi meſſis ſuppeteret: unde ſolùm in eo erimus, ut, quantùm in tam ampliſſima ſegete licuerit, quasdam, eásque minores ſpicas laudum proferamus. Fuit primùm hic locus quoddam latronum ſuſtentaculum, nam, ùt ait Chroniſta Aroaſienſis: *Hic locus ſuper ſtratam publicam conſtitutus in ſylva, quæ dicitur Aridagamontia, olim ſpelunca latronum fuerat, unde, & hunc quidam, truncum Berengarii, ab ejusdem nominis latronum Principe vulgò denominant, pro eo, quòd poſt mortem ejus ſolitos eſſe ferunt ſatellites ejus trunco, quod cavaverant, captos à ſe quoslibet præſentare, infra quod quidam ex ipſis, quaſi idem Berengarius, loquens ſummam captivis redemptionis imponebant, quam nulli minuere, vel mutare licebat.* In eo igitur tres virtute præcellentes viri *Heldemarus, Cono, & Rogerus* circa annum Chriſti 1090. illi quidem duo *officiô Presbiteri, Profeſſione Canonici*, ùt inquit præfatus Scriptor, alter Laicus, cellam ſibi ad Deo ſerviendum conſtruxerunt in hon. SS. Trinitatis, & S. Nicolai, *cujus ex recenti translatione*, utpotè annô 1087. factâ, *crebra hunc per orbem evulgabantur miracula, & non timentes latronum inſidias omnes*

tranſeuntes non ſolùm ſuâ fide, & innocentiâ, ſed etiam corporali præſentiâ ſecuros reddebant.

Fuerunt *Heldemarus*, & *Cono* Canonicæ Religionis Profeſſi in Anglia, ac utérque *Mathildi* Reginæ *Guilielmi* Regis Conjugis à Capellæ obſequio: ſed vitæ aulicæ lubricitatem pertæſi, hanc ſibi eremum inhabitandam, *Rogero* Laico jam antea iſthinc divina ſolatia identidem quæritanti adhærentes prælegêre. Verùm non diu pia iſthinc, Deóque devota trias charitatis manſit unita vinculô, nam Clericus quidam pietatem ſimulans, eidémque ſe adjungens, iniqui ſpiritûs odiô compulſus primùm *Rogerum* innocenter occidit, dein graviter *Heldemarum* vulnerat, qui intra annum eundem, piiſſimam animam ſuam in manus Creatoris emiſit.

Igitur ſolus *Cono* ſuperſtes ſocios ſibi defunctorum locò congregat, nec difficulter obtinet, tantâque ſanctitatis famâ cum ſuis, Domino, proximíſque omnibus famulatur, ut eâ ad *Lambertum* cum Atrebatenſem Epiſcopum perlatâ, mox ab ipſo Parochiâ de Rochines, in qua Aridagamantia ſita, donatus ſit cum libertatis privilegio annô 1097. in Synodo Attrebat. (conceſſô, ubi inter alia ſic *Lambertus* loquitur: *Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus gaudens de religioſa converſatione tua Reverendiſſime Frater, & Compresbiter Como, deſideriô deſideramus paci, & quieti tuæ, tam præſentibûs temporibûs, quàm futuris providere. In adventu enim tuo, & bonæ memoriæ Heldemari, Magiſtri, & Conſacerdotis tui, in Aridagamantia in Parochia noſtra, quæ dicitur Rochennies, locum vobis ad Deo ſerviendum elegiſtis, qui ſicut aliquando fugiendus, velut ſpelunca latronum fuit, nunc per Dei viſitationem, & tuam, & Fratrum tecum habitantium, factus eſt refugium, & ſolatium ibi tranſeuntium. Unde & te in eo, quô es, locô & ordine, & ſucceſſores tuos, Religiosè, & Canonicè inibi victuros, hac donamus libertate, ut tantùm Epiſcopo reſpondeatis, & in manu ejus, in libertate ſpiritûs permaneatis, contradimus etiam tibi, & per te legitimis Succeſſoribus tuis, cum Fratribus inibi religiosè, & ábsque proprietate viventibus, átque victuris in augmentum pacis, átque quietis, loci tui prædictam Parochiam Rochennies* &c. concedit pariter *Lambertus* Jus reconciliandæ Eccleſiæ, *ſi quô caſu pollueretur: Eligendi etiam, ſi prædictus locus ad tantam copiam rerum, & ſervorum Dei ibi commorantium excreſceret, cum conſilio, & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi, Magiſtrum, & Dominum juxta timorem Dei, & inſtituta Canonum liberam poteſtatem* &c.

Excrevit autem hæc *Cononis* aggregata Societas tantâ divinæ benedictionis ubertate, ut multa prædia à Caſtellano Peronenſi, & liberis ſuis eidem fuerint collata, paulóque poſt auctis facultatibûs *Cono* dejectâ ligneâ cellulâ Eccleſiam lapideam erexerit, quam duo ſancti Epiſcopi *Godefridus* Ambianenſis, & *Joannes* Tervannenſis rogatu, & permiſſu *Lamberti* ſolita celebritate dedicârunt. Inquietati dein à Monachis S. Quintini, Canonici ob Cœmeterium, *Cono* mox ſummum Pontificem *Paſchalem* adiens emancipationem illius liberrimam adeptus eſt.[1]

Hic *Cono* primus hujus Aroaſienſis Canoniæ Prælatus illud eximium in Belgio exoriens, ac paulò poſt undequáque effulgens ſidus eſt, quem præfatus Pontifex Paſchalis ob pretium virtutis, ac doctrinæ collateralem ſibi Cardinalem, ac Epiſcopum Præneſtinum ordinavit, quíque tanto ſpiritu exinde, zelóque Eccleſiaſticæ libertatis jurium defenſor exſtitit, ut quidquid propè negotii Eccleſiam concernentis in Germania, Gallia, imò, & in toto Oriente agitandum contingeret, *Cononi* tanquam legato Apoſtolico committeretur: unde complures ejusdem viri præſtantiſſimi Epiſtolæ, aliáque Scripta

ex-

Digitized by Google

extant, è quibus ſatis, ſupérque ejus ſimul Sanctitas, ac profunda ſapientia, nec non in agendo perſpicaciſſima ſagacitas elucere ſolet, aliquando noſtro Operi inſerendis.

Quamvis verò *Cono* à ſummo Pontifice in ſuorum laborum fulcimen aſſumptus jam à filiis ſuis Aroaſienſibus abſens exiſteret, non tamen ullatenùs ab iis divelli potuit præſentiâ charitatis, binc annô 1112. pretioſas, plurimáſque eis ſubmiſiſſe reliquias dicitur, inter quas eminuit incorrupta manus *S. Salvini* Epiſ. & Mart. Legatus jam factus corporali viſitatione Aridagamantiam ſuam dignatus eſt, & ſuper ſepulchrum tunc Magiſtri ſui *B. Heldemari* oratorium conſtrui fecit, oblatiſque veſtimentis tam ſacerdotalibûs, quàm leviticis, ùt narrat Chroniſta, illud in honore *S. Mariæ Magdalenæ* conſecravit. Summæ humilitatis amator Pontificatum Romanum ſibi oblatum conſtantiſſimè recuſavit, &, ut ad hunc *Guido* Archiepiſcopus Viennenſis ſui locò aſſumeretur, effecit. Demum, cùm ſub tribus ſummis Eccleſiæ Capitibus Paſchale II. Calixto II. & Honorio II. indefeſſa Eccleſiæ obſequia ſua frequentibûs legationibûs etiam per totam latè Syriam, præſtitiſſet, Præneſte in Civitate ſua animam Deo reddidit annô 1118. aut veriùs 1128. quo tempore Honorius ſedit.

Ampliata eſt autem hæc dein incomparabilis Abbatia, ut vix è flore ſuæ inſtitutionis progerminans jam aliquot Monaſteriorum tanquam in Congregatione coadunatorum (quorum Miræus 26. recenſet) caput exiſteret. Tantáque regularis obſervantiæ prærogativâ unà cum omnibus ſub ſuo regimine conſtitutis monaſteriis undíque præfulgeret, ut paſſim ejus Canonici pro Exemplari virtutum proponerentur. Totus in hujus Congregationis laudem ſe effundebat *Jacobus de Vitriaco*, ex quo aliquid decerpſiſſe juvabit: *Quoniam*, inquit; *nihil magìs virtutem Religionis conſervat, ubi plures ſunt Congregationes, & Conventus, quàm reſpectus ad unum Superiorem, qui diverſa ſub ſe membra regit, & continet; quaſi ſummum, & ſupremum Caput ſemel in anno ſub primo, & principali Abbate generale Concilium celebraturi conveniunt, ut omnes unanimiter hujus Ordinis Abbates, ſecundùm quod Religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, reſecent ſuperflua, inſtituant, & addant, quæ fuerint ſuperaddenda, vel ſecundùm temporum, aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, &, novis ſupervenientibûs, ita vetera rejiciantur, quod vetuſtiſſima veterum, prima ſcilicet antiquorum Patrum inſtituta firmiter, & invariabiliter obſerventur. Principalis ſiquidem Abbas filias ſuas, inferiores ſcilicet Abbatias, per ſe, vel per viros idoneos ſtudiosè viſitando, quantum Religioni ſubminiſtret fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per diſſolutionem ſtatûs Religionis enervatus corruat, ex his liquet Conventibus, & Congregationibus, quæ ex uno tantùm Abbate pendentes, & uni ſolùm Superiori intendentes, cum corruente plerúmque corruunt, cùm non habeant, unde aliàs fulciantur, væ ſiquidem ſoli! quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem* &c.

Sic ſanè prudenter, & circumſpectè *Jacobus* noſter, in laudem Congregationis Aroaſienſis, cujus hæc, quam deſcribimus, Abbatia, Caput, Abbas verò illius, Generalis fuerat per multos annos. Porrò Aroaſienſis Diſciplina à ſanctiſſimis quibúsque Viris Canonicum inſtitutum reformare cupientibus ut plurimùm quærebatur, in cujus teſtimonium ſequentia quidam vetus Scriptor Aroaſienſis Canonicus memorat: *Sanctæ memoriæ Malachias Hybernenſium Archiepiſcopus per nos iter faciens inſpectis conſuetudinibûs noſtris, & approbatis, libros noſtros, & uſus Eccleſiæ transſcriptos ſecum in Hyberniam detulit, & ferè*

omnes

omnes Clericos in Epiſcopalibus Sedibus, & in multis aliis locis per Hyberniam conſtitutis Ordinem noſtrum, & habitum, & maximè divinum in Eccleſia officium ſuſcipere, & obſervare præcepit. Quod ipſum *S. Laurentium* Dublinenſem Archiepiſcopum actitâſſe, & Aroaſienſes Canonicos, viros omni virtutum panoplia proviſos in primaria Eccleſia ſua collocâſſe ejus vitæ Scriptor meminit apud Surium. Sicut autem paternâ gloriâ ſuis in Fundatoribus eminere jam cæpit vix naſcens Aroaſia, ſic poſtmodum ipſa multorum excellentium ultrò virorum nutrix eſſe perduravit, identidem tales inſtituens, qui Ordini non ſolùm Canonico, ſed & toti Eccleſiæ in præcipuum decus eſſent, & emolumentum: è quorum numero *Achardus* exſtitit primùm ex Aroaſienſi Canonico in Archidiaconum aſſumptus Morinenſem, dein in Priorem templi Domini in Hieruſalem, cujus dignitatem, ac præeminentiam alibi deſcribemus. *Joannes* quóque *de Bellinis* Abbas Aroaſienſis, qui præſtantiſſimus ſui temporis Orator excelluit, ut eum in Concilio Lateranenſi ſub *Alexandro III.* perorantem totus Patrum Conventus ſit admiratus. Verùm ab aliorum encomio ob præfixi compendii limites abſtinentes, notiſſimi illius Canonici, ac Prioris Aroaſienſis *Waltheri* nuncupati dignum eſt meminiſſe, ea præcipuè de cauſa, quod per hujus ſolertiam, ac ſagacitatem mirandam, Aroaſia annô 1162. pretioſiſſimô *S. Monicæ* Matris ſanctiſſimi Ordinis noſtri Reſtauratoris *Auguſtini* ſacro corpore fuerit decorata; quod propriis manibùs Oſtiæ levavit, ſecúmque *Aroaſiam* multis intercurrentibùs, Deo veritatem reliquiarum indiciis non obſcuris confirmante detulit. Integram deſcriptionem fide planè ſincera, & narratione ingenua, nullôque fucô illitâ, jam olim ſuis Operibus, & quidem Tomo 1. Maji Bollandiſtæ æquali cenſurâ *ſinceriſſimæ hiſtoriæ* à *Waltero* ipſo ſcriptæ inſeruêre, quam nos, ùt primigeniam, ac certò nullius falſitatis ream Operi noſtro futuro cum debitis notis reſervamus: ſolùm hìc inſinuantes, quòd jam antea præfati annotârunt Bollandiſtæ, ſcilicet: hujus egregii viri operâ factum, ut à compoſita per illum hiſtoria tranſlationis à ſe factæ dein principium ſumpſerit totus *S. Monicæ* cultus (ignotus antiquioribus Martyrologiis omnibus) & ab Aroaſienſibus ad cæteros Canonicos Regulares per Belgiam, Galliam, Germaniam, inde etiam ad Eremitas Auguſtinianos, ac deníque ad Eccleſias omnes ſit transfuſus. Iidem ipſi Canonici Aroaſienſes priusquam de reliquiis *S. Monicæ* ſcirent aliquid, habebant in uſu celebrandi feſtum *Converſionis S. Auguſtini* 5ta Maji, atque inter cætera illius feſti propria etiam illud uſurpabant reſponſorium. *Accepta Baptiſmi gratia* &c. ex quo ſanè arguere dabatur, cùm à *S. Auguſtino* dies ejus mortualis non expreſſus eſſet, ut diem prævium ipſi feſto Converſionis, quam ſcirent 6. Maji contigiſſe, præfigerent diem *B. Monicæ*, qui nunc à tota Eccleſia receptus eſt. Factus autem eſt, ùt diximus ex *Walteri* narratione, harum ſanctarum Reliquiarum adventus in *Aroaſiam* annô 1162. ubi *cum ſolemni Proceſſione* (verba Authoris ſunt) *& ſumma devotione, tam Clerici quàm Laici obviàm exiêrunt, & cum magna exultatione cantantes reſponſorium: Accepta Baptiſmi gratia &c. in Eccleſiam inferentes ſuper Altare, quod in honore beatiſſimi Auguſtini, & aliorum Confeſſorum ſpecialiter conſecratum eſt, poſuerunt: ut quaſi ſuperveniens Mater priùs filii memoriam viſitaret; & inde ſuper majus Altare reverenter oblata eſt, exinde in ſacrario cum ſumma diligentia* 12. *Kal. Maji.* (ſeu 20. Aprilis) *repoſita eſt.* Hæc Walterus. Recitatur autem ad eundem diem in Martyrologio Aroaſienſi quotannis hæc Translatio

tio ſequentibus verbis : 12. *Kal. Maji Translatio Corporis ſanctiſſimæ Monicæ ab Oſtia Tiberina in hanc Dei, & S. Nicolai Eccleſiam manu Domini Walteri Prioris Aroaſiæ annô Domini* 1162. Cæterùm, quod hæc de translatione veridica, & nulli planè dubio ab eo (qui Walteri narrationem animô ſedatô, nec ſtudiô partium irretitô perlegerit) exponenda retulerimus, cauſa eſt translatio altera, quam Martyrologiis Romanis ad 9. Aprilis reperimus inſertam, quæque facta dicitur, ùt ait in notis Baronius, ſub *Martino* Papa V. annô 1430. hujúsque hiſtoriam ipſe *Martinus* contexuiſſe aſſeritur, ſermone ad Fratres Auguſtinianos datô: ex quo dein conceſſa eſt præfatis Fratribus, annuè celebranda ſub ritu duplici, quintô Idus Aprilis, eadem Translatio. An omnia, quæ hanc à Fratribus Eremitis prætenſam, ac ex oſtiis transmarinis Romam, factam translationem, & præcipuè ſubſtantiam Reliquiarum attingunt, ſua veritate nitantur, unde Walteri narratio de transportatis à ſe annos ante ducentos ſexaginta octo S. Monicæ Lipſanis vacillare deberet? condebitâ criſi examinare, & Walteri authenticam decernere, loci anguſtia non admittit. Quamvis indubitatum habeam, id & *Martinum* ſenſurum fuiſſe, ſi in hac facti quæſtione ſic per Aroaſienſes eidem expoſita fuiſſet certitudo Translationis S. Monicæ Reliquiarum ante annos 268 peracta, velut Patres Eremitæ Sanctiſſimum nullâ oppoſitæ partis ratione audita informaverunt de ſua; præcipuè, qui totius cauſæ Authorem, & fortaſſe non minùs ſermonis illius conditorem egerat Petrus Aſſalbitus Epiſcopus Alectenſis Apoſtolicæ Capellæ Sacriſta, Martiníque Confeſſor, & Auguſtinus Favorius Epiſcopus Nazianzenus, uterque præfati Ordinis Profeſſus: ùt facilè ex affectu ſeſe nimiùm prodente in illo ad Fratres Eremitas ſermone, & vix tanto Pontifici (ùt *Martinus* erat) appropriandô colligitur, cum aperta adeò invidia Canonicorum Regularium Paviæ in cœlo aureo tum degentium, imò ipſum Monaſterium ſic poſſidentium, ut in Bulla illa *Joannis* 22 (quâ Eremitæ annô 1321. primùm aſſumpti ſunt in cœlo aureo à Canonicis Regularibus) expreſsè omne præcedentiæ jus, & antiquitatis prærogativa his aſſeratur, non niſi ex gratia ſpeciali (nè quid iſthic de ſurreptione ſatis jam à Pennoto noſtro L. 1. Hiſtor. Trip. c. 64. n. 2. probata dicamus) iisdem Eremitis in præfatum monaſterium admiſſis; ùt nullatenùs ambigam, longè alio proceſſu ſanctiſſimum Patrem totam iſtam Eremitarum in ſua hac translatione cauſam præhabitam agitaturum fuiſſe. Multa eſſent (à quibus non niſi violentâ cohibitione retrahimur) hic disquirenda, præcipuè in dicto *Martini* ſermone, quem omnia propè ſuſpecta reddunt, nè ab eodem Summo Capite dictus, minùs compoſitus judicetur: ſed hujus æquè, ac aliorum concomitantium quæſitorum examen ad futura differimus; hoc tamen in noſtris ipſis Canonicis admirantes; quo Authore factum ſit, ut iſta ab Eremitis prætenſa translatio in propria noſtra Feſta Canonica, & quidem annis penè 259. poſt eam ab ipſis conſtitutam, influxerit? Certè, cùm annô 1666. Reverendiſſimus Abbas *Philippus Picinellius* idem Proprium ederet, & notis illuſtraret ſecundùm Pii V. Conceſſionem in Bulla, quæ incipit: *Licèt Eccleſia Dei Sponſa*: relata in Bullario Lat. novæ edit. Roman. P. 297. §. *Omnium quóque aliorum dictæ Congregationis &c.* nihil omninò de hoc Translationis Feſto meminit. Porrò hic incidenter adverti cupimus præfatum §. *Omnium quóque* &c ab illis Criticis, qui hâc Bullâ minùs fortè perlectâ inſultant nobis *de libello propriorum officiorum noſtrorum enormiter auctô, &*

ultrà Pii V. mentem præfata conceſſione extenſa ab iis, eadem, quæ Lateranenſes, privilegia ſe habere nequaquam probantibûs. Quaſi verò ſacra rituum Congregatio oculatiſſima ſemper ſua in ſpecula ſubditorum ſibi mores obſervans (cùm ab omnibus cujuscúnque demùm Provinciæ Canonicis Regularibus non poſſit non nôſſe, celebrari ea Feſta, quæ non in angulis, latebrísque, ſed publicis, & apertiſſimis Typis vulgata retinentur) pariter pridem, ſi nulli Authoritati innixa, aut non aboleviſſet omninò, aut correxiſſet, aut ſaltem non noviter annò 1733. approbâſſet. Ut verò ad dictum Translationis feſtum redeamus, idipſum laudabili quóque cautelâ præſtitêre noviſſimi horum feſtorum Editores Canonici in Bavaria, quorum normam non dubito alios ubicúnque per Germaniam exiſtentes ejusdem inſtituti Religioſos de proximo æmulaturos; utpotè, cùm hanc recentiſſimam anni 1735. editionem omni, ut ita dicam, numerò abſolutam, ſinceram, optiméque inſtructam comperiamus. Solùm ſi pauca quædam in aliquorum Sanctorum lectionibus occurrentia excipiamus, ac cumprimis illas S. Alberti ad diem 8. Aprilis, de quibus eruditè in ſua hiſtoria Chronologica Epiſcoporum Hyeroſolimitanorum Parergò 11. n. 221. & in Act. SS. 8. Aprilis in Comment. prævio c. 1. n. 1. c. 4. n. 38. diſcurrit Papebrochius, qui ideò legi poterit, indéque in futura fors alia editione horum Feſtorum tres ejusdem Feſti lectiones corrigi ex authentico inſtrumento relato apud Ughellum Italiæ ſacræ novæ edit. T. 4. col. 792. & ſeq. ipsíque Sancto, coœvo. Cæterùm ſi quæ ſpecialior in hanc piiſſimam ſancti Legiſlatoris noſtri Matrem, condignáque devotio urgeat, poſſet Feſtum Translationis ejusdem à cæteris noſtris Canonicis meliore titulô, & potiore prærogativâ ſecundùm ritum Aroaſienſium celebrari. Quæ tamen omnia, quorum intereſt, ordinationi eâ, quâ decet, reverentiâ committimus, ſolùm iſthic occaſione memorati viri, pro honore, ac devotione *S. Monicæ* exhibenda, adeò ſolliciti, ac operoſi, memorata.

Vid. prop. Can. edit. Monac. an. 1735.

Sita eſt Aroaſia tribûs penè milliaribûs à Bapalma Arteſiæ oppidô Occidentem versùs in finibus Picardiæ. Miræ L. de Orig. Can, Reg. c. 10. & 46. Cod. Dipl. T. 1. f. 167. Boll. ad 13. Jan. in vita S. Heldemari. Spicil. Dach. T. 1. Hiſt. Vizel. & Chron. S. Petri vivi &c. Bol. vita S. Gilberti Epiſcopi Melden. item cit. hiſt. Epiſ. Hieroſ. Gallia Chriſt. T. 3. in Epiſ. Atreb. col. 435.

Arſchotenſe S. Mariæ Præpoſitura. Exſtitit ante annum 1462. in oppido *Arſchot* Eccleſia *S. Mariæ* Parochialis, quam hactenùs ſuo incorporatam monaſterio tenuerant Canonici Regulares *S. Gertrudis* Lovanii. Præfatô autem annô *Antonius de Croy Comes Porcianus, & Arſchoti Dominus cum Majoribus dictæ urbis incolis Epiſcopo Leodienſi hujus loci Diœceſano ſupplicârunt, cùm eadem Eccleſia pluribûs Conventibûs augmentata conſiſteret, ut hæc ad divini cultûs augmentum, majorémque populi Catholici devotionem, ac divinum quóque officium diurnum, ac nocturnum collegialiter ibidem deinceps devotè celebrandum in Collegiatam Eccleſiam erigeretur, quod idem Epiſcopus, eo tenore, iisque conditionibûs benignè conſenſit, ut Præpoſitus, Decanus, Paſtor, & Cantor ſemper aſſumerentur ex Canonia Gertrudiana, & decem reliqui Canonici eſſent Sæculares omnimodam reverentiam, ac obedientiam præfatis exhibentes. Cæterùm omnes tam Præpoſitus, quàm Decanus, & ſinguli Canonici Regulares, & Sæculares dictæ Eccleſiæ ſubſint in perpetuum Jurisdictioni ipſorum Præpoſiti, Decani, & Capituli conjunctim, Capellani verò, & ca-*

Fundat. an. 1402. Floret.

cæteri Beneficiati, & Officiati, ac Clerici ejuſdem Eccleſiæ, & Parochiæ in ſolidum ſuberunt ipſi Decano. Ipſi quóque Præpoſitus, Decanus, Inveſtitus (id eſt Paſtor) *Cantor, novellique Canonici in eorum introductione, ſucceſſoréſque eorum in ipſorum admiſſionibus, nè quid præjudicii, aut læſionis Abbatiæ Gertrudianæ inferretur, obligati ſint juramentum præſtare de nullo aut præjudicio, aut diminutione eidem Monaſterio S. Gertrudis inferendo, aut permittendo. Præpoſituram etiam perpetuis temporibûs conferre habeat uni ex Canonicis ſuis Regularibus ipſe S. Gertrudianus Abbas, ad reliqua verò officia, ſcilicèt Decani, Parochi, & Cantoris Jus præſentandi idem retineat ex iiſdem ſuis Canonicis &c.* Quæ omnia debitò privilegiò, ſuâque auctoritate munivit præfatus Leodienſis Epiſcopus, primóſque ex Canonicis Gertrudianis inſtitutos confirmavit ipſe eôdem annô 1462. nempè, *Theodoricum* Præpoſitum, *Petrum* Decanum, *Ingelbertum* Paſtorem, ſeu Inveſtitum, & *Ludovicum* Cantorem. Floret ſub enarrata forma hæc Præpoſitura hodiedum, magnô ſemper tum ob virtutem, ſcientiámque, tum ob indefeſſum zelum animarum præconiô honoranda.

Sita eſt hæc Eccleſia in ipſa urbe hujus nominis 3. milliaribûs Lovaniô diſſitâ, & fluvio *Demere* adjacente, quæ Urbs hodie titulò Ducatûs eſt inſignita Mir. Donat. Belg. c. 150. Fopenſ. nova Collect. Dip. Belg. part. 3. c. 67. Zeiller in Topogra. Burg. hiſt. Archiep. Mechlin. T. 1. p. 241.

Fundat. ſæculô circ. ſextô ſaculariter.

Atrebatenſis S. Mariæ Cathedralis. Hujus Eccleſiæ inſtitutor in urbe Atrebatenſi *S. Vedaſtus* fuit, quem è familia votivo-Clericali ad Sedem Epiſcopalem elevatum, multa ſunt, quæ nobis penè certò confirmant. *Alcuinus* enim eum *in Oppido Tullenſi laudabili religione ſoli Deo ſervientem, & dulciſſimos contemplativæ vitæ fructus* [illegible] hujus ſui benefici Epiſcopi in *corpo*[illegible] recondens: ſic Fulbertus *ſiciam*[illegible] imus in vita ejuſdem *quaten*[illegible] *Sanctum Corpus ejus ſaluberr*[illegible] *Eccleſia B. Petri, quæ* Quem lo[illegible] *atis tunc erat, nunc* fuerit, du[illegible] *us eſt; in qua re-* contemplati[illegible] *us Dadilonis Epi-* pebat? necdum[illegible] *uartus in Epi-* fortè certior ſui[illegible] *Nortmanni* vitæ, inſtitutique [illegible] *magna di-* rec; id tamen perſpic[illegible] *Eccleſiam* rimos è Clero, quamvis [illegible] *ficè col-* nunquam eſſent, antequam [illegible] Hæc nam adversùs Evangelii hoſt[illegible] ud cenderent, ſe privato contempla[illegible] tionis ſtudio addixiſſe, ut armis ſpiritualibûs anteà perfectè munirentur, invicti Eccleſiæ Athletæ deinde decertaturi. Clericum igitur in hoc contemplationis otio non Monachum fuiſſe, apparet inde, quòd in duplici vita, quam habemus, Monachiſmi Vedaſtini ne quidem mentio fiat, quin nec *Baldricus* meminit, nec *Fulbertus*. Eum Fundatorem Eccleſiæ Atrebatenſis extitiſſe tradit Miræus cap. 10. de Can. ſæc. Collegiis: hanc ab exordio regularem (ùt nunc dicimus, quódque univerſim obſervatum cupimus, prout in Exegeſi noſtra cauſam dedimus) fuiſſe, declarat *S. Remigii* teſtamentum (hic *S. Vedaſtum* ipſo ſe teſtante in Epiſcopum Atrebatenſem ordinavit, & cum Rege *Clodovæo* hujus Fundationis maximus Largitor, Fautórque fuit) dicentis: *Se Eccleſiæ Atrebatenſi villas duas in ſtipendiis Clericorum delegâſſe.* Quos Clericos Miræus non dubitat tales fuiſſe, quales poſteritas Canonicos vocavit, & nos univerſim nec ſine probis notavimus *Clericos ſimul conjunctos in uno clauſtro* haud alios niſi votivos, communiſque vitæ Alumnos convixiſſe. Annô 667. hujus ſancti Viri venerabiles Reliquiæ, ùt Author eſt Fulbertus in vita ejuſdem, debito honore tranſlatæ ſunt; ejus verba hæc ſunt: *Rerum neceſſitas urgebat, ut venerabilis Pater* (*Autbertus* tunc Atrebatenſis Epiſcopus). *Canonicos ſuos,*

ſuos, qui Atrebati in B. Mariæ (nam huic Virgini ſanctiſſimæ Eccleſia Cathedralis à *S. Vedaſto* dicata fuit) *Monaſterio famulabantur, viſitaturus adire deberet, qui locus olim & ambitu murorum, & frequentiâ civium celeberrimus fuerat, ſed gentium infeſtatione, à priſco ſtatu deformatus crebris ruinis hucúſque conſtitit, ubi cùm de rebus Eccleſiæ ſatis ad tempus tractâſſet, quâdam nocte, ut illi ſemper erat moris, fratribus adhuc quieſcentibus, ſurgens nocturnæ orationis tempus uſque in lucis crepuſculum continuavit &c.* Hoc allegavimus, ut appareat, dubitari non poſſe, hoc quóque tempore adhuc Canonicos in communi vita congregatos ſubſtitiſſe. Tempore Baldrici (qui ſæculi undecimi fine floruit) in Eccleſia hac 40. Canonici Deo ſerviêrunt, prout ipſe teſtatur L. 2. Chron. c. 13. quorum numerus, ùt ſcribit Colvenerius in notis ad hunc Baldrici locum, hodiedum perdurat cum Capellanis 52. & Perſonatibus 12. totam Diœceſim regentibûs duodecim Decanis ruralibûs. Quo tempore ad Sæculares, abſolutè excuſsâ vitâ votivâ hæc Eccleſia tranſiêrit, definire non poſſumus, vix tamen crediderim, Baldrici ætate obtigiſſe: neque documentum hucúſque nobis aliquod ad manus pervenit, ex quo colligere liceat, in generali illa reſtauratione Canonicarum Eccleſiarum hanc quóque reſipuiſſe. Ideò niſi nova lumina ſuppetant, judicamus, eo tempore (quò Trevirenſis Eccleſia ſuam Eclipſim paſſa eſt annò 977. poſt obitum ſcilicet Theodorici Archiepiſcopi, & inter non multos annos teſte Trithemio plures Eccleſiæ exemplum iſtud ſecutæ regularem vitam abjecerant) id cum Atrebatenſi quóque eveniſſe.

Cæterùm quamvis Guilielmus de Nangis in ſuo Chronic. ad an. 1115. dicat, quòd à tempore *S. Vedaſti* uſque ad *Lambertum* Atrebatenſis Eccleſia proprio viduata Præſule, Cameracenſi ſubjecta fuerit, reſiſtit tamen *Urbani* ſecundi privilegium relatum Tom. 3. Spicil. f. 425. ubi Pontifex ait: *Atrebatum nobilis quondam, & populoſa Civitas, quæ per B. Remigium, Epiſcopum Vedaſtum obtinuit, poſt nonnullorum Antiſtitum obitum Epiſcopalis Cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracenſi Epiſcopo ſubdita obedivit &c.* ex quo patet, *Lambertum*, qui primus iterum hujus Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus eſt, nonnullos Anteceſſores habuiſſe poſt *Vedaſtum*, & quidem Viros meritis, doctrinâque notabiles: *Dominicus* enim *Vedaſti* Succeſſor erat, poſt quem *Vedulphus*, & hic dicitur ſedem Epiſcopalem Atrebato Cameracum annô 569. tranſtuliſſe, annô poſt mortem Vedaſti 29.

Conſtitura autem Eccleſia Cathedralis *S. Mariæ* Atrebat. videtur inter annum 494. (quô *Clodovæum* Petavius baptizatum à *S. Remigio* ſtatuit) & 540. quô *S. Vedaſtus* obiit, ùt notat Henſchenius: Porrò monaſterium, quod Atrebati *S. Vedaſti* dictum exſtitit non ab hoc Sancto, ſed à *S. Auberto* exſtructum eſt, illuc *S. Vedaſti* Reliquias transferente, in quo Monachos ex Gandavenſi S. Petri Cœnobio vocatos inſtituit, qui uſque nunc illinc perdurant.

Eccleſia hæc Cathedralis cum monaſterio magni etiam olim nominis fuit, quamvis aſſiduîs bellorum ſubacta fluctibûs, Nortmannîs identidem loca iſta depopulantibûs. Inter alia haberi ad hodiernum diem in ſacra æde dicitur certum genus Mannæ (quod his in locis depluiſſe è cœlo tempore ſuo *S. Hieronymus* narrat) pretioſiſſimîs, plurimîsque gemmîs ornatum, monſtratúrque magna ſolemnitate populo tum, ubi majori ſiccitate increſcente pluviæ ſalutares à Deo expetuntur. Exſtat quóque in eadem Eccleſia Cereus, quem *Lambertus* Atrebatenſis Epiſcopus no-

ctu

ac quandam ab apparente ſibi B. V. obtinuiſſe narratur, qui Cereus nunquam ardendo usque hodie minuitur. Qualis verò rerum facies hujus loci? à quo Regularis eſſe deſiit, Colvenerius dabit, item Samarthani in ſua Gallia Chriſtiana, eùm, quæ noſtri fori non ampliùs ſunt, in hoc compendio enarrare ſuperfluum judicemus.

Miræus L. de Coll. Can. Sæc. C. 10. idem Cod. Donat. piar. cap. 1. acta SS. 6. Febr. vita S. Vedaſti 2da c. 1. n. 7. &c. Balderic. L. 2. c. 4. & 5. & cap. 39. Bar. in notæ Mart. ad 6. Febr. Gall. Chriſt. T. 3. in Ep. Atr. c. 321.

Fundat. circa Sæc. ſeptimum Floret.

S. Auberti Cameraci Abbatia. Ad muros urbis Cameracenſis exſtitit jam ſæculô ſeptimô Eccleſia *D. Petro* dicata, quam *S. Aubertus* ex Cathedralis Cameracenſis Clerico ordinatus ibidem Epiſcopus magnô totius Hannoniæ emolumentô reparavit, utpotè cujus prædicatione, & doctrinâ in religione Chriſtiana florere cœpit, atque vigere. Ut itaque hic vir Apoſtolicus terram, quam ſulco divini verbi araverat, ornaret ampliùs, templísque tam manufactis, quàm vivis decoraret, Eccleſiæ illius Canonicis, jam per *S. Vedaſtum* (ùt tunc moris erat) votivis, qui Deo laudes, fidelibus autem divina Sacramenta miniſtrarent, illinc conſtitutis) à *Dagoberto* Francorum Rege donationes obtinuit, quibûs proviſi expeditiùs, ſanctiúsque ſui inſtituti munia exequi valerent: Hæc Dagoberti verba: *Do, & trado Eccleſiæ S. Petri Kamarac. in qua ſanctiſſimus Pater Vedaſtus Canonicos conſtituit, Fiſcum, Tilletum, Villas, Vinciacum, & Hamam cum appendiciis &c. Dat Kamaraci XVII. Kal. Majas An. D. I. ſexcent. Quadrag. Ind. XIIII.*

Subſtitit aliquamdiu in Eccleſia hac laus divina, dum devaſtatâ tòtâ penè Galliâ per Nortmannos, & hæc vim paſſa eſt non exiguam, theſaurum interea pretioſum corporis hujus ſui benefici Epiſcopi intra ſinum recondens: ſic Fulbertus Vir clariſſimus in vita ejusdem: *Fuit*, inquit: *Sanctum Corpus ejus tumulatum in Eccleſia B. Petri, quæ extra muros civitatis tunc erat, nunc verò intra mœnia ejus eſt; in qua requievit usque ad tempus Dadilonis Epiſcopi, qui ei decimus quartus in Epiſcopatu ſucceſſit. Hic cùm Nortmanni Galliam devaſtâſſent, cum magna diligentia ſanctum Corpus in Eccleſiam B. Mariæ tranſtulit, ubi honorificè collocatum multo tempore quievit.* Hæc Fulbertus. Qui tamen dein apud Surium hujus ſtylô enarrat: Sacrum hoc corpus in monaſterium ab *Herluino*, aut ùt eum Miræus nominat, *Herevino* amplificatum, à *Gerardo*, annô, ùt notat idem Miræus, 1025. (ſed Surius ponit 1015.) in memoriam *S. Pauli* ſolenniter conſecratum ſuis priſtinis Sedibus fuiſſe reſtitutum.

S. Lietbertus ejusdem Cameracenſis Eccleſiæ Epiſcopus videns ſuo tempore præfatæ *S. Petri &c.* Eccleſiæ Canonicos non, ùt par erat, debito ſui inſtituti deſervire, annô 1066. hujus monaſterii reformationem aggreſſus, præclarô eam privilegio communivit, in quo præter alia ſic loquitur: *Eſt*, inquit, *quoddam monaſterium infra muros Cameracæ Civitatis in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Auberti Confeſſoris, ejusdem Civitatis* (Cameracenſis nempe) *Epiſcopi, ibidémque corpore quieſcentis conſecratum, ubi retrò deſerviebatur officio Canonicorum, quibus injunctam ſervitutem negligentibus, cœpit locus ille vileſcere, & in dies à prioris honorificentiæ ſtatu declinare. Hoc ego conſiderans condolui, cœpique animô volvere, qualiter meliùs ad divinum cultum poſſem relevare. Tandem zelô Dei animatus, & fidelium noſtrorum conſiliô roboratus, Regulares Canonicos de communi viventes, & nihil proprium habentes, & ejusdem Profeſſionis, & Ordinis Abbatem eo in loco conſtitui, reſtauratis, & alibi reſtitutis prebendis Canonico-*

rum illorum, qui proprium retinentes illic communiter vivere noluerunt. Ædilitatem verò, & Præpoſituram, quæ mei juris erant, præter antiqua bona hujus loci per conſilium Archidiaconorum, & Canonicorum, & cæterorum fidelium noſtrorum huic Eccleſiæ contuli, & inſuper poteſtatem donandi præbendas Abbati conceſſi &c. Hæc ibi. Primus, qui hujus Eccleſiæ reformatæ clavum Abbatiali honore tenuit, *Bernardus* dictus eſt, talia diſciplinæ veræ regularis, ac religioſæ inconcuſſa fundamenta jaciens, quæ per continuam ſuccedentium temporum ſeriem nulla malevola unquam diſrumpere prævaluit laxitas. De his eximiis *S. Auberti* Canonicis Vitriacus noſter ſequentem laudem concinnavit: *Conventus*, inquit, *Canonicorum Regularium S. Joannis in vineis Sueſſionenſis, & S. Oberti Cameracenſis, & S. Mariæ Bleſenſis, & S. Nicolai de Oegnies, cum quibusdam aliis quaſi pauci Racemi conſumptâ Vindemiâ, in virtute Religionis, & fervore charitatis, & decore honeſtatis permanſerunt. Aſcendentes de virtute in virtutem, & odore bonæ vitæ, & ſanctæ converſationis multos allicientes de mundi naufragio ad congregationem ſuam tanquam ad ſecurum tranquillitatis portum traxerunt &c.* Teſtatúrque Carpentarius tam celebrem hanc Abbatiam fuiſſe, ut olim optimates quíque Belgii maximo honori ducerent, liberos ſuos habitum in ea ſuſcipere Canonicæ Religionis.

Obſervatâ tam laudabili vitæ, morúmque converſatione *Joannes* Cameracenſis Epiſcopus an. 1194. Abbatem hujus *Aubertici* monaſterii perpetuum Epiſcopi Cameracenſis Capellanum conſtituit, egregiis ſanè in laudem horum Canonicorum uti & totius Ordinis Canonici morivis perſuaſus, ait enim in privilegio deſuper dato: *Imprimis officii ſui ſe ratione admoneri honorabiliora Eccleſiæ membra, quæ potioribus ſtudiis, & mediis juvantur, in partem oneris aſſumere, & honoris, ut in domo Domini lucerna boni operis ſuper candelabrum poſita exemplô ſuô alios inſtruant, & informent.* Secundò inquit: *Attendentes honeſtatem, & religionem Abbatis, & Canonicorum S. Auberti, qui etiam ingeniô*, aut ut clariùs in aſſenſu à Capitulo Cameracenſi dato legitur: *Qui etiam vicinius ad officii, & habitûs noſtri conformitatem accedunt &c.* Primus autem hoc beneficium aſſumens erat *Heribertus* Abbas, vir per omnia ingenuus, virtutíſque, ac doctrinæ, præcellentis, qui mox approbationem hujus ſibi collatæ dignitatis, & ab *Henrico* Imperatore annô 1196. & ſequenti annô à ſummo obtinuit Pontifice *Innocentio III.* nec minùs in tam devotam, & præſtanti exemplô omnibus acceptiſſimam congregationem exteri fuêre munifici. Atque ut iſthìc è multis vel aliquos adferam: *Waltherus* Rothomagenſis Epiſcopus annô 1196. nobilem, pinguémque Parochiam eidem contulit ſanctæ *Bora*, ſitam in Gallia ſuper fluvium Ælvam, datis in fulcimen ſuæ donationis literis, in quibus tenero planè affectu *Canonicos S. Auberti ſuos clariſſimos Amicos, & Fratres appellat.* Dotata pariter eſt, beneficiô de curatô *Wildebroc*, aliàs *Willebroeck* in Diœceſi Mechlinienſi ad confluentem Canalis Bruxellenſis versùs aquas majores aliorum fluminum concurrentium; altero item *Vremde*, Parochiâ Diœceſis Antverpienſis ſub Decanatu Lirano, quæ ambo ejusdem Canonicis annô 1180. contulit *Rogerus* Epiſcopus Cameracenſis. Aliô iterum *Herentoth*, aliàs *Herentanth S. Petri* Diœceſis Antverpienſis ſub Decanatu Herendalienſi, denique Diœceſis Cameracenſis, Crevecœur, Baraſtre, & Havelincourt: Quæ *Joannes Rogerii* Succeſſor eidem dediſſe *Innocentius* teſtatur. Ut nil his dicam de aliis diverſis donationibus per Laicos hinc inde collatis.

Canonici hi Eccleſiæ S. Auberti ùt ſcribit Miræus L. de Orig. Can. Reg. c. 37. & in Cod. Dipl. c. 36. veſte,

veſte, pileiſque utuntur violaceis, *Quod illis*, inquit: *inter Belgica noſtra Canonicos Regulares eſt proprium, ac peculiare.* Cæterùm inter alios pretioſos, quibûs hæc Abbatia abundat, ſacros theſauros præcellunt Reliquiæ *S. Vindiciani*, & præcipuè *S. Auberti*, cujus diem feſtivum magno populi concurſu, & deprædicanda ſolemnitate conſueverunt celebrare Canonici.

Quódque adhuc adjiciendum, illud eſt, Capellaniam ſcilicet Cameracenſem, non levem eſſe Abbati S. Auberti conceſſam dignitatem, nam præter præbendas, fructúsque inde huic Abbatiæ provenientes, usque nunc ipſius Archiepiſcopi Capellanus Honorarius exiſtit, ut primum ab ipſo locum præ omnibus Canonicis, quorum numerus ſe ad 50. extendit, in Choro obtineat. Vide Suplem. Cod. Mir. f. 1355.

Sita eſt hæc Abbatia in ipſa urbe Cameracenſi, cùm antiquitùs extrà eam ejusdem Eccleſia, ùt diximus, D. Petro ſacra fuiſſet conſtituta. Mir. de Orig. Can. Reg. c. 37. & Cod. Dipl. c. 36. Rayſſ. Hierogazoph. p. 81. Bol. vita S. Vindiciani die 11. Mart. Gall. Chriſt. T. 3. p. 154. Foppenſ. novæ Collect. p. 2. c. 93.

Averbodienſis S. Mariæ Abbatia.

Fundata annô 1135. ab *Arnulfo* quinto Comite Loſſenſi Canonicis ſecundùm regulam *S. Auguſtini*, & inſtitutionem Præmonſtratenſis Eccleſiæ (ùt *Innocentius* in ſua Bulla loquitur) viventibus extradita eſt, in qua hodiedum perdurant: fuitque antiquitùs Abbas hujus Cœnobii perpetuus Capellanus, Conſiliarius, ac Sigillifer Comitum Loſſenſium. Nec iſthic omittendum, quod *Stephanus* Metenſis Epiſcopus in ſuo privilegio annô 1136. perente id *Gerardo* ſanctæ Crucis Cardinale, de Caccianemicis dicto, *S. Frigdiani* Canonico Regulari, túncque Legato Apoſtolico in Germania, ac poſtmodùm annô 1144. ſummo Pontifice ſub nomine *Lucii ſecundi*, commemorat, *Eccleſiam* ſcilicet *prædictam primitùs ſub nomine S. Joannis Baptiſtæ fundatam Abbatiæ S. Trudonis ex parte fuiſſe ſubjectam, poſtmodùm ſolis latronum ſpurcitiis, rapinis, ac homicidiis vacantem per ſupra relatum Arnulfum Canonicis ſub reformatione recenti D. Norberti fuiſſe conceſſam; unde hi obligabantur ſingulis annis in Epiphania Domini aureum nummum, ſive pretium ejus Trudonienſibus perſolvere*, ùt idem Stephanus in dicta confirmatione enuntiat. Cur verò, aut qua cautione hoc, aliáque plura Præmonſtratenſium Cœnobia noſtris annumeremus, inferiùs explicabimus.

Sita eſt Abbatia hæc in Brabantiæ, & Leodienſis agri confinibus tribûs circiter milliaribûs diſtans ab Arſchoto versùs Orientem. Miræ. Cod. piarum Donat. c. 90. & 93. Sander. Chorog. Brab. Baron. ad an. 1144. n. 1. Annal. Præm. col. 209. ſeq.

S. Auguſtini Cantuarien.

Fund. 1163. Ord. Præm.

juxta Tervannam Abbatia fundata, aut, ùt quidam volunt, reſtaurata eſt à *Milone* ſecundo Epiſcopo Morinenſi annô 1163. aut juxta Hugonem Strivag. annô 1131. Canonicíſque Regularibus Præmonſtratenſibus collata, quam paulô poſt *Theodoricus* Alſatius Flandriæ Comes, pro delendo, ùt idem profitetur, peccato, quod in combuſtione dictæ Eccleſiæ filius ejus *Philippus* commiſit, nobilirer dotavit. Floret adhuc hoc tempore ſub præfato inſtituto, ac ſubeſt Epiſcopatui Audomarenſi.

Sita eſt in Arteſia duobûs milliaribûs ab Aria versùs Occidentem eidem proxima loco, ubi olim *Tervanna* à *Carolo V.* exciſa ſteterat. Mir. L. 1. donat. Belg. c. 68. Gall. Chriſt. T. 3. pag. 539. Hugo Strivag. in Annal. Præmonſt. col. 223.

Auin-

Fund. ... Exſtitit. **Auingenſe S. Mariæ montis, Prioratus olim Windeſemenſis.** Quem *Buſchius* meminit inter triginta poſteriora monaſteria, quæ huic pariter celeberrimæ Congregationi vix cum exortæ acceſſerant. Cætera de hoc, utpote cum aliis compluribus Lutheranorum impietate vaſtato nobis incomperta ſunt.

Exſtitit in Friſia Occidentali Diœceſis Trajectenſis. Buſch. Chron. L. 1. c. 45.

Aureæ Vallis Abbatia. Originem hæc ſuam à Monachis duxit Benedictinis annô 1070. ex Calabria, diffidia ſibi convivventium devitantibus, & in Lotharingiæ Comitatum Chiniacenſem profugis, domicilium nacti ibidem, & monaſterii fundamenta jecerunt, *Arnulpho* Chiniæ Comite opem ferente. Porrò dictis Monachis jam annô 1108. cæptam operam dimittentibûs, ac in Calabriam revocatis, monaſterium nullis penè opibûs, fundíſque inſtructum aliquamdiu incolîs deſtitutum quievit, cùm demum, quod Godefridi Ducis Lotharingiæ relicta conjux Mathildes ſumptibûs ſuis extruere cœperat, Otho Arnulphi Succeſſor iterum deſolatum novis opibûs auxit, & conſiliô cum *Brunone* Archiepiſcopo Trevirenſi communicatô, reſtitutum *B. Petro* Trevirenſis Eccleſiæ Patrono tradidit, Canonicis Regularibûs illinc conſtitutis, verùm vix quatuor luſtris, annisque non omninò duobûs elapsis hoc ipſum Cœnobium Monachis Ciſtercienſibus ceſſit, annô nimirum 1131.

Brower. Annal. Trevir. T. 1. L. 12. n. 15. & Tom. 2. L. 13. n. 24. & n. 107.

Fund. 1216 Floret. **Bankenſe ſeu Ter-Bank. Virginum Canonicarum Prioratus.** Fundavit hanc domum *Henricus* primus Brabantiæ Dux annô 1216. de conſilio, & adſtipulatione Gowini Domini de Heverla, nec non & Burgenſium Lovanienſium, ad opus Leproſorum ſecùs Lovanium, eámque ſic conſtrui fecit, ut *Fratres & Sorores ibidem Deo in membris* (id eſt in ipſis Leproſis) *humiliter, & devotè famularentur, quos non ſolùm in ſuam, Succeſſorúmque protectionem unà cum omnibus poſſeſſionibus, ac omnibus pertinentiis ſuis clementer ſuſcepit, verùm etiam* paulò poſt an. ſcilicet 1217. *duodecim bonariis ſylvæ de Wenenſeſele liberaliſſimè dotavit.* An verò jam à prima fundatione ſorores iſtæ regulam *S. Auguſtini* profeſſæ ſint ſub Canonico, ùt nunc ſunt, inſtituto, non eſt facilè divinare, cùm nullam ad hoc dubium reſolvendum, epocham reperiamus. Cæterùm eam ſibi hoc Cœnobium prærogativam vendicat, ut novus Lovanienſis Ecnarcha ad Altare S. Georgii juramentum ſuum conſuetum deponat, & peractis ibidem precibûs, quoddam honorarium Virginibus iisdem afferat. Harum verò ex fundatione munus eſt, Leproſorum curam gerere, morbum eorum dignoſcere, & (ſi tales ſint) alere, atque medicamentis juvare, & quidem ſolùm Lavanienſes, atque Heverlenſes incolas. Hoc Cœnobium noſtra adhuc ætate floret. Cujus Parthenonis Cornelius Geſtel in ſua Hiſt. Mechlin. non meminit.

Exiſtit propè Lovanium, non niſi jactum lapidis à porta urbis diſtans, Mir. Suppl. don. p. 2. c. 32. & 33. Zeiller Topogra. Burg. in deſcript. Lov. f. 65.

Bapalma Prioratus. Fund. ... Refert hujus Monaſterii nomen Miræus L. de Orig. Can. Reg. c. 9. atque in Arteſia ſitum, cujus locum augurando poſuimus, eò quòd alioquin omnia ad ulteriorem notitiam deſiderentur. Dicitur olim Prioratus Aroaſienſis exſtitiſſe, unde hinc nobis majorem lucem obventu-

venturam, & adhuc in urbe hujus nominis florere ſperamus.

Fund. ... Extinct. Baralenſe ſeu Barala S. Georgii M. De hoc Cœnobio Baldricus in ſuo Chron: L. 2. c. 11. ſcribit ſequentia: *In vico* inquit, *qui Barala ab incolis nomen accepit, monaſterium Canonicæ Congregationis exiſtit à Clodovæo quidem Rege, ùt ferunt, conditum, & à B. Vedaſto in H. S. Georgii conſecratum, illic enim Brachium ejuſdem Martyris habebatur.* Hæc igitur fundatio hujus Cœnobii ad ſæculum ſextum referendum erit, *S. Vedaſto* (ùt ſuprà diximus) vitam annô 540. claudente. Eſt locus hic juxta Marquion medio ferè inter Atrebatum, & Cameracum itinere. Plura de hoc, ut ſcribamus, omninò deficiunt.

Fund. 1388. Floret. Barbaræ ſeu Vallis S. Barbaræ Prioratus Virginum Congregationis Windeſemenſis. Ejus origini occaſionem dedit *Henricus de Horn* Prior Parthenonis Lenſenſis Thenas unà cum decem Virginibus Sacris ſibi commiſſis ſe transferentis annô 1388. quod indubiè crediderim poſtulantibûs Thenenſibûs factum fuiſſe. Cùm verò dictus *Henricus* annô 1393. à ſuo Prioratu abſolveretur, quæ hactenùs Subprioriſſam egerat, Prioriſſæ munus auctoritate Epiſcopali ſuſcepit: verùm iſtâ unà cum 6. Sororibus priſtinum Lenſenſe Cœnobium repetente, Prior Corſendoncanus earum curam ſuſcepit, *Walterus à Ghierlis* dictus, eodem quóque curante annô 1410. Capitulo Viridis Vallis, deníque 1412. Windeſemenſi incorporatæ ſunt Congregationi, & præſtitutus eſt eis *Henricus de Wilde Windeſemenſis Canonicus, qui illas in omni diſciplina, & temporalium bonorum competentia cum omni pudicitia benè gubernavit,* ùt inquit Buſchius. Hunc Parthenonem adhuc florere Thenis nupera informatione edocti ſumus. Sita eſt Urbs Tirlemont ſeu Tillemontium aliàs etiam Oppidum Thenenſe dictum 3. milliaribûs à Lovanio, Orientem versùs. Mir. L. de Orig. Can. Reg. cap. 13. Zeiller, in Circ. Burgund. Topograph. Brabant. Deſcript. Geſtel. Hiſt. Archiep. Mechl. p. 1. p. 276. Chron. Wind. Lib. 2. c. 36. documenta communicat.

Barlaam ſeu Barlaimont. *Fund. 1627. Floret.* Virginum Canonicarum Prioratus, quem ſuis Sumptibûs à fundamento excitavit, & eximiè dotavit Excellentiſſima Domina *Margaretha de Lalaing* Comitiſſa de Berlaimont annô 1627. quô primæ religioſæ fer. 3. Pentec. veſte ſacra indutæ ſunt à *Jacobo Boonen* Archiepiſcopo Mechlin. Earum inſtitutum eſſe dicitur ad bonos mores, & pietatem inſtruere puellas adoleſcentulas. Confundendus non eſt hic Parthenon cum altero in eadem hac urbe florente ſub inſtituto Foreriano; nempe cui quóque Juventutis muliebris incumbit eruditio.

Exiſtit, ùt diximus in urbe Bruxella. Hiſtor. Mechlin. p. 2. p. 46.

Beaurepaire Prioratus. *Fund. ... Floret.* Cùm antea in hac Eccleſia exiſterent (quo Fundatore? incompertum) Moniales converſæ: *Jacobus* Atrebatenſis Epiſcopus *conſulturus,* ùt ipſe inquit in privilegio deſuper annô 1255. dato, *utilitati, & honeſtati ejuſdem Eccleſiæ, locò converſarum ibi degentium ſubrogavit Canonicos ſecundùm D. Auguſtini Regulam Domino ibidem in perpetuum ſervituturos.* Primùm quidem quinque Virginibus illinc quinque Canonici junguntur, *decedentibus verò Virginibus præfatis, duarum locò ſuccedere mandatur unus Canonicus, donec numerus octonarius per Canonicos, quorum unus Prioris officium gerere* ſtatuitur, *impleatur.* Subjectum autem eſt hoc monaſterium ex tunc Abbatiæ Ciſonienſi (de quo nos paulò infrà agemus) jubetur *Prior providentiam, & ſollicitudinem præfatæ Eccleſiæ, & Canonicorum ipſorum ſub Ab-*

batis Ciſonienſis obedientia procurare: ùt *Jacobus* Epiſcopus loquitur. Cauſam præcipuam extinctarum hôc modô Sanctimonialium nobis ſuggerit Epiſtola *Innocentii* Papæ III. dicentis: *Abbatem, & Conventum de Ciſonio intimâſſe, domum eorum, quæ dicitur Bellepeire præter Canonicos, & Fratres tanta eſſe oneratam multitudine fœminarum, quas recipere ad inſtantias, & importunitates Principum compellebantur, ut ad neceſſariam ſuſtentationem earum nequaquam domûs ejusdem ſufficiant facultates. Propter quod indulgere ſibi ſuppliciter petiêrunt, quòd de cætero non recipiant ibi aliquam mulierem, ne, quod abſit, ſuadente humani generis inimico per ipſas detur occaſio delinquendi &c.* Hæc Epiſtola ſcripta ab *Innocentio* fuit *Rudolpho* Atrebatenſi Epiſcopo, ejúsque Capitulo: qui mox præceptum ſummi Pontificis exequentes, ſtatuerunt: *Ne poſthac ampliùs prænominati Abbas, & Conventus Ciſonienſis aliquam converſam in ſua domo de Bellerepairio recipiant, donec numerus converſarum, tunc ibi exiſtentium, ad numerum duodecimum ſit redactus, quibùs redactis ad duodecim locò illarum decedentium ſubſtituerentur quinquagenariæ.* Præthereà ſtatutum eſt: *ut locò decedentium converſarum, numerus Canonicorum, qui ſerviant ibi, rationabiliter augeatur.* Hæc pro Abbate, ac Conventu Ciſonienſi decreta ſunt annô 1208. iſta verò diſpoſitione necdum locum Bellerepairienſem ſecundùm debitam obſervantiæ regularis honeſtatem (uti Abbas, Conventúsque Ciſonienſis optaverant) informante: demum, ùt ſuperiùs narravimus, Sanctimoniales ex Decreto *Alexandri* an. 1255. exſtinctæ ſunt penitùs, locúsque Ciſonienſi Abbatiæ ex integro aſſertus, & Prioratûs titulô honeſtatus, ab ea usque hodie condignâ ſollicitudine providetur.

Exiſtit in Gallo-Flandria 3. milliaribùs Germ. infra Duacum. Mir. Cod. Dipl. Suppl. p. 3. cap. 138. Spic. Dache. T. 2. ex Hiſt. Ciſon.

Beghinarum Gorcomii Virginum Canonicarum Prioratus.

Fund. Extinctum. Neſcio, an Congreg. Windeſemenſis? cujus notitiam ex ſolo Authore Hiſtoriæ Gorcomienſium Martyrum nobis haurire licuit, de quo idem aſſerit, fuiſſe hoc Cœnobium adeò in bonis temporalibus ſæculô 16.tô expilatum, ut pauperiem non tam liberis votis conſtitutam, quàm neceſſitate urgente, eidem ad extremam penè defectionem dominari contingeret. His Virginibus per Priorem Ruggenſem in Præfectum, ſeu Rectorem Monaſterii datus eſt quidam ſuorum Religioſorum, *Joannes* dictus *Oiſtervicenſis*, integerrimæ vitæ homo, & egregium planè in virtute exemplar: qui etiam per manus Hæreticorum, multis ſibi votis optatam, Martyrii palmam obtinuit. Hic Parthenon erat jam à præcedentibus temporibus Virginum Beghinarum domicilium, at inde ſuſcepta *S. Auguſtini* Canonica Profeſſione, & regula in Religioſum Gynæceum mutatum nomen tamen Beghinarum conſtanter retinuit. *Joannes* verò noſter inopiam Virginum ſtuduit copiâ ſpiritualium divitiarum ſupplere; hinc & factum, ut earum egeſtas copioſiſſimam meſſem ſuppeditaret exercendarum præſtantium virtutum: nam cùm antea ob rerum abundantiam ſenſim in cenſoriam diſciplinæ laxitatem dilaberentur, bonis temporalibùs quamvis ampliſſimis, ſubinde ad ultimum penè diſperſis, rediêrunt depauperatæ (plurimùm cohortante *Joanne*) in ſe ipſas, &, à qua defecerant, rurſum Religionis obſervantiam auſpicabantur vitæ ſobrietate, charitatis ſtudiô, precum frequentatione, atque ſolerti manuum opere; hinc denuò fiebant Deo, hominibúsque per talem ſpontaneam reformationem amabiles, atque dilectæ:

lectæ: retinuerunt quóque hunc pietatis incæptum tramitem, quàmdiu *Joannes* Illector earum extiterat, imò dicamus potiùs, quamdiu in illas deſævire non cæpit hæreticæ crudelitas, quæ mortem hujus ſanctiſſimi Martyris paulò poſt fuit ſecuta, dum urbe Gorcomienſi à ſectariis captâ pariter innocens hæc turba adeò diſperſa eſt, ut meritò dicere poſſimus percuſſo earum Paſtore, & gregem periiſſe: unde ab eo tempore nihil ampliùs referendum occurrit. Fuit in hoc Cœnobio pia illa vetula Virgo profeſſa *Urſula* nomine, quæ dum averti cupiebat à ſæpedicto Confeſſario ſuo *Joanne* mortem, attamen ſimul genus mortis dilertè vaticinabatur: ubi enim *Joannem* audierat Martyrium pro Chriſto ſubire optantem repoſuit ipſa, abſit hoc à te Pater, abſit à te, ut vel ſuſpendio intereas, haud dubiè divinô quaſi oraculô ad iſtud enuntiandum directa. Hæc de Cœnobio iſto, ejúsque incolis paucula quidem ſcire nobis admiſſum eſt, invidiâ hæreticorum omnia, quæ etiam ſupereſſe poſſent his in locis, aut devaſtante, aut certè ſupprimente.

Exſtitit in ipſa Gorcomienſi urbe Hiſt. Mart. Gorcom. L. 3. c. 7.

Fundat Eorct. Belli loci. Vulgò, Beau-lieu-Lez-Sin. ſeu B. Mariæ de bello loco olim S. Nicolai de Ditiaco nuncupata Virginum Canonicarum Abbatia. Honorius hujus nominis tertius Summus Pontifex, cùm ad ſe per litteras confugientes, aſylúmque implorantes quaſdam devotas Matronas in Eccleſia *S. Nicolai* de Ditiaco Atrebatenſis Diœceſis (in qua hactenùs pauperibus magnô charitatis emolumentô ſerviérant) percepiſſet (ut arctiùs divinis obligarentur obſequiis) ſtatuiſſe habitum regularem, ac inſtitutiones earum Canonicarum Virginum aſſumere, quæ laudabiliſſima converſatione jam dudum ſub Congregationis Canonicorum Regularium S. Aug. Victorinæ directione perſtiterant, magno benevolentiæ affectu eaſdem idem Summus Eccleſiæ Paſtor proſecutus, literas expedivit ad *Pontium* (quem hoc tempore ſedem Atrebatenſem rexiſſe Bucelinus in Germania ſacra refert) earundem deſiderium enixè commendans, rogat, monétque, ne huic pio propoſito ultrò reſiſtat: Nam ſupplicavêre Virgines iſtæ jam antea præfato Diœceſano ſuo, at id obtinuêre reſponſi: *Non conſenſurum in preces earum Epiſcopum, niſi promiſſione primitùs ſibi factâ, quòd abſque ſuo conſenſu, & licentia ſpeciali, nullam ſibi in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam eligerent, nec ſororem, nec converſam reciperent, niſi ſuo conſenſu petito primitùs, & obtento:* Cùm verò talem obligationem libertati regulari obſiſtere, augmentúmque ipſius loci ſpiritualiter, & temporaliter plurimùm impediri, demonſtrarent Honorio Papæ Virgines, remittendámque hanc neceſſitatem deprecarentur humiliter, id demum Sanctiſſimum apud prædictum Epiſcopum effeciſſe innuit paulò poſt ſubſecuta *Honorii* ſuper inductum inſtitutum Victorinum confirmatio, Prioriſſæ, ac Sororibus Hoſpitalis *S. Nicolai* de Ditiaco tranſmiſſa, in qua ſic loquitur Pontifex: *Ex parte ſiquidem veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cùm olim Venerabilis Frater noſter P.* (id eſt Pontius) *Atrebatenſis Epiſcopus loci Diœceſanus, ad ſupplicationem veſtram provida deliberatione ſtatuerit, ut Hoſpitalis veſtri Sorores, nullum Ordinem tunc profeſſæ, ſecundùm D. Auguſtini Regulam, & Inſtitutionem, ac obſervantiam Eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis in eodem loco Domino deſervirent, ſtatutum hujusmodi Apoſtolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur &c. Datum Laterani* 11. *Id. Maji. Pontificatûs noſtri annô octavô.* Hoc eſt annô Domini 1225. Motæ ſunt exinde Controverſiæ inter eaſdem Sorores,

rores, & Confratres Hoſpitalis ſæpè dicti in cauſa proventuum, tandem res per Capitulum Duacenſe annô eôdem ſic terminata eſt: *Ut dicti Confratres pro bono pacis ceſſerint ipſis Sanctimonialibus quinque modios terræ arabilis* (de hac menſura ſic Cangius: *Modius*, inquit: *Menſura agraria, verbi gratiâ ager, ſeu terra tot modiorum eſſe dicitur, quot ejusdem menſuræ ſementis capax eſt. Vetus agrimenſor. Jugerum unum, pedes 240. & in latitudine pedes 120. faciunt terram modiorum trium*) *& duas marcas pagamenti Duacenſis, & unum modium Bladii annuatim Duaci percipiendas, & manſionem ſuam in domo de Deci à Paſcha proximo præterito úsque ad tres annos: exceptô hoc tempore tenentur vivere de ſuo proprio, & elapsô terminô memoratô, fide præſtita à domo de Deci tenentur exire.* Unde hodiedum hæ Virgines intra urbem Duacum commorantur. In Catalogo Abbatiſſarum dicitur hæc emigratio Virginum in urbem Duacenſem facta annô 1622. 27. Aug. ſub Abbatiſſa *Adriana Moulart*, fortaſſe primitùs elapsô terminô illô à Fratribus Hiſpitalaribus conſtitutô in aliam domum ejusdem Pagi Synenſis receſſerint, ſub mox dicta Abbatiſſa demum in urbem Duacenſem receptæ. Ubi adhuc ſubſiſtunt.

.Foppenſ. nov. Collect. P. 2. c. 102. Buc. in Gallo-Flandria T. 2. p. 1. Gall. Chriſt. T. 3. p. 450.

Fund. 1182. Floret.

Bellinghen S. Mariæ olim Prioratus, nunc Abbatia.

Cùm *Rogerus* piiſſimus Epiſcopus ſedem Cameracenſem obtineret, regerétque ſapienter, duo Presbyteri Eccleſiæ *S. Mariæ de Bellinghen* paſcendo ſpiritualiter populo præpoſiti, *Martinus* ſcilicet, & *Leardicius* divini amoris ardore ſuccenſi propoſuerant ſibi habitum Religionis ſuſcipere, & vitam in eadem Eccleſia tenere communem. Quod ut ſecurè ad effectum deducerent, hunc venerabilem Epiſcopum adiêrunt, ſui propoſiti deſiderium debita ſupplicatione pandentes. Nec defuit tam ſanctis votis Epiſcopus, quin, cùm hi duo Sacerdotes minùs ſe (aliorum ſpiritualium virorum deſtitutos auxiliô) proficere poſſe in ſua intentione adverterent, id quóque paulò poſt à *Rogero* impetrârunt, ut hæc Bellingemienſis Eccleſia celeberrimæ Cantipratanæ Canonicorum Regularium Abbatiæ ſubjiceretur. Conditionem, ac normam idem *Rogerus* Epiſcopus in privilegio ſuo annô 1182. datô declarat, ſcilicet: *Quòd eandem Eccleſiam S. Mariæ de Bellinghen prædictis Presbyteris liberam concederet, & ab omni Sonegia, & Parochiali exactione immunem, poſtmodùm pariter eorundem aſſenſu, & ſpontanea devotione eandem Eccleſiam, Eccleſiæ S. Mariæ* (Cantipratum intellige) *in qua Joannes Presbyter Prælatus erat, ſubjiceret, & quaſi filiam Matri obnoxiam filiali ſubjectione aſſignaret, eo tenore, quòd ſi prædicta Eccleſia de Bellinghen per ſucceſſum temporis Deo propitiante, eatenùs creſceret, quòd nomen, & inſtitutionem Abbatiæ meritò poſſet obtinere, in Abbatiam quóque promoveretur.* Factô autem hoc à *Rogero* conſenſu mox uterque Presbiter *Martinus*, & *Leardicius Joanni* Abbati, ùti idem *Rogerus* in hoc privilegio inquit, *Obedientiam fecerunt, & Canonicam ſubjectionem ſe hactenùs exhibituros; & regularis diſciplinæ jugum, ad ipſius ordinationem ſe obſervaturos* confirmârunt. Neque fefellit horum piorum Sacerdotum, ipſiúsque Epiſcopi ſpem, & votum eventus: nam, cùm Abbatia Cantipratana olim ad muros urbis Cameracenſis ſita (de qua nos plura inferiùs) ſed iam in fundo Arteſiæ, ſævientibûs bellis Gallicis, in cineres fuiſſet redacta circa annum 1587. aut juxta Sammart. 1580. ad Prioratum de Bellinghen inter Hallas, & Anghiam conſiſtentem, translata fuit cum jure Abbatiali, in quo loco adhuc egregiè floret, ſpargítque

que non exiguum odorem ſapientiæ, & virtutis, quibûs Religioſi inibi habitantes excellunt. Ceterùm non omittendus præcipuus hujus Eccleſiæ Bellinghemienſis Benefactor *Engelbertus* Anghiæ Dominus, de quo hæc breviter ex Necrologio ejusdem Eccleſiæ retuliſſe ſufficiet: *Octavô Kalend. Martii obiit vir nobilis Engelbertus Dominus de Anghien: de cujus beneficio habemus ad valorem* 36. *bonariorum terræ* (idem, ac certa menſura terræ, ùt ſunt jugera, vide Cang. verbô *Bonarium*) *& centum modios Siliginis, & avenæ annuatim in perpetuum recipiendos, ad extremum verò in Eccleſia noſtra de Bellinghen ſuam elegit ſepulturam &c.* Hic *Engelbertus* à Miræo dicitur annô 1224. *Bellingham* fundâſſe. Nos de eo plura in deſcriptione Abbatiæ Cantipratanæ.

Sita eſt hæc Abbatia in Hannonia à montibus 5. milliaribûs Germ. diſtans Mir. Noc. Belg. c. 111. & 156. & 174. &c. Gall. Chriſt. T. 3. p. 162.

Fundat. 1123. Floret. **Bellum Fagetum vulgò Beaufaiie, ſeu Bellimontis Prioratus.** Cui *Robertus* cum aliquot devotis Sodalibus exordium dedit: Hi enim *Henricum* Bleſenſem, Epiſcopum Virdunenſem adeuntes, cùm rogarent concedendum ſibi manſum unum prædii ad Jupiliam pertinentis in loco, qui *Bellus fons* dicitur, Diœceſis Leodienſis, aſſenſum ab eo benevolum non ſolùm, ſed & deſuper annô 1123. privilegium obtinuêre, in quo vitam inſtituti Canonici ſecundùm Regulam *D. Auguſtini* ſunt amplexi, non minùs exin à *Roberto* Virdunenſi itidem Epiſcopo annô 1215. hæc donatio ejusdem loci Canonicis eſt confirmata.

Situs hic Prioratus erat in Sylva Ardenna duobûs milliaribûs ſupra Bovillon Occidentem versùs, at nunc proximus eſt urbi Leodienſi. Mir. Suppl. Dipl. part. 1. c. 18. (le Blau. mappa Diœc. Leod.)

Benedicti montis Abbatia. Fund. circa an. 1100. Floret. De hoc percelebri monaſterio ſufficiat intereà ea protuliſſe, quæ in ſua tripartita hiſtoria Pennotus noſter commemorat, donec potiora Canonicorum ibidem degentium opitulante ſolertiâ, ac favore in ipſo opere proderit recenſere. Hæc igitur Abbatialis Eccleſia inter montes altos, & aſperos circa annum 1100. erecta, ſeu potiùs inſtaurata eſt per illuſtres Viros *Landricum*, *Amandricum*, *Hugonem*, & *Hendricum* Dominos de *Joulx*, & *Arſges*, qui totam terram Vallis de Salvegio continentem duas circiter Leucas Gallicas in longitudine; & totidem in latitudine cum decimis, variis juribus, præſtationibus, & jurisdictione temporali obtulerunt. Habet annexam amplam Parochiam quatuor millium, & ampliùs perſonarum, quæ per Canonicos dictæ Eccleſiæ regi conſuevit: Pendent etiam ab illa tres Prioratus, ſcilicet *de Valle*, *de Ullerbio*, & *de Grandecurtis*.

Primus Abbas nomine *Arduinus* ab *Innocentio II.* annô 1141. exemptionem obtinuit. *Benedictus* verò duodecimus dictæ Eccleſiæ Abbatibus uſum Pontificialium conceſſit. Sunt in ea plures Sanctorum Reliquiæ.] Eſt etiam arca lapidea vetuſtiſſima quatuor columnis fulta, in qua cujusdam ſancti viri, *Benedicti* nomine, corpus dicitur reconditum, quem ferunt ibi loci vitam ſolitariam agentem, eidem monti, *Benedicti* nomen dediſſe: ſub ea infantes infirmi poſiti meliùs habere conſueverunt.

Hæc Abbatia per centum ferè annos Abbates habuit fiduciarios, ſub quibus in ſpiritualibus, & temporalibus plurimùm fuerat deteriorata: divinô tandem conſiliô, & pietate Sereniſſimi Archiducis *Alberti* magnô ſuô emulumentô ſpirituali, & temporali Abbatem ex Ordine Canonicorum Regularium profeſſum ſortita eſt Reverendiſſi-

mum Dominum *Renobertum Cheureton* SS. Theol. Doctorem eruditiſſimum, & regularis Diſciplinæ Reſtauratorem zeloſiſſimum, quem hujus Abbatiæ Reſtauratorem meritò vocare poſſumus: nam ædificia ferè omnia tam in dicta Abbatia, quàm in domibus ex ea dependentibus de novo exſtruxit, jura vindicavit, redditus auxit, officium novum Romanum multis libris, magno ære comparatis introduxit, diſciplinam regularem reſtituit, & Parochiam ei annexam, & vicinis Helvetis Hæreticis contiguam, per abſentiam paſtorum à bonis moribus, & vero cultu non nihil aberrantem, in religione, & fide Catholica firmavit. Hæc ferè Pennotus de ſtatu ſui temporis ante annos plùs centum, qui etiam hujus Abbatis votis faventem Deum obnixè precatur. Nos verò, quamvis non minùs optaremus, ea, quæ Pennotus voverat, effectu ſecuto, completa; at dubium ſe ingerit, quod in actis SS. legimus, *Claudio* nempe *d'Achey* Archiepiſcopo Veſuntino an. 1637. in proventuum augmentum hanc Abbatiam fuiſſe conceſſam.

Exiſtit ad fluvium Dubim aliàs de Doux Penn. l. 2. c. 33. n. 9. Acta SS. 6. Jun. in Catal. Epiſcop. Veſunt. n. 207.

Ord. S. Bened. *Fund.* - - S. Benigni Abbatia. Refert hanc Abbatiam inter noſtras, dicitque eſſe Canonicorum Regularium Miræus, at qua lege? non reperio: nam, cùm eam ipſam intelligat, cui tempore *Lamberti* Epiſcopi Lingonenſis *Halinardus*, poſteà Archiepiſcopus Chryſopolitanus, Abbas præfuit, annô ſcilicet 1033. & cui tunc *Gerardus Vir Princeps Vulſerei curtem* donavit; hæcque tam eo tempore, quàm ſæculô adhuc decimô ſextô, ùt ex Chronico S. Benigni Divionenſi editô in Spicil. Dach. novæ edit. L. 2. f. 399. liquet, continuata ſerie fuerit ſub Ordine S. Benedicti; præterea, cùm idem Miræus L. primo donat. Belg. cap. 20. in notis dicat: *S. Benigni Divionenſe Cœnobium, in Ducatu Burgundiæ, ac Diœceſi Lingonenſi, eſt Canonicorum Regularium: quibus adſcriptus Henricus, Henrici primi Brabantiæ Ducis filius primogenitus, annô 1269. ſolemnia vota emiſit.* ùt infrà ſuô locô videbimus: iſto verò in loco, hoc eſt cap. 127. exhibeatur charta teſtimonii emiſſæ profeſſionis ab *Henrico* præfato, at non in Eccleſia *S. Benigni*, ſed *S. Stephani*, de qua idem Miræus in notis *S. Stephani*, inquit: *Abbatia quondam Canonicorum Regularium Divione, quæ annô 1613. ſæculariſata, & in Capitulum Canonicorum redacta fuit.* Et de qua nos inferiùs ſpecialiter agemus. His ſingulis combinatis vix non manifeſtè elucet, planè hallucinatum fuiſſe Miræum, neque hâc curâ emendandum, ſi priore loco pro *S. Benigni* ſubſtituas *S. Stephani* legendum: nam memorando ſcripſiſſe videtur Miræus, cùm ibi c. 20. & dein c. 127. ubique *S. Benigni* Abbatiam ſuis in notis induxerit, & ſaltem id corrigere potuiſſet in editionibus Foppenſius. Neque dicas, Miræum enuntiare, actu, id eſt ſuo tempore, eſſe Canonicorum Regularium: *Eſt*, inquit, *Canonicorum Regularium.* Sicut enim jam à Sæculo undecimo non fuit, ita neque tunc erat, dum Miræus ſcripſerat hunc librum, vulgaverátque annô 1624. in 4.to; nam non diu poſt edidit Tomum primum ſui Spicilegii Lucas Dacherius, & in eo mox citatum Chronicon, cujus præfatione, ſeu monitô ipſe S. Benignianum Cœnobium inter Benedictina, & quidem eâ fiduciâ refert, ut ſatis appareat, antea haud alterius Ordinis fuiſſe, ſolùm præ cæteris plus eidem defert, quòd Congregationis S. Mauri induerit diſciplinam. Hæc annotare de cœnobio iſto libuit, ne videamur inculta Pallade in aliorum caſtra irruiſſe. Quamvis verò pro his temporibus iſtam nobis Eccleſiam

cleſiam neutiquam vindicemus, ſunt tamen præcedentia, quæ eam Canonicorum fuiſſe comprobant: nam annô 816. certum eſt, Monachos *S. Benigni* in Canonicorum mores ſic deſciviſſe, ut tantùm non votivam vitam dimitterent, nomine S. Bened. ac regula ſub *Erlegando* Abbate plenè oblitteratis. Nec me movet Mabillonii cautio, quâ ait: *Imminutâ ſub hoc Abbate diſciplinâ, ſuppuduiſſe eos Monachi nomen, & fortè inſtitutum.* Admiſerim enim hanc Mabillonii animadverſionem de Clericis ſæcularibus, nunquam de votivis; quos cùm ille hoc tempore agnoſcere nolit, quamvis aliter tum ex regulæ Chrodegangi cap. 31. tum Aquisgr. tum Concil. Rom. edoctus, haud dubiè Monachos aſſerere debuit, ne omninò à votis liberos, ac ſæculares cogeretur adſtruere: at nobis aliis adhuc ſuppetentibûs hanc in rem teſtimoniis nunc monuiſſe, & advertiſſe ſufficiet contra eundem Mabillon. in Annal. ſuis (non obſtante præfata cautione, diſertè in ſæcularium Clericorum mores hoc Cœnobium, ſed ad paucos annos dilapſum fuiſſe, affirmantem) à ſæculi noni initio usque ad annum circiter 867. ibidem Canonicos regulariter viventes, ab *Iſaaco* Epiſcopo Lingonenſi, & *Bertilo* Abbate ad monaſticam iterum S. Bened. normam fuiſſe reductos.

Sita eſt hæc Abbatia in ipſa Urbe Divionenſi Comitatûs Burgundiæ Mir. Cod. don. Belg. L. 1. cap. 20. & 127. Chron. S. Benigni Divionenſe apud Dacher ſpicil. T. 2. f. 357. & ſeq. Gall. Chriſt. T. 4. col. 671. & 672.

Fund. 1466. Exſinctum.

Bethania: Virginum Canonicarum Prioratus. Annô 1466. die 31. Januarii conſtructus dicitur ad D. *Magdalenæ* honorem, fundationem *Ludovico* Borbonio Epiſcopo Leodienſi confirmante, in quo cùm primùm quatuor Virgines religioſæ vitæ exordium ſub Regula *S. Franciſci* ponerent, poſtmodùm, ùt pluribus in Cœnobiis Belgicis factum reperimus, eandem cum inſtituto in vitam Auguſtiniano-Canonicam permutârunt, piè, ac regulariter tamdiu Sponſo ſuo cœleſti ſervientes, usque dum omnem publicam Catholicæ Religionis obſervantiam laſcivia Sectariorum etiam in hoc loco exſtinxit.

Conſiſtebat in Urbe Sylvaducenſi. Gramayus in Taxandria c. 9.

Betlehem Prioratus: Hujus Cœnobii memoriam Author magni Chronici Belgici reliquit, dum præter non nulla alia, iſtud quóque enumerans ait: *An.* 1416. *noviter reformato Nuſſienſi monaſterio ſe ſubdidiſſe.* Addit præterea, cùm annô 1433. Capitulo Windeſemenſi tam Nuſſienſe, quàm reliqua huic ſubjecta unirentur, ſolùm, de quo loquimur, Betlehemiticum ab hac unione abſtinuiſſe. Demum illud Hæreticorum malitiæ, ac impietati in victimam ceſſit.

Chron. Belgic. cit. Edit. Piſtor. Tom. 3. pag. 381.

Betlehem Prioratus Windeſemenſis. Quamvis hujus origo non exſtet, inter prima tamen, quæ ſe reformationi Windeſemenſi ſubdiderunt, memoratur, floruítque præcipuè viris ſanctitate vitæ præclaris, qui multis tribulationibûs ſæpiùs jactati fidem ſuam Deo, & Eccleſiæ Romanæ ſatis comprobârunt: Dum (exorto per obitum annô 1423. *Friderici* de Blankenheim Epiſcopi Trajectenſis diro in hac Diœceſi ſchiſmate cauſâ electionis novi Præſulis, Canonicis Electoribûs, adhærente populô, *Rodolphum* quendam de Diephold eligentibûs, Papâ autem eum tanquam idiotam, ac illiteratum reijciente: *Maluerunt illi cum reliquis Canonicis ſuis pro juſtitia, ac Romanæ Sedis obedientia agonizare, & exulare, quàm contra ejusdem decreta terram illam interdicto ſubjicientis, in* *ſcan-* *Exſtinctum. Fund. ...*

ſcandalum omnium devotorum Presbyterorum, & Clericorum diverſarum Congregationum, & quorundam ſæcularium Canonicorum, & Vicariorum, qui jam à terra, propriis domibus, & civitatibus ſuis derelictis ex magna parte diſceſſerant, ſæcularibus quibusdam Presbyteris, & Canonicis ipſum interdictum violantibus conſentire. ùt inquit Chroniſta Windeſ. annô 1429. Emigrans Prior cum ſuo Conventu diſceſſit in partes Geldriæ per duos annos hâc mæſtiſſimâ fugâ à domo ſuæ Profeſſionis alienus, in ſumma patientia gratiores divini Numinis favores exſpectando. Nec defuêre hac tempeſtate diſcuſſâ, novæ ſupervenientes adverſitates, dirâ peſtilentiâ frequentatis vicibûs adeò Betlehemiticos Canonicos noſtros vexante, ut decem ſimul annô 1458. in ſinu ipſius monaſterii morerentur demptis Laicis, quibus, dum ex obedientia, & charitate fraterna à Priore S. Agnetis in ſubſidium mittitur Vir Religioſiſſimus *Gerardus Weſep*, & ipſe paulò poſt morbô eôdem contractô occubuit, vera victima charitatis. Neque tamen prætereundum hic judicamus, iſtud ipſum Cœnobium quamvis furiis hæreticis ſubverſum adhuc quodammodò vivere in electiſſima, & florentiſſima Canonia *Bodecenſi*: utpote, quæ ſuum initium gratiſſimô animô Canonicis hujus Betlehemitici Aſceterii adſcribit. Sed quia conſultiùs iſta in ſuum locum differenda ſunt, hinc filum abrumpimus, dum hæc pauca de iſto Monaſterio enarranda ſupererant, reliquis omnibûs unà cum ipſo ſub ruina deliteſcentibus.

Situm fuit, ùt diximus, in ipſa urbe Zwollenſi quod Thomas Kemp. jam Betlehem jam Betleheem nuncupat. Chron. Windeſem. L. 1. c. 34. & 40. Chron. S. Agnet. c. 22. & 27. Chron. Bodec c. 1.

Fundat. an 1407. Floret.

Betlehem S. Mariæ Prioratus Windeſemenſis. Fundatus annô 1407. Capitulo autem Windeſemenſi adunatus an. 1412. Primus iſthic Prior ex Corſendonkano Monaſterio aſſumptus, dictus eſt *Jacobus de Vireſſe.* Reſidet in Vico de Oiſterhem, in quo etiam paucorum Parochianorum ibidem curam Canonici habent. Egit hoc quóque in Monaſterio Priorem *Petrus Irupens* ſæculi 16. initiô Scriptor, & Auctor Chronici Betlehemitici, quod, quia in hoc loco M. SS. aſſervari novimus, illud aliquandò, ut anecdotis noſtris inſeramus, obtinendum confidimus.

Exiſtit in Vico Oiſterhem. diſtans Lovaniô, unô milliari Germanicô ad dextram, Geſtel Hiſt. Mechlin Buſch. c. 44.

Fund. 1244 Floret.

Betlehem Prioratus Virginum ſacrarum Canonici Ordinis ſub Regula S. Auguſtini juxta montes Hannoniæ; quem *Walterus Hardus* primùm iisdem annô 1244. conſtruxit, Canonicus Eccleſiæ primariæ Montenſis, adjuvante piâ Matre ſuâ *Eliſabethâ.* Qui Prioratus adhuc debita in ſanctitate Virginali floreſcit.

Situs eſt propè ipſam Urbem Montenſem in Hannonia Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 76.

Fund ſæculo 15to. Extinctum.

Bevervvyckenſe. Prioratus Virginum Canonicarum. De his aliam notitiam nacti non ſumus, niſi quam nobis Joannes Buſchius reliquit, ait enim: *Monaſterium iſtud in Bevervvyck partium Hollandiæ in fundo hæreditario Domini Gerardi, devoti Presbiteri, conſtructum primitùs fuiſſe Sororibus tertiæ Regulæ S. Franciſci; exinde, quæ ipſis præerat Mater, ab Epiſcopo Trajectenſi obtinuit, ut Oratorium, ſive Capellam eodem in loco conſtrueret*, quam etiam de lapidibus erexiſſe, Duce Philippo de Burgundia aſſenſum præbente, Monaſteriúmque adjeciſſe, Majoribûs ipſius Oppidi Beverwicenſis nequicquam renitentibus, idem Buſchius ſcribit. Conſecratâ Eccleſiâ cum Cœmeterio, ſolemni-

niter Virgines illæ inveſtitæ inſtituta Canonica, regulámque S. Auguſtini voverunt. Quamvis verò ex tunc Ordinis Canonicorum Regularium membra fuerint, Capitulum tamen Generale Windeſemenſe prohibuit: *Ne quisquam de Monialium Monaſteriis de cætero aſſumendis ſe intromitteret, aut aliquam in Capitulo Generali de ipſis aſſumendis faceret mentionem, nullus Priorum Capituli Windeſemenſis, quamvis ab Epiſcopo licentiam haberet, illis ſe audebat intromittere. Igitur Sorores iſtæ impetraverunt à Principibus præfatis, ut magiſter ille Prior Ordinis Prædicatorum de Herlein Burgundiæ Conſiliarius eas omnes inveſtiret, & Profeſſionem ab eis reciperet ſecundùm Regulam Almi Patris Noſtri Auguſtini in Ordine Canoniſſarum Regularium*, ùt inquit citatus Buſchius. Pater hinc præfatas ſacras Virgines Congregationi Windeſemenſi non fuiſſe unitas; quamvis idem Author obſervet; *Easdem, Patres in Sion* (de quo Monaſterio inferiùs paucis agetur) *conſiliô, & auxiliô præſertim in ſpiritualibus gubernâſſe, videlicet in Confeſſionibus audiendis, in conſiliis dandis, in adverſitatibus eas defendendis.*

Hoc Cœnobium pariter ſub ruinis ab Hæretica pravitate cauſatis ſepultum jacet. Buſch. L. 2. de Reform. Monaſt. Edit. Leibnit. T. 2. p. 908.

Fund circ. an. 1243. Floret.

Bierbeck Abbatia ſacri Sepulchri. Fundata primùm fuiſſe annô 1044. aſſeritur in Winbertinge, loeô inter Haſſletum, & Tungras Diœceſis Leodienſis, munitáque ab *Innocentio* IV. Annô 1243. ſpecioſis privilegiis, at annô ex poſt 1312. per Nobilem Dominum de *Reepen* in Bierbeck tranſlata. Gramayus illam in Bierbeck à Duce *Godefrido*, & *Immania* Uxore ejus Canonicis ſacri ſepulchri tranſſcriptam, ſed à *Conrado Tenkendorffenſi* Præpoſito, Ordiníſque Generali, cùm locus ad monaſterium conſervandum minùs aptus exiſteret, & ſumptuum incapaces ſe ſentirent degentes in eo Canonici, Ciſtercienſibus à Villario dictis donatam fuiſſe ſcribit. Quæ an de hac Bierbeckana Abbatia intelligenda ſint? non aſſequor: eò, quòd Gramajus ſuæ aſſertionis argumentum aſſumat ex litteris *Conradi* annô 1204. datis; nobis autem conſtet, annô, ùt diximus, 1312. primùm in Bierbeck hos S. Sepulchri Canonicos fuiſſe tranſlatos, quod Gramayum latere non potuit. Accedit, hunc ipſum Authorem in prolixo Villarienſis Cœnobii encomio, de hac Bierbeckenſi donatione nihil penitùs memorare, neque alios Mechlinienſes, aut Lovanienſes Scriptores, qui nobis ſub manus venerunt. Porrò & id mirum, hujus Abbatiæ, neque Galliæ Chriſtianæ editores, neque Hiſtoriæ Mechlinienſis collectorem meminiſſe. Nos tamdiu hanc Abbatiam florentem habebimus, quamdiu, quibûs uſi ſumus, documentis alia non ſucceſſerint, ex quibus contrarium doceamur.

Exiſtit in Bierbeckano Baronatu, ùt eum Gramay nuncupat. Gramay in Lovan. P. 60. & in Gallobrabantia p. 15. Lüll. in vita Alvar. c. 27.

Bifelinghen. Virginum Canonicarum Prioratus in Zelandia, ex qua annô 1280. eædem emigrantes (ignotum, ob quam cauſam) ſedem ſuam figere Antverpiæ (ùt infrà in S. Margaritæ Cœnobio diſſeretur) quæſiêrunt. At, quis hujus in Zellandia Cœnobii Author primus exſtiterit? latet. Fund. .. Extinct.

Situm eſt autem in Zuid-Bevelandía, ſeu meridionali, unô propè milliari Germanicô infrà Goeſſam ad oram Sealdis. Mir. Cod. don. Belg. c. 131.

Blandinienſe SS. Petri, & Pauli Abbatia. à *S. Amando* in monte Blandinio Urbi Gandenſi vicino exſtructa, de qua antiquus Fund. .. Ord. S. Ben.

quus Chroniſta hæc ſcribit: *Deo annuente Clericorum Cœnobium in ipſo caſtro*(nempe Blandinii montis) *honorificè eſt conſtructum. Ubi diu, noctúque laus à fidelibus decantatur.* Diſcordant hoc in textu explicando Scriptores, præcipuè ii, qui aut Monachis favere contendunt, aut Clericis; nam Mabillonium Ducem paſſim Clericorum nomine ſæculîs illîs Monachos intelligendos contendentem ſequuntur omnes Profeſſionis Alumni: renititur *Cointius* Vir clariſſimus, & ſententiam pro Clericis genuinis decernit, eò quidem, meô judiciô, alterâ certiorem, quò apertiùs in Exegeſi noſtra monſtravimus, Clericorum nuncupatione, quinam cenſendi ſint, Monachi, an Clerici? dúmque alia argumenta deſunt, quæ reſtrictionem ad monachiſmum affigant, an non prudentiùs intelligendi Clerici, pro quibus vel ipſum jam nomen decertat? prætereà plura pro hac veritate in deſcriptione Eccleſiæ Gandenſis, nunc Cathedralis proferemus, & magnam illam rationum contrariarum molem Baudemundi primævi vitæ S. Amandi Scriptoris verbis innixam, quibûs dicitur, quòd *Florbertus* (primus Gandavenſis Abbas) *juxta præceptum Pii Patris Benedicti convocata omni Congregatione &c.* facili niſu dimovebimus.

Itáque dum hanc Clericis genuinis Eccleſiam Blandinienſem cum *Cointio* adjudicamus, pariter Regularem fuiſſe ex adductis noſtris principiis dicimus à ſua fundatione per *D. Amandum* facta annô 610. ad usque ſæculi noni medium, aut fortaſſè aliquantò citiùs, dum ſcilicet, ſtrage irruentium Nortmannorum duplici, in miſerrimam ruinam ipſum hoc Monaſterium deciderat, *Eginhardô* Virô præclariſſimô illud aliquantùm relevante, & collectis bonîs, Clericos 24. iterum ad divinum miniſterium inibi continuandum convocante circa annum 815. Exinde autem annô 941. per *Gerardum I.* Bronienſem Monaſticis D. Benedicti inſtitutîs informatum Clericorum manibus ereptum eſt, nec ulla poſtmodum documenta exſtant, quibûs pateat, Clericos reductos fuiſſe. Exiſtit nunc inter ipſa mænia civitatis. Acta SS. in vita S. Amandi. Mabill. T. 1. Annal. Ben. p. 351. Cointius Annal. Eccleſ. Fran. Gall. Chriſt, T. 5. Col. 184. & ſeq. in Epp. Gandav.

Blidenbergh. Aliàs læti montis Virginum Canonicarum Prioratus: olim Congregationis Victorinæ, cujus hanc unam nobis Miræus notitiam dedit per chartam illam à ſe ſuæ notitiæ Eccleſiarum Belgii inſertam, in qua: *Walterus Magnus dictus Bertout, ſeu Bertoldus omnia bona mobilia, & immobilia in Machlinia Prioriſſa, & Conventui S. Victoris (Sacerdotibus ibidem conceſſa) donat in perpetuum poſſidenda annô* 1260. Verùm antiquiorem longè hujus Cœnobii memoriam ex vita *S. Rumoldi* Mechlinienſium tutelaris colligimus, utpotè, quòd hoc Cœnobium illud ipſum ſit, quamvìs ob diverſa iniquæ ſortis fata iteratîs vicibûs translatum, primùm ab Adone Comite conſtructum. Nam, ſicut tum ex eadem à Theodorico Abbate exarata vita, tum ex Vardei legenda c. 23. diſcimus, cùm ſæculi noni initiô Nortmanni in Belgium irrumpentes quæque loca Sanctorum devaſtarent, ſola hæc Eccleſia *S. Rumoldi* immunis perſtitit, ſed omnî hominum Religioſorum obſequiô deſtituta: demum pace aliquantùm reducta ad Sacelli ipſius, & ſacri corporis ibidem quieſcentis cuſtodiam Sanctimoniales aliquot ſe collegerunt, ne omni devotione privatus tam ſanctus locus exiſteret. Verùm ſub ſæculi noni finem rurſum Barbaris hæc loca invadentibûs, Virgines omnes in fugam abiêre, unâ ſolâ relictâ, aut potiùs ſpontè perſeverante *Gerlin-*

Fundat. ſæc. 9. Floret.

de

de nomine, quæ dein diù æditui munus ſubiens, cùm à Danis irruentibus aliquando caperetur, mirô prodigiô ſalva eſt reſtituta. Inter alia verò rem memoriâ dignam idem Theodoricus narrat: Nam cùm *Gerlindis* temporis nocturni obſervandi causâ (ut preces ſolitas ſignatis horis poſſet perſolvere) Gallum cum quibusdam pullis ſibi vigilem haberet, factum eſt, ùt vulpecula quædam primùm pullos, demum audacior facta, & ipſum hunc Gallum clàm ſurriperet, & in ſuam prædam aſportaret. Mulier, in tempore, furti certior facta, imò furem ipſo in ſcelere deprehendens, quâ poteſt celeritate inſequitur: at incaſſum cecidit omnis ſolertia, citior vulpes quasvis inſectationes effugit. Contriſtata vehementiſſimo dolore Virgo ſacra ſua in ſimplicitate ſeſe ad *S. Rumoldum* convertit, eúmque interpellat, ut aut ſibi reddatur Gallus, *aut*, inquit, *matutinis precibùs meis Rumoldus careat:* Rem ſtupendam! extemplò redit furax animal, & prædam deponit incolumem; Læta *Gerlindis* æternum ſibi, hôc obtentô prodigiô, fuisque ſociabus nomen ab hoc Gallo è faucibus Vulpini prædonis liberato promeruit, ut exinde ad hodiernum diem *Bleyenbergenſes* Virgines Belgico idiomate, *nonne ten Häen* conſueverint nuncupari. Poſtquam enim, ùt obſervat Solerius, & nos ex parte jam ſuperiùs diximus, ſæculi noni initiô Normannorum rabie Eccleſia hæc exul facta eſt miniſtrorum ſuorum, *Mathildis* nobilis fæmina filia ex Raſone Fratre illius Adonis Comitis, atque hærede, ſarta tecta combuſtæ ædis poſt annum 832. reparavit, in qua dein *aliquot Virgines ſacræ convenêre, quæ cuſtodiæ dictæ ædis, & Reliquiarum S. Rumoldi adhibitæ diu, noctúque ibi alternis vicibùs pſallebant, à quibus exordium* (verba ſunt Solerii) *ſumpsêre Religioſæ S. Victoris in Blyenberg. Nonne ten Häen ab hoc miraculo nominatæ, ùt exiſtimat Wachten-Donkius.* Hæc ille.

Floret autem, quamvìs non ſub S. Victoris Congregatione (quæ deſiit) attamen adhuc laudabili ſub diſciplina præfatus Bleyenbergenſis Prioratus. Mir. Cod. Don. Belg. L. 2. c. 199. act. SS. cit.

S. Bodilonis, vel Apoſtolorum Petri & Pauli Abbatia, in vico Luroſâ, ſeu Leuze conſtructa à *D. Amando*, & Canonicis optimâ à ſe diſciplinâ informatis incolenda commiſſa. Cùm verò Cœnobium iſtud in defectum ſucceſſu temporis laberetur, *Gerardus de Rouſſilon* Burgundiæ Comes prole carens, opésque ſuas ad theſauros perennis vitæ accommodans, Luthoſanum iſtud velut alter Fundator in priſtinum vigorem erexit, rursúmque Canonicis conceſſit, quibus præfatum *S. Bodilonem* præfecit. Hic dein Sanctitate conſpicuus obiens pretioſiſſimam eis hæreditatem, corpus ſcilicèt reliquit ſuum, quod quidem hodiedum Canonici hujus loci magno cultu venerantur, dum annuè illud die 8. Octobris duo eorum circumferunt in publica proceſſione, at cum corporis hujus ſancti Bodilonis veneratione non perſtitêre Canonici in ejusdem inductæ diſciplinæ imitatione, nam ſolutô votorum vinculô nunc Sæcularibus jam ab aliquot ſæculis ſe aſſociârunt. Fundat. ... ſæculare.

Sita eſt Luroſa, ſeu Leuze, Urbs non magna, in Hannonia quinque milliaribûs ſuprà Valentianas, & 2. Germanicis Dornacô ad Orientem diſtans. Baldric. Chron. Camerc. L. 2. c. 43. Mir. de Can. ſæc. c. 70. Zeyller. de Comitatu Arteſ. & Hannon.

Bonæ ſpei Abbatia, primis S. Norberti conceſſa diſcipulis à *Rainardo de Croix*, & *Beatrice* ejus Conjuge, cùm Filium ſuum *Guilielmum* Deo in præmonſtrata Eccleſia perpetuò ſerviturum de-

voverent. Erat autem tunc locus ille profanum quoddam allodium; poſtmodùm ab ipſis Præmonſtratenſibus Canonicis exſtructa ibidem Eccleſia conſecratur à *Burchardo* Epiſcopo Cameracenſi, ùt ipſe in ſuis litteris ad hujus rei notitiam exaratis annô 1127. enarrat. erigitur dein in Abbatiam, & ad inſtantiam *B. Odonis* primi illius loci Abbatis ab *Innocentio II.* confirmatur fundatio, munitúrque privilegiis Apoſtolicis annô 1141. Floret adhuc hodie ſub inſtituto præfato.

Sita eſt in Hannonia infrà Binchium mediô milliari: vulgò dicta: *Bonne Eſperanze* Foppenſ. nov. Collect. Dipl. Belg. parte 1. c. 38. & part. 2. c. 48. Annal. Præm. T. 1. col. 350.

Fund. 1117. Ord. Præm. Boonienſe S. Mariæ, dein S. Martini Abbatia. Reſidebat Furnis in Flandria apud Canonicos ejuſdem Oppidi *Garembertus*, ſeu *Walimbertus* Vir eximiæ modeſtiæ, ac devotionis in Deum, cui identidem ſanctioris vitæ deſiderium mentem ſuccenderat, hinc demum ſpiritui tam impensè vocanti obtemperans collectis quibûsdam æqualis fervoris Sodalibûs à mundi tumultibus receſſurus *S. Auberti* Cameracenſis Abbatem adit: locum quemdam *Boonii* dictum, cui in temporalibûs *Oglardus* Vir Nobilis (ſed quem jam *Walimberto* aliquamdiu antehac ſibi in ſpiritualibus ſervienti dimiſerat) in decimis percipiendis Abbatia S. Auberti, in jure deníque Diœceſano Epiſcopus Cameracenſis præerat, concedi ſupplicant, pro quo cùm alioquin Epiſcopum præfatum ſibi adſtipulantem haberent, ut inibi ſecundùm Regulam S. Auguſtini ſolitariam vitam, non tamen ab eorum inſtituto alienam, inducere eis liceret, aſſensêre quóque lubentes promovendæ horum virorum jamjam accreſcenti Sanctitati Canonici Aubertini: Hinc, ut ſuam petitio abſolutam in omnibus firmitatem aſſequeretur, *Burchardus* jam dictus Epiſcopus Cameracenſis, quæ promiſerat, eâ tuetur gratiâ, ut mox etiam aſſentiretur, *Eccleſiam ipſi in eodem loco conſtruerent B. Virgini Mariæ ſacram, ita tamen, ut Fratres Boëni ſubjectionem Abbati, & Capitulo S. Auberti exhiberent, & ſi decedente Garemberto in alterius electionem Fratres loci conſenſerint, in Capitulo S. Auberti confirmandus præſentetur, & ſi Controverſia inter eos de electione orta fuerit, hæc, & cætera, quæ inter eos oriri potuerunt, ejusdem Capituli conſiliô ſedetur. Si verò, quod abſit, charitatis igne exſtincto, in nihilum, cohabitatio eorum reverteretur, in poteſtate Abbatis, & Capituli S. Auberti locus idem maneat.* Decem annis, id eſt, ab anno 1117. quô hæc traditio facta eſt, adúsque 1127. tantô pietatis incrementô *Gambertus* viæ perfectionis inſtitit, ut quotidiè ad hujus viri diſciplinam novi confluerent Sodales, cùmque eodem tempore mirum in modum Præmonſtratenſis reformatio corda allice-ret, ad ſecurius adhuc ſalutis ſuæ ſubſidium aſpirans *Gambertus* è Laudenſi *S. Martini* monaſterio Fratres expetiit, qui hanc novam diſciplinam ſuo quoque Cœnobio implantarent, quod cùm ipſi divinâ concurrente gratiâ tam dextrè operarentur, ut omnes de die in diem meliùs pro ſua paupertate, & propoſito proficerent, locus autem prædictus *Boonyenſis* minùs commodus fieret incolentibus, allodium quoddam Montis *S. Martini* coëmerunt, illuc dein, admittente præfatô *Burchardô* Epiſcopô emigrantes, in quo etiam ad hæc tempora ſubſiſtunt.

Exiſtit duobûs milliaribûs Germanicis infrà Cameracum Orientem versùs, dicitúrque mons S. Martini Foppenſ. P. 2. nov. coll. c. 53. & Par. 2. Hiſt. Mechlin. p. 80.

Born-

Fund. 1100. Ord. S. Ben. **Bornheimenſe S. Mariæ Abbatia.** *Wenemarus* Caſtellanus Gandenſis, quem *Lambertus* Ardenſis cap. 25. Virum inclytum viribus, & genere prædicat, quidni & virtutibus, ſatis elucentibus ex ejus in Religioſos homines liberalitate profuſa, annô 1100. in loco ſibi ſubdito *Burnehem*, aut ùt vulgò, *Burnhem* Canonicos Regulares conſtituit, omnes decimas de Martinesforthe ad Burnehem pertinentes unàcum manſo uno terræ &c. eis contribuendo. Confirmavit hanc primam fundationem *Manaſſes* Cameracenſis Epiſcopus eôdem annô 6. nonas Oct. nec minùs ſummus Pontifex *Paſchalis II.* annô 1105. deníque annô 1112. *Odo* idem Cameracenſis Præſul *Manaſſis* Succeſſor. Verùm non diù hæc quamvis ſolidè ſatis firmata plantatio Canonica ſubſtitit: nam novendecim è Fundatione annis dilapſis, Monachis Affligemenſibus *Burchardus* Epiſcopus Cameracenſis annô 1120. hanc Abbatiam extradidit, cauſam ipſe *Burchardus* in traditionis charta declarat, *nos*, inquit, *Bornhemenſis Eccleſiæ ferè ad nihilum redactæ deſolationi condolentes venerabilem Fratrem noſtrum Fulgentium Affligimenſis Eccleſiæ Abbatem, & Religioſum Eccleſiæ ſuæ Conventum ſuper hac neceſſitate convenimus, rogavimus, & petivimus &c.* At licèt Cœnobii inopia hujus extraditionis cauſa notetur, præcipuam tamen ſuppeditavêre ipſi Bornhemenſes Canonici, velut colligendum exhibet idem *Burchardus*, cùm ait: *Supplicante Fratre noſtro Sigefrido Bornhemenſi Abbate, Fratribus quóque petentibus, tum penuriâ ingruente, tum vitæ ſuæ melioratione præfatæ Affligimenſi Eccleſiæ, ſub Regula S. Benedicti permanſuram conceſſimus &c.*

Hanc commutationem ipſius quóque inſtituti in Bornhemenſibus Canonicis dein ratam quóque habuit *Calixtus* Pontifex an. 1121. datâ Bullâ ad preces ſuæ Sororis *Clementiæ* Flandriæ Comitiſſæ. Dionyſius Samarthanus hanc Abbatiam à duobus tantùm Abbatibus gubernatam fuiſſe ſcribit, *Martino*, & *Siffrido*, exin in Prioratum hic locus deſcivit, cùm primùm nempè Affligimenſium juri ſubjiceretur. Nunc in eo duo vel tres Monachi permanere dicuntur, rem ſacram unô è Clero in Parochum aſſumptô adminiſtrante.

Exiſtit in Bornhemienſi municipio Comitatûs Flandriæ Mir. Cod. Dipl. L. don. piar. c. 45. 46. & 50. & L. 1. donat. Belg. cap. 38. Gall. Chriſt. Tom. 5. col. 31.

Fund. ... Exſtinct. **Mariæ in Brefort Prioratus Windeſemenſis, aliàs Nazareth dictus.** Meminit hujus Chroniſta Windeſemenſis in ſuo monaſteriorum Cathalogo, & Chronicon Bodecenſe in ſuo: Magnum illum Canonicæ diſciplinæ æmulatorem *Joannem Naëltvvic* per aliquod tempus Prioratûs munere iſthic functum idem Chroniſta affirmat. Cæterùm vix illud ampliùs tot calamitatibus integrum Zutphaniæ Comitatum ſæculô 16.tô diruentibus, exiſtere opinamur. Profectò inter florentes Windeſemenſis Congregationis non computari, ex recentioribus monumentis nobis communicatis didicimus.

Exiſtebat in urbe Brefort. Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 45. & L. 1. de Reform. monaſt. cap. 2. Chron. Bodec. cit. docum. communic.

Fundat. 1613. Floret. **Brigittinarum Abbatia Virginum Canonicarum.** Hujus exordium à liberalitate cujusdam præclaræ Virginis fluxit *Joannæ de Lo* nuncupatæ: cùm etenim iſta relictis mundi illecebris ſe Religioſo Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* inſtituto Duaci florenti devoveret, factô, ùt moris eſt, ante Profeſſionem ſuam teſtamentô, quinque millia florenorum conſtituit pro alia ſui Ordinis domo noviter erigenda, non Duaci, ſed Valencenis: ſubſecuta hujus conſilii approbatione à Magiſtratu Urbis

bis annô 1613. 19. Martii, poſſeſſionem loci accepêre Virgines ſex ejusdem inſtituti Canonici; cum Sorore Laica, ſed ultimo die annô 1620. coempta alia æde d'Audregnies, ibidem Abbatiale ſuum conſtituerunt domicilium, ubi usque nunc reſident.

Exiſtit in Urbe Valencenis haud longè à S. Jacobi Eccleſia Gall. Chriſt. T. 3. col. 618.

Fund. circ. 1414. Floret.

Cabbecanum Virginum Canonicarum Prioratus.

Parthenon hic à *Joanne Raetſchovio*, & *Maria Meerhout* in coempto hujus nominis prædio Virginibus Regulam *S. Franciſci* profitentibus exſtructus eſt, quæ tamen aſſenſû Fundatorum, atque Epiſcopi hortatu annô 1414. Regulam *S. Auguſtini* ſuſcipientes Ordinem Canonicum ſub Priore Bethlehemitico *Joanne Holaer* votis firmârunt, in quo usque hodie florent.

Exſtat in Urbe Thenenſi. Hiſt. Mechlin. P. 1. p. 276.

Fund. circ. ſæc. 6. ſæcularis.

Cameracenſis S. Mariæ Cathed.

Dagoberti primi habemus Diploma omnium fortè primum, quod nobis hujus Eccleſiæ Epiſcopalem prærogativam exhibet, originem verò cenſemus ad tempora *S. Vedaſti* referendam, qui, ùt ſuperiùs, dum de *S. Auberti* Cœnobio diſcurrimus, primus hujus loci Fundator exſtiterat (*Clodovæo* Galliarum Rege favente) & jam tum in banc Cameracenſem Eccleſiam Clericos congregaverat, dicente *Alcuino* in vita *S. Vedaſti*: quòd *cùm compleviſſet Vir Dei* (Attrebatenſi ſcilicèt ſibi Sede commiſſa) *Eccleſias Chriſti deſertas, cor populi idololatriæ erroribùs infectum &c. Eccleſias ad culmen ſummi decoris erexit, Presbiteros, & Diaconos ſibi in adjutorium per diverſa loca Eccleſiarum diſpoſuit, & ubi priùs ſpeluncæ fuerunt Latronum, ibi Orationum domos conſtruxit &c.* Patet itaque, plures (non ſolam Attrebatenſem Eccleſiam) divinis Miniſtris, Clericisve fuiſſe informatas, inter quas ne dubitare quidem licet, cumprimis Cameracenſem præcipuam exſtitiſſe, quam *S. Vedaſtus* requiſitô divini honoris obſequiô curaverit: utpotè, quòd utramque ipſe, ùt Epiſcopus, provideret. Nam cuique animum ab affectu liberum habenti perſpicuum ſatis eſt, per Presbiteros, & Diaconos, Clericos intelligendos eſſe, non Monachos, præcipuè *Alcuini* tempore, quô propriè bis vocabulis *Clerici* à *Monachis* diſcernebantur: Sic Petrus Diaconus vitam *Athanaſii* Epiſcopi Neapolitani ſcribens annô 866. eôdem in carcerem conjectô: *Sacerdotalem*, & *Monachicam* turbam ad prætorium adveniſſe, ait, id eſt: *Clerum* Epiſcopi, & *Monachos* à ſe in ſuburbana Eccleſia inſtitutos, ùt ex eodem Petro refert Mabill. Annal. Ben. L. 16. n. 63. quod ipſum ab Alcuino aliàs obſervari ejus ſcripta indaganti patebit.

Dagobertus autem, dum in ſuo diplomate annô 640. hoc eſt, centum annis à morte *S. Vedaſti* S. Auberto conceſsô dicit: *Se concedere*, & *donare piiſſimis Fratribus Oratorii B. Mariæ regales Fiſcos duos &c. Hi piiſſimi Fratres* haud dubiè fuerint Clerici ſub Auberto in una communi vita ſociati: Néque refert, quòd hos non, velut in mox ſequente Paragropbo, Eccleſiæ *S. Petri* Clericos Canonicos vocet, videtur id enim ſe cujusdam æſtimationis expreſſione feciſſe, ut *piiſſimos Fratres* nominaret, quos aliundè ùt Clericos, Canonicósque, tanquam conſuetô titulô dicendos dudum noverat. Certè an unquam in Eccleſia Cameracenſi Cathedrali Monachi vixerint? Probent, qui poterunt, nobis de his nulla notitia ſuppetit.

Hanc verò Eccleſiam tempore *Alexandri* adhuc regularem extitiſſe, & communi illi reformationi ab *Alexandro II.* ſtatutæ ſe ſubdidiſſe omninô cenſemus. Juxta Canonem enim illum Concilii Lateran.

à Ba-

à Baron. relati, ubi expreſsè dicitur: *Ne Canonici in Congregatione viventes ſeparatim comedant, dormiant, & propria, ſeu peculiaria bona poſſideant.* Ambigendi locus non datur, hanc reformationem, & ab ipſa Cameracenſi ſecundùm inſtitutionem ſanctorum Patrum ſaltem ſæculi 11. initiò fuiſſe receptam, dum fortaſse anteà illa cum cæteris pluribus Cathedralibus Eccleſiis aliquantùm remiſerit de Eccleſiaſtica, regularíque diſciplina, de qua Trithemius ad annum 977. in ſua Hirſaug. Hiſt. à nobis in Exegeſi noſtra jam relatus.

Itáque præfato tempore collegiſſe ſe iterum ad communem vitam, eo ſcilicet more, quò tunc pleræque in Germania Eccleſiæ Cathedrales præcipuè Aquisgranenſem Regulam æmulabantur, non obſcurè videtur *Gregorii V.* innuere Diploma, datum an. 996. ex Concil. Romano dum inter alia idem Pontifex ſic loquitur: *Intimatum eſt, quòd obeunte Epiſcopo, vel Sacerdotibus prædictæ ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ, aliqui diabolico repleti ſpiritu, ſoleant res Eccleſiaſticas, quas vel Epiſcopus, ſive etiam Sacerdotes reliquerint, diripere, ac devaſtare. Quibus itidem Apoſtolicâ cenſurâ, ne hoc ampliùs præſumant, interdicimus, &c. Illud quóque magnoperè præoptamus, ut Fratres in Cœnobio ejusdem Eccleſiæ commanentes, cunctæque Congregationes ad eam pertinentes, quidquid juſtè, ac legaliter poſſidere debent, ſine aliqua diminutione teneant, atque poſſideant, ut temporalibus præſidiis ſufficienter adjuti, ſine murmuratione ſempiternæ fiduciæ liùs appetere valeant &c.* An. 1089. adhuc magis elucet in hac Eccleſia quædam vita communis ex donatione *Gerardi* ſecundi Epiſcopi Camerac. nam, cùm aliàs plerúmque his temporibus delegatæ donationes piæ Eccleſiis Canonicalibus, & præprimis Cathedralibus, ſolerent certis aſſignatis portionibus inter Canonicos nominari, *Gerardus* indiſcriminatim ſic ſe Benefactorem exhibet, ut dicat: *Trado ad uſus Fratrum ſanctæ Cameracenſis Eccleſiæ, Matris noſtræ, ibidem de Lietuinis &c. unde in anniverſario meo Fratres cibentur, & reſidua in uſus eorundem diſpendantur &c.* Nec minùs ſimile quid demonſtrat pro anno 1265. Donatio *Nicolai de Fontanis* Epiſcopi Cameracenſis, ubi quæ Capitulo legat, decernit, non in portiones, ſed *in uſus communes ejuſdem cedere*, dum tamen expreſſè diſtributionem determinat, quæ eſt facienda in Anniverſario ſuo in Capellanos Chorales, qui probabiliùs fuerint extra gremium Capituli. Hæc dicimus, non quaſi exinde inferamus, votivam vitam, communémque in iis locis tantummodò extitiſſe, ubi nullæ portiones Canonicæ, & Perſonatus diſtribuebantur: nam hoc non ſubſiſtere, jam declaravimus inductione monaſteriorum manifeſtè Regularium, in quibus tamen ſuas præbendas Canonici recipiebant; ſed, quòd evidentiùs exinde vita votiva in tali loco culta cenſeri poſſit, cùm commune ærarium, communíſque rerum uſus certiſſimò arguat vitam regularem, at portiones, præbendæque diſtribui ſolitæ non item, illæ námque etiam antiquis temporibûs tam ſæcularibus, quàm regularibus Congregationibus obvenire conſueverant.

Eccleſia iſta Cameracenſis antiquitate, Epiſcoporum, ipſorum quóque Canonicorum ſanctitate, & deníque aliis multis prærogativis valde ſemper ſuſpicienda fuerat. Multis intereà quóque viciſſitudinibûs, maximè ſub *Lietberto* ultimo Epiſcopo Cameracenſi ſimul, & Atrebatenſi, ejúsque jam Anteceſſore *Gerardo* ob infeſtationes *Walteri* Caſtellani Cameracenſis, & *Joannis* Atrebatenſis Advocati vexata eſt: annò quóque 1093. non parùm turbata, cùm ab ea per *Urbanum* II. Epiſcopatus Atrebatenſis, annis plùs minùs quadringentis unitus, ſepararetur. De quo diver-

verſæ exſtant Epiſtolæ Pontificum, ac Regum, pluréſque maximè *Urbani II.* conſtitutiones, à nobis ſuo tempore referendæ.

Exiſtit tanquam Metropolis in ipſa Cameracenſi Urbe. Vita *S. Vedaſti* apud Boll. 6. Febr. Mir in Faſt. Belg. Id. don. piar. L. 1. c. 64. & Nov. Coll. p. 1. c. 1. & par. 2. c. 135. Baldr. L. 1. c. 17. Gall. Chr. T. 3. p. 2. & ſeq.

Fund. 1181. Exſtinctum.

Cantipratum S. Salvatoris Abbatia: vulgò S. Mariæ de Pratis.

Debet ſua initia hæc olim nobilis Abbatia *Rogero* Epiſcopo Cameracenſi, & *Hugoni* de Oiſy Caſtellano, ambobus quodam quaſi amoris, pietatiſque fervore certantibus, quis eorum huic Fundationi plus tribueret. Nam, ùt legitur in hujus Abbatiæ peranti-quo Necrologio: *Nonò Kalendis Decembris: obiit Dominus Rogerus Cameracenſis Epiſcopus, qui voluit nobis ad fundandum dare locum, ſed ad majorem Eccleſiæ utilitatem Domino Hugoni de Oiſiaco, utpote terræ Principi, in hoc dando voluit cedere. Prætereà profecturus Hieroſolymam, Epiſcopatus ſui redditus unò annò recipiendos dedit nobis.*

Vir igitur Nobiliſſimus *Hugo* terræ Urbi Cameracenſi proximæ ſpatium ad conſtruendum Cœnobium conceſſit primùm annò ad minimum 1182, non 1185, ùt habet Miræus de Orig. Can. Reg. c. 81. nam Charta confirmationis, quâ *Rogerus* Epiſcopus confirmat Eccleſiæ Bellingemenſis ſubjectionem faciendam Cœnobio Cantipratano, cùm ait, quòd *duorum Presbiterorum* (Martini, & Leardicii) *aſſenſu, & ſpontanea devotione, eandem Eccleſiam, Eccleſiæ S. Mariæ, in qua Joannes Presbiter Prælatus erat, ſubjecimus &c.* Facta eſt annô 1182. unde ſaltem ante hanc chartam editam Abbatia Cantipratana ſub regimine *Joannis* I. ejus loci Prælati jam fundata exſtitit, diem enim charta illa non profert, ex qua arguere ampliora poſſemus. Annò dein ſequenti 1183. *Joannes* hic primus cum Canonicis ſuis ſe, ſuámque Abbatiam univit Congregationi S. Victoris cum magno *Rogeri* Epiſcopi applauſu; ob quod idem eôdem annô Diploma dedit præfato Præpoſito, ſeu Abbati *Joanni*, & Sociis ejus, Religionis habitum, ſecundùm ordinem, & inſtitutiones Eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis aſſumere proponentibus: & imprimis terram illam, quæ eſt inter Eccleſiam *S. Salvatoris*, & *Mariſcum*, quam *Hugo* Caſtellanus Cameracenſis eis nomine Eleemoſynæ contulerat, eisdem de eorum Succeſſoribus abſolutam, & ab omni decimatione liberam ad fundationem Eccleſiæ Canonieæ, ait, ſe conceſſiſſe (quidni jam priori annô?) dein paulò poſt ſubdit: *Decrevimus etiam, ut Ordo prædictus in eadem Eccleſia integer, & immutatus permaneat, ibidémque Abbas Canonicè ordinetur, & ſecundùm Proceſſum temporis eodem decedente, à Fratribus ibidem Deo famulantibus libera electiona inſtituatur.* *Prætereà*, inquit ſuprà dictus piiſſimus Pontifex: *Bonó eorundem propoſitô Deo inſpirante adeò delectati, ipſa die Suſceptionis Ordinis, & Habitûs, Canonicis Altare S. Salvatoris, & perſonatum ejus &c. contulimus, & nomine Eleemoſynæ in perpetuum aſſignavimus.* Itaque ut brevî Chronologiâ hujus Abbatiæ initia declaremus, *Hugó Oiſyus* an. 1182. ſaltem, ſi non antea, fundationem conſtituit, & *Joanni* primo, Sociiſque ejus locum exſtruendi contradidit, eôdem annô Bellingenſe huic Cantipratenſi Cœnobio jam exiſtenti ſubjecit, quô tempore *Joannes* cum Sociis in communi conviixit more Regularium, & quidem votivè, ùt patet ex obedientia duorum Bellingenſium Presbiterorum eidem *Joanni* cum facta. Annò dein ſequenti ſe Congregationi S. Victoris unientes habitum eorum receperunt, non quaſi anteà Canonicum non habuiſſent, ſed quod tali necdum veſtiti eſſent, quô Victorini,

rimi, quadantenùs diſtinctô etiam ab aliis Canonicis, utebantur, *quadantenùs* inquam, néque quoad ſubſtantiam linei veſtitûs, quem gerebant Canonici votivi ſemper omnes, ſed ſolùm quoad figuram (uti nunc quóque contingit) non omninò eundem: prætereà, dum definit Bened. XII. in Bulla ad decoremEccleſiæ &c. *Ut Superiores diſponant, & ordinent, ſic formam honeſtam veſtium, quòd ſit in colore ſaltem omnibus Canonicis ejusdem Eccleſiæ, ſeu monaſterii tam extrinſecùs, quàm intrinſecùs uniformis.* Patet, diverſum colorem veſtium, in diverſis monaſteriis extitiſſe, unde cùm Cantipratani Canonici antequam victorinam vivendi methodum aſſumerent, probabiliùs nigris veſtirentur, album Victorinorum habitum aſſumpſerunt, necnon, & ſtatuta eorum, de quibus omnibus nos multa ſuo tempore dicturi ſumus. Hic verò primus Abbas *Joannes* nomine Vir fuit integerrimæ, & eximiæ humilitatis, nec non obſervantiæ regularis cultor præcipuus, adeò, ut, cùm regiminis Abbatialis negotiis ſe cerneret multùm in ſpiritualibus præpediri; *ut perfectiùs* (verba ſunt Necrologii hujus Abbatiæ) *Dei filium ſequeretur, regiminis honorem reliquit, deinceps úsque ad mortem in obſervantia perſeverans.* Ideò, & Beati titulô à Thoma Cantipratano honoratur ejus vitam deſcribente, quæ adhuc M. SS. in Biblioth. S. Genov. Pariſ. deliteſcit.

Exſtitit quóque hujus Cœnobii Alumnus, & Profeſſus idem Venerabilis Thomas Cantipratanus, qui inibi viam perfectionis Religioſæ apprimè per aliquot annos edoctus, demum Ordinem S. Dominici, habitúmque ſuſcepit, libris diverſis, aliiſque præclaris factis illuſtris in vita, & poſt mortem, quam oppetiit circa an. 1275.

Néque tacendus hic ſæpè relatus magnæ pietatis Epiſcopus *Rogerus*, cujus memoria nullo tempore abolenda apud Cantipratanos Canonicos, quippe tantâ in eos benevolentiâ affecti, ut, cùm ſuæ liberalitati non ſufficerent, quæcûnque demum propè poſſet eis de diverſis decimis Eccleſiis, Altáribus &c. conferre beneficia, demum (ùt refert Miræus L. de Orig. Can. Reg. c. 81.) annô 1190. moriens, quaſi ſeipſum eidem monaſterio donans, ac devovens, in regulari habitu CanonicorumCantipratenſium voluerit ſepeliri. De quo tamen in Gallia Chriſt. novæ edit. altum ſilentium. Caſtellanus autem Princeps *Hugo* tanto amore Cantipratenſes Canonicos ſuos complexus eſt, ut plurimos fundos, decimas, nemota &c. abſolutionem quóque à vectigalibus in tota terra ſua, ampla benignitate concederet. Iter Joroſolymitanum à ſe magno labore aſſumptum cùm perfeciſſet, redux, priùs ad præfatum monaſterium, quàm propriam domum divertit (ùt narrat præcitatum Necrologium) & Sanctorum pretioſas Reliquias ibidem reliquit. Nec dubium ejusdem Principis veneratione in hunc locum, Abbatem Cantipratanum conſeſſu, & ſuffragiò in Comitiis Statuum Provinciæ dudum eſſe gaviſum. Deníque, cùm annô 1580. furore militum Gallorum (ùt inquit Foppenſius in additionibus Notit. Eccl. Belg. Miræi c. 111) *ita deſtructa fuiſſet, ut nec lapis manſerit ſuper lapidem.* Religioſi cum omni ſacra, ac profana ſuppellectile ſeſe receperunt circa annum 1587. ad Prioratum de Bellinghen inter Hallas, & Angiam, jam olim Abbatiæ Cantipratanæ unitum, transferentes eò titulum Cantiprati, de qua ſuperiùs egimus, cum honore Abbatiali.

Exſtitit Cantipratenſis Abbatia muris urbis Camerac. contigua: Mir Notit. Eccl. Belg. c. 111. & 112. & 115. item in notis cap. 11 t. Gall. Chriſt. T. 3. col. 162. Carpentar. hiſt. Camer. P. 2. p. 509. & ſeq. Bened. XII. in Bull. citata.

Sæcularis Fundat. 1071.

Caſletum S. Petri Abbatia in Diœceſi Morinenſi.

Author eſt Joannes Iperius Abbas Bertin. in ſuo Chron. quòd, cùm *Robertus* Friſus Comes Flandriæ adversùs *Richildem*, ejúsque Filium *Arnelſum*, ac Regem Galliæ victoriam juxta Caſletum in die Cathedræ *D. Petri* obtinuiſſet, in memoriam triumphi, Caſleti in Caſtello ſuo Eccleſiam Canonicorum fundaverit in honorem *B. Petri* Apoſtoli, annô Domini 1071. in qua ſepultus jacet, 1093. defunctus. An autem verè hujus triumphi cauſa *Robertum* ad hanc fundationem impulerit, ipſe in ſuis fundationis litteris non exprimit, ſolúmque allegat, & paternæ hæreditatis à ſe obtentum Principatum, & conſiderationem ſuorum peccatorum; his permotus, *in loco, qui dicitur Caſſel, in Pago Menpiſco ad honorem omnipotentis Dei*, ſe ait, *quandam fundâſſe Eccleſiam, & in ea viginti Canonicos conſtituiſſe, quorum vigeſimum decernit ſcholas regere, quod ſi facere neglexerit, unanimi Fratrum conſenſu alter idoneus conſtituatur.*

Multa ſunt, quæ eiſdem, de rebus ſuæ proprietatis concedit, ac ab eis poſſideri decernit ad hoc, ut inter ipſos Fratres ſemper vigeat pax, & concordia. *Hæc*, inquit, *ad poſteritatis notitiam evidenter volo diſtinquere, quæ ex ſupradictis bonis ad ejusdem Eccleſiæ miniſteria pertineant. Ex ſupradictis ſex Berquariis, ad Præpoſituræ Beneficium ſingulis annis viginti, & unam libras, & decem ſolidos conſtituo, ad ſuſtentationem Eccleſiæ 25. libras, ad emenda luminaria quatuor libras, ad hoſpites recipiendos, centum & ſexaginta hotos avenæ, & novem libras, ad clauſtrales Officinas faciendas, & reſtituendas, redecimationem bonorum meorum Caſſelenſis Caſtellaturæ; ad utenſilia dormitorii, Refectorii, Cellarii, & Coquinæ ſex libras.*

Hoc quoque (pergit Robertus) *conſtituo, & diligenter obſervari præcipio, ut ex ipſis Fratribus ſeptem ſint Sacerdotes, quinque Diaconi, ita, ut ſi numerus iſte quolibet caſu aliquando minor exſtiterit, quantò citiùs ſubluxerit opportunitas, Prælati providentiâ ſuppleatur. Octo reliqui Fratres in ordine Subdiaconatûs, & cæterorum graduum, prout injunctum fuerit à Prælato, miniſtrabunt.*

Item conſtituo, eoſdem Fratres caſtitatem ſervare, ſimul comedere, ſimul jacere, cum habitu Religionis infra Clauſtrum incedere, & cætera, quæ Canonicorum ſunt, ſollicitè obſervare. Hæcque omnia tanquam rata, ac firma *Robertus* cum Filiis ſuis, multiſque teſtibus, ipsóque *Gerardo* Epiſcopo roboravit annô 1085. &, ut hæc fundatio fortior ſubſiſteret, ipſius deſuper *Philippi* Regis Diploma pro munimine imploravit, obtinuítque eôdem annô, in quo Rex ait, ſe à *Roberto Regiæ Celſitudinis reverentiâ obſecratum fuiſſe, ut præcepti ſui authoritate muniret Abbatiam quandam Canonicorum, quam ad honorem Omnipotentis ----- & in titulo & memoria S. Salvatoris, & S. Petri Apoſtolorum Principis fundaverat.* Et enarratis locis eidem Abbatiæ conceſſis *hæc omnia confirmandô præcipit, & præcipiendo confirmat, ut ſicut Atrebatenſis S. Vedaſti Abbatia præcellentiſſimi Regis Theodorici inſtitutione à Cameracenſi Epiſcopo, & cujusque exactionis dominatione libera eſſe comprobatur, ita iſta à Tervanenſi Epiſcopo ſuæ Majeſtatis abſoluta ſolidetur imperiô.*

Confirmavit deinde omnia hactenùs à Caſletenſibus Canonicis obtenta privilegia, atque poſſeſſiones, *Samſon* Remenſis Epiſcopus annô 1141. liberam eis inſuper Præpoſiti electionem attribuens.

Porrò quod de cauſa hujus fundationis ex Iperio adduximus, dubito, an hæc aſſertio ſeveriori ſubjecta examini manes ſuos paſſura non ſit: eandem enim, quam *Lambertus* Ardrenſis *Wattanenſi*, Iperius *Caſletenſi* aſſignat: ut hinc, ſeu ex loci propinquitate, ſeu ex ejusdem Fundatoris, ejuſdémque temporis,

quô

quò utrumque hoc Cœnobium fundatum eſt, ratione perſuaſus, quam uni fundationis cauſam dare debuiſſet, attribuerit alteri. Quod ſi tamen dicas, non repugnare *Robertum* Friſium tam Wattanenſem, quàm Casletenſem Abbatiam fundare, eôdem motivô obtentæ victoriæ inductum, potuiſſe, reſpondeo, meâ non multùm intereſſe, ut hac de re litigem; ſufficit námque *Lambertum* Wattanenſia Acta meliùs, quàm Iperium Casletenſia noviſſe. Inſuper videtur Iperius in fundatione hujus Abbatiæ offendere, quippe qui eandem ad an. 1071. reducit, cùm tam litteræ fundationis apud Miræum in Supplemento, quàm regiæ confirmationis annum præſeferant 1085. cæterùm tamen nemini, cui horum Authorum fidem potiùs adhibere oporteat, neceſſitatem imponimus.

Exſtat hæc Eccleſia in Urbe Caslet. Iperius in Cbron. Lambert. Ardr. c. 28. Mit. Suppl. Donat p. 1138. & 1213. idem L. de Can. ſæc. c. 81.

Fund. circa an. 649.

Caſtrilocenſe ſeu Waldetrudis. S. Waldetrudis S. Vincentii Conjux, Sorórque *B. Aldegundis* ſicut marito ſuo non minor ſanctitate, ita & liberalitate in fundandis Cœnobiis fuit æqualis: nam, ùt ille Altimontenſe, ſic iſta ex prædiis propriis, & dotalibus beneficiis in honorem *S. Mariæ* Parthenonem pro Sanctimonialibus condidit, in qua ipſa prima omnium, ùt narrat Baldricus L. 2. c. 39. ſacri velaminis habitum circa annum 649. ſumpſit. Neque hìc dubium ſubit, à prima fundatione Canonicas Virgines ſubſtitiſſe, certè, cùm *Lucius* III. Pontifex annô 1181. privilegia, & poſſeſſiones hujus Collegii 30. nobilium Canonicarum confirmaret, in dato Diplomate *Eliſabeth* Prioriſſæ *S. Waldetrudis, ejúsque Sororibus Canonicam vitam profeſſis &c.* cumprimis ait: ut *Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibûs inviolabiliter obſervetur.* Neque refert Patres Bened. in Gallia Chriſt. T. 3. p. 144. hoc Collegium pro tempore illo, & antea ſuo Ordini aſſerere, nimìs enim apertè *Lucius* in præfata Bulla Ordinis inſtitutum definit. Pro prioribus autem temporibus unquam alteriùs, quàm Canonicæ Profeſſionis Virgines inibi habitâſſe, dubito, an probari poſſit. Certè *Baldricus* ſolùm in eo loco exſtitiſſe Canonicas dicit, cum primùm in Hon. B. Virginis à *S. Waldetrude* exſtructum illud Cœnobium, dein nomen ab hac S. Patrona ſucceſſu temporum ſortiretur: cæterùm, ſi quod authenticum documentum à parte diversè ſentiente adductum fuerit, ut certò conſtet ibi *Monachas*, non *Canonicas* vixiſſe, dabo manus, nec invitè: quis enim, niſi inſipiens cedere renuat veritati. At iîs tantummodò motivîs ad alia ſentiendum non perſuadebor, quibûs Author Annal. Bened. omnes conatur ſacras Virgines ante tempora *Ludovici Pii*, hoc eſt, ante ſæculum 9. ſuo ſacro Ordini adſcribere, quòd aut nomen Canonicarum uſquedum inauditum eſſet in his Germaniæ partibus, aut quòd (utì diſertè de Caſtrilocenſibus eidem aſſerere libuit) eædem vocari ſolebant Cœnobitæ, velut de *Malbodienſibus* quóque; *Nivialenſibus*, & *Romanienſibus* diſcurrit, aut deníque quòd ex Romano Concilio ſub *Nicolao II.* inſtitutum Canonicarum reprobetur potiùs, quàm confirmetur, tanquam ſcilicet quædam à vita priſtina regulari, ac monachica relaxatio, ſic ipſo in concilio perorante *Nicolao*: *Ante notam Aquisgranenſem Synodum, nullam aliam, quàm S. Benedicti univerſalem Regulam apud Latinos receptam fuiſſe, & hujusmodi Sanctimonialium inſtitutionem uſque tunc totam Aſiam, Africam ſimul, & Europam, exceptô unô minimô angulò Germaniæ, nec ſciviſſe, nec recepiſſe, quam quotquot receperunt, à tempore præfati Ludovvici recepiſſe comprobentur.* *Canonicas* enim verè

Regulares, ac *Religioſas* etiam ante Ludovicum exſtitiſſe, & nil minùs, quàm Monachicas, Ordiníque S. Benedicti adſtrictas fuiſſe, comprobant jam à primis ſæculis notæ duæ ſacrarum Virginum claſſes; quædam enim monaſtico more ſibi ſolis intentæ vivebant, ſeparatæ à turbis in clauſtris, aut ſi in domibus paternis, alienæ tamen, quantùm fieri poterat, à ſtrepitu mundano: econtrà aliæ, quales jam ab Apoſtolorum temporibus exſtitiſſe legimus, Eccleſiaſticis obſequiis illigabantur, à *Sigeberto* pro tempore Aquisgranenſis Concilii ad annum 820. Clericales Sanctimoniales appellatæ: *Aquisgrani*, inquit, *generali Conventu habito per diſpoſitionem Imperatoris Ludovici, Epiſcoporúmque, & Abbatum aliqua Capitula, ad uſus Regularium Monachorum addita ſunt, & multâ ſanctarum Scripturarum compilatione factâ, Clericorum, & Clericalium Sanctimonialium regulæ conſtituta ſunt.* Hæ *Clericales Sanctimoniales* illæ ſunt, quæ ſe ſemper à Monachabus diſtinxerunt. Jam tempore *Gregorii Magni* notiſſima illa *Sirica*, *Virgo Clericalis* retinebat pervicaciter (utpotè votis ſimplicibus adſtricta) teſtandi facultatem, cùm inter *Clericales Virgines* computaretur, at in Monaſterio Monacharnm Abbatiſſa conſtituta, jam Monachorum more juxtà recentem Gregorii acceptationem decreti à *Juſtiniano* Imperatore pro Monachis facti, teſtabatur invalidè: illa autem, ne huic ſubjaceret conſtituto uſque ad diem obitûs, indui ſe Monachica veſte noluit, ſed in veſte, quibûs loci illius utuntur Presbiteræ, manſit. Clariſſimus hic *Gregorii* locus eſt ad diſcernendas *Virgines Clericales ſacras* à *Monachalibus*. Unde Iſidorus, & Ferrandus Diac. c. 221. *Mulieres*, inquit, *quæ apud Græcos Presbiteræ appellantur, apud nos autem viduæ ſeniores converſæ, & matriculariæ, apud Antiochum Homil. 21. dicuntur Seniores conſecratæ.* Scilicet quia quadruplex erat velum, quò Virgines ſacræ amiciebantur, *Converſionis:* quod ſibi ipſæ imponebant. *Conſecrationis*: quod dabatur ab Epiſcopis, & erat idem quod velum Profeſſionis. *Ordinationis:* quò Diaconiſſæ, & Presbiteræ tegebantur, ac denique *Prælationis:* quod erat ſolarum Abbatiſſarum; at velum iſtud *Ordinationis* non imponebatur illis in Oriente ante ſexaginta annos, uſque ad tempora *Juſtiniani*, id eſt ſæculum ſextum, qui eos contraxit ad quadraginta, quæ conſtitutio etiam in quibusdam locis Occidentalibus obſervata eſt. Néque adhuc ſæculô 7.mò velabantur velô *Conſecrationis* ſimul, ac *Ordinationis* ante annum ſexageſimum, aut quinquageſimum, aut certè quadrageſimum: ſic Concilium Trullanum Diaconiſ- Can. 4. ſas præcipit velari, uti ſacri Canones ſtatuerunt, quadraginta ſcilicet annorum. Et *Gregorius* Magnus L. 3. Ep. 11. nullam niſi ſexagenariam Virginem, cujus ætas hoc, atque mores exegerint, velari permittit. Erat hæc velatio *Ordinationis*, quâ Diaconiſſæ, aut Presbiteræ ordinabantur, quarum munus deſcribit *Atto* Vercellenſis Ep. 8. *ſicut*, inquit, *Hæ, quæ Presbiteræ dicebantur, prædicandi, jubendi, vel docendi, ita ſanè Diaconæ miniſtrandi, vel baptizandi officium ſumpſerant, quod nunc jam minimè expedit.* Hæc Atto ſæculi decimi Scriptor. Erat igitur jam à primis temporibus, ùt diximus, duplex monialium Ordo, unus, in quo ſeſe ipſæ induebant velô continentiæ in ſignum Profeſſionis: Harum habitabant aliæ in ſeparatis domibus. aliæ in locis etiam deſertis, aliæ inter ſepta quóque cujusdam clauſtri coadunatæ ſibiipſis ſuis laboribûs, aut piorum hominum largitate, velut id in Monachis fieri ſolebat, alimenta curantes, de quibus Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyprianus, aliíque. Sed ordo alter erat illarum, quæ ſe miniſteriis Eccleſiarum devovebant, illas jam Baſilius Canonicas vocabat, de

de quibus meminit Socrates L. 1. c. 13. dum propenſum B. Helenæ in eas animum enarrat: *Virgines etiam*, inquit, *quæ inſcriptæ erant in Eccleſiarum Canone, ad epulas invitaret, ipſa illis miniſtraret &c.* Et hæ Virgines erant omnes, quæ à *Sigberto* ſubſequis temporibûs *Clericales* dicebantur; erátque harum veſtitus diſtinctus ab earum, quæ Monachæ erant, nihil habentes commune cum Eccleſiaſticis obſequiis. Sed quid de iſtarum regulari formâ ſcribemus? cùm æquè in illis, ac in Canonicis viris regula præter Canones Eccleſiaſticos omnis deſideretur, nec poterant magìs illæ, quàm iſti certâ aliquâ conſtringi. Hinc in Concilio Cabillonenſi annô 813. celebrato Canon. 53. ait: *Libuit huic ſacro Conventui quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus ſcribere, quæ ſe CANONICAS vocant: quoniam hæ, quæ ſub monaſticæ regulæ norma degunt, totius vitæ ſuæ Ordinem in eadem, quam profitentur, regula ſcriptum habent.* Erat autem hæc, regula *S. Columbani*, vel *Iſidori*, vel quóque *S. Benedicti*, ad quarum aliquam Monachæ hoc tempore ùt plurimùm conſtringebantur: at *Canonicæ*, quæ aliquantò etiam arctiùs cæteris conabantur ſui propoſiti, profeſſioníſque inſtitutum ſervare (propriô potiùs arbitriô, quàm Eccleſiæ decretô) aliæ vivebant ſecundùm regulam *S. Cæſarii* (quæ ipſa erat Auguſtiniana) aut *Donati Veſontionenſis* Epiſcopi &c. aliæ ſolis ſe Canonibus obligabant. His ergò (quæ ſe ideò præcipuè *Canonicas* vocabant) ex Patrum decretis ab hoc Concilio quædam præcepta præfigebantur, quæ tamen ſingillatim hic referre non admittit loci anguſtia. Cui regulæ Aquisgranenſis codex ad manus eſt, facilè reperiet, talia congeri obſervanda, quæ antiquiſſimi illius Virginum Clericalium inſtituti veſtigia aliqua adhuc manifeſtent: etenim, cùm circa ſæculum 8.vum jam cohiberentur illa Diaconiſſarum, aliarúmque ſacratarum fœminarum munia in Eccleſia miniſtrari conſueta ob multas intercurrentes inconvenientias, ſenſim coarctabantur magìs ad clauſtra hæ Virgines Clericales, ſeu Canonicæ, & ad majorem diurnarum actionum inter ſe occlusô oſtiô diſciplinam regularem obſervandam perſuadebantur magìs, quàm conſtringebantur ab Epiſcopis, nonnullæ etiam ſeipſas reducebant. Hinc magìs, ac magìs neceſſaria apparebat quædam particularis earum inſtitutio, quò ampliùs otioſæ eſſe poterant ab Eccleſiaſticis, publicíſque occupationibus: ideò hoc maximè tempore, ſæculô ſcilicet 8.vô, evolitabant quaſi hinc inde pro earum reformatione Canones, cùm cernerentur complures neglectô propoſitô, neſcio, quid ſæculare prætendere, & amare. Et mirum ſanè videretur (ſiquidem tempore *Caroli Magni* hæ Virgines Canonicæ ex ſola Monacharum laxatarum libertate protuberâſſent) mirum, inquam, ſi non aliîs cohibitionum, ſeveritatúmque Canonibûs eas ad priſtinum ſtatum ſtatum reduxiſſent Epiſcopi, quin ſaltem ſtrictiùs obligâſſent in Canonico inſtituto ſe gere, aut adſtrinxiſſent ad aliam regulam, cùm ſcirent, illas votivè profeſſas, adeóque ſponſo ſuo fœdifragas, quòd votum ſaltem paupertatis rejeciſſent. At nil minùs quàm tale quid hîs temporibûs in quibuscúnque demum conciliis reperitur expreſſum. In Vernenſi annô 755. Can. 11. dicitur: *De illis hominibus, qui dicunt, quod ſe propter Deum tonſurâſſent, ---- placuit, ut in monaſterio ſint ſub Ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub Ordine Canonico; & de ancillis Dei velatis eadem forma ſervetur.* Hic Canon utcúnque præcedit Epocham à Benedictino Annaliſta pro Canonicabus ſtatutam, quod obſervandum cupimus. Annô 813. in Moguntino Can. 13. præcipitur: *Abbatiſſas cum Sanctimonialibus omninò rectè, &*

juſtè vivere cenſemus, quæ verò Profeſſionem ſanctæ Regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, Canonicè vivant pleniter, & ſub diligenti cura cuſtodiam habeant, & in clauſtris permaneant, neque foras exitum habeant &c. Ex hoc gemino Canone apparet, quid conſtituerint Patres; nempe in utroque, ut Ancillæ Dei, & Sanctimoniales ſint aut ſub *Ordine Regulari*, aut ſub *Ordine Canonico*, ut aut vivant *regulariter*, aut *Canonicè*, ſed quid iſthìc eſt? aliud *vivere ſub Ordine Canonico*, aliud *ſub Ordine Regulari*. Aut, aliud vivere *Canonicè*, aliud, *regulariter*. Sanè illiberali quorumdam interpretatione, ut *regulariter*, aut *Ordo regularis* ſit idem, ac *votivè*, *Ordo* econtrà *Canonicus*, vel *Canonicè* idem ſit, ac *ſine votis*, &, ùt nunc dicimus, *ſæculari-Eccleſiaſticè* vivere. Cùm nihil magìs *regularitatem* dicat, quàm hæc vox *Canonicè*, ùt in Exegeſi noſtra oſtendimus: Itáque ſecundùm verum ſenſum ſuum explicaturi hunc Canonem dicimus, *Ordinem Regularem* hìc intelligi *Ordinem monaſticum* certæ monachili Regulæ, & vel maximè hôc ſæculô nonô *S. Benedicti* (ùt manifeſtat alter Moguntinus Canon) addictum, quod hoc tempore adeò de omnibus Monachis prætendebatur, ut cùm jam antea plures Viri Sancti præſidentes monaſteriis Monachorum adverterent difficulter planè obſervari poſſe ab iis primum converſionis fervorem, niſi certâ regulâ conſtringerentur, (velut jam factum *Baſilii* tempore) certatim Monachis certæ Regulæ, & penè tot, quot Monaſteria diſtincta fuerant, præſcriptæ ſint. *Monachis*, inquam, at non *Clericis*. Ad quod planè confert illud *Gregorii* effatum: *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequiis deſervire, & in monachica regula ordinatè perſiſtere, ut ipſe monaſterii diſtrictionem teneat, qui quotidie in obſequio Eccleſiaſtico cogitur permanere* (quod incidenter hic dictum, obſervatum velim ab iis, qui in Canonico Ordine noſtro

L. 4. Ind 13. Ep. 1. ad Joan. Raven.

tam vehementer à ſui inſtitutione, Eccleſiaſticis obſequiis tunc principaliter deputato regulam prætendunt, ut ſpeciem certam religioſi Ordinis aſſerant) ſed hâc ipsâ regularum multiplicatione confuſionem non modicam in monaſticum inſtitutum ingerente, multò magis ea regulæ neceſſitas emergere videbatur ſæculis poſteris; itáque ſæculô 7.mô præcipuè in Gallia prævalere cœpit regula *S. Columbani*, dein ſeſe ſenſim aſſociabat regula *S. Benedicti*, ut in multis monaſteriis dicerentur vivere *Monachi, & Monachæ ſecundùm regulam S. Benedicti, vel Domini Columbani*: ùt videre eſt apud Dacher. Tom. 10. p. 629. plura hujus rei exempla. Demum non ſine magno labore evictum eſt, ut paſſim ſolam *S. Benedicti* regulam Monachi Galliæ, & Germaniæ ſæculô cumprimis nonô (operam ſuam Benedicto Anianenſi conferente) reciperent. Neque Monachus jam à ſæculo ſeptimo æſtimabatur, niſi qui ſecundùm certam monachicam regulam viveret, & hoc erat *regulariter*, id eſt, *ſecundùm præfixam monaſterialem Regulam* vivere. At quia univerſim omnes Clerici nulli adhuc tali ritu inſtructæ regulæ alligabantur, ſed ſola Canonum moderatione regebantur; hinc iſti dici ſolebant *Canonicè* vivere, oppoſitè quidem *regularitati*, in quantum illa includit regulam monaſticam ſtrictè ſumptam, minimè autem adversè, in quantum Canones æquè, ac regulæ illæ præcipiebant votorum obſervantiam, & perfectionem paupertatis. Quodſi enim nulla fuiſſet in Clero ſeu virilis, ſeu fœminei ſexûs obligatio, quàm fruſtra, ne dicam inutiliter, tot Canones eorum temporum editi, identidem de ea diſſerentes, jam quidpiam in expropriatione remittebant, jam rursùs reſtringebant? non opus erat hìs cautionibûs, ubi nulla metuenda erat expropriationis violatio. Certè Concilii Aquisgranenſis Regula fœminis præſcripta (quam mirum in modum ob nimiam

Vide Bolland. in vita S. Ben. Aniani 2. Maji.

miam in hoc ipſo puncto remiſſionem ſugillaverat *Nicolaus II.*) hanc tamen cautellam adjecit Can. 9: *Providendum eſt his, quæ ob amorem Chriſti caſtimoniæ ſe dicaverint, & in Collegio Sanctimonialium ſe admitti poſtulaverint, ut res ſuas, antequam monaſterium ingrediantur; ita diſponant, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occaſione patiantur perturbationem. Proinde, ſi aliqua Sanctimonialium res ſuas proprias Eccleſiæ ita contulerit, ut nihil ex his ſibi proprium vindicare, ſed tantùm rebus ſuſtentari velit Eccleſiæ, huic ſufficienter in Congregatione ſtipendia largiantur neceſſaria, ſi autem Eccleſiæ eas tradiderit; & uſufructuariò habere voluerit, quæſtor Eccleſiæ eas, utpote Eccleſiæ, defendat; quòd ſi eas Eccleſiæ conferre noluerit, Abbatiſſâ, & cæteris Sanctimonialibus cohibentiam adhibentibus, committat eas per ſcriptum publicè roboratum, aut propinquo, aut alio cuilibet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat.* Itáque tria in hoc Canone obſervantur: Unum eſt de illis; quæ ſe integrè expropriant; alterum de iis, quæ ſua Eccleſiæ tradunt, at uſumfructum ſibi ſervant, tertium deníque de his, quæ, & uſumfructum, & res ipſas *ſuas* eſſe volunt, reſervantes ſcilicet ſibi jus legandi ad finem vitæ. Sed hæc non evincunt, ullas ex his tribus ſine voto ſimplici paupertatis fuiſſe, ídque patenter, ſi conferas, quæ de votis in Exegeſi notavimus. Dices fortè, nihil, & ne quidquam in primis à Canone adferri de voto expropriationis, adeóque etiam, quæ ſua Eccleſiæ dederant, id facere ſine voto conſueviſſe. Reponimus, hanc ipſam ſpontaneam abdicationem terrenarum rerum nihil aliud fuiſſe, quàm expropriationem votivam, quamvis, & aliæ duæ ſpecies hâc non excludebantur, ſed admittendæ erant, ob libertatem voti ſimplicis, quâ ſe nec Virgines Canonicæ, nec Viri deſtitui volebant. Néque prodeſt dicere, ideò *Auguſtini* Regulam in Regula Aquiſgranenſi omninò ſubtíceri, quòd illa paupertatem Evangelicam exertiſſimè præcipiat, quò vinculô Patres Concilii Aquiſgranenſis Canonicas nolebant conſtringere. Si ita l' ergò injuſtè *Nicolaus* à Patribus his conceſſum nimiam libertatem arguit, quam à vinculo paupertatis ſolutæ prætendere jure poterant, nec Pontifex inhibere. Alia ergò ratio ſubeſt, hæc nempè, noluiſſe Patres aliâ, niſi Canonum regulâ tam viros, quàm fæminas conſtringere Canonicas; cùm noſſent quantum motum paulò antè in Monachis cauſâſſet aſſerta obligatio eorum ad certam, & individuam regulam *S. Benedicti*, ùt Eruditis compertum eſt, nemine ex Monachis priſtinam ſuam regulam præcipuè *Columbani* dimittere volente; nec id effeciſſet Benedictus Anianus unquam, niſi evulgatâ ſuâ Concordiâ regularum monſtrâſſet, quidquid aliæ quæque monaſticæ regulæ præferrent, omnia ea providâ, & ſagaciſſimâ Sinopsi complecti regulam S. Benedicti, quò declaratò, demum flecti ad eam aſſumendam cœpêre. Quod idipſum, ſed tardiùs factum eſt apud Canonicos in Regula amplectenda S. Auguſtini: Tantùm ſcilicèt, ne alii à priſtino inſtituto ſuo Clericali per ſuſceptionem hujus regulæ haberentur, aut eſſent; quod tunc Patres Concilii Aquiſgranenſis non attentârunt quidem, quamvìs regulam Auguſtinianam nullàtenùs planè negligerent, quod patet in Regula Canonicorum. Nunquid enim aliàs *infirmos* illos dixiſſent, *támque infirmos, ut poſſeſſionibus ſuis renuntiare non poſſint:* Sanè non ſolùm excerptum hoc ex Pomerio mutuantes tánquam vero imitatore S. Auguſtini, ac Diſcipulo, ſed ex ipſius quóque Auguſtini effato, dicam etiam regula, utpote conjuncto, & velut unum cum Regula corpus efficiente ſermone 2. de vita Clericorum; vocantis ſimiles *cæcos, & claudos.* Nihil ergò obeſt, quòd

Vide Thomaſſ. T. 1. L. 3. c. 43 n. 9. 5. ſed & aliud.

quòd *Auguſtini* regulam Patres Aquisgranenſes non memorent, quibus ſatis erat, rem ipſam attigiſſe. Sed jam preſſiùs ad deſideratum votum reſpondendum eſt, quod cùm diſertè non legatur in hac duplici regula, inde nullô paupertatis vinculô, ſeu Viros Canònicos, ſeu Virgines Canonicas obligatas fuiſſe concluditur: quòd ſi hic argumentandi modus liceat, non video, aut ex regula *Auguſtini*, aut etiam ipſius *Benedicti* hoc votum proferri poſſe, in illa totum præceptum paupertatis votum adſtrui valet his verbis: *Nec dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* In iſta autem capite 33. at ibi de voto ne verbum: & in cap. 58. de ſuſcipiendis, ubi de paupertate, iſta; *Res, ſi quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut factâ ſolemniter donatione conferat monaſterio, nihil ſibi reſervans ex omnibus, quippe qui ex illo die ne proprii corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat.* At hoc non eſt *vovere*, ùt per ſe patet. Unde olim tanta erat voti in Religioſis certitudo, ut cùm vel veſtem monaſticam portarent per longius tempus, hæc ipſa in habitu Religioſo permanſio reputabatur pro voto, quamvis formaliter nullum emiſiſſent. Sic nemo dubitet vel ipſum expropriationis votum ſupponi in illa abdicatione, quin nec in iſta ſolùm, ſed in ipſa ad Canonicam talem Societatem aggregatione potuiſſe, donec demùm hæc Aquisgranenſis licentia omnem planè ſæculô cumprimis decimô, atque undecimô laxaret expropriationis fibulam, ut integræ Congregationes conſultò paupertatis votum repudiarent, fruſtrà reclamantibûs Conciliis, ac ſummis Eccleſiæ Præſulibûs. Atque hinc facilè licebit arguere, cur *Nicolaus* inſtigante *Hildebrando* vehementiùs, præcipuè in Regulam Canonicarum invectus ſit: utpote quarum animi raró moderamine debito ſeſe ipſos conſtringunt, cùm vident liberiora diſſimulando potiùs, quàm laxando concedi. Erat námque illis hæc aliquantò latior remiſſio ſemper amplior diſciplinæ religioſæ excutiendæ occaſio, quod factum fuiſſe, exempla eorum temporum penè innumera comprobant. At quòd dicat Pontifex *hujuſmodi Sanctimonialium inſtitutionem uſque tunc totam Aſiam, Africam, ſimul, & Europam, exceptô unô minimô angulô Germaniæ, nec ſciviſſe, nec recepiſſe, &c.* vehementer ſuſpicor, nè hic contextus ſit aliqua recentioris manûs interpolatio. Nunquid enim *Nicolaus* ignoravit Virgines Canonicas *Rhemis, Cabillone, Turonis* in Gallia? Præterea an Germaniam Vir moderatiſſimus tam facili probrô unum minimum angulum nominaverit, quam tot armis illuſtrem, tot præpotentem victoriis, tótque Viris eximiis, ac nobiliſſimis conſpicuam, imò in qua tum Romani Imperii Caput reſidere dignoſceret? denique nimis (ut dicam ſincerè, quæ ſentio) difficilis ſum, ut ſi quando in ſimilibus monumentis regulam *S. Benedicti* inſertam reperio, ſtatim, nulla ſe inſinuante ambiguitate, tali inſtrumento tanquam per omnia incorrupto, aut nullatenùs interpollato fidem adhibeam, cùm me jam utcúnque frequentiores iis immixtæ repertæ interpolationes ad exemplum aliorum doctiſſimorum Virorum reddiderint cautiorem. Certè Blandinienſe à *S. Martino* Papa *B. Amando* collatum Diploma verba illa *ſecundùm Regulam S. Benedicti* interpolata præſeferre, dudum Viri docti ſenſerunt. vide Miræ: Donat. Belg. L. 1. c. 1. & Bolland. in vita *S. Amandi* 6. Febr. §. 6. in Commentario. Vitam *S. Berthæ* Avenaciacenſis undecimi ſæculi Monachus olim ſincerè enarratam deſcripſit, ſed mox illis verbis: *Ædificia officinarum ſanctiſſima Mater * circa Ædes Dei militantium conſtruxit:* Interpolavit, ubi Aſteriſcum inſeruimus, ſequentia: *Sicut S. Benedictus præcepit.* Vide Bol. ad. 1. Jan. vitæ SS. Gum-

ber-

berti, & Berthæ, n. 6. S. Benedictum II. ſcripſit Anaſtaſius, quòd *ab ineunte ætate ſua* * *Eccleſia militavit.* Illinc ubi ſignum, interpolavit hæc verba Bucelinus: *monaſticæ vita conſecratus.* De Chronico Hauberti à Fr. Gregorio de Argaiz illuſtrato, & de Gregorio Epiſcopo Granatenſi in Catalogo Martyrum per eundem relato, quale, quantúmque figmentum ſit, meâ non eſt referre, utpotè jam ſatis per Bollandiſtas exploſum ad diem 7. Maji in prætermiſſis, & in actis Orientalis Hiſtoriæ Parergô 5. n. 70. quid de illo Diplomate à *Gregorio VII. B. Stephano* Grandimontenſi conceſſo ad an. 1073. ſentiendum ſit, in quo Eremitæ de Calabria *Fratres noſtri Benedictinenſes* dicuntur? ex ipſo Annaliſta Benedictino quæratur, L. 64. n. 38, & videbitur fluctuantis animi, & tantùm non omninò hoc Diploma reprobantis ſententia. Hæc intereà ſufficiant cautioris Lectoris judicio, quod de dictis adjunctis Concilio Romano verbis ferendum habet. Quamvis non me lateat, ab eodem Mabillonio in Appendice ad Tomum 3tium Annalium *putari*, ſe illud ex Originali ſumpſiſſe: At nunquid, & originale ſæculô undecimô à partium ſtudioſo conſcriptum, hac plauſibili in quorumdam auribus ſententiâ (præcipuè ubi Encomium circa Regulam *S. Benedicti* diſſeritur) potuit exornari? potuit ſanè: nam medii ævi Scriptoribus compluribus *viſum eſſe licitum pro pietate mentiri* longè ante nos Viri eruditi obſervârunt. Adde, quòd, dum *Nicolaus* aſſerere dicitur, non eſſe aut Imperatoris, aut Monachorum, novam in Eccleſia regulam introducere; hæc verba *Nicolai* ſenſum non ſonent: nam ejus tempore licuit adhuc cuique ſine ſummi Capitis requiſita approbatione, quod primò per *Innocentium II.* inhibitum eſt: néque Monachi Regulam Canonicorum introduxerunt, ſed Epiſcopi in dicto Concilio, quod fugere *Nicolaum* non potuit.

Sed eſto, ut admittamus, tanto cum plauſu *S. Benedicti* regulam (per ſe dignam ſanè omni præconiô) etiam à *Nicolao* commendatam fuiſſe, ut voluerit eam ſolam à Sanctimonialibus obſervari, an continuò inde concludas, nullas ſacratas Deo Virginum Congregationes fuiſſe, niſi Ordinis monaſtici, ac S. Benedicti? quis enim inducatur, ut credat, à ſola regula Ordinem denominari? alioquin, ut jam in Exegeſi ſcripſimus, omnes, qui ſub Regula *S. Benedicti* militant, *Melitenſes*, *Teutonici*, aliíque religioſi Equites erunt Ordinis S. Benedicti, quod eruditus quivis explodet. At hoc nunquam magis obſervandum putaveram, quàm mediô ævô, ubi cœpêre ſenſim quíque votivi ſibi ſollicitiori curâ de regula providere, edocti veſtigiis decedentium, quàm enormiter relaxatis habenis regularis diſciplinæ (ubi ſcriptæ certæ regulæ non eſſet coarctatio) in ſæculares mores præſtantiſſima monaſteria defluxerint. Hinc ſæculô ſeptimô per Galliam mirum in modum Regula *S. Columbani* vulgata, atque recepta eſt *in omnibus penè monaſteriis*, ùt enarrat Scriptor vitæ *S. Waldeberti*, & videri etiam poteſt ſæculum 2dum Bened. in Append. p. 109. ſed paulatim ſuppreſſa, cùm, ùt diximus, per Benedictum Anianenſem Regula *S. Benedicti* commendaretur, itáque néque Regula *S. Columbani*, nec *S. Benedicti*, adeò contrariantis naturæ fuerat, ut nemini, niſi ſolis Monachis, & qui hôc ipsô ſe monaſtico inſtituto mancipare cogerentur, præſcribi poſſet. Admittamus ergò in tantum ſanctiſſimam hanc regulam perſuaſu ipſius Magni *Caroli*, necnon Epiſcoporum, aliorúmque Sanctorum Virorum per totam Galliam, imò Europam prævaluiſſe, ut etiam à Virginibus Canonicis reciperetur, nunquam indè ſequetur eaſdem Profeſſioni ſuæ Canoni-

nonicæ renuntiando, Monachas fuiſſe Beoedictinas effectas; oam licèt non diffitear, quædam in eadem reperiri, quæ cum ſtatu Canonico, ac Clericali componi non poſſunt, ùt inrer alia eſt Caput 60. & 62. At quid iode? Nunquid eoim, & ipſis Virginibus Monachis Ordini Benedictino ſe conſignantibus, bæc Regula tradita in omnibus ab iis æquè obſervari oon potuit? ùt ipſe io ſuis Annalibus fatetur Mabillio, ergò id factum eſſe, quis ab ouat, ut quoque Canonicis Virginibus ſuô modô prodeſſet. Videmus apertè, & ipſos, qui in banc Regulam tanquam primi filii jurare ſolent, quædam aut immutâſſe (quæ obſervare nequièrant) aut certè prudenti Epikia correxiſſe; velut eſt, quod de abſtioentia à carnibus cap. 36. & 39. &c. de ſeptimanariis coquinæ c. 35, de artificibus Monaſterii c. 57. &c. præſcribuntur. Attemperari ergò potuit, ac accommodari non tantùm ſexui, ſed etiam inſtituto. Verùm dices, huic noſtræ opinioni refragari, ut, ſi Canonicæ ex inſtituto antiquo, & non ex Monacharum relaxatione, exſtiterint per ſe ſe Virgines ſacræ, an non potiùs Auguſtiniana Regula illis injungi debuiſſet? quam æquè credunt (qui pro antiquitate Virginum Canooicarum certant) jam olim, ſi non ab Auguſtino, ſaltem inde non diù iiſdem contraditam. At de hac Regula in Conc. Rom. altum ſilentium: Repooo Regulam S. Auguſtini jam ad initium Sæc. 9. nullatenùs latuiſſe, nam in Concilio Romano ſaocitum annô 826. Can. 3. refert Harduinus Tom. 4. Concil. col. 1258, *ut Sanctimoniales, & Mulieres, quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt; juxta Beatorum Benedicti, & Auguſtini Regulam, vitam ſuam in meliùs corrigant, & emendent, ſuperfluitatèmque veſtium, & inhoneſtatem deſerant; quod ſi non impleverint, ſi qua ipſarum mortua fuerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ. Prohibemus etiam, ne in earundem Collegiis aliqua, niſi quæ regulariter fuerit victura, recipiatur.* Quod verò in Concilio Aquisgranenſi expreſsè *S. Auguſtini* mentio facta non ſit, non probat Regulam ejus fuiſſe excluſam, nam io Regula ejusdem Concilii Canonicorum, ſermones duos S. Auguſtini contineri, certiſſimum eſt. Ut tamen nimiùm alteram, quæ Virginibus data dicitur, propugnem, quò minùs aſſerere liceat, partim interpolatam, partim fortè ſucceſſivis temporibûs mutilatam fuiſſe, id nunquam faciam: præcipuè dum me legiſſe memini apud Deſnoſium noſtrum, occurriſſe ſibi *tabularia Regulam* Aquisgranenſem *continentia, in quibus ea, quæ D. Auguſtinus pro Clericis inſtaurandis ſcripſit, oblitterata cernantur.* L. 2. de Can. ſec. c. 10. Utraque regula Aquisgranenſis per omnes Imperii Provincias mox à tempore celebrati annô 816. Concilii juſſu Imperatoris *Ludovici* divulgata eſt, & exemplaria adhuc tria eorum ſuperſunt, quorum unum *Sichario* Burdegalenſi, alterum *Magno* Senonienſi, tertium *Arnoni* Salisburgenſi Archiepiſcopis inſcriptum; ſed néque Italia hac inrimatiooe caruit. Verùm quia non vacat hic plures (quibus dicta exemplaria miſſa creduntur) Provincias eoumerare; ſufficiat pro nunc ſolam Eccleſiam *Teatinam* Aprutii Metropolim nominâſſe, etenim *Theodoricus* ſanctiſſimus Præſul hujus nominis primus propè *Ludovici* exitum ab bac vita, regimen hujus Epiſcopatûs obtinens mox io Eccleſia *S. Juſtini* Caoonicam, ùt refert Ughellus Ital. ſacr. T. 6. p. 679. n. 4. cum Eccleſia S. Salvatoris, & S. Agathæ, atque Xenodochio cooſtruxit, ubi regularem, & Eccleſiaſticam vivendi normam ad antiquam conſuetudioem reformavit. Quæ verba Ughellus ex ipſo Theodorici teſtimonio deſumpſit dicente, *cùm ſynodali more - - - reſideremus, præſentibûs nobiscum Presbiteris, & Diaconibûs, nec non & cuncto*

Clero

Clero præfatæ Sedis, ibique Chriſtô Dominô cooperante in cuſtodiam rectitudinis ſanctæ noſtræ Eccleſiæ ſtatueremus, ut ad meliorem quidem ſtatum Eccleſiaſticum in aliquo exerceremus conſuetudinem, quæ antiquitùs fuerit reconcilianda, ibique inter cætera cum conſenſu omnium prædicatorum Canonicam inſtituere certificavimus, habentes normam firmitatis, eò quòd à Domino Imperatore Auguſto per diverſa Epiſcopia jam diù ea fieri præceptum eſt - - - idcircò promptô animô illis conſentientibus Canonicam reconciliamus in Eccleſia Beati Juſtini cum ipſa Eccleſia S. Salvatoris cum terris, & vineis &c. Patet ſatis ex his, regulam Aquisgranenſem intelligi à Theodòrico per *normam firmitatis*; at verò ſi iſta Italiæ paſſim per diverſa nimirum Epiſcopia præcepta eſt, ſcire cupimus, an potuerit ſummum tunc Præſulem *Eugenium II.* latuiſſe? qui rectè cum (ubi hinc inde diverſis temporibûs acceptata eſt) Romanam Sedem obtinuit, annô ſcilicet 824. multîs titulîs *Ludovico* obſtrictus, maximè in cauſa ſui æmulatoris *Zinzini*, qui etiam hanc Aquisgranenſem conſtitutionem eò minùs ignorare potuit, quò certiùs novimus ipſa in Urbe Romana *Eugenium* cum *Lothario Ludovici* Filio annô eôdem conveniſſe, cum quo, non poteſt ſupponi, nihil de hac Cleri reformatione tractâſſe: & tamen *Eugenius*, cùm ſubſequentî annô, id eſt 826. nominatum Concilium celebraret, Canonicis Virginibus Regulam *S. Auguſtini* obſervandam præcipit, ſubticet Aquisgranenſem. Ni planè fallar, dicam, id nulla alia de cauſa, ſummum Præſulem feciſſe, quàm, ut nè cuipiam obreperet, novâ undique hâc regulâ Aquisgranensî divulgatâ, Auguſtinianæ obſervantiam per hoc ſuſtolli, aut aboleri. Ergò ſtantibûs etiam Aquisgranenſibûs conſtitutionibûs Regula *Auguſtini* ſaltem in Italia ſic commendata fuit, ne excluderetur ab illa. Quis inficietur autem, & id in Germania valuiſſe; eò magis, quò evidentiùs apparet ex allegato *Theodorici* Theanenſis Epiſcopi teſtimonio regulam Aquisgranenſem communem vitam ſic intendiſſe (quamvis mitiùs aliquantùm cum penitùs omnia dimittere nolentibus ex cauſis allatis ageret) ut ejusdem *normæ firmitate* inductus hanc ipſam communem vitam in Eccleſiam *S. Joannis* introduceret omnium plauſu, ac conſenſu.

Sed ut ad priora revertamur, cùm & ipſa *S. Auguſtini* Regula aliquantò in generalioribus conſiſtat, utpote à dietaria diſtributione precum, aliorúmque operum præſcindens, hinc eſt, quòd, reformandis præcipuè fœminis (ne otiosis ſine horarum diurnarum diſtributione, actionibûs torperent) plerúmque ſolerent aliæ conſtitutiones adjungi, ſed harum meliorem Patres tunc (paucis ſolùm immutatis) etiam pro Canonicis Virginibus de facili habere ad manus non poterant, quàm Regulam *S. Benedicti*, aliis jam penè aut obſoletîs, aut cum hac oppidò coaleſcentibûs. Hinc eſt, quòd ſæpiùs in antiquis codicibus, Regula hæc cum Auguſtiniana quaſi eôdem filô conſcripta reperiatur: ſic námque in Codice Augienſi annorum ferè octingentorum, ùt notat Mabillio in ſuis obſervationibus Codicum Germanorum §. 9, continetur Regula *S. Benedicti*, dein *S. Columbani*, deníque *S. Auguſtini*. In Codice alio Sanct-Gallenſi habetur Regula *S. Benedicti*, dein *S. Auguſtini &c.* Sed cur hoc? Profectò ſi rem, ut veritati proximiorem enunciem, non alia, meliórque cauſa ſubeſſe poteſt, quàm, quòd horum codicum poſſeſſores ſingulis hîs regulis indiguerint: *Auguſtinianâ*, ut ſecundùm eam Canonicè viverent, *Benedictinâ*, ut particulariùs diem ſuum nôſſent piè, religioséque tranſigere. Ideò *Chrodegangus*, cùm ad minutiora deſcendere ſibi in regula ſua viſum eſt, excerpta è Benedi-

ĉti regula inſeruit, quæ veriſſimè tanquam diſcretione præcipua, & ſermone luculenta facilè aliis, quamvis etiam ad ſingularia ſeſe extendentibus, ut *S. Cæſarii*, *Columbani*, & aliorum, palmam dictis ſæculis præripere potuit. De Canonicis Colonienſibus legimus in vita *S. Norberti* ſæculô undecimô ſcripta, quòd is aliquandò *in Capitulo cæpit primò, acceptô codice, alloqui Decanum, oſtendens ex verbis B. B. Gregorii, atque Iſidori, quorum ſe regulam tenere dicebant, quia ipſe, qui erat omnium Præpoſitus, & Magiſter, deberet eos ad rectum honeſtæ, & ſanctæ vitæ tramitem revocare.* Regula autem hæc S. Iſidori refertur in operibus ejusdem (apud me) editione Colon. annò 1617. à f. 490, & apud Holſtenium Cod. Regul. parte 2. pag. 197. quæ tamen propriè vocatur', & eſt *Regula Monachorum:* & nos in Exegeſi noſtra obſervavimus ex *Arnonis* Librô de Ordine Canon. Reg. cap. 22. qua ratione, quæ *S. Auguſtini* regulæ in ſingularibus deeſſe videntur, Canonici noſtri ex *S. Benedicti* inſtitutione, ſeu Regula plura utiliter mutuare conſueverint. Aliàs quóque Monialibus jam poſt Aquisgranenſem divulgatam Regulam in Concilio Moguntino annò 847. ſimpliciter præceptum eſt, ut ea *obſervent Moniales, quæ in Regula Sanctimonialium, & in Statutis Patrum continentur.* Quæ verba accuratè ab illis obſervari percupimus, qui Aquiſgranenſem Virginum regulam adeò abſolutè Canonicabus illis præſcriptam exiſtimant, ut præter illam nullâ aliâ obligarentur, expreſſa in hoc Canone cautione additâ: *& in Statutis Patrum continentur.* Ex quo manifeſtè apparet, jam tum regulam illam, quaſi quoddam Supplementum tantùm, aut additamentum ad antiquiſſima Patrum ſtatuta fuiſſe reſpectam, quâ ſcilicet ſuccurrebatur infirmis in abnegatione proprietatis, & quæ quodammodò leniùs interpretabatur, quod aliquantò ſtrictiùs Patres de hoc punĉto unanimi ore edicere conſueverunt. Ideò adjungere ad Eugeniani Canonis explicationem licebit, diſſimulatâ nimirùm Aquisgranenſi regulâ, ſolam *Benedicti*, & *Auguſtini* fuiſſe memoratam, ut ſcirent Aquisgranenſi tanquam aliundè tunc undíque deprædicatæ, ac vulgatæ, has duas omninò eſſe ammodò addendas. Quæ verò in illo Canone ultrò penſanda, ſunt verba illa: *Statuimus, ut Sanctimoniales - - - quæ Canonicæ nominantur, & irregulariter vivunt, juxta Beatorum Benedicti, & Auguſtini Regulam vitam ſuam in melius corrigant:* Nota Lector particulam illam copulantem Regulam *Benedicti* cum *S. Auguſtini*, & utrámque non aliis, niſi *quæ Canonicæ nonminantur*, præceptam; quô nihil clariùs eſſe poteſt, Virgines Canonicas, non Monachas, utrâque regulâ fuiſſe directas. Nec rurſum objicias, ideò hoc decerni; quòd Canonicæ iſtæ ex Monachabus proſilìerint, tanquam relaxatæ, hinc iis adhuc ad memoriam ſui priſtini ſtatûs Regulam S. Benedicti fuiſſe revocandam: novúmque harum fuiſſe ad initium noni ſæculi inſtitutum, Concilium Cabilonenſe aperire illis verbis, *Sanctimonialibus, quæ ſe Canonicas vocant &c.* *Thomaſſ. P. 1. L. 3. c. 44.* Leve planè effugium, quod non poſſe ſubſiſtere, ex relatis manifeſtè convincitur: Has verò voces, *quæ ſe Canonicas vocant*, quis potiùs ad novitatem, quàm ad diſcrepantiam aliquam à Monachabus denotandam explicabit? quod ſubſequens membrum hujus Periodi docet, dum dicitur: *Quoniam hæ, quæ ſub monaſtica Regulæ norma degunt &c.* Néque tamen refragabor, ſi nomen ſolùm attenderis; non minùs inſtituto antiquiſſimo harum Clericalium Virginum tardiùs, & fortaſſe ſub *Carolo* Magno (ſicut & Clericis Regularibus) obtigiſſe, ſed hoc nihil ad præſentem quæſtionem.

Idi-

Igitur aliud longè eſt *ſecundùm Regulam S. Benedicti vivere*, aliud *Ordinis S. Benedicti eſſe*, primum eò libentiùs admitto, quò intenſiùs ſemper regulam illam, & æſtimaveram, & in me ipſo optaveram, ſecundum neutiquam; licèt ad *Arnonis* noſtri effatum etiam à Canonicis, ſed ſine ullo ſui Clericalis inſtituti diſpendio, adimplerentur multa, quæ illius Ordinis fuerant, prout illud factum fuiſſe, documenta ſæculi undecimi, duodecimi, & ſubſequentium uſque ad 15.ti finem comprobant, præcipuè iis temporibûs, dum in multis monaſteriis Canonici Monachis habitabant commixti, ſicut intelligentibus, & veteres hiſtorias non ignorantibus loquimur. Unde uſque ad *Innocentii II.* ætatem, quâ diſerta, & definita diſtinctio per Regulam *S. Auguſtini* Canonicorum Regularium facta eſt à Monachis, nemo prætendere poterit, ut Regulæ certæ denominatione diſcrepantiam obtineat unum inſtitutum ab altero, niſi ſimul aliis indiciis, quæ nos dilucidè in Exegeſi noſtra dedimus, hanc ipſam doceamur.

Ex his ergò ſic conſtitutis jam ſatis percipiet Lector fundamenta noſtræ ſententiæ, quâ hunc, de quo agimus, Caſtrilocenſem Parthenonem æquè, ac alios per decurſum referendos noſtro Canonico inſtituto adjudicemus.

Nobiliſſima hæc Abbatia fuit, tum ob eximiam plurium ibi viventium ſacrarum Virginum Sanctitatem, tum ob ingentem benefactorum liberalitatem: Certè *Balduinus* Comes, dictus *Magnanimus*, ſui Patris exemplò provocatus, quanta huic Parthenoni bona præſtiterit, teſtatur Charta donationis annô 1201. eidem conceſſa, & altera fundati Altaris S. Jacobi de anno 1195. tum demum ratione eximiarum prærogativarum, quibûs tam ſummorum Pontificum, & præcipuè *Lucii III.* præconiô, quàm alióquin eminuit. Exſtitit enim plurimarum in Hannonia Eccleſiarum Mater, átque inde etiam, cùm jam ſæcularis eſſet, jus præeminentiæ ſibi adſcriptum per univerſum oppidum, Territorium, & Beginagium obtinuit. Cæterùm neminem verba illa *Lucii* Papæ offendant; *Eliſabetham* Prioriſſam nominantis, quaſi inde concludere liceat, tum fortè primò vitam votivam fuiſſe inductam: nam potuit id nominis obtingere tunc, ubi ſolemni ritu Regula *S. Auguſtini* eſt inducta, aut, latiùs fortè loquebatur Pontifex, aut deníque vacabat prima tunc Abbatiæ Sedes, quod non rarò in monaſteriis accidere ſolet, præcipuè dum ob intervenientes quandóque Controverſias electio Abbatum, aut Abbatiſſarum ad plures ſæpè annos differri conſuevit; deníque cùm ex Sammarthanis habeamus, titulum Abbatiæ jam ſæculô nonô commendatariis ceſſiſſe, ſolo *Decanæ* nomine primæ è Virginibus remanente, hoc vocabulum immutari in Prioriſſæ titulum potuit facillimè, quandoquidem ſæculô duodecimô plures è Canonicis quóque mallent *Priores*, quàm *Præpoſiti*, aut *Decani* nuncupari, vide, quæ de his Nominibus in Exegeſi diximus.

Exiſtit in Urbe Montenſi Hannoniæ Mir. Don. Piar. c. 100. Foppenſ. Nov. Coll. P. 2. c. 66. & c. 79. alíique per decurſum citati.

S. Catharinæ Prioratus Windeſemenſis. *Fund. ... Exſtinct.* Meminit hujus Buſchius in ſuo Catalogo anteriori monaſteriorum his verbis: *B. Catharinæ propè Novimagium.* Non minùs ejuſdem memoriam facit Chroniſta Bodecenſis: *Domus*, inquit: *B. Catharinæ juxta Novimagium Diœc. Colon.* iſtius loci Alumnum, Profeſsúmque fuiſſe *Hermannum von der Stecke* quintum Bodecenſis monaſterii Priorem vitæ ſanctitate præclarum idem Chroniſta enarrat, dum ait: *Poſtquam præfatus*

tus Prior D. Meinulphi monaſterium in quintum annum laudabiliter rexerat, ac ipſius inveſtitionis domus D. Catharinæ Virginis propè Novimagium ſituatum, proprio paſtore viduata fuit, eadem domus ipſum ad ſe revocans, in Priorem ſibi, prout licuit, prælegit, ubi dum aliquantulum tempus exegerat in regimine, jam ſeniô confectus, ac viribûs deſtitutus ultimum clauſit vitæ ſuæ diem. Hæc de Prioratu iſto nobis relicta ſunt, ut differeremus: Haud intereà ambigimus, multa notatu digniſſima latere, quæ in eo à viris Religioſis geſta fuerant, ſed quod temporum injuria noſtræ memoriæ non ſubtraxit, Sectariorum delevit invidia, quæ pariter ipſum hoc monaſterium dudum profanis ſuis uſibus impendit.

Exiſtit, ùt ex citatis Authoribus habemus, propè Noviomagum Hollandiæ. Buſch. L. 1. Chron. c. 44. Chron. Bodec. cap. 31.

Fund. ſec. 12. Floret. Cauvvenberg ſeu S. Jacobi frigidi montis Præpoſitura mitrata. Latet hujus Eccleſiæ certa origo, cujus vetuſtiorem annô 1151. memoriam necdum inveni; quam ſi authenticis teſtimoniis productam habuero, non ambigam ſubſcribere ſententiæ affirmanti *Ludovicum Pium* annô 830. hujus exſtitiſſe Conditorem. Habemus *Henrici I.* Brabantiæ Ducis, ac Fratris *Guilielmi* Diploma datum annô 1201, in quo hæc verba notanda: *Ego Henricus Dux Lotharingiæ terram in Rusbruc ---in uſus Canonicorum S. Jacobi in Caldenberga liberam contuli &c.* dein *Wilhelmus* in ſua Charta inquit: Quòd ſe annuente, per ſcriptum Domini, & Fratris ſui Ducis Lotharingiæ, *Wilhelmus devotus Sacerdos terram quandam 12. bonaria continentem in Eleemoſynam contulit Eccleſiæ S. Jacobi de Caldenberga, ad uſus Clericorum ibidem Deo deſervientium.* Ex quibus diſcimus Canonicos ſæculi 12. fine hunc locum incoluiſſe; quâ verò tum normâ vixerint, incompertum. Conſtare, dicit Hiſtoriæ Mechlinienſis Doctiſſimus Editor, optâſſe Canonicos illos, & rogâſſe, aſſignari ſibi regulam *S. Auguſtini*, idque *Godefridum* Cameracenſem Epiſcopum ipſis conceſſiſſe an. 1228, datis litteris conſensûs Capituli ejusdem anni: at utinam illas potiùs, quàm ſubſequas *Henrici*, *Wilhelmi*, *Alexandri* IV. Papæ, & *Philippi* Regis huic ſuo inſeruiſſet Operi, utpotè his dudum in codice Diplomatico Miræi, ac Foppenſii exſtantibûs, illis utrobíque deſideratis, maximéque dubium reſoluturis hactenùs agitatum, cui tempori regularitatem, tum primò, tum ſecundò in hoc monaſterium inductam, affigere oporteat.

Communiori nomenclaturâ hæc Præpoſitura *Parochialis* dicitur, quòd ea ſecundum dignitate inter ſeptem urbis Bruxellenſis Paræcias locum obtineat. Prætereà Prælatus ejusdem, eſt Capellanus hæreditarius Ducis Brabantiæ, Mitrâ quoque in ſacris ex privilegio Sedis Apoſtolicæ annô 1461. ſibi conceſſo utitur, quod notavit Miræus: At clariſſimus Hiſtoriæ Mechlinienſis Editor primum mitratum Præſulem ſtatuit *Ægidium Straël*, qui obiit annô 1500. igitur pluſquàm quadraginta annorum regimen Ægidio tribuamus, neceſſe eſt, cùm in privilegio ceſſi à Philippo Bono eidem Eccleſiæ S. Jacobi Juriſpatronatûs in quatuor opulentas Parochias, annô 1460. idem *Ægidius* Præpoſitus memoretur.

Unicus, íſque vigeſimus octavus, *Dionyſius* nempè de Carnin ex Abbatia S. Gertrudis huc poſtulatus Lovaniô annô 1634. titulum Abbatis à ſummo Pontifice pro ſe tantùm impetrâſſe refertur à præfato Authore, quod, quo ſenſu intelligendum, necdum conſecutus ſum. Præterquam enim, quòd vix dubitem, hujus loci Reverendiſſimum Præſulem decore Abbatiali quoad uſum Pontificalium ornatum,

natum, cæteròquin juribûs Lateranenſis Congregationis gaudere, parùm intererit Præpoſitum ſe, an Abbatem nominet, neutrô titulô minor. Nunc Clavo præſidet Reverendiſſimus *D. Joannes Terſtevens* 2. Julii annò 1720. inauguratus.

Sita eſt hæc Præpoſitura in monte frigido vulgò Cauwenberg Bruxellæ propè Palatium Regium. Mir. Cod. Dipl. Don. Belg. L. 1. c. 67. & Suppl. P. 2. c. 140. Geſtel. Hiſtor. Mecbl. Tom. 2. p. 23. ſeq.

Choquenſe S. Joannis Bap. Abbatia. Primitùs *B. Mariæ:* conditum fuiſſe dicitur pro Canonicis, veri tamen exordii, ac progreſsûs certitudo usque ad annum 1120. nobis non ſuppetit. Præfato itaque tempore cernens *B. Joannes* Morinenſis Epiſcopus, laxiſſimo tramire Canonicos in hoc Cœnobio converſari, ipſiúsque *Eccleſiæ Sacerdotia, Hugonis, Anſelmi, Balduini, Rufi nobilium ſanè Virorum nutu, ac libidine* (ùt inquit in ſua Gallo-Flandria Bucelinus) *contra jus, fásque conferri, plurimùm certè pro rei gravitate indoluit, ſtatimque conſilium iniit, Regularibus eam Canonicis, iisdem, ac ritus vivendi, tribuendi, & quidem adeò feliciter laboravit, ut ædificatô in eorum nobilium arce monaſteriô, ſæculares Canonicos beneficiis nudaverit, ibique homines D. Auguſtini Regulam Profeſſos conſtituerit, qui cenſibûs fruerentur: habuitque poſteà gratum, ratùmque id inſtitutum Eugenius III. Pontifex Romanus, qui ea de re ſacrum Diploma conſcripſit.* Hæc Bucelinus.

Addunt Samarthani, tempore *Milonis* Epiſcopi Morinenſis Eccleſiam iſtam cum Cœnobio funditùs everſam fuiſſe, indéque alteram extra pagum in loco tranquilliori, haud procul Bethunia, collocatam, à *Deſiderio* deníque itidem Morinenſi Antiſtite in honorem *Dei, S. Mariæ* Virginis, & S. *Joannis* Bap. annô 1181. conſecratam. Primus, qui Præſul huic à Divo *Joanne* reſtitutæ Canoniæ præſidere juſſus eſt, *Gualbertus* erat, de quo tamen nihil nobis præter nomen relictum. *Manaſſes* hujus loci ſextus Abbas præcipua à Dominis Bethuniæ beneficia obtinuiſſe reperitur, inter quæ primum eſt, curatum illud *Steenvveke* nimirum, elegans Parochia, quam Robertus de Bethunia peculiari donationis chartâ unàcum jure Patronatûs perpetuò habendam extradidit, quod actum dicitur annò 1182. an. dein 1220. ſe pias, ac liberales in idem Cœnobium exhibuêre *Mathildis* Domina de Choques, & *Beatrix* Comitiſſa de Guines, notabilem dotem huic contribuentes, quemadmodùm teſtantur litteræ ab iisdem conceſſæ, & à nobis ſuo tempore producendæ.

Cæterùm Abbas ſedet in Ordinibus *Arteſiæ*, & annô 1675. ad hujus Abbatiæ mitram aſſumptus notatur *Joannes Robart* vir magnarum planè dotium, quem dubites, aulæ Regiæ Oratorem tum an Gallia majorem viderit? Certè ejusdem *Ludovicus* aliquando eloquentiam cum ſtupore, & admiratione avidè excepit, eùm à tota Arteſia is ſolus dignus ex præclaris ſubjectis, ut eligeretur, viſus eſt ad Regem Legatus mittendus: quod munus quóque tam dextrè exſequebatur, ut, quod omnes alióquin non poterant, ipſe ſui ſermonis ſuavitate, ac pondere rationum evinceret. Néque tamen hic ultimus erat, quin adhuc hodie Succeſſorem reliquerit ſui fortè non abſimilem Reverendiſſimum D.D. *Patritium de Goüy* regiâ quidem ſchedâ nominatum, ſed quem dignum tam domeſtica vota, quàm ipſum Cœlum jam antea conclamârunt. Cui vitam, & regimen diuturnum precamur.

Sita eſt hæc Abbatia in Oppidulo hujus nominis in Arteſia, mediò milliari Gallicô à Bethunia Occidentem versùs, quam in ſua mappa

pa notare omiſerunt Samarthani. Foppenſ. Nov. Collect. P. 2. c. 97, & P. 3. c. 15. Bucel. in Annal. Flandr. L. 5. Acta SS. in vita S. Joan. Mor. Gall. Chriſt. T. 3. col. 518. & ſeq.

Fund. ſec. 9. Floret.

Ciſonienſe ſeu Ciſonium S. Caliſti Abbatia. Cùm *Everardus* Comes Flandriæ, ac Marchio potentiſſimus, non tam poteſtate civili, quàm virtutibûs adeò exquiſitis emineret, ut ab Eccleſia Catholica Sanctorum Catalogo accenſeretur, prout eundem hodiedum totum Belgium veneratur; cùm, inquam, hic S. Comes ſibi à conſcientiæ ſecretis virum haberet pium ſanè, ac integerrimæ vitæ, *Walgarium* nomine, huic ipſi conſilium, mentémque ſuam aperuit, Ciſonium Egregium ſui juris municipium non ſolùm Eccleſiâ aliquâ, ſed & congrua divinorum miniſtrorum ſocietate coadunatâ decorandi; Walgarius verò huic intentioni ſanctæ omnem poſſibilem mox operam adjecit; ipſe enim tanti boni apud Deum ſe quóque facturus participem eidem neo-extructo monaſterio *aliquas res ſuas legitimo jure, ac labore multo ad propriam dominationem aquiſitas tradidit, atque transfudit:* deſuper ſimul confectô inſtrumentô, ex quo ejuſdem licet haurire exordium; ait enim, in eo ſe *à fundamentis plurimùm deſudâſſe laborandô - - - quod eſt conſtructum in honore S. Salvatoris, & Beatæ Mariæ Genitricis ejusdem, in quo B. Callixtus Papa, & Martyr Chriſti corpore requieſcit*, dein enarratis donationibûs ſuis proſequitur: *Iſta omnia ſuperiùs commemorata tali tenore, ac ratione trado, atque confirmo, ut ipſa ordinatio, quam jubente Domino meo Everardo per chartam ordinavi, atque ſub manu cuſtodis conſtitui, de ſtatu Altaris hujus inconvulſa ſervetur. Et ut mihi manſio una ibidem concedatur, & quotidie dentur duo panes, quales ipſi Canonici accipiunt, & paria pulmenta &c.* Itáque ex hoc *Walgarii* documentô patet, primitùs in Eccleſia Ciſonienſi Canonicos conſtitutos fuiſſe, adeóque annô fundationis illius ſaltem 837. nam hôc annô Walgarii de dotatione hujus Eccleſiæ ſignata eſt charta: An pro Regularibus? vix ambiget, qui horum maximè temporum undique per Germaniam præprimis notam Aquisgranenſem reformationem attendet. Sed ùt compertum eſt, quàm lubricam multis hæc regula viam ſtraverit, ut non paùci ab ampliori rerum uſu deciderint ad omnimodam proprietatem, & è Regularibus, fatô quaſi inopinatô, evaſerint hôc modô Sæculares, idipſum & Ciſonio obtigit: nam elapſis à tempore fundationis ſuæ annis plùs minùs ducentis nonaginta duobûs, adeò ſui immutationem mirari debebat Ciſonium, ut ſe ipſum non noſceret. Lanquebant divina, terrenarum rerum cupiditas penè in totum, quod cœleſte ſapiebat, excluſerat, in Miniſtris, Canonicíſque Eccleſiæ hujus plùs videre erat, mundana tractari negotia, quàm Dei Sacramenta. *Juſtus igitur Dominus pius, & miſericors* (verba depromimus ex Chronica Ciſonienſi) *Eccleſiam ſuam dignatus eſt viſitare, & jacentem, & languentem ad elegantioris Ordinis ſtatum ſublimare. Mortuô ſiquidem Amalricô Præpoſitô, qui eam, ùt potuit, in vita ſua rexit, Hermannus Inſulanus ad obtinendum Præpoſituræ honorem contra voluntatem Clericorum, & communem electionem ipſorum acceſſit, unde, & inter eos diutina litigatio exſtitit, quam ille per induſtriam, & munificentiam ſuam aliquatenùs mitigavit: Erat enim vir dapſilis, affabilis, abundans divitiarum, ducens originem ex numero militum Girgariarum. Tunc duo Ciſonienſes Canonici, Dominus videlicet Lettardus, Dominúſque Robertus, Dominum Hermannum cœperunt frequentare, benignè eum alloqui, cum ipſo in platea ſedere; multa de contemptu hujus mundi eidem intimare. Erátque eorum hujusmodi con-*

confabulatio: uſquequò terrenarum deſideria ſequemur voluptatum, quæ nequaquam hominem queunt efficere beatum? Quid in extremo judicio Dei nobis conferet faſtus, & elatio? quid nobis prodeſt, ſi totum mundum lucremur, animarum noſtrarum verò detrimeutum patimur? Vita hominis nou eſt diuturua, ſalus ejus uou eſt continua, hodie eſt, cras uon eſt, hodie vivit, cras iuterit: hodie proficit, cras deficit. Frivola ergò, & tranſitoria relinquamus, ut gaudia cæleſtis Patriæ poſſideamus. Locus iſte quantò pro Reliquiis Sanctorum reverentior, tantò Ordini eſſet competentior. Unde cùm & hæc, aut his ſimilia præfati Sacerdotes ſæpeuumerò loquerentur, Dominus Hermannus iſtis tandem reſpondit: Verum eſt, inquit, quod dicitis, boua eſt veſtra exhortatio: nec iu aliquo falli poteſt veſtra locutio: ſed ſi certitudinem inteutionis veſtræ ſuper hac re cognoſcerem, forſitan couſilio veſtro voluntarius aquieſcerem. Date ergò fidem, nominate diem, Remis eamus, ut illic omnia, quæ locuti eſtis, opere compleamus. Quid plura? Morinium Tornaceuſis Eccleſiæ Canonicum quartum ſibi ſocium adſciverunt, ſermouem ſuum fide confirmaverunt, poſt modicum tempus Remis abiêrunt, cauſam Adventûs ſui Archiepiſcopo expoſueruut. Tunc Hermannus in præſentia Archiepiſcopi, multorúmque Religioſorum Virorum, qui ibi aderaut, primus ipſi Præpoſituram ſuam reddidit, Lettardus verò, & Robertus ſuas prabendas communi vitæ diſtribuendas: protiuùs Dominus Anſelmus Dionyſii Remeuſis Canonicus (erat is Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini, prout acta hujus Cœnobii Ordinis noſtri declarant) *ab omnibus eligitur; & licèt invitus, licèt uolens, licèt multùm renuens, apud Ciſonium conſecratus Abbas adducitur. Quæ autem lingua dicere, quisve valeat explicare, quæ, & quanta iu primo adveutu ſuo tam à Clericis, quàm à Laicis, tam à ſervis, quàm à liberis, tam à ſenibus, quàm à juvenibus, tam à ſuis, quàm ab alieuis paſſus fuerit, quas corroſiones, quas detractiones, quas divisiones, quas pervaſiones ſuſtiuuerit? ille tamen ſicut bonus Chriſti Athleta, ſicut veridicus Logotheta, ut multos lucrifaceret Deo, omnia æquauimiter accepit, fixum teneus in corde ſuo, quia Dominus JEſus Chriſtus ab injuriis Judæis, opprobria, ſputa, flagella, alapas, ſpineam coronam, crucem pro ſalute humani generis ferre non recuſaverit. Inthroniſatio autem prædicti Abbatis facta eſt à Clero, & populo Ciſouienſi in ſacratiſſimo die Epiphaniæ Domini annô ab Incar. Domini milleſimô centeſimô vigeſimô nonô, Epacta 28, concurreute I, Indictione 7. Honorio Papa Archiſterio B. Petri præſideute, Ludovico verò Monarchiam totius Galliæ teneute, ſub temporibus Raiualdi Remenſis Archiepiſcopi, & Simonis Noviomenſis Epiſcopi.* Hæc Chroniſta Ciſonienſis. Sic verò introductam noviter reformationem Canonici inſtituti ſecundùm regulam *S. Auguſtini* mox comitabantur approbationes, & gratiæ ampliſſimæ; primùm quidem *Rainaldi* Archiepiſcopi Remenſis, cujus hæc verba ex ejus Diplomate, eôdem annô 1129. dato, referre libuit: *Quod*, inquit, *ad ſalutem animarum, & ad Religiouis augmentum pertinere cognoſcimus, impigra ſolicitudiue auctore Deo, Poutificalis officii auctoritate adimplere juſtum eſſe perpeudimus. Herimannus ſiquidem Præpoſitus, & Theſaurarius Ciſônienſis Eccleſiæ, cujus fuudum juris Prædeceſſorum noſtrorum Remeuſium Archiepiſcoporum, & noſtri, ab antiquis temporibus fuiſſe, & eſſe couſtat, vitam ſuam emeudare volens, & ut prædicta Eccleſia ſecuudùm Regulam D. Auguſtini ordinaretur, cum nonuullis Cauonicis ſuis devotiſſimè ſupplicaus, Præpoſituram, & Theſaurariam, quæ de manu uoſtra ſuſceperat, in eadem mauu noſtra abdicavit. Poſtmodùm autem tibi in Chriſto Fili chariſſime* (*Anſelmum alloquitur*) *iu regularem Abbatem ejusdem Eccleſiæ Canonicè electo, Eccleſiam ipſam, & prædicta officia, Præpoſitura videlicèt, & Theſauraria conceſſimus, ita nimirum,*

ut decedentibùs ejuſdem Eccleſiæ Clericis, locò ipſorum alios ſubſtituas, qui divinâ aſpirati gratiâ, mores ſuos ſub regularis vitæ diſciplinâ coërcere, ac communiter ſecundùm SS. Patrum inſtitutionem omnipotenti Domino deſervire proponant &c. Confirmat dein omnes poſſeſſiones,jura,ac privilegia iisdemCanonicis favore ſpeciali: & cùm Anſelmus Abbas à quibusdam invidis infeſtaretur Clericis, tanquam cumRemenſi Archiepiſcopo pro regularitate inducta pactum aliquod Simoniacum iniêrit, idem Archiepiſcopus datô, eôdem annô, decretô, non ſolùm hanc à ſe, Abbatéque Ciſonienſi propulſat injuriam, verùm etiam declarat ſe per hanc reformationem ipſam Eccleſiam Canonico Ordini *regulariter reſtituiſſe*; adeóque nil novi Juris, pro quo pecuniam prætendere potuiſſet, induxiſſe. *Alexander* dein ſummus Pontifex annô 1179. eandem hanc *reſtitutionem regularem* ſuâ gratiâ, ac protectione confirmat,quod non minùs ſubſequi Eccleſiæ Præſules, & Archiepiſcopi Remenſes præcipuâ benevolentiâ præſtitêre.

Annô 1266. quædam ſimultas, ac diſſenſio inter Abbatem exorta eſt, ſuóſque Canonicos, quæ diſordinationem non modicam in ipſa regulari diſciplina causâſſe videbatur: hinc ad reformationem laudabilem proceſſum eſt, totúmque Capitulum in tres è ſuo gremio Concanonicos compromiſit, qui cum Abbate litem componerent, priſtinæque regulari inter utramque partem charitati providerent. Inde ordinationes quædam factæ ſunt, litteríſque mandatæ, in quibus præter alia Abbas obligatur de certis neceſſariis, & quidem præfixo tempore, providere: *ſingulis annis*, inquit ordinationum charta: *In Feſto B. Remigii, Abbas quadraginta libras Turonenſes in augmentum pitantiæ dare, & ſolvere tenetur, modò ſubſcriptò diſtribuendas: videlicet quòd in Feſto omnium Sanctorum cuilibet Canonico in Sacerdotali,& Diaconatûs ordine conſtituto,exceptis Priore de Beaurepaire* (de quo Cœnobio, ſeu Prioratu vide, quæ ſuprà diximus) *Presbiteris Parochialibus de Ciſonio, & de Camphaing, de uno Capello novo providebitur, donec dictus Abbas de eisdem aliunde ſua ſpontanea voluntate voluerit dictis Canonicis providere: & in Feſto Paſchæ ſingulis Canonicis in quocunque Ordine conſtitutis, & de caligis lineis annis ſingulis, & de quadriennio in quadriennium de crepidis idoneis.* Adduntur dein alia adhuc veſtimenta, ùt ſunt *Pellicea, veſtes lineæ*, quæ jubentur,cùm hactenùs de tela magis groſſâ, quàm deceret, datæ ab eodem finr, poſthac teneriores conferantur, & quidem pelliceum jubetur tale eſſe, cujus ulna quælibet ſit *valoris decem, & octo denariorum Turonenſium, & non minùs*; Rochettum verò, cujus ulna quælibet ſit *valoris viginti denariorum dictæ monetæ, & non minoris*. Præcipitur quóque Abbati bis in anno computum coram Conventu de ſua adminiſtratione reddere generalem duobûs terminis, videlicet menſium Martii, & Septembris. Denique alia plura, quæ nos ſuo tempore diſtinctè proferemus.

Hæc Abbatia meritò inter Nobiliores totius Flandriæ numeratur, utpotè cui non minùs magnifica ædificiorum ſtructura, quàm diſciplinæ regularis, vivorúmque in ea lapidum decentiſſima fabrica decorem, ac æſtimationem firmiſſimam adducunt. Erat eadem olim Congregationis Aroaſienſis nobiliſſimum membrum, dein victorinæ, nunc verò utrâque illâ exſtinctâ per ſe ſolam laudatiſſimè ſubſiſtit. Præterquam, quòd in ea adhuc jugiter reſplendeant ſui ſanctiſſimi Fundatoris continuata beneficia, cujus, nec non *B. Callixti* Papæ, ac Martyris ſacra Corpora continet, debitóque honore veneratur; quibus ſi addas Divorum *Giſlæ*, ac *Arnulfi* Armigeri, & Martyris corporalem ſacrorum oſſium præſentiam, quæ non minùs in hac

hac Ciſonienſi Baſilica requieſcunt; habebis quatuor illos quaſi Cherubin Ezechielis, quibûs Ciſonienſis Eccleſia tanquam certiſſimis Protectoribûs, ac Defenſoribûs ſecura gubernatur. Exſtant in quodam M. S. Ciſonienſi de *Arnulfo*, *Everardo*, & *Giſla*, ejúſque prole *Achaide* metra dimetra catalectica, in quibus translatio Corporis refertur *S. Arnulphi:* nos aliàs eadem dabimus. Cæterùm an *B. Callixti* corpus adhuc Ciſonii requieſcat illuc à *B. Everardo* translatum, necdum pro certo comperimus. Ipſi Domini Canonici ſolenni ritu commemorationem Sanctorum in ſua Eccleſia requieſcentium celebrant die 3. Id. Julii. id eſt 13. Feſtum verò *B. Everardi* 16. Decembr. ídque magno populi concurſu, ac veneratione. De his ſingulis, pauca dum delibavimus in hoc Compendio, ipſo in Opere fuſiùs, & accuratiùs diſcurremus.

Sita eſt hæc Abbatia in Ciſonienſi Municipio Flandriæ tribûs milliar. infra Inſulas Mir. Don. piar. c. 15. &c. Foppenſ. Nov. Coll. P. 2. c. 10. Hiſtor. Eccl. Ciſon. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 21. Boll. ad 29. Jan. in S. Arnulpho &c. Gall. Chriſt. Tom. 3. col. 24.

Fund. ...

Clementis Abbatia:

Hanc ut noſtro Ordini aſſeramus, Pennotus ſuggeſſit, qui ſcribit, illam in libro taxarum Apoſtolicæ Cameræ inter noſtras Eccleſias numerari. Aſcanius tamen Tamburinius in taxa à ſe relata hoc idem Cœnobium Ordinis dicit S. Benedicti, itáque, quid in hac ambiguitate referamus, non ſuppetit, donec certiora edoceamur.

Exiſtit propè urbem Metenſem. Pennot. L. 2. c. 39. n. 6. Tambur. de jure Abb. T. 1. p. 505. col. 1.

Fundat. ſeculare.

Condatenſe, ſeu Conde S. Mariæ Præpoſitura.

Olim quidem nobilis, ac opulenta Puellarum Abbatia, ùt inquit *Baldricus*, ſed poſt Nortmanorum in his locis depopulationem præ inopia paucorum Canonicorum monaſterium effectum, *Brunonis* præcipuè Colonienſis circa annum 960. opitulante favore, ſi Guiſio fides eſt. *Manaſſes* Cameracenſis Epiſcopus annô 1103. Altare de Heldenniis liberum uſibus Fratrum hujus Condatenſis Eccleſiæ conceſſit; quo tempore indubiè ſub vitæ communis vinculo Canonici ibidem vixêre: quando autem ſe proprietati addixerint, quâ nunc gaudent, non ſatis liquet.

Eſt in Oppido hujus nominis ad dexteram Scaldis ripam. Baldr. in Chron. L. 2. c. 42. Mir. not. Eccl. Belg. c. 57. Gall. Chr. T. 3. col. 76.

Fund. 1399. Floret.

Corſendankanum S. Mariæ, & S. Agnetis Prioratus Windeſemenſis. Congreg.

Exſtructus hic, atque fundatus eſt à *Maria* Brabantica Geldriæ Duciſſa, & Comitiſſa Zutphaniæ; cupiens enim *ſuæ, & ſuorum divorum progenitorum animarum ſaluti providere, terrenáque in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commerciô commutare*, infra territorium patrimonii ſui paterni de Turnhout Cameracenſis Diœceſis certas poſſeſſiones, & bona plurima, intérque ea locum de Korſendanck deputavit, ac donavit ad hanc ſalubrem intentionem, ut in illo ad laudem, & honorem B. & Glorioſæ Virginis *Mariæ*, nec non *B. Agnetis* V. & M. monaſterium Canonicorum Regularium Ordinis *S. Auguſtini* conſtrueretur. Aſſenſit piiſſimæ hujus Matronæ votis *Joannes* de Bavaria tunc electus Leodienſis Epiſcopus, commiſsâ integrâ causâ *Joanni* Averbodienſi Abbati Ordinis Præmonſtratenſis, annexo jure, ac Authoritate, ut primos ibidem Canonicos futuros veſte religioſa ipſe indueret, conſtitueret Priorem, ordinarétque ſingula, quæ expedire ad firmiorem Religioſæ, Canonicæque diſciplinæ perſeverantiam certiùs nôſſet. Quæ etiam hunc præclariſſimum Præ-

Præſulem viritim præſtitiſſe, dubitare non ſinit ingens Religionis in eo loco per ſuccedentia tempora incrementum:pro cujus confirmatione præcipuum eſt,quòd monaſterium hoc inter prima laudabiliſſimæ Windeſemenſi reformationi ſubmiſerit, usque nunc magno ſpirituali fœnore ut membrum huic Congregationi unitum florens, atque perſeverans. Vixêre in eo Viri doctrinâ, ac virtute eximii, inter quos ſæculô nuperô eminuit *Joannes Hoybergius* Prior hujus loci digniſſimus, qui eruditionem ſuam per editum Corſendenkanum Chronicon,olim à Joanne Latomo confectum, ſed à ſe notis doctiſſimis illuſtratum, orbi manifeſtavit. Cæterùm Originem ſuæ fundationis hoc Cœnobium annô 1393. obtinuit, confirmationem autem à præfato *Joanne* Electo Leodienſi annô 1398.

Hic Prioratus exiſtit in Flandria Theutonica tribûs milliaribûs ab Urbe Bruga. Mir. Suppl. Dipl. P. 1. c. 115. Hiſt. Ep. Sylvæduc. Chron. Corſendank. Foppenſ. Nov. Col. P. 2. c. 158.

Fund. ſec. 7. Ord. S. Bened.

Criſpinium SS. Petri, & Pauli Abbatia. Sæculô ſeptimô à *S. Landelino* pro viris Religioſis legitur exſtructa, néque tamen contendo pro Monachis, ac Canonicis; utpotè cùm pro his vetuſtiora monumenta ſuppetant, quàm quæ ex Baldrico Miræus ad an. 870. allegat: tum ſcilicèt hoc Cœnobium à Nortmannis vaſtatum, dein rursùs *reſtauratum* Canonicis ceſſiſſe. Undè, & à Baldrico dictum *Monaſterium Canonicorum*, ſed perperam à Miræo *Sæcularium*, cujus rei veritatem noſtræ in præmiſſa Exegeſi, rationes demonſtrant. Certè *Henrici* Aucupis tempore illos non uſurpatores, ſed juſtos, & commendatione dignos hoc monaſterium incoluiſſe, probant litteræ ejusdem Imperatoris annô 931. datæ. in quibus illis *devotè Deo famulantibus* beneficia aliquot conferre dignatus eſt. Cùm demum annô 1080. *Richildis* Hanoniæ Comitiſſa hoc monaſterium *retraxiſſe* dicitur de manibus Laicorum advocatorum; quæ ſanè notitia ſufficit, ut arguamus, horum malevolo ſpirituali um rerum abuſu factum, ut ipſorum quóque Canonicorum devotio labeſceret, & degeneraret in vitam ſæcularem, præcipuè, cùm jam Baldricus notaverit, ubi id in manus Sæcularium iſtorum Dominorum devolutum eſt, paucos tantummodò Canonicos ad officia divina fuiſſe delegatos, donec ad Ordinem S. Benedicti tranſiit. Certè,quòd *Criſpinium*, vel ad modicos annos eo tempore à Canonicis inhabitatum, quô Regula Aquisgranenſis totum penè Belgium obligaverat, inter noſtra retulerimus, debita in ſanctum hujus loci fundatorem propenſio fecit, cui (ſicut ex ejus Biographo diſcimus) Clericalis inſtituti ad multorum exemplum Profeſſori, monaſteriorúmque Clericalium Inſtitutori, ut & in hoc aliquid de noſtro in acceptis referamus, pietas non minùs, quàm gratitudo depoſcit.

Situm eſt hoc Cœnobium duobûs milliaribûs ſuprà Valentianas ad Fluv. Hon. Baldr. Chron. L. 2. c. 41. Miræ. Suppl. P. 3. c. 6. & 19. Gall. Chriſt. T. 3. col. 100.

Fund. 665. ſæcular.

Deodati Abbatia, aliàs Vallis Galilæa. Sic à Confiniis, & ultimis Lotharingiæ terminis, quibûs Germaniæ adjacet, dicta, fundata verò à *S. Deodato* circà annum 665. à quo & nomen obtinuit, ut *S. Deodati* Abbatia diceretur. Fuiſſe hoc monaſterium à prima ſui fundatione Monachorum usque ad an. 896. inde his,ob morum pravitatem ejectis, Canonicorum, at ſexaginta annis effluxis rursùs Monachorum, iterúmque his *ob Abbatis prodigalitatem, & imprudentiam* dimiſsis, ordinante *Friderico* Lotharingiæ Duce, Canonicorum,

rum, diſcimus ex Humberti Belhomme hiſtoria Monaſterii Mediani. Reductis altera vice Canonicis *Leo IX.* annô 1049. privilegium contraditâ Bullâ impertivit,ex qua habemus, eorundem vitam non ſolùm Canonicam nomine, ſed & inſtitutione regularem. Nam præterquam in illa Pontifex (ùt anteà fuerat, dum Monachis ſuberat) ſic adhuc *monaſterium* nuncupat, inſuper cuivis Epiſcopo vetat, *ſine permiſſione*, *aut invitatione totius Congregationis, monaſterii ipſius ſepta intrare*, *ſi autem* (proſequitur idem ſanctiſſimus Præſul) *aliquam transgreſſionem regulæ ſuæ fecerint Fratres, & à proprio Paſtore objurgari noluerint*, *nec non Prælatus*, *qui & idem eorum Epiſcopus, ſeditionem Congregationis ſedare per ſe nequiverit*, *tunc alios ſub eadem regula Deo ſervientes, ad ipſum monaſterium convocet*, *qui ſententiâ regulari ſcandalum deprimere curent*. Ex quibus verbis clariſſimè vitam regularem inter Canonicos tum viguiſſe cognoſcimus. Néque refert Richerium Chronici Senonenſis Scriptorem circà medium ſæculi 13. dicere, à *Friderico* Duce Canonicos *ſæculares* fuiſſe Monachorum locô inductos, quos in ſuis Annalibus Mabillio ſolùm Canonicos omiſſa *ſæcularitate* nuncupat: Richerius enim cùm ex ſuis temporibus priora metiretur, facilè Sæculares à prima inductione opinari potuit, quales ſua ætate jam exſtitiſſe conſpexit; cui tamen allata teſtimonia refragantur. Sed à ſæculo 13. ad hæc usque tempora probabiliùs ſæcularem jam hanc Abbatiam fuiſſe, ipſi quóque autumamus.

Exiſtit in Confiniis Germaniæ in Voſago. Hugo. Stiva g. ſac. Antiq. monum. f. 171. Humbertus Belhomme hiſt. Mediani Monaſterii p. 170. Richerius Chron. Senon. Edit. Dacher. T. 2. P. 615. Mab. Annal. Ben. L. 43. n. 23.

Fund. ... Dodevilla. S. Joannis Evangeliſtæ. Abbatia: De hac alióquin nullam notitiam nacti ſumus, niſi quam ex pauciſſimis verbis Miræi colligere dabatur, dum monaſteria Congregationis Aroaſienſis recenſens inter illa monaſterium à *Dodellieville* ſeu *Dodevilla* numerat: Tamburinius autem, inter illa collocat, quæ Taxam Cameræ Apoſtolicæ perſolvunt: *Joannis*, inquit: *Evangeliſtæ Dondiavuille Ord. S. Aug. pendit LXXX.* Cæterùm, cùm nec locum ejus, nec ſubſiſtentiæ actualis certitudinem ullam habeamus, in mappa omiſimus.

Miræ L. de Orig. Can. Reg. cap. 10. Tambur. de jure Abb. T. 1. P. 505. col. 2.

Dononienſe vulgò Dononium, vel Denonium, aut Denainum, item & Doneig S. Mariæ Abbatia. *Fund. 764. ſæcularis.* à S. *Regina*, ſuóque Conjuge *Aldeberto*, decem filiabûs omnibus cœlibem vitam eligentibûs, an. 764. condita dicitur, eidémque poſt *Aldeberti* obitum S. Regina prima Abbatiſſa præfuiſſe. *Porrò Virgines Dononienſes* (verba ſunt Locrii) *non monaſticæ, ſed Canonicæ, ſeu regularis vitæ genus initiô ſecutæ ſunt.* Conſentit Locrio Cointius Vir clariſſimus, deníque Miræus hoc monaſterium fuiſſe dicit *Canoniſſarum Reformatarum*, id eſt, *Regularium.* Obnititur Mabillonius in præfat. ſæc. 2. Ben. easdémque à prima inſtitutione velô Benedictinô exornat, at rationum motivis utcúnque debilibûs, & à nobis jam diù reſolutis, quibus haud inhærendum cenſemus.

Huic Parthenoni jam primitùs annexum fuiſſe Collegium, Eccleſiámque Clericorum ad ſacra obeunda ibidem inſtitutorum, teſtantur Samarthani, quamvis Virgines *Monachas*, & quidem *Benedictinas* eſſe velint; ex quibus eruimus, quàm bellè à quodam Scriptore jam aliàs relato dictum ſit, *Monacharum Cœnobiis nonniſi Monachorum fuiſſe adjuncta?*

At, néque *Monachas*, nec *Monachos* ſaltem usque ad annum 1151. hoc utrumque Monaſterium incoluiſſe mihi certum, cùm nè veſtigium quidem eorum in ullo, ad hunc usque annum, documento veteri exſtet. Annô 1029. reſtitutum Virginibus Benedictinis iſtud Gynecæum aſſeritur præpoſitâ *Ermentrude* Abbatiſsâ, ídque annitente *Gerardô* Cameracensi, & Atrebatensi Epiſcopô, & *Ledvinô* Abbate Vedaſtinô, nec non *Balduinô* Flandriæ Comite. Verùm, cùm non ex alio, niſi ex Baldrico hæc deſumpta ſint, ejusdem verba, expedit, ut referamus: *Rursùs*, inquit, *in vico Doneng Beata Rainfredis ex ſui juris rebus cellam fundavit, & Sanctimonialibus conſtitutis, ipſa etiam Abbatiſſa regimonium duxit. Hanc autem poſteà, incumbente inopiâ, inclinatam pauci Canonici incolebant; donec conſiliô Domini Gerardi Epiſcopi, & Leduvvini Abbatis* (quem non omnes editiones *Vedaſtinum* dicunt) *moderno tempore Balduinus Comes ad priſtinum ſtatum reſtituit, ibique Monialibus regulariter inſtitutis, Abbatiſſam nomine Ermentrudem præfecit.* Ad *priſtinum*, inquit, *ſtatum* reſtituit: ibi Monialibus *regulariter* inſtitutis: at nunquid *Benedictinis*? cùm Baldricus per *priſtinum* ſtatum *reſtitutum* nil aliud notaverit, niſi, eòquòd Sanctimonialibus ſucceſſerint pauci Canonici, per *Gerardum* rursùm reſtitutas eſſe *Moniales*, & quidem *regulariter inſtitutas*, hoc eſt, non acephalas, aut vagas, & ſub nulla diſciplina: *Regulariter* dicam ego, id eſt Canonum præſcriptis conformiter. Certè cùm aliàs Baldricus monaſticum inſtitutum apprimè ſoleat diſcernere à Canonico, néque negligat Benedictinum Ordinem alicubi introductum diſertìs verbis exprimere, cur id intermiſerit in hac narratione, ſi noviſſet à *Gerardo*, & *Balduino Benedictinas* conſtitutas fuiſſe. A *Carolo* Calvo factam pariter reſtitutionem legimus, at de *Benedictino* inſtituto nulla memoria. *Abbatiam*, ait hic *Adam.*
Princeps: *SS.ma Dei Genitricis Maria ----- quod nuncupatur Dononium ad priſtinum certamus reſtituere ſtatum*: ſed qualem? nempe ad *utilitatem Fratrum, Sororúmque inibi Deo militantium*, quod adhuc bis repetitur, néque *Monachorum*, néque *Benedictinorum* adjectô vocabulô; & quia *Carolus* inquit, ſe certare ad priſtinum ſtatum Abbatiam reſtituere, longè veriſimilius eſt, ſtatum hunc fuiſſe *Canonicarum*, quemadmodùm certum eſt, monaſterium virorum Parthenoni huic adjunctum fuiſſe *Clericorum*. Annô deníque 1151. *Eugenius* gravis negligentiæ arguit has ipſas moniales, datô hanc ob cauſam ſpeciali decretô ad ipſas, in quo ait: *Charitatis igniculum, qui fomes, & nutrimentum honeſtatis eſſe dignoſcitur, peccatis exigentibûs adeò in illis refriguiſſe, quòd monaſterium earum tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus penitùs ſit imminutum*, hinc *Godeſcalco* Atrebatenſi Epiſcopo in mandatis dedit, *ut gratam Deo Religionem in his Monialibus ſtudeat reformare, & monaſterium earum ad frugem melioris vitæ reducere &c.* Ex quibus patet, quidnam ſacer S. Benedicti Ordo vindicare in ſuam ſententiam poſſit, ut hoc Cœnobium ex ttina, quæ nobis nota eſt, reformatione ſibi adſcribat. Fundatum ex Baldrico audivimus à *S. Ragenfrede Dononium*, ſed de *Monachabus* (ne dicam Benedictinis) ſermo omnis reciſus: & ſi æquo Marte liberet ex vocabulorum interpretatione hanc quæſtionem diſſolvere, prout quibusdam in promptu eſt ex reperta voce *Regularis*, *Religioſi*, *Servi Dei &c.* extundere *Monachum*, facilè nobis eſſet, ex hoc ipſo Baldrici verbo *Sanctimonialibus conſtitutis*: *Canonicas* Virgines efformare, utpotè, quòd hanc nuncupationem Thomaſſinus diſertè dicat *Canonicabus* ſic propriam fuiſſe, ut eâ à Monialibus ſæculô præcipuè nonô diſcernerentur: adducto enim

Ca-

Canone 23. Concilii Moguntini, ſubjungit ipſe ſequentia, *Vix*, inquit, *dilucidiùs quidquam dici poterat ad Canonicas à Monialibus disjungendas, erant tamen Canonicæ non omnis obligationis expertes, cùm vocentur SANCTIMONIALES, ſuô ergò quôdam modô Moniales erant, quamvis B. Benedicti Regulæ non ſubeſſent.*

P. 1. L. 3. c. 43. n. 8. En! juxta Thomaſſinum Canonicæ *Sanctimoniales*, Benedictinæ Virgines verò *Moniales* nuncupatæ. Verùm nolumus ſolis verborum ſignis inhærere, ſed rem ex rei veritate perquirentes reperimus *Canonicas*, non *Monachas* Dononii vixiſſe. Non enim, ùt mox obſervatum eſt, fieri potuiſſe credimus, ut, ſi aut fundatæ ibi Monachæ fuiſſent, adeò illud reticuiſſet Baldricus, aut ſi in prima per *Carolum* Calvum circa annum 877. facta reſtitutione eædem inductæ, regulam S. Benedicti adeò omninò ſileret hic Princeps: aut ſi annô 1046. factum id eſſet per *Gerardum* Atrebatenſem Epiſcopum, hanc reformationem narrans Baldricus nihil de monaſtico inſtituto diffeireret, cùm, ùt ſuprà diximus, reſtitutionem factam per *Gerardum* dicat ad *priſtinum ſtatum*, non ad Benedictinum, utpotè quem usque tunc nunquam in eo viguiſſe legimus, aut deníque, ut ſaltem poſtremam, quam novimus, manum iteratæ reformationi imponens *Eugenius* non eas, quarum laxatos mores graphicè depingens objurgat, ad regulam S. Benedicti demandaret, maximè, cùm ipſe hujusce regulæ ante Papatum filius, eandem ut Pontifex ſummoperè zelaret; verùm quidquid in hujus decreti Eugeniani increpatione legitur, potiùs Canonicas, ſed fortaſſe Aquisgranenſi regulæ cum, libertatis affectu, addictas, notat fuiſſe, quàm Monachas: atque hinc obtigiſſe opinamur, cur nulla veſtigia temporis innoteſcant, quô eædem ad ipſam ſæcularitatem omnimodam devolaverint, quales nunc exceptâ ſolâ Abbatiſsâ exiſtunt, quæ ſe Canonicas nuncupant; baud dubiè hôc titulô à præbendis emendicatô, ac uſurpatô. Ipſam verò Abbatiſſam necdum comperire licuit, quam regulam profiteatur, aut cui inſtituto, Canonicali, an Benedictino conformem veſtitum geſter? ex quo tamen modicum, aut planè nihil exiſtimo pro vetere inſtituto barum Virginum decidi poſſe, utpote, cùm mihi certum ſit, etiam Canonicas Virgines quandóque juxta regulam S. Benedicti fuiſſe profeſſas, & veſtitum Virgines Canonicas non multùm Monachili abſimilem geſtare, ùt nunc in noſtris Forerianis tale quid erit reperire: néque enim Canonicis Virginibus adeò eſſentialis ad ſuam ſpeciem infimam habitus veſtis lineæ probari valet, quemadmodùm Viris. Vide dicta noſtræ Exegeſis.

Hinc, inquam, obtigiſſe puto, cur nulla ſæcularitatis incæptæ Epocba pateat, eò, quòd à Canonico ſtatu longè facilior, ac, ut ita dicam, penè inſenſibilis lapſus ad mores ſæculares præcipuè in Canonicis, ac Canonicabus Aquisgranenſibus evenire potuerit. Intereà nobis ſuffecerit, æquè ponderoſa ſi non ponderoſiora pro Dononienſium Canonicatu argumenta protuliſſe, ut aliquando venerabiles in boc Cœnobio, imò & ſanctas perſonas, tanquam noſtri inſtituti æmulas, actæ virtuoſæ vitæ ſuæ deſcriptione liceat honorare.

Situm eſt hoc Collegium in Hannonia ad Scaldim fluvium duobùs milliaribùs ab Urbe Valencienna. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 19. Baldric. cit. acta SS. 22. Ap. & 1. Jul. &c. Foppen. Nov. Collect. P. 2. c. 55. Gall. Chriſt. Tom. 3. col. 422. & 423. &c.

Dulcis Vallis, aliàs Soſten Dale: Abbatia. Fund. 1234. Exſtinct. Per *Ferrandum* Flandriæ Comitem inchoata, eòdem verò obeunte, per ejus Conjugem *Joannam* 1234. completa pro

Ca-

Canonicis Regularibus S. Auguſtini, quam etiam usque ad illa injurioſa tempora poſſederant, quibus Heterotoxorum Tyrannis paſſim in omnia pia loca deſæviit: tunc enim urbe Brugenſi adversùm *Philippum* Hiſpaniæ Regem bellante, Abbatia adeò diruta eſt, ac tota ejusdem ſtructura ſolo æquata, ut cum Abbas ipſe, tum, qui reſidui erant, Canonici velut oves errabundæ diſpergerentur, & *cùm ſpes nulla eſſet*, ut inquit in ſuo brevi Gregorius 13. *ut hujus Cœnobii Abbas illam reſtaurare valeat.* Locus ille cum ſingulis bonis annô 1578, Patribus Societatis ceſſit, eô tamen pactô, ut, ſi quis ex Religioſis Canonicis rediret, *Rector prædicti Collegii ei de neceſſariis ad victum in regulari, & dicti Ordinis, vel aliô locô, arbitrio Ordinarii eligendo providere teneatur.*

Hæc Abbatia originem ſuam obtinuiſſe dicitur à Collegio *S. Bartholomæi* Canonicorum Regularium Brugis, fuitque olim Congregationis Aroaſienſis membrum. Meyerus ejus exordium ad annum 1215. ſtatuit; ſed nos antiquiora fundamenta annô 1228. & 1234. necdum vidimus.

Sita erat inter Brugas, & Ardenburgum in Flandria. Foppenſ. Nov. collect. P. 1. c. 104. & c. 248. Miræ. de Orig. Can. Reg. c. 10. Gall. Chr. T. 5. col. 263.

Fund. 1420. Floret.

Eliſabethæ Virginum Canonicarum Prioratus. Collegerant ſe quædam devotæ Virgines Bruxellæ ad locum, cui *Palus Olerum* nomen, ibique aut inſtitutore, aut fautore *Arnoldo van Rieneveld* recluſarum more aliquanto degebant tempore. Cùm dein conante *Margareta van Bruele* ſub tertia Regula *S. Franciſci* ibidem reliquis convivente Virginibus, hujúsque deſiderium promovente *Eliſabethâ* Portugallenſi *Philippi* Boni Conjuge annô 1420. in Monaſterium Regulare locus iſte ordinatus eſt. Effluxis autem decem, & ampliùs annis, *Joannes Liedekerkius* præcipuus Auguſtinianæ Regulæ Propagator eandem hanc ſub inſtituto Canonico à dictis Virginibus ſuſcipiendo obſervandam decrevit annô 1434. die 7. Auguſti, quâ normâ adhuc noſtra ætate Deo militant, ſoli Ordinario ſubjectæ.

Exiſtit in Urbe Bruxella. Hiſt. Mechlin. T. 2. p. 42.

Fund. circa an. 1400. Exſtinct.

S. Eliſabethæ propè Brielis Prioratus Windeſemenſis: Non longè poſt annum 1400. initium ſuum obtinuit hoc, ſi à nullo alióquin, certè à nobiliſſima illa turba Martyrum, quos Gorcomienſes dicimus, celeberrimum Cœnobium, conſtruxit illud de Epiſcopi Trojectenſis *Friderici* licentia miles ſtrenuus *Hugo de Heenvliet*, quod dein congruè dotatum annô 1406. plenò jure Capitulo Windeſemenſi fecit uniri, in eo per *Arnoldum Kalker* Suppriorem Windeſemenſem notiſſimæ virtutis virum *Joannes de Boeholdia* ad Fontem *B. Mariæ* Profeſſus conſtitutus eſt primus Prior, qui bienniô præſidens, velut columna, excreſcentem diſciplinam muniit, atque ſtabilivit. Hoc de Monaſterii iſtius origine nobis reliquum fecit Chroniſta Windeſemenſis. Quàm eximiâ tamen illud diſciplinâ ad usque ruinam ſui (per Hæreticos circa annum 1572. cauſatum) polleret, quámque Sanctos, & amabiles Deo viros intra ſinum ſuum nutriret, vel duorum ſolùm, & quidem anonymi unius, nominati alterius id licebit manifeſtô teſtimoniô probare. Utrúmque dat Vir ſinceriſſimæ fidei *Guilielmus Eſtius* in Hiſtoria ſua à ſe edita Martyrum Gorcomienſium L. 3. c. 7. ex quo ſequentia decerpſimus: imprimis notat, quòd, cùm à Genſiis, perduellibus illis, Regíque ſuo infideliſſimis Nebulonibus Inſula Briellenſis cum urbe per Ducem *Cuilelmum* Lumæum capta, ac majorem in partem ſuccenſa fuiſſet,

pari-

pariter hoc noſtrum monaſterium, quod S. Eliſabethæ Ruggenſe dixerunt incolæ, diſturbatum ab iis, atque expilatum, ac deniqne penitùs devaſtatum ſit. His in exercitatis furiis quidam loci ejuſdem religioſus Canonicus, neſcio. qua forte, depopulantium manibûs interceptus eſt, magnô ſanè de hac prædâ conceptô gaudiô, quòd haberent duplici ſibi titulô infeſtum hominem, *Catholicum* ſcilicèt, atque *Religioſum*, quem divexarent non modò, ſed & ſuo furori immolarent. Hunc ergò minis, ac verberibûs adigunt, ut ejurato legitimi Regis *Philippi* nomine factioni Geuſianæ acclamaret, vivant *Geuſii:* abhorruit vir iſte integerrimus ad injuriam Domini ſui licèt pauca hæc verba promere, unáque voce reum ſe facere congeminati criminis, quò Deo ſimul perjurius fieret, ac Principi ſuo: nec ignoravit, non poſſe ſe fauſta his prævaricatoribus imprecari, niſi eâdem ſe in Eccleſiam Catholicam Apoſtaſiâ macularet, quâ ipſi jam dudum ſorderent. Renuit ergò, & forti animô reſtitit tam iniqua petentibus; hinc furore ſuccenſi primùm eidem nares, aurésque amputant, civitatis, & templi foribus eas in ludibrium Catholicæ conſtantiæ appendunt, poſtmodùm diverſis contumeliis, ac plagis affectum, cùm jam penè deficeret, demum ſclopô trajiciunt, quis dubitet, eo glorioſiore Martyris coronâ donatum, quo iniquiore in odium Religionis cruciatu ſublatum? Audiit funeſtum hunc ſui Confratris, ac Comproſeſſi in eodem Monaſterio Ruggenſi caſum *Joannes* à ſolo nativo *Oiſterwicenſis* dictus, qui Superiorum ſuorum mandatô jam anteà Gorcomium miſſus fuerat, Rector ibidem, ac Confeſſarius Monialium ejuſdem inſtituti exiſtens, vir ætate grandævus, pietate eximius, & Religionis fervore ſecundus nemini. Hic pauperrimis Virginibus (paupertatis integerrimus cultor) ſic præfuit, profuítque, ut, quod eis de temporalibus bonis deeſſet, ipſe accumulatè ſpiritualibûs conſolationibûs per pias aſſiduè exhortationes, precéſque à Deo obtentis ſuppleret. Fuiſſe ſibi ad manus adhuc ſermones à Viro hoc ſancto conſcriptos, ſtylô quidem ſimplici, ſed morali, Chriſtianâque doctrinâ abundè refertos, ait Eſtius, quos utinam nobis adipiſci obtingeret. Hic ergò verè ſanctus, Deóque non minùs, quàm hominibus vir perdilectus, cùm audiſſet caſum illum fratris ſui, O! inquit, *utinam hôc me beneficiô dignetur Deus, ut ejusmodi mortem me quóque oppetere faciat.* Quod, cùm frequenter ingeminaret, percipiens quædam virgo vetula ſanctimonialis, quaſi è tripode loquens, dicebat: *Pater abſit hoc à te, abſit, ut tam acerbum, atque immane ſupplicium ſubeas, abſit, ut vel ſuſpendiô pereas.* Ac ille nullo mortis genere perpenſo factus timidior, majore ſemper deſideriô anhelabat cruentam mortem obire pro Deo ſuo. Nec tam piis votis defuit ſupremum Numen, accurrente enim Geuſiano Hoſte propè urbem Gorcomienſem, quâ fugâ poterant quíque in arcem urbi propinquam ſe ſalvant, quibus religioſi æquè, ac ſæculares Clerici, (& inter hos etiam Joannes noſter) numerô 15. ſe junxerant: Verùm arce ipſa impiò aſtu ab hoſtibus obtentâ pactô ſcilicet initô (ne cuipiam in ea commoranti nocerent) ſed à fœdifragis ſceleſtè planè diſruptô, ùt mox enarrabimus: cùm primam hoſtes rabiem in Chriſti Miniſtros exercere cuperent, inter hos *Joannem* in conclave quoddam tetrudunt, exin educi curant, quaſi ad examen quoddam criminale provocandum, præſentem autem ipſa vitæ probitate ſpectabilem cogunt, urgéntque ad extradendas, quas ſecum habebat, pecunias, néque eas moratur Vir piiſſimus, & aliundè ab omni pecuniæ cupiditate alienus,

nus, liberaliter proferre; exiquirunt ultrà tantis minis (ut etiam ſclopum jamjam exploſuri pectori admoverent) theſaurum, quem indubiè abſconditum in Parthenone ei commiſſo credebant, at ipſe quidquid opum eſſet conſtanter negans in pauperrimo monaſterio poſſe celari, aut reperiri, non ſine ludibriis, injuriisque illatis paulò poſt cum reliquis Eccleſiaſticis Viris in cunctis novendecim ex arce Briellam adducitur, ac demum poſt plurima opprobria inflicta ſuſpendiô necatur, in ipſius Ruggenſis, hoc eſt proprii ſui monaſterii horreo, cujus trabibus nobiliſſimus iſte Theſaurus affixus eſt, ut quem ab illo impia plebs tanquam occultum extorquere conabantur, hunc in ipſo repudioſè appenderent, omni aurô, gemâque pretioſiorem. Quod quàm verum fuerit, non longô poſt intervallô, manifeſtô prodigiô declaravit divina clementia. Annô etenim 1614. hoc eſt, poſt Martyrum Gorcomienſium Martyrium 42dô, apparuére ſuprà eum locum telluris (ſub qua novendecim iſti reconditi fuerant) floſculi quidam, ſed ſpeciei ipſis etiam medicis, ac Pharmacopæis ignotæ, nec alibi reperiendæ. Ex his ſurculus unus Viro planè eximio, ac Seni venerabili *Adriano Antonio ab Oorſchot*, ad *S. Gertrudis* Ultrajecti cum Paſtori, à quodam oblatus eſt, habens tres, aut quinque circiter flores omnimodô candidos, ſurculum hunc in parva capſula lignea incluſum, cùm tanquam rem exilem in cubiculo obviè ſeponeret, contigit, ut poſt octo, aut novem menſes inſpiceret, ſcrutaturus, verúmne eſſet, quòd prævia die à quodam Theologo ſibi noto audiiſſet, eos nimirum flores nunquam exareſcere. Invenit non ſine magno ſtupore ſurculum illum non ſolùm recentiſſimum, ſed etiam in tantùm adauctum, & floribus multiplicatum, ut capſula aperta ipſum nè ampliùs caperet quidem. Quòdque ultrò mirandum, flores illi multiplicati nec plures, nec pauciores erant novendecim, accuratè ſcilicet numerum Sanctorum Martyrum Gorcomienſium deſignantes. Hæc enarrare non ſolùm libuit, ſed & decuit, dum monaſterii iſtius, quamvis dudum deſtructi, deſcriptionem inſtituimus ſimúlque huic ſancto Martyri, cujus nomen indigni gerimus, ſpeciatim nos devinctos profitemur. Fortè benigniſſimus DEus dabit adhuc ea tempora, quibûs eradicatis hæreticorum zizaniis in Ruggenſi hoc Monaſterio pretioſô Martyrum, & præcipuè propriorum, quos aluerat, Religioſorum ſanguine rigato, præſignantibûs prodigioſis illis floſculis, iterum refloreat Religio, & (quod corde optaremus) ſpeciatim Windeſemenſis inſtituti in eo virentiſſima diſciplina.

Extitit hic Prioratus Briellæ Urbi propinquus, quartâque parte milliaris inde diſtans. Vide in mappa Blavi. Delflandiam p.44. Chron. Wind. L. 1. c. 39. Hiſtor. Gorcom. Eſtii L. 3. c. 7. & ſeq. Fremont. Legend. Belg. SS Ord. ad 9. Julii.

Elſegem B. Mariæ Prioratus Congreg. Windeſem. *Fund.* 1416. *Floret.*

Fundavit eundem annô 1416. Nobilis *Bernardus de Brackle* dictus à *Boſco*, eámque fundationem prædiis, & bonis liberaliter auxit *Joannes de Rokegem* Conſanguineus *Joannis* VII. Giſtellæ, Harnæ, & Borburgi Domini eandem beneficô annutu approbantis, & hunc in finem (ùt ipſe in ſuo privilegio inquit) *feudum illud monaſterio datum in perpetuum amortizantis.* Hic Prioratus primum ſibi Præſulem habuit *Joannem Eggaert* Virum doctrinâ, ac virtute conſpicuum, ſub quo, aut non diù inde, unitum fuit noviter inſtituto Windeſemenſi Capitulo; certè id jam factum annô 1430. Chroniſta Windeſemenſis prodit.

Floret adhuc ſub dicta Congregatione, ſitùsque eſt in vico hujus nominis propè Aldenardam in Flandria

dria. Mir. Dipl. Belg. L. 1. c. 55. & Suppl. P. 3. c. 202. Chron. Windeſ. L. 1. c. 44.

Fund. ... Extinct. Emaus Virginum Canonicarum Prioratus. Hujus nil niſi nomen Author hiſtoriæ Epiſc. Antverpienſium nobis cognitum fecit, locum Sitûs, & demum interitum ejus, his pauciſſimis verbis: *Prioratus de Emaus ejuſdem Ordinis* (nempè Canonicarum Virginum, quales anteà aliquot enumeraverat) *in pago Hilderniſſe juxtà Schaldim in eodem Marchionatu Bergizomenſi olim fundatus, eodem tempore* (ſcilicèt tumultuum Belgicorum) *periit*. Hiſtor. Epiſc. Antverp. p. 194.

Fund. 1091. Floreſt. Eversham SS. Petri, & Vedaſti Abbatia. Primi hujus Fundatores duo extitêre Casletenſes Canonici, *Gualbertus*, & *Elbodo*, quorum ille jus proprietarium hujus loci, iſte ſpirituale exercebat, utérque ſanctioris pietatis ſtimulò impulſus Ordini Canonico regulariter inibi inſtituendo operam dederat, quod, ut annò 1091. certum ſortiretur effectum, *Gerardus* Morinenſis Epiſcopus ſuò privilegiò confirmavit, ſed exquiſitam perfectionem addidit *Gerardi* Succeſſor *Joannes*, de quo ideo Bertinenſe Chronicon: *Sex ſuo tempore*, ait, *monaſteria fuiſſe conſtructa de novo, inter quæ & noſtrum Evershamenſe* refertur: *conſtructa*, id eſt, abſoluta, & perfecta. Certum enim eſt, inceptum fuiſſe Evershamenſe prædictò annò 1091, cùm *D. Joannes* Epiſcopatum adiret annò 1099. Hinc credibile, ob ingentes turbines ſub ipſo, ac *Gerardo* ſuſcitatos (dum iſte graviſſimè incuſaretur de ſimoniacè procurato Epiſcopatu &c.) paſſum fuiſſe Cœnobium iſtud ad ſui perfectionem obtinendam compluresremoras, tandem per piiſſimum *Joannem* ſublatas. Sed *Gualbertum* primarium, certúmque Fundatorem fuiſſe, indubitatum reddit vetuſtiſſimum illud Diſtichum,

Me ſtruxit pietas, ſtructámque
vocavit Eversham:
Gualbertô, Clericûm ſio, petente, domus.

Dotârunt hanc Abbatiam magnifica liberalitate *Robertus* Hieroſolytanus Flandriæ Comes, ejúsque Mater Gertrudes.

Primum præſtituiſſe Abbatem dicitur *B. Joannes Thomam*, qui tamen non *Abbatis*, ſed *Prioris* nomine ſe teſtem ſcripſit in charta annô 1102, quâ Canonici *S. Martini* Ipris ad regularem normam reformabantur per eundem B. Epiſcopum.

An primus *Wilhelmus* fuerit annô 1526. præſidens, ſub quo hoc Cœnobium titulum Abbatiæ obtinuerit, nulla firma documenta oſtendunt; minimè autem ideò, quòd hic fuerit, qui pedum paſtorale fieri curaverit, ùt profertur in Gallia Chriſtiana. Deinde illius *Quintini Caulier Abbatis XVIII.* (quem in eadem Gallia Chriſtiana hôc elogiò notatum reperimus: *Primùm Bubulcus, tum Venator Conventûs, exinde Canonicus, poſteà Decanus, ac demum Præpoſitus an.* 1549.) fata aliquantò explicatiùs deducta, ac nobis communicanda ex eodem monaſterio ſperamus, ut hinc aliàs ideò occurrentes difficultates ſuo tempore liceat ſolidiùs enodare.

Floret etiamnum hæc percelebris Abbatia, & exiſtit ad fluvium Iſaram in territorio Furnenſi in ipſo loco Eversham. Mejer in Annal. Flandr. Mir. de Orig. Can. Reg. c. 42. & in Suppl. Dipl. p. 3. cap. 21. Chron. Bertin. Acta SS. ad 25. Jan. Gall. Chr. T. 5. Col. 354. & ſeq.

Facuntinum S. Mariæ Virginum Canonicarum Prioratus Windeſemenſis: *Fund. 13?? Floret.* Initium obtinuit per *Joannem* de Witthem Dominum de Bautershem, Canonici etenim cujusdam Antverpienſis (*Falconis de Lampage*) & Monetæ Ducalis Præfecti ſub annum

num 1350. defuncti bonis omnibûs ad fiſcum regium devolutis, *Joannes* præfatus locum à fiſci Præfecto coëmptum, ſed Virginibus tertiam Regulam S. Franciſci profitentibus vendidit: at illæ mutatô paulò poſt conſiliô vitam Canonicam ſecundùm *D. Auguſtini* dogmata receptam elegerunt, conſenſum ſuum conferente *Joanne* cum Cameracenſi Epiſcopo, noménque eidem loco imponente *onſe live Vrouvven Daël in Valckenbroek*. Quo eodem mox tempore Capitulo Windeſemenſi ejuſdem Epiſcopi operâ uniti ſunt; ut ſcilicet præclarâ hujus nunquam ſatis laudandæ Congregationis diſciplinâ, ac ſpirituali epiphoriâ munitæ in illa Virgines eò feliciùs bonorum tam animæ, quàm corporis profectu augerentur. Et profectò quàm abundè id ad noſtram usque ætatem effectum ſit, comprobat illa præ reliquis Joſephina devotio, totam Antverpienſem viciniam colluſtrans, digna ſanè, cujus exordium paucis perſtringamus. Sacellum eſt *Divo Joſepho* ſacrum, atque Eccleſiæ Virginum Veſtalium junctum, à *Ludovico Romer* Viro omnium bonorum digno conſtructum, picturis, atque marmoribûs pretioſum, magnitudine amplum, denique inaurati Tholi altitudine, ac venuſtate ſuſpiciendum. Ad hanc liberalem ergà *S. Joſephum* munificentiam (velut ipſe Fratri ſuo Gaſpari morti proximus retulit) incitatus eſt, quòd locum illum cœleſti viſione ſibi præſentatum habuerit quædam perſona notæ omninò Sanctitatis, ex cujus fideli teſtimonio didicerat, divinam tam cira ſe, quàm opus ipſum exſtruendum voluntatem. Recluſum eſt prima vice hoc ſacellum 1637. ipsô *S. Joſephi* feſtô, tum plenariæ quóque ab *Urbano* Papa VIII. ad devotionem fidelium acuendam, indulgentiæ conceſſæ. Gratiæ quóque ſimul è piiſſimo ſancti Chriſti nutritii ſinu copioſæ fluxerunt, quarum inter alias non minima, quam quædam ejus loci veſtalis experta eſt, nomine *Eliſabetha Sillevoorts*: ingentibûs etenim multorum annorum evolutô ſpatiô arctata calculi doloribûs, omniq́ue jam medicorum deſperatô pharmacô, aſylum quærens hoc in *S. Joſephi* gratiarum emporio, ejusdem ſibi adjutricem pietatem implorare non deſtitit, donec, O mirum dictu! inſperato eventu, morbô tum dolorem acuente, mox per conſuetos urinæ meatus tantus ultrò lapis prodiêrit, qui ovum maximæ Gallinæ adæquaret; ùt primùm autem ad egreſſum lapis tetendit; Eliſabetha eum ſine ullo dolore excipiens Prioriſſæ tradidit; quod ipſa ſe facturam anteà ſæpè promiſerat, animô nempè confidente, ac in Patrocinium *S. Joſephi* citra omnem ambiguitatem firmatô, utpotè quem intenſiſſimè venerabatur. Hoc miraculum an. 1649. factum inaudiens quidam Heterodoxus medicus, inſuper lapidem ipſum propriis manibûs attrectans, & tres omninò uncias pendere conſpiciens, ingenuè faſſus eſt, id citra omnem naturæ facultatem contigiſſe. Plura ſunt, eáque rara beneficia à glorioſo *S. Joſepho* hoc in loco patrocinium ſuum exorantibus præſtita, quæ conſcripta, & jam Typis edita conſpiciuntur, quæq́ue jam dudum Actis SSorum ad 19. Martii inſerta reperimus. Cæterùm ſicut hunc Parthenonem adhuc omnimodis florere novimus, ita ampliorem poſthac notitiam ejusdem hiſtoriæ deſcribendæ deſervituram, nos obtenturos ſperamus

Situs eſt in urbe Antverpienſi. Hiſt. Epiſc. Antverp. Bol. die 19. Martii §. 9. n. 62. & 63.

Falempinum S. Chriſtophori Abbatia. *Saruvalo* Caſtellanus Inſulenſis, & quem Miræus (ſaltem qui Poſteris innotuerit) primum agnoſcit, ſuccenſus cœleſti amore, conſenſu *Hugonis* *Fund. 1039. Floret.*

gonis Epiſcopi Tornacenſis, & Altari (quod erat in Villa Phalempin in Comitatu Carenbam) libertatem concedentis, Abbatiam in honore B. Martyris *Chriſtophori* ædificavit, ùt diſcimus ex ejusdem *Hugonis* charta annô Incarnationis milleſimô triceſimô nonô data, ibidémque *pauperum Chriſti Clerimoniam* ſtabilire conſtituit, eámque *ſub obtentu charitatis dotavit appenditiis terrarum, atque familiarum, unde haberent ipſius Abbatiæ Clerici alimoniam. Hugo* autem pro eodem ſic noviter conſtituto monaſterio decrevit: ut *curam animarum Epiſcopus electo ab ipſis Fratribus Priori deleget ipſius catervulæ, & ſic dicta Abbatia ſit libera ab omni reliqua conditione, nec non & Principis poteſtate.* Hæc cùm accuratiùs in dicto *Hugonis* Epiſcopi privilegio legiſſem, non dubitaveram quemvis æquioris judicii cenſorem unà mecum aſſeveraturum primò à *Sarvvalone* Clericos in hoc Falempinenſi loco votivos fuiſſe poſitos, id declarantibus ſat disertè verbis illis: *Quatenùs ibi ſtabiliret pauperum Chriſti clerimoniam:* talem nempè, qualem *Chrodegangus* jam ſæculô octavô capite 31. ſuæ regulæ indigitaverat, & Aquisgranenſe Concilium cap. 112. ut quid enim *clerimoniam* hanc *pauperum Chriſti* appellaret, niſi *Saſivalo* tales eſſe voluiſſet, id eſt, *pauperes ſpiritu, ac voluntate propter Chriſtum.* Præterea, cùm in eadem charta hoc Cœnobium ab *Hugone* quater reperirem dictum *Abbatiam:* nempè primò: *Quatenùs ibi ædificaret Abbatiam.* 2dò: *Unde haberent ipſius Abbatiæ Clerici alimoniam.* 3tiò: *Hæc ſunt igitur, quæ liberaliter attribuit favente prædicto Principe* (Balduino Pio Marchione, & Comite Flandriæ) *idem Sarvvalo eidem Abbatiæ.* Deníque 4tò: *Hæc autem ſunt nomina ſervorum per familias eidem Abbatiæ conceſſa &c.* Extra aleam mihi certa res erat, hoc Cœnobium ab *Hugone*, annitente *Sarvvalone* Canonicis votivis, & quidem *Abbatiæ* titulô in exordio ſuæ fundationis inſignitum fuiſſe collatum; at opinionem noſtram ſubvertere noviſſimus Galliæ Chriſtianæ Editor ex Couſinii hiſtoria Tornacenſi conatur, dum ait: *Falempinum, ſeu Fanopinum S. Chriſtophori Canonicorum aliquandò ſæcularium poſteà Regularium.* Ex quo patet hujus Viri doctiſſimi ſenſum eſſe, Falempinum fundatum à *Sarvvalone* pro Canonicis *Sæcularibus*, non *Regularibus.* Deinde ſubdit, *Lambertum* annô 1108, adeóque 69. annis poſt fundationem, primum fuiſſe, qui Abbatialem dignitatem obtinuit. Verùm pace tum clariſſimi Couſinii tum Samarthanorum, neutri ſententiæ ſubſcribo, & quod ex charta *Hugonis* apertis verbis diſco, tanquam certum propugno: quamvis enim neutiquam me lateat, *Baldericum* Tornacenſem Epiſcopum in ſua reſtaurationis charta ſtatuere annô dictô 1108, ut ſub communis vitæ propoſito ibidem tam Prælatus, quàm ſubditi Deo ſervire ſtudeant; inſuper clariùs adhuc *Paſchalis* II. in ſua Bulla annô 1110. dicat, ſe *Joannis* Morinenſis, & *Baldrici* Noviomenſis Epiſcoporum relatione cognóviſſe, *quia tam Abbas, quàm ejus Fratres ad regularis diſciplinæ obſervantiam largiente Domino coaluerint, & Religioſorum conjugum Rogerii, & Ogivæ deſiderium ſe percepiſſe, qui locum illum omni poteſtatis ſuæ jugô liberum facientes Canonicos illic ſecundùm B. Auguſtini Regulam ordinari deſideraverint:* adeóque ex his obiter perlectis appareat, quaſi tunc tam regularis diſciplina primitùs ſit inducta, quàm Abbatialis prærogativa *Lamberto*, primò omnium collata, hanc ipſam tamen chartam penſiùs ſcrutanti liquebit, ſolam per *Baldericum* Tornacenſem, & *Joannem* Morinenſem, aſſumptam hujus Abbatiæ à primævo ſuo vigore omnimodè prolapſæ reſtaurationem, priſtinæ in fundatione obtentæ re-

gularitati, ac Abbatiali titulo nequaquam officere potuiſſe, alioquin oporteret omnia per Nortmannicam, aut aliorum Barbarorum factam devaſtationem monaſteria Benedictina ſæculô octavô, nonô, decimô, à primæva ſuæ fundationis regularitate, aliiſque prærogativis dejicere, eò, quòd illa legamus (reſtituta poſt depulſos hoſtes pace) aut omninò aliquamdiu deſolata jacuiſſe, aut commendata à Sæcularibus, aut deníque Clericis, vel Canonicis incolenda conceſſa: quod, quia viris doctiſſimis nunquam aſſerere de ſacro Ordine D. Benedicti libuit, non video, cur de Canonicorum Monaſteriis ſit admittendum. Hinc ubi audivimus, *Sarvvalonem pauperum Chriſti Clerimoniam* in Villa Falempin ſtabiliviſſe, certum eſt, ab eodem conſtitutos fuiſſe Clericos paupertatem votivam ſecundùm Aquiſgranenſem, aut Chrodegangi, vel deníque ſecundùm Apoſtolicam vivendi normam ſectantes. Verùm, ùt ex Baldrici Tornacenſis Epiſcopi privilegio elucet, hæc Abbatia adeò in defectum ſuæ primævæ inſtitutionis abiit, ut tunc, hoceſt, annô 1108. (quæ priùs plenâ libertate ab *Hugone* donabatur) ſeculari ditioni quaſi hæreditario jure ſubjecta fuerit: inſuper *ad tantam devenerit miſeriam, quòd Canonicus in eo nullô modô Ordo teneretur: Sacerdos etiam, vel Levita in ipſa minimè inveniretur*, ideò *Baldricus* dicit ſe dignum duxiſſe, ad *reſtaurationem* memoratæ Eccleſiæ officii ſui curam impendere. *Proinde ergò*, inquit: *Dominum Joannem Tervannenſem Epiſcopum adivimus, & quemdam ipſius Clericum, nomine Lambertum, quem ad paſtorale regimen neceſſarium eſſe audieramus, & utilem, ab eo poſtulatum deſolatæ Eccleſiæ præfecimus; cui curam, & prælationem illius commendavimus, ea videlicet ratione, ut ſub communis vitæ propoſito ibidem tam Prælatus, quàm ſubditi Deo ſervire ſtudeant &c.* Patet igitur non noviter inductos, ſed reſtitutos ſub *Balderico* fuiſſe Canonicos. Quamvis non inficiemur, tum primùm regulam *S. Auguſtini* ab iis aſſumptam. At hoc non infert, ante illam Canonicos fuiſſe *Sæculares*, quod in Exegeſi noſtra manifeſtè monſtravimus; ſcilicet regulam *S. Auguſtini* neutiquam immutâſſe inſtitutum priſtinum Canonicorum, aut probare, eâ non receptâ hoc ipsô fuiſſe Canonicos Sæculares, quod nos, licèt in dicta Exegeſi abundè oſtenderimus, attamen ubi de Bavariæ monaſteriis loquendi occaſio ſuppetet, iteratò defendemus.

Idipſum dicendum occurrit de titulo *Abbatiæ*, quæ (dilabente diſciplinâ, tanta enervatione, ut *Canonicus in Eccleſia Falempina Ordo nullô modô teneretur, Sacerdos etiam, vel Levita in ipſa minimè inveniretur*) facillimè argui poteſt, etiam omni dignitate, & prærogativâ Eccleſiaſtica orbata fuiſſe.

Hæc Abbatia non diù poſt reſtitutionem ſuam præſidente *Ivone* Abbate unita eſt celeberrimæ Congregationi Aroaſienſi, cujus digniſſimi Præſulis eximias dotes ſatis inde perſpicimus, quòd eidem Congregationi aliquantò tempore laudatiſſimus Generalis præfuerit. Annô 1715. Clavum Reverendiſſimus *Giſlenus Mullier* regere cœpit, die 18. aut 12. Jan. cui (ſiquidem adhuc ſuperſtiti) longævum regimen precamur.

Exiſtit in Flandria duobûs milliaribûs Gallicis infrà Inſulas ad Occidentem. Mir. Donat. Piar. L. 1. c. 44. Foppenſ. Nov. Collect. p. 2. c. 33. Bucel. Annal. Fland. L. 6. Gall. Chr. T. 3. col. 294. ſeq.

Floreffia ſeu Floreffienſe S. Mariæ Abbatia.

Aliàs *Salve* dicta. Primum in Belgio, tertiúmque totius Ordinis Præmonſtratenſis monaſterium exſtructum, ac fundatum à *Godefrido* Comite Namurcenſi, & *Ermenſende* ejus Fund. 1121. Ord. Præm.

Con-

Conjuge annô 1121. cujus primus Abbas *S. Richardus* fuit unus ex præcipuis *D. Norberti* Diſcipulis, quem tamen *Hugo* Stivagienſis Sancti titulô non donat. Annô 1560. *Pius* IV. hanc Abbatiam pro dote aſſignavit Neo-erecto Epiſcopatui Namurcenſi, verùm Pius V. motus, quòd Abbas Floreffienſis plurimorum Præmonſtratenſium, per totum ſcilicet Belgium, monaſteriorum Viſitator exiſteret,& hâc Abbatiâ ſuppreſsâ,aut viſitatio illa colleretur, aut Epiſcopo commiſſa non exiguam difficultatem poneret ob magnam temporis partem anouatim tali viſitatione inſumendam, ejus locò Abbatia Bronienſis, ſeu San-Gerardienſis Ord. S. Bened. dicto Epiſcopatui eſt unita,ſicque felici fatô Floreffienſis à ſuppreſſione erepta adhuc feliciter floret.

Sita eſt duabûs ab urbe Namurcenſi leucis. Mir. Suppl. Dipl. c. 161. Fopp. nov. Collect. p. 3. c. 63. Gall. Chriſt. T. 3. col. 609. ſeq. Annal. Præmonſt. col. 76. & ſeq.

Fun l. 1302. Extinct.

Fontis S. Mariæ Prioratus Windeſemenſis, primáque Filia celeberrimi Cœnobii Windeſem.

Quod Caput, & Fons eſt totius inde longè, latéque diffuſæ, & qua præclariorem usque ad hæc tempora tota vix vidit inferior æquè, ac ſuperior Germania, Congregationis Windeſemenſis. Hæc enim adeò virtute neo-reſtitutæ Canonicæ diſciplinæ totam cumprimis viciniam ſuaviſſima voluptate demulſit, ut quicúnque divini cultûs, & religioſi Statûs augmentum ardentiùs deſiderabant, ſua vota conferrent ad plura hujus Canonicæ inſtitutionis monaſteria conſpicienda. Hinc divites, & Primates non pauci, præcipuè partium Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Weſtphaliæ, Dominum *Florentium Radevvinum* Rectorem Daventrienſis Congregationis, & *Joannem de Huesden* Priorem Windeſemenſem adeuntes cum eis de novorum monaſteriorum erectione egeruot, fundis propriis, bonis hæreditariis, pecuniis deníque, aliiſque rebûs neceſſariis, ùt poterant, oblatis. Fecit id inter primos *Winandus de Arnhem*, qui proprium fundum ſuum obtulit divino obſequio ad conſtruendum juxta inſtitutionem Windeſemenſem Canonicorum monaſterium. Quod ut eò firmiùs deduceretur in effectum, idem *Winandus* cum *Arnoldo* Gruothuſeo Principi Illuſtri *Wilhelmo* Duci Juliacenſi, & alteri *Wilhelmo* præfati Filio, DuciGeldrienſi ſupplices facti, ut gratiam ejusdem fundi eliberandi, Deóque in monaſterium ſacrandi concederet, prætereà conſenſum ad id exequendum à Trajectenſi Epiſcopo *Florentio* procuraret; nil faciliùs iſtô à *Wilhelmo* impetratum eſt, utpotè viro, ùt eum Chroniſta Windeſemenſis laudat, *Prudente:* mox enim ſolennibûs nunciis ad Epiſcopum miſsis, licentiam, quam intenderant, ipſius Ducis nomine expetiêrunt, qui non minùs tam piis votis aſſenſus eſt, datis opportunis privilegiis ſingula debitè perficiendi. Concurrêre etiam Benefactores liberales, quamvìs videatur monaſterium ipſum exilî planè fabricâ ſuum Exordium ſumpſiſſe, extant Rectoris Daventrienſis Domini *Florentii* hac de re litteræ ad *Joannem* de Huesden Priorem Windeſemenſem, in quibus idem conſulitur de modo,norm áque extruendæ domûs, hæc inter alia Florentii quæſtio, quô tectô munienda? *Dominus*, inquit: *Joannes Brinkerink dicit, ſi propter paupertatem noſtram primô tegeretur tectô ſtramineô, duraret per octo annos, ſed tunc eſſet perditum.* Igitur humile planè exordium hoc Cœnobium obtinuiſſe videtur, néque in id primò ſtatim inducti ſunt Regulares Canonici, *nam plurimis annis*, inquit citatus Chroniſta: *Domum illam incoluerunt, & rexerunt, donec Ordinem noſtrum de Conſilio Domini Flo-*

Florentii per Patres noſtros de Windeſem ſuſceperunt, qui ex tunc, & deinceps multo tempore Patres, & Gubernatores, ac Priores eorum in Ordine permanſerunt, quouſque de propriis ſuis Fratribus ſibi de Prælatis poſſent providere. Intelligit autem per illos *incolentes*, & *regentes* Clericos Daventrienſes communis vitæ à Gerardo Magno inſtitutos, & à *Florentio* ejus Succeſſore gubernatos in omni pietate, & diſciplina, exceptô, quòd vota non emitterent: Erat tamen, ùt idem meminit, tanta inter Windeſemenſem, Daventrienſem, & Fontis B. Mariæ Congregationem Charitas, ut bona temporalia, & ſpiritualia penè eſſent illis communia. Hinc cùm Windeſemenſes requiſitô Religioſorum numerô monaſterio Fontano necdum ſuccurrere poſſent, reſarciebant Daventrienſes defectum, ídque per annos fermè quatuordecim, cùm demum Arnoldus Kalker *Vir magnæ reverentiæ* inductâ votivâ Canonicorum Regularium vitâ an. 1405. ex Subpriore Windeſemenſi primus Prior Fontanus excipitùr. Hæc regularitatis in Fontanùm Cœnobium inductæ Epocha ex ſæpè citato Chroniſta conficitur; cùm enim *Henricus* Walvis ſeptem annos dicatur præfuiſſe huic Monaſterio ùt Prior poſt Arnoldum, obièrit autem annô 1413, ſequitur, Arnoldum ſui Prioratûs exordium ſumpſiſſe annô 1405, eò quòd hic non niſi duobûs annis illud rexerit, ùt patet ex ejusdem Chroniſtæ L. 2. c. 22. Henricus autem ſuum inceperit annô 1407mô, ergò tam regularitatis annum 1405, quàm Prioratûs Arnoldi primum fuiſſe oportuit, utpotè per hunc inductæ.

Vide Chron. wind. L. 2. c. 47. p. 477.

Dein *Joannes* Kempis primus Rector fuiſſe dicitur Fontanus, novem verò annis præfuit ùt Prior monti S. Agnetis, ùt habetur L. 2. c. 35, reſignavítque Prioratum ſuum annô 1408; cui ſucceſſit *Wilhelmus* Vornken, ùt patet ex L. 2. c. 48. unde ſequitur *Joannem* Prioratum *S. Agnetis* aſſumpſiſſe annò 1399, ergò hôc circiter annô neceſſe est, ut ſtatuatur Rectoratus *Joannis* in Fontano Cœnobio finitus, cùm dicat Chroniſta montis *S. Agnetis* poſt Rectoratum Fontanum in Priorem fuiſſe *Joannem* electum, ídque 1399, qui haud dubiè ſtatim à principio fundationis, annô ſcilicèt 1392, eò directus ſit, poſt quem quis ab anno 1399. us. 1405. Rector fuerit, non notatur: inter annum autem 1392. & 1405. primum Prioratûs Arnoldi, intercurrunt quatuordecim, & hoc tempore, necdum inſtitutum Canonicum inductum fuiſſe, apparet ex ſuperiùs relatis Chroniſtæ noſtri, ubi dixit, quòd *plurimis annis domum illam incoluerunt, & rexerunt Daventrienſes, donec Ordinem noſtrum de Windeſem ſuſceperunt.* Nec obeſt, ibidem *Joannem* Kempenſem ex Windeſem Rectorem fuiſſe, diſſolvitur enim per illud, quô dicitur, tantam fuiſſe charitatem inter illos, ut bona temporalia, & ſpiritualia penè eſſent communia.

Igitur hæc iſtius Cœnobii Chronologia conſtituenda. Annô 1392. fundatur, & ab hoc uſque ad annum 1405. incolitur per Daventrienſes Clericos, quo tempore jam àliqui à Joanne inveſtiti ſunt., ùt refertur tam in Chron. Windeſem. L. 2. c. 35. quàm Chron. S. Agn. c. 24. ſed tunc necdum tanquam proprius Prioratus, & membrum Windeſemenſe habebatur, cùm numerus inveſtitorum nondum ſufficeret ad id conſtituendum. Tandem eô accreſcente (quod circa annum 1405. effectùm) *Arnoldus* primus Prior conſtitutus eòdem annô Cœnobium iſtud in debita Windeſemenſis inſtituti forma complevit. Quis autem, quantúsque fuerit *Arnoldus* iſte, commodiùs id, & congruentiùs in deſcriptione Windeſemenſis Cœnobii (quantum tamen præſcripta brevitas conceſſerit) declarabimus. Succeſſit *Arnoldo Wilhelmus* Walvis Windeſe-

deſemenſis Profeſſus, Vir prudentiâ, & diſcretione eximius, quem Chroniſta ſæpè fatus *ſui monaſterii, & Capituli decus, ac gloriam* nominat, ita quidem, ut Conventus Windeſemenſis propter plurima Capituli creſcentis negotia eundem in Priorem clauſtralem eligere cogitaret, manente Priore Generali ipſo *Joanne* de Huesden: *Septem annos Fontanum Monaſterium providè, ſapienter, ac laudabiliter gubernavit, inque temporalibus, & bonis ſpiritualibus non modicè promovit. Gravi tandem infirmitate* (verba ſunt Chroniſtæ) *quaſſatus officium Prioratûs in manus Conventûs ſpontè reſignans, ad domum ſuam propriam in Windeſem eſt reverſus.* Demúmque annis quindecim religioſiſſimè in Ordine conſummatis *Deo ſpiritum recommendans feliciter obdormivit, annô* 1413. Hujus monaſterii ſubſequa fata ùt plurimùm noſtram notitiam effugerunt; unicam ejus ruinam ſcimus, & malevolorum Hæreticorum infeſtatione, tanquam generali quodam Amphyctionis Cataclyſmo cum quibusvis aliis pietatis monumentis in calamitoſa Batavia, ſeu Belgio fœderato periiſſe ingemiſcimus.

Situm fuit propè Arnheim Geldriæ Urbem: cùm verò illius ne veſtigium ampliùs reperiamus, in mappis eam arbitrariè eidem urbi proximè adjecimus. Chron. Windeſ. & S. Agnet. locis cit. Revius Hiſt. Daventr. L. 1. pag. 85.

Fund. 1068. Floret. Formoſellenſe, ſeu Wormezell Abbatia. Fundatur à Nobili Equite, ac Domino *de Formezelles*, dicto *Iſaac*, annô, ùt perhibetur, 1068. pro religioſis Canonicis, quos dein *B. Joannes* Morinenſis ad regulam *S. Auguſtini* annô 1100. reduxit, Præpoſitum autem eorum usque ad illud tempus præſidentem in alium locum Regularium Clericorum tranſtulit (ùt teſtatur Joannes de Collemedio) & alterum illi Eccleſiæ ſpectatioris religionis præfecit, & reditus eorum poſtmodùm ſua liberalitate ampliavit. Primus verò Formoſellenſi Cœnobio ſub regula *S. Auguſtini* revireſcenti *à Joanne* Præfectus indubiè *Albadus*, ſive *Albaldus* fuit, qui cùm ad annum usque 1122. hanc Eccleſiam laudabiliter gubernâſſet, aſſumptus eſt ad regendam Abbatiam Middelburgenſem tum Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*, & necdum Reformationi Præmonſtratenſi ſubditam.

In vita B. Joan. Morin. apud Bol. cap. 5.

Hoc Monaſterium primitùs ſolius Præpoſituræ titulô inſignitam fuiſſe, ac Gosvinum poſt annum 1160. Abbatem primum nuncupatum aſſerunt Sammarthani. Cæterùm floret adhuc ſub noſtro inſtituto hæc Abbatia, cujus tamen documenta pauciſſima nacti ſumus.

Exiſtit mediô milliari Germanicô infrà Ipras Bolland. ad diem 25. Jan. Mir. de Orig. Can. Reg. Foppenſ. Nov. Coll. p. 3. c. 135. Gall. Chr. T. 5. col. 351.

Fraxinum vulgò Fraſne. Præpoſitura: Cujus tempus Fundationis ignotum, attamen ſat antiquæ, ùt colligitur ex traditionum litteris, quibûs Fulgentius Abbas Affligemienſis enarrat ejusdem ſibi factam donationem: ait enim *antiquitùs fuiſſe* in hoc loco, id eſt, *Fraxinæ, quinque Canonicos conſtitutos*, quos tandem inde compulit *ſingillatim diſcedere intolerabilis paupertas ipſius loci, ſiquidem indies magis, ac magis peſſundabatur usque adeò, ut ad ultimum ne unus quidem Presbiter, qui Parochiam regeret, illic inveniretur. Proinde quædam Matrona Eremburgis nomine, cui tunc temporis eadem Eccleſia ceſſit hæreditario jure, nimiùm reverita, ne Anteceſſorum ſuorum devotio in ſe deficeret, curavit, nè tantum monaſterium ſine debitæ Religionis cultu remaneret*: hincque ipſum dicto Affligemienſi Abbati cum omnibus juribus tradidit. Porrò mirari hìc ſubit, Sammarthanos hanc, ſeu Præpoſituram, ſeu Fund. ... Ord. Ben.

Cellam profiteri *Canonicorum Regularium* fuiſſe, cùm tamen iſthic, & in hoc Fulgentii inſtrumento non aliud niſi nomen Canonicorum legerint, ídque annô jam 1099. confectum, in quo Fulgentius jam *antiquitùs* Canonicos ibi conſtitutos fuiſſe ediſſerit. At cur non Sæculares, niſi quia eos fortaſſe tales Miræus agnovit, ergò & cum Miræo ammodò dicamus, pariter & Falempinenſem *pauperum Chriſti Clerimoniam regularem*, non ſæcularem fuiſſe.

Exiſtit ùt Prioratus hodie Benedictinus Affligemienſi Cœnobio ſubjectus duobùs milliaribùs infrà Lovanium ad Fluv. Dyle. Mir. Donat. Belg. L. 1. c. 6. & notit. Belg. c. 52. Gall. Chriſt. T. 5. col. 37.

Fund. ... Fredegangi Virginum Canonicarum, nunc Sæcularium Collegium. Iſtud olim Canonicorum Regularium fuiſſe à *S. Amando* fundatum refert Pennotus. Scribit & de eo Molanus, & ex hoc Miræus, ſed quorum neutra narratio id nobis ſubſidii ſuppeditat, ut Pennoto omni ambiguitate ſemota adbæreamus: maximè cùm, tam vita ipſa *S. Fredegangi*, quàm Scriptores quicunque, ùt Gramayus, La Roy, aliíque ſeu de monaſterio, ſeu de Sancto agentes nibil exhibeant, quæ laudati Pennoti opinionem ſtabiliant, nos tamen illud hìc omittere noluimus, ne videamur tanti viri Authoritatem neglexiſſe. Cùm verò monaſterium iſtud Pennotus apud Morinos, Miræus in Comitatu Namurcenſi conſtituat, potiorem ſemel opinionem ſequentes, & in boc priori Scriptori adbæſimus, qui fortè aliud ab eo (quod Miræus deſcribit) intellexerit nobis ignotum: Molan. in Nat. SS. ad 17. Jul. Acta SS. eod. die Mir. de Can. Sæc. c. 17. Pennot. P. 2. c. 38. n. 9.

Fund. 1120. *Ord. Præm.* Furnenſe S. Nicolai Abbatia: Cùm à *Theodorico* cognomentô *Rufo Folpoldi* in Flandria potentiſſimi, prædivite Filio, *Carolus* bonus eidem Comitatui præſidens, ſexaginta menſuras terræ, hactenùs jure feudali aliunde poſſidens, obtinuiſſet, mox pro remedio animarum, tam ſuæ. quàm parentum ſuorum ab omni exactione liberas Eccleſiæ *S. Nicolai* Furnis perpetuo jure annô 1120. conceſſit: cúmque hæc ipſa Eccleſia ſub poteſtate *D. Joannis* Tervannenſis Epiſcopi ſubſiſteret, nullâ protractâ normâ liberam declaravit, Abbatiámque poſtbac eſſe voluit, ùt patet ex privilegio ab eodem an. 1120. dato, apud Mir. Donat. Belg. c. 34. refert quidem Foppenſius in additionibus ad Diploma *Liethardi* Epiſcopi Cameracenſis datam Grimbergenſibus Canonicis annô 1132. hanc Abbatiam, ſuam ab ipſo *S. Norberto* traxiſſe originem, qua ſtante aſſertione pariter Furnenſem banc Eccleſiam primitùs Norbertina reformatione inſtitutam fuiſſe conſequenter aſſeverare oporteret; verùm nos de Grimbergenſi Cœnobio acturi oſtendemus, Foppenſium iſthìc lapſum; cùm ex eodem ipſo Diplomate manifeſtè conſtet, illud primitùs Canonicis Regularibus *S. Auguſtini*, dein Monachis S. Benedicti ceſſiſſe: Monachos verò S. Benedicti ſucceſſiſſe Canonicis Regularibus ante annum quidem 1113. oportebat: utpotè quod ea mutatio Gualtero Grimbergenſis Cœnobii Fundatore Mechliniæ, ac Grimbergæ, Toparchâ item, & Odone Liethardi Deceſſore adbuc viventibus ſit facta, ùt patet ex citato Diplomate, cujus fragmentum in deſcriptione Grimbergenſis Abbatiæ referemus. Cùm verò Grimbergenſe Cœnobium fundatum ſit annô 1110, id eſt, quinque poſt ſuſceptum ab Odone Cameracenſem Præſulatum, Odo autem obiérit annô 1113, ùt ex Cameracenſ. Epiſcoporum Catalogo apud Sammarthanos elucet, ex bac Chronotaxi apparet, Grimbergenſes Canoni-

nonicos non niſi ab anno 1110. ad 1113. potuiſſe perſiſtere, id eſt, non omninò tribûs annis; quo eodem tempore etiam Furnenſis Eccleſia primam Coloniam aſſequi debuit Grimbergâ, velut omnia documenta conferenti patebit. Ideóque ſicut nonniſi ad annum usque 1113. Grimbergæ exiſtebant Canonici, iíque non Præmonſtratenſes, intérque hos annos tres, deducta Colonia eſt ad S. Nicolaum Furnenſem, ſic & hoc Cœnobium primitùs non Præmonſtratenſes, ſed Canonici Regulares noſtrates ſuſceperunt, ii enim ipſi non annò 1128. Grimbergam inducti ſunt. Cúmque Miræus, & ex eo Sammarthani fundationem Furnenſem ad an. 1120. differant, id videntur ex Charta *Caroli* Boni, & *Joannis* Morinenſis ſuprà citatâ bauſiſſe, ſed utramque ſcrutanti apparebit nil de ejus Origine, ſed dotatione, & confirmatione memorari: ut adeò indubitatè intra annum 1110, & 13. Grimbergenſes Canonici Furnis primam poſſeſſionem acceperint; ſtante, quòd hoc Cœnobium Grimbergâ primùm religiosò inſtitutô animari cœperit, ùt præfati Scriptores referunt. Nec intereſt *Joannem* Morinenſem Fundatorem dici, nimirùm haud dubiè ut *Abbatiæ*, cùm anteà Præpoſitura eſſet, ſic enim in litteris Caroli Boni ſubſcriptus eſt *Dominus Fromoldus Præpoſitus Furnenſis*, dum dein annô 1120. *Joannes* ſtatuit *Abbatem Nicolaum.* Ex quibus demum omnibus conficitur, in bac Furnenſi Eccleſia primùm tèmpore *Joannis* Tervannenſis ſuam confirmationem inductorum Canonicorum facientis hos eosdem non Norbertinos, ſed ad Auguſtini regulam ſimpliciter reformatos inſtitutos fuiſſe. Alióquin *Joannes* mox laudatus certò ſuo in privilegio Præmonſtratenſes nominâſſet, dum tamen nudè *Canonicos* nuncupat, *ſecundùm regulam D. Auguſtini Deo famulantes.* Néque tam citò Norbertinam me-

thodum vivendi, habitúmque aſſumpſiſſe, perſuadent ſubſequentibus temporibus diverſæ chartæ emiſſæ, quarum nulla usque ad annum 1159. id contigiſſe docet. Callixtus II. Papa poſſeſſiones annò 1124. Furnenſis Abbatiæ in tutelam ſuam ſuſcipit, datis deſuper litteris Nicolao Abbati, & Fratribus Eccleſiæ S. Nicolai de Buttenburch. Atque, ſe *Joannis Morinenſis Epiſcopi precibùs petitiones eorum clementer admiſiſſe, & vitæ Canonicæ Ordinem, quem ſecundùm B. Auguſtini regulam in dicta Eccleſia profeſſi ſunt, authoritate Apoſtolicæ Sedis confirmâſſe, & in patrocinium, protectionémque tam B. Petri, quàm ſuam ſuſcepiſſe.* Concedit etiam, *ut obeunte ejus loci Abbate nullus ibi quâlibet ſurreptionis aſtutiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars conſilii ſenioris, ſecundùm Dei timorem, & D. Auguſtini regulam de ſuo, vel de alieno Collegio providerint eligendum.* *Decernit denique, ut nullus Canonicus ejusdem Eccleſiæ proprium quid habeat, vel alicujus levitatis inſtinctu, aut arctioris vitæ obtentu, ex eodem clauſtro ſine communi Abbatis, & Fratrum licentia, diſcedere præſumat.* At de Præmonſtratenſi inſtituto altum ſilentium. Pariter *Milo* Morinenſis Epiſcopus privilegium immunitatis annô 1135. Fratribus univerſis in monaſterio S. Nicolai de Buttenburch Canonicam vitam profeſſis concedit: Norbertinos, Præmonſtratenſéſve ne nominat quidem. Id ipſum reperies in tribus ſubſequentibus Diplomatibus, quorum ultimum ab eodem *Milone* datum eſt annô 1155. ſemper in iisdem Abbas, Fratréſque nominantur ſub regula *D. Auguſtini* in Eccleſia S. Nicolai Furnis viventes, & Canonicam vitam profeſſi, intermiſſa omni inſtituti Præmonſtratenſis mentione. Annò demum 1155, hoc eſt 39. poſt inductos in eandem Abbatiam Canonicos, exſtat charta tranſactionis inter Abbatias Furnenſem, & Hasnonienſem Ord. S. Be-

Bened. in Hannonia, quam Hugo Præmonſtratæ Eccleſiæ Abbas aliàs dictus Foſſenſis S. Norberti Diſcipulus, atque in Eccleſiæ Præmonſtratenſis regimine Succeſſor extradidit, in hac Wilhelmum Furnenſis Eccleſiæ Abbatem Hugo nuncupat Venerabilem Fratrem noſtrum, unde conjecturare poſſumus, tum hanc Eccleſiam membrum jam exſtitiſſe Præmonſtratenſis Ordinis. At fortaſſè quisquam hìc non ineptè occurret, quærétque, an ergò Præmonſtratenſes Canonicos excludamus è numero genuinorum Canonicorum, atque neceos, nec Monaſteria eorum inter noſtros computemus? quid verò iſthìc reponamus, fateor de Categorico ad hanc quæſtionem reſponſo, vix quidpiam nobis ſuppetere. Adſunt enim hinc & inde argumenta non exigua, & fortaſſe plura, quæ ad id aſſerendum impellant. Diximus, ſtatuimúsque in Exegeſi noſtra genuinam notam Inſtitutum Canonicum votivum ab omni alio, & ſi unquam certè à tempore ultimæ reformationis ſæculô undecimô factæ diſcernentem eſſe veſtem lineam, neque id aſſeruimus ſine ſufficientium argumentorum pondere: at Norbertus vixdum ſuæ Eccleſiæ, atque, quod cæperat, inſtituti ſtabilimentum poſuit, lineam dimiſit; unde Hugo vitæ ejus Scriptor: *Laneis*, inquit, *ad carnem, laneis ad laborem uti, & absque ulla tinctura præcepit &c.* Quodſi alia adhuc (de quibus quidem ob promiſſam brevitatem in dicta Exegeſi non meminimus) inquiramus, apparebit eosdem San-Norbertinos, & in ipſo divini officii curſu discreviſſe, de quo Galterus noſter, Epiſcopus Magalonenſis ait: *S. Norbertum*, quod Canonici officii mutationem per Antiphonarum, & Pſalmorum varietates, trifaria temporum permutatione prædicet, eſſe ſequendum, ſacris Canonibus, & ipſi B. Auguſtino obviare. Hinc Pennotus (cujus utpote in re ſibi notiſſima loquentis teſtimonium tam facilè rejicere quis poterit?) de analogica ratione Inſtituti Canonici conſultò agens, monſtrat, quæ Congregationes Canonicorum Regularium, quíve Canonici ad identitatem ejusdem Ordinis ſint conducendi? demum cap. 70. L. 2. de Canonicis Præmonſtratenſibus ſcribens apertè diſtinquit iſtos à Canonicis Regularibus genuinis, de quibus prioribûs capitibûs egit, & Authores ipſi de his loquentes, quandam notabilem inſinuant diſcrepantiam, quam hìc ſingillatim referre non vacat. Ex altera tamen parte nec minùs quædam ſunt, quæ idem *S. Norberti* inſtitutum, è genuino Regularium Canonicorum non eſſè excludendum, arguunt. Ipſe enim Galterus hanc diverſitatem officii à S. Norberto aſſumptam eidem Viro ſancto exprobrat, tanquam novitatem aliquam Canonicis genuinis inuſitatam. *Sit Dominus Norbertus*, inquit ille apud Radulph. Tungrenſ. de Can. Obſerv. propoſ. 7. *religioſus, & ſanctus, ſit multis, & diverſis virtutibûs pollens, ſit in divinis ſcripturis exercitatus, ſit in prædicatione præcipuus, plus illis ſanctis Patribûs, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, credere, quam ſibi debuimus, quorum memoria miraculis coruſcat, quorum exemplîs quotidiè fovetur, & dilatatur Eccleſia, per quorum etiam ſtudium Canonicus Ordo hodie floret, & fructificat. Ipſe enim, licèt inter homines pro oſtentatione bonus appareat, utrum tamen ante Deum electus ſit, ignoramus. Porrò Canonici officii mutationem, quam, neſcio per quas Antiphonarum, & Pſalmorum varietates trifariâ temporum permutatione prædicat, eſſe ſequendam, ſacris Canonibus, & ipſi Auguſtino obviare teſtamur. Si enim Canonici vocamur, & Canonicam vitam profeſſi ſumus, Canones à Romana Eccleſia Matre noſtra nobis datos, à quibus etiam vocabulum ſumpſimus, amplecti præ omnibus, & præcipuè in Eccleſiæ officio imitari debemus,*

ut

nit ergò nos eum nimia præſumptione in alternatione officii errare monſtremus, ſanctos Patres noſtros in medium deducimus, quibùs ab hac ſuperſtitione tam vos, quàm nos defendimus. Ex his Galteri verbis apparet tum temporis, id eſt, primis ſæculi XII. luſtris, pro certo Præmonſtratenſes habitos fuiſſe ejusdem cum aliis ſpeciei Canonicos; alioquin ſi novus, diſtinctúsque Ordo apparuiſſet, novæ methodo orandi quid exponere potuiſſet Galterus? qui ideò in eam invectus, quòd hanc aſſumerent contra morem Canonicorum, quorum ſe inſtitutum Profeſſos dicerent. Præterea Anſelmus Havelburgenſis de re ſibi nota diſcurrens, utpotè Norberti tempore vivens, ac annô 1145. ſuum librum Dialogorum conſcribens, hoc eſt, annis poſt Norberti obitum undecim,
L. 4. c. 10. Papæque Eugenio conſecrans, ait disertè: *Surrexit in eadem Profeſſione* (nam de Canonicis Regularibus loquebatur) *& in Apoſtolica vitæ imitatione Norbertus &c, iſte ſuis temporibùs in Religione clariſſimus, & famoſiſſimus diverſas Provincias prædicandò peragravit &c.* & paulò infrà, *Igitur Religio per eum renovata maxima cœpit habere incrementa &c.* Otho etiam Friſingen. expreſsè ait, eos lineis fuiſſe veſtitos, *Apoſtolicam*, inquit, *vitam ducentes, in ipsóque habitu innocentiæ habitum prætendentes, mundâ, & lineâ togâ utuntur.* Quamvìs quidem aliquos dicat *ob mortificationem tunicâ laneâ aſperiùs veſtiri.* Sed nec hoc repugnare, quò minùs ad ſpeciem etiam infimam reduci poſſint Canonici inſtituti, patere videtur ex fine ab Authore ipſo S. Norberto intento, qui fuerat miniſterium Eccleſiæ, ac animarum quæſita ſalus verè, ac propriè Clericalis. Unde in omnibus litteris Apoſtolicis Clerici, Canonici Regulares, ſub regula *S. Auguſtini* viventes nuncupari conſueverant; quod ulteriùs ex ipſa *S. Norberti* vita ab eodem Hugone ejus diſcipulo, adeóque inſtituti ſui optimè gnaro, evinci poſſe videtur. Nam cùm ipſe Sanctus aliquamdiu deliberaret cum ſuis Diſcipulis, quod potiùs vitæ genus amplecterentur, *tandem*, inquit Hugo, *ne Profeſſioni Canonicæ, cui & ipſe, & quotquot cum ipſo vivere volebant*, In vita apud Bolland. *attitulati fuerant ab infantia, injuriam inferre videretur, regulam, quam D. Auguſtinus ſuis inſtituit, adferri præcepit, Apoſtolicâ enim vitâ, quam in prædicatione ſuſceperat, jam optabat vivere, quam ſiquidem ab eodem D. Viro, poſt Apoſtolos audièrat ordinatam, & renovatam eſſe. Quam cùm allatam diligenter inſpexiſſet, in paucis compoſitam, in multis tamen benè diſpoſitam, ſtatim in die Natalis Domini, quæ inſtabat, ad inſtar Dominicæ inſcriptionis, ſub eadem, & ſtabilitatis in loco, & Profeſſionis gratia, ad illam beatæ perennitatis civitatem ſinguli ſeipſos conſcripſerunt.* Neque obſtat iterum veſtis diſcrepantia: nam quamvìs uti laneis præſcripſiſſet Norbertus *ad carnem, laneis ad laborem*, ùt idem Hugo memorat, *attamen in ſanctuario* inquit, *& ubi divina Sacramenta tractanda fuerant, lineis uti voluit, propter munditiam, & multimodam honeſtatem, & iis omni tempore utenda diſpoſuit.* Denique quod de inſtitutione novella Præmonſtratenſium paſſim Authores ſæculi 13. & ſequentis notârunt, id non intelligendum venit de Ordine ſtrictè ſumpto; ſed de quadam Congregationum ſpecie ſub eodem Ordine, velut quoque diverſæ ſpecies Congregationum reperiuntur ſub eodem Ordine S. Benedicti, quales ſunt Cluniacenſes, Vallumbroſani, S. Maurenſes &c. omnes tamen legitimi Benedictini.

Vera ſunt quidem hæc omnia, néque omninò improbanda, ac quod veſtitum attinet, planè obſervandum, continuò per veſtem lineam deſignatos fuiſſe Canonicos Regulares, & hanc diſcretivam fuiſſe ab omni ſpecie qualitercúnque alterante inſtitutum: & quod ampliùs, magisque rem urget, eſt apud Præmonſtratenſes aſſump-

tum Scapulare, quod planè Canonico genuino inſtituto, ac ſimpliciter Clericali competere nunquam poteſt. Certè Pennotus, quem in hoc paſſu ab omnibus ſuſcipi, tanquam in quæſtione, quam agimus, verſatiſſimum oportet, citatô locô c. 69. n. 4. quærenti, an Canonici illi, qui ultrà tunicam lineam ad babitum internum, & eſſentialem addiderunt haſtam laneam cucullatam, ſeu Scapulare laneum, qui eſt illorum eſſentialis habitus, ſiquidem in illo habitu ipſi profitentur, ut Canonici Regulares S. Salvatoris Bononienſis, quærenti, inquam, an hi Canonici ſint ad genuinam ſpeciem Canonicorum trahendi, nec ne? reſpondet: *Si admittamus ejusmodi Scapulare ſpectare ad illorum Habitum ESSENTIALEM; difficilè admodùm videri, defendi poſſe, illos non aliquô modô differre ab antiquis Canonicis Auguſtinianis.* Cauſam dat: *quia certum*, inquit, *nullum ex antiquis Canonicis ejusmodi Scapulare tuliſſe.* Quodſi hoc de Bononienſibus ex ſuppoſito, ſi Scapulare ſit illis eſſentiale (ſuo tempore vitâ ſuperſtite à nobis ventilandum) Pennotus ſentiendum judicat, cùm tamen lineâ veſtiantur, quantò magìs verum erit de Præmonſtratenſibus lineam penitùs dimittentibus, & Scapulare, ùt opinor (necdum enim comperi, an hi ad Epiſcopatum aſſumpti dimittant Scapulare, velut id de Bononienſibus certum eſt) pro eſſentiali veſtitu portantibus.

Quod autem de Congregationibus adducitur, injurius certò eſſem in hunc Sacerrimum Ordinem, ſi illum contrà omnium ſenſum ex inſtituto Canonico eliminare præſumerem: ſicut enim certum, quod aſſeritur, plures ſub eodem inſtituto Canonico dari Congregationes, ita indubitatum, & inter iſtas eſſe eam ipſam Præmonſtratenſium. At hæ Congregationes ad invicem comparatæ neutiquam omnes ſunt ejusdem ſpeciei infimæ: nam licèt omnes, quotquot ſunt, ex eſſentia Clericatum ſibi vendicent, omnes vivant ſub regula S. Auguſtini, omnes profiteantur vitam Apoſtolicam, diſcrimen tamen intercedit inter omnes eas, quæ lineâ carent, & eas, quæ hâc induuntur; & ſicut hos cogor ex productis à me argumentis tanquam legitimos, genuinósque Succeſſores Clericorum votivorum à primis ſæculis ſemper ſibi conſequentium propugnare, utpotè ab omni Monachiſmo exactè diſtinctos, ita reliquos inſtitutum Canonicum per uſum Scapularis, Cucullæ, aliarúmque Monachilium conſuetudinum cum Monachiſmo *ex eſſentia* ſuæ qualiscúnque reformationis innectentes nunquam adducar, ut inter illos, de quibus agimus, Canonicos collocem. Quodſi ergò labor noſter hic litterarius ad totum qualecúnque Canonicum inſtitutum regulare ſeſe extenderet, certè nec Præmonſtratenſes, nec Canonicos B. V. de Metro, nec Gilbertinos, nec S. Jacobi de Spata &c. liberum mihi eſſet, ut omitterem, at quia ſolùm à me ſermo de Canonicis Regularibus tanquam veris, ac immediatis Succeſſoribus primorum Clericorum votivorum aſſumitur, de reliquis diſcurrere eſſet extra limitem ſaltare.

Cæterùm, ut me genuinè aperiam, quod ſentio, diffiteri non poſſum, primò inſtitutæ à S. Norberto Congregationis Præmonſtratenſis ſæculô, hoc eſt, duodecimô omnes Præmonſtratenſes inter veros, ac genuinos Canonicos computari, utpotè, quòd, licèt tum quædam jam admiſta haberent de Monachiſmo, attamen ea tam parùm adhuc obſtiterint puro Clericatui, quàm parùm officiat Windeſemenſibus, aut Forerianis, qui, ut ſe arctiùs, firmiúsque in inſtituto Canonicali ſolidarent, non paucas monaſticas conſuetudines obſer-

ſervandas aſſumpſeranr, at id non ex eſſentia ſui inſtituti. Unde quoque ad libitum mutare illas, dimittere que penitùs poſſunt, manentes tamen iidem, qui priùs Canonici Regulares. Et cùm S. Norbertus ſuo inſtituto quædam Monachilia, tanquam eſſentialirer curanda, inſereret, obſtrepebant alii, velut ſuperiùs Galterum obreſtantem vidimus contra novum, Canonicíſque inſolitum hactenùs orandi modum: alii improperabant abjectam lineam veſtem. Stante hac, ut ita dicam, lite, ſemper adhuc Præmonſtratenſes inter noſtros comparuère: at cùm demum inſtitutum eorum à ſumma Sede approbatum ſic fuiſſet, ut decerneretur ſpecialis Ordo, & quidem qualem Laurentius Leodienſ. in Hiſt. Epiſc. Virdun. in Alberone 45. Epiſcopo circà finem nominat, *Novellam Clericorum monaſtici Ordinis plantationem*. Et ut veſte poſthàc à Canonicis noſtris diſtincta, id eſt, Scapulari ex inſtituto comparerent, ſub eâque profiterentur; ab eo tempore illos inter noſtros (Cornelii Bartholomæi Viri doctiſſimi in ſuo Pondere ſanct. Pag. 429. ac Pennoti L. 2. c. 43. ſeq. veſtigia prementes) numerare non præſumimus. Hæc dicta volumus, ut cuivis ratio in promptu ſit, ſi ſæculi fermè totius duodecimi monaſteria Præmonſtratenſibus fundata in ſerie præſenti inſcripta deprehenderit, poſteriora omiſſa.

apud Dacher. T. 2. f. 254.

Demum hæc omnia eâ ſacri Ordinis Præmonſtratenſis pace ſtatuimus, ut, ſi quidem eandem nobiſcum ſpeciem infimam conſtituendam autument, velut id olim Adamus Præmonſtratenſis, aliíque non improbabiliter declarare conati ſunt, diſſolutis, quæ hîc deduximus, argumentis, eò ampliùs gaviſuri ſimus, eos inter noſtros ſuſcipere, quò majori prærogativa meritorum novimus hunc ſacrum Ordinem non exiguum ſplendorem toti inſtituto Canonico aliundè conferre. Nunc nos iterum ad ea, unde digreſſi ſumus, revertamur.

Itaque Furnenſis Eccleſia circiter annum 1159. Præmonſtratenſis Congregationis Canonicis tradita dudum & virtutibûs, & ſcientiâ præclaris viris ornata comparuit, nec minùs bonis temporalibûs egregiè dotata, floréteque hodie ad magnum Gloriæ Præmonſtratenſis Ordinis incrementum. Sed jam prima vice annô 1170. locò mota, dein per Geuſios annô 1578. penitùs everſa nunc intra ipſa mænia exiſtit Urbis Veurne ſeu Furnenſis Mir. Don. Belg. L. 2. c. 33. 34. & 37. Fopp. Nov. Coll. P. 1. c. 57. Anſel. Havel. L. 1. c. 10. Acta SS. die 6. Jun. Laur. Leod. in Epiſc. Verd. apud Dach. Tom. 2. f. 254. &c. Gall. Chr. T. 5. col. 363. & T. 3. in Ep. Camerac. col. 26. Penn. Hiſt. Trip. part. 2. c. 70.

S. Furſei Abbatia. Sæculum 7mum ùt erat ſanctorum hominum in terra feraciſſimum, ſic & monaſteriis immodicis Clericorum non minùs, quàm Monachorum exſtructis poterat gloriari: inter hæc illud erat, quod *Erchenaldus, & Uxor ſua* (loquimur ex antiquiſſimis ſchedis collectis à quodam anonymo fortè S. Mariæ Bonifontis Monacho) *Leutſinda patritia dignitate in Francia conſpicui ædificârunt Peronæ ad montem Cygnopum, in quo Corpus S. Furſei depoſuerunt, & Religioſos Canonicos ad ſerviendum Deo, & Sanctis ſuis, & præcipuè eis, quorum præſentia ibidem habebatur, juxtà Beatorum Patrum decreta inſtituunt, ac poſſeſſionibùs ſuis ampliſſimis ditaverunt intra annum* 644. & 660. Quo tempore Dagoberti Filius *Chlodovæus* Sceptrum Franciæ moderabatur, & ſub cujus Principatu *Erchinaldus* regiæ domûs præfecturam obtinuit. Exſtitit autem jam ante Erchenaldi impenſam pietatem in eodem hoc loco Eccleſia, ſed ùt ea ferebant tempora, ſicut fortè exiguîs lignorum aſſeribûs à S. Furſeo compacta, ſic inter pau-

Fund. ſæc. 7. Sæcul.

cos

cos annos ruinæ obnoxia, quam ideò Erchinaldus haud dubiè ædificâſſe de novo dicitur, quòd ex ligneis ruderibus lapideam fecerit. Prolixum profectò, inter primam à *S. Furſeo*, & ſecundam in hujus honorem ab *Erchinaldo* erectam, labi tempus non potuit, cùm eôdem uterque ſæculô vixerit; & ſi Bollando fides eſt, *S. Furſei* obitum annô 636. alliganti, vix usque ad novam exſtructionem illius Eccleſiæ decem anni effluxerint. Quæ ideò ſcribimus, ut minùs aſſentiri iis videamur, qui autumant, *S. Furſeum* eidem Eccleſiæ à ſe conſtructæ monaſterium, Monachósque addidiſſe. Quis enim credat inter tam paucos annos adeò aut defeciſſe in Monachis illis *S. Furſei* diſciplinam recenti exemplô illius æquè, ac Fratris ſui *Ultani* firmatam, aut planè ſic fuiſſe diſperſos, ut cogeretur *Erchenaldus* Monachorum lôcò ibidem conſtituere Canonicos? Neque refert, an *S. Ultanus* Abbas Eccleſiæ *S. Furſei* (quæ nunc Baſilica Peronenſis eſt) nec ne fuerit? néque pro nunc inquirimus, idemnè ſtrictè loquendo ſchema monaſticum tenuerit, an *S. Columbani* inſtituta ſequendô mediam quandam inter Canonicum, Monachilémque ſtatum viam ſit amplexus; nam ſi Monachos plures Clericorum Monaſteria inſtituiſſe, imò & eis præfuiſſe cuique compertum eſt, ùt jam aliô in locô per exempla oſtendimus; cur idipſum *S. Furſeo* negemus, ſic ſe habenti, ut affectibus humanarum partium vacuo, ſolámque Dei gloriam, ac proximi ſalutem quærenti idem eſſet, quô id commodô meliore perficeret, Monachos inſtituendo, an Canonicos. Quemadmodùm de *S. Amando* legimus, eum monaſteria non ſolùm Monachorum, ſed & Canonicorum aut ordinâſſe, aut inſtituiſſe. At illud notabile, à viro ex recentioribus Scriptoribus erudito aſſeri, Baſilicæ Peronenſi adjunctum monaſterium *ab annis amplius octingentis ad Clericos ſæculares translatum fuiſſe*. Quaſi in adducto anonymo ſæculi fors decimi Scriptore non legiſſet, Erchenaldum *Religioſos Canonicos ad ſerviendum Deo inſtituiſſe*. *Religioſos*, inquam, hoc eſt, liceat ex ejusdem Scriptoris interpretatione loqui, *vitam monaſticam*, ſeu *regularem* profitentes, quòd ſi ergò vox iſta tam liberaliter monaſtico inſtituto ſignificandô inſervire poteſt, imò debet, cur, cùm *Canonicis* additur, ſæcularem notabit Clericum? eò profectò hoc minùs affirmari debuiſſet, ut ex religioſis Canonicis ad ſerviendum Deo inſtitutis, Sæculares (opinando, & ad propriam ſcribendi licentiam) formarentur, quô evidentiùs jam tempore *Caroli* Magni ipſi, à votis ſeſe relaxantes renuebant *Sæculares* dici, quamvìs ſæculariter viverent: veluti in Exegeſi noſtra deduximus. Néque jam ambigendum, regularem Canonicorum vitam in hoc Peronenſi *S. Furſei* monaſterio ſaltem usque ad tempora illa durâſſe, quibus *Auguſtini* regula velut lapis quidam Lydius incæpit re, & nomine Regulares, ab aliis, Aquisgranenſi ſeſe regula munientibus, diſcernere, qui etſi quandóque nullatenùs eſſent, prætenderent tamen dici Regulares.

Exiſtit in ipſa Perona Picardiæ Civitate. Bol. ad 16. Jan. in vita S. Furſei n. 28. Desmajus c. 21. Mab. Annal. Ben. L. 48. n. 48.

Gandevenſe S. Barbaræ. *Fund. 1425. Floret.* Vulgò Joaris-Vrancx. Virginum Canonicarum Prioratus Authore *Georgio Vrancx* cive Gandenſi, à quo & nomen retinet, annô 1425. exortus. Obtinuêre illæ ſuæ ſanctæ Converſationis, ac Societatis approbationem à *Martino V.* litteris annô Pontificatûs ſui octavô, id eſt, Chriſti 1425. datis: Prima ejus loci Prioriſſa *Jacoba* Van Ottinghen fuit. Exſtitit hac in eadem urbe Parthenon S. Mariæ in Galilæa dictus, Congregat. Windeſemenſis, cujus cùm nunc nulla inter ejusdem Congre-

gregationis Windeſemenſis virginea Cœnobia exſtet memoria, credideſrim, aut omninò exſtinctum, aut in hunc S Barbaræ Prioratum coaluiſſe.

Situs eſt in dicta urbe. Sander. Fland. Illuſt. Foppenſ. Nov. Collect. P. 3. c. 118. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 13.

Fund. circ. 631 ſæcularis.

Gandavenſe S. Petri aliàs S. Bavonis Abbatia.

Perilluſtre, ac nobile hoc Cœnobium olim exſtitit Clericorum in commune votivo ritu viventium domicilium, erexit id à fundamentis *S. Amandus* annum circiter 631, dotavítque opulentè, cùm *S. Bavo in hoc loco ab eodem S. Præſule inductus in Dominici ſcholam ſervitii, atque ante Aram B. Petri Apoſtoli militiam Chriſti profeſſus barbâ, & capillô tonſus in Clericatum aſſumptus eſt*. Ut inquit Theodoricus, quod fortè circa annum 640. actum, eodem Beato Bavone annô 655. diem extremum claudente; non 629, ut perperam Chroniſta *S. Medardi* Sueſſionenſis ſignavit. Quo tempore arguere liceat, Monachos Canonicorum locò in hoc ab origine Clericale monaſterium inductos fuiſſe? oſtendent duæ hìc ex geminis diplomatibus *Caroli* Calvi unô, de anno 864. & *Lotharii* Regis alterô, de anno 954. productæ pericopes, docebúntque ſimul ad invicem collatæ ipſorum Clericorum vivendi tunc normam: in illo hæc verba habentur: *Noverit omnium ſancta Dei Eccleſia fidelium induſtria ----- quia venerabilis Noviomenſium, ſive Tornacenſium Eccleſiarum Præſul Reinhelmus &c. nec non etiam chariſſimus Fidelis noſter Adelmus Comes, qui & largitu noſtro Rector monaſterii S. Petri, & S. Bavonis, quod vocatur Gand ſuper fluvium Schald ſiti pari devotione ad noſtram accedentes magnificentiam, innotuerunt Canonicos ipſius Cœnobii Domini, ac Genitoris noſtri Ludovici glorioſi Imperatoris, cæterorúmque Prædecoſſorum noſtrorum Regum ex Villis ſuorum uſibus delegatis, confirmationis quondam habuiſſe præcepta, ſed nimia infeſtatione Paganorum, noſtriſque præpedientibûs peccatis eadem deperiſſe &c.* Habeo igitur ex hoc contextu, *Caroli* Calvi temporibûs, & quidem annô 864. certum de hoc monaſterio ſenſum, illud *Canonicorum* exſtitiſſe domicilium non *Monachorum*, néque noviter fortaſsè inductorum, ſed, ùt inquit *Carolus Canonicos ipſius Cœnobii Ludovici Genitoris ſui, cæterorúmque Prædeceſſorum confirmationis præcepta habuiſſe*, *SUORUM*, non quondam *Monachorum uſibus delegata*. Hinc in notis ad hoc Diploma ſcribit Miræus, aítque: *Nota CANONICOS, non MONACHOS annô 864. in S. Bavonis monaſterio reſediſſe.* Et in notis ad caput 14. inquit: *Gandenſe S. Petri monaſterium S. Amandus exſtruxit, Bavonis præcipuè opibûs, quem à ſæculari militiâ ad ſacram, & Aſceticam traduxit. In hoc monaſterio primùm Clerici ſimul in communi viventes, poſt Monachi Benedictini reſederunt.* In altero *Lotharius* hæc innuit: *Arnulphus Comes, ac Filius ejus Balduinus noſtram adiêrunt clementiam, ſupplicantes de quodam monaſterio in Vico Gandavo poſito, ubi Legia, & Scaldis flumina confluunt, in honore S. Petri conſtructo (in quo etiam S. Bavo corpore quieſcit humatus, à cujus quóque tempore, aliorúmque Religioſorum Virorum, Religio, & regularis Ordo ibidem ſervatus fuiſſe memoratur) noſtra authoritate &c.* ex quo relucet, cùm *Lotharium Caroli* Calvi privilegium Canonicis datum latere nequiverit, & expreſsè idem in hoc priivilegio dicat tunc primùm, per Gerardi Abbatis inſtinctum ſeſerogatum fuiſſe ab *Arnulfo*, ejúsque Filio, *ipſum monaſterium, quod per annum ſub Profeſſione regulæ S. Benedicti inchoârunt, idem firmiter roborare dignaretur.* Relucet inquam, annô 954. primùm Monachos S. Benedicti invectos, cùm anteà, & ante Normanicam depopulationem *Canonici*, & *Regularis* eorum *Ordo* ibidem ſervatus fuiſſe memoretur,

nempè in privilegio, ùt diximus, priori, ipſiſque fortaſsè S. Amandi relictis documentis. Ex quibus ritè combinatis facilè diſſolves, ſeu obſcuriùs, ſeu minùs ſincerè edita, quæ in vita S. Amandi per Baudemundum collecta de Regula S. Benedicti aſſeruntur, quibûs Mabillonius perſuaſus S. Bavoni Monachiſmum adjudicat: ibi enim ſic legitur: *Cellulam humiliter petiit Bavo, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur, Abbas autem Fratribus Monaſterii juxta præceptum pii Patris Benedicti convocatâ omni Congregatione ejus, patefecit preces &c. itáque*, concludir Mabillio, (L. 12. Ann. n. 20.) *præceptum pii Patris Benedicti ſequebantur illi Clerici, non alii proindè, quàm Monachi*. Verùm non advertir Vir doctiſſimus manifeſtam horum verborum interpolationem in hanc vitam non minùs, quàm in Bullam, ſeu Diploma *Martini I.* annô 651, ùt præfertur, conceſſum vocum illarum, *ſecundùm Regulam S. Benedicti* (ùt Miræus, aliíque Scriptores ſenſerunt) irrepſiſſe. Quòd ſi enim verba illa Baudemundus in vita Bavonis, ſeu S. Amandi exſeruiſſet, imperceptibile eſſet, Theodoricum utriusque Sancti præconia promentem, atque in ſui Ordinis gloriam planè alioquin propenſum, eadem intermiſſurum fuiſſe, quæ tamen ille intermiſit adeò, ut non ambigeret Bavonem puris, genuiníſque Clericis aſſerere, ùt patet ex ejus vitæ deſcriptione relata à Surio, ac Bollandiſtis. Præterquàm, quòd aliundè certum, Regulam S. Benedicti his ſæculi ſeptimi temporibûs, ne quidem in Belgio, notam exſtitiſſe: dimitto alia, ne in re aliundè, ac per ſe clara nimius ſim.

Porrò hôc Cœnobiô annô 1535. per Paulum III. in Cathedralem erectô, Monachi in Canonicos ſæculares ſunt converſi, annô verò 1540. *Carolus V.* ipſum in arcem inſignem commutavir, transmigrantibûs Canonicis ad S. Joan. Eccleſ. Parochialem, nunc Cathedralem.

Sita erar hæc Abbatia extrà muros Gandenſes, in monte Urbi vicino. Mir. Cod. Dipl. cap. 19. & 33. & L. 1. Donat. Belg. c. 1. & Suppl. P. 2. c. 151. idem L. de Can. Sæc. c. 124. vita S. Amandi apud Sur. & Boll. 6. Febr. Annal. Mab. L. 12. n. 20.

Gemellorum S. Martini Ambiani Abbatia. (*Fund.* [illegible] *Floret.*) Inter præcipuas tum antiquitate, tum nobilitate Abbatias hæc ipſa reſpicitur: templum memorandâ *S. Martini* Turonenſis pietate eſt venerabile, dum idem adhuc Cathecumenus pauperi ſupplici partem ſuæ Chlamydis donâſſe dicitur eo in loco, qui antè ſummum Altare hodiedum monſtratur, ùt narrat Miræus, tempore *S. Martini* ibidem portâ urbis conſiſtente. Hanc igitur Eccleſiam annô 1135. *Garinus*, ſeu *Warinus* Ambianenſis Epiſcopus mira ſollicitudine reſtaurans Canonicis Regularibus inhabitandam conceſſit, chartâ ſuæ fundationis adjectâ, ex qua hæc præcipuè obſervanda deſcerpſimus: *Memini*, inquit, *dilectiſſimi, Profeſſionis meæ eſſe, ut deſtructa Eccleſiæ noſtræ pro facultate mea reſtaurem, ac deformata occaſionibus temporum, ſeu negligentiæ, in melius reformando commutem, hac itaque Profeſſione noſtra convenior, ſimúlque officii mei ratione compellor, ut voti promiſſi compleam actionem, ſollicitudiniſque paſtoralis non intermittam injunctam mihi vicem, nè fortè voti reus, & nominis, præmium perdam, & divinæ promiſſionis &c. ut ergò ea, quæ noveram, quæque ex debito officii exigebar, complerem, quatenùs conſummatè in bono, curſûs præmia adipiſci valerem: quod Prædeceſſorum noſtrorum beatæ memoriæ Godefridum Epiſcopum, de Eccleſia in honore egregii Confeſſoris Chriſti Martini intra muros noſtræ Civitatis ſita in loco, ubi parte Chlamydis ſuæ Chriſtum in paupere veſtivit, incæpiſſe cognovimus, concordi petitione, & aſſenſu Cleri noſtri, cui illa ad regendum ſubjicitur*

tur Eccleſiæ, perficere fatagimus, Canonicis S. Auguſtini Regulam propoſitúmque profitentibus Eccleſiam prædictam cum poſſeſſionibus, quas nunc habet, quæque noſtris temporibus regulariter accedere poterunt, concedimus, & confirmamus. Hæc *Garinus*, magnum ſanè exemplar liberalitatis Epiſcopalis: neque ſtetit in hac una confirmatione hujus præſtantiſſimi Viri pietas, ſed ſic inſuper Canonicos iſtos ſtabilire voluit, ut imprimis, qui omnium Religioſorum curam gereret, ſub *Prioris* nomine ſubjaceret immediatè *Decano* Metropolitanæ Eccleſiæ: dein verò Canonicos Cathedrales, & alios Regulares *S. Martini*, æquâ libertatis proportione in omnibus negotiis ſtatuit contineri, omnes decimas omnium novalium, & ſegetum Epiſcopalium urbi adjacentium, ſicut à Prædeceſſoribus ſuis *Widone, Radulpho, Roricone, Gervino, Godefrido, Ingelranno* prædictæ Eccleſiæ conceſſum eſt, ipſe quóque confirmavit, Altaria duodecim eidem plena libertate adjunxit, præterea præbendam cujusque Canonici Cathedralis unô annô huic S. Martini Eccleſiæ conceſſit, eô pactô, ut, cùm unus è Cathedralibus obierit, San-Martiniani quotidiè Miſſam totô annô pro ſalute illius perſolvant, & in obſequio ſepulturæ ejus, Canonicis Cathedralibus cum candelis aſſiſtant: viciſſim autem ipſi *ſimili modô San-Martinianos ſepeliant, & tricesimale pro eis perficere non omittant &c.* aliáque plura beneficia contulit, quæ in donationum chartis legenda occurrunt.

Duravit autem ſub Prioratûs nomine hæc Canonia usque ad annum 1145, cùm *Theodoricus* Epiſcopus Ambianenſis eôdem annô unanimi conſiliô, & ſtudiô *Radulphi* Decani, *Warini* Præpoſiti, *Radulfi*, & *Balduini* Archidiaconorum, *Fulconis* Præcentoris, *Simonis* Cancellarii, & totius Capituli B. Mariæ, & S. Firmini rogatus benignè aſſenſit, ut eadem S. Martini Eccleſia, quæ ſub eorum ditione ſemper habita, & à Prioribus hactenùs gubernata, ſub titulo *Abbatis* poneretur, & Clerici ejusdem loci ſub nomine *Abbatis* efficaciori curâ, & honorabiliori diſciplinâ regerentur: ſicque *Abbatiæ* titulus eidem Canoniæ attributus eſt, ut, quemadmodùm hactenùs Prior, ita poſthac Abbas à Fratribus ejusdem loci Canonicè eligatur, electus in Capitulo Metropolitano præſentetur, ibíque à Canonicis laudatus, benedictionem tantùm ab Epiſcopo recipiat, Capitulo autem ſubjectionem, & obedientiam promittat, & à *Decano* curam recipiat animarum.

Deníque primus, quem titulô Abbatis inſignitum reperimus, dictus eſt *Theobaldus*, huic ipſi Theodorici privilegio præ reliquis novem Abbatibus ſubſcriptus. Floret autem etiamnum hæc Abbatia, & priſtinarum laudum titulos per diſciplinæ regularis conſtantem vigorem ammodò conſervari, meritò poteſt gloriari.

Exiſtit in ipſa Metropoli Ambianenſi Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 4. Spicil. Dach. Tom. 3. f. 494. & 497.

S. Germani in montibus Hannoniæ Præpoſitura.

Fundat. Seculare.

Quo tempore, quóve Fundatore hæc ſuum ſortita ſit initium, necdum comperimus, & jam ante nos Miræus ignoravit, dicens: *Originem ſuam debere Virginum S. Waldetrudis Collegio Caſtrilocenſi.* Quandò verò Canonici ſeparatam ſuam Baſilicam obtinere cœperint (dum alia ex Guiſiô ſe decerpſiſſe aſſerit hanc Præpoſituram attingentia) eundem Guiſium non exprimere, ait: credibile tamen eſt huic Cœnobio, cùm primùm ex modica ſua cellula (cujus vicem *Aldegundem* doluiſſe alibi diximus) in ampliorem ſtructuram excrevit, aut certè, cùm *Sigebertus* Auſtraſiæ Rex fundationem pro anima Patris ſui auxit, adjunctum monaſterium Clericorum fuiſſe: id

id enim expetebat, & Sacramentorum Virginibus conferendorum neceſſitas, & ſollicita benè earum inſtituendarum in *Waltrude* cura.

Hanc Canonicorum in Eccleſia S. Germani Societatem unà cum Eccleſia Ordini noſtro vindicamus, quos ſcimus in communi illis temporibus, adeóque votivè, vixiſſe, etſi de regula *S. Auguſtini* nulla tunc memoria occurrat, ipsisque Canonicis præbendæ ſuæ perſonales ſint diſtributæ: hæc enim in Exegeſi noſtra jam digeſſimus, atque probavimus. Cui accedat, quæ S. Germani Canonicis Bulla eſt tranſmiſſa à *Lucio* Papa, cujus fragmentum libuit hic inferere: *Nicolao Præpoſito Eccleſiæ S. Germani, ejúsque Fratribus tam præſentibus quàm futuris, Canonicè inſtituendis in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri &c. eapropter dilecti in Domino Filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam S. Germani de montibus, in qua divino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegiò communimus. Statuentes, ut quaſcunque poſſeſſiones ----- juſtè, & pacificè poſſidet ---- firma vobis, veſtriſque Succeſſoribus illibata permaneant &c. antiquas etiam, & rationabiles conſuetudines Eccleſiæ veſtræ hactenùs obſervatas ratas habemus &c. liceat quoque vobis Clericos, & Laicos à ſæculo fugientes liberos, & abſolutos ad converſionem recipere, & eos ſine contradictione qualibet retinere. Prohibemus inſuper, ne ulli Fratrum veſtrorum POST FACTAM IN EODEM LOCO PROFESSIONEM, fas ſit de eodem, niſi majoris Religionis obtentu, diſcedere, diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere &c.* data creditur circa annum 1181. Nemo, niſi ſtyli Romani ſeipſum penitùs ignorantem prodat, inficiabitur, his poſtremis verbis *Lucium* expreſsè notâſſe Canonicos S. Germani vitæ votivæ fuiſſe addictos, quid enim illud? *Prohibemus, ne ulli Fratrum veſtrorum poſt FACTAM in eodem loco PROFESSIONEM, fas ſit de eodem, niſi majoris Religionis obtentu diſcedere &c.* Sanè hæc clauſula nulli Bullæ inſeri ſolet, niſi ad Regulares dirigatur, ùt patebit, omnes, quotquot exſtant, Pontificias litteras conferenti. Ergò ineluctabiliter tempore *Lucii* Papæ Canonici S. Germani Regulares, id eſt votivi, ac religioſi erant. At ſub qua regula, an S. Auguſtini? nihil de hac, tota *Lucii* Bulla meminit, quamvis tunc multæ regulares Canoniæ jam dudum ſub eadem regula Domino militarent. Quid autem ex his inferamus? niſi, certiſſimum eſſe, Regulam *S. Auguſtini*, ad ſpeciem infimam decernendam Canonici votivi inſtituti tam parùm contuliſſe, ſi adeſſet, quàm parùm dempſerit, ſi abeſſet. Nec ego dubito quidem, his S. Germani Canonicis votivæ vitæ addictis ſolitam fuiſſe Regulam Aquisgranenſem, intereà tam certò cum aliis Canonicis, Regulam *S. Auguſtini* complectentibus, ejusdem planè inſtituti, ut ne diſceptari quidem poſſet, cùm tales ſimillimè exſtiterint tunc multi in Bavaria, ùt *Pollingani, Raittenbuechenſes, Reicherſpergenſes*, aliique, de quibus nos in Exegeſi, quam multùm hæc S. Germani acta corroborant.

Quamvis verò ex Lucii Bulla habeamus horum Canonicorum votivam vitam, attamen huic non obſtare ſolitam præbendarum diſtributionem, ex alio documento habemus dato Eccleſiæ S. Waltrudis à *Balduino* Magnanimo, factam fundationem Altari S. Jacobi referente, in quo hæc leguntur: *In Anniverſario autem ſupradicti Comitis cum ſumma veneratione celebrando Eccleſia B. Waldetrudis annuatim in Feſto S. Andreæ in cenſibus Domini Comitis apud Leotinas ſexaginta ſolidos denariorum habebit &c. illi autem ſexaginta ſolidi in Anniverſario tali diſtinctione diſtribuuntur, quòd quiſque Canonicus,*

nicus, vel Canonica (has autem æquè regulares, ac votivas exſtitiſſe jam monſtravimus) *B. Waldetrudis, & quisque Canonicus S. Germani in vigiliis anniverſariis quatuor denarios, in miſſa verò ſex denarios habebit &c. ſi quis autem Canonicus, vel Canonica in vigiliis, vel miſſa defuit, nihil portionis habebit. Nemo pro præbenda impignorata, vel ad cenſum data, præbendæ portionem iſtam perdere debet &c.* Signatur annus 1195. Ex his autem collige, quid de effato Authoris Gall. Chriſt. novæ editionis ſentiendum? Eccleſiam S. Germani non minùs quàm anteà Malbodienſem per *Brunonem* circa annum 957. ſæcularizatam dicentis; præcipuè cùm regularitatem Canonicam præfatò annò indubitanter in utroque, tam Caſtrilocenſi, quàm S. Germani monaſterio florentem penitùs diſſimulet, atque reticeat. Hæc S. Germani Eccleſia tempore ſuæ Regularitatis inter alios eximios Viros numerat *Gislebertum*, præfatæ mox Chartæ ſubſcriptum Præpoſitum, & Cancellarium *Balduini* Hannoniæ Comitis, illius nempe, qui dein annò 1204. electus Conſtantinopolitanus Imperator mox ſequenti annò in captivitate Bulgarica miſerrimè periit.

Gislebertus autem noſter celeberrimus fuit ſui temporis Hiſtoricus, ſcripſitque Chronicon quoddam Hannoniæ à temporibus Richildis ad usque ſuam ætatem, finitúrque annò 1195: nunc hunc locum Sæculares Canonici poſſident.

Exiſtit hæc Præpoſitura, in Urbe Montium Hannoniæ Mir. Suppl. P. 3. c. 76. & L. de Coll. Can. c. 47. Gall. Chriſt. T. 3. col. 144.

Sæcularis fact. **S. Germani aliàs montis Falconis Abbatia.** Hujus Fundatorem, Auctorémque Flodoardus *Baldericum* facit Remenſem Epiſcopum, qui à primæva illius inſtitutione Clericos, ſeu (ùt eos Hincmarus nuncupat) *Canonicos monaſterii* locavit: Excelluit in hac Abbatia Sanctitatis præcipuè gloriâ *S. Godo* ejusdem præſtantiſſimus Abbas. Sæculò dundecimò autem Canonici jam penè à diſciplina deficientes demum omnino ſubſequo tempore ſe pro Sæcularibus, quales hodiedum ſunt, habuerunt.

Hæc Abbatia ſita eſt ſuprà Verdunum tribùs milliaribùs Germanicis Occidentem versùs. Flodoar. L. 4. Hiſtor. Remenſ. c. 39. Annal. Bened. L. 56. n. 40. Browerus in Annal. Trev. ad ſæc. 8. Chiffl. in Veſunt.

Geronſartenſe S. Mariæ Abbatia. *Fund. an. 1134. Floret.* Fundatur ab *Alberone* Epiſcopo Leodienſi annò 1134. *partem prædii Epiſcopalis juxta Jamedam rogatu Fratris Joannis, aliorúmque Dei ſervorum cum eo ſub regula S. Auguſtini Canonicè viventium infrà terminos S. Mariæ Namurcenſis liberalitate ſua Deo, & S. Auguſtino offerente: ubi & prædictis Dei ſervis cooperante fidelium devotione Eccleſia novò conſtructa eſt opere, & plures inibi Deo ſervientes adunati ſunt.* Utinquit *Alexander Alberonis* in Sede Leodienſi Succeſſor, hanc eandem fundationem confirmans, nec minori favore novam iſtam plantationem proſequens: nam religioſorum horum Virorum *honeſta converſatione permotus ſuam quoque devotionem eidem Eccleſiæ* (ùt referunt ejusdem Confirmationis verba) *applicuit, eámque in honorem Dei ad titulum S. Mariæ ſemper Virginis, ſanctique Auguſtini Epiſcopali benedictione dedicavit, atque ad ampliandum ipſius atrium de prædio Epiſcopali ſuperaddidit.* Pluráque *paci ſervorum Dei inibi commorantium paternè* conſulens, benevolentiâ peculiari attribuit, quæ in charta Confirmationis legi poſſunt. Acta autem hæc Confirmatio fuit, *annò ab Incarnatione Domini milleſimò centeſimò trigeſimò quartò, indictione duodecima, imperante Lothario II. annò Regni ejus undecimò.*

Hoc Cœnobium quia unum eſt ex Principalibus Congregationis *Vallis-Scholarium*, & inter ſex in Belgio

gio conſiſtentia caput, à quo illa ſucceſſu temporis enata, iſtud verò, cùm ex origine ſua inſtitutum Canonicorum Regularium obtinuerit fundante *Alberone*, & confirmante *Alexandro* Leodienſibûs Epiſcopis, ùt diximus; poſtmodùm, & quidem, prout in Gallia Chriſtiana notatur, annô 1225, adeóque poſt annos ſuæ Fundationis nonaginta, primùm inſtitutum Vallis-Scholarium ſuſceperit; non incongruum judicavimus, hujus Congregationis originem, fataque ibi hic perquirere, quæ quidem aliàs ordinatiùs differri poſſent, dum aliquandò de totius Ordinis Capite, ſeu *Magna Valle* Scholarium Diœceſis Lingonenſis in Gallia Tractatus ſuppetet. Sed ne Lectoris notitiæ hujus citiùs capiendæ deſiderio deſimus, ea, quæ ad hanc preſſiùs conducere videntur enarrabimus.

Igitur Congregationis *Vallis Scholarium* ſi originem ſcrutemur, illa haud dubiè adſcribenda erit quatuor famoſiſſimis Doctoribus in Pariſienſi Academia florentibus, *Guillelmo Anglico, Richardo, Evrardo*, & *Manaſſi*, qui Viri ſanè doctiſſimi, rerum temporalium pertæſi, Deo ſervire firmiori vinculô ſtatuerant; unde *Guillelmum* de Joinville Epiſcopum Lingonenſem pro Eccleſia parva in loco montibus hinc inde aſpero pridem conditam ſibi incolendam deprecati, ejúsque aſſenſum obtinentes, in ipſa primum ſui propoſiti fundamentum poſuêre, meminit ejus Albericus in Chronicô his verbis ad an. 1212. *Novus Ordo Vallis Scholarium cœpit in Diœceſi Lingonenſi per Guillelmum Angliicum, & per Fratrem Ricardum de Narceio, Evrardum, & Manaſſen Theologiæ Facultatis Profeſſores, cooperante illis, & totum diſponente Guillelmô Lingonenſi Epiſcopô Pontificatûs ſui annô 3 tiô, qui infrà annos viginti, Priorias fecerunt ſex decim. Iſti legunt regulam S. Auguſtini.* Normam autem, ſeu inſtituti rationem diſcimus ex ipſius *Willelmi* Epiſcopi Lingonenſis chartâ ſtatutorum, relat. à Dacherio Spicil. t. 3. p. 583. in qua ſtatuitur: ùt *ſub regula B. Auguſtini militarent, habentes officium Eccleſiaſticum, habitum, geſtum, & inceſſum ſecundùm propoſiti, & facultatis eorum congruentiam more fratrum B. Victoris Pariſienſis,*

Secundò: ut vacarent laboribus, horis & temporibûs conſtitutis, more, quo decet, ſilentium ſervaturi.

Tertiò: Carnibus ne veſcerentur, nec in domo, nec extra domum, niſi in ægritudine vera, & tunc, ut citiùs convaleſcant.

Quartò: à Paſcha usque ad exaltationem S. Crucis bis reficerentur in die, reſiduum temporis ſub jejunii abſtinentia tranſcurſuri, exceptis diebûs novem lectionum, & octavis, in quibus comedent usque ad feſtum S. *Brixij*, & à die Nativ. Domini usque ad ſeptuageſimam, more dictorum fratrum B. Victoris.

Quintò: lectralia haberent culcitris & linteis carentia, dormientes ſuccinctî tunicâ, & calceati caligis. Hoſpites etiam jacerent ſine culcitris, laneis contenti, ſicut & fratres.

Sextò: Si monaſteria multiplicarentur hujus congregationis, Eccleſia Vallis-Scholarium eſſet, & agnoſceretur omnium quaſi mater, & Domina, & ibidem omnes Eccleſiarum Priores ſemel in anno more Ciſtercienſium tempore terminato convenirent generale capitulum celebraturi: Prior verò Vallis Scholarium liberam haberet poteſtatem per omnes Eccleſias illius ordinis movendi, & amovendi, & exceſſus corrigendi &c.

Septimò: Fratribus recipiendis certum numerum præfigerent, ità, ut capitalis Eccleſia in Clericis, & Laicis non poſſit excedere numerum tricenarium; omnes autem filiæ contentæ eſſent duodecim Clericis, & tribûs converſis fratribûs, Priore Præſidente.

Octa-

Octavò: Statuerent etiam vivere ſine agricultura, villis & grangiis, & hominibus, ſolis redditibûs contenti, & Eleemoſynis. Pecudum poſſeſſiones non haberent, præter decem vaccas tantùm, quæ ſufficere poſſent ad miniſtrandum lac pulmentis Clericorum, & familiæ eorum; ita tamen, quòd vaccæ ſub cuſtodia eſſent aliena, longè ab Eccleſiis ſemotæ. Ablata judiciô non repeterent, ſed ſi quis eis injurioſus extiterit, & moleſtus, accederent ad Epiſcopum loci, dicentes: *Pater, nolumus vos ignorare, quantum talis ille nobis moleſtus eſt, & ecce iſti, quomodo ſe res habeat, non ignorant, ab ipſis, ſi placeat, rei veritatem inquirere.*

Nonò: mulieres ad habitum ſuum non reciperent, niſi in extremis, & quæ apud eos fortè ſibi ſepulturam elegerint, & tunc ad præſentationem ſui plebani: eædem mulieres paſſim clauſtrum, vel chorum non ingrederentur, nec infra metas intrinſecùs comederent, aut biberent &c.

Decimò: Prior in Refectorio cum cæteris comederet Religioſis, & in dormitorio dormiret, niſi in itinere fatigatus, vel occaſione talis hoſpitis, cui debeat honor, & reverentia impendi, neque in victu, aut veſtitu à cæteris differret Religioſis &c.

Atque hæc quidem præcipua erant ſtatutorum puncta, unde colligere datur, hos Scholares fortè conſtituiſſe quandam non tam ſpecie, quàm numerô diſtinctam congregationem Canonicorum Regularium S. Auguſtini. Neque adverſatur, quòd hi *Vallis Scholarium* potiùs ſuam Congregationem nuncuparent, quàm *Canonicorum Regularium*, id námque ex loco, ac perſonarum convenientium qualitate, non ex diſcrimine inſtituti factum eſt; cùm enim locus, in quo eorum prima Eccleſia condita eſt, longè anteà jam diceretur *Vallis*, ſeu *Val*, totúsque locus ille *Valedom*, vel ùt habetur in charta à Capitulo Lingonenſi data apud Sammarthanos *don Viel Val* nuncuparetur, cúmque horum doctiſſimorum virorum Conventus *Scholarium* nomine, ob eorum totâ penè Galliâ divulgatam ſcientiam, inſigniretur, locus primùm ille *Vallis Scholarium* dictus, & ipſa Congregatio hanc Nomenclaturam adepta eſt, ad ſimilitudinem, ùt mihi quidem propè veritatem eſt, congregationis Scholarium Bononiæ annô 1200. inſtitutæ, de qua hæc ex Jacobo de Vitriaco excerpſiſſe juvabit: *Eſt*, inquit ille: *alia re-* Hiſtor. Oc-
gularium Canonicorum Deo grata, & cident.
hominibus gratioſa Congregatio extra c. 27.
civitatem Bononiæ non longè ab ea in caſtris æterni Regis militantium, & eidem ſub unius majoris obedientia in fervore ſpiritûs, & mentis exceſſu tam devotè, quàm humiliter ſervientium; hi ſiquidem adeò expediti poſt Dominum currunt, & nudi nudum ſequuntur, quòd omnem exterorum curam, & temporalium poſſeſſionem à ſe penitùs rejicerent, omnia tranſitoria tanquam ſtercora reputantes, ut Chriſtum lucrifaciant. Sapienter enim penſantes, & prudenter attendentes, quod ſufficit diei malitia ſua, in tantum de craſtino non cogitant, quòd Eleemoſynas aliquas à fidelibus non recipiant, niſi quantum ſobriæ vitæ ſuæ ad arctam neceſſitatem poſſit ſufficere. Tribûs in hebdomada diebûs carnes, ſi eis apponantur, non recuſant, in Refectorio manducantes, & in dormitorio quieſcentes, & horas Canonicas ſecundùm D. Auguſtini Regulam, pariter in Eccleſia in voce exultationis, & confeſſionis Domino concinentes &c. Ipſi autem è numero Scholarium Bononiæ ſtudii causâ commorantium in unum Domino aſpirante congregati divinarum Scripturarum Lectiones unô eorum docente ſingulis diebûs audiunt, quæ autem diligenter audierint, ſummi Pontificis authoritate, & S. R. E. inſtitutione Chriſti fidelibus diebûs feſtis in prædicationis, & doctrina gratia decorantes, & Prædicatorum Ordinem Canonicorum Ordini conjungentes &c. Planè non diſſimili-

Digitized by Google

ſimiliter Congregatio *Vallis Scholarium*, horum Bononienſium zelum, pietatémque æmulabatur, eò quidem, mea opinione, certiùs, quòd hæc Gallica Originem ſuam propriè obtinuerit Annô 1212, quam dein *Honorius III.* peculiari Bullâ annô 1215. confirmavit, unde illâ Bononienſium Scholarium virtute allectum Guillelmum cum ſociis credibile eſt eandem vivendi normam ſibi in Gallia præfixiſſe. Neque dubitandum, æquali quoque iſtos, ac illos Bononienſes zelô ſcientiæ divinæ tam adipiſcendæ, quàm aliis communicandæ ſtatutam operam impendiſſe. Cùm enim ex conſtituto imitarentur *ſecundùm propoſiti, & Facultatis congruentiam Fratres B. Victoris Pariſienſis:* Hi certè quantâ temporibûs iſtîs, hoc eſt, Sæculô præcipuè duodecimô, ac decimô tertiô, doctrinâ, ſcientiâque eminuerit, teſtatum facit Codex M. SS. Joannis à S. Victore in ſuo Memoriali Hiſtoriarum, ubi inter alia ad propoſitum noſtrum refert ſequentia: *Clarebat hoc tempore Ordo Canonicus S. Victoris Pariſius, celebrisque famâ per Orbem habebatur, præcipuè propter famoſas quaſdam, & inſignes perſonas, moribûs, & ſcientiis adornatas, quas in diverſis diverſorum mundi locorum Eccleſiis ſparſit, velut vitis fœcunda palmites proferens transplantandos &c.* anteà verò jam dixerat: *Quòd plures ibidem* (id eſt in Monaſterio Victorino) *famam ſuæ Sanctitatis, & ſcientiæ per totum orbem ſpargebant, vigebátque ibidem ſtudium:* unde enumerat Launoyus in ſuo de ſcholis celebrioribus Librô ſibi invicem continuò ſuccedentes in hac Victorina non ſolùm virtutum, ſed & ſtudiorum divinorum clariſſimâ Palæſtrâ Viros ingentis, & profundiſſimæ eruditionis, quales fuêre *Guillelmus Campellenſis* poſteà Catalaunenſis Epiſcopus, poſt hunc *Thomas Prior*, notus ille pro immunitate Eccleſiæ purpuratus Martyr, poſt hunc *Hugo* Victorinus, inde *Nanterus*, *Richardus*, *Galterus*, *Godefridus*, *Adamus*, cui meritò præter complures alios connumerandus eſt *Thomas* alter, æquè Canonicus Victorinus: Vir doctiſſimus, & in ſcrutandis divinis litteris, atque docendis verè illuſtriſſimus. Hic, ùt refert Ughellus in ſua Italia ſacra, annô 1220. ad Neofundatum Monaſterium Vercellenſe Canonicorum Regularium S. Andreæ in Abbatem poſtulatus, idem ipſe eſt, qui præſtantiſſimus Inſtructor exſtitit *S. Antonii* de Padua, quémque tam improvidè, quàm temerè nuperus Gerſenſis Polycratis infeſtivus editor Monachum Benedictinum ex Anecdotis Pezianis fecit, corticem luſtrans, nucleum non conſiderans: id eſt, titulum quidem conſpiciens, in quo *Thomas* Ord. S. Benedicti à Pezio nuncupatur, ſed diſſertationis præviæ Iſagogicæ numerum octavum non perſcrutans, in quo Pezius fatetur cum pluribus aliis ſe deceptum, & nobiliſſimos Tractatus illos in myſticam Theologiam *Dyoniſii*, ac in Cantica &c. *Thomam* hunc anteà Victorinum Canonicum, dein Vercellenſem S. Andreæ Abbatem compoſuiſſe. Quem denique obiiſſe dicit Ughellus annô 1226, ex quo patet, hoc ipſo tempore eminuiſſe viris doctrinâ adeò celeberrimis Cœnobium Victorinum, ut id meritò ſuis in conſtitutionibus imitari poſſet Vallis Scholarium novella Congregatio. Hinc ſupra citatus Vitriacus ait, eoſdem Victorinos tanquam *laterem æneum in templo Domini ſcholaribus Pariſiis commorantibus, & variis populis undique confluentibus, aquas purificationis ſubminiſtrâſſe.* Accedit in luculentius huic aſſerto noſtro adhuc argumentum plurium doctiſſimorum virorum in hac congregatione enumeratio, quam nobis in Gallia Chriſtiana exhibet Priorum, atque Abbatum Catalogus. Nam ſub Johanne primo Vallis magnæ Priore notatur, *Everardum* de Vullenis regulam iſthic profeſſum dein confectis apud S. Catharinam Pariſienſem

Marginal notes: ad an. 1119. — Cap. 59. Art. 4. — Tom. 4. col 1080.

ſem (æquè hujus congregationis membrum) ſtudiis doctoris Laureâ inſignitum ſacras litteras publicè docuiſſe. Idipſum legitur de *Laurentio* Poulengjo Priore ſeptimo, & de *Roberto*, ſeu *Gouberto*, qui ideò cum Capitulo generali decrevit, ut duodecim Alumni inter optimos ſelecti communi totius ordinis expensâ jugiter alerentur in Cœnobio S. Catharinæ Sacræ Theologiæ operam navaturi; ut nil dicam de ſubſequis viris doctiſſimis Petro de Verberie, Petro de Fajaco, Joanne Perroth. aliiſque quàmplurimis.

Veſtes eorum, ùt vidimus, erant Victorinis æquales, cùm diſertè dicatur: *habentes officium Eccleſiaſticum, habitum, geſtum &c. ſecundum propoſiti & facultatis eorum congruentiam more fratrum B. Victoris Pariſienſis*. Obſervat autem in notis ad hunc locum Acherius tempore poſteriori conſuetudines quaſdam ab his ſeorſim fuiſſe ſuſceptas, prout declarare videtur Liber ordinis ſic dictus: in cujus partis primæ cap. 17. de veſtitu dicitur: *hæc ſunt veſtimenta, quæ uni Canonico conceduntur, Cappa, tunicæ laneæ ſuperior & inferior, pelliceum, ſuperpellicea, tunicæ laneæ, interulæ, id eſt, Camiſiæ* (ubi incongruè interpretatur Acherius Rochetam, nam non per interulan, niſi cum Alviſeto quis nugari velit, Rocheta, ſeu Rochetum intelligendum eſt, ſed per ſuperpelliceum, interula enim, ſeu Camiſia interior vulgariter nuncupari ſolet induſium, at ſuperpelliceum, & apud Canonicos idem quod Rochettum, induitur exteriùs immediatè infra Cappam) proſequitur dein Ordo, aitque: *Quibùs ad lectum utimur, ſunt, Culcitra ſine plumis, pulvillus humeri, Cervical, coopertorium unum ex pellibus agninis, alterum ex lana alba &c. Cappa apertum convenienter caputium habere debet &c.* Hæc verò non videntur Victorinorum conſuetudinem primæ contrariam ſufficienter arguere: nam, quod hi culcitris utantur, quæ ſcholaribus interdicuntur, ex hoc ipſo inferendum opinor, hoc ſtatutum expreſsè exceptivum fuiſſe, utpotè, cùm Victorini illis jam tunc uterentur, Scholaribus ideò diſertè prohiberentur: *habebunt lectralia culcitris & linteis carentia*, in hoc ergò voluit Willhelmus, ut quid diſtinctum haberent Scholares à Victorinis. Reliquus autem veſtitus ſcholarium, à nobis æqualis ſupponitur fuiſſe victorinis, cùm deſcriptæ iſtorum veſtes in citato ordine ſint cultus Canonicorum Regularium vetuſtiſſimus, quod claris argumentis probat Pennotus noſter. Par. I. C. 42. n. 6. an verò Scholares hi uſque ad recentiora tempora ſe in veſtitu cum Canonicis Regularibus conformaverint, necdum aſſequi poteram, id ſolùm contendo, per hunc ordinem Victorinum probari non poſſe, eoſdem Victorinos Canonicos alias conſuetudines per dictum ordinem conſcriptum aſſumpſiſſe, ſaltem multùm diverſas ab iis, quibus ſe neo-fundati Scholares informabant, ùt patebit conferenti.

Sic inſtitutâ hac congregatione, ùt diximus annô 1212. (hoc enim tempore *Willhelmi* Epiſcopi Lingonenſis charta confirmationis edita ſignatur: quodſi verò libeat recurrere ad confirmationem Pontificiam, aſſignandus erit annus 1219.) creſcebat indies tam pia fundatio, tum numerô concurrentium doctiſſimorum ad hanc diſciplinam aſſumendam virorum, tum etiam monaſteriorum; adeò quidem, ut cùm principiô tota congregatio ſolùm ſub Prioribus ordinaretur, inde an. 1539. ipſa Eccleſia Mater in Abbatiam erigeretur, datâ deſuper Bullâ Pauli III. aſſumpto in primum Abbatem *Benedicto Clemente* Cornuat an. 1540. cùm annô jam 1519. in Priorem Generalem electus fuiſſet. Verùm neſcio, quô fatô factum, ut tum ſimul nutare inciperet diſciplina regularis, præ-

cipuè dum præſederat Abbas commendatarius Philippus de Choiſevil, Thomas Morizet, Chriſtianus de Choiſevil, Michaël, Thibouret, Johannes de Choiſevil &c. donec demum *Laurentius Michel* ex Subpriore S. Catharinæ Abbas electus eſt Generalis annô 1617. hic præmonitus à Cardinali de la Rochefoucauld de reſarcienda in ſuo ordine diſciplina, an. 1627. de quibusdam ad reformationem ſpectantibus inter omnes convenit, at effectu ſperato neutiquam conſequente. Igitur Cardinalis per Breve Apoſtolicum ab *Urbano VIII.* die 6. Julii 1628. emanatum, omnimodam juriſdictionem in hunc ordinem obtinuit, luctantibus intereà tum Laurentio ipſo, tum definitoribus Capituli generalibus, & omni conatu libertatem quærentibus; ſed ubi ſpes evolvendi nulla ſuccurreret, demum *Laurentius* ipſe cum Canonicis Regularibus S. Genovefæ, totâque Congregatione pactum iniit de omnibus Vallis-Scholarium monaſteriis uniendis eidem, quod etiam effectum ex parte ſuum obtinuit accedente confirmatione, & edicto privati conſilii Regii die 30. Oct. an. 1637. & poſſeſſionem magnæ Vallis acceperunt Genovefani Canonici anno eodem, die 27. Nov. nec ipſius quóque Summi Pontificis *Innocentii* defuit approbatio, datâ Bullâ 22. Sept. Annô 1646. Ex parte, inquam, nempè ut Generalis Congregationis Gallicanæ haberet quidem titulum, ac plenam juriſdictionem Vallis-Scholarium, nulla tamen ſtricta unio eſſet; quæ dein (*Laurentio* reſignante, & *Gabriele* Barbier in Abbatem Vallis-Scholarium Magnæ ex Priore ibidem Clauſtrali ſuccedente, & poſthac tantummodò per triennium permanſurô) iteratò tentata eſt, diutiùs dilata, tandem annô 1662. Pariſiis die 27. Auguſti firmiter ſtatuta, ut (dum hactenùs aut renitebantur, aut ſolùm bellorum injuriâ retardabantur ſex Belgii monaſteria, quò citiùs in hanc unionem conſentirent) etiam ab his Abbas S. Genovefæ tanquam totius Ordinis, ſeu Congregationis caput agnoſceretur; certis tamen conditionibûs, quas, cùm (velut & hactenùs, ſed ſuccinctiùs relata) ex R. P. Prevot. S. Genovefæ Bibliothecario ſuæ Galliæ Chriſtianæ inſeruerit Dyonyſius Sammarthanus, proderit hic ejusdem verbis enarrare: *Cautum*, igitur *fuit*, inquit, *ut ſtatuta ordinis Vallis-Scholarium ſemper Vigerent, & Abbas S. Genevefæ totius licèt ordinis Caput, ac ſuperior Generalis deinceps ab omnibus habitus, vel ejus vice fungens aliquis, & ipſius auctoritate munitus, nihil niſi congruenter ad eadem ſtatuta decernere poſſet, libera nihilominùs cuilibet ex his ſex domibus ſeveriorem Congregationis Gallicanæ diſciplinam amplectendi, eique ſtrictiùs adhærendi poteſtas foret; qua libertate ſola domus Leodienſis uſa eſt, Legibus hujus congregationis omninò ſe adſtringens; adeò ut initâ conventione 3. Jan. an. 1667. ab omnibus, quarum interrerat, poteſtatibus poſteà ratihabita, Abbas hujus domûs triennalis ſit ad nominationem capituli generalis congregationis Gallicanæ, vel extra tempus illius, Abbatis S. Genovefæ ejusdem Congregationis Capitis, ac ſuperioris Generalis. Ex aliis verò quinque domibus, quarum ſuperiores, vel Abbates perpetuì ſunt, pleræque tametſi ſtrictiori ejusdem congregationis diſciplinæ haud obnoxiæ ſunt, habitum tamen, ac veſtes, uſus, & conſuetudines adoptârunt ſibi, maximè domus Geronſarti, & Montium, in Hannonia.* Hæc Bibliothecarius Genovefanus. Ex quo dum Congregationis Vallis-Scholarium originem, progreſſum, vicésque didicimus, ac maximè cum Congregatione Gallicana omnium monaſteriorum unionem, inſuper Geronſartenſis Abbatiæ reductam memoriam adepti ſumus, de hac, quæ pauca adhuc recurrunt, differenda ſunt. Itáque fundatum ab *Alberone*, & confirmatum ab *Alexandro* ſucceſſo-

re

re in Leodienſi Cathedra hoc cœnobium annô 1222. aut (ùt notant Sammarthani) 1225. Scholaribus fuit attributum: Quô autem fatô id factum, nos latet, niſi cum Sanmarthanis dicere velimus, Canonicos in eo viventes dictô annô cum aſſenſu indubiè *Hugonis* tunc Leodienſis Epiſcopi, ordinem Vallis-Scholarium aſſumpſiſſe. Hæc Eccleſia ad annum usque 1617. ſolius Prioratûs nomine veniebat, at cum Auguſtinus de Latre electus Prioratum in Abbatiam ſedis Pontificiæ Authoritate commutavit. Ex hoc verô percelebri Aſceterio Coloniæ in monaſterium S. Mariæ Leodienſis, in Huſſaliſienſe, in Leewenſe & Mechlinienſe deductæ ſunt, ut hæc ſingula Gerondiſartum tanquam filiæ Matrem grati animi obſequiô hodiedum reſpiciant, ac venerentur.

Situm eſt Gerondiſartum quartâ parte Leucæ à Namurco. Miræus Suppl. Part. I. Cap. 20. Pennot. cit. Gall. Chriſt. t. 3. Col. 581. & tom. 4. Col. 777. & ſeq. aliſque à nobis citati Auth. per decurſum hujus deſcriptionis.

Fund. 1206. Floret. S. Gertrudis Abbatia. Eſt hæc è nobiliſſimis una totius Belgii ſine invidia æſtimanda: quidquid enim in ea, aut Fundationis, aut inſtituti; aut propagationis, aut denique actualis ſubſiſtentiæ perſpexeris, omne id ſingularem prærogativam commonſtrat: ſingula eâ (quam præfixam habemus) compendiariâ methodô dilucidabimus.

Fundator illius extitit *Henricus I.* Lotharingiæ Dux, atque Brabantiæ; ille nimirùm, in quo nemo facilè diſcernet, majórne eluxerit nobilitatis ſplendor, an pietatis; certè à tot beneficiis multiplici monaſterio collatis notabilis: cujus etiam honor à Fratris ſui *Alberti* Epiſcopi Leodienſis immodicè commendatur, utpote glorioſâ Martyrii palmâ ſpectabilis, & Divorum calculo pridem adſciti. Hic itaque egregius Dux *Henricus volens ampli*ficare cultum domûs Domini pro ſalute animæ ſuæ, & omnium Anteceſſorum ſuorum, omniúmque fidelium, in Eccleſia S. Gertrudis in Lovanio, Canonicos Regulares de Ordine, & vitæ Regularium, inſtitutionis S. Auguſtini inſtituendos tanquam verus Patronus approbavit, conſenſu, & voluntate Præpoſiti, & Canonicorum Eccleſiæ S. Petri in Lovanio*, ad quorum jus Eccleſia prænominata ſpectabat, *qui libero conſenſu eam, ad uſum divini ſervitii, à præfatis Regularibus ibidem in perpetuum obſervandi, tradiderunt.* ùt inquit idem Fundator in ſuo Diplomate.

Erat Eccleſia *S. Gertrudis* primitùs S. Petri primariæ tanquam Matri ſubjecta Vicarium habens ſub Præpoſito ſanct-Petrenſi: hancigitur dum *Henricus* liberam reddidit, in monaſterium erexit annô 1206. ùt idem teſtatur. Qui Vicarii munus ſuſtinuit, Franco dicebatur: mutatâ verò Eccleſiâ illâ ex ancilla in liberam, Vicarius quoque Canonicum votis innexum inſtitutum ſuſcipiens Præpoſitus, iſque primus effectus eſt.

Ampliſſimis autem per *Henricum*, ùt ex ipſo privilegio memorato, & aliô annô 1214. datô, colligitur, favoribûs, ac libertatibûs dotata eſt: nec minùs per alios benefactores liberaliſſimè aucta, hoc cumprimis à tempore ſuæ Fundationis in ſui præclarum encomium obtinuit, quòd, dum inde non niſi claros natalibus in ſuum gremium admittere Gertrudianis liceat, hoc pretioſum monile usque ad hodiernum diem obſervaverit, coadunatâ ſimul nobilitati ſcientiâ, ac virtute; ita quidem, ut illa ſanguinis ſola nunquam ſufficiat, niſi & iſta indiviſa Comes jungatur.

Paulò poſt, cùm *Henricus* fatis ceſſiſſet, præter Præpoſituræ titulum, jus quoque Parochiale eidem Eccleſiæ acceſſit; an verò ab ipſis Canonicis, an à ſæculari Clerico munus iſtud agatur, non ſatis usque dum nobis patet: id compertum,

tum, annô 1630. Parochum Joannem Paludanum è gremio Gertrudiano non fuiſſe, quamvis ſæcularem, vel Canonicum è gremio præficere ipſi Abbati liberum ſit, ùt patet ex litteris *Erardi* Epiſcopi Leodienſis annô 1519. datis. Annô
An. 1344. 1344. Abbatiali dignitate Præpoſitus *Henricus de Fura* inauguratur, ſed Succeſſoribûs (qua de cauſa? ignotum) hunc honorem negligentibûs, ſolôque contentis Præpoſiti titulô, annô 1449. *Walterus Moillaërt* poſt viginti novem annorum regimen ad inſtantiam *Philippi* Boni Ducis Burgundiæ, & Brabantiæ &c. novô titulô Abbatiale nomen aſſumit, derivátque in poſteros ad usque Winandum de la Margelle, qui, cùm annô 1644. die 6. Martii Præſul ſalutaretur, paulò poſt ab *Innocentio X.* Papa pro ſe,& Succeſſoribus ſuis mitram, & Pontificalia aſſequitur.

Hæc, quæ de Abbatiali munere diximus, poſſunt cuidam non inutili quæſtioni cauſam præbere, quæ demum genuina, ac propria ſit his noſtris temporibûs Abbatis ratio, nonnullis certè opinantibûs, ex Pontificalium uſu hujus nuncupationem adjici; aliis econtra longè aliam Abbatis rationem, prærogativámque ſtatuentibûs: at quia in Exegeſi noſtra Abbatis munus, causámque explicuimus, & conſultò hanc ipſam quæſtionem agitavimus, ad eandem benevolum Lectorem remittere placuit.

Porrò quòd *Abbatis* titulum, quem *Henricus* de Fura velut quandam potiorem Eccleſiaſtici honoris alioquin particulam cum privilegiis quibusdam obtinuit ab *Adolfo* Leodienſi Epiſcopo, neglexerint Succeſſores tres, fieri potuit, quod inſignium Pontificalium uſu adhuc deſideratô, cæteroquin mallent priori nuncupationi Præpoſituræ inhærere; aut quod *Adolfi* Epiſcopi favore obtentum hujus Succeſſores minùs reſpicerent, vel etiam approbarent. Id in confeſſo eſt, *Walterum* Moillaërt *Philippi* Ducis beneficiô Abbatis titulum à *Nicolao V.* diſertis in hunc finem datis litteris obtinuiſſe, necdum adjuncto jure Pontificalibûs utendi: ex quo colligo, quæſiiſſe *Abbatis* prærogativam ſibi ſtabilire Gertrudianos Præpoſitos potentiore oraculo. Cæterùm tamen obſervari cuperem, modicum, imò nihil intereſſe, ſeu ſe noſtri *Abbates*, ſeu *Præpoſitos* dicant, ſi hanc unam cautionem excipias, quòd, cùm his temporibûs ſemper annexa ſit mitralis excellentia Abbatibus Regularibus, minùs Præpoſitis, circumſpectiùs acturi ſint ſuas prærogativas breviore nuncupatione *Abbatis*, quàm *Præpoſiti Infulati* declarantes.

Denique annô 1644. *Winandus* de la Margelle Abbas creatus ſibi, Succeſſoribúsque ſuis jus Pontificalium ab *Innocentio X.* aſſequitur annô 1652, ac Abbatiam ſuam omni tam Eccleſiaſtico, quàm temporali decore exornat: dum alioquin à longiſſimo iam tempore ingentes progreſſus in omni genere laudum Canonici Gertrudiani ſibi aſſeruerunt Reverendiſſimis Dominis Præpoſitis omnem in id ſollicitudinem impendentibûs, ut Collegium ſuum exquiſitis ſubjectis identidem inſtruerent, & præſtantiſſimi quoque ex eodem in utramque tam ſcientiæ nempè, quàm virtutis Palæſtram viri prodirent. Certè, ut miſſis reliquis, in hoc compendio non memorandis, unum neutiquam præteream priore ſæculô inter Doctiſſimos florentem Reverendiſſimum *Joſephum Geldolphum* à Ryckel, nemini eruditorum ignotum eſt, quàm præclariſſimo opere edito ſe univerſo litterario Orbi commendabilem fecerit, & dignis encomiis prædicandum, dum vitam S. Gertrudis luci publicæ expoſuit cum doctiſſimis notis, ac obſervationibus tantô ingeniô dignis. Hinc quoque non mirum, quòd celeberrima Lovanienſis Academia, inter

ter tot, quibûs abundat, nobiliſſimos Præſules, non alium in perpetuum Conſervatorem ſuorum Privilegiorum aſſumpſerit, niſi Abbatem Gertrudianum, ùt docet Miræus L. de Orig. Can. Reg. cap. 85. quamvis Zeillerus, & Foppenſius in notis non in perpetuum, ſed ſolummodò *paſſim*, id eſt, communiùs conſervatorem eſſe dicant eundem Abbatem, quem pariter dictus Zeillerus Principatûs titulô inſignem nuncupat, quod alibi necdum inveneram. Intereà tamen iidem Reverendiſſimi in Comitiis generalibus Belgii inter alios Prælatos, ordinarii ſolent eſſe deputati, locum habentes, & ſeſſionem: quà prærogativâ inſigni ſemper laude, & in totius patriæ præcipuum augmentum ſunt functi, quemadmodùm recenti adhuc experimento eſt *Caroli Alexandri* de Pallant præclara legatio, quâ ab Ordinibus Brabantiæ Francofurtum ad inaugurationem feliciſſimæ memoriæ Auguſti Cæſaris *Caroli VI.* directus eſt, nec minùs *Guillelmi Philippi* ex Marchionibus de Herzelles auſpicatiſſima deputatio ad aulam Archiduciſſæ Flandriæ Gubernatricis menſe Martiô annô 1726. Deus hujus præclariſſimi Præſulis dies vitæ augeat, atque extendat ad ſolatium omnium ei benè voventium.

Accedit demum in eximium decus hujus Abbatiæ erecta an. 1462. Præpoſitura Arſchotana, de qua, quia nos alibi egimus, hic repetiti diſcurſûs filô innectendo ſuperſedemus.

Structura autem hujus nobiliſſimæ Abbatiæ eſt eximia, & tantis inhabitatoribûs digna, ut nil dicamus de præclaris quinque Parochiis eidem plenô jure incorporatis, inter quas una *S. Quintini* dicta, venuſtate templi univerſis penè totius Brabantiæ præeminet, quod ex ſententia profectò Juſti Lipſii, dum hic viveret, *quamvis non maximum, erat tamen pulcherrimum.* In eo conditus jacet Reverendiſſimus *Joannes* à Stryen ſecundus Middelburgenſis Epiſcopus ob Religionem exul demum Lovanii an. 1594 defunctus; cùm in ſedem aſſumptus eſſet annô 1581.

Situatur hæc Abbatia in ipſa Urbe Lovanienſi. Mir. Cod. Don. Piar. C. 102. & donat. Belg. L. I. C. 150. Foppenſ. Nov. Collect. p. 3. C. 67. Gall. Chr. T. 5. Col. 60. & ſeq. hiſtor. Mechlin. p. 157. & ſeq. cum Auth. per decurſum cit.

Gertrudis Virginum Canonicarum Prioratus:

Fundat. — Exſtinct.

hunc *Joannes Hinsbergius* Epiſcopus Leodienſis fundavit Sylvæducis, erecto virginali conventu intra cœnobii penetralia dudum anteà exiſtentis, & Canoniſſas octo ſuſtinentis, ſed ſub qua, neſcio, vivendi forma: certè *Joannes* eaſdem ad regularem vitam reduxiſſe videtur, cùm anteà, & quidem annô 1448 idem dictas virgines diplomate 17. Dec. ejuſdem anni dato præſcriptis Divi Dominici aſtringeret, quas fortè minùs adhuc, ad votum *Joannis*, piè, religioſéque viventes demum Canoniſſas Regulares eſſe juſſit. Nec id fruſtrato eventu, mox etenim ad banc formam temperatæ optatos edidêre virtutum fructus, & viciſſim collegêre earundem eximia emolumenta, ampliatus numerus eſt Veſtalium non ſolùm, verùm tam eximiis quóque ſubjectis ornatus, ut illis adſcribi dignaretur *Maximiliani* Cæſaris filia naturalis *Barbara* nomine, prætereà tres aliæ nobiliſſimæ domicellæ, una Walburgini Joannis Hornani Dynaſtæ, altera Bochoniæ, tertia Hemertii Soboles.

Nobilis hic Parthenon pariter nunc exſtinctus jacet Sectariorum petulantiâ. Gramayus in Taxandr. C. 9.

Gertrudis Virginum Canonicarum Prioratus:

Fund. ... 1138. Floret

Fundatum primitùs liberalitate Riſeldis Virginis annô 1138. ſuo in fundo Hoſpitale eſt, ac utriúſque ſexûs ho-

hominibus ad uſum pauperum conceſſum, datô confirmationis privilegiô à *Godefrido* Barbato Lotharingiæ Duce: his an. 1255. certam vivendi legem, ſeu conſtitutiones pias *Nicolaus* Cammeracenſis Epiſcopus præſcripſit, demum ibidem aut deficientibûs, aut translatis in Bethaniam (Hoſpitale eſt Bruxellæ hodiedum exiſtens) viris, quod civibus ſuis diſcutiendum Miræus reliquit, ſolæ nunc remanſere Virgines cum vetulis, ùt citatus Miræus ait, aliquot mulierculis pauperculis. Hiſtoriæ Mechlinienſis Author ſcribit, hoſpitale iſtud deſiiſſe, Virgines verò eum locum incolentes nunc ſub ordinarii Jurisdictione regulam S. Auguſtini profiteri, quas, quia idem inter Canonicas noſtrates locat, catalogo noſtro excludere non præſumpſimus, etſi aliàs nullô, ut inſtituto eas noſtro aſſereremus, documentô inſtructi.

Situs eſt hic Prioratus in urbe Bruxella. Miræ. dipl. Belg. L. I. c. 57. Foppenſ. Nov. collect. Dipl. part. 3. cap. 57. hiſt. Mechl. Tom. 2. p. 41.

Fund. - - -
Ord Præm.

Grimbergenſe SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Præpoſitura. Exſtiterat jam anteà Eccleſia in Alodio *Gualteri Bertoldi* Grimbergæ, & Mechliniæ Toparchæ Sanctis prænominatis Apoſtolorum Principibus dedicata, hanc *Gualterus ad uſum Canonicorum ſecundùm regulam B. Auguſtini viventium emancipans ab omni laica manu, & exactione aliqua, & debitis obſoniis, Odoni Epiſcopo Cameracenſi extradidit.* Quod & *Odonem*, quâ poterat ſolertia, præſtitiſſe, indubium eſt. At ſuccedentibûs temporibûs, cùm iidem in hac Eccleſia Canonici nihil profeciſſent, & demum penitùs ad incitas redactam reliquiſſent, petitione ejusdem prædicti *Gualteri*, *Odo* Monachorum ordinem ſub eadem libertate ibidem impoſuit. Sed & illi perſecutiones malefactorum, & paupertatem ſuſtinere non valentes, iterum deſolatam reliquerunt.

Noviſſimè verò defuncto *Gualtero*, hæredes ejus, *Gerardus* videlicet & *Arnulphus*, *quia patris & matris & parentum eorum ibidem oſſa requieſcebant, deſolationem Eccleſiæ non ferentes, petierunt à Domino Norberto, ut ſuæ religionis fratres in præfata Eccleſia poneret, ipſe verò tandem petitionibus eorum acquievit, & fratres ibidem impoſiti, ſub tutela Abbatis & fratrum Præmonſtratæ Eccleſiæ.* Hæc ex ipſa donationis charta *Liethardi* Cameracenſis Epiſcopi deſumpſimus ſignata annô Incarnationis Domini milleſimô centeſimô triceſimô ſecundô. Quo verò tempore *Gualterus* Toparcha Eccleſiam in uſum Canonicorum *S. Auguſtini Odoni* Cameracenſi emancipârit, charta non exprimit. Id tamen ex ea certum, eandem primò omnium Canonicis Regularibus conceſſam fuiſſe; nam formalia *Liethardi* hæc ſunt: *Eccleſiam Grimbergenſem in honore S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Apoſtolorum Principis - - - ſitam, exaltare & nobilitare decrevimus: & qualiter ad nos à Prædeceſſoribus noſtris emancipata pervenerit, ſubnotare cenſuimus. Cùm enim præfatam Eccleſiam Gualterus quidam nobilis, quia in alodio ſuo ſita erat, teneret, Dominus Odo, Prædeceſſor noſter petitione ipſius Gualteri, & redditione, eandem Eccleſiam ab omni Laica manu, & exactione aliqua & debitis obſoniis, ad uſum Canonicorum ſecundùm regulam B. Auguſtini viventium, primò emancipavit.* Patet ex his: primam emancipationem hujus Eccleſiæ ab *Odone* factam; ſedit hic in Cameracenſi Epiſcopatu ab annô 1105. úsque ad annum 1113. ergò ſub hoc tempore illa contingere debuit, & quidem *primò*, ùt manifeſtè innuit *Liethardus*: *primò*, inquit, *emancipavit*: id eſt, *primâ vice.* Deinde liquet evidenter, hanc primam emancipationem ad uſum *Canonicorum ſecundùm regulam B. Auguſtini* viventium factam eſſe; quodſi primam, ergò antea nul-

nullus religioſus cœtus eandem Eccleſiam inhabitaverat, eùm hæ emancipationes à Laica poteſtate ſemper adderentur, tum, ubi earum poſſeſſionem religioſi obtinebant. Deníque ipſum hoc *Liethardi* teſtimonium oſtendit, Canonicis Regularibûs Eccleſiam ſæpè dictam in nihilum redactam relinquentibûs, monachorum ordinem ſub eadem libertate ſucceſſiſſe, ne ullâ quidem adjectâ memoriâ, eosdem, aut alios monachos præceſſiſſe Canonicos in poſſeſſione Grimbergenſis monaſterii. Et tamen his inconvulsè ſtantibûs, nec latere valentibûs Galliæ Chriſtianæ noviſſimum Editorem de hoc monaſterio inceſſit, ut ſequentia ſcriberet: *Grimberga filia Præmonſtrati, Diœceſis olim Camerac. modò Mechlinienſis, Bruxellas inter & Villevordiam ſita ab hoc Brabantiæ oppido dimidiò milliari, ab illo ſecundò ferè, à Mechlinia duobûs cum medio milliaribûs, arcique Baronis Grimbergani penè adſita, fundatur circa annum* 1110. *in honorem B. M. Virg. & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cum Eccleſia Parochiali S. Servatio Sacra, à Walthero Bertholdo Mechliniæ, & Grimbergæ Dynaſta, qui primùm ibi monachos nigros collocavit, tum illis ſpontè abeuntibûs, Canonicos Regulares, quibûs tandem & ipſis locô voluntariè cedentibûs, annô* 1128. *ſubſtituti ſunt Canonici Regulares Ordinis Præmonſtratenſis &c.* omnia iſthic vera, ſolùm ſi monachorum primam in hac Eccleſia ſtationem excipias. Scribebat aliquandò vir quidam clariſſimus de doctiſſimo, & ſuis digno præconiis in re litteraria Mabillonio, omni eum in perveſtiganda veritate hiſtorica exceptione majorem, ſolùm dolendum, ſæpiùs in propriâ cauſa cæcutire, certè tale quid humani, & Dyonyſio Sammarthano, Scriptori alioquin præclariſſimo accidere, quis non videt? hæc cavimus, ut irrefragabile eſſe, fateri quémque oporteat, quod
Hor. ter. And. 2.4. Horatius dixerat: *Omnes ſibi malle melius eſſe, quàm alteri:* Unde neceſſe ſequitur, ut quæ noſtro commodo, honoríque indebitè arrogamus, ſubtrahamus cum injuria alieno.

Situm hujus monaſterii ex mox citato Sammarthanorum loco dedimus. Mir. Cod. Don. piar. Cap. 86. Gall. Chr. Tom. 3. Col. 26. & Tom. 5. Col. 93. Annal. Præmonſt. Col. 772.

Gronenbrielenſe aliàs Gronenbritenſe. S. Margarithæ Abbatia Virginum.

Fund. circ 1371. Floret.

Fundatur à *Simone Mirabellio* dicto de *Haële*, ſeu *Hale* Domino de Perwix, & *Eliſabetha* ejus uxore, non quoad locum, ſed quoad collationem expenſarum: ſic enim diſcimus ex Charta Venditionis *Joannis de Villain* Equitis, & Domini de Sancto Joanne de Steene, & *Margarithæ Briſeteſtæ* uxoris ejus; in qua ajunt, *ſe bene, & eleganter vendidiſſe Reverendis, ac religioſis Patribus S. Petri, & Bavonis Abbatibus* Gandavi (haud dubiè conſtitutis teſtamenti executoribûs præfati Simonis Mirabel) *domum ſuam dictam Van de Briele Gandavi, cum Clauſura, foſſato, & prato, eam circumcingente, triginta duobûs libris, & decem ſolidis Pariſienſibûs, & quinquaginta quatuor caponibûs annuatim, aut circiter, plus vel minùs, cum omnibus indè dependentibus, idque ad fundandum clauſtrum Nonnarum pro anima Domini Simonis Van Hale, qui eum in finem legavit de bonis ſuis.* Hæc charta ſignata eſt annô millesimô trecenteſimô quinquageſimô nonô, die 19. Auguſti.

Inductæ igitur ſunt in hunc noviter inſtructum Parthenonem Virgines Canonicæ diſciplinæ, ipſéque locus ab origine mox ſua Abbatialis declaratus, & in primam Abbatiſſam *Beatrix Vlaminex* poſtulata eſt ex cœnobio Blydenbergenſi circà annum, ùt habent Sammarthani, 1373.

Hoc nobile Gynæceum graviſſima damna paſſum ab Heterodoxis Hollandis, ipſo enim fundotenùs diruto, ac everſo, virgines exules Tor-

Tornaci receptæ ſunt, cùm earum Canonicæ eſſent viginti, & novem converſæ. Abbatiſſa *Livina Franex*, hæc adversa generoſò obDeum animò per novem penè annos ſui regiminis tolerans annò 1582. obiit. Cui ſuccedens *Lucia van der Sare* Tornaci in Abbatiſſam Benedicta novem poſt menſes cum veſtıbus ſuis Gandavum rediit an. 1584. (hinc colligitur 16. penè menſibùs vacâſſe Abbatiam) monaſteriúmque mox reſtauravit; dicitur quóque eam primam fuiſſe, quæ rem veſtariam communem inſtituerit.

Poſt hæc largiori ſemper benedictione domus iſta repleta eſt, florétque adhuc hodie rebûs temporalibûs non minùs, quàm ſpiritualibûs opulenta.

Situatur in ipſa Urbe Gandavenſi. Mir. Donat. Belg. L. I. C. 131. in notis. Supplem. Part. 2. Cap. 126. Gall. Chr. Tom. 5. Col. 213. & ſeq.

Fund. aut potiùs Tradit. Schol. 1286. Floret.

Hansvvyckenſe, ſeu Hansvvyck B. Mariæ Prioratus.

Vallis-Scholaribus primùm traditus annò 1286. conſentiente, non verò fundante *Guilielmo van Horen*, aliis *van Haren* Canonico, & Scholaſtico D. Rumoldi Mechliniæ, ac Paſtore in Muyſen, & Hanswyck, ad teli jactum extra portam Lovanienſem exiſtens, quô Guilielmô defunctô obtinuerunt præfati Religioſi, ut Hanswyckenſis Parochia huic Monaſterio in ſubſidium Fundationis concederetur annuente Decanô Mechlinienſî, & Capitulô, confirmante quoque idipſum *Guilielmô* Cameracenſî Epiſcopô, hac conditione, ut de omnibus oblationibus in dicta Parochia per annum obvenientibus medietas tribuatur Capitulo, in veſtibus etiam ſericis, quæ ſupponi debent corporibus Defunctorum ibidem ſepeliendorum, ac candelis, quæ poni debent ante Crucem, pars eidem Capitulo retineatur.

Hoc Monaſterium ex Origine ſuæ Fundationis ſubordinatum eſt Monaſterio Vallis-Scholarium Leewis, ſeu in oppido Levia ſito (de quo nos inferiùs) primáque inde ad illud deducta Colonia annô 1288, quô annô ſcilicet ab Epiſcopo Cameracenſi data eſt hujus Fundationis, ac extraditionis plena approbatio, attributô titulô ei, qui reliquis præeſſet, ſolius *Prioris*, cui inſuper annexus eſſet perpetuò paſtoratus HanswickenſisEccleſiæ. Solet verò hic curam iſtam plerumque demandare uni ex dignioribus, id eſt, ſenioribus ſuis Religioſis.

Cùm annô 1578. monaſterium ab Iconoclaſtis vaſtatum fuiſſet, Religioſi Mechliniam confugére, ibidémque hodiedum conſiſtunt, aſſumptâ 1667. Congregationis Genovefanæ unione.

In hac Eccleſia celeberrima olim Icon Virginis Deiparæ colebatur, jam ante annum 1280. ſuîs prodigiis nota, cujus ope *Thomas* Cantipratanus liberatam quampiam à Dæmone puellam meminit: hanc imaginem hoſtibûs Virginis dictô annô Mechliniam occupantibûs, Religioſi captô in arena conſiliô, in Cavea ſubterranea portæ, quæ Lovanienſis dicitur, occultârunt; reſtituta pace eadem incolumis reperta novam in Eccleſiam ab iiſdem religioſis, ex domibus, quas portæ illi contiguas jam anteà poſſederant, factam, adjunctô monaſteriô ſummo honore induxerunt annô 1585. mox novîs miraculis piiſſima Virgine hanc in ſe pietatem comprobante; ita quidem, ut hic ipſe locus ad præſentem diem teſtante hiſtoriæ Mechlinienſis Scriptore in tanta populi veneratione ſit, quanta vix alius in tota Mechlinia, potiſſimùm feſtis Marianis, & diebûs Sabbatinis: ac à fidelibus populis tanta ibidem Eleemoſynarum donaria oblata ſint ſuccedentibûs temporibûs, ut ex iis annô 1676. magnifica, & illuſtris ſurrexerit Baſilica Mariana, novúmque à fundamentis inſigne monaſterium.

Con-

Conſiſtit, ut diximus, ad Portam Lovanienſem Urbis Mechlinienſis. Foppenſius. Nov. Collect. dipl. p. 1. Cap. 166. Hiſt. Mechl. p. 1. p. 71.

Fund. an. 1063. ſecular. Harlebecanum S. Salvatoris Præpoſitura. Fundata eſt à *Balduino* Comite, & demum ab ejus Conjuge *Adelajde Roberti* Francorum Regis filia, & *Philippi* ejusdem poſt *Henricum* Succeſſoris Amita, abſoluta annô 1063. datô deſuper confirmationis decretô, quô præfatus *Philippus* hunc locum tanto favore tuetur, *ut ſicut Aquenſis Abbatia Caroli M. inſtitutione, & largitione fundata, à Dominatione Leodienſis Epiſcopi eſt libera, & ſicut S. Medardi Abbatia ab Epiſcopo Sueſſionenſi manet quieta, nec non S. Martini ab Epiſcopo Turonenſi, ita & iſta ab Epiſcopo Noviomenſi.* Fundationem autem iſtam *Balduinus*, ac *Ratbodus* Epiſcopi Noviomenſes, & Tornacenſes non minùs egregiè confirmârunt. Inter reliqua hæc à *Balduino* in ſua charta notanda, dum ait: *Comitiſſa Flandrenſium Adela --- Eccleſiam de Harlebeca, quæ mihi, ac miniſtris meis perſonaliter ſerviebat, conſtruxit, atque ibidem ſervientes ſub profeſſione canonica in religionis habitu vivere inſtituit.* Hæc *Balduinus*. Fundationem confirmaverat *Alexander* ſecundus, datâ Bullâ de annô 1070. in ea ſic loquitur ad *Erleboldum* tunc Harlebacenſem Præpoſitum: Quòd, cùm *cogatur ex debito ſui officii cunctis Eccleſiis per orbem terrarum latè diffuſis providere &c. præſertim his locis, quæ pia religione pollere noſcuntur, & Apoſtolico munimine ſpecialiter quodammòdò ſe tueri humili prece depoſcunt, qui in eis habitat Domino Servientium Chorus, quatenùs à turbine ſecularium adverſitatum hac protectione defenſi liberiùs vota ſua continuata, Domino reddere, & eôdem, quô cœperunt, ſanctô propoſitô, usque in finem ſecuri perſeverare valeant.* Hæc tam *Balduini*, quàm *Alexandri* verba prudentiùs obſervata manifeſtè inſinuant, Harlebecum ex inſtitutione ſua fuiſſe *Regularem*, néque enim alii per *profeſſionem Canonicam in religionis habitu* viventes, aut *habitans Domino ſervientium Chorus, quatenùs à turbine ſæcularium adverſitatum hac protectione defenſi, liberiùs vota ſua continuata Domino reddere, & eôdem, quô cœperunt, propoſitô ſecuri perſeverare valentes*, niſi votô religionis obſtricti Canonici veniant intelligendi. Quantùm enim hoc eodem tempore ſtudium ſummis quibúsque tam Eccleſiaſticis, quàm mundanis Principibus fuerit, Clerum Canonicum ad diſciplinam primævæ votivæ vitæ reducere, nullum eruditum latere poteſt. Hinc indubiè factum crediderim, juxta *Nicolai II.* & *Gregorii VII.* tunc adhuc *Hildebrandi* aſſumptam Canonici inſtituti reformationem hanc Eccleſiam Harlebecanam fuiſſe inſtructam, formulásque legendi prædictas ad eandem referri. Neque enim, cùm inſtaret ardentiſſimô zelô *Hildebrandus* in concilio illo Romano ad reformandum Clerum in vita communi exemplô primitivæ Eccleſiæ, & ad normam usque tunc fieri ſolitæ profeſſionis, quâ Clerici inſtar primitivæ Eccleſiæ, communiter victuri, ſe ipſos obligare ſunt ſoliti; neque, inquam, *Hildebrandus* tunc regulam, vel inſtitutum *D. Auguſtini* meminit; non ignarus, cui primùm hujus inſtituti ratio debeatur. Quamquam & id obſervare libuit, poſtquam communiore plurium Canonicorum conſiliô, ac ſummi Pontificis oraculô receptum fuerat, ut, quantùm fieri poſſet, in omnes Eccleſias Canonicas, in quibus vita votivo-communis florere adhuc ſolebat, ipſa *Auguſtini* regula induceretur, in lubrico conſiſtente, ac quaſi fluctuante iis in Canoniis diſciplinâ regularî, quarum Alumni recipere præfatam regulam nollent, paſſim demum naufragium votivæ vitæ ſint paſſi: ut quidam, licèt dein adhuc in communi conviverent, communia tamen inter ſe Eccleſiæ ſtipendia am-

pliùs non haberent ; quod ipſum hac cum Abbatia factum fuiſſe, ſatis nobis jam aliàs producta ea de re argumenta confirmant. Cæterùm, quòd *Philippus* Rex hanc Eccleſiam Abbatiam meminit, ipſe verò Prælatus in omnibus ſubſequis inſtrumentis non *Abbas*, ſed *Præpoſitus* audiat, aut *Decanus*, ùt habetur in charta *Balduini*: cauſa fortaſſe eſt (ſi divinare liceat) ipſa *Balduini* Comitis, regiam tum *Philippi* adbuc pueri fortè decennis tutellam tenentis, mors præmatura, & exinde haud in effectum deductæ ampliſſimæ illæ prærogativæ litteris fundationum inſertæ, id ſatis inſinuante *Ratbodi* clauſulâ, ſcilicèt: *Quod ejusdem loci Præpoſitus mihi, meisque Succeſſoribus debitam ſubjectionem exhibeat &c.* à qua tamen privilegium *Philippi* Eccleſiam Harlebecanam eximendam volebat. Sicut ergò iſtud, ita & titulus *Abbatiæ*, ac *Abbatis*, temporum injuriâ, an potiùs Patronorum defectu? aut impediri, aut ſupprimi potuit, maximè, cùm per ſe Abbatiæ majore ſolerent libertatis munimine gaudere, quam Epiſcopi ſuo juri infeſtam haud inerter diſpellebant, ùt aliàs oſtenſum.

Cæterùm hoc totum Canonicale Collegium annô 1623. translatum eſt, atque unitum Mechlinienſi Capitulo, & Harlebeci Canonicorum locò Dominicani inducti.

Sita erat hæc Præpoſitura in Urbe hujus nominis in Flandria, unô milliari Gallicô infrà Cortracum ad Liſam Fluvium. Mir. Cod. Donat. piar. c. 49. & 50. & 51. Foppenſ. nov. coll. c. 252. & 255. Ration. temp. p. 1. L. 8. c. 19. &c.

Fundat. ... *Exſtinct.*

Heyendonck S. Adriani, & Catharinæ M.M. Prioratus Virginum Canonicarum. Fundatus primùm in Zeelandia in Pago Reingerskerke, quo Authore, annôve ignoramus. Id ex litteris *Henrici* de Bergis Epiſcopi Cameracenſis annô 1486. confectis habemus, quòd, cùm locus ille ob quotidianas aquarum inundationes, & maris tempeſtates (quæ circa Inſulam, in qua dictum monaſterium tunc ſitum fuit, undique mari cinctam, ùt plurimùm contigerunt) dietim periclitaretur, tum eo in loco non Virgines, ſed Prior, & Fratres eam inhabitantes memorentur, *Ludovico* Epiſcopo Leodienſi ſupplicantes, certum locum in dominio de Rumeſta (vulgò Rumpt.) in domum Conventualem pro uſu dictorum Fratrum concedendum. At hôc monaſteriô ſic erectô, diverſis quoque ſtructuris, & ædificiis, Oratoriôque, & Eccleſiâ in illo formatis, ſicque aliquanto tempore per nonnullos Fratres dicti Ordinis inhabitatô, poſt multos, & varios labores, ſumptúsque circa terras, & bona ejusdem monaſterii factos, compertum fuit, bona, & terras hujusmodi tam ſteriles permanſiſſe, quòd præfatis Fratribus pro incumbentibus oneribus ſupportandis nullatenùs ſufficere valuerint. Hinc fortè factum, ut diſcedentibus illis alterius ſexûs religioſæ perſonæ ſuccederent ejusdem inſtituti ; quò verò Canonici illi diſceſſerint, ex charta allegata divinare non poſſumus. Virgines poſt triennales irritos omninò, licèt operosè impenſos labores demum annô 1486. emigrationem, & reſidentiam obtinuêre in Zempra Brabantiæ pagô, annuente præfatô *Henricô* Cameracenſi, qui eis inſuper ſaluberrima ſtatuta præfiniêrat : præpoſitô iisdem *Adrianô* Canonicô Regulari, Capitulíque de Syon religioſô, pro Rectore ſpirituali, nec paucis privilegiis communitô ; inter quæ jus illud, ut *ipſe cum ſaniori parte Rectricem Conventûs eligendi plenam, & liberam haberet facultatem*, præterea ut viſitatore ordinario ab Epiſcopo Cameracenſi nominando impedito, hic Confeſſario vices ſuas delegare poſſet, recipiendi, includendi, inveſtiendi, admittendíque

ad

ad profeſſionem, prout Matri, & Conventui dictæ domûs congruum videbitur, & expediens. Porrò paterno planè affectu huic novellæ inſtitutioni intentus, ut citiùs corporali ſubſidiô relevaretur, idem *Henricus* pientiſſimus Epiſcopus omnibus, & ſingulis verè pænitentibus, confeſſis, & contritis, qui ad erectionem, perfectionémque dicti novelli monaſterii &c. manus porrexerint adjutrices &c. toties, quoties id fecerint, quadraginta dies indulgentiarum relaxavit de injunctis eis pænitentiis. Denique totam præfati monaſterii familiam, ſuam recepit in protectionem, appellatúmque eſt *S. Catharinæ* Vallis pacis Cœnobium. Verùm nec iſthìc duranter ſubſtitit tam ſollicitè curatus Parthenon; nam annô 1552. Mater, & Conventus Sororum pauperis Monaſterii prædicti S. Catharinæ Vallis pacis lamentabiliter Epiſcopo Cameracenſi *Roberto de Croy* expoſuerunt *qualiter ipſa annô Domini 1547. & deinde annô 51. ultimè effluxô in menſibus Januario, Februario, & Aprili reſpectivè per tempeſtates, & ventos, ac aquarum inundationes, propter aggerum ſuorum, ac vicinorum fundorum per hujusmodi tempeſtates demolitionem, ſucceſſivis vicibûs inundatæ fuerunt, ita, & taliter, quòd extra monaſterium prætactum, aut in illud, niſi per ſcaphas, ſeu navigiô, neque exire, neque ingredi potuerunt, ac animalia, quæ habebant, & quibûs nutriebantur, propter ſtraminum, & fæni ſubmerſionem divendere coactæ fuerint.* Hinc quoque ob quamplurimas expenſas tam factas, quàm faciendas, & propter præſentem adhuc penuriam, nec non ob loci ipſius ſterilitatem, & aquis vicinum nimis reparare ſe poſſe monaſterium in ſuis demolitis ſtructuris deſperabant, quinimò, cùm ſint perſonæ cum Confeſſario, ejúsque Socio viginti duæ, ab invicem ſeparandas;, & in aliis monaſteriis collocandas dubitabant: hinc precibûs iſtis prætactus commotus Epiſcopus alium rurſus eis locum aſſignavit, non procul à priori diſſitum, jam aliàs monaſterium ſimul, ac hoſpitale exiſtens, honeſtè, ac competenter in bonis dotatum, vulgariter de *Calſfort* nuncupatum, in quo quatuor rantummodò Sorores exiſtebant. Quò ex demum translatæ aliquantum temporis ſubſiſtentes ſic bellorum injuriâ, aliiſque fatis diſſipatæ ſunt, ut utriusque monaſterii bona ceſſerint Seminario Mechlinienſi à Joanne Standonck Collegii montis acuti Pariſienſis Rectore fundato annô 1500; atque hîs prænominatis, aliiſque bonis per Matthiam Horium Archiepiſcopum Mechlinienſem auctum, in Seminarium Theologicum (cùm anteà ex mente Fundatoris pauperum puerorum fuiſſet) converſum eſt. Sic ſcilicet (quam prioribus ſæculis religioſam inſtitutionem elevare Epiſcopi, & in decente], floridóque ùt inquit *Henricus* præfatus in ſuo privilegio, ſanctimoniæ candore conſervare ſummo anniſu laborabant) ſubſequa tempora facili operâ in alios uſus permutare ſolenniùs duxerunt. Fuère in ultimo monaſterio ſumma devotione cultæ ſacræ Reliquiæ lachrymarum Salvatoris noſtri, an de Vindocinenſibus à Nitkero Friſingenſi Epiſcopo donatæ! incertum.

Horum trium Monaſteriorum primum exſtitit in Zeelandia Urbis Reingerskerke, id eſt, Eccleſiæ Reinardi juxtà oppidum Ziriczeenſe diſtans ſuprà præfatam urbem plus mediô milliari germanicô, vocatúrque in mappis Blavienſibus Cloſter-Syon. Secundum erat in Ecketen Parochia ab Antverpia unô milliari germanicô diſſita versùs Septentrionem. Tertium denique in Heyendonck unô milliari diſtans Mechliniâ ad Orientem. Foppenſ. nov. Collect. P. 3. c. 69. & 80. & P. 1. c. 226. le Roy not. March. S. R. I.

Haſprenſis de Conſilio *Fund. 1290 Tornaci. Floret.*

B. Mariæ Virginum Canonicarum Abbatia. *Fundata eſt annô* 1230. beneficiô *Godefridi* Epiſcopi Cameracenſis: nam,cùm quædam juvenculæ, videlicèt Aalis de Auxejo, & Sociæ ejus, gratiâ S. Spiritûs eas inſtruente, ſpretis carnis, mundíque illecebris cœleſti Sponſo ardente deſideriô adhærere perpetuò devoverint, attendens præfatus Epiſcopus *Godefridus* earum devotionem, ac ſalubre conſilium, juſtis earundem petitionibus inclinatus bonorum virorum domum juxta Aſpram, quæ *Leproſorum* dicta eſt, cum ſuis appenditiis ad Deo famulandum iisdem conceſſit; hôc tamen pactô, dummodò eædem Virgines Primiacenſis Eccleſiæ tenuerint Ordinem,habitúmque aſſumant; illud ſpecialiter inhibendo, ne dicta domus ad alium Ordinem, quàm Eccleſiæ Primiacenſis aliquatenùs transferatur, quod illæ omninò perficere intendentes eandem domum exinde pleno jure obtinuerunt, viventes ſub Canonica Ordinis, hoc eſt, Congregationis S. Victoris inſtitutione, prout id tum ſubſequentes ejusdem Godefridi annô 1231. datæ, tum ipſum Primiacenſis Abbatiæ inſtitutum demonſtrant, de qua infrà agemus. Floret hæc Abbatia, ſed à præfato loco tranſlata eſt Tornacum, dicitúrque hodie Abbatia de pratis. Cùm enim eædem, Abbatiſſa ſcilicèt, & Conventus *de conſilio B. Mariæ juxta Haſpram Ordinis S. Victoris Pariſienſis de meliori loco* eidem Epiſcopo ſupplicarent, hic benignè precibus exorantium favens, non ſolùm poſtulatis annuit, ſed inſuper *domum, quam anteà inhabitabant, cum appendiciis ſuis perpetuis uſibus earum ſuſtentationi manere decrevit:* ùt docet donationis Diploma. In hoc Cœnobio miraculis celebre Corpus *B. Aichardi* quieſcit Abbatis Gematicenſis. Inter Abbatiſſas verò peculiari laude notantur, *Bona de Lannoy, Margareta de Bouſſers, Margareta le Clercq*, & *Maria Vanderpoorte*: Quarum prima, & ſecunda ſæculô 16tô, reliquæ decimô ſeptimô incenſum ab Anglis annô 1513. monaſterium tantâ ſolertiâ reſtituerunt, unà cum diſciplinà regulari, ut idem usque hodie in utraque tam ſpirituali,quàm materiali ſtructura præclarè ſubſiſtat.

Primum harum Virginum domicilium exiſtebat inter Cameracum, & Valencenas, in Haſpris duobûs milliaribûs Gallicis ſuprà Valencenas, ſitis, proximè ad fluvium Selle. Mir. Suppl. p. 3. C. 114. & 115. & 118. Gall. Chriſt. Tom. 3. Col. 302.

Henniacum aliàs Hennin Lietard S. Martini Abbatia. Fund. 1040. Floret. Henniacum Arteſiæ municipium eſt, Jure civili gaudens, & annô 1579. titulô comitatûs decoratum, nunc in poſſeſſione Ducis Bournonvillii: in hac celebri urbe exiſtit eximia Abbatia S. Martini ſub ipſius urbis nomine Henniacenſis dicta, quam annô 1040. *Robertus* Advocatus Atrebatenſis de *remedio animæ ſuæ tractans, conſiliô Gerardi Epiſcopi Cameracenſis, duodecim Canonicis inibi deputâſſe* dicitur, in Cameracenſi Chronico, qui paulò poſt, annô ſcilicet 1094. regulam S. *Auguſtini*, diſciplinámque aſſumentes Congregationi dein Aroaſienſi ſe Sanctiſſimô vinculô copulârunt; in cujus generalibus Comitiis Abbas Henniacenſis ſemper proximus Aroaſienſi Abbati, utpote primati, aſſidebat, in ordinibus verò provinciæ Atrebatenſis nunc quóque inter Abbates locum tenet. Abbatiam hanc *Carolus Bonus* Flandriæ Comes, quam hactenùs *quaſi ancillam venalem, & miſeram luxiſſe* teſtatur, eorum ipſorum benevolentiâ, quorum imperio ſubdita erat, *ab omni ſæculari poteſtate abſolutam, & liberam factam* concedit, atque confirmat, 3. id. Dec. annô Domini 1123. sicque eliberatam *Balduinus* Dapifer *Caroli*, & alter *Balduinus* *filius*

filius Lietardi cum uxore ejus Gerberga conceſſione Arnulphi de Arda, Deo & S. Martino, ac Domino Stephano ejusdem Eccleſiæ Abbati, ejúſque ſucceſſoribus ibidem Deo ſecundùm regulam S. Auguſtini, & inſtituta Eccleſiæ S. Nicolai de Aridagamantia (id eſt Aroäſia) *victuris diſponendam & ordinandam liberè reddiderunt.* Nec minùs *Rainaldus* Archiepiſcopus Remenſis ſuæ ſollicitudinis propenſionem eidem Abbatiæ exhibuit; dum ſcilicet præter confirmationem omnium poſſeſſionum, curam animarum omnium hominum Henniaci manentium prælationis etiam, & prædicationis officium confirmavit *Hugoni* annô 1129 Abbati; poteſtate inſuper eidem factâ, ac ſucceſſoribus ejus, ut acceptâ ſolùm ab Epiſcopo Aquâ reconciliationis, ipſi Eccleſiam hanc ſuam quoquô modô violatam reconciliare poſſent, eâ tamen conditione hoc illis privilegiô conceſſô, ùt tam *ipſi quàm ſucceſſores cum ſubditis Canonicis, religiosè, & absque proprietate ſecundùm regulam B. Auguſtini Epiſcopi Domino in perpetuum ſervirent.* Erat námque tunc omnium Epiſcoporum Clericalem diſciplinam Zelantium animo înſitum, ratúmque, *absque proprietate* non meliùs, quàm ſecundùm inſtituta, regulámque B. Auguſtini ullum Clericum, vel Canonicum vivere poſſe, cùm regula *Chrodegangi*, aut *Aquisgranenſis* ultrà orbitam veræ paupertatis nimiùm quantum à malevolis diſtenta ſervire ampliùs nequiret vivere votivè volentibus. Cæterùm hæc præclara Abbatia jam tunc aliquot parochiis dotata eminuit, quarum prima, ac principalis ipſa Henniacenſis Eccleſia erat, totum ſub ſe municipium Henniacum complectens: Altera Parochia *Roevilla*, tertia *Aſciovilla*, quarta *Billy*, quinta *Montensni*, ſexta *Porceli*. Cùm autem Henniacum ex vico in urbem elegantem, ac populoſam excreſceret, Canonici quietioris vitæ deſideriô câdem relictâ in locum ab urbe quartâ milliaris gallici parte diſſitum emigrârunt, omnibûs prioris Eccleſiæ retentis juribûs, ſolùm quòd, quam nunc incolunt, B. Virgini ſacrata ſit. Fulget hæc Abbatia pretiosô Theſaurô corporum *SS. Probæ V. Mart.* & *Germanæ V.* quæ, ùt narrat Rayſſius in ſuo Auctario ad natales SS. Belgii, Gallicorum bellorum tempore ex vico, qui *Sale* nominatur, inter Guiſam, & Laudunum ſito, ad Henniacenſe *S. Auguſtini* cœnobium, tertiô ferè milliari à Duaco, translata fuêre annô 1540, donô, ac liberalitate illuſtris Herois Domini *Adriani de Croy* Comitis de Rœux, Gubernatoris Flandriæ, & Arteſiæ. Addit Rayſſius nullum de eis ab Henniacenſibus officium celebrari, nec eosdem de earum vita aliquid ſcire. Nos certiora quoad iſta obtinere ſperamus, nè, ſi quid ad commendationem hujus percelebris Abbatiæ, & honorem augendum harum Sanctarum Virginum ex parte noſtra în opere futuro conferre poſſumus, intermittamus: ubi & virorum Doctiſſimorum præcipuè Reverendiſſimi Præſulis *Balduini* ſecundi de Glen ad annum usque 1594 præſidentis præclaram conſcriptam de tranſitu Belgicarum provinciarum ad Auſtriacos Principes hiſtoriam, ac alias eruditas elucubrationes à Canonicis hujus cœnobii celeberrimi factas non ſilebimus. Cæterùm néque omittendum putamus, modernum Eminentiſſimum DD. Archiepiſcopum Mechlinienſem *Philippum* de Alſatia ex hac familia Comitum de Hennin digniſſimam planè tantæ nobilitatis ſobolem, inſignémque hujus Abbatiæ Patronum deſcendere, cujus nos ſuo tempore non brevem memoriam facturos promittimus.

Sita eſt hæc Abbatia în ipſo oppido Henniacenſi diſtante duobûs ſuprà Duacum milliaribûs Gallicis. Mir. L. de orig. Can. reg. C. 69. Baldrici Chron. Camerac. Gall. Chr. Tom. 3. Col. 439. & ſeq.

Fundat. -- Exſtinƈt. Heyloënſe. vulgò Heyloö. Prioratus. Cujus initia, ut &, ſi quæ fuerunt, fata mitiora, aut proſpera, quibûs ad annum usque 1560 fovebatur, penitùs noſtram effugerunt notitiam, ſolùmque ex illius luƈtuoſa Suppreſſione ſaltem memoria ſupereſt, eum aliquando exſtitiſſe. Cùm enim ſub *Pio IV.* ſæculô 16tô paſſim, aut novi in Belgio Epiſcopatus erigerentur, aut priſtini recentibûs dotibûs augerentur, ad hæc exſequenda conſilia plurimum conferre monaſteria oportuit, regularésque perſonas. Igitur *Philippo* ſecundo Rege Hiſpaniarum agente, ut Harlemi in Hollandia Epiſcopatus conderetur, aſſentiente præfato Eccleſiæ Romanæ Summo Præſule præter alia religioſa loca, primum omnium in dotem novo Epiſcopo Cœnobium Heyloënſe conceſſit: Hæc Pontificis verba: *ut Epiſcopus Harlemenſis pro tempore exiſtens, Eccleſiam ſuam dignitatibûs, Canonicatibûs, & præbendis, officiis ac perſonis Eccleſiaſticis, litterarum ſcientiâ præditis jugiter decoratam habeat, monaſterium de Heylo ordinis S. Auguſtini olim Trajeƈtenſis, nunc verò Harlemenſis Diœceſis, quod à nonnullis annis bis deflagravit, ad præſens certô modô Prioris regimine deſtitutum, ſeu cùm vacaverit, & in eo dignitatem Prioratûs, ſeu conventuale, ac omnia & ſingula, Canonicales portiones, officia, beneficia regularia, Prioratus etiam ab eo dependentes, nec non Canonicos, & perſonas, ac deniquè ordinem omnémque ſtatum, & eſſentiam regulares: in illis ac ipſis Canonicis, Prioribus, & perſonis penitùs ſupprimimus & extinguimus.* Tranſlatos ex Heylo Harlemum decem Canonicos fuiſſe, & relaxatis votis in ſæculares mutatos, ipſúmque eorum ultimum Priorem Jacobum Saffium faƈtum primum Præpoſitum ſæcularem, ac Archidiaconum novæ Cathedralis ſcribit Miræus in notis ad hoc Pii IV. Diploma. Ex quo colligimus tam malè, ſeu in numero, ſeu qualitate perſonarum, hoc monaſterium non ſubſtitiſſe. Sed quod in ſubſidium taliter locupletandi novi Epiſcopatûs, firmandíque impenſum eſt, non diù poſt unà cum iſto Præſulatu in Prædam devenit Hæreticorum, quod faƈtum eſſe annô 1587 adeóque poſt Monaſterii Heyloënſis exſtinƈtionem & Harlemenſis Cathedralis ereƈtionem annô 27. idem ibidem Miræus obſervat.

Diſtabat Heyloo duobûs milliaribûs Germ. Alcmariâ propè fluv. Heyloo. Mir. lib. de Colleg. Can. ſæc. Cap. 128. & notit. Eccl. Belg. C. 229.

S. Hieronymi Prioratus Windeſemenſis. *Fund. ... Exſtinƈt.* Hunc Prioratum aliquando propè Leydam Hollandiæ Urbem exſtitiſſe teſtatur Buſchius in Catalogo Monaſteriorum Windeſemenſium, eorum, quæ circa, aut non diù poſt annum 1430. huic celeberrimæ Congregationi incorporata fuêre. Meminit ejusdem quóque Author Chronici Bödecenſis, dum in Catalogo ſuo ſexageſimam tertiam ponit, *Domum B. Jeronymi in Leyden in Hollandia Diœc. Trajeƈtenſis.* Verùm ſicut, cum de hujus exiſtentia, tum de inſtituto Windeſemenſi Canonico inibi aliquando florente certi ſumus, ſic præter ejus exploratum interitum alia omnia incomperta. Buſchius in Chron. Windeſ. Cap. 44. Chron. Bod. in Catal. monaſter. Windeſ.

Hirevallis Prioratus. *Fund. circ. an. 1107. Floret.* Fundatus, ac conditus legitur per *Engibaldum* Sacerdotem tempore *Pibonis* Metenſis Epiſcopi, in loco horrido (ac proptereà Herivall, id eſt, aſpera Vallis diƈto) intra Voſagi Montis Fauces non procul Romarico monteſito, ad an. circiter 1107. Agebant verò primi in illud Cœnobium induƈti Canonici vitam arduam, atque auſteram; nudis incedebant pedibûs, veſte groſsâ, & rudi amiciebantur, & ſicut deſcribuntur, in memoriam nobis reducere viden-

tur

tur illa ſtatuta (de quibus Papebrochius in vita *S. Bertæ* Ultrajectenſis Recluſæ compluribûs agit) dicta, *regula Canonicorum Regularium, & Eremitarum Ordinis S. Adalberti*, Archidiaconi Trajectenſis primi, ùt magnum Chron. Belg. notat ſæculi octavi initiô demortui. Non multùm hæreo, quin omninò perſuadear, hanc regulam primitùs Herivallenſes tenuiſſe; & *Eugibaldum* ejusdem Authorem exſtitiſſe: quamvìs, ut eam Papebrochius ex Necrologio juxtà corpus S. Berthæ, ſervato, in hujus vitam, ad diem 25. Junii, transſcripſit, longè ſit recentior, haud dubiè non primigenia, ſed à poſteris novâ quâdam diſpoſitione reformata. Atque hinc evenerit fortè, quòd in eam non rarò inducti legantur termini, ſeu voces noſtris primùm temporibûs in uſum aſſumptæ, quales illæ ſunt: *Capucinorum*: & *Northolandiæ*, utpote quæ ambæ voces ante ſæculum 16tum adhuc erant incognitæ. Certè cùm ſæculô duodecimô de anno in annum Canonici Regulares arctiorem viam vivendi conarentur amplecti, & ſervatâ licèt inſtituti ſubſtantiâ, utpotè nullâ adeò ſingulari præſcriptâ normâ eorum ſtatum conſtringente, factum omninò eſt, ut ſub hoc ipſo canonico inſtituto manentes obligarent ſe ad ſeveriorem quandóque ipſis monachis diſciplinam ſervandam, qualis fuit illa *S. Norberti*; qualis & illa, quam S. Gilbertus ſuis Canonicis præſcripſit in Lincolnia Angliæ provincia; qualis deníque illa, ſub qua Canonici de Metro, vulgò aliàs dicti de *pænitentia*, aut meliùs *de patientia Martyrum* Sæculô 13. inſtituti militant. Néque obſtabant hæ diverſæ vivendi methodi Canonico inſtituto (veluti quidam moderni aut malè affecti, aut malè inſtructi naſutuli, omnes illos, qui obſervantiâ accuratiore religioſæ vitæ tramitem incedunt, mox gremio genuinorum Canonicorum excludunt, & ad monachos ablegant, putántque hi ſtupidi Cenſores, Canonicum inſtitutum non regulari diſciplinâ, ſed laxitate, ac morum licentiâ cohoneſtari, quod quàm egregiè Sanctorum Patrum noſtrorum, *Auguſtini, Chrodegangi, Ivonis, Hugonis* &c. conveniat documentis, nemo non videt) ſicut non obſtat inſtituto Exempli causâ Benedictino conſuetudinum diverſitas, aliâ enim normâ vivunt Caſinenſes, aliâ Cluniacenſes, aliâ Ciſtercienſes, aliâ Benedictini in Italia, aliâ in Germania; imò ſi ipſa quis monaſteria combinet, videbit diſparem in iis vivendi rationem. Unde cùm à Caſinenſibus, Germani *S. Benedicti* monachi de hac diſpari in diverſis locis vivendi ratione judicium, ſenſúmque expeterent, repoſuerunt illi: *laudamus equidem, ſi aliquid in monaſterio tolerabile additur, ſic tamen, ut inſtitutio regulæ non amittatur, ſcilicèt, ſicut apud nos, & ubique terrarum, quarum ad nos fama pervenit, multæ, variæque conſuetudines, cum regula non diſcordantes, ex utráque parte maris recipiuntur: aliam enim Teutoni monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex iſta parte maris habent quàmplurimi. Similiter ex illa parte, aliam jam Conſtantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ & utiles. Unde non parùm miramur, cur aliqui per inſolentiam ſuperbiæ faſtu inflati, temerariè per unam, etſi bonam, aliam non minùs bonam, vel forſitan meliorem deſtruere videantur.* Sic totus hic ſenſus optimo jure ordini Canonico ſuô modô applicari poterit. Quapropter regula illa, quæ dicitur Ordinis *S. Adalberti* Canonicis Regularibus, & Eremitis data, non indicat Canonicos illos alterius ordinis fuiſſe: frequentiſſimè enim hæc vox *ordo* ſumitur pro Congregatione: ſic à *Martino V.* in ſua Bullâ nuncupatur Congregatio Windeſemenſis, *Ordo*, quod & Buſchius ipſe in ſuo Chronico ſæpiùs uſurpavit, quandóque verò idem eſt, ac

Analect. Mab. no. Ed f. 154.

ac *regula*, ſeu *ſtatuta*; unde in Monaſterio Victorino Codex ſtatutorum inſcribitur, *liber Ordinis S. Victoris*. Idem ergò erit ac regula Canonicorum Regularium ſecundùm ordinem, normámque vivendi *S. Adalberti*, quod etiam aliquantum colligi datur ex contextu ejuſdem: æmulatur enim in non paucis *S. Adalberti* Zelum animarum, arctioris vitæ inſtitutum, ſolitudinis, dum tempus vacabat, amorem, & his ſimilia: atque inde vix crediderim primigeniæ regulæ aliquid de veſtitu, ſaltem eô modô, quô nunc legitur, fuiſſe inſertum, utpotè cùm disertè ibidem mentio habeatur Capucinorum. Cæterùm non ineptè ſub ordine *S. Adalberti* concinnata dicitur illa, qui ingenti planè reſpectus eſt honore ab Hollandis, & præcipuè ultrajectinis; in quo loco, ùt diximus, ſub S. Willibrordo primus Archidiaconi officium geſſiſſe memoratur. Sic ergò conſiderata hæc profectò non immodicè mihi perſuadet, ut aſſeram, Herivallenſes eandem ipſam obſervâſſe, & nè dicam planè, primos ſibi ad obſervandum fortè per *Engibaldum*, aut *Conſtantinum* tertium Priorem digeſtam aſſumpſiſſe, tanquam ſtatuta quædam regulæ Auguſtinianæ ſubtexta: nos intereà eidem penitiùs hic examinandæ non inhæremus, fortè ampliorem notitiam intereà obtenturi; ſtet itáque hujus Herivallenſis ſeveri omninò inſtituti conjectura, valeátque, quantum poſſit. Nos iſta meminimus, lucem clariorem ex aliorum documentis ſperantes. Unde jam ad narrationis noſtræ filum revertendum.

Perſtitère in hac auſteræ vitæ norma Canonici ad annum uſque 1126, quo tempore Honorius II. eos à nuditate pedum diſpenſavit ex parte, ſcilicet à Feſto S. Martini uſque ad Calendas Aprilis.

Dein annô 1245. *Guillelmus* S. R. E. Vice-Cancellarius rurſum in alio punctô eiſdem Authoritate Apoſtolica remiſſionem impertiit; nam cùm obligarentur ab eſu carnium abſtinere etiam in infirmitate, data eſt facultas infirmis ſe carnibûs reficiendi, licentia etiam attributa poſſidendi, & nutriendi animalia ſub *Vincentio* Priore; ſub quo etiam relaxata eſt ſeverior paupertatis obligatio. Annô 1450. langueſcente aliquantùm regulari diſciplinâ electus in Priorem *Joannes Gerardi* de Caſtel primò novo jure electionem ſuam Bullis Apoſtolicis roboravit, mox ejuſdem ſacræ Sedis interventu, & per Præpoſitum S. Deodati Commiſſarium ad id ſpecialiter delegatum eandem diſciplinam ad optatum fervorem reduxit; in quo hodiedum conſtanter perduratur, præcipuè id adlaborante Reverendiſſimo ejus loci moderno D. Priore *Paulo* Barbier, cujus integerrima vita, moréſque ad omne virtutis exemplum compoſiti, quotidiana ſuis ſubditis ſunt adhortamenta ad filialem imitationem.

Hic Prioratus Herivallenſis, prout inſtructus ſum, nunquam ſe ſubmiſit Forerianæ reformationi: cauſa allegatur, cùm ſe velut Caput aliis præferre cupiat, quod ſanè, ſi ita eſt, haud quiſquam approbaverit.

Nunc Herivallenſes Canonici paſtoralem curam eximiè regunt, habéntque ſub ſe Prioratum Vallis de Ajo, & hoſpitale in Villa S. Lupi annô 1301. ab *Helvide* de Jeinville Domina de Montigny Joannis Domini de Faucogney piiſſima Conjuge fundatum, & à fundatione hujus Prioratûs Canonicis collatum, uti & Xenodochium Plornbarienſe ab Ancello de Darnieville erectum, dotatum, ſibíque unitum. Veſtitus eorum eſt toga candida cum Cingulo nigro, & Rochetulo lineo à dextro humero ſubtus ſiniſtrum defluente: dum exeunt, palliô, pileóque nigri coloris ſe obtegunt. Prioratus Vallis de Ajo.

Exiſtit hic Prioratus unô milliarî Gallicô infrà Romericum montem

tem (vulgò Remiremont) ad ſiniſtram. Documenta Communic. Act. SS. ad 25. Junii. Vita S. Bertæ.

Fund. - - - Floret. Hoſſalitienſe S. Mariæ Prioratus, hunc florere noſtra ætate, didicimus, de origine verò ejus nulla ſupperit diſſerendi copia, deficientibûs documentis. Sammarrhani filiam dicunt Abbatiæ Geroldi-Sartenſis, quæ dein cum Matre inſtiturum, normámque vivendi à celeberrima congregatione Genovefana ſuſcepit, quemadmodùm jam ſuperiùs de his prolixiùs diſcurrimus.

Exiſtit in urbe hujus Nominis in Ducatu Luxenburgenſi. Gall. Chriſt. Tom. 4. Col. 779. Mir. Suppl. Dipl. p. 816. Foppenſ. Nov. Collect. p. 144.

Fund. an. 1411. Extinct. Hortus concluſus S. Mariæ Virg. Prioratus. Cujus fundator adſtruitur *Arnoldus Crayenhemius* Grobendonckii Dominus cum uxore *Eliſabetha* Steyvortia. An. 1411. ad Præmonſtratenſium inſtituta (cùm anteà jam diù regulares exiſterent) à Valtero de Gyerle Corſendonckano ſanciente tranſlata ſunt. Reliqua latent.

Exiſtit Herentaldi. Gramayus. in Antiqu. Antverp. L. 4. C. 6. p. 30.

Fund. circa an. 670. Ord. S. Bened. Hunnonis Curienſe, ſeu Hunulcurt S. Petri Abb. *Amalfridus* circà annum 670. regnante *Theodorico* Francorum Rege, cùm *S. Bertinus* Sithienſe cœnobium Abbas moderaretur, hoc monaſterium, cujus vocabulum (ùt ipſe *Amalfridus* ſua in Charta loquitur, quâ id monaſterio Sithinenſi ſubjecit) *Hunulfocurtis in pago Kambrincenſi ſuper fluvio Scald, in honorem S. MARIÆ, vel S. PETRI, ſeu S. MARTINI, ſeu S. POLLINÆ conſtruxit*: dupléxque tunc exſtitir, ſanctimonialium ſcilicèt, quibus ſoror *Amalfridi Auriana* præfuit, &: Clericorumnè, an monachorum? decidere vix audet in notis ſuis doctiſſimus Foppenſius: dico ego Clericorum, in hoc ut propendeam duplici cauſa impulſus; primò: quòd plerúmque ſanctimonialibus illo tempore Clerici, non monachi in occidente ad Eccleſiaſticum miniſterium exhibendum jungerentur, maximè ſi primarium, & principale eſſet ipſum monaſterium veſtale, ita, ut viri religioſi ſolùm miniſterii causâ adeſſent: Quod (ne iſthic nimiùm extra oleas vager) me argumentis ſufficientibûs alibi demonſtraturum ſpondeo. At hoc tale Ginæceum fuiſſe, colligitur ex Charta *Amalfridi* apud Sammarthanos infrà citandos. In qua dum ait: *Ego in Dei nomine Alfridus &c. deputavi, & conceſſi, atque delegavi per hanc paginam donationis - - - unà cum voluntate vel convenientis filiæ meæ Aurianæ, quæ ibidem Rectrix eſſe videtur, hoc eſt monaſterium noſtrum, cujus vocabulum eſt Hunulfocurtis &c.* patenter innuit hoc monaſterium primariò Virginum fuiſſe, cui *Auriana* præfuerit, & acceſſoriè adjunctum Collegium virorum.

Deinde: in hiſtoria tranſlationis *S. Lietphardi* Ep. M. leguntur ſequentia: *in Eccleſia Hunnonis-Curiæ. (in qua diſponente Deo CANONICIS, qui antè deſerviebant, voluntariè cedentibûs, nunc ſub regula S. Benedicti deſervit monachorum Congregatio) multæ Sanctimoniales à prima inſtitutione ordinatæ fuerunt: & quod Divini officii fœmineo generi non permittitur, his ſubordinati exequebantur Canonici:* ex documentis autem Archivi S. ſepulchri Cameracenſis habemùs, ùt refert Foppenſius, cœnobium iſtud mox, ùt *Auriana* præſidens Virginibus, & *Amalfridus* religioſorum virorum moderator, ac Prælatus objêrant, *S. Berthino* Sithivenſi, ejúſque ſucceſſoribus in jus à Fundatore aſſertum ceſſiſſe: ex quo malè quidam arguunt, monachorum exſtitiſſe; quaſi non plura exempla ſuppeterent, quibûs docemur clericalia monaſteria monachis ſubdita fuiſſe. Nam *Arvero* Abbati Prumienſi & monacho, in beneficium conceſſa eſt Cella, ſeu mo- Act. SS. 4. Febr. vita S. Lietfard. Annal. Ben. L. 25. n. 23.

monaſterium *S. Goaris* an. 768, in quo ſoli commorati ſunt Clerici reſte Mabillonio, & Wandelberto Scriptore. Pariter eodem probante in Foreſti-Cella Clerici erant, attamen ſubjectâ Abbati Centulenſi monacho. Hinc in Concilio Aquisgranenſi Abbatibus monachis indulgetur: *ut habeant ſub ſe Cellas, id eſt Eccleſias, ſeu cœnobia* (quæ nunc Prioratus aut Præpoſituras ùt plurimùm nuncupamus) *in quibus aut Monachi ſint, aut Canonici*: licèt igitur poſt mortem *Auriana* ſubditum hoc cœnobium fuerit Sithivenſibus, neutiquam probari poterit, *S. Berthini* Succeſſores monialibus ſubſtituiſſe monachos. Scio equidem in Gallia Chriſtiana hæc legi: *Itáque Amalfrido Aurianáque defunctis, moniales ibi ſuccedere S. Bertini Succeſſores inhibuerunt, & monachos ibi ſtatuerunt*: at cujus hoc dictum ſit Oraculô, necdum comperi: apertam autem ſuperiùs de translatione *S. Lietphardi* teſtimonium adductum rationem prodit, cur Succeſſores *S. Berthini* ſuccedere moniales inhibuerint, ſed Canonicos ſubſtituerint, non monachos, nempè: *quòd divini officii fœmineo generi non permittitur*. Addamus & *Baldricum*
L. 1. Chron. Camerac. c. 26.
ſic ſcribentem: *Amalfridus vir illuſtris cum uxore ſua Childebertana monaſterium fundavit, quod S. Vindicianus Epiſcopus Cameracenſis unâ cum Sancto Lamberto Leodienſi Antiſtite in honore S. Petri conſecravit, ibique Clericos, & Sanctimoniales conſtituit*. Hæc Galliæ Chriſtianæ poſtremus Editor intermiſit, &, quæ de ſupremis temporibus *Baldricus* ſcripſerat, inſeruit, nempè: *Nunc autem poſtquam viris militaribus beneficiatum eſt, ad paucos Canonicos derivatur. Nunc*, id eſt *Baldrici* tempore, ſæculi 12. fine ſcribentis, cùm cœnobium fundatum ſit ſæculô ſeptimô: néque Baldricus his quóque verbis aliud indicare voluit, quàm quod anteà dixerat, Clericos ab *Amalfrido* conſtitutos, ſed demum ſæculô iſtô ad paucos Canonicos temporum, bellorúmque injuriâ decreviſſe, cùm priùs longè plures, optiméque docati ibidem perſiſterent.

Quodſi fides omnimoda translationis *S. Lietphardi* ſcriptori habenda ſit, cogemur dicere, tempore hujus translationis, quæ ſub *Fulberto* Epiſcopo Cameracenſi (ab anno 934. ad 956. præſidente) eſt facta, aut adhuc Sanctimoniales Hunnoniſcurienſe cœnobium incoluiſſe adjunctis Clericis, aut noviter fuiſſe introductas; illud credendum ſuadet prædictus ſcriptor, iſtud Joannes Iperius, ex quo fortè acceperit Galliæ Chriſtianæ Editor, ac ampliator, Suceeſſores S. Bertini, monachos ſtatuiſſe. Verùm combinatis iis, quæ in hac hiſtoria certiora videntur, ex Balderico & Scriptore translationis, dicendum cenſemus, hanc monialium exſtinctionem antè ſæculum decimum non contigiſſe, quô fortè (graſſante hominum avaritia ſimul, & Nordmannorum impietate) conſultius Abbatibus Bertinianis viſum fuerit, cœnobium iſtud ſolis viris incolendum concedere. Baldrici tempore, id eſt, ſæculi undecimi initiô, imò fortè adhuc toto ſæculo illo ibidem Canonicos fuiſſe, probabiliùs opinamur: vix enim crediderim ſcriptorem translationis *S. Lietphardi* (ſi methodum ſtylúmque penitiùs Scrutari libeat) ſæculô ſummùm duodecimô eſſe ſeniorem, cujus tamen circiter ætate hanc commutationem Canonicorum in monachos factam fuiſſe (ex ipſius allegatis ſuperiùs) unà nobiſcum colligit Henſchenius, & neque Samarthani ante annum 1130. Abbatem monachum monachis Præſidentem reperiunt, quales nunc ibidem conſiſtunt.

Exiſtit 3. milliar: Belgicis infrà Cameracum ad ſcaldim Fluv. Mir. ſupplem. Cod. Dipl. Par. 2. c. 3. in Not. Foppens. Acta SS. t. 2. Febr. ad diem 4. Gall. Chriſt. t. 3. col. 112. & ſeq. cæteríſque citati.

Je-

Fundat. ... Floret.

Jericho S. Mariæ Prioratus Virginum. olim S. Catharinæ, ſive Albarum Dominarum nuncupatus, vulgò *Witte Suſters*. Fundatum eſt primitùs hoc cænobium per Duces Brabantiæ, inquit Mechlienenſ. Hiſt. Author per quos autem, vel quo anno? hactenùs incompertum: id tamen notum, cùm primæ, quæ inducebantur in hoc cænobium, Virgines Regulares ad inſtitutum S. Victoris Pariſienſis viverent, labente verò tempore, laberetur quoque earum diſciplina, *Philippus Bonus*, & *Iſabella* Portugallenſis ejus conjux, Burgundiæ &c. Duces, eis ſubſtituiſſe Canonicas propè ſeptem fontes an. 1456. an verò iſtæ ſecundùm inductam à quibusdam Windeſemenſibus, & receptam recluſionem ordinatæ fuerint, eò quòd dictæ fuerint ad *cluſam*, ſeu ad *Recluſorium*, vulgò *ter Cluyſen*, non ſatis perſpectum mihi eſt.

Cæterùm has piiſſimas Virgines eò benigniore fatò ſuffulſit Deus, quò iniquiore hactenùs ſorte preſſæ miſerandum in modùm totum ſuum ad ſeptem fontes monaſterium paulò ante flammâ devaſtante in cineres redactum ingemuerunt. Ergò ad Jerichuntinum Parthenonem vocatæ, & ſub certis conditionibus, legibúsque Epiſcopo Cameracenſi *Joanne* (ùt videtur) *à BURGUNDIA* aſſentiente admiſſæ, eundem locum usque ad hæc noſtra tempora magna pietatis laude, & diſciplinæ fervore ad debitum Canonicæ vitæ decorem reſtitutum inhabitant. Subſunt jam ab anno 1445. Priori viridis Vallis, quamvìs proximæ tunc temporis eſſent monaſterio ſeptem Fontium; quod nemo miretur, utpote, cùm hoc ipſum unicum eidem eſſet, ipſáque tunc Præpoſitura plurium monaſteriorum percelebre Caput haberetur, prout in ejus deſcriptione cernemus.

Exiſtit in ipſa urbe Bruxellenſi. Geſtel. Hiſt. Mechl. P. 2. pag. 43. documenta commun.

Fund. fac. 1410 Exſtinct.

Jeruſalem propè Trajectum, Virginum Prioratus Windeſemenſis. Fundârunt hunc Prioratum, Virginúmque ſacrarum Parthenonem Magiſter *Bruno*, & *Agatha* Erneſti, Matrona piiſſima, omniúmque bonorum provida Mater, atque Procuratrix, præcipuè verò Windeſemenſium Benefactrix gratioſa, quæ quosvis eorum, hoſpitiò excipiens, nullâ unquam receptâ mercede à ſe dimiſit. Hæc igitur plures Virgines à ſæculi deliciis abſtrahens ad religioſum ingreſſum perduxit, ſingula ſingulis monaſteria, locáque religioſa iisdem convenientia deſignans. Exſtitit autem jam longis temporibùs extra urbem Trajectum Capella, *Jeruſalem* dicta, utpotè quod in illa ſepulcbrum Domini ad inſtar Jeroſolimitani fuerit conſtitutum: videns igitur aliquando hæc religioſa Fæmina manifeſtô modô faces, & luminaria ardentia ex hinc ad ſe accedentia, jure arguit, ſibi per hoc Angelorum præſentiam, & Angelicæ Familiæ inſtituendæ voluntatem divinam revelari, unde, quâ poterat, ſolertiâ Patronis hujus loci ſupplex facta, multis tandem precibùs Capellam prædictam ſuæ liberæ diſpoſitioni aſſertam obtinuit. Mox illa plures Virgines Deo devovendas collegit, Eleemoſynas diverſas corrogavit, monaſterium conſtruxit, & futurorum cœleſtium fructuum ſemina ſollicito labore in hoc novo Virgineo horto plantavit: Porrò ne rigatio neceſſaria deeſſet, primùm tres, deinde duas è coadunata Sodalitate Virgines in Depenvene ablegavit, regularis obſervantiæ formam ibidem edocendas, quâ dein reliquæ in novo ſuo Aſceterio erudirentur. Reduces ſimul ſecum inſignem virtute Sororem *Eliſabetham de Doesborch* aſſumpſerant, quæ ipſis in primam Prioriſ-

ſam præeſſet. Itaque de mandato *Friderici* Epiſcopi Trajectenſis Ordinis habitu aſſumptò ſub Canonica inſtitutione Deo ſua vota libârunt, perpetuæque clauſuræ, ùt veræ Chriſti Sponſæ ſe mancipârunt. Primis quatuor annis ſæculari illis Rectore, ac Confeſſariô ôrdinatô, dein unus è Windeſemenſium gremio ſucceſſit adjunctis duobûs ejusdem inſtituti Fratribûs. Hic Prioratus pariter, ùt plurimi alii, ſub Bellico Hæreticorum tumultu periit, bonis illius in Laſciviam borum prævaricatorum diſperſis.

Exſtitit ab Ultrajectò tribûs partibûs unius milliaris Germanici dextram versùs Chron. Wind. c. 43.

Jetta, ſeu Dilighem S. Mariæ Abbatia. Olim à *S. Amando* annô 606. fundatur, traditúrque, in ea ab hoc ſanctò Viro Canonicos votivos fuiſſe conſtitutos. Multis jactata tribulationum procellis diverſas quoque vices ſubiit, quæ vel ideò ad annum usque 1095. vix aliquid notitiæ de eadem reliquêre: cùm demum nobilis Vir *Honulphus* de Vulorethem (ùt à Galchero Epiſcopo Cameracenſi) ſeu *Onulphus* de Wolverthem (ùt ab Odone ejus Succeſſore nuncupatur) quaſi novæ fundationis munimen ad dotem obtinuit, pluribûs allodiis à præfato Benefactore collatis, *ad uſus Fratrum in hoc loco Deo famulantium, beatique Auguſtini regulam obſervantium:* ùt inquit *Galcherus* Epiſcopus Cameracenſis ad prædictum annum 1095. videtur autem, in prima, prædictô annô, facta reparatione hujus monaſterii ſolùm ſub Priore collectos fuiſſe Canonicos, paulò tamen inde eandem Eccleſiam in Abbatiam erectam, cùm *Odo* Cameracenſis Epiſcopus in Privilegio Jettenſibus datò annô 1106. *Walthelmum* hujus loci Præſulem diſertè *Abbatem* nuncupet, & in altera charta an. 1112. extradita dicat: *Petitionem Galthelmi Abbatis Filii mei, quem propriis manibùs conſecravi* (id eſt, in Abbatem benedixi) *non reprobandam æſtimavi &c.* exinde, cùm Norbertina per Belgium paſſim reformatio innoteſceret, ſtrictiore diſciplina *Walthemus* Regulam Auguſtinianam æmulari cupiens eidem ſe cum tota Congregatione circa an. 1140. devinxit.

Cæterùm quod Dyonifius Sammarthanus ex Miræo, & Sandero Benedictinum inſtitutum huic cœnobio à S. Amando impoſitum extorquere conetur, eò profectò leviori argumento innititur, quò evidentiùs jam monſtravimus, S. Amandum, ſi quæ monachorum domicilia exſtruxit, longè adbuc abeſſe ab irrefragabili illato, eadem per ipſum regulâ benedictinâ fuiſſe informata. Quamvìs enim multis Scriptoribus accuratiorem inſtitutorum rationem minùs, aut curantibus, aut ponderantibus facilè excidat, ut monachis univerſis etiam ſæculô ſextô, ſeptimóve (quo tamen regulam S. Benedicti pauciſſimis in locis receptam fuiſſe certiſſimum eſt) aut ùt Jepeſio nòn rarò placuit, etiam ſæculô quintô, imò & quartô (quo S. Benedictus nec lucem adhuc humanam viderat) regulam, inſtitutúmque Benedictinum adſcribant: néque tamen inde cautiores in hac hiſtoria cœcô hoc ductu ſe falli ſinunt, qui ſe legiſſe nôrunt, præcipuè ante Gauzelinum Tullenſem Epiſcopum, id eſt, ſæculum decimum *regni Auſtraſiæ habitatoribus omnibus, regulam S. Benedicti nec cognitam fuiſſe.* Dum igitur Wichmannum virum clariſſimum in ſua Brabantia Mariana f. 746. ſcripſiſſe novimus, *S. Amandum* in Jetta Canonicos Regulares poſuiſſe an. 606. eò fortaſſe Doctiſſimus Geſtelius in ſua hiſt. Mechlinien. (Qui dicto Dionyſio non tam obiter, tanquam *nuperus Auctor*, negligendus fuerat) prudentius id ipſum annotaverat, quò graviore autho-

Apud Martene Tom. 3. Anecdot. f. 1001.

authoritate (ſi vel unum partium ſtudium attendas longiùs ſanè à Wichmanno aliíſque idipſum affirmantibus, quàm à Præfato Dionyſio alienum) fretus Benedictinorum nec meminit quidem: cúmque ex hiſtoria D. *Amandi* indubitatum ſit, plura eum monaſteria Canonicorum erexiſſe, Profectò, ut idipſum de Jettenſi, credamus, Wichmannum non ſine ſolidis ſibi præſentibus documentis ſcripſiſſe, nunquam diſſuadebit Dionyſius.

Diſtat Diligemum Bruxellâ unô milliari Brabanticô. Mir. Suppl. p. 2. C. 34. Hiſtor. Mechlin. T. 2. pag. 85. Gall. Chr. T. 5. Col. 87. &c.

Inſulenſe S. Petri Præpoſitura.

Fund. an. 1055. Sæcul. Fundata eſt à *Balduino* Comite Marchione, dicto, Inſulano, ob hanc ipſam Eccleſiam à ſe annô 1055. incœptam, & an. 1066. conſecratam, præſente Francorum Rege *Philippo*. Numerus autem Canonicorum, quos undequáque idoneos convocaverat, ab eo nullus decretus eſt, ſed, ùt aït Molanus, *quia in communi vivebant, erat is juxtà qualitatem bonorum.* Quod ipſum docemur ſuô modô ex *Balduini* litteris dicentis: *Baſilicam in honore S. Petri Apoſtolorum Principis à fundamento conſtruens congregationem Canonicorum, in eadem, Dei miſericordiam, pro anima mea, & Anteceſſorum meorum ----- die noctéque exorare conſtitui.* Nullum ſcilicet in hoc numerum Canonicorum deſignando. Videtur autem hæc præpoſitura ſaltem usque ad ſæculum 12. exſtitiſſe regularis. Certè *Lambertus* anteà Canonicus Inſulenſis, dein primus conſtitutus Epiſcopus Atrebatenſis an. 1093. (quo tempore duo ex uno Epiſcopatus, Atrebatenſis, & Cameracenſis facti ſunt non ſine ingentibus turbis, quibus *Joannes* Noſter Morinenſis Epiſcopus mirâ ſagacitate & prudentiâ ſopiendis incubuit) cùm Inſulenbus Canonicis Altare de Moncellis conceſſiſſet, tunc in eo conſtitutum Canonicum Inſulanum æquivocum ſuum *Lambertum* nomine *Obedientiarium* illius Præpoſituræ nuncupat, quæ vox iis temporibùs ſolis religioſis, & votivis adjici ſolebat, ut videri poteſt Cangius hac voce. At qui rem ab omni dubio eliberat *Lietbertus* ſeu *Letbertus* eſt, hic ex Canonico Inſulano factus legitur Abbas *S. Rufi*, ſic enim loquitur *Galterus* Epiſcopus Magalanenſis ſcribens inter annum 1108. & 1129. ad Canonicos Inſulenſes, quorum unus *Heſcelinus* nomine quendam ab eo librum expetiérat, *flores Pſalmorum* intitulatum, & à præfato *Letberto* compoſitum, ſic, inquam, in litteris ad eos datis loquitur: *Concanonicus veſter Heſcelinus inter alia verba, quæ nobiſcum familiariter habuit, cœpit diligenter inquirere de floribus Pſalmorum, quos à Sanctæ memoriæ Letberto, olim Canonico veſtro, poſtmodùm S. Rufi Abbate, audiérat exceptos.* Hic *Letbertus* Canonicus erat Regularis Inſulanus ad Abbatiam Rufenſem aſſumptus, ùt inquit Oudinus in ſupplemento. Præterquàm, quòd certum ſit, ad Abbatiam San-Rufanam non alios niſi ejusdem inſtituti fuiſſe ſuſceptos, ùt patet ex Bulla Urbani II. huic Abbatiæ data apud Pen. Par. 2. pag. 499. fuit verò *Lietbertus* vir vitæ integerrimæ, quem *Galterus* præcipuis laudibùs extollit, dum inquit: *quòd totus igne divini amoris inflammatus cœleſtibus inhiabat* (tunc nimirùm, cùm adhuc librum illum componeret in Eccleſia Inſulana exiſtens) *& in animarum lucro, temporalibùs curis omninò poſtpoſitis, tantùm intendebat, totum ſtudium & ingenium ſuum ad hoc vertens, ùt omnipotenti Deo ſive ſcribendo, ſive loquendo, quas poſſet animas adquireret &c.* præcreà paulò infrà, dum ſe eum librum transmittere inſinuat, inquit: *non ſingulariter alicui perſonæ, ſed toti Eccleſiæ veſtræ mittimus, Fraternitatem veſtram præſentibùs litteris adhortantes, quatenùs ſemper memores vitæ illius,* du-

dudum alumni veſtri, & ſtudii, eandem ſcripturam & frequenter legatis, & memoriæ commendetis, tanti viri converſationem ante oculos habentes, & imitantes. Nunc jam ab aliquot ſæculis hæc præpoſitura ſæcularis exiſtit.

Mab. Analect. nov. edit. p.461. & ſeq. Miræus Cod. Donat. piar. C. 56. Bucel. Gallo-Fland. Tom. 1. L. 2. C. 13.

Fund. -- Exſtinct. S. Joannis Bapt. in Bronopia Virginum Prioratus Windeſemenſis. Debet hic Originem ſuam devotiſſimæ Matronæ *Ceciliæ* de Turri, quæ Magni *Gerardi* exhortationibûs perſuaſa, devotarum, ùt vocabantur, ſororum congregationem, apud *S. Nicolaum Campis* inſtituerat, incertum, quô annô. Sed non diù inde conſiliô, & auxiliô duorum diſcretorum virorum *Trici Rovers, & Lubberti Petri* civium Campenſium facta eſt earundem ſororum translatio in Bronopiam (campenſe ſuburbium) ad Capellam S. Georgii. Cùm enim Virgines illæ prudentium Evangelicarum æmulaturæ pietatem, circumſpectâ trium votorum vigilantiâ immorari venturo ad nuptias divino Sponſo mallent, quàm libertate adhuc quâdam ſæculari ſecuræ eundem inopinatò advenientem negligere, perfectionis religioſæ deſideriô ſuccenſæ inſtituta ſecundùm regulam *S. Auguſtini*, & formam Capituli Windeſemenſis aſſumere conſtituerunt. Igitur annô 1412. ipſo die Conceptionis V. Beatiſſimæ quatuordecim ex his Virginibus per Priorem Windeſemenſem *Joannem Vos*, & *Wilhelmum Vorn Ken* Priorem S. Agnetis in monte fuère inveſtitæ: decem ex iis Sanctimonialium, quatuor aliîs converſarum habitum aſſumentibûs, ex quibus decem, quatuor mox profeſſæ fuère, atque velatæ, reliquîs ſex conſuetum noviciatûs annum ſuſtinentibûs. Sic conſtitutis, quæ ad vitæ regularis obſervantiam peti poſſent, univerſis, mirum, quantùm in virtutum exercitio profecerit hæc Sancta Virginum ſocietas: ſed nihil, quod magìs ſuſpiciendum, & adhuc noſtratibus Virginibus imitandum credimus, fuerat, quàm excellentiſſima obedientia, certè de hac dignum eſt, quod ex Chroniſta noſtro referamus: *hæc pura*, inquit: *ſimplex & ſine querela vera obedientia in eodem Virginum Collegio uſque hodie ſervatur: ut ſiqua leve verbum contra Collegæ ſuæ intentionem, etiam juſtè permota interdum, ùt aſſolet, ſubitò, reſponderit, & ipſa intulerit hoc verbum OBEDIENTIA, tunc ſtatim prima, omni excuſatione ſemota, implere non differt à ſe deſiderata.* Crevit autem, ùt idem Chroniſta teſtatur, numerus Ancillarum Chriſti in dicto cænobio ad usque centeſimum, & viceſimum; cujus æquè, ac Depenvenenſis, de quo aliàs egimus, proviſio, & viſitatio Prioribus Windeſemenſi, & Montis S. Agnetis à Capitulo Generali fuit commiſſa. Diſſipata autem pariter eſt Hæreticorum injuriâ hæc Virginea ſocietas, & monaſterium cum proventibus cunctis eorum avaritiâ devoratum.

Exſtitit circa ripam Yſelæ fluminis à Rheno deſcendentis, ac ibidem in mare decurrentis mediô milliarî Campîs diſſitum ad litus ſinûs Auſtrini vulgò Süderſeè. Chron. Wind. c. 43. S. Agn. c. 18. *Fundatum anno 1394. Exſtinctum.*

Joannis Evangeliſtæ. Prioratus Windeſemenſis. Fundatus eſt annô 1394. de licentia (ùt inquit Chroniſta Windeſemenſis) Domini Trajectenſis *Friderici*, & Comitis Hollandiæ *Alberti*: in die *S. Thomæ* Apoſtoli per *Hubertum* Trajectenſem Suffraganeum Joannes Goltſmit, & Paulus de Burſalia ſacro Canonicorum induti habitu eôdem quoque mox die ad profeſſionem regularem ſunt ſuſcepti. Evolutô poſtmodùm luſtrô primus eò Prioris munere functurus ablegatus eſt ex Windeſemenſi

menſi Archi-aſceterio *Joannes Ottonius* de Zuzato, novellam illam plantationem duodecim annis magnâ induſtriâ ad eximium profectum deducens. Porrò ultrò, quòd de hoc cœnobio ſcribamus, non ſuppetit, niſi quòd, cum pleriſque aliis Hollandiæ ſemel ab Orthodoxa fide decidentis monaſteriis interiiſſe, ſciamus.

Exſtitit propè Amſtellodamum. Chron. Windeſ. c. 38. Cathalogus monaſt. Windeſem. Chron. Bodec. translatum illud fuiſſe in Heylo propè Alckmariam aſſerit Catalogus ordinarii conſtit. capituli Windeſem.

Fund. 1394 Exſtinct. Joannis Evang. Virginum Canonicarum Prioratus Windeſemenſis. Devotiſſimi *Gerardi Magni* (de quo ſuo tempore multa referemus, & cujus gratam memoriam in Windeſemenſium etiam nunc glorioſè florentium animis nulla delebit oblivio) Devotus Diſcipulus fuerat Gisbertus Dav, qui, ut quâ poſſet induſtriâ, neo-exorienti Congregationi ad ampliſſimum profectum obtinendum concurreret, ſacrarum Virginum juxta Windeſemenſem inſtitutionem viventium cætum intrà oppidum Amſtelodomenſe circa foſſatum fundavit an. 1394. curámque *Joanni Ottoni* de Zuzato Priori alterius Amſtelodomi virorum cœnobii, commiſit, quod ipſe *Otto* ad annum usque 1420. ſedulè rexit, eòdem annô plenus meritorum decedens. Erat in ipſas Virgines Ottonis ſollicitudo planè eximia, atque ſpiritualis in uno Deo fundata dilectio, quibus tredecim penè annis virtutis progreſſum non plùs verbô, quàm exemplô monſtravit, in omni pace, Diſciplinâ, & veritate, juxtà Capituli Windeſemenſis inſtituta ſtrenuè illas gubernans, cùm an. 1452. Urbs Amſtelodomenſis incendiô fermè tota conflagraret, hoc quoque cœnobium ſævientis ignis depopulationem eſt perpeſſum, ſed poſtquam Calviniana Barbaries Sæculô decimô Sextô ſuam impietatem in illud exercuit, ſuppreſſum eſt nullâ ſpe reſtitutionis relictâ.

Buſch. Chron. Windeſ. L. 1. c. 43. Chron. S. Agnet. c. 9. & 22.

S. Joannis Evangeliſtæ. Eccleſia, &, ùt videtur, Præpoſitura vetuſtiſſima : à S. *Fund. ſec. 2dô Ord. S. Ben.* Patiente conſtructa, de qua Chronicon Epiſcoporum Metenſium hæc enarrat: *Hic Eccleſiam S. Joannis Evangeliſtæ ad Auſtralem plagam ipſius Urbis* (Metenſis intellige) *conſtruxit, marmoreis ſubnixam columnis, quæ poſt combuſta eſt ab Hunis*. Eam ſæculô nonô floruiſſe, demonſtrat idem Chronicon in *Drogone* Epiſcopo, dum relato hujus in Burgundia obitu ait: *Corpus ejus inde relatum ſepelitur in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ Metenſi, ubi & Ludovicus Pius Imperator Frater ejus quieſcit feliciter cum Matre ſua Hildegarda Regina*. Quodſi Author præfati Chronici non unam ex priorum Sæculorum irruptionibus, ſed quæ Caroli Magni ætate, hoc eſt, Sæculô octavô facta eſt intelligat, facilè apparebit conferenti tempora, hanc Eccleſiam ſub *Drogone* reſtauratam exſtitiſſe: quamvis definire non liceat, quam propriè ab Hunnis factam devaſtationem, utpotè frequentatis vicibus patratam, idem Author intendat. Cæterùm hæc Eccleſia non ſolùm precioſa fuit ob ſui conditoris Sanctitatem, nec non ob nobiles reliquias in eadem repoſitas, de quibus idem Chronicon ſequentia: *in hac Eccleſia & Dentem ipſius ſui Magiſtri* (S. *Joannis* nimirum Evang.) *poſuit S. Patiens cum duodecim aliis reliquiis Apoſtolorum, ubi & ipſe poſtmodum requievit ſepultus:* Verùm etiam ob Clericalem congregationem in ea à Prædicto D. *Patiente* certiùs inſtitutam, profectò nè hac in re partium ſtudioſus incuſer, juvabit Doc-

Doctiſſimi Scriptoris Reverendiſſimi Domini Abbatis Senonenſis Auguſtini Calmet ord. S. Benedicti mentem, ſententiámque proferre, quam, non adeò pridem conſultus, transſcribere propriâ manu dignatus eſt his verbis: *ordinavit S. Patiens in dicta Eccleſia S. Joannis viros Eccleſiaſticos laudem Dei decantantes, qui ſucceſſu temporis regulam S. Auguſtini amplexi ſunt, ſed in Regulari diſciplina tandem deficientes annô 939. extruſi, eorúmque in locum Benedictini intruſi ſunt. cui etiam annô 1049. Abbatia S. Clementis Canonicorum Regularium per ſpecialem Bullam Pontificiam fuit incorporata.*

Exiſtit in urbe Metenſi. Chron. Ep. Met. Edit. Dach. ſpicil. t. 2. pag. 225. Documenta communicata.

Fundat. an. 981. Sæcular. S. Joannis in Inſula. Præpoſitura. Fundata à *Notgero* Leodienſi Epiſcopo an. 981. dotata deinde ab *Othone*, tertiò annô 997. cujus in Privilegio hæc verba obſervamus: *Conſulti* inquit, & *juſta petitione Domini Sylveſtri Papæ, primùm quidem familiam in Marsna, & in Caſeli, nec non in Hittinchuſen, cum omnibus familiis, & prædiis fideli noſtro Notkero Leodienſium Epiſcopo* --- * fortè *contulimus, eâ ſcilicet ratione, ut Fratres in monaſterio S. Joannis in Inſula, ab eo antè civitatem noviter conſtructo, redditibus ejuſdem loci, ſicut propriis, utantur.* Tunc ergò Canonici in hoc loco à *Notkero* in Communi, votivéque inſtituebantur, ùt obſervat Miræus, at quo tempore hæc vita inter eos diſparuerit, incompertum. Id probabiliùs, annô 1189. eandem adhuc ſuô modô exſtitiſſe, velut apparere videtur ex Charta *Godefridi* Epiſcopi Leodienſis. Nam quamvis in ea hæc verba referantur: *Cùm unus autem viam carnis fuerit ingreſſus, vel rationabiliter à Canonicatu fuerit amotus.* Quæ libertatem diſcedendi, vitæ votivæ contrariam arguunt, at facillimè eadem ad perſonatum Eccleſiæ Thenenſis, quæ in ipſa hac Charta Inſulanis Canonicis iſtis tribuitur, accomodari poteſt, imò debet, cùm mox per ſubſequa verba, priora explicentur, quibûs dicitur: *Alius per manum perſonæ in eadem Eccleſia inſtituatur.* Intereà probatur quoque communem, votivámque vitam hoc tempore adhuc floruiſſe, quòd per collationem Thenenſis Eccleſiæ evenientium *proventuum reſiduum in uſum Fratrum in Eccleſia Inſulenſi reſidentium juxtà portionem, quæ unumquemque Fratrum in Refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter diſpenſari* præcipitur: Ex quo apparet, Canonicos hos non ſolùm communi, ſed, ùt dicimus, regulari menſâ, Religioſis ſolùm ſolitâ, fuiſſe uſos, quod ſanè plus quàm probabile eſt, eos tum adhuc ùt veros Canonicos votivos vixiſſe. Memorabilis eſt hujus monaſterii eôdem annô 1189. eximius Præpoſitus Sanctus *Albertus* Godefridi III. Brabantiæ Ducis Filius, utpotè qui dein factus Epiſcopus Leodienſis annô 1192. propè Urbem Remorum in Gallia Martyriô coronatus, & Divorum Albo inſertus diem vigeſimam primam Novembris ſibi in condignam venerationem promeruit. De eo Nolanus:

Legia quem genuit, electum Roma probavit
Rhemis ſacravit, ſacratum martyrizavit.

Exſtat hæc Præpoſitura nunc ſæcularis in Urbe Leodienſi. Mir. Dipl. Belg. c. 67. & not. Belg. Eccl. c. 32. Bucherius in Chron. Martyr. Rom. 21. Nov. *Fund.* ... *Floret.*

S. Joannis Abbatia Valencenſis. Hujus initium certum non reperimus, nec Conditores illius: ſunt, qui adſtruant, teſte Miræo, illam primitùs à *Theodorico* Galliæ Rege pro Virginibus fuiſſe fundatam, à *Pippino* deinde doti-

dotibûs auctam, neſcio,quô fatô evaneſcentibûs Virginibûs (bellorum fortè, ùt plerumque aliàs,injuriâ) manſiſſe in manibus Canonicorum. Sed Sammarthani à *Pippino* annô 741. è ruderibus excitatum monaſterium ſcribunt, *Canonicisque ſæcularibus commiſſum, quibus ſuffectos ab Arnoldo, ſeu Arnulpho Comite*, ajunt, *Canonicos Regulares conſiliô Rothardi Epiſcopi Camerac. annô circiter 990. juxtà alios autem 1010. paulò poſt iterùm iidem cedere coacti Sæcularibus, non Priùs niſi Sæculô duodecimô reſtituti dicuntur.* Non tamen ante annum 1140. aut 1141. eò, quòd ante annum 1141. nulla Canon. Regul. mentio fiat, quo *Rainerus* Caſtellanus à *Samſone* Archiepiſcopo Remenſi loci deficientis miſeratus obtinuit, ut, cùm inCriſpinienſi ad Sueſſionenſem urbem monaſterio Canonici Regulares inculpatæ vitæ famâ morarentur, ex illo quoſdam evocaret Canonicos *S. Joannis* Abbatiam ad veram, Apoſtolicamque Diſciplinam reducturos; annuit Archiepiſcopus, & ablegatus vir moderatione, Zelóque diſciplinæ eximius Clarem boldus nomine, qui rem reformationis ſemper arduam multis tribulationibûs ſuperatis tandem perfecit, ut odore exempli optimi undequáque diffuſi, allecti plurimi numerum Canonicorum augerent, & debitâ obſervantiâ informarent. Hæc ex Sammarthanis.

Verùm an. 741. Canonicos ſæculares in *S. Joannis* (de qua agimus) Abbatia à *Pippino* conſtitutos fuiſſe, ſicut nulla vetera documenta probant, ſic Congregationem illam regularem fuiſſe, noſtra fundamenta irrefragabiliter evincunt, ut ideò toties repetita probatione ampliùs non indigeamus. An verò inducti annô 990. juxta Sammarthanos, Regulares cedere coacti ſint paulò poſt Sæcularibus, idque usque ad annum 1141, necdum ex aliquo Synchrono inſtrumento producto didici. Quamvis enim exſtantia Diplomata, ac Chartæ donationum de anno 1107. 17. & 39. Canonicos Regulares non memorent, nec tamen denominant Sæculares. Porrò ex eorum temporum monumentis evidenter habemus, Canonicos Regulares S. Auguſtini, ſolo, & uno nomine Canonicorum ſæpiſſimè fuiſſe intitulatos, útque ad extranea non evagemur, cùm juxta ipſos Sammarthanos certum ſit, annô 1141. Canonicos Regulares S. Auguſtini in Eccleſiam S. Joannis Valent. introductos usque ad noſtra tempora ſubſtitiſſe, attamen annô 1185. in charta *Balduini* Hannoniæ Comitis ſolùm *Canonici* nuncupantur: ne unquam memorata voce, aut *Regularium*, aut *S. Auguſtini*: idipſum reperimus in Charta Joannis de Avenis privilegia hujus Abbatiæ annô 1287. confirmantis, in qua inter alia: *Sanè*, inquit, *in prædicta Eccleſia tredecim Canonici fuerunt in obſequio divino ſpecialiter inſtituti, quorum Superior videlicet Abbas tanquam familiaris, & domeſticus, perpetuúsque Capellanus noſter, & Sacerdos, conſiliô Principis, ſive Comitis Hannoniæ aſſiſtere poterit, & debebit.* Vides nuncupationem *Canonicorum*. Ne libata quidem voce *Regularium*, aut *S. Auguſtini*; unde colligendum, quàm vacillans ſit argumentum ex verborum uſurpatione delectum. Mir. T. 1. p. 814.

Dein neque placet, *Clarembaldum* primum Abbatem ideò dici, quòd ipſe primus Regularibus præfuerit, cùm potiùs *Abbatis* titulô, primus habendus ſit; utpotè, quòd antea hanc Eccleſiam, ùt aliàs ſæpiſſimè, Præpoſiti gubernarent. Dum ergò temporibûs *Nicolai* Cameracenſis Epiſcopi ſub Regula *B. Auguſtini*, Abbate, & regularibus Canonicis Eccleſia *S. Joannis* ordinata dicitur, non ſequitur, eam nequiiſſe ſub Regula Canonica regulariter anteà Præpoſito præſidente exiſtere. Sed nos jam ea, quæ magis

gis hiſtoriam hujus Abbatiæ reſpiciunt, perquiramus.

Clarembaldo ſucceſſiſſe reperitur *Gilbertus*, quem Sancti titulô Samarthani honorant: Miræus abſtrahit, obiiſſe tamen dicitur, cùm *laudabiliter* annos quadraginta, id eſt, ad usque 1185. præfuiſſet: utinam de eo nobis ab his, quorum intereſt, major notitia ſuppeditaretur.

Hæc Abbatia inſignita eſt multis juribûs, ac privilegiis, jam antiquitùs obtentis, & in hæc tempora conſervatis: præ reliquis ampliſſimo gaudet jure Parochiali, de quo Joannes de Aveſnis, totius Hannoniæ Comes, in ſuis patentibus litteris annô 1287. datis profitetur: *Comitem Hannoniæ, Comitiſſam, liberos, ac univerſam Familiam eorundem, Domeſticos etiam, & familiares, & ſibi ſervientes, & de pane, aut beneficio eorum viventes, miniſteriales quoque in curia, Feodatos ſcilicet, Dapiferos, Pincernas, Piſtores, Camerarios, Portarios, Ballivos, Præpoſitos, & Receptores, & eorum officia gerentes, cum familia miniſterialium, Ballivorum, Præpoſitorum, & Receptorum, & eorum officia gerentium: Caſtellanos quoque, & duodecim Hannoniæ Pares cum domeſticis ſuis, & familiaribus, & ſibi ſervientibus, ac de pane, aut beneficio eorum viventibus, & Canonicos cum familia ſua, & omnes etiam totius Villæ Clericos, & Scholares quacunque occaſione frequentent, cum de pane dictæ Eccleſiæ viventibus: Antiquitatis argumentô, experimentô probabili, & experientiâ notabili, fideque oculata, & munimentis certis ſeſe percepiſſe, omnes, & ſingulos prænominatos, adeóque ſeipſum cum familia ſua infra metas, ſeu limites villæ Valencenenſis exiſtentes, tam de jure, quàm de conſuetudibus antiquis, approbatis, & legitimè præſcriptis ſubeſſe debere Parochiali, & Patronatui Eccleſiæ S. Joannis.*

Teſtatur inſuper, & confirmat idem Comes donationem ſcholarum Valencenenſium, ſive collationem, & cætera jura patronatûs eandem tanquam Matrem Eccleſiam, & Principalem ritè, & Canonicè obtinere, ac poſſidere; Prælatum quóque, ſive Abbatem, Familiarem, (ùt ſuperiùs jam attigimus) Domeſticum, ac perpetuum Capellanum eſſe comitis Hannoniæ.

Ex quibus præclariſſimas hujus celeberrimæ Abbatiæ prærogativas, ac dotes immodicè edocemur.

Floret autem hæc Abbatia adhuc eximiè noſtris temporibûs, & exiſtit in urbe Valenciana in Hannonia ad Scaldim fluvium, & inter omnes Eccleſias primatum tenere à pleriſque dicitur, quibûsdam alteram, dictam *S. Mariæ*, ſeu *noſtre Dame la grande* ob antiquitatem, & admirandam ſtructuræ artem præferentibûs. Chron. M. SS. Hannon. Mir. de Orig. Can. Reg. C. 54. idem Not. Belg. C. 81. & 84. & 126. & 208. Suppl. Dipl. Part. 1. c. 36. & 47. Zeiller Topogr. Circ. Burg. pag. 215. Gall. Chriſt. t. 3. col. 157.

Iſaacanum. Vulgò Bois-Seigneur Iſaac, ſeu Buſcum Domini Iſaac S. Mariæ, Prioratus Windeſemenſis.

Fund. 1413. Floret.

Exſtiterat jam à tempore antiquiſſimo ad limites Sylvæ Soniæ Capella in Villa, quæ nomen à ſuo poſſeſſore obtinuit, *Iſaac* dictô Toparchâ litteræ, qui an. 1095. cum Duce *Godefrido* Bullonio Jeroſolymam profectus fuiſſe refertur, quæ Capella omnibûs prerogativis, cujuscúmque Eccleſiæ liberæ in *decimis, cenſibus, redditibus frugum & pecuniarum, nec non in exemptione ab omnibus ſervitutibus, exactionibus, & talliis, tam Diœceſani, quàm Domini terræ, ſeu alterius cujuscunque perſonæ, ac denique in jure exercendi divina* (ſi ſolùm Baptiſmum excipias) gaudebat à tanto tempore, *ut non ſit memoria hominum de prædictis in contrarium,* ùt loquitur *Joannes* de Familleur Toparcha de Buſco Domini Iſaac in ſua Charta donationis, ac fundationis hujus Iſaacani monaſterii, tradens ſcilicet hanc ipſam

ipſam Capellam primùm Priori, totique Conventui Monaſterii *B. Mariæ* ad ſeptem Fontes in Zonia, nec non eorum Succeſſoribus in perpetuum, eum in finem, ut ibidem divinum Officium ampliùs exaltetur, latiúſque multiplicetur, & ut largior reverentia ſacroſancti Sacramenti, & ſanctarum Reliquiarum ibidem exiſtentium devotiùs in perpetuum teneatur, & exerceatur. Deſiderat autem præfatus Toparcha: *Ut dictus Prior, ſuique Succeſſores pro tempore de conſilio Conventûs in perpetuum teneantur, piéque, & charitativè conſtringantur ad honorem Dei in prædicta Capella duos Fratres inſtituere, & ad nutum eosdem revocare, aliósque locò ipſorum ſubſtituere totiens, quotiens voluerint, qui ibi commorantes divinum officium compleant, & prædictam Capellam in ædificiis, & aliis neceſſariis quibuscunque de bonis ipſius Capellæ ſuſtinere, & conſervare, & prædictæ Capellæ bonas conſuetudines ibidem tranſitatas, & laudabiles ſervare, in quantum Regularibus, & Canonicis inſtitutis principalibus, & prædicti Monaſterii ſtatutis in nullo videntur obviare.* Quodſi verò temporalia prædicti loci multiplicata fuerint: *Dictus Prior, totúſque Conventus, eorúmque Succeſſores obligantur plures Fratres inſtituendos ad reſidendum ibidem transmittere, ut ampliùs, & ampliùs dilatetur officium divinum. Hoc tamen ſemper ſalvo, quòd Fratres ibidem miſſi, & reſidentes, ſemper remanebunt ſub juriſdictione, & correctione ſæpedicti Prioris, nec non moribus, & ſtatutis prædicti monaſterii obligatè.*

Occaſio verò hujus primariæ exſtraditionis ſæpè fati ſacelli videtur fuiſſe ingens miraculum, quod annis ante hanc traditionem abhinc octo contigit, dum ſcilicet ſanguis Domini, ac Salvatoris noſtri in eadem capella ſuper Corporali rubeis maculis cruentato comparuit, quod eùm *Petrus de Alliaco* S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis viſitâſſet, approbavit miraculum, ac publico cultui exponi conceſſit. A quo tempore ingens populi concurrentis devotio, non tantùm *Joanni*, ut Eccleſiam iſtam adaugerer miniſtris ſacris, cauſam ſuppeditavit, verùm etiam proventus contulit per aſſiduas oblationes præſtitas, ut paulò poſt in Prioratum erigeretur. Nam vixdum annô 1413. die 4. Maji, & iterum eôdem annô die 10. Septemb. confectis inſtrumentis ſæpèfatus Toparcha hanc Capellæ donationem ſeptemfontanis factam executus fuerat, non duo, ſed quatuor religioſi in illam ſubmiſſi erant jam annô 1416. prout authenticæ ſuper hoc facto declarant à Conventu ſeptemfontano confectæ; in quibus imprimis aſſerunt Canonici ſe ſe *ad inſtantiam & Requeſtam* (ideſt *ad preces ſeu ſupplices.* Cangius hoc verbo) *non minimam metuendi Principis & Domini Comitis, & Comitiſſæ de Namurco, & Domicelli præfati* (nimirum Joannis le familleur) *dilectos ſuos fratres Ægidium Bredeycke, dudum Priorem Monaſterii Septemfontani* (& quidem primi, ac Fundatoris) *Fratrem etiam Wilhelmum Minaert, Fratrem Nicolaum de Prato, & Fratrem Henricum Nulaets dirigere & transmittere, eiſdémque concedere Capellam præfatam juxtà modum & formam in ſtatutis Domini Papæ Benedicti duodecimè ſcriptam ordinare.* Ex quo conficitur, hoc tempore generaliter *Benedicti XII.* conſtitutiones in Germania inferiore fuiſſe receptas, quas ipſe annô 1339. pro totius ordinis Canonicorum Regularium reformatione vulgavit. Deinde Canonici Septemfontani pariter ob reverentiam, & magnam devotionem Principis, & Nobilis Comitiſſæ prædictorum conſentiunt, ut in prædicta Capella Monaſterium, vel Prioratus conſtituatur. *Dummodo*, inquiunt: *ſuperiores noſtri in hoc voluerint conſentire; & hoc ſine gravamine & detrimento dicti Monaſterii de Septemfontibus.* Hinc quóque certa præfixêre puncta, quæ ob-

obſervari voluerunt, & teneri ad invicem, quæ omnia in illis litteris exprimuntur. Cúmque demum ſæpè fati quatuor Canonici poſſeſſionem capellæ Iſaacanæ acceperent, ipſi litteras ad Comitem Namurcenſem transmiſerunt eodem annô 1416. die 21. Novemb. in quibus eidem ſignificant, ſe tandem ad deſiderium, & devotionem ejus implendam ad laudem etiam, & gloriam mirifici miraculi exiſtentis ibidem, & ad loci Capellæ exaltationem licentiam habere à Priore ſuo, & conventu, eundem locum adeundi; unde rogant litteras hactenùs enarratas ab eodem roborari, *pro communi*, ùt inquiunt: *recurſu ad ipſum habendo, & ad majus robur firmitatis*. Subjiciunt quóque, hæc acta fuiſſe in præſentia Prioris, & Conventûs Monaſterii prædicti, nempè Septem-Fontium, præſentibûs Venerabilibûs viris, Dominis Waltero de Prato, & Johanne de Muſenis Presbyteris Cameracenſis Diœceſis, ac etiam prædicto Johanne de familleur teſtibûs ad hoc vocatis, & rogatis: datum autem *ſub Sigillo Domini Walteri ſupradicti, ad preces*, inquiunt: *noſtras nobis mutuato per licentiam ſupradicti Prioris noſtri, quia ſigillum non habemus: annô D.* 1416. 21. *die menſis Aprilis*. Ex quo diſcimus ingenuam horum verè ſanctorum Virorum obedientiam, ac paupertatem, longè à noſtris temporibus differentem.

Hic Prioratus poſt aliquot luſtra ſaltem poſt annum 1430. Windeſemenſi Congregationi unitus, atque ad Præſens tempus ejusdem laudabiliſſimum membrum exiſtit, ſemper Matris ſuæ, Eccleſiæ ſcilicet Septemfontanæ, veſtigia ſollicitâ imitatione ſectans: niſi, quòd ſolùm eam incluſionem, de qua dixeramus, hujus Prioratûs Canonici non reciperent, impediente id fortè frequenti populorum ad miraculoſum ſanguinem accurſu, ob quem Canonicis minùs licuerat ſe ab hominum conſortio, aſſiduîsque impendendis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus ſubtrahere obſequiis: quod miraculum hodiedum perdurat.

Exiſtit hoc Cœnobium in Hannonia ad limites Brabantiæ, ac ſylvæ ſoniæ unô milliari diſtans Hallâ Orientem versùs. Foppenſ. novæ Collect. P. 3. C. 119. Buſch. Chron. Wind. C. 45.

S. Laurentii Helliacenſe: Prioratus. *Fund. an. 1108. Ord. S. Bened.* Eccleſia olim fuerat *Otberto* Ambianenſi Canonico propria, hanc ille, ut majore Dei cultu imbueret, Angeriacenſibus Ordinis S. Benedicti Monachis attribuit. Exſtat apud Mabillonium in Annalium tomi 5. Appendice char:â donationum ab Epiſcopo Ambianenſi *Widone*, *Fulcone* Decano, & *Anſelmo* Arcbilevita extradità, in qua ajunt: *hortatu & ammonitione Fratrum Raymundi Ambianenſis Canonici, & Roberti Angeriacenſis Monachi Domnum Otbertum Congregationis Ambianenſis celeberrimum fratrem utiliter ſibi providentem --- Eccleſiam quandam B. Laurentii Martyris ſitam in Corbejenſi territorio, B. Joanni Baptiſtæ, Abbati & fratribus dediſſe.* Jungunt deinde diverſa donaria ea conditione, *quatenùs univerſa ea, quæ miſericordia Domini affluens ibi deputavit, & quæ jam in poſterum prolixiùs accumulabit, ea univerſa uſibus fratrum conſerventur &c.* Charta autem hæc lecta, & approbata fuit in Ambianenſi Capitulo, annô ab Incarnatione Domini 1108. Jnd. XI. Non diù ſub Benedictino inſtituto hanc Eccleſiam viguiſſe, idem ipſe Mabillonius ſcribit, cenſétque jam annô 1111. adeóque intercidentibûs ſolùm tribûs annis, Canonicis Regularibus conceſſam fuiſſe, ejus verba ſubnectimus; *hæc Eccleſia*, inquit: *Canonicis Regularibus S. Auguſtini non multò poſt collata, id factum videtur hoc tempore* (nempè annô mox relatô) *quô Theobaldus de Helliaco aſſentiente Uxore ſua Mabilia de conſilio Venerabilis, & bona memoria Godefridi*

fridi Ambianenſis Epiſcopi Eccleſiam S. Laurentii, quôlibet ſervitiô emancipatam, libertate donavit, deditque de proprio nemore fagum, & quercum ad ædificia fratrum in prædicta Eccleſia Chriſto famulantium componenda, ùt legitur in litteris Roberti Epiſcopi Ambianenſis, quibus Hugoni Priori, ejúsque ſucceſſoribus, & fratribus regulam S. Auguſtini profeſſis, confirmat donationes, quas vir nobilis Gantherius filius Ganterii de Helli, Eccleſiæ S. Laurentii contulit: & donationes ejus Avi Theobaldi ſex tantùm fratres, quatuor ſcilicet Canonicos, & duos converſos initiô illic exſtitiſſe tradit Cronographus Corbejenſis. Hæc Mabilio, qui ibidem ait primum ſibi èx Canonicis Priorem occurrere *Olricum* annô 1174. quartum verò *Mabilonem* an. 1184, ſed neſcio, cur *Hugonem* omittat, quem ex proprio teſtimonio Mabillonii conſtat illum ipſum fuiſſe, cui,ejúsque ſucceſſoribus,& fratribus regulam *S. Auguſtini* profeſſis confirmantur donationes &c. idque annô, ùt ipſi videtur, 1111. adeóque diù ante *Olrici* tempora.

Porrò hunc *Hugonem* idem Mabillonius, *de Foliaco* indigitat, authorem ſcilicet libri de clauſtro animæ, quem Pagius Monachum Corbejenſem facit, & hujus ſuæ ſententiæ exſcriptores facilè obtinet Graviſonium, ac purpuræ doctæ compilatorem. Cùm verò in præſentiarum non ſit noſtrûm hanc quæſtionem agitare, conſultiùs differimus eam ad opus ipſum. Demum eodem Mabillonio teſte hæc Eccleſia iterum ordini Benedictino, ipſíqueCorbejenſi Abbatiæ circa ſeculi 13tii finem, dum ſcilicet paulò ante ipſi Helliacenſes Canonici regulares ad Lechunenſes Monachos inſtituti Cluniacenſis tranſiêrunt, attributa fuit.

Exiſtit in territorio Corbejenſi Picardiæ provinciæ. Mab. An. Bened. Tom. 5. L. 72. ad an. 1111. n. 5. Pag. Bar. Crit. ad an. 1134. n. 41. Pennot. L. 2. C. 31. n. 3.

Laurentii Heſſenſe. Virginum olim Canonicarum. Abbatia, dein Prioratus Windeſemenſis. *Fund. 1001. Ord. Ciſterc.* Exſtruxerunt hunc Parthenonem Magni illius *Leonis* Papæ Noni Parentes, ſeu Propinqui: id teſtatum facit Richerius Senonienſis monachus hìs verbis: *Annô Domini milleſimô ſecundô Nativitatis B. Brunonis, qui poſteà Tullenſis Epiſcopus, deinde Papa Romæ efficitur. Cujus Parentes Heſſam monaſterium Sanctimonialium penes Sareborch ædificaverunt. Sanctimonialium* inquam, quas cùm jam aliàs teſtimoniô veterum ſcriptorum diſtinxeram ſic à monachabus, ut verbis Doctiſſimi Thomaſſini adſtipulantibûs inter Canonicas ſecurus (aliis argumentis in contrarium non apertè pugnantibûs) referrem, iſthic quóque tales tempore *Leonis* exſtitiſſe tam diù aſſeverabo, dum evidentiora teſtimonia non ſuppetunt, quibûs aliter perſuadear: præterquàm enim, quòd nec Richerius has ſanctimoniales, Monachas nuncupet, qui tamen, quaſi ad diſcrimen locuturus, mox aliud Cœnobium ſubjiciens ab iiſdem fundatoribus conſtructum *Aldorff* nuncupatum aſſerit fuiſſe Ordinis S. Benedicti; *Leo* quóque Privilegium an. 1049. huic Abbatiæ tribuens nonniſi *Dei Ancillas* indigitat, vel *Sanctimoniales*, nil de regula S. Benedicti, nil de monaſtico preſsè inſtituto commemorans. Hanc Abbatiam nunc in ſimplicem Prioratum converſum, & Abbatiæ Altæ ſylvæ Ciſtercienſis Ordinis ſubjectum referunt Sammarthani.

Verùm Catalogus nomina Domorum Canonicorum Regularium Capituli Windeſemenſis ampliſſimâ ſerie continens, hæc differtè habet: *Domus S. Laurentii in Hiſſa propè Sarburgum, Diœceſis Metenſis.* Eam quóque numerô ſeptuageſimam nonam ſtatuit; ex quo indubitanter colligo, hoc cœnobium ex monialium Abbatia in Priora-

tum Windeſemenſem converſum, viríſque religioſis fuiſſe traditum, talémque adhuc annô 1553. (quô Catalogus ille editus eſt) ſubſtitiſſe, usque dum ſubſequorum injuriâ tum bellorum, tum temporum, Windemenſi Congregationi ſubtractus dictis Ciſtercienſibus ceſſit. Cæterùm nil me Galliæ Chriſtianæ Authoritas hoc in paſſu movet, altè præfatum Parthenonem in Andronitidem converſum reticens, ac præcipuè diſſimulans illam Windeſemenſem unionem: id enim dudum in aliis monaſteriis experti ſumus quod præcipuè Authori noviſſimæ illius editionis ſolitum, ut liberalis in ſuis, at ſtrictiſſimus ſit in enarrandis alterius maximè Ordinis Canonici monaſteriis, quemadmodùm jam alibi ſimile quid notavimus: certè hic catalogus temporibûs illis, quibûs dictum Heſſenſe cœnobium adhuc Windeſemenſibus unitum erat, apud me omnem contrariæ opinionis conatum evacuat.

Exiſtit propè Sarburg in Vogaſo. Mabill. Annal. Bened. L. 59. n. 61. Chron. Senon. Spicil. Dacher. T. 2. p. 616. Gall. Chriſt. Tom. 5. Col. 848. Docum. Commun. Mir. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 13.

Lazari aliàs Ter Siecken Virginum Prioratus. Hujus exordium iisdem penè verbis Gramayus, & noviſſimus Hiſtoriæ Epiſcopatûs Antverpienſis Editor expromunt, nobis vetuſtioris verba dediſſe conſultiùs erit, ſic itáque Gramayus (cùm Fackenenſium Virginum hiſtoriam deduxiſſet) ſubjungit: *hujus etiam loci ſunt leproſorum curam habentes, tali propagata exordiô: Henricus de Hollander cruce ſignatus, cùm votum peregrinationis Hyeroſolymitanæ non valeret explere, ſervitio infirmorum, lepra infectorum imprimis, ſe mancipavit, Sacellúmque S. Lazari exſtruxit annô* 1235. *memoria tamen variant in anno, Codex Opmerii* 36. *Urſelii* 32. *Bogardorum* 37. *citat. Fundationem autem unà cum fundatoris nomine ſuppeditavit mihi Diploma Abbatiæ S. Michaëlis* 24. *Novembris* 1447. *datum: per antiſtitam Virginum mihi exhibitum. cæterùm ægris primò Fratres ſubſerviiſſe, poſteà eosdem cum ſororibus, demum Virgines ſolas leproſis aſſiſtere ex monumentis loci diſco, quibus velum, ac regulam S. Auguſtini Petrus, inſtituta peculiaria Henricus Cameracenſes Epiſcopi præſcripſerunt. Cœnobium elegans extra urbem (Antverpienſem intellige) tempore Roſſenii vaſtatum, & Virgines à ſenatu locum alteri extruendo obtinuerut circà caſtri planitiem.* Hæc Gramayus: vaſtationem primi Cænobii Hiſtoriæ Ep. Antverp. editor anno 1542. affigit. Florent hæ Virgines adhuc noſtra ætate, & cùm reliquis Antverpiæ degentibus veſtalibus Auguſtinianis Canoniſſis quartum Parthenonem conficiunt.

Gramayus in Antiq. Antverp. L. 2. C. 9. Hiſt. Antverp. pag. 193.

Lazari Virginum Canonicarum Abbatia. ùt videtur; *Fund. circ. an. 1116. Floret.* cùm enim Miræus de Orig. Can. Reg cap. 55. tradat, Cameraci S. *Lazari* Monaſterium Virginnm (quæ Leproſorum curam habent) exiſtere, illud ipſum opinamur eſſe, de quo breviter Samarthani ſcripſêre: poſitum ad radices montis Boum vulgò Mont dés Bæufs pro Leproſis curandis jam circà annum 1116. *Burcardo* Epiſcopo, Domino d'Oiſy, & Johanni de Montmirail, Originem, *Nicolao* verò Præſuli, *Simoni* d'Oiſy, & *Gorano* S. Gaugerici Canonico ſua debere initia. Cùm autem ſæpiùs Bellorum tumultibûs opprimerentur Virgines moniales, hinc egreſſæ domicilium in urbe Cameraco fixerunt, hodiéque S. *Lazari* Dominæ appellantur, mediô circiter ſæculô proximè elapsô, Abbatiſſæ regimini factæ obnoxiæ. Hæc ex prædictis Sammarthanis, reliqua nos penitùs Latent. Miræus cit. Gall. Chriſt. t. 3. col. 205.

S. Le-

Fund. ſæc. octav. Exſtinct.

S. Lebuini Daventrienſis Eccleſia. Primitùs ab hoc (cujus nomen obtinuit) exſtructa ſub honore *S. Mariæ:* directus enim à S. *Gregorio* Trajectenſi ad Iſalam fluvium, ut Saxonibus, cæteriſque paganis Evangelium prædicaret, ab ipſis (quos fide Chriſti imbuebat) inquit Altfridus in Vita S. Lindgeri: *& à Matrona quadam Averhilda nomine, à cæteriſque fidelibus ſuſceptus ſeminabat documenta ſalutis, & irrigabat prata mentium. Fecerunt autem ei oratorium in occidentali parte præfati fluminis in loco, qui Hiulpa vocatur. Poſthac etiam ædificaverunt ei Eccleſiam in littore Orientali ejuſdem fluminis* (Iſalam intellige) *in loco cujus vocabulum eſt deventre* (non vacat hìc de Origine hujus nominis inquirere, de quo multa Hadrianus, Junius, Hogenbergius, Revius, & alii, nos verò ſuo tempore) *cùmque ad eam populus ob viri ſancti doctrinam conflueret, Saxones, qui eô tempore paganis fuſcabantur ritibûs, in furorem converſi collecto exercitu effugârunt Chriſtianos ab illis locis, & Eccleſiam combuſſerunt igni, tunc vir Domini Liafvvinus reverſus ad Abbatem præſtolabatur conſolationem à Domino. Sedato igitur tumultu, reverſiſque prædonibûs in ſua, vir Dei Liafvvinus reædificavit Eccleſiam, quæ fuerat combuſta, & more ſolito non ceſſabat documenta ſalutis impendere gregi, quoad usque Paſtori ſummo dilectam redderet animam, & defunctus, in eadem eſt Eccleſia ſepultus.* Hæc Altfridus. Qui ſubjungit, eandem Eccleſiam poſt mortem *Lebuini* rurſum fuiſſe ab impiis idolorum ſacrificulis vaſtatam, ac usque ad *Ludgeri* tempora annum circiter 787. jacuiſſe deſertam, quò *Ludgerus*, ſuadente, & adhortante *Albrico S. Gregorii* ſucceſſore manum reſtauratricem applicuit, & cælitùs edoctus, quo in loco corpus *S. Lebuini* quieſceret, Eccleſiam de novo exſtruxit, ſacrúmque theſaurum in eadem honorificè elevando omnium fidelium devotioni expoſuit: ſic autem reſtituta per *S. Ludgerum* Daventrienſis Eccleſia *nunquam deinceps*, inquit citatus Altfridus, *à gentibus eſt contaminata, ſed in loco illo per ſervum ſuum Liefvvinum Dominus virtutes multas operatur uſque in hodiernum diem, ubi etiam nunc cœnobium eſt Canonicorum Domino famulantium. Nunc*, ait Altfridus, ſcribens ſæculô nonô, ut adeò tunc in Eccleſia Daventrienſi (quæ dein per Pium IV. facta eſt annô 1560. Epiſcopalis) ac deinceps jam reſideret *Canonicorum Domino famulantium* Collegium: porrò, quô tempore iſti inſtituti ſint, & quidem, an jam ab origine hujus conditæ Eccleſiæ, nimirum ab ipſo *S. Lebuino*, non auſim abſolutè definire, cùm documenta id aſſerentia deficiant: quamvìs conjectura ſat firma pro eo pugnare videatur; maximè, cùm vix negari poſſit, habuiſſe *Lebuinum* quosdam ſuæ Profeſſionis ſodales, hoc eſt, Clericos, qualis ipſe fuerat, ùt teſtatur apertiſſimìs verbis Huebertus Elnonenſis Monachus vitæ ejus ſcriptor, fieri tamen potuit, ut ſtabili fundatione inducti ſint in Daventrienſem Eccleſiam à *S. Ludgero*, poſtquam hanc reſtauravit annis circiter ante Altfridum octoginta. At dices, in Chronico magno Belgico hæc legi: *Barnulphus itaque viceſimus ordinatus Epiſcopus----ad perennem laudis ſuæ memoriam ædificavit in Trajecto duas Collegiatas Eccleſias, unam in honorem S. Petri Apoſtoli Venerabilis, alteram in honorem S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini. Medietatem verò collegii S. Salvatoris Trajectenſis tranſtulit Daventriam, ubi pro reverentia B. Lebuini, egregii Confeſſoris, Canonicorum exſtruxit Eccleſiam.* Quod ſi Eccleſia B. *Lebuini* pro Canonicis exſtructa eſt à *Barnulpho*, qui juxta idem chronicon cæpit Trajectenſi ſedi præeſſe annô 1027. quì potuit cænobium jam tempore *Altfridi* ibidem exſtitiſſe *Canonicorum Domino famulan-*

lantium, annis ſcilicet ante *Barnulphum* propè ducentis? reſpondeo, Altfridum hoc dicentem; falſitatis argui non poſſe, utpotè ſcriptorem illorum temporum pene ſyncronum, adeóque veritatem plus reliquis poſt eum ſcribentibûs adeptum, neque tamen inde Auctorem Chronici erráſſe crediderim, cùm utráque ſententia componi poſſit ſequenti Chronologiâ; reſtituta per *S. Ludgerum* Eccleſia; Daventrienſis manſit inconvulſa uſque ad *Altfridi* tempora, nec non & cænobium Canonicorum; ; imò ultrà tempora *Ratbodi* decimi quarti Epiſcopi Trajectenſis, qui irrumpentibûs in ultrajectinam provinciam Danis, è ſede ſua ejectus Daventriam conceſſit, indubiò apud Canonicos adhuc ſuo in cænobio commorantes divertens, uſque dum pace per *Diedericum* Hollandiæ comitem reſtituta ipſe Trajectum redux demum annô 916. obiit: corpus ejus Daventriam translatum depoſitum eſt in Eccleſia *S. Lebuino* ſacra. Hæc tanquam certa referuntur in Chron. Holland.: & in vita ejuſdem *S. Ratbodi* apud Surium ultima Nov. &c. Itáque úſque ad annum 916. ſaltem, Eccleſiam *S. Lebuini* perſtitiſſe in comperto eſt, quodſi Eccleſia, cur non & Monaſterium? cùm Chron. Belgicum de uno, ſicut de alio tanquam noviter exſtructo diſcurrat, ſed à tempore *Ratbodi* úſque ad *Barnulphum* Epiſcopum Ultrajectinum Vigeſimum, annô 1026. creatum, nihil in faſtis reperio memorari de Eccleſia Daventrienſi Bellis interim tam exteris, quàm inteſtinis identidem Ultrajectinam æquè, ac Tranſiſulanam Provinciam infeſtantibûs; tum ergò fieri potuit, ut inter has aſſiduas ſtrages, ſi non ſupremam, certè tantam ruinam paſſa ſit Eccleſia Daventrienſis, ut neceſſe fuerit *Barnulpho* Eccleſiam cum cænobio Canonicorum reſtaurare, quos idem Daventriam induxerit ejuſdem inſtituti, quales ipſe Trajecti habuerat, ſcilicet Chrodegangi, & Aquiſgranenſi regulâ informatos, quod nemo inficiabitur, qui eorum temporum circumſtantias, ac documenta percurrerit, de quibus nos in Eccleſia Ultrajectenſi S. Martini plura dicturi ſumus, at, an Canonici hi Daventrienſes ſe novæ per regulam *S. Auguſtini* factæ reformationi ſubmiſerint, non comperi; nec id adlaborabo, ut evincam; cùm mihi ſufficiat, eos regulariter, & Canonicè vixiſſe. Hæc regularitas autem quamdiù duraverit, nec id quidem definiri valet, deficientibûs documentis. Hinc iſta pro notitia hujus Daventrienſis Collegii produxiſſe intereà ſit ſatis.

Exiſtit hoc *S. Lebuini* Collegium in ipſa urbe Daventrienſi jam ab anno 1591. ſub fœderatorum Heterodoxorum mancipatu Revius Davent. Illuſt. L. 1. vita S. Ludgeri apud Bol. 26. Mart. Chron. M. Belg. novæ Edit. f. 112. Sur. ad 12. Nov. vita S. Lebuini, & ult. Nov. vita S. Radbodi. Bucel. Germania ſac. in Epiſ. Ultraject.

Leuvvis Levienſe S. Leonardi Prioratus. *Fund. an. 1232. Floret.* Olim in hac urbe celeberrimus, fundatus annô 1232, & Religioſis Vallis-Scholarium conceſſus, quorum Prior adhuc annô 1654. unus ex duodecim Prælatis Brabantiæ fuerat. Verùm dum annô 1673. monaſterium iſtud in caſtrum converſum eſt, Religioſi ad refugium Heyliſſemenſe ſunt miſſi, ubi adhuc hodie perſeverant.

Hiſtor. Mechlinienſ. T. 1. p. 259.

Liedekerca Abbatia. *Fund. 1092. Ord. Præm.* Dominium eſt hujus nominis (quod Zeilerus in ſua Topographia Flandriæ *Likerkam* nuncupat) in Comitatu Aloſtano, ubi, cùm jam olim Parochialis Eccleſia erecta fuiſſet, *Radulfus* Tornacenſis, ejúſque Uxor *Helvvigis* in Abbatiam mutârunt Canonicorum Regularium annô

nô 1092. *Gerardo* Epiſcopo Cameracenſi fundationem approbante: dependebat jus Parochiale tum hujus primariæ Liedekercanæ Eccleſiæ, tum geminarum aliarum huic tanquam Matrici adhærentium *Lombecæ Caſtri* ſcilicet, & *Strythen*, ab ipſo hujus Cœnobii Abbate, qui quamvis earum ſuis à ſe nominatis Vicariis committebat; annô autem 1140. *Ivvanus* Comes Aloſtanus, qua de cauſa ignotum, Canonicis Præmonſtratenſibus hanc Abbatiam contradidit, & Ninovienſi uniri fecit.

Exiſtit inter Aloſtum, & Nienovam ad fluvium Teneram. Gall. Chriſt. Tom. 5. col. 57. Zeilerus Topogr. Fland. pag. 159.

Fundat. ſæculo 12. Ord. Præm. Liques Prioratus. Pauca nobis de hoc Cœnobio referenda reliquit antiquitas. Primùm illud, ac ex origine Canonicis datum eſt, quos in deteriores mores abeuntes reduxiſſe *Joannes* ille Beatus Tervanenſis Epiſcopus videtur: at cùm undique Præmonſtratenſium nova inſtitutio odorem bonæ famæ ſuæ ſpargeret, *Milo* Tervanenſis Epiſcopus, ad hanc *S. Norberti* novam formam idem Cœnobium deduxit annô 1131. memoratur, tempore *S. Cononis* Aroaſienſis, Prior hujus loci *Richerus* nomine, cui ipſe *Cono* Romam adversùs Monachos S. Quintini Peronenſis appellaturus ſuam novellam Eccleſiam Aroaſienſem intereà commendâſſe dicitur.

Exiſtit in Arteſia circa confinia Comitatûs Bolon. 2. mill. ab Andomaropoli. Acta SS. ad 17. Jan. &c.

Fundatur circ. an. 1050. Flor. Loënſe S. Petri Abbatia. Ex ſimplici Eccleſia per quendam Presbiterum *Thomam* an. 1050. Canonia effecta, dotata deinde, & noviter fundata à *Philippo* Comite Loënſi Filio *Roberti* Friſii Marchionis. Cùm enim in Comitatu Loenſi Diœceſis Iprenſis, Eccleſia eadem ſolùm Clericos Manſionarios quosdam ſibi vendicaret, *ſuper quos tamen Comes prædictus Comitatum, & advocationem habebat, & de his etiam reditum debitum exigebat; placuit demum illi, in domo Dei offerre, quæ poſſet: Comitatum, & advocationem, Stallum, & Teloneum, & quidquid ſæcularis Juris ſuper terram, ac manſionarios S. Petri habebat, Deo, ſanctóque Petro, ac Canonicis famulantibus conceſſit, ſe quidem his omnibus exuens, poteſtatique eorum, ſcilicet Canonicorum, donans, ac ſubjiciens* annô 1093. Hæc Eccleſia à graſſante tunc temporis Simoniaca peſte per hanc novam regularem inductam Canonicorum Coloniam feliciter eſt mundata. Nam, cùm annô 1119. *Joannes* noſter Morinenſis fundationem iſtam litteris ſuis confirmaret: *Placuit*, inquit, *nobis Eccleſiam in honore S. Petri Apoſtoli fundatam, in villa, quæ vulgò dicitur Lo, ab omni ſpurcitia, & Simoniæ infamia diligenter mundatam, dedicare, ipsámque cum omnibus, quæ ad eam pertinent, ad ſuſtentationem Canonicorum ibidem ſecundùm regulam B. Auguſtini Deo ſervientium liberrimè liberam facere; exceptô, quòd ſingulis annis ſex ſolidos Torvanenſi Epiſcopo debent perſolvere.* Hanc item Eccleſiam Canonicam inter nobiliſſimas Belgii cenſendam, primo ſtatim ſui exordii tempore, viri opulenti, ac illuſtres ſuſceptione ſacri in ea inſtituti fecerunt; nam præter quod ſeptem Canonici plures terras, ſeu prædia eidem contulerant, ac ipſius Comitis *Philippi* Filius naturalis *Guillielmus* ab Ipra Canty in Anglia Comes hìc Canonicum quoque induit, ipſe prænominatus Illuſtriſſimus Fundator ſic Comitatum totum Loënſem eidem Abbatiæ attribuit, ut ad hodiernum diem Abbas Loënſis ſit ſimul perpetuus Loënſis Comes. Primum quem hujus loci Abbatem nuncupatum reperimus, eſt *Gerardus* relatus à *B. Joanne* Morinenſi in adducta Confirmationis ſuæ charta annô 1119. quamvìs autem idem *Gerardus* in charta *Wil-*

helmi Iprenſis (quem diximus filium naturalem *Philippi*) ſe ſolummodò Præpoſitum annô 1118. ſubſcribat, non tamen hic Præpoſituram primus tenuit; nam ex charta confir. *Caroli Boni* docemur, hunc *Gerardum* Præpoſitum quintum fuiſſe annô 1123. unde à tempore fundationis usque ad *Gerardum* hanc Eccleſiam patet Præpoſitos habuiſſe, Primum, quem diximus, *Thomam* annô 1050, inde *Rumoldum*, *Gobertum*, *Reginaldum*, *Iſaacum*: Quòd verò Sammarthani hoc Cœnobium annô 1621. primùm in Abbatiam erectum putent, id intelligendum de jure Pontificalium à *Gregorio XV. Remigio de Zamam* collatô, Hiſpaniarum Rege *Philippo* approbante. Non hic prætereundum, quod Carolus ſuis in litteris memorat: *Si autem*, inquit: *furta, duella, raptus mulierum, homicidia, infra prædictos terminos* (monaſterii ſcilicet, & terræ eidem, ùt ſuprà, collatæ) *evenerint, & horum quorumlibet reus inibi capiatur, vel ſi, Eccleſiâ de hujuſmodi clamorem mihi faciente, ſententiæ capitali, aut membrorum mutilationi juſtè damnetur*, *quod modum vel vires ejus excedit, hoc procul dubio ad jus meum pertinebit: ea videlicet conditione, ut ſi reus per pecuniam redemptus fuerit, duas partes pecuniæ pro emunitate Eccleſia habeat, tertia verò meis uſibus cedat, ſalvâ in omnibus S. Romanæ Eccleſiæ auctoritate.*

Cæterùm Loënſe monaſterium fundatum eſſe annô 1050. dum tradit Marchantius, & ex illo Miræus, quamvìs in notis ad diploma *Guidonis* Flandriæ, & Namurci Comitis annô 1093. illiget, ſic intelligendum eſt, ut liberalitati *Philippi* Comitis prærogativam Fundationis ob conceſſas immunitates attribuat, quòd anteà hæc Eccleſia nullo religioſorum privilegio gauderet: ſentit in hoc nobiscum Mejerus, dum ad an. 1093. ait: *eodem anno Philippus Comes Loanus Comitatum ſuum attribuit monaſterio Divi Petri recens ibi inſtituto*, innuit verò pariter eandem primam fundationem, quam annô 1050. factam Marchantius dixit, & nos ſuperiùs attigimus; ſic enim ille: *Nam*, inquit: *circiter annum ſalutis* 1050. *Thomas Presbyter Loënſis, vir magnæ religionis, Eccleſiam ſuam vertit in monaſterium regularium, ut vocant, Canonicorum.* Fuerit ſanè tum, ut iis temporibus ſolitum, humile quoddam ipſi Eccleſiæ adjectum domicilium, in quo *Thomas* hic cum quibusdam Clericis regulari vitâ Domino deſerviverit, ex quo illud, non tam ſtructuræ ſuæ, quàm perſonarum ibi in communi viventium causâ, nomen monaſterii meruit, nullis adhuc Privilegiis, nulla auctoritate munitum. Cùm demum *Joannes* Morinenſis velut novus cum *Philippo Roberto*, ac *Willhelmo* Fundator omnia contribui fecerit, quæ abſolutum Clericorum monaſterium conſtituerent: quod ipſum ante annum 1093. factum non fuiſſe, litteræ *Philippi* ac *D. Joannis* declarant. Deníque urbs Loënſis in duas partes dividitur, in quarum alteram Abbatia plenum Dominium usque hodie exercet.

Sita eſt hæc Abbatia in Flandria duobûs penè milliaribûs infrà Vurnam. Mejerns Annal. Fland. L. 3. ad an. 1093. Miræ. de Orig. Can. Reg. C. 55. item Cod. Dipl. C. 36. & 42. & L. 1. C. 91. item Donat. Belg. Cap. 42. Marchant. Gallia Chriſt. T. 5. Col. 348. ſeq.

S. Magdalenæ Sororum Canonicarum Prioratus. *Fund. 1511. Floret.*

Exſtitit hujus Fundator *Marcus de Steenberghe* Decanus Collegiatæ Eccleſiæ *S. Gudulæ* Bruxellæ, qui domum quandam ſibi pretiô conducens hoſpitium de Arembergh vulgariter nuncupatam, & in loco dicto de Corte-Ridder-Straete dictæ urbis ſitam eum in finem ordinaverat per teſtamentum, ut pauperes peccatrices ad Dominum con-

converſæ usque ad tredecim numero in eadem inſtituantur. Hæc cùm ad pias aures Illuſtriſſimæ Dominæ *D. Margarethæ* Archiduciſſæ Auſtriæ, Duciſſæ Brabantiæ &c. perveniſſent, ſingularem ad hujusmodi conventûs erectionem affectum gerens, aſſenſum ab ipſo Capitulo, effectúmque replicatis vicibûs requiri fecit: cui demum Canonici præfati obſecundantes ſub prædicto numero ſorores in eodem loco conſtituêre *de ordine, & regula* (ùt ipſi in litteris fundationis annô 1511. ſignatis loquuntur) *S. Auguſtini, & quidem ad inſtar Conventûs ſimilium ſororum in oppido Antverpienſi:* Conditum ergò eſt in *platea dicta de Cammerſtraëte clauſtrum, ac ſub eodem titulo, ſive vocabulo Beatæ videlicet Mariæ Magdalenæ, cum humili capella inibi conſtruenda, & dedicanda cum campanili, & campanula intùs pendenda, cæmeterio, dormitorio, refectorio, & aliis officinis ad uſum Conventûs neceſſariis &c.*

Hunc fateor ſacrarum ſororum conventum inter noſtros non recepiſſem, cùm in præfato privilegio nil niſi eas, *de ordine, & regula S. Auguſtini*, ſit legere; quod non ſolis Canonicis Virginibus convenire ſolet. Inſuper ordinem S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentium diſtinctum planè fuiſſe à Canonico diſcimus ex Joanne Buſchio L. de reformat. Monaſt. 2. C. 9. & deinceps. Sed quia easdem nomine Canonicarum Regularium notat hiſtoricus Mechlinienſis: Similes quóque Sororibus Antverp. eſſe jubeantur, eas hìc dimittere noluimus. Foppenſ. nov. Coll. Part 3. Cap. 76. Document. Communic. Geſtel, Hiſt. Mechlin. T. 2. p. 43. & pag. 320.

Fund. ſæc. 7 Sæculare Malbodium, vulgò Maubeuge. Aliàs quóque Melbodium, & Melbarium Abbatia Virginum. Ibidémque *S. Quintini Præpoſit. Canonicorum.* Originis ſuæ antiquiſſimæ beneficium *S. Vincentio* Comiti aliàs *Maldegario* dicto debet hæc Abbatia: nam, dum hic piiſſimus Comes Akimontenſe cœnobium velut quandam virtutum Speculam in Hannonia erexerat, mox (ùt narrat Hucbaldus *S. Aldegundis* biographus) hæc piiſſima Virgo *Waldetrudis* Conjugis *S. Vincentii* ſoror, *cùm audiſſet adveniſſe S. Amandum, atque Venerabilem Autbertum Epiſcopos, illuc properavit, ad veſtigia eorum ſe ſe proſtravit --- tunc B. Amandus ita puellæ fatigatum roboravit animum, ut non ſolùm ipſum reſpueret mundum, verùm etiam parata fieret ſubire Martyrium, deducta à S. S. Epiſcopis in oratorium quoddam ejusdem cœnobii in honore, & reverentia S. Vedaſti dedicatum, benedictione ſacerdotali ab ipſis dignè conſecrata, ſponſóque ſuo Domino Jeſu Chriſto deſponſata, ſacræ religionis velamen ſuſcepit, & habitum: Spiritu S. in ſpecie columbæ velum Beatiſſimæ Virginis imponente capiti illius &c. Beata igitur Aldegundis de Altomonte reverſa in locum, ubi priùs latuerat* (fugiens nempè Procum Eudonem Juvenem, eam ad nuptias expetentem) *quem ipſa Melbodium nominaverat, qui locus adhuc deſertus erat, cœpit ſagaciſſimè locum excolere, vepribûs, & arbuſtis radicitùs extirpatis, habitacula conſtruere, ſervos, & ancillas DEI ibidem congregare. Denique poſt hæc ædificavit ibi Eccleſiam in honore & memoria Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in qua laudes divinas, & orationum vota quotidie perſolvebat.* Paulò dein infrà idem ait Hucbaldus, *quòd in prædicto loco Melbodio conſiliô B. Præſulis Amandi, & auxiliô Dagoberti Regis cum duabûs ſororis ſuæ B. Waldetrudis filiabus ſemetipſam contradidit, atque multis aliis ibi ſecum in Sanctæ religionis habitu congregatis, in ſancta converſatione permanſit.* Hoc ergò initium Malbodienſis Cœnobii, quod contigiſſe videtur ſæculi ſeptimi mediô, certè vivente adhuc *S. Amandô*, quem obiiſſe annô 679. Mabillonius in ſuis Annalibus dicit. Ve-

Verùm in eo veritatis hiſtoriæ indagandæ negotium hæret, monachæ, an Virgines Canonicæ inſtitutæ ſint à *S. Aldegunde?* pro prioribus, omni conatu, eôque fortiori, decertant, quotquot regularem vitam Canonicabus, præcipuè iſta ſeptimi ſæculi ætate, abjudicant, quò unô calamô vitæ hujus Divæ Scriptores adſtruunt evidentiùs, eam Malbodii, *Ancillas Dei congregaſſe in ſanctæ religionis habitu, in converſatione regulari, regulariter educatas &c.* quas ſanè voces iis temporibûs ad denotandum monachiſmum fuiſſe uſurpatas, multi eorum pro certo obſevant. Et quid multis? cùm Guiſius in favorem monaſtici inſtituti ſcripſiſſet, per *Brunonem* Archiepiſcopum Colonienſem an. 957. de ſanctimonialibus, Canonicas & Canonicos ſæculares ordinatos fuiſſe: notat Dyonyſius Sammarthanus per Canonicos monachos eſſe intelligendos.

Verùm, ut de utróque monaſterio per *S. Aldegundem* exſtructo pauca dicamus, Parthenonem illum Malbodienſem dico ab inſtitutione ſua Canonicas non monachas, minùs Benedictinas habuiſſe.

Imprimis enim quotquot ſinceriora acta *S. Aldegundis* exſtant, non reperimus illa unquam memorare *monachas*, néque eam deſcriptam vivendi normam, quæ tunc monachas obligabat. De his Conciliorum effata ſemper decreverant: *monachæ, ne omninò progrediantur*, ùt ait Concilium Conſtantinopolitanum tertium, quod erat æcumenicum ſextum annô 680. celebratum: & in Synodo Trullana Canone 46. dicitur: *quæ vitam exercitatoriam, id eſt, monaſticam eligunt, & in monaſteriis ſunt conſtitutæ, ne omninò exeant: ſi qua autem inexorabilis neceſſitas ad hoc trahit, cum benedictione & permiſſione ejus, quæ præeſt, hoc agant.* Et dum monachi ſæculô ſextô, ac ſeptimô, qui ſtrictiores dicebantur, hac lege clauſuræ tenebantur, quid de monachabus dubitandum; ſic enim *S. Baſilius* de monialibus ſcribens: *ſcire convenit*, inquit: *longè accuratiorem, majorémque in fœminarum vita, quàm in virorum diſciplina requiri, veluti voluntariæ paupertatis virtutem, quietem, atque ſilentium --- cautionem in publicum prodeundi &c.* Qui ergò viris monachis egredi extra Monaſterium, præter- quam ubi ſtatutis temporibûs neceſſitas poſtulaverat, nunquam licitum eſſe decrevit, certè arctiorem longè, imò abſolutam intrà Monaſterii ſepes cuſtodiam præſcripſiſſe eundem Monachabus, ne dubitare quidem poſſumus. Hinc illa admiranda Exempla quarundam piarum Monacharum, quæ extrema etiam neceſſitate compellente, maluêre quandóque inter flammas, devaſtantes ſua domicilia, perire, quàm præfixam clauſuram deſerere. Unde Concil. Vernens. de hac Monachorum clauſura Can. 6. ſic ait: *Conſtituimus, ut nulla Abbatiſſa duo monaſteria præſumat habere, nè extrà Monaſterium licentiam habeat exire, niſi hoſtilitate cogente --- ſimiliter, nè illæ Monachæ extrà monaſteria exire debeant.* Præterea Monachabus aſſidua præſcripta erat lectio, & oratio, nihil hanc intermediabat, niſi, quod aut exigebat corporis neceſſitas, aut laboris. *Lectio tibi ſit aſſidua* ait *Iſidorus* in ſua regula, *jugiſque oratio: dividantur tibi tempora, & officia; ut poſtquam legeris, ores; poſtquam oraveris, legas &c.* In Regula tamen *S. Cæſarii* opus manuum aliquantò prolixius decernitur. Ultrò omne convivium prohibetur *à Monachabus exhibendum Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis ſæcularibus, viris, aut mulieribus, etiam parentibus Abbatiſſæ.* At in Malbodienſi ſub *S. Aldegunde* obſervata non fuiſſe multa ex enarratis, ex ipſius vitæ deſcriptione diſcimus: nam clauſura earum non arcebat acceſſum virorum, néque exitum inhibebat ſancti-

Serm. de inſtit. Monachorum. p. 277. col. 1. c.

Vide Baron ad an. 1094. de Monachabus Marcianienſibus id narrantem.

Iſidor. Reg. c. 6.

ſanctimonialibus; ſic enim cap. 4. n. 23. dicitur, quòd quendam hominem, cùm de ipſius vitâ deſperarent parentes ejus, duxerint ad monaſterium ſanctimonialium --- *at illa* (S. nimirum *Aldegundis*) *veſpertino tempore, adductô antè ſe oravit pro eo: & factô Crucis ſignô ſuper eum, domum redire juſſit, qui mox convaleſcens &c.* Inſuper ad obſequia domeſtica ipſis erant non ſolùm Sæculares famulæ, ſed & famuli, colligitur id ex prima vita cap. 3. n. 19. & ex ſecunda cap. 5. n. 20. ubi diſertè *Miniſtri* dicuntur *aquam ad potandum monialibus in monaſterio commorantibus attuliſſe, quam ipſa S. Aldegundis in vinum convertit.* Dein narratur ipſa tum ſola, tum cum ſororibus ſæpiùs verbô cæleſti ſatiandi causâ exiiſſe monaſteriò, & viſitaſſe ſanctos viros nominatim *S. Humbertum* apud Mariolos habitantem, qui tamen exitus, ùt monſtravimus, omninò monachabus interdictus erat. Idem legitur in vita *S. Waldetrudis*: quòd *ipſa beata Aldegundis viſitationis gratiâ ex monaſterio ſuo certiſſimis diebus ad eam venire conſueverat ---- quæ cum loci parvitatem cerneret, paucáſque adhuc ſanctimoniales in obſequio ſororis ineſſe vidiſſet, humano pulſata affectu, quaſi compatiens paupertati illius monuit, ut locum illum deſereret, & ad ſuum Monaſterium properaret &c.* Et paulò infra rurſum dicitur: *Ambas quadam die, dum repentè cauſa exſtitit, ob quam pro utilitate monaſterii paululùm extra clauſtra procedere cogebantur &c.* Deinde in ipſa *B. Aldegundis* vita non obſcurè innuitur conſueta hoſpitalitas, ubi miraculum de piſce contra accipitrem per agnum defenſo deſcribitur: deníque & ipſam Philantropiam ſeu hoſpitalem converſationem, apud has Virgines ſolitam ab Origine inſtituti cænobii Malbodienſis eadem vita docet, dum paſſim utriúsque ſexus perſonæ eam viſitantes recepiſſe beneficia tam ſpiritualia quàm corporalia dicuntur.

In vita 2. cap 6. 25. & 27. & c. 7. n. 34. apud Bolland p. Apcil. cap. 8. n. 10.

Exſtat hujus ſanctæ fundationis Teſtamentum relatum à Foppenſio, in quo eadem ſic loquitur: *Quia verò fœmineus ſexus non poterat per ſe explere divina Sacramenta, prædicto Imperatore confirmante, & Conſiliô prædictorum Epiſcoporum, & aliarum Religioſarum Perſonarum, inſtitui duodecim Fratres in Eccleſia S. Quintini Martyris à ſupradictis Epiſcopis conſecrata, quæ in villa Melbodienſi erat ſita: tali conditione, ut illi jam dicti Fratres ſupra nominata Eccleſia Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ cum reverentia, & honore deſervirent.---ut autem illi jam dicti Fratres abſque indigentia, & penuria aliqua Chriſto famulari, & Ordinis Sanctorum Canonicorum vita competenter deſervirent, adſtipendia, & uſus eorum donatione propria tribui eadem die &c.* Ex quo diſcimus, Virginibus Canonicis, Religioſos pariter Canonicos ad obſequium ſacrum conferendum ab *Aldegunde* fuiſſe adjunctos. Ut adeò collatis omnibûs enarratis circumſtantiis, vix ampliùs dubium ſupereſſe poſſit Malbodium Parthenonem exſtitiſſe non *Monacharum*, ſed *Canonicarum* ab exordio fundationis ſuæ. Néque movent argumenta quæpiam pro monachabus pugnare viſa, quale eſt primò: *S. Amandum* non ſolùm monaſteria virorum in Belgio, verùm etiam cænobia puellarum, *Nivellenſe, Melbodienſe, Caſtrilocenſe, Marcianenſe*, aliáque nonnulla ordinàſſe; ſed iis Monachas, non Canonicas impoſuiſſe Monachum ipſum: duplicémque in unoquoque Parthenone Conventum fuiſſe, Monachorum ſcilicèt, & puellarum, quæ ab illis de more regebantur. Sed quemadmodùm in Belgica illa cænobia ſucceſſernnt Collegia Canonicarum Monachabus, ita & Monachis Canonicorum Conventus, ut ſicut primitùs Monachi Monachabus, ita poſtmodùm

Tom. 3. nov col. lect. Dipl. Belg p. 3 c. 1. & 2.

dùm Canonici canonicabus Sacramenta adminiſtrarent.

At infirmum profectò argumentum, *S. Amandum* Monachum non alias niſi Monachas his monaſteriis impoſuiſſe; ut enim jam non repetamus abundè alibi refutatum *S. Amandi* monachiſmum; debiliſſimum illud, ut Monachus non niſi Monachas ordinâſſe dicatur. Ipſe vir Doctiſſimus huic aſſerto adverſari convincitur in ſuis annalibus; dum L. 54. n. 42. de Uroldo Abbate Prumienſi, & indubitatè Monacho iſta ſcribit: *Uroldus Abbas Prumienſis Collegium Canonicorum juxta Monaſterii ſui ſepta* (*néque id inſolens erat*) *cum Baſilica B. Mariæ Sacra condidit.* Si ergò *inſolens non erat*, juxta ſepta ſuorum Monachorum Abbatibus Monachis, ut exſtruerent Collegia Canonicorum, cur inſolens, aut indecens eſſet, ut eadem ipſa conderent etiam ſeparata à Monachis. Quin occurrent in deſcriptione monaſteriorum ſubſequorum documenta certiſſima, exſtruxiſſe ſæpiùs Monachos Canonicorum Collegia poſt ſæculum undecimum, cur id antea non fecerint, non tam Monachi, quàm Epiſcopi? qualis Divus *Amandus* fuerat: cùm vitæ ejus Biographus & *Aldegundis* diſertè teſtentur, non ſolùm monaſteria Monachorum, ſed & Canonicorum ipſum tum condidiſſe, tum ordinâſſe. Verùm non mirum hæc, aliáque plura oportuiſſe adſtrui ab homine adeò illiberali, ut non ſolùm nullos antè ſæculum decimum, alios Regulares, ſeu votivos viros, ſed nec Virgines, niſi Monachos, monacháſque agnoſcat.

Intereà & illud obſervatione non indignum, dum ſicut anteà Monachi monachabus, ſic poſteà (relaxatâ haud dubiè diſciplinæ Regularis fibulâ) Canonici Canonicabus Sacramenta adminiſtrâſſe dicuntur. Cùm certum ſit, Monachis in Occidente omnimodis interdictum fuiſſe, confeſſionem ut audirent monialium, ſeu Canonicarum, ſeu Monacharum, idque adhuc ſæculô nonô, adeóque longè poſt tempora *SS. Amandi*, ac *Aldegundis*: teſtimonium hujus ex Concilio Pariſienſi habemus anni 829. ſic definiente: *Nullô modô videtur nobis convenire, ut monachus* Can. 46. *relictô monaſteriô ſuô idcircò Sanctimonialium monaſteria adeat, ut confitentibus peccata ſua modum pœnitentiæ imponat.* Unde Doctiſſimus Thomaſſinus, *unum*, inquit, *ſupereſt*, *quod hic obſervemus, Monachis tunc quidem* (id eſt ſæc. 9. de quo agit) P. 1. diſcipl. L. 3 c. 43. n. 13. *in uſu non fuiſſe, ut confeſſiones exciperent vel Canonicarum, vel monialium &c.* aliud ego addiderim, aut nunquam, aut rariſſimè monaſteria virorum monachorum cum adjuncta monialibus fuiſſe, ſed ea plerúmque exſtitiſſe Clericorum. Cauſam ſuo in teſtamento *Aldegundis* ſuppeditat; néque reperio, quid ſacris Virginibus tum cum monachis neceſſitatis emolumentive acceſſerit, ſi adeſſent: utpote cùm ipſis *Sacerdotibus monachis id facere* (nempè adminiſtrare Sacramenta, velut idem Concilii Canon proſequitur) *fas non ſit exceptis ſuis duntaxat, qui ſub monaſtico ordine ſecum in monaſteriis degunt*: *cùm Canonica Authoritas doceat monachos quietem debere diligere, & intentos eſſe tantummodò jejunio, & orationi, in locis, quibus renuntiaverunt ſæculo, permanentes, ut nec Eccleſiaſticis, nec ſæcularibus negotiis communicent.* Quamvìs ergò (ut rariſſimè) olim jungerentur monachi monachabus, id factum erat ſolius ſpiritualis directionis causâ, & præſtandæ inſtitutionis in monaſtica profeſſione, quod ſanè, cùm nunquam requireretur apud moniales, quæ Canonicè vixerant, ſic néque unquam indigebant monachorum conſortiô, à quibus divina myſteria conferri non poterant. Secundò in Conciliis Sæc. 8. Pag. incrit. ad an. 654. n. 26. & Mabill. Anal. Ben. convocatis, Canonicarum mentionem nullam fieri, hanc ego aſſertionem in Exegeſi dudum diſſolvi,

mon-

monſtravîque earum & nomen, & rem ſæculô octavô fuiſſe notiſſimam: nam Balterus *S. Fridolinum* ſub initium ſexti ſæculi memorat Seckingæ *Canonicam Sanctimonialium vitam* conſtituiſſe: & VernenſeConcilium mediô ſæculô octavô, id eſt, an. 755. Can. 11. Ancillas Dei velatas ſub *Canonico Ordine* conſtituit vivere, tanquam Monaſtico oppoſitô. Verùm néque opus eſt multùm de nominis indagatione torqueri, ubi oſtendimus, quàm, antè nomina ipſa, res plurimæ fuerint. Sic & multò evidentiùs id factum tum in Clericis votivis, tum in ipſis veſtalibus, quæ non ideò exortæ, quòd Canonicæ dicerentur; ſed ideò ſic dictæ, quòd paſſim nomine Sanctimonialium gaudentes, Canonicæ vitæ mores (quantùm ſexus admiſerat ab ipſo Eccleſiæ primordio) normámque ſervarent, à Monachabus omninò diſtinctam, nomen autem inde ex placito majorum ſortirentur, hoc eſt, nuncuparentur Canonicæ: nihil itaque argumenti adfert, qui adverſari cupit ex ſolo nomine Canonicarum ſæculis octavum,vel nonum præcedentibus adhuc deſiderato; cùm certiſſimum ſit, ſanctimoniales exſtitiſſe jam ſæculô ſextô anteriores in occidente, à ritu Monachorum penitùs diſtinctas, quas Clericales nominavit antiquitas, dudum à nobis ultimo tertiæ Partis capite in exegeſi noſtra memoratas.

Deníque tertiò: Teſtamentum *S. Aldegundis* admodùm de falſitate ſuſpectum eſſe: utpote quibûsdam in eo notatis omnem Chronologicæ hiſtoriæ fidem excedentibûs, jam pridem à Bolando viro Erudítiſſimo obſervatis. Verùm, quæ Bolandus de Dagoberto Rege recenſuit, quibûs veritatem huic teſtamento attenuaret, neutiquam ſufficiunt: nam Dagobertum Regem Auſtraſiæ imperium ſuſcepiſſe annô 625, continuâſséque ad obitum usque an. ſcilicet 644. certior jam Chronologia Regum Galliæ teſtatum facit. Hinc, cùm vetuſtior vita temporibûs Dagoberti Aldegundem natam aſſerat, convenit, ut ipſa eôdem, quò obiit annô Dagobertus, teſtamentum condiderit; & fortaſsè anni 20. initium ejusdem Regis notatur. Quòd verò Childericus teſtamento inſeratur tanquam inclytus Imperator, id fieri potuit, ut legaliter primùm ſub Childerico firmaretur teſtibûs. Certè Childericum in hoc teſtamento non reſpici, tanquam ſub quo illud conditum ſit, patet ex ſolius Dagoberti regnantis ſubſcriptione notata. Cæterùm & in ipſa illa 20. Anni Regis Dagoberti notatione error quidam, ſed teſtamento non injurius latet. Non enim novum quid, diplomata, quamvis ſinceriſſima etiam originaria, ac autographa, quandóque in numero ſic vetuſtate exſoleta reperiri, ut ſæpè locò numeri Romani XV. corrupta littera ſuccedente ſubſtituenda ab amanuenſi, aut librario X. crederetur, ſicque locò quinti numeri evaſerit Decimus; aut ut hæc ipſa charta fortaſsè jam apographa infarciretur quibûsdam indoctis, & veram chronologiam lædentibûs nævis: an verò ob ſolam hanc erroneam ſubſcriptionem totum teſtamentum rejici tanquam fictitium poſſit, cujusvis eruditi Cenſoris judicio deferimus, non ignorantis, quàm evidentibûs argumentis ſuo in Codice Diplomatico remonſtret Mabillonius, ſinceriſſimas chartas quandóque mendis in ſubſcriptionibus ſcatere; quod ipſum obſervandum cenſeo de ſubſignatis Epiſcopis, Abbatibus, ac Abbatiſſis, quorum complura nomina aliena (ac fors minùs providâ manu) ſubſcripta, ſatis arguit imprimis illud: *Erminus Vir Sanctus, & Abbas*, certè *Erminus* ſe *Sanctum* ſubſcripſiſſe ſupra omnem fidem eſt. Præterea: *Gervida Amita beatæ Aldegundis, quæ eam de ſacro fonte ſuſcepit.* Nun-

Nunquid humillima *Aldegundis* admittere potuiſſet, ut ab ullo hominum *beata* in frontem nuncuparetur, ne dicam ab Amita in ſuo proprio teſtamento ſcriberetur. Quemadmodùm igitur hæ ſubſignationes in teſtamento ſuppoſitionis meritò poſtulantur, ſic nequaquam ideò totum illud videtur rejiciendum; notóque ſignatè illa verba in ipſo contextu occurrentia: *tradidi aſſenſu Domini Hildrici Inclyti Imperatoris, quin & Dagoberti & Principum ejus*, quaſi diceret, *quin & Dagoberti*, quamvis nunc defuncti, attamen tunc Regis, cùm iſtud primò conderem, atque ideò non reticendi. Cæterùm, quæ hac in re amplioris difficultatis ſunt ipſo in opere noſtro, dum teſtamentum ad litteram dabimus, diſſolventur.

Intereà annotamus, haud dubiè quoſdam in hoc inſtrumento torquere inſertum nomen *Canonicorum*, quod latuiſſe à multis eruditis viris dicitur in Occidente, ad ſæculi fortaſſe ſeptimi finem. Verùm, quia nos hanc opinionem diluimus in Exegeſi, oſtendentes jam ſæculô ſextô in Gallia illud uſurpatum fuiſſe, ex hac voce, nè in minimo, relatum *Aldegundis* teſtamentum infirmari poterit.

Porrò, nil minùs, quàm ſententiæ ſubſcribendum autumo aſſeveranti, in Malbodienſi Parthenone monachas ordinis S. Benedicti fuiſſe. Multa enim ſunt, quæ id penè incredibile reddunt, unum iſthic adduxiſſe ſufficiet, quod lego in Anonymo ſæculi XII. ſcriptore relato ab Edmundo Martene ord. S. Bened. in Anecdot. Theſauro tomo 3. fol. 1001. de *S. Gauzelino* Epiſcopo Tullenſi: *hic ad cumulum bonorum ſuorum* (verba ſunt iſtius Anonymi) *decimô quartô ordinationis ſuæ annô, nutu Dei regulam S. Benedicti hujus regni habitatoribus omnibus ignotam, diù quæſitam, procúlque inventam, S. Apri inſtituit locô.* Hæc de Auſtraſia Author præfatus (in qua pariter tunc Malbodium ſituatum reputabatur) & de *Gauzelino* ſæculô decimô florente temporibùs *Brunonis* Colonienſis Archiepiſcopi, qui annô 965. obiit. ubi igitur nec regula nota erat, qui ibidem ſubſtiterit S. Benedicti Ordo? Quamdiù Malbodium ſub Canonica diſciplina perduraverit, conjecturare vix poſſumus. Refert Guiſius *Brunonem* Archiepiſcopum Colonienſem annô circiter 957. *in Villa Malbodienſi in Eccleſia, quæ nunc Aldegundis dicitur, Canonicales ordinâſſe præbendas ſæculares, de ſanctimonialibus Canonicos & Canonicas ſæculares ordinâſſe.* Vixerant hi Canonici ad Eccleſiam *S. Quintini*, Virgines autem ad *S. Aldegundis*. At *Brunonem* ſæculares utrinque ordinâſſe, ea certitudine, quâ Guiſius nullô productô documentô abſolutè definit, nullibi aliàs, niſi in ejuſdem Deſcriptoribus, legeram. Potuiſſe *Brunonem* Canonicales præbendas ordinare, haud inficiabor, cùm plura, imò plurima harum præbendarum exempla exſtent apud Canonicos Regulares longè poſt ſæculum duodecimum; imò ad Concilii Tridentini tempora. Itaque Malbodienſes Sæculares factas fuiſſe, & quidem per *Brunonem*, hujus viri zeloſiſſimi integerrima conſervandæ diſciplinæ regularis ſolertia tam diù credere non admittet, dum legero, eundem antequam ad Colonienſem Sedem promoveretur quædam regentem monaſteria adhuc adoleſcentem in eiſdem *degentes partim voluntate, partim vi ad regularem vitam conſtrinxiſſe*, & jam Epiſcopum *de Religione primò, & cultu Dei ſecundùm datam ſibi ſapientiam inſtituiſſe, ut in diverſis Congregationibus ſuæ Diœceſis unum cor eſſet, & anima una - - - - ut divinis miniſteriis omnes, quorum id intereat, intentiſſimè ſecundùm præfixam ſibi regulam viverent.* Cùm ergò indubiè Malbodienſes regulam obſervaverint Aquiſgranenſem, hinc facilè conceſſerim aliquantò fortaſſe confuſam diſtributio- Gal. Christ. in Eccl. Colon. t. 3. Col. 646.

tio-

tionem, in ordinatas præbendas *Brunonem* diſpertiiſſe, neutiquam tamen ordinâſſe ſeu Canonicos, ſeu Canonicas *Sæculares*, quales probabiliùs dein evaſerint, cùm bonorum proprietas magìs eorum deſiderio libertatíque ſaperet, quàm Auguſtiniana Mediocritas affatim ſæculô 12. ac deinceps Aquisgranenſis, utpotè dudum corruptæ regulæ Sectatores Sæcularibus Canonicis accenſendas oſtendens.

Diù tamen profectò jam eſt, quòd S. Quintini Canonici jugum regulare dimiſerint, nec fortè recentiùs factum, ut ipſæ Veſtales Malbodii dimiſsâ clauſurâ, & regulâ, *Canonicæ* à ſpecioſitate nominis non à vitæ diſciplina mallent nuncupari.

Extitit utrumque Collegium in urbe hujus nominis diſtante montibûs quatuor leucìs ad Amnem Sambre. Gall. Chriſt. cit. Mabill. Annal. Ben. L. 17. n. 37. Fopp. nov. Collect. p. 4. c. 1. Bol. vita S. Aldeg. 30. Jan. & S. Waldetrud. 9. Ap.

Fundat. ſæc. 7. Floret.

Malonium S. Bertvini Abbatia. Hujus originem *S. Bertvino* Epiſcopo ex Hibernia venienti in ſalcum, qui vulgò Marlignia appellabatur, adſcribit Miræus, nam, eum in villa Malonia Oratorium condidiſſe in honorem B. V. ex monumentis antiquis refert Molanus: Meminit hujus Viri ſancti cum aliis Sigebertus in Chron. dicens: *Annô 651. multi in Anglia, vel Scotia in Galliis peregrinantes verbum Dei ſeminabant, multúmque fructum Deo faciebant, ſcilicet Otto, Bertvinus, Eloquius.* Hic *S. Bertvinus* noſter *diffuſis ſuæ doctrinæ radiis in Malonia, virtutúmque ſplendore innoteſcens ODOARIO Principi tantam per iſtum gratiam apud PIPINUM obtinuit, quòd eidem quinque villas in voti ſui propoſitum ſit elargitus:* Hinc, cum quinque Eccleſiis pingi ſolet. Non dubium, quin *Bertvini* Clerici in hoc Cœnobio conſtituti diutiùs veſtigia Patris ſui fuerint continuatìs virtutum exercitiis in vita communi æmulati; at longo temporum hiatu alia nobis inde notitia non ſuppetit, niſi quam annus 1006. & 1147. aperuit; eô quidem, dum ſcilicet *S. Henricus* Imperator cum aliis locis pluribus per privilegium Maloniam quoque Leodienſi Epiſcopo *B. Notgero* confirmat: Iſtô autem quô in hanc Eccleſiam Canonica ſecundùm *S. Auguſtini* regulam inducta eſt reformatio; nam, cùm hæc eadem Malonienſis Eccleſia parietum lapſu, diſtractione fundorum, ſacrilegis denudationibûs Altarium proximæ jam dudum ruinæ ſuccumberet, *Bruno*, qui tunc ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus extiterat, *ab ejus cura, cui ſubvenire non poterat, enixè tam apud ALBERONEM, quàm ſucceſſorem Henricum Leodienſes Epiſcopos abſolvi petiit*, demúmque ab hoc poſteriori impetravit; at pater miſericordiarum, & DEus totius conſolationis huic pereunti Eccleſiæ mirô planè favore ſuccurrit: Erat *Alexander* (de Familia Dolega natus Polonus) tum Epiſcopus Plocenſis, neſcio quô fatô, quâve ſorte hujus in ruinam Prolabentis præpoſituræ conſcius, fortaſsè tum Leodii exiſtens, (quod tamen abſolutè aſſerere non audemus) certè Henricus Eccleſiæ ſuæ hunc virum natum, & renatum, at in terra aliena Epiſcopali dignitate à Deo ſublimatum dicit; quodſi ergò his verbis ſuis *Alexandrum* natum Leodienſem aſſerit, cadit Dlugoſſi fides, ex quo diximus natum (de familia Dolega) Polonum (quod ideò advertimus, cùm Dlugoſſi verba ſint clara, obſcura Henrici) hic ergò quocúnque demùm modò voluntatis ſæpèdicti Henrici conſcius, qua Eccleſiam miſellam ſublevare omnimodis quærebat, cùm eſſet rebus Divinis ampl andis addictiſſimus (nam Vincentii Chronicum inquit, ſumma eum fuiſſe admiratione dignum, & Magnum quem-

quemdam Alexandrum in præliis, ſed in divinis obſequiis Alexandro illo majorem) Fratrem ſuum carne, & Spiritu Eccleſiæque Plocenſis Præpoſitum *Gualterum* nomine ad Henricum transmiſit; *rogans, & obnixè deprecans, quatenùs ea, quæ in eadem Eccleſia neglecta fuerant, corrigere, dilapſa reſtaurare, inſuper & Clericos abſque proprietatibus juxta B. Auguſtini Regulam adſerviendum Deo ordinare propter ſalutem animæ ſuæ, & Anteceſſorum ſuorum inibi quieſcentium ſua ope, & Conſilio liceret.*

His Henricus perceptis; *Miſericordiæ Dei Gratias referens, qui ſuâ præſtantiſſimâ bonitate ſuper deſolatione dictæ Eccleſiæ tam utile, támque honeſtum miniſtravit Conſilium: quod petebat, conceſſit, & Gualtero Fratri ejus Eccleſiæ curam commiſit- quatenùs ad laudem & gloriam Dei Canonicos juxta B. Auguſtini regulam in ea ordinaret, & cùm numerus Fratrum expoſceret, Abbas etiam loci illius per manus ſuas* (Epiſcopi Henrici) *inveſtiretur, qui juxta morem hujus Eccleſiæ ſibi inter cæteros Capellanos Succeſſoribúsque ſuis, cùm neceſſe fuerit, aſſiſteret.* Sic inductâ in hanc Eccleſiam novâ Regularium Clericorum Coloniâ in pauco tempore divinâ eam proſperante Clementiâ, feliciter profecit, ex quo dein annô 1272. multiplicata egregiè dote (nam cum, ut minora dimittamus, Parochiam S. Lupi Urbis Namurcenſis, ſanctíque Lamberti de Sarto Eccleſiam cum omnibus pertinentiis earundem, Eccleſiam etiam & Villam de Haſonis-Monte, Eccleſiam & decimam de Monchiai &c. actu poſſederant Canonici Malonienſes) à Summo Pontifice Gregorio X. confirmationem Privilegiorum, protectionémque Apoſtolicam ſuper omnia Abbatiæ ſuæ bona obtinuêre. Gaudet hodiedum Eccleſia iſta pretioſo corpore S. *Bertvini*, à quo & nomen accepit. Porrò liberrimæ Dionyſii Sammarthani aſſertioni, monaſterium iſtud olim Ordinis Ben. fuiſſe, non immoror refutandæ, utpote quæ nulli legitimo innixa teſtimonio, ſe ipsâ collabitur. Floret autem adhuc hodiedum ſub noſtro inſtituto.

Sita eſt hæc Abbatia ad Sambrem fluvium paulò minùs milliari Gallico uno diſtans Namurcô. Foppenſ. nov. Coll. Par. 4. Cap 132. Dlugo. Hiſt. Polon. Lib. 4. ad an. 1129. Mir. de Orig. Can. Reg. C. 25. Mol. in natal. SS. Belg. Sigeb. in Chron. edit. nov. pag. 756. Fiſen. P. 1. hiſt. Leod. ad an. 651. n. 37. Gall. Chr. Tom. 3. Col. 1011.

Mareolum S.S. Amandi, & Bertiliæ Abbatia. Diverſimodè hoc nomen Mareolum (prout cœnobium) ſcribi, ac in Authoribus legi ſolet, quibusdam illud cum *Maricolenſi* Ord. S. Benedicti ex nominis quadam vicinitate confundentibus, cùm iſtud *Maricola* vel *Marilia* aut *Mareolia* vulgò *Maroilles* in Hannonia Diœceſ. Camerac. noſtrum verò *Mareolum* vel *Marolium* ſeu *Marolienſe* (quemadmodum in Chronico Ciſonienſi legitur) aut Maraculum & Diœceſ. Atrebatenſis nuncupetur, quod præviè notare voluimus. Hujus originem à *S. Bertilia* Virg. derivari ex Chronico Cameracenſi diſcimus L. 2. C. 16, in quo hæc referuntur: *Eſt etiam in vico Maraculo monaſterium Canonicorum, ubi S. quieſcit Bertilia, quæ hoc ipſum ſuum prædium S. Mariæ donavit.* Diſtat verò, ùt notat Colvenerius ad C. 25. L. 1. præf. Chronici, Atrebatô milliari cum Dimidio versùs montem S. Eligii.

Sancta igitur *Bertilia*, Virgo integerrima copulata parentum imperiô Adoleſcenti nobiliſſimo *Guthlando*, ſed ad virginitatem ſervandam perſuaſo, demúmque morte ſublato, omnia ſua patrimonia diverſorum locorum monachis, Canonicis, & Sanctimonialibus ſub chartarum auctoritate tradidit: inter diverſa autem ædificia à ſe conſtructa

ſtructa ſolùm Mareolum reſervavit ſibi, Baſilicam in eodem ad S. *Amandi* honorem conſtruens, vitámque inibi ſuam in adjecta cellula angelicâ pietate, atque innocentiâ concludens. Corpus ejus venerabile in dicta hac Eccleſia tumulatum per multos annos non paucis intervenientibus prodigiis delituit: cùm demum famâ beneficiorum aſſiduè per eam collatorum vulgatâ, *Gerardus* ſecundus Cameracenſis Epiſcopus elevationem ejusdem indixit ad diem Exaltationis S. Crucis an. 1081, prout privilegium ab eodem *Gerardo* deſuper datum, & à nobis ſuo tempore referendum declarat. Reconditæ ſunt ſacræ reliquiæ ejusdem Beatæ in vas argenteum, & publico honori expoſitæ. Sed nos aliquantùm anteriora adeamus: exſtat námque quoddam *Lotharii* Francorum Regis privilegium ſub annô 977. ſignatum, ex quo colligimus, non ſolùm eô annô Canonicos regulariter viventes in dicto Cœnobio exſtitiſſe, ſed longè anteà; eò quòd tunc jam quâdam reſtauratione egerent, & *Fulbertus* ejusdem conſtructor circà annum 940. dicatur. Verba *Lotharii* ſunt ſequentia: *quoniam*, inquit, *noſtræ dignitatis præſentiam dilecta conjux noſtra Emma adiens, nobis retulit dolendo, quoddam cœnobium, à Venerabili Fulberto Præſule, ſub REGULARI CANONICORUM NORMA, nobiliter ſecùs Atrebatum ſuper ſatis fluenta, olim conſtructum fuiſſe, quod ſitum eſt in villa, quæ dicitur Mareolum, nunc verò penitùs deſtructum per violentiam ſæcularium, & nimiam cupiditatem Theudonis Epiſcopi, remotis indè omnibus, quæ prædictus Fulbertus ejúsque ſucceſſores tradiderunt cœnobio S. Amandi & S. Bertiliæ, ad opus Fratrum, ob remedium animarum ſuarum, noſtrorúmque Anteceſſorum &c.* addit dein ſuæ voluntatis præceptum *Lotharius*, præcipítque ea, quæ ſublata fuerant, *Canonicis prælibati monaſterii reddi &c.* Subſtitit, ſed non diù hoc in renovato vigore Mareolum; nam, cui defecerunt ſæculô undecimô bona temporalia, ſuccedente ſæculô duodecimô peſſumiverunt ſpiritualia: hinc rursùs de remedio cogitatum, ídque magno cum emolumento præſtitum ab *Alviſo* Epiſcopo Atrebatenſi an. 1138, quod nobis idem ſequentibûs inſinuat in ſua charta annô dictô extradita: *B. Amandi de Mareolo Eccleſiam*, inquit, *omni ferè religionis vigore deſtitutam, & inhabitantium Clericorum inſolentiâ domûs Dei vigore calcato peſſumdatam, in religionis ſtatum & decorem debitum reformare curantes, Clericos regulares in eam conſtituimus, ſæcularibus abjectis, ut ſecundùm INSTITUTA B. Auguſtini* (Obſerva lector hæc verba) *ſine intermiſſione Deo deſerviant, & pro Atrebatenſium Epiſcoporum ſalute, omniúmque fidelium remiſſione, debita vota perſolvant.* Nec fefellit fervidum Præſulem hæc devota intentio, nam inductis in dictum cœnobium Clericis ſecundùm B. Auguſtini *inſtituta* regularibus, aliam mox formam totus ejusdem ſtatus obtinuit: revixit diſciplinæ religioſæ obſervantia, cultus quóque, & devotio rerum Eccleſiaſticarum mirum in modum adauctus eſt, & undè hactenùs Scandala, indè profluxêre in populos exempla virtutum. Néque minor eorum cura fuit in *D. Bertiliæ* honorem, nam an. 1228, ùt narrat inſtrumentum elevationis, cùm per centum, & 40. annos ſacrum ejus corpus in vaſe illo, eô modô jacuiſſet, ut incuriâ haud dubiè priorum cuſtodum, vetuſtate nimiâ demolitum, & quod ampliùs, argentô, auróque malevolorum hominum audaciâ ſpoliatum, nullo decore, honeſtatéque polleret; *bonæ opinionis & laudabilis vitæ viri* (inquit inſtrumentum) *Petrus Abbas de Mareolo, & qui cum eo erat conventus, non ſine magnis ſumptibus vas aliud novum fabricari fecerunt &c. in quo glorioſum B. Bertiliæ V. corpus datâ opportunitate ---* bono-

honorabiliùs collocarent. Quæ elevatio iis inſtantibus ac rogantibus, præfatô quóque annô aſſentiente *Pontio* Atrebatenſi Epiſcopo, & ſolemnitatem in propria perſona celebrante, ſummo cum applauſu, ac totius concurrentis populi ſolatio fuit completa. Exſtat amodò hoc cœnobium, & quidem ſub inſtituto noſtro præclarè florens cum Abbatiali titulo, quem jam Alviſus primo *à ſe regulariter* introducto Præpoſito dederat: his verbis: *Nos igitur Chariſſime Frater Balduine ibidem Deo auctore Abbas conſtitute &c.* *à ſe* inquam, cùm certum ſit, ante *Alviſum* tales Mareoli exſtitiſſe, ſed defeciſſe in ſæculares. Sammarthani in ſua Gallia Chriſt. memorant *Innocentii II.* Bullam datam Mareolenſibus an. 1135. tanquam membris Congreg. Aroaſien. Quod qualiter cum Alviſi verbis in relata à nobis charta tribùs poſt annis data combinari poſſit necdum deprehendi. At Sammarthanos aſſerere non poſſe illie monachos fuiſſe ex privilegio *Lotharii* liquet.

Situm eſt Mareolum ad fluvium Scarpe. Mir. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 24. & Cod. dipl. L. 1. C. 23. Col. vener. in Chron. Balder. L. 1. C. 25. in præf. Spicil. Dach. T. 2. Fopp. P. 2. C. 46. Gall. Chr. T. 3. col. 442.

Fund. an. 1180. Floret.

S. Margarithæ vulgò Ter Nonnen Prioratus Windeſem. Virginum Canonicarum.

Margaritham Henrici ſecundi Brabantiæ Ducis filiam huic cœnobio ſua dediſſe exordia novimus, at quæ propriè cauſa ſubſit, quòd prima illuc Colonia ex Biſelinghenſi monaſterio advocata ſit, non ſatis perſpectum eſt; fuiſſe hanc ex dicto Parthenone *petitam* hiſtoriæ Epiſcopatûs Antverpienſis Author enunciat, quod tamen eatenùs ambiguum videtur, cùm tunc Primiacenſes, Haſprenſéſque Canonicæ Antverpienſibus longè propiores incomparibili diſciplinæ fervore ardere noſcerentur, eſſéntque utriúsque loci addictæ congregationi Victorinæ: certè ſi Biſelinghenſium fata diſpicere liceret, litteras quóque officialis Ultrajectini annô 1224. datas rogatu Decani, & Scawinorum Antverpienſium ad Abbatiſſam in Bezelingem à Gramayo viſas, aliam ſubeſſe cauſam non obſcurè reperiremus, cùm Biſelingenſes Virgines iſthic primitùs fuerint conſtitutæ, non diſciplinæ regularis inducendæ gratiâ, ſed præſtandi iiſdem præſidii, ac commorationis. Biſelingenſem námque Parthenonem adeò in ſcriptoribus Belgicis neglectum & oblitteratum deprehendo, ut ſi privilegium *Ingeranni* demas cum breviſſimis Gramay ac Miræi notis, ne quiquam in aliorum monumentis de eodem inquiramus. Hinc cenſendum longè antè Heterodoxorum his in partibus debacchantium inſaniam illud Ginæceum deſiiſſe, & quidem, ut conjecturare datur, hoc ipſo *Ingeranni* tempore; quam verò ob cauſam? non facilè aſſequimur: an fortaſſe, loci incommoditate compulſæ fuerint aliundè aptius ſibi domicilium quærere, utpote aquarum inundantium injuriâ immodicam ſæpè incolis Zeelandinis jacturam inferente; aut ipſorum quóque hominum ſibi cohabitantium nequitiam fugerint, quibus noti illi verſiculi indubiè jam tunc convenerint apud Zeilerum legendi, nimirum:

Creſcit nequitia ſimul actreſcente ſenectâ,
In Zeelandinis non fallit regula talis.

Profectò ex privilegio *Ingeranni* quodammodo liquet Biſelingenſes virgines ſe in totum ex Zeelandia Antverpiam tranſtuliſſe: ſic enim ibidem dicitur: *Placet nobis, & ad hoc propter Dominum expreſsè noſtrum adhibemus aſſenſum, quòd religioſæ mulieres, Prioriſſa, & moniales de Biſelinghen Ordinis S. Victoris in monaſterio,*

naſterio, quod infrà limites Parochiæ Antverpienſis conſtruunt, ſeu conſtruere intendunt, Cœmeterium, in quo corpora perſonarum religioſarum ſui monaſterii prædicti ſepelire poſſint, habeant. &c. Quodſi ergò Prioriſſa & mulieres de *Biſelinghen* indefinitè dicuntur Antwerpiæ diverſorium novum conſtruxiſſe, certè credere oportebit omnes hinc tranſiiſſe, cùm ſaltem ſolâ aliquâ coloniâ in novum monaſterium conſtruendum ablegandâ, ipſa Prioriſſa cum quibusdam monialibus remanere debuiſſet; adeóque nec indefinitè adeò loqueretur *Ingerannus*, diceretque *Prioriſſam & moniales*, ſed partitivè enuntiaret quasdam moniales. Ut ut ſit, exordium hujus cœnobii ad annum 1280. referendum eſt, nec minùs hæc Biſelinghenſium, ſeu omnium, ſeu aliquarum translatio, quò annò in die B. *Vincentii* memoratum privilegium ſignatum novimus. Inde quóque in hoc novo Domini famulatu firmatæ Virgines de virtute in virtutem euntes placitiſſima ſponſo Divino animarum ſimul ſuarum inſtruxêre habitacula: útque eò minùs ulli paterent pietatis inimico, dum Congregationis Victorinæ fervore ceſſante, ſe ſe reperirent à primævo Zelo deficere, mox recollecto ſpiritu annò 1430. in Windeſemenſis Congregationis leges, unionémque jurârunt, in qua jam ultra trecentos annos tanquam in præclariſſimo virtutum arvo, aſſiduos meritorum manipulos ediſcunt colligere.

Exiſtebat hic Parthenon ad annum úsque 1542. in Suburbanis Antverpienſibus, at Martino Roſſemiò ſuæ perfidiæ furore eadem devaſtante ipſe hic Prioratus in Urbem poſt biennium eſt traductus, ubi etiamnum perſeverat. Hiſt. Ep. Antverp. Mir. Cod. Don. Belg. L. 1. c. 131. Gramay. in antiq. Ant. L. 2. cap. 9.

Fund. 1461. Extinctum. Margaritæ in Valle Joſaphat Prioratus Virginum: Inſtitutus eſt per *Joannem* cognomine *Labeonem* Dominum Bergarum annò 1461. cùm enim ibidem Sorores Griſeæ (Sic ab habitu, inſtitutóque dictæ) morarentur, iis dimotis, Canoniſſas Regulares ſubſtituit, curæ ac directioni Canonicorum Regularium in Corſendanck contraditas, ac ubi eliminata Catholica fides ex Brabantiâ Hollandica, circâ annum 1570. fuerat, Parthenon, & iſte exſtinctus periit. Nec mirum pudorem Virgineum tunc exulare juſſum, quando Calvini, Lutherique Laſcivies in easdem partes ſuſcepta fuit. Exſtitit Bergicomæ in ipſa urbe. Hiſt. Ep. Antverp. pag. 193.

S. Mariæ Bononienſe Abbatia. *Fund. 1159. ſecularis.* De hac Miræus in Orig. Can. Reg. *Bononia*, inquit, *vetus Galliæ Belgicæ eſt oppidum apud Caletes ſitum, haud procul ab Oceano, quòd vulgò Boloniam vocant - - - - juxtà hanc Urbem annô 1159. fundata eſt Abbatia B. MARIÆ, quæ annô 1544. ab Henrico VIII. Angliæ Rege eſt diruta, fuit olim una ex iis, quæ ſpectabant ad Congregationem Aroaſienſem.* Verùm hæc miræi aſſertio de origine fundati hujus Monaſterii non ſubſiſtit. Exſtat enim in Chronico Andrenſis Monaſterii apud Dacherium, Privilegium conceſſum Andrenſibus Monachis annò 1133. cui inter alios ſubſcriptus legitur *Dominus Joannes Abbas S. Mariæ Boloniæ.* Ex quo diſcimus, jam tunc fundatum exſtitiſſe hoc Canonicorum Collegium, permanſit autem in ſua regularitate úsque ad tempora Pii Quinti Summi Pontificis: Nam ubi annò 1553. Tervanenſis civitas ad ſolum úsque deleta eſt, ùt docent gemina illa verba erecto illinc lapideo monumento inſcripta: *DeLetIs MorInIs.* Et medietas proventuum Eccleſiaſticorum Epiſcopatibus Iprenſi, átque Andomarenſi ceſſerat; annò dein 1566. Altera medietas huic noſtro Bolonienſi Collegio attributa eſt, ſimúlque (quam dudum Bolonienſes Oppidani ſuſpirave-

Digitized by Google

piraverant) reſtituta dignitas Epiſcopalis antè Nordmannicam devaſtationem, ſæculò nonò cauſatam, in hac urbe exiſtens. Sed honor Cathedralis ſimul ſuſtulit eidem Sacro loco Regularem Diſciplinam, ſæcularitate pleno Pontificio Jure inductâ, ùt habet Bulla dictô annô 1566. à *Pio* V. data, & vulgata à Miræo in ſupplemento.

Exiſtit in ipſa Bolonienſi civitate. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 77. Sammar. Gall. Chr. Prior. Edit. t. 2. p. 428. ſpicil. Dach. t. 2. p. 804. Miræ. Suppl. Diplom. P. 2. p. 1142.

Fundat. an. 1400. Extinctum.

S. Mariæ, & S. Agnetis in Depenvene propè Daventriam Virginum Prioratus Windeſemenſis. Joannes Brinkerink Magni Magiſtri *Gerardi* amicus, & ejuſdem pro Zelanda Dei Gloria indefeſſus adjutor, mox, ùt ſub Domino *Florentio* Daventriæ Sacerdos ordinatus fuerat, id ſibi cumprimis impoſuit operis, ut publicis è ſuggeſtu exhortationibus, quô modô demum poſſet, animas Deo præcipuè è debiliore ſexu lucraretur. Nec piæ adeò intentioni defuêre optati ſucceſſus, non paucis etiam Congregationibus devotarum puellarum coaleſcentibus, ita quidem, ut ne locus abundaret ampliùs, qui tantum earum numerum recipere poſſet. Joannes ergò noſter, nè tam numeroſæ meſſi indies accreſcenti ob domicilii anguſtiam, metam aliquam ponere cogeretur, egregium amplúmque Monaſterium extrà Urbem in loco *Depenvene* dicto propriis ad id erogatis ſtipendiis de licentia Epiſcopi Trajectenſis *Friderici*, & Capituli Daventrienſis exſtruxit annô Domini 1400. in illúdque omnes puellas Deo ſervire cupientes collegit, murô lapideô totum Parthenonem circumdans, boníſque tam ſpiritualibus, quàm temporalibus liberaliſſimè providens: excrevit in pauco tempore harum Virginum omnimoda Eurythmia, ut eâ nihil propè nobilius, nihil venuſtius tota Hollandia in ſexu ſequiore conſpiceret. Chroniſta noſter de hoc cœnobio ſequens præconium profert: *Has*, inquit*: in bona Diſciplina, vera obedientia, mortificatione propria, & calica vita ita inſtituit* (Joannes nimirùm) *ut jam ſint forma & exemplar, flos, decus & gloria omnium Sororum, & Sanctimonialium Deo ſervire cupientium, circà nonaginta habens Sanctimoniales, viginti ſeptem converſas, & viginti quinque alias puellas nondum inveſtitas intrà clauſuram, decem Sorores pro externis laboribus extrà clauſuram ſeorſim à viris ſeparatas, & viginti Laicas familiares. Foris in curia pro agricultura ſeparatim, Rectorem cum duobus Presbyteris, & duobus Laicis ei ſervientibus, quibus omnibus victus, veſtitus, & cætera neceſſaria per Sanctimoniales ab intra miniſtrantur, quæ intùs coquunt, Pinſunt, Braxant, molunt, ſuunt, & cætera exercent officia, non vacantes otio, ſed magnis ſuis laboribus, & ſpiritualibus Exercitiis regnum cælorum promerentes.* Hæc ille, quæ ideò adduximus, ut appareat, intrà quadraginta annos, quantos hoc cœnobium progreſſus ſumpſerit, ut homines ad 170. numeraverit alendos.

Nè verò tanta pietate fundatum Monaſterium temporum lapſu, diſciplinæ Regularis neglectu enervaretur, Joannes noſter tum apud præfatum Epiſcopum *Fridericum*, tum Capitulum Daventrienſe effecit, ut illud ipſum Capitulo Windeſemenſi uniretur, re tamen ad ſextum úsque annum poſt ejus fundationem, id eſt, 1406. diſtentâ, quô demum conſtitutum eſt, ut Prior de Windeſém Sorores in Depenvene inveſtire, ad Profeſſionem recipere, velare, ac viſitare poſſet, nec non Prioriſſam ipſam eligendam Capituli confirmare auctoritate. Intermediô rurſùm annô dilapſô demum 1408. duodecim primæ Sorores inveſtitæ fuêre per Priorem

rem Windeſemenſem, virum ſanè Religioſiſſimum *Joannem de Hueſden*, aſſiſtentibûs ſibi Prioribûs *de Fonte*, & de *Monte S. Agnetis* Joanne Kempis; tres ex iis ſcilicet *Hillegundis Sunderlant*, quæ & prima Priориſſa renuntiata eſt, *Margaretha Daghnes*; & *Gertrudis Monics* eodem die ſe ſolenni votorum vinculô Deo devoverunt, reliquis per annum in novitiatu manſuris, accreſcente intereà aſſiduò, ùt diximus, Virginum numerô cum profectu virtutum.

Igitur primùm ſpirituali regimine ſacras has Virgines *Joannes* ſæpèdictus moderatus eſt úsque ad vitæ ſuæ terminum, cujus corpus in Choro ante ſummum Altare fuit reconditum, ſucceſsítque Joanni alter Joannes Hoefdictus, curâ earum Priori in Windeſem expoſt commendatâ.

Permanſit autem hæc tam ſancta Virginum ſub Regula *S. Auguſtini* inſtitutio úsque ad Hæreticorum tempora, quibûs flos iſte virginalis vivere deſiit, cùm laſciviente Luthero paſſim inter ſacrarum Virginum Lilia, Veneris lolia plantarentur, bis neceſſariò demum illa ſuffocantibûs.

Exſtitit hic Parthenon paulô plus mediô milliari Germanicô ſupra Daventriam, Chron. Wind. L. 1. c. 43. Chron. S. Agn. c. 14. & 21.

Fund. circa an. 1200. Faret.

S. Mariæ de Gollia Abbatia.

Fundata eſt circà annum 1200, à *Gautherio* (fortè legendum *Galcherio*) Domino de Salinis. Sed fundationem complevisſe dicitur *Galcherius* Junior filius *Mauræ* ſeu *Moretæ* Viennenſis Comitiſſæ annô 1219, datis in ſuæ benevolentiæ teſtimonium litteris, in quibus aſſerit, ſe ei domui intrà ſepta Cæmeterii jus Aſyli pro facinoroſis conceſſiſſe: unde hôc privilegiô aſſertô, mox *Amedeus* ſexageſimus quintus Veſontionenſium Archiepiſcopus dictam Eccleſiam ſolenni ritu conſecravit. Huic novellæ Eccleſiæ ſe annô 1220. liberalem exhibuit Domina *Ida* Lotharingiæ Duciſſa, prout apparet ex confirmationis charta ſuper hanc donationem præſtita ab Archiepiſcopo Girardo de rubeo monte, ubi dicitur: Ipſam hanc Idam Lotharingiæ Duciſſam Dominam de Salaniaco (Simonis Secundi Lotharingiæ Ducis relictam improlem filiam Girardi Comitis Viennenſis, Sororem autem Galcheri Domini Salinenſis) 20. libras ſuper Puteum Salinarum Abbatiæ de Gollia Ord. S. Auguſtini donâſſe annô prædictô. Hujus Abbatiæ mentio fit quôque in libro taxarum apoſtolicarum, ex quo colligere datur, eam non exiguis privilegiis eſſe ornatam. Floret adhuc noſtris diebûs.

Exiſtit in ipſo Oppido Salinarum. Pennot. L. 2. C. 33. n. 9. Acta SS. 6. May in Illuſt. Claudian. n. 65. & 207.

Fundat. . . .

Maria de Viſignolo Præpoſitura.

Meminit hujus Pennotus noſter L. 2. C. 33. num. 5. ejúsque mentionem fieri in libro taxarum Apoſtolicarum idem innuit. Nec minùs in ſuo Catalgo Taxæ eandem recenſet Tamburinius his verbis: Mariæ de Viſignolio Ord. S. Auguſtini XL. alioquin de hoc monaſterio ignota ſunt omnia. Præpoſituræ potiùs nomine, quàm Abbatiæ inſignivimus, quòd in utróque hærentes, minùs in nomine Præpoſituræ nos à vero deviaturos crederemus.

Situatam in urbe Ambianenſi ait Pennotus, exiſtentiam verò ejusdem adhucdum aſſerere ob ſufficientis notitiæ defectum nequimus. Pennot. Cit. Tambur. T. 1. de Jure Abb. p. 490.

S. Mariæ in Bethania.

Prioratus Virginum Canonicarum Capituli Windeſemenſis ſumpſit ſuum an. 1422. initium fundante *Mariâ* filiâ Domini Bergarum ad Zomam tantô pietatis ſtudiô, ut ipſam curiam ſuam *Petenſſem* dictam Deo,

Deo, Virginíque Matri pro duodecim veſtalibus conſtituendis ſacraret, obtento *Joannis* Epiſcopi Cameracenſis conſenſu. Communem ſortem tumultuantis ſæculô decimô ſextô Belgii expertæ ſacræ Virgines relictîs ſui monaſterii cineribûs in urbem Mechliniam coëmpta ſuis ſtudiis accomodâ æde profugerunt: ubi cùm per aliquod tempus Priori *Betlehemetico:* tum *Throniano* juxta Herendaliam in ſpiritualibus Subjectæ paruiſſent, nunc ab annô 1616. S. Martini Præſulem Lovanii ſibi præſignatum moderatorem venerantur. Situs eſt hic Parthenon, ùt mox diximus in urbe Mechlinia. Hiſt. Mechlin. Tom. 1. pag. 81.

Fundat. .. Exſtinctum,

S. Mariæ Birket; aliàs S. Mariæ curia. Priorarus Windeſem. agit de hoc, in ſuo Cbronico Buſchius, in Catalogo monaſteriorum Windeſemenſium, eorum nimirum, quæ ſe ad annum usque 1430. huic Congregationi unire cæperunt. Fervorem regularis diſciplinæ in hoc Coilegio idem Author prodit, dum inter quindecim illa, quæ incluſionem ad normam Cartbuſienſium elegerant, decimum iſtud numerat: *Beata Maria in Birket propè Amersfordiam.* Illud annô 1553. adbuc floruiſſe docer Catalogus Ordinarii Conſtit. Windeſem. cætera ad notitiam ampliorem deſiderantur; periiſſe autem tempore depopulantium hæreticorum in Belgio indubitatum eſt. Exſtitit propè Amersfordiam. Buſch. in Chron. Wind. L. 16. 44. & 46. Chron. Bodec. in Catalogo.

Fundat. circà annum 1411. Exſtinctum,

S. Mariæ in Nazareth Prioratus Windeſem. Cùm Annô 1423. in profeſto S. Victoris ſupremis fatis conceſſiſſet Fridericus Trajectenſis Epiſcopus, & turmæ ingentes in novo eligendo concitarentur, tantæ quidem, ut tranſiſelanâ provinciâ obnitente Pontificiô decretô, tota terra illa diris ſubjiceretur: hinc Windeſemenſes omnes Canonici minimè ſe ſubtracturi Obedientiæ Summo Eccleſiæ Præſuli debitæ, è ſuis monaſteriis abire compulſi confugerunt alii in Geldriam, alii in Comitatum Bentbem, ſuíque ſacri inſtituti monaſteria ibidem exiſtentia incolere petierunt, ubi etiam tamdiù religiosâ cbaritate ſervati ſunt, usque dum fulmine ſacro ſublato licuit ad reconciliatum item ſolum illud, quod deſerere cogebantur, reverti: factum id fuiſſe annô 1432. Chroniſta Windeſemenſis notavit; unde baud mihi videtur audiendus Revius Hæreticus, dum ſequentia de hac emigratione, ac reverſione ſcribit: *Fratres domûs D. Florentii Daventriâ proſcripti ad ſuos reverſi poſt breve exilium.* Quemadmodùm enim Chroniſta Windeſemenſis æqualem tam Canononicorum Regularium quàm devotorum Clericorum (ſcilicèt qui ſub Florentii Diſciplina congregati erant) fugam adſtruit, imò dictorum Clericorum adbuc ipſorum Windeſemenſium diſceſſu priorem, ſic idem de illis, quod de iſtis redeuntibus dicendum occurrit; ait verò de his noſter Cbroniſta ſequentia: *Annô Domini milleſimô quadrigenteſimô trigeſimô ſecundô data eſt licentia Patribus & Fratribus Religioſis, devotis Presbyteris* (hi ipſi ſunt Fratres illi domûs D. Florentii, quos ſic nominare conſuevit Buſchius, ùt patet ex innumeris ſui Chronici locis) *& Canonicis ad monaſteria, & ad loca ſua redeundi ----- deinde ſinguli cum ſuis Conventibus reverſi ſunt ad propria monaſteria, manipulos pacis pro longo* (*NB*) *exilio, quo extra Diæceſim exulati ſteterant tunc reportantes &c.* Hæc incidenter contrà Revii Cbronologiam ſæpiùs vacillantem notavimus, qui ſiquid Romanæ ſedi affingere in dedecus poteſt, etiam hallucinando (ùt hæreticis mos eſt) neutiquam partes ſince-

ſinceri Hiſtorici, obligationémque attendens, liberrimè effutit.

Erat autem hæc exilii ærumna novæ cujuſdam Religioſæ domûs exſtruendæ Windeſemenſibus optata occaſio; cùm enim ipſi ſub hoc interdicto transmearont Benthemium ad Monaſterium Freuswagianum, Priori eorum, qui tum erat *Wilhelmus Vornken* vir omnium bonorum ore laudatus, contigit, ut in urbe Brefortio comitatûs Zutphaniæ locus à Religioſis, Deúmque timentibus hominibus (qui illi fuerint, non inſinuat Chroniſta) ad novum conſtruendum monaſterium offerretur, quem eò libentiùs Wilhelmus ſuſcepit, quò anguſtior duplici coadunatæ in Freuswegiano cænobio congregationi obtigerat: nam, ut idem ſæpè memoratus Chroniſta ait: *Religioſi illi, cùm exules Windeſemenſes hoſpitiò reciperent, in dormitorio, & alibi de cellis, & commodis ſuis exeuntes tam charis hoſpitibus omnium devotorum ſuſceptoribus libentiſſimè locô cedebant, & ipſi duo, & duo pariter ob loci anguſtiam in uno conclavi mutuò ſe ſuſtinebant.*

Formatum ergò ab *Henrico* Brefortii monaſterium eſt, & nuncupatum *S. Mariæ* in Nazareth, fortè ut fugam Chriſti ex Bethlehem in terram Nazareth, Herode parvulos perſequente, ſuô ſibi exiliô, firmiore devotione imprimerent, & illius ſancti Myſterii memoriâ ſe in hac miſeria ſolarentur.

Annum fundationis non attingit Chroniſta, facta tamen videtur tempore, quô modica, aut nulla ſpes tollendi interdicti affulſerat, imò quô Windeſemenſes hi nè quidem futurum aliquando in ſuum primævum monaſterium, ſeu Archiprioratum ſpondere ſibi poterant reditum: itáque annô circiter 1431, cùm tota illa abſentia annos quatuor non excederet: ſat tamen longum, nec *breve* in his circumſtantiis æſtimandum exilium, ùt cenſebat Revius injuſtus planè aſflictorum religioſorum Arbiter. Ad hoc igitur novum cœnobium Windeſemenſes Canonici juxtà loci ſcilicet illius exigentiam, ùt inquit Chroniſta, ſucceſſivè ſe tranſtulerunt. De reliquis hujus cœnobii ſatis nil ſcribendum ſuppetit, præter enim, quòd Buſchius in ſuo libro, quem de reformatione monaſteriorum ſcripſit, innuat, ſuis temporibûs, adeóque non diù poſt illius fundationem *Joannem Naetwik* Priorem ibidem præfuiſſe; inſuper, quòd nunc aut omninò exſtinctum ſit, aut ad alienas manus devenerit, nil aliud occurrit referendum.

Exſtitit propè Brefortium in Comitatu Bentheim. Buſchius L. 2. Chron. Wind. Cap. 61. idem de Refor. Monaſt. Cap. 2. Revius Davent. Illuſt. L. 1. pag. 104.

S. Mariæ in Redinghen. *Fundat.* ... *Exſtinctum.*

Virginum Canonicarum Prior. Wind. Cœnobii hujus notitia (ſi vel unam ejus exiſtentiam, & incorporationem Windeſemenſem excipias) nos penitùs fugit: Chronicon Bodecenſe in Catalogo Monaſteriorum Veſtalium illud quartó locô conſtituit, aitque *Retichen in Gelria Diœceſis Trajectenſis.* Capituli vèrò Windeſemenſis Ordinarium paucis adductis: *Domus,* inquit: *B. Mariæ in Redinchen propè Wageningen in Gelria Diœceſis Ultrajectenſis.* Idipſum Buſchius aſſerit in ſuo Catalogo, reliqua latent.

Exſtitit, ùt audivimus propè Wageningen nunc verò ſoli memoriæ relictum eſt. Cit. Catalogi.

Mariæ in ſylo Prioratus Windeſemenſis. *Fundat.* ... *Exſtinctum.*

Quod de pluribus aliis, in Hollandia cumprimis, exiſtentibus aliquando monaſteriis noſtri ordinis dudum ingemuimus, idipſum de hoc S. Mariæ in ſylo Windeſemenſi Prioratu repetendum eſt, nihil nempè notitiæ de eo ſcribendi nobis ſupereſſe, niſi, quòd aliquando membrum Congregationis Windeſemenſis

menſis exſtiterit, ſæpiùs citatis à nobis catalogis Buſchii, Chronici Bodecenſis, & ordinarii Windeſemenſis id breviſſima mentione inſinuantibus, hunc verò ſicut reliquos furore Sectariorum ſubverſum eſſe, pro certò habemus.

Exſtitit propè Emdam Metropolim Friſiæ Orientalis. Sæpè citat. Catal.

Fund 1420. Exſtinctum. S. Mariæ in Dumo propè Endoviam Prioratus Windeſemenſis. De hoc audiendus Chroniſta noſter: *Monaſterium*, inquit: novum *B. Mariæ* in Dumo propè Endoven, Leodienſis Diœc. an. Domini *vigeſimo* (id eſt 1420.) *M. Wilhelmum de Amſterdam, egregium in medicinis Doctorem in fonte B. Mariæ profeſſum ſuſcepit Doctorem, cujus incorporatio ſequenti annô viſitatoribus eſt commiſſa, ſi bona Monaſterii juſtô titulô invenerunt aquiſita, aliàs nullô modô. Tertiò demum annô ejus incorporatio iterum viſitatoribus fuit commiſſa, ſi ejus circumſtantias ſecundùm Deum invenerint bene diſpoſitas, ſicque tandem obſtaculis ejus ad plenum remotis ipſum monaſterium Capitulo fuit incorporatum.*

Exſtitit adhuc ad medium ſæculi 15, ùt videre eſt in Catalogo Chronici Bodecenſis, ſed ejuſdem nunc ſola ſupereſt memoria, nam, cùm teſte Gramayo annô 1419. locô peramænô per J. Schoonvorſtanum fundaretur, quòd virorum ſanctiſſimorum (inquit Gramayus) antea ſeminarium eſſet ædificiis ſplendidè auctum, & Duplicis fabricæ Eccleſiâ, bellis civilibùs, jam illius iſta tunc ſcribentis tempore exuſtum jacuit, religioſis Sylvamducis confugientibùs.

Diſtabat Endovia vix quartâ parte milliaris Germanici. Chron. Windeſ. L. 1. C. 42. Chron. Bodec. in Append. Gramay. in Taxandria pag. 29.

Fundat. .. Exſtinctum. S. Mariæ in Enzingen vulgò Domus Campi S. Mariæ. Prioratus Windeſemenſis. Fuit monaſterium ex primia ſui fundatione Ordinis S. Benedicti monialium; hæ autem, cùm propter diſſolutos mores, & vitæ regularis oſcitantiam (neglectâ ſcilicet religioſæ vitæ animâ) mox ad rerum tam ſpiritualium, quàm temporalium inopiam ſenſim dilaberentur, vir quidam nobilis Wilboldus nomine partium Friſiæ Capitaneus, Capitulo Windeſemenſi per Epiſtolam ſupplicat, ut præfatum cœnobium cum omnibus appertinentiis ſuis aſſumere, fratréſque illic cum inſtituto Canonico collocare dignaretur, paucis monialibus vetulis ſuperſtitibus aliô locô deputandis, ubi reliquum vitæ tranſigerent. Itáque legatione Henrico Loeder tunc Priori in Northorn impoſitâ, locus repertus eſt amplus omninò, & multitudini Fratrum Deo ibi ſervientium ſatis accommodus, omnibus hinc ad propoſitum exequendum ritè ordinatis poteſtate ſibi à Capitulo commiſſâ, *Henricus Arnoldum* Huls, quem Deus ſibi in multorum monaſteriorum reformatorem, & Rectorem jam dudum elegerat, circà annum 1417. in Rectorem præficit, adjunctis compluribùs exemplaris vitæ fratribùs laicis æquè, ac (ùt tum dicebantur) Choralibùs. Neque tamen defuerunt (uti plerúmque ſolet) tam Sancto incœpto operi adverſantium complura obſtacula: nam, ùt Chroniſta Windeſemenſis *Non modicam*, inquit: *Aceſalorum Friſorum perpeſſi ſunt vexationem, & peſtilentiam plurimùm graſſantem, itâ, ut plures eorum, quos ibi adunaverat, è medio ſublatos ad regna præmitteret cæleſtia* (Arnoldus ſcilicet) *idcircò autem*, inquit idem Hiſtoriographus, *tam multas, & graves in principio ibidem ſuſtinuerunt inimici tentationes, quia timor, quem timebat, ipſi evenit Diabolo, quia multa exinde millia animarum ex ore Leviathan in hoc loco, & ex hoc loco ad regna præparantur æterna*, & paulò infra:

infra: *Denique ait, ut accepimus, nunc habet in Ezingen & in Grangiis ſibi unitis circà ducentos fratres, & laicos, qui omnes Domino die, ac nocte devotè deſerviunt, plurimáque Ordinis noſtri, & aliorum monaſteria, ſororúmque beginaria per eos ſunt inſtituta, ſeu in melius reformata.* Hæc Author ille ſcriptor ſynchronus: ex quo intelligimus, præclarè planè illis temporibûs hoc cœnobium in ſanctitate floruiſſe: nec dubium, quin adhuc hodie illud priſtinæ diſciplinæ vigore exſtaret, niſi an. 1568. Cathedrali Groningenſi unitum paulò poſt unà ambo hæretica pravitas in ſpolium ſibi obtinuiſſet. Hinc pauca ulteriùs nobis ſuppetunt, quæ lectori curioſo enarranda reſervemus.

Exſtitit hic Prioratus in Friſia Orientali ad urbem Eſens quam antiqui Ezingen, aut Eſinzen dixére, quæ urbs diſtat quatuor milliaribûs germanicis ab urbe Nordeno dexteram versùs, & à mari Germanico paulò minùs milliari. Chron. Windeſ. L. 1. C. 42. idem in reform. monaſt. Cap. 6. Miræ. L. de Can. ſæc. C. 126.

Fund. circa an. 1431. Floret. **S. Mariæ in Melle vulgò Ten-Hole Prioratus Windeſem.** Hujus Fundatorem legimus virum Nobilem *Ludovicum van Hole* Civem Gandenſem in pago Melle ditionis Aloſtanæ Monaſterium conſtruentem pro 8. Canonicis, quorum duo converſi, reliqui eſſent Sacerdotes, vocatus primùm ex Iſaacano cœnobio mandante Joanne Cameracenſi Epiſcopo, Henricus cum quinque aliis religioſis, quibus an. 1431. litteræ fundationis extraditæ, ſed in Priorem juſſo Joanne de Mercia, qui clavum tenuit usque ad anni 1447. diem 6. Martii, quo obiit.

Tempore tumultuum Belgicorum hoc collegium graviſſimè vexatum, ac potiorem in partem exuſtum eſt, religioſis indè depulsis, & intra Xenodochium Hulſtanæ urbis aliquot annis commorari coactis, pace verò inducta, reparatam à ſuperſtitibus Canonicis cœnobium, è cineribus ſuis reſurgere cœpit, & nunc, ùt nobis relatum eſt, aliquanto decori reſtitutum. Annô 1713. Præſulatum ſuſcepit Reverendiſſimus Laurentius Floris, quem annô adhuc 1730. præſediſſe percepimus, & à quo ampliora documenta hujus ſui cœnobii ſperamus.

Situs èſt hic Prioratus ad dextram Scaldis in Pago Melle, ſeu Melna uno mill. German. infra Gandavum. Hiſt. Mechl. Tom. 2. p. 291. Mir. De Orig. Can. Reg. Buſch. L. 1, Cap. 45.

Fundat. Exſtinctum. **Mariæ Montis Virginum Canonicarum Prioratus Windeſ.** Hunc Parthenonem (inter primos, qui Congregationi Windeſemenſi uniri voluerunt) ultimum referunt omnes à nobis ſæpiùs memorati Catalogi: in Buſchiano hæc habentur: *Monaſterium Montis B. Mariæ propè Novimagium Diœceſis Colónienſis.* In Bodecenſi iſta: *Mons B. Mariæ juxta Novimagium Diœc. Colon.* In ultimo demum hæc: *Domus B. Mariæ in Novimagio in Gelria Diœceſ. Colon.* Addit hiſce Miræus: *Nunc Ruremundenſis* eſt nunc valetudinarium, ſeu noſocomium.

Ut verò vidimus ex Buſchio, & Bodecenſi Catalogo hoc cœnobium propè Novimagium olim conſtitiſſe, pariter eidem hunc ſitum in Mappa aſſignavimus. Mir. L. de origine Can. Reg. Cap. 13. Catal. cit.

Fund. circa an. 1392. Exſtinctum. **S. Mariæ novæ lucis Prioratus Windemenſis.** Hujus fundatores devotiſſimi Sacerdotes, & Magni Gerardi Diſcipuli fuerunt *Gerardus de Horn, & Paulus de Medenblic.* Non longè poſt annum fortaſſe 1392, ùt colligitur ex ordine Catalogi primorum Windeſemenſium Monaſteriorum; dicitúrque ſecunda filia de Windeſem, primum locum monaſterio fontis B. V.

B. V. obtinente. Floruit in eo *primus Prior Wernerus Keynkamp.* 18. *annis in omni religione & regulari diſciplina viâ regiâ incedens, ſtrenuéque gubernans, regulam, & ſtatuta ſtrictiſſimè ſervans, & in temporalibus, Spiritualibúsque rebus ipſum bene promovens*, ùt ſcribit Chroniſta Windeſemenſis. Hoc autem cœnobium æqualem ſortem tempore ſubverſæ (in partibus Hollandiæ) fidei Catholicæ ſubivit, cum reliquis pereuntibus monaſteriis periens.

Exſtitit, prout conjicimus non longè ab Hoorn urbe, ubi pariter illud poſuimus. Chron. Wind. L. 1. Cap. 24. & 37. & L. 2. C. 33.

Fundat. an. 801. ſecular. Mariæ: nunc S. Donatiani Eccleſia Cathed. olim Præpoſitura. An. 801. inchoata, & ad perfectionem à *Balduino* ferreo Flandriæ Comite perducta, dedicata primùm dicitur Virgini Matri, cùm verò *Ebo* Remenſis Archiepiſcopus eandem S. *Donatiani* corpore annô 842. nobilitaſſet, ab hoc adeò nuncupationem obtinuit, ut jam paſſim S. Donatiani audiat. Hæc Eccleſia plurimis damnis attrita eſt incurſu Hunnorum, hinc Arnulphus Magnus Flandriæ Comes illam ùt alter penè fundator dotavit, bona ablata recuperavit, decimis auxit, plurimáque beneficia ad Canonicorum vitam devotè agendam contribuit, ac præcipuè *duodecim præbendarum numerum in ipſa Eccleſia ſtatuit: & voluit, quòd duodecim ibidem præbendati in eadem capella ad honorem Dei, &c. diù, noctúque horis congruis, horas Canonicas pro vivis & defunctis devotè celebrent, & ſacrificia offerant.* Quod ab eo præſtitum eſt annô 962, ùt ex donationis charta patet: Hi verò Canonici Regulares fuiſſe videntur noviſſimo Galliæ Chriſtianæ Editori, *non enim*, inquit: *aliò quàm fratrum Eccleſiæ appellabantur olim vocabulô, quòd nimirum in Communi viverent, licèt nullis forſan adſtricti votis, uti patet ex lectionibus, quæ recitantur in feſto S. Donatiani, ſed & ſuperſunt adhuc loca ſcholæ, Cænaculi, Dormitorii, culinæ communis, imò cellarum, in quibus ſolebant olim feſtis majoribus quieſcere.* Hæc ille. Verùm quidnam ex lectionibus (quæ recitantur in feſto S. Donatiani) patet? an, quòd nullis votis adſtricti fuerint Canonici? an, quòd communiter & regulariter vixerint? iſtud lectiones ex antiquiſſima traditione referunt, illud ex earum compilatoris authoritate, cujus ætas tanta non eſt, ut fidem mereatur, quâ Canonicis illis vota penitùs negentur. Exploratum quidem habeo, verba Sammarthani relata ex Gramayo propè ad litteram deflorata eſſe, cujus tamen in hoc paſſu non major, quàm cujusvis Scriptoris recentioris *aſſerentis* authoritas eſt. Nobis intereà, nè & ipſi aſſertores tantummodò incuſemur, ſuffecerit, ex principiis, & fundamentis jam alibi poſitis arguere, vel hôc ipsô, quòd Canonicos Donatianos ob manifeſta illa indicia ſcholæ, cœnaculi, Dormitorii, cellularum &c. regulariter vixiſſe certum ſit, etiam votivos fuiſſe, concludere oporteat ex regulæ Aquisgranenſis obſervatione, cujus intuitu, dum eidem ſubjecti paſſim ſe votis ſimplicibûs Deo obligabant, rem minùs ſcrutantibus, aut vitæ votivæ Canonicæ minùs faventibus Scriptoribus, id demum occurrit effugium, ut *regulares* dicerent, id eſt, annuerent ſecundùm regulam vixiſſe, ſed negarent vota emiſiſſe, quæ tamen (ſeu regulam Chrodegangi, ſeu Aquisgranenſem, ſeu Sylveſtri, ſeu Urbani &c. ab illis obſervatam concedant) eò minùs ab eorundem regularitate abſtrahere poterunt, quò certiùs habemus, cuíque dictarum regularum, obſervantiam votorum expreſsè inſertam fuiſſe, donec fraude quorundam, quidquid eæ regulæ (& disertè quidem Chrodegangi, ac Aquisgranenſis) votorum religioſorum, ac præcipuè expropriationis continerent, ſup-

ſupprimeretur, prout de Aquisgranenſi ex Deſnoſio, & de Chrodegangiana ex Labbæo contra editam à Dacherio, in Exegeſi noſtra probavimus, atque oſtendimus. Quòd verò dicamus, S. Donatiani Brugenſes Canonicos ſecundùm Regulam Aquisgranenſem, vel Chrodegangi vixiſſe, id aſſerere cogit ipſa etiam ab adverſariis conceſſa regularitas, quæ ſe non alteri (ſæculô octavô, nonóque) niſi uni earum, ac præcipuè Aquisgranenſi (Auguſtini regulam pariter complectenti) conformabat, id dico, ne dum fortè Auguſtinianam noſtram illis Canonicis adjudicâſſem, nimius fuiſſe reprehenderer.

Quamdiù in regularitate Canonici Brugenſes hi perdurârint, non eſt pervium, verba Gramay adſciſco: *Degenerârunt*, inquit: *Canonici ab hac morum ſeveritate bellis frequentibûs, & difficillimis viam libertatis aperientibûs.* Nunc ab ann. 1559. in Cathedralem evecta Præpoſituræ dignitas (quâ, anteà ſemper electionis libertate pluribûs Privilegiis Congregationi Canonicorum attributa, Collegium hoc S. Donatiani gaudebat) Epiſcopo acceſſit, teſte eodem Gramayo.

Exiſtit in urbe Brugenſi, eſtque ipſa Epiſcopalis. Gall. Chriſt. T. 5. col. 241. Gramay in Primitiis antiq. Brug. P. 4. c. 2. & 4. Mir. Cod. Donat. piar. Tom. 1. cap. 34. pag. 43.

Fund. 1394. Exſtinct. **S. Mariæ Paradiſus Amſtelodami. Prioratus Windeſemenſis.** Fundatus eſt annô 1394. de licentia, ùt refert hujus Capituli, ſeu Congregationis Chronicon, *Frederici* Trajectenſis Epiſcopi, & *Alberti* Hollandiæ Comitis. Exſtructô inter breve tempus humili monaſteriô templum ad faſtigium deductum eôdem adhuc annô *Hubertus* Trajectenſis Suffraganeus in die *S. Thomæ* ſolenniter dedicavit, duósque ibidem ſeniores Fratres *Joannem Goltſchmid*, & *Paulum de Burſalia* eodem die inveſtivit, ac ad Profeſſionem ſuſcepit, dein poſt quinque annos primo Priore ex Windeſem illinc conſtituto *Joanne Ottoni de Zuzato*, Virô omnem regularem profectum poſſibili planè anniſu procurante. Cùm annô 1452. exortô lamentabili urbis incendiô terribilis flamma ipſo die *S. Urbani* Papæ Martyris majorem ejus partem devoraret, & præcipuè in devotorum Fratrum, ac Sororum Congregationes adeò deſæviret, ut quatuordecim monaſteria ad ſolum usque conſumeret, hunc tamen Prioratum, favente Dei clementiâ ne tetigit quidem, neque contriſtavit. Sed cui tunc caſu erumpens pepercit incendium, in interitum deinde fuit à dæmone inflammata, & malitiâ hominum ſuccreſcens Secta Calviniana, quâ in omnia Dei loca exæſtuante, & hic Prioratus coactus eſt perire.

Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 38. & 43. Chron. S. Agnetis. c. 26.

Mariæ Præſentatæ in Ooſtmall Virginum Canonicarum Prioratus. Fund. 1494 Floret. Fundatus eſt annô 1494. à *Joanne van der Schuren* hujus loci Indigena. Perſtitit autem iſthìc usque ad annum 1621. quò Batavorum iterum adversùs Hiſpanos rebellantium inſolentiæ cedere coactæ Virgines relictô inſecuritatis ſolô ſeſe Antverpiam receperunt. Ubi juxtà forum Bovinum Ginæceum ſuum erigentes noſtro adhuc tempore religioſè perſeverant.

Hiſtor. Epiſc. Antverpienſ.

S. Mariæ Thronus. Prioratus. Fund. 1414. Exſtinct. Annô 1414. fundatus ab *Arnoldo* de Crayenheim Domino in Grobbendonc, & Conthorali ſua *Joanna* de Steyvoirt, dantibus ſcilicèt *in puram* (ùt in ſuis litteris inquiunt) *eleemoſynam Priori, ſeu Præfecto generali, & Capitulo Windemenſi Canonicorum Regularium Ord. S. Augu-*

ſti-

guſtini bona ad exſtruendum monaſterium, quod per modum Carthuſianorum claudetur in honorem Dei, ejúsque Genitricis Mariæ pro ſex religioſis presbyteris ejusdem Ordinis S. Auguſtini, ad Miſſas, & alia ſervitia Divina, in dicto loco perpetuis temporibûs celebranda: qui quidem numerus poterit augeri usque ad quindecim in memoriam quindecim gaudiorum Deiparæ Virginis, quibus Presbyteris adjungi poterunt tot converſi, & Donati, quot ipſis videbuntur aſſumendi: eâ tamen conditione, quòd nemo adſumetur, niſi cum Concilio, & conſenſu Prioris Windeſemenſis, & Priorum Cartuſiæ Zelemenſis, & Antverpienſis &c. Exinde autem hæ litteræ ſunt mutilæ, quas ob hujus ipſius conditionis caùſam fortaſſe in iis ſubjectam nôſſe deſiderarem: cæterùm id quidem ex Buſchii Chronico Windeſemenſi diſcimus, tantô fervore primos fuiſſe Windeſemenſes Canonicos ſucceſsos diſciplinæ regularis inviolatæ conſervandæ, ut præcipitium, & ruinam à recto tramite veræ religionis, & regularis obſervantiæ per frequentem extra monaſteria ſua digreſſionem non minimè formidantes, *& in futurum præcavere cupientes, includi ſe ad morem Carthuſienſium à Venerabili Capitulo inſtanter poſtulârint.* Non omnes Conventus, néque ſimul; ſed ſeorſim temporibûs diversis. Reſtiterant autem non modicè quidam ex Canonicis prætendentes, id ordini Canonico, & regulæ S. Auguſtini non congruere: Tandem id evictum, ut concederetur petentibus, nemo tamen obligaretur quôdam conſtitutô: Narrat dein Buſchius formam incluſionis, ac profeſſionis ad eam perpetuò ſervandam, tandem enumerat monaſteria, quæ eandem receperant, & inter illa hoc ipſum monaſterium *Throni B. Mariæ* in Grobbendanck ordine Nonum, at de conditione illa neminem *adſumendi ſine conſenſu Priorum Carthuſiæ &c.* nihil memoratur. Unde exiſtimem, rationem hujus requiſiti conſensûs ſubeſſe quandam privatam in Carthuſienſes devotionem, aut confidentiam, quò minùs unquam Canonici hujus cœnobii à ſemel propoſita incluſione præfatorum duorum Priorum vigilantiâ reſilirent. Hic Prioratus injuriâ Bellorum, in Cineres ad initium prioris ſæculi verſus, in ruinis deliteſcit. Vide, quæ dicimus de Prioratu S. Martini Lovanii.

Diſtabat mediô milliarî Germanicô ab Herentalia Brabantiæ urbe, adjacens ad Natham fluvium. Buſch. Chron. Wind. L. 1. C. 46. Mir. L. de orig. Can. Reg. Cap. 13. & 55. idem donat. Belg. L. 1. C. 144. Le Roy. notit. Imp. p. 223.

Mariæ Vallis Virginum Canonicarum Prioratus.

Fund. 1419. Floret.

Dieſthemium Nobilis, & ampla civitas, priſtiníſque temporibus celebrata, cùm dudum pietate, ac religione in Deum, ejúsque ſanctos niteret, primum omnium, quod virgineæ puritati conſervandæ clauſtrum exſtruxerat, Vallis hæc erat, annô 1419. tanto Theſauro deſtinatum conditorium: Nam pluribus devotis Matronis de exſtruendo monaſterio inter ſe conferentibus Civis quidam *Arnoldus Rumelaus* apud Gramayum *Ouverlants* dictus, cum conjuge ſua *Eliſabetha Nys* manum adjutricem miniſtraverat, domum ſcilicèt propriam cum adjacentibus agris offerens pleniſſimâ liberalitate: ad piæ intentionis executionem in conſilium accerſitur *Joannes Holaer* Prior Betlehemiticus viro illi peculiari familiaritate (quod filium ejus religioſum ſibi ſubditum haberet) conjunctus, virtute inſuper inſigni notatus, utpote Magni Joannis Rusbroquii aliquando diſcipulus: Prior itáque promptæ adeò voluntati omnem operam ſuam adjicit propoſito deſerrituram.

Quamvìs verò tum *Joannes Waldenrodius* Leodienſis Epiſcopus, ipſéque

ſeque *Arnoldus* fervente jam opere morte tollerentur, nec minùs *Joannes Holarius* Prioratui Viridis Vallis præficeretur, ſicque omnis ſpes promovendi conatûs videretur ſuccifa, Deò tamen novis ſubſidiis opitulante, factum, ut *Holarius* molimini intento etſi multum eâ urbe diſſitus, ſe non ſubtraheret, viduam enim Eliſabetham omni annixu hortatus eſt, ut ceptò tam præclarò per maritum conſiliò ne deſiſtat, ſed gravaminibus occurrentibus adjungat laborum merita, & quò difficiliore operâ impensâ, eò majorem ſibi mercedem imminere confidat. Perſuaſa mulier, præcipuè, cùm ſua quoque monita adderet *Joannes Kenens* Prior tunc Betlehemiticus, & civis Dieſthemienſis, mandat effectui ſui Mariti propoſitum, monaſteriúmque exſtruit, quod eòdem adhuc annò ſcilicet 1422. *Joannes* Hensbergius Epiſcopus Leodienſis ſuò privilegiò confirmat, dato nomine eidem Parthenoni *Vallis B. Mariæ, & S. Catharinæ*, vulgò hodie *Marien-Dael* nuncupato.

Prima Colonia ex Cœnobio S. Mariæ in Neomago Geldriæ oppido hùc deducta, inſtitutum Canonicum cum Regula *S. Auguſtini* implantavit, annóque dein 1423. clauſuram die 10. Auguſti, eámque adeò perpetuam, ac firmam ſuſcepit; ut graſſantibus per Belgium Heterodoxis (& quod maximè) omnium facinorum Authoribus Geuſiis militibus Dieſthemium ferrò, igne, ac ingenitâ ſuâ laſciviâ depopulantibus, cùm paſſim Virgines ſacræ clauſtris dimiſsis ſibi de fuga conſulerent, hæ ſolæ tanquam fortiſſimæ Amazones ſtationem ſemel ex voto præfixam immobiles conſervarent, ne unâ quidem, etiam manifeſtis hoſtium incurrentium comminantibus periculis, è ſuo clauſtro dilapsâ. Ut adeò ab ipſo anno 1423. usque nunc recluſorium ſuum, ac trecentos, & ultra annos inviolabiliter cuſtodiant, dignæ omninò, ut earum monaſterium Archiepiſcopus Mechlinienſis *Jacobus Boonen* (ab anno 1620. ad 1655. hanc ſedem moderans) coronam omnium monaſteriorum ſibi ſubditorum nuncuparet. Neque hic diſſimulandum, quod de hoc ipſo Parthenone Gramayus ait, vixiſſe in eo quandam *Margaretam Traciniacam*, & præfuiſſe Virginibus eximia ſanctitate, nos à Windeſemenſis Congregationis Præſulibus, quibus hujus Venerabilis Antiſtitæ acta incognita eſſe non poſſunt, planiorem informationem obtinendam ſperamus.

Exiſtit in Urbe Dieſthemienſi. Wichman. Brab. Mar. L. 3. c. 37. Hiſt. Mechl. T. 1. p. 239. Zeiler. Topog. Brab. p. 50. Gram. in Lovan. p. 68.

S. Mariæ Viſitationis propè Harlem Prioratus Congregationis Windeſemenſis.

Fund. circ. an. 1406. Extinct.

Fundatorem habuit *Hugonem Golſmit* Presbiterum circa annum 1406. Sed, cùm bona ab eodem collata pro conſtituenda Canonicorum regulari ſocietate non ſufficerent, dilata eſt ejusdem loci incorporatio usque ad ſeptimum annum, quò demum duo ſubmiſſi ſunt Religioſi, qui Horas Canonicas illic pariter dicerent, & Miſſam legerent, ſequenti verò annò 1414. data eſt licentia, ut iidem præmiſſi Clericos ad perfectam conſtituendam communitatem aſſumerent, inveſtirentque, in quo eòdem locò paulò poſt *Joannes Kempis* ordinatus eſt Prior tam excellenti virtute ibidem omnes ſibi commiſſos moderans, ut brevi tempore nulli cederent in exercitio, ac profectu Sanctitatis; quod cùm ſeptem annos continuos perfeciſſet, & in bonis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus monaſterium egregiè firmâſſet, alteri clavum committens, cujus nomen nobis incognitum, reverſus eſt in Windeſem:

ſem: clauſura Regularis in illud annô primùm 1444. inducta eſt. Ipſum verò hoc cænobium in communi ruina pariter periiſſe auguramur, cujus reliqua facta úsque nunc nos penitús effugiunt.

Situm fuiſſe illud propè Harlem diſcimus ex Chroniſta Windeſemenſi, cùm autem certum ejus locum ignoremus, eidem urbi opinariè illud in Mappa adjecimus. Chron. Windeſ. L. 1. c. 39. Chron. S. Agn. c. 24.

Fundat. an. 1387. Extinctum.

S. Mariæ Archiprioratus Congreg. Windeſemenſis, ejúsque Caput.

Devenimus ad illius Cœnobii deſcriptionem, quam, ſi ſecundùm factam notitiam, inſtitueremus, ultra modum præfixos brevitatis limites transgrederemur; hinc magis quàm unquam aliàs iſthic Laconici erimus, pleraque ad ipſum promiſſum opus differentes.

Fundatum eſt autem hoc profectò Angelicum monaſterium annô 1387. in loco Windeſem dicto, quem ſibi aliquot in domo Magni illius *Gerardi* Daventrienſis colligentes Clerici elegerunt, ut conſilio hujus piiſſimi Patris, quod ipſe eisdem moriens dederat, obſequerentur, ſcilicet: *ordinem*, inquiebat: *Canonicorum Regularium laxiori regulæ inſervientem, omnibus penè Deo in religione ſervire volentibus bene congruentem, in loco, quem Dominus elegerit, quantocyùs aſſumere debetis, quia non multum à veſtra jam devota converſatione videtur diſcrepare, niſi quod in illo profeſſi ſervant ex promiſſione, & voto, vos ſine voto ſervatis, Charitatem videlicet, & tria ordinis vota ſubſtantialia.* Huic ergò monito obſecundantes poſt mortem ejus, locum mox congruum exquiſièrunt, præeunte ad id opus exequendum *Joanne Brinkerinc* ejusdem Gerardianæ ſocietatis Clerico, atque alumno. Compertô igitur tali locô in Velva propè Hatten in partibus Gelriæ, conſenſu etiam ad hoc à Duce Gelriæ *Wilhelmo* obtento, licentiam indè ab ipſo Trajectenſi Epiſcopo *Florentio* expetere conſtituerunt, quibus ſupplicibus licèt alioquin non diſſentiret de propoſito, diſſentiebat tamen de loco, volens, ut in palis potiùs, ac terminis Dominii ſui temporalis, & non aliorum ſæcularium Dominorum diſtrictibus illud ædificarent, promittens ſe in omnibus tunc eos habere promotos, privilegia etiam ordini, & monaſterio profutura ſe libenter conceſſurum; quibûs auditis *quaſi à Deo inſpiratum gratanter ſuſceperunt conſilium, habentésque ſecum juvenem Bertoldum ten Have olim jam per Magiſtrum Gerardum converſum, mox jure hæreditario ex ſucceſſione paterna bonum quoddam alodium in Windeſem poſſidens cum omnibus agrìs & proventibus ultrà trium millium florenorum in valore liberè & ſpontè propter Deum, & animæ ſuæ, ac progenitorum ſuorum ſalutem, contulit, & donavit.* Acceſsêre dein & aliæ donationes, ac dotes perampla, sícque omnibûs largitionibûs debito inſtrumento de Jure annô 1386. firmatis conſenſúque accedente Epiſcopi, annô 1387, ùt diximus, exordium datum eſt huic dein à loco ſic dicto Windeſemenſi cœnobio. Quamvìs enim mox à loci electione, & traditione ſex ibi fratres, ut eum incolerent, conſtituerentur, necdum tamen antè dictum annum in monaſterii ſtructuram ſurrexit: nam, ùt ſcribit Chroniſta Windeſemenſis, *cùm locum illum totum ſalicibus quibusdam circumplantatum ſine hominum habitaculis reperiſſent, patienter, & humiliter ſe continuerunt, donec ſibi ipſis ab imbrium, ventorum, frigorum, & calorum injuriis Caſulas, & umbracula occurrerent præparare. Continuò námque tuguria, & parvas domunculas de lignis communibus, luto & viminibus ſimplici modò compaginatas, ſtraminibûs contectas pro prædictis ſex fratribus, & pro matronis Divitibus, & devotis tunc ſororibus ſpiri-*

ſpiritualibus ipſorum erigere, & componere ſumma alacritate feſtinabant. Quibûs Coloniis uſi ſunt ad annum usque ſubſequum; cùm demum ultrò concurrentibûs benefactoribûs plurimis regulari, ac requiſita forma monaſterium eſt exſtructum *totum quidem de coctis lapidibus, ſed tecto arundineo, exceptâ Eccleſiâ, & ambitu circa eam, refectorio etiam & braxatorio, quæ panneis lapidibus* (id eſt tegulis, ùt habet Cangius in hunc locum) *cæmentô contexerunt.* Vocat autem Chroniſta noſter hoc totum ædificium *ingens opus*, néque etiam crediderim modico illud circuitu fuiſſe definitum, utpotè quod paulò poſt non paucos intrà limites ſuos habitatores continuit, prætèrquam, quòd ejus erigendi intentio ad eximiam turmam congregandam collimaret: nam, ùt iterum obſervat Chroniſta, *poſtquam (illô aptè jam diſpoſitô & in ædificiis fermè conſummatô) Dominus Florentius, & Patres Dominum Florentium, Trajectenſem Epiſcopum humiliter ſupplicârunt, ut ordinaria ſua auctoritate confirmare, & per ſuum ſuffraganeum conſecrare dignaretur. Hic verò quamvis celeriori eorum profectui quamplurimùm congauderet, cùm tamen, an ipſum monaſterium pro tali ordine, & ſuis perſonis in obſervantia regulari cum familia competente convicturis redditus, & proventus ſufficientes haberet, diligenter inquireret, iis examinatis, reſpondit: hæc bona veſtra temporalia pro TANTI NOMINIS monaſterio nequaquam ſufficiunt &c.* Ex quo patet animum cum Epiſcopo, tum fratribus ipſis fuiſſe non qualiscúnque, ſed celebris omninò, ac magni Nominis fundandi monaſterii, quod etiam factum fuiſſe probavit eventus. Auditâ námque causâ dilatæ ab Epiſcopo conſecrationis hujus loci, *Aleydis Nobilis* fœmina, atque prædives ſtatim unà cum filiis Epiſcopum conveniens, omnia ſua hæreditaria bona ducentorum florenorum (tunc magnæ ſummæ pretium) ad perpetuam monaſterii utilitatem liberè, & ſponte reſignavit. Quæ bona Epiſcopus unà cum ſuperiùs memoratis inter ſpiritualia conſtituit, nulli deinceps Juriſdictioni temporali ampliùs ſubjicienda, *ab omnibus etiam oneribus, exactionibus & ſervitiis quibuscúnque liberans, quitans, & exonerans.* Adjecit etiam ſollicitus planè Pater, ut videlicet bona temporalia dicto monaſterio in futurum acquirenda, non unius *tantùm Principis, ſed in duorum, aut trium Dominorum diſtrictu temporali procurare, & comparare laborent; ne bellis, & Gveris inſurgentibûs à vita ſua ſua ſancta, egeſtate prægravati temporalibûs deficientibûs, mendicare, vel ab invicem diſcedere cogerentur.* Videtur ſanè hoc conſilium aliquam nobis lucem miniſtrare, quâ experiri liceat, cur præcipuè in Germania noſtra videamus plurima monaſteria adeò in diſperſis, imò longè diſſitis locis bona ſimilia ad hæc usque tempora (cujus multi hactenùs cauſam, originémque quæſiêrunt) poſſidere. Cùm verò his ordinatis tempus jamjam accederet, quô inveſtiri, & Canonicum inſtitutum hoc in loco aſſumere deberent ſuperiùs memorati ſex delecti viri, ut firmiore fundamine pium propoſitum inchoarent, continuaréntque, in proximum Cœnobium Eymſteinenſe quæque ad amuſſim Ordinis edocendi properârunt: Quod cùm felici omninò obtinuiſſent effectu, rediiſſéntque ad propria, incredibile propè eſt, quanta devotione animi, quàm enixa interioris ſpiritûs ab omni, vel minima terrena labe expurgandi operâ ſeſe hi Viri ſancti præparaverint ad hoc novum vitæ genus excellens planè, & eximium amplectendum. Hæc qui ſpeciatim percipere cupit, Chroniſtam noſtrum adeat, ſingula integro capite ad oculum enarrantem.

Annô itaque ſæpè fatô 1387. decimô ſextô Kalendas Novembris, hoc eſt, 17. Octobris, Trajecten-

ſis Suffraganeus *Hubertus* Ippuſenſenſis Epiſcopus Eccleſiam cum ſummo Altari in honorem B. & Glorioſæ Virginis Dei Genitricis *Mariæ*, & *S. Auguſtini* Epiſcopi devotè conſecravit, Beatam Virginem *Mariam* Principalem Monaſterii, ac Eccleſiæ in Windeſem Patronam eſſe conſtituens. Conſecratione Eccleſiæ peracta Epiſcopus ſe ad Deo dicanda templa viva convertit, novis ſanctæ Religionis veſtibûs juxta Ordinis exigentiam apud ſingulos decenter compoſitis, quibûs adductis, & ad gradum Sanctuarii proſtratis præfatus Suffraganeus, adhibitis Solemnitatibûs ad id conſuetis primùm omnium Dominum *Henricum* de Huxaria Sacerdotem habitum ſæcularem exuens, habitu induit Canonicorum Regularium, qui ſolemnem ſtatim coram Altari eidem Suffraganeo, & cæteris adſtantibus alta voce legit, & perfecit Profeſſionem. Subdit poſtmodùm Chroniſta noſter tam *Henrici*, quàm aliorum quinque, ſcilicet *Werneri* Keynkamp de Stoiben, *Joannis* de Kempis, *Henrici* Wilde de Buſcoducis, *Henrici* Wilſen de Campis, & *Bertoldi* ten Have de Zwollis hujus loci collatoris, ac, ùt vidimus, Benefactoris eximii, Profeſſionis formulam, in hoc ab invicem diſcrepantem, quòd Henricus obedientiam ſponderet Epiſcopo, reliqui verò Prælato Canonicè inſtituendo, de qua diverſitate Profeſſionum hæc ſcribit Chroniſta noſter: *Inſtinctu Spiritûs S. credimus eſſe factum, quòd Fratres noſtri primitivi non Epiſcopo Trajectenſi, aut ejus vicem gerenti Suffraganeo, ſed Prælato ſuo futuro Canonicè eligendo ſolemnem præſtarent obedientiam, poſt ipſius Confirmationem à ſingulis vivæ vocis oraculô in Capitulo reiterandam, quatenùs non alicui alienæ poteſtati, nec quantùm de jure communi tenerentur ſed tantùm proprio, & immediato ſuo Prælato ſe redderent obligatos, magnum, & perutile poſteris ſuis relinquentes exemplum, ut à nimiis Principum hujus ſæculi familiaritatibus, præſentiis, obligationibus, curiis, & promiſſis, quantùm cum Deo poſſunt, omninò ſubtrahant ſe, & abſtineant, & propriis ſuis Prælatis, & Conventibus, ſuóque generali Capitulo integrè, & humiliter ſe uniant, & ſubmittant, ſi animarum ſuarum, & monaſteriorum temporalem, & ſpiritualem profectum conſequi concupiſcunt.*

Omnes hi ſex noviter inveſtiti viri erant morum integritate, religioſæ obſervantiæ zelô, ac denique ſcientiâ eximii, veræque columnæ exurgentis tantæ Congregationis, quam per aliquot jam ſæcula nulli intercurrentes adverſitatum turbines ſubvertere prævaluerunt, aut demoliri: ipſum quoque monarium horum ſanctiſſimorum Virorum induſtriâ inter breve tempus tam egregia incrementa obtinuit, ut accurrentes tanquam ad certiſſimum portum ſalutis è *diverſis, diſſitiſque Regionibus Juvenes, Nobiles, Clerici, multique etiam in ſæculari dignitate eminentes mundum abjurarent, ſacrùmque inibi Canonicum inſtitutum* ſuſciperent, adeò quidem, ut paucis intercurrentibûs annis habitacula licèt immodica, ipſa quoque Eccleſia tot ad divina ibi percipienda convenientibus anguſta nimis eſſet. Unde Joannes Huesden ſecundus ejus loci Prior dormitorium tam Occidentale, quàm Orientale elevando ampliare coactus eſt, qua extenuatione ædificii necdum ſufficiente, ut tot incolas caperet, de novo iterum ſub Wilhelmo Vornken quarto ibidem Priore Cœnobium dilatatum eſt. Sed his de materiali Windeſemenſis Eccleſiæ augmento breviſſimè delibatis, ad præclariſſimam inſtituti Canonici in eodem reſtaurationem, ac profectum deflectimur: In hoc enim tota opera horum ſanctorum hominum deſudabat, *ut Fratres primitivi, per quos Ordo Canonicorum Regularium* (verba ſunt Chroniſtæ noſtri) *à primæva ſui inſtitu-*

ſtitutione in hac noſtra Regione dudum miſerabiliter prolapſus in priſtinum regularis obſervantiæ ſtatum, & ſpiritualis vitæ diſciplinam reformari, reviviſcere, ac reflorere ſperabatur, debitè inſtituerentur, & veræ Religionis fundamentum in eorum cordibus, & moribus firmiſſimè complantaretur.

Cumprimìs igitur præter *S. Auguſtini* regulam jam aſſumptam, certis inſtitutionibus magìs particularium operum ſeriem, modúmque præſcribentibus conficiendis animum applicuerunt, ad quas formandas deputati ſunt *Henricus Wilde* (cujus doctrinam, vitæque ſanctitatem, & complures revelationes in ſpeciali enarratione deſcripſit hic Chroniſta noſter) *Joannes Kempis, Arnoldus Kalker, Henricus Wilſem, Joannes Broechnys, & Gerardus Delft*, omnes planè eximii, veráque divini Spiritûs habitacula, à quibus nil aliud expectari poterat, niſi merum divinæ Rectricis Sapientiæ oraculum. Hi ergò colligentes de diverſis Ordinis Canonici monaſteriis diverſarum Provinciarum inſtituta antiqua æquè, ac recentia, & quaſi argumentoſæ apiculæ pretioſa quæque ad diſciplinam fundandam, ſtabiliendámque maximè idonea elicientes, & maturô judiciô conferentes demum volumen aliquod ſtatutorum congeſſerunt, congeſtum autem omnibus Confratribus, ac Concanonicis approbandum tradiderunt. Erant jam tum annô ſcilicet poſt fundatum monaſterium Windeſemenſe tria alia eidem unita, Eymſteinenſe, Fontis B. Mariæ propè Arnhem, & Novæ lucis propè Horn, quæ ſingula in propoſitas conſtitutiones unanimi conſenſu jurârunt, ſícque eôdem annô primô Capitulô celebratô decretum eſt, illud ab univerſis etiam poſthàc uniendis Cœnobiis omni annô ad Dominicam: *Miſericordia.* iterandum, omniáque in præfatis conſtitutionibus contenta ad unguem ab univerſis obſervanda; quæ ut ſolida auctoritate firmarentur, expetita eſt à ſummo Pontifice eorum omnium confirmatio, quam etiam *Bonifacius* IX. paterno favore annô 1395. propriâ ad hunc finem extraditâ Bullâ cum amplis privilegiis conceſſit, & *Martinus V.* annô 1420. gratioſiſſimè approbavit, prout hujus Bulla expreſsis terminis declarat data *dilectis filiis in Windeſem & Salvatoris mundi in Eemſtein; ac Nemorum B. Mariæ propè Noerthoena, nec non S. Mariæ Viridis Vallis, S. Pauli Rubea Vallis, & S. Mariæ in Korſendanck, aliorúmque Capitulo Generali de Windeſem ſubjectorum per Priores ſolitorum gubernari Ordinis S. Auguſtini.* In hoc igitur Pontifex præmiſſo ingreſſu, de diverſitate Religionum Eccleſiam ſponſam Chriſti non mediocri venuſtate decorante, in hujus ſacræ congregationis laudem, ac approbationem ſequentia inter cætera ſubjungit: *ad hanc ſanè,* inquit, *mirabilem pulchritudinem, quâ ſplendet, & ſplenduit quaſi quadam varietate circumdata ipſa mater, retrò actis temporibus adjecit plurimùm ordo veſter, qui ſicut à ſuis primordiis poſt Beatos Apoſtolos Chriſti per regularia S. Patris Auguſtini inſtituta luculenter per orbem effloruiſſe dinoſcitur, ita etiam nunc divina propiciante gratiâ, his noviſſimis temporibùs eundem ordinem in monaſteriis veſtris per diſciplina regularis, & fraterna viſitationis obſervantiam, felici pullulatione reflorere, & uberrimam exinde animarum frugem Deo referri læti gratulamur; undè nimirum ſedes Apoſtolica non ſolùm ſe vobis gratioſam reddere habet, verùm etiam largifluas in tanta rei favorem, manus (veſtram hactenùs cauſam tanquam ſibi ſubſervientem promovendo, dirigendo, & conſervendo) porrigere deliberat adjutrices.* Exindè deſcendit Pontifex ad ſingularia, confirmando ſcilicèt ante omnia capitularem monaſteriorum colligationem, & in perpetuum omnia monaſteria hujus congregationis unum capitulare corpus efficientia, ac inſeparabiliter conjungendo;

præterea concedendo, ut quæcúnque alia monaſteria ordinis ejuſdem vel fundata jam, vel adhuc fundanda, dummodo duæ partes uniuſcujúſque talis monaſterii in hoc conſenſerint, & conſenſus Diœceſani acceſſerit, poſſint ſe liberè huic generali capitulo ſubmittere, colligare, & confirmare, ac etiam omnibûs & ſingulis gratiis & privilegiis eidem capitulo conceſsis, & concedendis uti, & gaudere: exinde relaxat omnes à conſtitutionum Benedicti XII. obſervatione, liberat univerſorum monaſteriorum bona à decimis, & aliis exactionibus, æqualitatem horarum canonicarum præſcribit, jura, ac poteſtates Prioris Generalis ſtabilit, habitûs formam, tam pro Clericis, quàm pro converſis, qualis eſſe debeat, decernit; omnia deníque tam quæ juris, quàm privilegiorum ad egregiam conſervationem hujus eximiæ congregationis eſſe poſſunt, gratiosè planè, ac paternè confert. Quantum autem inter ſeptuaginta annos hæc congregatio accreverit, declarat Chroniſta noſter, dum ait: ſuo tempore unita fuiſſe virorum monaſteria octoginta, virginum verò tredecim, & perſonas pluſquam mille. Quod eò faciliùs crediderim, cùm in uno monialium Depenvenſi monaſterio pluſquam centum velatæ virgines circà annum 1451. fuerint numeratæ, & in uno Monaſterio Ezingen religioſi cum Laicis circà ducentas perſonas haberentur, ex quibus ſaltem centum exſtitiſſe religioſos veriſimile eſt. Sed ſicut multiplicavit Deus gentem, in hoc præclaro Capitulo, ſic omninò magnificavit lætitiam vitæ ſpiritualis, & exactiſſimæ diſciplinæ regularis; néque erant in illo conſtitutæ leges, & nemo, qui cuſtodiret eas: ſed, quemadmodùm in monaſteriis remiſſis ille æſtimatur felicior, qui amplioribûs gaudet à communi onere, ac labore diſpenſationibûs, ſic in Windeſemenſi noſtro tanquam omnium reliquorum ſibi ſubjectorum capite, & norma vivendi, ille verè habebatur beatior, Deóque, ac fratribus charior, qui pro regulæ & ſtaturorum cuſtodia nullum laborem effugeret, nullam moleſtiam declinaret: certè, ſi nobis Deus vires ad præfixum opus ſuppeditaverit, probabunt dicta noſtra tunc referendæ plurimorum in hoc monaſterio Domino ſervientium hiſtoriæ, quantò ipſi vixerint zelô conſervandæ diſciplinæ, quæ una, & ſola eſſe ſolet, ac poteſt monaſteriorum ſecura conſervatrix. Hinc, ùt refert Chroniſta Windeſemenſis, *ante omnia ſilentium in jure expreſſum, in oratorio videlicet, dormitorio, & refectorio, & poſt Completorium usque poſt Primas diei ſequentis, planè profundum, etiam cum hoſpitibus (niſi ſpeciali datâ licentiâ) ſervare ſtatuerunt; cellas, quas ſinguli ſingulas incoluerunt, ſolo Priore, ac Procuratore exceptis, nemo religioſorum habere poterat obſeratas. Capitulum culparum omnì ſextâ feriâ ſuper negligentiis contra bonos mores, & ordinis diſciplinam commiſſis diligentiſſimè obſervabant, nulli dabatur otium, niſi duntaxat labore feſſis & infirmitatibus:* honeſtiſſimæ intereà omnibus occupationes mandabantur, quarum præcipuæ erant lectio, ac Scriptura aſſidua apud Clericos, labores econtra manuales apud converſos, imò non retrahebant à gravibus operibus manus ipſi quóque Clerici, præcipuè, dum inſtituebantur Monaſterii ſtructuræ, ac ædificia: Sic ſæpè fatus Chroniſta, *ab Initio,* inquit: *monaſterii Fratres noſtri in Windeſem primitivi, & nos ipſorum Succeſſores unacum converſis, & Laicis noſtris devotis, permaximos, & infinitos fecimus labores, ſuſtinuimus ſudores, & dolores, paſſi ſumus laſſitudines, & fatigationes pro cunctis, corpus & molem ſtructuræ ædificiorum omnium & murorum ejus ad oculum intuentibus apertiſſimè datur agnoſcere. Néque enim per Laicorum, familiarium & mer-*

mercenariorum duntaxat laborem ſine fratrum conventualium operoſo, & manuali adjutorio hæc omnia ad ſuam completam perfectionem poterant conſummari &c. --- Fratres ergò Chorales nullo ſuo labori quantumcúnque humili & deſpecto, etiam aliquando vires ſuas ſupergredienti, unquam ſe ſubtrahentes, ſicut cæteris in donis gratiæ, ordine, & dignitate, ita etiam in opere, & fervore conabantur anteire. Tanto denique affectu monaſterii noſtri provectum ſedulò ſitiebant, ut ſingulis feriatis diebus, externis operibus manuum ſuarum viriliter inſiſtentes, celebribus diebus, & noctibus, etiam feriatis, certas horas ſomno ſuo eripientes ſacris libris conſcribendis ſummâ diligentiâ invigilarent, nunquam tempus vacuum ab opere Sancto Dei abire permittentes. Narrat dein hic idem Scriptor, Primum Priorem Windeſemenſem *Henricum* de Huxaria *Lapides pro Januis, & feneſtris includendis complanare didiciſſe, & formare, ac eos dein ad debitam regulam perfectè conquadràſſe; ligna etiam, & aſſeres ad varium uſum fratrum perutilia, aſciâ, dolabrô, & ſecuri usque in finem vitæ ſuæ non deſtitiſſe carpentare, dolare, & lævigare, tanto aliquando conamine*, inquit; *ut Sudoris ſui guttas ex omni parte corporis cerneremus diſtillare.* Alios quóque dicit ſe vidiſſe *fratres Profeſſos Windeſemenſis domûs quatuor, quinque, ſex, de expeditioribus trullam cæmentarii manibûs gerentes, muros domorum, & monaſterii, lapidibûs, & cæmentô pariter componentes &c. alios autem calcem cum arenula aquâ permiſcentes, cæmentum inde magnis cum laboribus debitè conficientes, alios lapides, & cæmentum humeris ſuis & manibûs alacriter comportantes.* Néque hæc ſolùm; ſed & ruſticanis operibus incubuiſſe teſtatur idem Scriptor, ita quidem, ut aliqui in Coquina *ollas, ſcutellas, cacabos, & patellas lavarent, alii immunda fratrum veſtimenta in lotorio purgarent, lavaréntque, alii inſiſterent pinſendis panibus, alii braxandis potibus, alii qui potioribûs valerent viribûs, fœnis, & bladis tempore meſſis colligendis, ac convehendis operam darent. Et tamen, quamvis hiſce laboribus pro communi bono intenti, cellæ excubias,* (verba ſunt Chroniſtæ noſtri) *Cordisque, & ſenſuum ſuorum cuſtodias diligentiſſimè conſervabant, & cùm unquam poterant, furtivas ſibi horas pro divinis libris in communi conſcribendis ſollicitè captabant, & finitis matutinis, quas pro primo legere conſueverant, integram ad id horam deputatam habebant.* Præterea tantis negotiis per diem diſtenti debita tamen frugalitate ſemper utebantur, non quidem nimiâ, ſed moderatâ: Agnoſcebant enim viri diſcretiſſimi per abſtinentiam inſolitam vires corporis æquè, ac animi deficere, & non nunquam ad ipſius Cerebri confuſionem, quam *Bertholdo* ex primis Windeſemenſium fratrum uni contigiſſe, idem Chroniſta obſervat. Unde cùm quispiam ſuſcipi in Windeſem poſtularet, hæc tria præ reliquis ab eo quærebantur, *an bene poſſet comedere, an bene dormire, & an velit libenter obedire, quoniam in iſtis tribus punctis fundamentum perſeverantiæ in religione conſiſtit,* Hæc itáque eorum erat Lex cibaria, tribûs in hebdomada diebûs carnibûs veſcebantur, tribûs aliis diebûs ovis, & lacticiniis, & ſextâ feriâ cibis quadrageſimalibûs in refectorio utentes jejunabant. Carnes autem tantùm lixas, ſeu bullitas manducabant, eò quod facilioris ſint digeſtionis, & gulæ minoris, frixas autem vel veru aſſatas declinabant, quòd interiora conſtringant, & carnis voluptates, appetitúmque carnalem, qui nequam eſt, ſoleant provocare,

Cùm ſcirent in religionibus ordinatis nihil ad ſpiritualem profectum magis conducere, quàm interiora conſcientiæ ſuæ ſpirituali Patri revelare, à quo & remedium in tentationibus recipiant, & ſolatium,

latium, doceantútque, quâ methodô apicem perfectionis conſcendant; hinc in hoc monaſterio, & ad hujus dein exemplum in quovis eidem unito conſtitutum eſt, ut fratribus de ſpirituali Patre, viro per omnia diſcreto, Pio, ac Docto, provideretur: qui maximè Novitiis Laicis, ac junioribus religioſis in via virtutis director exiſteret. Prætereà quadruplex erat monaſterialium perſonarum partitio, primi erant Chorales, iíque ſacerdotes, ac reliqui Clerici, ſecundi erant converſi, tertii Donati, quarri Laici, demum mulieres exiſtebant in loco penitùs ſeparato. Contingebat autem frequentiùs, ut viri in ſæculo præclari etiam doctrinâ, ac ſcientiâ pollentes, imò jam ſacris initiati, ſuſcipi ſolùm inter converſos peterent, quorum deinde converſatione optimè disquiſita, moribúsque compertis, ſæpè aliqui ad Clerum aſſumebantur; qualis erat *Henricus Loeder*, qui, cùm in natalibus defectum haberet, inter converſos aſſumptus eſt. Poſtmodùm tamen ad Clericatum an. 1404. à *Joanne* de Huesden receptus, admirandum in modum profecit, ita quidem, ut norma, ac regulâ exiſteret omnis religioſæ perfectionis, de quo nos plura dum monaſterium Northonenſe deſcripſimus, locuti ſumus. Veſtimenta Canonicorum diſtincta erant à veſtibus Converſorum, illorum cuíque tribuebantur *duo pellicia, duo ſuperpellicia, tria ſubtilia, unum almutium, duo Sotularia, duo filtrati calcei, duo lanea linteamina, duo duplicata ſupellectilia*; toga erat talaris, ac alba, pellicia autem, & almutia de pellibus fuerunt ovinis, & prohibitum erat uti pellibûs *Sylveſtribûs*, ùt patet ex Bullâ *Martini V.* Gappæ deníque erant nigræ (de his vide, quæ in appendice ad hoc monaſterium referemus) ſeu domi eis, ſeu foris extrà clauſtrum uterentur. At converſorum erant de panno griſeo; tunicæ verò, & Scapularia de panno albo: univerſim autem totus veſtitus religioſa humilitate candebat, nulla erat in plicis, ſeu rugis Capparum, tunicarum, ſubtilium, vel ſuperpelliciorum curioſitas, pannus non niſi de mediocri, & groſſa materia, quæ humilitatem, ſimplicitatem, ac mundi contemptum ipſo ſuo præferret aſpectu: *rarò aliquis erat, qui veſtimenta non haberet notabiliter peciata* (id eſt ſarta, ſeu aſſutamentis impleta) *exceptis indumentis, quibûs in majoribus feſtivitatibus utebantur, longo etiam plerúmque uſu attrita, ita ut ſingulorum fila de facili poterant videri, ſalvâ tamen munditie, & honeſtate*, quam colebant omnimodè. Hoſpitalem charitatem in hoc Windeſemenſi cœnobio inter eas, quas proximo impendimus, virtutes, conſpicere licuit quaſi prœeminentem reginam: nemo enim extraneorum deſolatus dimiſſus eſt, omnibus advenientibus menſa ſecundùm paupertatis religioſæ ſufficientiam liberrimâ pietate parabatur, *ſolenniores verò hoſpites* (ùt notat diſertè Chroniſta Windeſ.) *tam de religione, quàm de ſæculo quandóque* (ſed nec iſti ſecùs) *in conventum adducti, & cum religioſis in refectorio manducare conceſſi, quatenùs humilis piæ, & ſanctæ converſationis exemplô ad omnem virtutem operibûs ædificativis in veritate provocarentur.*

Denique non deerant in hoc ordinatiſſimo Cœnobio reliqua ad perfectam diſciplinam regularem conducentia adjumenta certarum Cæremoniarum, Humiliationum, Mortificationum &c. erant in Capitulo certæ præſcriptæ diſciplinæ pro correptione, & emendatione commiſſorum errorum; erant & cæremoniales obſervantiæ in Choro, Refectorio, Eccleſia: ùt ſunt Stationes, Seſſiones, Inclinationes, ſicut hæc jam apud Eymſteynenſes viderant, didicerántque. Cùm quiſpiam ad ordinem ſuſcipi flagitaret, ſeu inveſtiendus is erat, ſeu profeſſurus, ſeu denique ad Ordines ſacros promovendus, ſingulorum

lorum Religioſorum, & quos commodè reperire poterat, etiam converſorum, imò & Laicorum, orationes devotas, impedimentô quôcunque non obſtante, flexis genibûs exorare debebat, pro perſeverantia ſcilicet in bono propoſito, pro divina gratia, & ut illa Religionis, & Ordinis ſuſceptio ad honorem Dei fieret, & ſuam perpetuam ſalutem. Cùm alicui externo operi minùs gravi, nec multùm diſtractivo deputarentur, Cantica Davidica, aut alios Pſalmos inter operandum collegebant. Diſcurſus (cùm corporis exhilarandi causâ convenirent) non alios commiſcebant, niſi qui ad propriam, aliorúmque audientium ædificationem vertebantur, & ad acuendam virtutem: Clauſuram, & à ſæcularibus hominibus abſtractionem tam impensè colebant, ut, cùm ſæpiùs ab hac diverſis ingruentibûs causis impedirentur, quædam integra monaſteria certum quendam includendi modum excogitarent, ad Carthuſianorum æmulationem. Cui quidem extraordinario fervori diù renuebat aſſentiri generale Capitulum, cùm demum ad nimiam quorundam inſtantiam conceſſus eſt. Unde poſtmodùm ſedecim monaſteria hanc incluſionem receperunt, Windeſem. tamen noſtrum (ad quod tanquam portum, ac Capitolium omnes tam Sæculares, quàm Religioſi, conſilii, devotionîſque causâ confluere ſolebant) hanc incluſionem ſtrictam non admiſerat, debitis intereà clauſtri limitibûs ad amuſſim ſervatis. Excitator ad horas in Choro decantandas ſemper quidam ex Fratribus Choralibus erat, velut id officium aliquanto tempore peregit Religioſiſſimus ille *Henricus Loëder*, & *Henricus de Huxaria*: cantabántque aliquam Antiphonam dulci modulatione pulſatâ campanâ excitatoriâ. In Choro tanta exigebatur reverentia, & modeſtia, ut, cùm mox dictus Henricus Loëder ex Canonico Windeſemenſi conſtitutus Prior Nortomenſis aliquando videret in choro Sacriſtam Canonicum *Conradum* ad Chori teſtudinem ſub divinis reſpicientem, datô per Malleolum ſignô (ut omnes in eum reſpicerent) mox ad ſe nutu digiti vocato *publicè alapam incuſſerit, dicens: ut ante ſe reſpiceret, & oculos circumgyrare ceſſaret.* Et hæc erat horum ſanctorum Virorum piiſſima inſtitutio, regularíſque obſervantia, à qua ſe nemo eximere audebat, quicunque membrum fidele, ac legitimum ſub hoc capite exiſtere gloriabatur. Correctio tamen hæc aliquantò durior apparet. Unde nullus ambigo, quin aliqui Ordinis Canonici noſtri Alumni, iſta legentes, naſo ſuſpendent adunco, dicentes, non hæc ſapere vitam Canonicam, ſublimem ſcilicet illam, & Clericalem, ſupra Monachiſmum longè elevatam, quem unum, quidquid de obſervantia Windeſemenſium relatum eſt, univerſim redolet: Nam *Priorum*, in Superioribus neglecto *Præpoſiti* nomine, appellatio, inclinationes illæ, genuflexiones, humiliationes in Capitulo, veſtes groſſiores, rariſſima extra clauſtrum emigratio, imò ipſa incluſio, ſeveræ illæ correptiones, culparum Capitula, & ſi quæ alia reſtant à Windeſemenſibus obſervari ſolita, nihil hæc omnia ſunt, niſi monachilia, & ab inſtituto Clericali tam aliena, ut hinc penè originem ſumere liceat illius perverſæ opinionis, adeò noſtris temporibûs etiam à viris eruditis cum applauſu receptæ, ſtatuentis generaliter, totum Ordinem Canonicorum Regularium non eſſe alium niſi monaſticum, atque ideò ſicut conſtitutione, ſic quoque juribûs, ac prærogativis alienum à ſtatu, Ordinéque Clericorum.

Ita ſanè Scioli quidam argumentantur, & ut Ordinem Canonicum à Monachiſmo diſtinguant, malunt eum devolvere ad mores ſæculares:

res: quod enim his de clauſura, de ſilentio, de choro, de honeſtis pro bono communi peragendis laboribus, de fuga ſæcularium negotiorum, mundanæque converſationis dixeris, omnia illis monachiſmum ſapiunt, longéque adverſa inſtituto Canonico. Heu me! quàm procul abſumus, qui iſta prætendimus à veris Canonicis, diſciplinam Windeſemenſem audivimus, ſed intendamus an hæc unquam illos à ſtatu vero, ac genuino Canonico dejecerit, in illum, quem adeò averſantur, monachiſmum. *Martinus V.* lectis Congr. Wind. ſtatutis atque recognitis, ut hæc unà cum illa approbaret, diſertis verbis in data bulla dixit: *hunc ordinem ſicut per Beatos Apoſtolos Chriſti & per regularia S. Patris Auguſtini inſtituta luculenter per orbem effloruiſſe dignoſcitur, ita in Monaſteriis veſtris* (Windeſemenſes alloquitur) *per diſciplinæ regularis, & fraternæ viſitationis obſervantiam felici pullulatione reflorere, & uberrimam exinde animarum frugem Deo referri læti gratulamur.* Non igitur eum pro monachili computavit: Sic enim vivere, non eſt monachiſmum rejectô clericali inſtitutô amplecti, ſed mores ſuos ſub regulari diſciplina coërcere, & communiter, ſecundùm Sanctorum Patrum inſtitutionem omnipotenti Deo deſervire, ùt inquit Paſchalis II. ad Canonicos Caturcenſes. Et nunquid *Euſebius* Vercellenſis adeò intra clauſtrorum ſepta voluit ſuos concludi clericos, ut non niſi neceſſitate compulſi prodirent in publicum; adeò quóque monaſterii continentiam conjunxit cum diſciplina Eccleſiæ, ut in Clericis ſuis eſſet ſimul *reperire & Clericorum officia, & monachorum inſtituta.* Ita ſanè, ut quidam errore decepti putarent, fictitium illum Sermonem *S. Ambroſii* genuinum ejus partum fuiſſe, quô dicebatur, *eoſdem ſe monachos inſtituiſſe quos clericos.* Hoc eſt monachis addidiſſe Clericatum: at adeò aberat *Euſebium* ex Clericis, quos ipſe inſtruxit, reformavítque, monachos ſuis inſtitutis feciſſe, aut viciſſim, ut etiam, cùm jam utcúnque increbreſceret illa inter Clericos, monachóſque ambitio prætenti diſcriminis, annô ſcilicet 1174, *Guillelmus* S. Bartholomæi extra urbem Vercellenſem Præpoſitus cum fratribus ſuis Clericis ſtatuerit: *ſe vivere velle ſecundùm formam regulæ, & Canonicam inſtitutionem S. Euſebii:* imò etiam deinde idem *Guillelmus* Præpoſitus cum fratribus ſuis Canonicis, & utriúſque ſexûs converſis dudum ſe votô obligaverit, ac firmiter promiſerit, *deinceps ſe vivere ſine proprio, ſecundùm formam regulæ, & ſtatûs, ùt Canonici B. Euſebii, ùtque ſolent Canonici regulares &c.* Hoc fragmentum accepimus ex ipſa charta apud Ughellum Ital. Sac. relata in Epiſcopis Vercellenſibus n. 63. p. 782. quámque *Guala* Epiſcopus Vercellenſis pro perpetua rei memoria annô prædictô confecit. Quod ſi ergò Canonici regulares S. Bartholomæi nil ſubmetuebant de affingendo ſibi monachiſmo, in quantum ſcilicèt excludere Clericatum videtur, dum regulam plùs monaſticam S. Euſebii, quàm quaſcúnque conſtitutiones Windeſemenſes recipiebant, non video, cur Windeſemenſibus monachiſmum improperemus: dico autem ſignatè de illo, qui per ſe excludere videtur clericatum, per quod obſervo, neminem ab omni monachiſmo (qui verus Canonicus regularis eſt, & non potiùs jam perviam ſemitam ſæcularium terit.) ſe ſe aut poſſe, aut velle ſubtrahere: monaſticum enim nomen in quantum latiùs ſumitur, & non ſolùm Canonicis regularibus, ſed omnibus quibuſcúnque regulariter, ac votivè viventibus Clericis convenit, nil aliud in iis denotat, niſi votivam, ordinatam, ac diſciplinatam normam vivendi per conſtitutiones certas ad omne tempus religiosè impendendum

diſcre-

Bulla Martini 5. de an. 1420. apud Foppenſ. part. 2. c. 158. pag. 445.

diſcretam. Néque opinor, me multùm deſipere, ſi dicam, quâ viâ *monachi* nomen cœperit Canonicis regularibus tribui; noriut eruditi, ſæculis diù præviis nomen monachi ſe bifariàm diviſiſſe, ut alii regulares, alii ſæculares dice rentur, velut id declarat Chronicon Farfenſe apud Mabill. muſæ: Ital. Tom. 1. part. 2. fol. 57. Sæculares verò dicebantur, qui antiqua inſtituta non ex toto ſervabant, imò etiam recalcitrabant à votis, patet id ex Concilio Lemovicenſi anni 1031. Seſſ. 2. Sic nempè nomen *monachi*, cùm antea ſtrictiſſimè acciperetur, tum latiori uſui patere incepit, ut paſſim monachi dicerentur, ſi modò ſpeciem regularitatis aliquam obſervarent, eò quidem liberiùs, quòd id non negaretur monachis, qui penè in totum deviabant à ſua vocatione, dummodò veſtem adhuc regularem aliquam præſeferrent. Prætereà quid de monachis illis (qui ex inſtituto Benedictino tranſiliêrunt integrâ turmâ ad inſtitutum Canonicum) ſentiendum quoad nomen *monachi* ſit? alibi diximus. Sic itáque nomen monachi non ampliùs tantæ reſtrictionis exſtitit, quin etiam Canonicis tribueretur; nullô tamen exinde illis præjudiciô inflictô: imò Canonici ipſi ſinè ſcrupulo ſe monachos, inſtitutúmque ſuum monaſticum, habitationes ſuas monaſteria vocaverunt, ùt paſſim exempla exſtant, ídque ob ſimilitudinem, ùt dixi, vitæ regularis, quam ſuô modò habebant, in votis, in diſtributione temporum, in Choro, in refectorio, ac denique in aliis obſervantiis. Plura de his edicenda ſuppeterent: ſed nobis iſta intereà ſufficiant.

Cæterùm quis celeberrimi hujùs Cœnobii florentiſſimos in ſuis Alumnis mores, vitæque ſanctitatem ſatis laudaverit? ex quadraginta primis Patribus (quos Author Chronici Windeſemenſis noverat) Doctrinâ, ac pietate eximiis, viginti teſtatur ob præclaras dotes ſuas ad diverſa monaſteria regenda fuiſſe directos; & quando penè in remotiſſimis Germaniæ locis his temporibûs legimus Canonicorum Cœnobia diſciplinæ reformationem aſſumpſiſſe, eam ſibi è Windeſemenſi tanquam primo virtutum fonte derivari cupiebant. Adeò Patres iſtos reſpiciebant, colebántque ſumma Eccleſiæ capita, ut venienti ad Concilium Conſtantienſe Priori Windeſemenſi *Joanni Von de Huesden* cum *Joanne Wael*, & *Henrico Ahus* publicè Cardinales hoc enuntiarent encomium, dicebántque: *Iſti ſunt verè Patres religioſi, quos dudum videre, & audire deſideravimus. Agnoſcebant ſcilicet* (ùt inquit Chroniſta noſter) *inhabitantem in eis Spiritûs S. gratiam, in verbis, & moribus eorum, hinc in magna illos reverentia habentes, eosdem completis functionibûs ad ſua hoſpitia cum cereis ardentibus, facibus, & luminibus, copioſáque familia remiſerunt. Ab illo tempore laudabile nomen, & glorioſum præconium totum Capitulum Windeſemenſe apud Dominum quoque Apoſtolicum reportare promeruit, ita, ut quæcunque Religionis gratiâ, ac debitæ Reformationis inſtantiâ impetranda duxerant, non leviter eis denegarentur*, ùt patet ex adductâ Bulla *Martini V.* ejúsque Succeſſoris *Eugenii IV.* aliíſque aliorum Pontificum. Cardinalis etiam de Cuſa, præclara illa Eccleſiæ Catholicæ columna, & omnigenæ ſcientiæ vas admirabile, tanto in Windeſemenſes ferebatur affectu, ut monaſterium eorum in propria perſona viſitare, & incolere cum centum fermè hoſpitibus ſeſe comitantibus dignaretur; in domo Capituli cuidam Epiſcopo itineris ſui ſocio ſermonem venuſtum declamanti ad Fratres præſentes ipſe Cardinalis ſpecioſiſſimum adjiceret, ſummam Miſſam (Fratribûs Windeſemenſibûs devota modulatione concinentibûs) in die octava Aſſumptionis Virginis Beatiſſimæ, celebraret, unà cum

cum iisdem Fratribus in Refectorio ſub ſilentio, lectionem ſacram audiendô, juxta clauſtralem diſciplinam pranderet, atque conteſtaretur, ſe tam monaſterium hoc ipſum Windeſem, omnéſque inhabitantes, quàm totius Capituli Patres, Fratres, ac Sanctimoniales intimè diligere, & id ipſum de ſummo Pontifice publicè referebat. Ut nil jam memorem de aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac præcipuis Eccleſiæ Miniſtris.

Fulgebant in hoc Monaſterio tanquam Cœlo aliquo terreſtri ſydera vitæ ſanctioris clariſſima: *Gerardus Delft* de Naeltwyc Supprior tantæ devotionis erat, & abſorpti in Deum animi, contemplationiſque profundæ, cumprimis in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, ut ſæpiùs ſuprà caput celebrantis à quodam fratre eidem miniſtrante globus igneus dilucidè conſpiceretur: tanto autem fervore eadem divina operabatur, ut quaſi immobilis conſiſtens prægrandium muſcarum cuti, capitíque inſidentium, & pungentium mordaciùs, ne læſionem quidem ſentiret; humilitatis autem Cultor adeò profundæ extitit, ut de eo Vir Religioſiſſimus *Henricus de Ahuys* teſtaretur: *Quòd profundiſſimam ejus humilitatem in corde ſuo altiſſimè radicatam communis hominum experientia inveſtigare non ſufficeret, ita baſſus fuit ſeipſo, & altus in Deo.* Verba ſunt Chroniſtæ: ut nil dicam de ipſius extatica contemplatione, oratione aſſidua, morum gravitate eximia, ac univerſarum actionum ſumma circumſpectione. *Werneri Keynkamp* (cùjus egregium contra hæreticam pravitem triumphum ſuo tempore pluribûs explicabimus) compoſitionem morum, & admirandam planè humilitatem, zelum quoque diſciplinæ conſervandæ, præcipuè in ſtudio paupertatis, omnes admirandô ſuſpiciebant, & ſuſpiciendô imitari æmulabantur. *Joannes Kempis* primus ſtatutorum Windeſemenſium Compilator, ac Prior in Ordine tertius Windeſemenſis conſtitutus, quantâ virtutum prærogativâ effulſerit, ſatis Chroniſta noſter manifeſtat, *columnam* eum *Monaſterii* prædicans, & dilaudans, *imbecilli quidem corpore, cum antiquo tamen hoſte viriliter decertantem, in vera obedientia, reſignatione propria, & veris virtutibûs usque in finem perſeverantem, donec ſpiritus ejus diceret, ut à ſuis laboribus in ævum requieſceret.* Reticemus intereà complures alios, quorum vitam enucleatè dabimus in opere noſtro, uti, & Scriptorum complurium, cum eorum ſpecialem memoriam brevitate compulſi iſthinc prætereire, atque ſimul hujus celeberrimi Monaſterii deſcriptionis filum cogamur interrumpere, præcipuè, quòd illud circa annum 1580. per hæreticos vaſtatum nihil nobis reliquum fui, niſi ſummum reliquerit deſiderium, unicúmque nomen, quo usque hodie egregiè florens Congregatio Belgica gloriatur, multis præſtantiſſimis Viris aſſiduò decora, & ſpecioſè reflorens, inter quos cumprimis nominandus venit Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus Auguſtinus Schepers Prior Aquenſis, ac pro tempore totius Congregationis Generalis, ùt vocant, Commiſſarius, qui ſicut ſcientiarum, ac virtutum eminentiâ hanc dignitatem obtinuit, ita debîto fervore ad apicem planè omnis diſciplinæ ſacerrimam Congregationem curat, atque gubernat; dignus omninò, qui futuro in opere noſtro, dum elenchum omnium Priorum hujus Congregationis dabimus, ſpeciali ſuarum virtutum, & laudabilis regiminis deſcriptione honoretur, utpote præprimis notabilis in zelo conſervandæ hujus Congregationis, quæ vel inde ſanè feliciſſima habenda eſt, quòd, ubi plures Canonicorum Regularium Congregationes (laudatiſſimô diſciplinæ religioſæ reparatæ exordiô) auſpicium

non vulgare ſumentes ſiniſtro planè eventu rurſùm exſpirârunt; hæc in omni genere virtutum, religiones ſacras maximè conſervantium, inconcuſſa perduret: cui unà cum prædicto capite ſuo, ut Deus gratiosè perennitatem tam diù perſeverantis profectûs conferre dignetur, ex animo apprecamur.

Exſtitit hic celeberrimus Archi-Prioratus totius Congregationis intra urbem Zwollenſem, & Daventriam, hinc tribûs, & mediò, inde unô milliariò ad dexteram Yſelæ fluvii diſtans.

Chron. Wind. & Chron. S. Agnet. Foppenſ. Novæ Collect. Dipl. Parr. 2. c. 158. Authores per decurſum citati.

Fundatum ſæc. 7. Ord. S. Ben. Maricolenſe S. Mariæ Abbatia. à *S. Humberto* aut exſtructa, aut ſaltem dotata, & erecta in monaſterium: nam, cùm Vir hic Sanctus *à juventute ſua Clericali diſciplinæ nomen dediſſet, & ſumpto Eccleſiaſticæ habitu militiæ veluti Nazaræus Dei, præciſo crine capitis regiâ, & ſacerdotali coronâ inſigniretur, reclusúsque in Monaſterio ſic ſacris diſciplinis affatim inſtrueretur, ut proficiendo ætate, & gratiâ per gradus ſingulos ad Sacerdotii culmen usque proveheretur, evolutô aliquô temporum ſpatiô, dum quodam die in monaſterio reſideret* (putat Mabillio L.14. Annal. n. 19. non aliud quàm S. Vincentii Laudunenſis hoc fuiſſe monaſterium, in quo reclufus aſſeritur à vitæ Authore *Humbertus*: at ex contextu apparet, apparebítque ampliús, hoc monaſterium non aliud fuiſſe, quàm Clericorum; & illud ipſum, quod Eccleſiæ Cathedrali annexum Lauduni ſub immediata erat directione Epiſcopi: præterquàm enim, quòd accuratiſſimus ſit vitæ hujus Author in diſcernendis Clericis à Monachis, ùt patet ex deſcripta ſuperiùs tonſura, quam ſuſcepiſſe Sacerdotalem dicit, non Monachilem, certè ab invicem diverſas, ùt aliàs demonſtravi: ac præterea Monachile inſtitutum in Humberto penitùs reticeat; accedit inſuper, quod mox ſubjicit) *cæpit animô volvere poſſeſſiones, quæ à genitoribus relictæ ſibi fuerant, qualiter provideri debuiſſent. Accepta igitur ab Epiſcopo benedictione* (*Viufrido* ſcilicet, non Monachis præſidente, ſed Clericis) *Fratrúmque benigna permiſſione digreſſus ab urbe, pervenit ad locum quendam ditionis ſuæ, ubi SS. Amandi, & Nicaſii ſibi occurrentium comitatu invitatus Romam pergit, redúxque reliquiis à ſummo Pontifice S. Martino honoratus, & ad fundandam in ſua patria Eccleſiam perſuaſus, Maricolis Oratorium conſtruxit, & viros ſub habitu monaſticæ converſationis conſtituit, qui per aliquod temporis ſpatium ibi deſerviſſe feruntur. Sed incertum, qua incumbente difficultate locus ille aliquo tempore absque cultûs monaſtici obſervantia vacavit. Verùm illô relictô, haud procul, in eodem ſcilicet Maricolenſi ſolo, exſtruxit cœnobium, quod ad noſtra usque tempora ſuperfuit, in quo Clericos utriusque conditionis, & gradûs triginta conſtituit.* Combina jam, quæ diverſô Typô notavimus, & vide, quàm diſertè Author *Monachos* à *Clericis* diſcernat.

Perſtitit ſub Clericali diſciplina, ùt audivimus, hoc monaſterium usque ad annum 1015, quô demum per *Gerardum* primum Cameracenſem Epiſcopum in manus pervenit Monachorum S. Benedicti. Nec te moveant verba *Conradi* Imperatoris confirmantis privilegiô Abbatiam *S. Andreæ* Cameracenſis, in quo idem hanc Maricolenſem Eccleſiam ſub Monachis hâc notâ conſervari jubet: *Abbatiam quoque S. Humberti in Maricolis, quam idem Epiſcopus* (*Gerardus* nimirum) *ex-*

pulſis inde irreligioſis Canonicis, in priorem Monachorum Ordinem reformavit, præcipimus dein inlibatam perſeveratum iri. Nam *Conradus* confundit duo ab *Humberto* conſtructa monaſteria, & illud, de quo loquitur, idem eſſe cenſet, quod Sanctus primùm condidit, cùm tamen ante hanc *Gerardi* mutationem Monachos nunquam habuerit, ùt patet ex Scriptore, ipſi Imperatori coævô. Multas autem viciſſitudines, dum ſub manu Clericorum erat, hæc Abbatia paſſa eſt, de quibus vita præfati *S. Humberti* prolixè diſſerit. Sed quia jam noſtri Ordinis ultrò non exiſtit, ampliore de hac, diſcurſu ſuperſedentes ad alia tranſimus.

Sltum eſt Mariculum ad fluvium Helpram uno milliari gallico diſtans Landracô Hannoniæ Oppidô. Vita S. *Humberti* apud Boll. 25. Martii Mir. Cod. Don. Piar. C. 46. & 5. &c. Annal. Ben. cir.

Fund. annô 682. reſtauratum 1092. Ord. S. Bened.

S. Martini Abbatia. Ex documentis ſæculi undecimi, atque duodecimi hujus Abbatiæ Originem, reliquáque fata diſcimus, quæ ſequentibûs (quantùm ad noſtri inſtituti notitiam opus eſt) exhibemus. Exſtructam eſſe teſtatur *Radbodus* Tornacenſis Epiſcopus (in privilegio ſuo annô 1094. monachis S. Benedicti tunc introductis conceſſo) in monte modico propè muros urbis Tornacenſis ſito à S. *Eligio* Epiſcopo Tornacenſi annô 682, ſed Paganis in ipſam civitatem irruentibûs, poſteà & illa deſtructa, ac in laicalem ditionem redacta ad nihilum penè devenit. *Adeò autem illius Eccleſiæ percrebuit deſolatio, ut nec ad plenum unius ſaltem Sacerdotis deſerviri poſſet officio;* Congregatio ſiquidem illa hoſtili manu diſperſa eſt, & familia illius Eccleſiæ interempta deperiit, terras ejus Laicalis manus in beneficio usque ad tempora hujus *Radbodi* Epiſcopi habuit. Erant verò bona hujus Abbatiæ jam ab Origine ſuæ per S. *Eligium* fundationis immodicæ: patet id ex teſtimonio *Herimanni* Abb. Scriptoris Sæculi duodecimi, qui ait: *Quòd tunc, cùm S. Eligius quàm plures ex diverſis gentibus tam ſervos, quàm ingenuos ad ſerviendum Deo ſub regulari norma, atque communi vita vivere paratos collegerit, undíque nobiles inibi convenire cæperunt, ac ſe in omnipotentis Dei famulatum tradentes poſſeſſiones ſuas etiam hereditarias eidem loco delegaverunt. Ipſe etiam Eligius amplioribûs prædiis locum illum ditavit &c.* Nec tunc jam Abbatiæ prærogativâ caruit, quod idem Herimannus ſe ſe aſſerit ex Erbaldi Tornacenſis Canonici lethali infirmitate depreſſi ore accepiſſe, cùm diceret ipſe, quòd in vetuſtiſſimis membranis antiquas poſſeſſiones, & redditus hujus Eccleſiæ deſcriptos ſæpiſſimè legerit, & dudum Abbatiam fuiſſe cognoverit.

Sic verò ſuis quaſi in ruderibus hæc ſepulta Eccleſia, annô Domini 1092. reſuſcitari cœpit caſu planè mirabili, & eventu vix alibi ſimili. Erat inter Canonicos Tornacenſes quidam *Odo* nomine, vir ſcientia ac virtute eximius Aureliô Tornacum vocatus, ſcholíſque iſthic præfectus annos quínque Rectoris munere dignè, ac laudabiliter fungens: cùm diſcipulis aliquando ſuis *Boëthium* de Conſolatione Philoſophiæ prælegeret, & ad quartum librum, in quo de libero arbitrio agitur, deveniret, meminit cujusdam empti à ſe ante duos ferè menſes libri *B. Auguſtini* de libero arbitrio, quem ob ſolum Bibliothecæ ſuæ ſupplementum comparaverat, alioquin in ſcrinio de cæteris libris projectum: vocatô igitur miniſtrô, ſi quid fortaſſe memoriâ dignum in eo poſſet invenire, librum *Auguſtini* ſibi deferri juſſit; aperuit, & duas, tréſve paginas perlegens, mirè ejus eloquii venuſtate cœpit delectari, convocánsque Clericos ait; verè hactenùs ignoravi *Auguſtinum*, tantæ támque delectabilis fuiſſe facundiæ: hæc dicens librum rursùs

arti-

arripuit, eúmque non ſolùm tunc, ſed & ſequenti die ſtudioſè perſcrutans ad librum tertium pervenit, in quo Sanctus Doctor ſervo pro Criminibus ſuis de priori dignitate pulſo, & mundandæ Cloacæ deputato comparat peccatrices animas: hanc ergò ſententiam cùm Magiſter *Odo* audientibus diſcipulis legiſſet, tactus dolore cordis intrinſecùs, & ex imo pectoris ſuſpiria colligens: *heu*, inquit: *quàm fortiter iſta nos premit ſententia, hæc revera tam propriè mihi videtur congruere, ac ſi ſolùm propter me ſcripta fuiſſet.* His dictis ſurrexit, totúſque lacrymis perfuſus intravit Eccleſiam, ſuam deplorans, ingeminánſque miſeriam; & alios vitæ mores, ſuíque inſtituti rationem ſe ſe aſſumpturum proponens: mox enim paulatim ſe cœpit ſcholis ſubtrahere, Eccleſiam plùs ſolitô frequentare, pecuniam congregatam pauperibus maximè verò egentibus Clericis erogare, jejuniô aliiſque afflictationibûs in tantum corpus macerare, ut omnium hominum *Odonem* aliàs noſcentium judicium unum conclamaret, certiùs eum paulò poſt ſæculo renunciaturum, & verum Dei ſervum futurum. Hinc quatuor ex ejus Diſcipulis Clericis ipſi adhærentes promittunt, quócunque euntem indiviſibiliter ſecuturos, quorum nomina fuère *Gerbertus*, qui 4. id. Aprilis obiit. *Rodulfus*, qui 4. Kal. Mart. *Wilhelmus*, qui decimo Kal. Maji, *Lamfridus* autem, qui dein fugâ elapſus extra conſortium bonorum infelix periit. Vix hæc horum virorum intenta mutatio præcipuè verò *Odonis* comperta eſt, cùm protinùs Abbates totius Provinciæ tam Monachorum, quàm Canonicorum Tornacum, adveniunt; húncque, & ſocios ejus ad ſuam unuſquíſque invitat Eccleſiam. *Sed quia Clericis* (verba Hermanni ſubjungimus) *Canonicorum magis, quàm monachorum Ordinem placet aſſumere, quia & in Eccleſiaſticis officiis, & in quotidiano victu, & veſtitu Canonici tolerabiliorem ritum ducerent, quàm Monachorum: quamobrem nunc ad montem S. Eligii, nunc verò Gautenias, ubi Canonici ſtrictioris vitæ manebant, viſitationis gratiâ proficiſcentes, ſollicitè explorabant, quo locô remanere ſibi competentius foret, ſed divina diſpoſitio jam aliter de eis ordinaverat.* Eodem enim tempore peſtis quædam terrifica, quam *igneam* vocabant, totam provinciam invaſerat, quâ pedes hominum inviſibili quodam igne comburi videbantur: cùmque ad Virginem Thaumaturgam Tornacenſis Eccleſiæ undequáque afflicti concurrerent, ſpatiúmque tot millibus hominum recipiendis deeſſet, præcipuè quòd nidor ille tabeſcentis carnis in infirmis jam penè tranſeuntibus intolerabilis fieret, neceſſitati Canonici eos, quorum ſanitas jam deſperata habebatur, ejecêre ex Eccleſia, hi verò nullô repertô ſubſidiô ad S. *Martini* totam ſolitariam, derelictam, vacuámque fugiebant, ubi ſenſim deficientes defuncti, ac ſepulti ſunt. Sed hic eorum ſine honore obitus, non caruit paucô poſt tempore condignâ reverentiâ: opinio enim pia, nec inanis in vulgo univerſim percrebuit totius urbis theſaurum ad illam Eccleſiam fuiſſe delatum, confidebántque ſepultorum precibus quàm citiùs dominum ejuſdem Eccleſiæ miſerturum, eámque reſtauraturum: Nec fefellit plurium hac de re Vaticinium conſecutus eventus. Nam videntes cives *Odonem* cum Clericis ſuis ſæculari vitæ renuntiantem; *Radbodum* Epiſcopum adeunt, rogántque hanc Eccleſiam *Odoni* extradi. Nec obſiſtit Epiſcopus, quin accerſito *Odoni* ipſe offert ad futurum Divinum obſequium: quam hic oblationem aſſumere toto niſu detrectat, allegans tum loci pauperiem, tum futuro ſibi imminenti labori ad noviter conſtruendum cœnobium vires inermes; attamen Epiſcopi im-

Anni, quibus hi obierant, non adduntur.

 por-

portunis devictus precibûs demum aſſentitur, ſi modò Eccleſiam ab omni exactione liber..n Epiſcopalî privilegiô aſſequeretur; cui petitioni cùm *Radbodus* obtento quamvis difficulter Canonicorum ſuorum conſenſu ſponderet *Odoni*, ſextô nonas Maji in Craſtino Apoſtolorum *Philippi*, & *Jacobi* congregatâ maximâ proceſſione Canonicorum, totiúsque populi, præfatum Magiſtrum *Odonem* cum ſuis Clericis in Eccleſiam S. *Martini* deducit, eámque liberam, & Epiſcopalî privilegiô firmatam, coram omnibus tradit, *ſicque eos* (verba ſunt Hermanni) *ibidem ſub regula S. Auguſtini Canonicè in habitu Clericali Deo ſervituros dimiſit. Facta verò ſunt hæc annô Dominicæ Incarnationis* 1092. *Apoſtolicæ ſedi præſidente Papa Urbano, Remenſi verò Archiepiſcopo Rainaldo, Tornacenſi ac Noviomenſi Epiſcopo Domno Rabodo, Francorum regnum regente Philippo, Romanorum Imperatore Henrico &c.*

Benedixit autem divina clementia hunc novum regulari obſervantia colligatum Canonico-clericalem manipulum, ut annô alterô jam octodecim invenirentur, Canonici, cùmque aliàs alimenta eis nulla ex fundis ſuppeterent, quidam devoti Laici publicè per urbem quotidie Saccos circumferentes pro pauperibus S. Martini ſuſtentationem tribuendam clamabant, quò ſubſidiô per integrum annum ſe ſe conſervavit hæc pia, ac novella plantatio. Sed jam proderit integrum proferre ex præfato Herimanno fragmentum, ex quo diverſa notatu digniſſima colligemus, ſimúlque diſcemus, quo eventu ex ordine Canonico ad Monachicum S. Benedicti hæc eadem devoluta ſit Eccleſia. Sic ergò Herimannus, *interea*, inquit: *Adoleſcens quidam Clericus nomine Alulfus, Sigeri Canonicorum S. Mariæ Præcentoris filius, relictis ſæcularibûs divitiis ſe ſe illis Sociavit; quod ubi Patri ejus nuntiatum eſt, continuò Congregatis propinquis ſuis ad S. Martinum furibundus venit, adoleſcentem per Capillum apprehenſum, terræ proſtratum, graviterque cæſum domum reduxit. Sequenti die Adoleſcens, dum putaretur ad Eccleſiam S. Mariæ ire, furtim ſe ſubducens ad S. Martinum rediit: ſed rurſum à Patre ſuo continuò reducitur, & in compedibus ponitur. Cùmque hoc ſæpiùs fieret, adoleſcente ſcilicet ad S. Martinum quandocúnque poterat fugiente, & patre ſuo eum protinùs reducente; contigit Dominum Haimericum Aquicinenſem Abbatem Tornacum veniſſe ad inviſendos & confortandos pauperes illos; quem cùm Magiſter Odo conſuleret, quid ſibi agendum foret ſuper adoleſcente illo, qui quotidie à Patre ſuo violenter reducebatur: protinùs Abbas, ut vir ſapiens competenti compertâ occaſione, id quod ante moliebatur, erupit, dicens: verè bone Magiſter, idem vobis non ſolùm de iſto Juvene, ſed etiam de aliis fratribus veſtris continget, niſi monachi efficiamini: juxta enim urbem habitatis, & facilè fratres veſtri juniores à ſæcularibus Clericis ſociis ſuis decepti ad ſæculum reducentur, quia unus idémque veſter, & ipſorum eſt habitus; ſi autem monachi eſſetis, poſtea nullum de veſtris tentarent reducere, quoniam cùm Monachorum niger ſit habitus, Clericorum verò Candidus, tanto horrori Clerici habent habitum monachorum, ut quem ſemel viderint monachum, nunquam deinceps dignentur habere ſocium. Conſidera etiam quod mollior & remiſſior ſit vita Clericorum, etiam regulariter viventium, quippe cùm lineis induantur, carnibûs frequenter veſcantur, feſtis diebûs non niſi novem lectiones legant: cùm ergò tu famoſus ubique & celebris habearis: & ſæculo renuntiaveris, ſi mihi credere velles, magis conſulerem tibi Clericiſque tuis rigidiorem, quàm remiſſiorem expetere ordinem. His Abbatis Aquicinenſis perſuaſionibûs Magiſter Odo animatus ſocios evocat, Abbatis Conſilium narrat, conſenſúmque eorum ſuper hoc expoſtulat. Protinùs dictis ejus conſentiunt, & ne ab aliquo, ſi differ-*

differretur, averti poſſet, Abbatem præfatum eâ nocte ibi manere depoſcunt, ſéque die ſequenti monachos futuros promittunt. Craſtino igitur ſummo mane, finitô Capitulô ad altare S. Martini duodecim Clerici eunt, veſtem Clericalem deponunt, & monaſticam cum benedictione & triduano ſilentio per manum Abbatis Haimerici ſuſcipiunt, ita, ut cùm Matutinos & Primam ritu Clericali cantaſſent, jam tertiam, & omnes ſequentes horas usque in bodiernum diem Monachorum more cantaverint. Hæc Herimannus: retundit cumprimis ex boc Haimerici diſcurſu le Large noſter L. diſquis: Ord. Can. f. 400. quorumdam recentiorum præpoſteram opinionem, docentium, undecimô ſæculô Canonicos Regulares non ſolùm exortos, ſed ſuo ipſô exordio quandam monachicam, & à Clericis genuinis diſtinctam ſpeciem induiſſe. Quàm enim manifeſtè adversùs iſtos aſſertores Haimerici verba pugnent, quíſque prudens perſpiciet arbiter. Unde idem ſic breviter concludit: *teſtibûs itáque monachorum principibûs* (utérque enim tam Herimannus quàm Haimericus Abbates S. Benedicti fuêre) *Clerici regulariter viventes ipsâ Auguſtini regulâ tam longè à monachis ſeparantur, quàm qui longiſſimè.* Quodſi verò tunc tam diſtinctè juxta ſenſum ipſorum Monachorum (cùm Canonici inciperent ſub regula *S. Auguſtini* vitam Clericalem profiteri) diſcernebantur à Monacbis: quia nemo ſpeciem banc in modernis immutatam eſſe prudenter aſſerere poteſt, profectò ſtabit, & hodie inconvulſa hæc ipſa diſcretio. At nos aliud adbuc obſervandum ex Herimanni adducta hiſtoria ſubjungimus: Narrat idem, *Odonem* nunc ad montem S. Eligii, nunc verò Gautenias, ubi Canonici ſtrictioris vitæ manebant, viſitationis gratiâ proficiſcentem ſollicitè explorâſſe, quô locô remanere ſibi competentiùs foret &c. Canonicos S. Eligii tempore *Odonis* eos viſitantis non ſolùm regulariter, ſed & exemplariter, ac diſciplinatè vixiſſe dubitare non ſinunt eorum temporum apertiſſima monumenta: imprimis enim *S. Lietbertus* Epiſcopus Atrebatenſis ex Clericis ſæculariter viventibus quaſi alter Samaritanus (velut in privilegio ſuo *Lambertus* ſcribit Atrebatenſis Epiſcopus) Clericos Regulares de communi viventes ordinavit, quod factum eſt annô 1068. *Lietberti* autem ordinationem, conceſſáſque donationes ſic confirmat ſecundus ab eodem Succeſſor Lambertus mox memoratus, ut nullam reformationem requirat, ſed ipſum Abbatem cum Joannem *Reverendiſſimum Fratrem*, *& Filium* nuncupandô propter Religionem ſuam collaudet, ipsóſque Canonicos religioſè, & absque proprietate viventes eſſe aſſerat, quod factum eſt annô 1097. adeóque non diù poſt illam Odonis viſitationem: hîs verò ſic ſtantibûs quæri poteſt, undénam illos *Gautenienſes Canonicos* Herimannus ſcribat *ſtrictioris vitæ fuiſſe.* Certè non ex eo, quaſi hi votis adſtricti vixiſſent, non illi; nam contrarium patet ex mox relatis; nec quoque quaſi hi quandam reformationem extraordinariam recepiſſent, cùm omnium prima fuerit *Norbertina*, *Norbertus* verò annô 1092. ſuæ ætatis annum fortè attigerit ſeptimum, utpotè annô 1085. natus: alia ergò debet intelligi in his Hermanni verbis ſententia, ſanè optimè faciens ad propoſitum noſtrum; nimirum: tam diverſimodè ſæculô undecimô, decimô, nonô, ac octavô, babebant Canonici in Eccleſiis, ac Monaſteriis ſuis, ut verè alii ſic, alii ſic irent, alii ſe conformarent regulæ *Chrodegangi*, alii *Aquisgranenſi*, alii (præcipuè ſæculô undecimô) *S. Auguſtini*, alii vivebant cum voto paupertatis gradûs infimi, alii cum quadam majori obſervantia, alii ſtrictiſſimè ſe alligabant obſervationi regulari, maximè, qui apertè

tè profitebantur regulam *S. Auguſtini* (unde Petrus Cluniacenſis L. 2. Ep. c. 11. *Solebant*, inquit: *Clerici diverſorum Ordinum* (intellige gradus Clericales) *Canonici diverſarum Profeſſionum*, hoc eſt diverſis gradibûs paupertatis, ſeu votorum obſtricti &c.) alii denique omnî excuſsô jugô voti paupertatis vivebanr (ùt jam paſſim ſæculô undecimô, imò, & anteà dici de iis conſueverat) *ſæculariter*. Canonici ergò *S. Eligiani* vivebant regulariter, ac ſine omni proprietate, ùt teſtatur *Lambertus* Epiſcopus ex *Lietberto* deceſſore ſuo, ſed non vivebant tam ſtrictè, velut Gautenienſes Canonici: cauſam ego aliam augurari non poſſum, niſi, quòd in Sanr-Eligianis adhuc Regula S. Auguſtini taceatur, quæ fortaſſe apud Gautenienſes jam viguerit, quod facilè aſſequeremur, ſi nobis de his aliquis Ædipus explanarer, quinam fuerint, et ſi Herimannus per Gautenias *Gandas*, ſeu *Gandavum* intelligat, fortè amplior nobis bac in re Lux obveniret; nec dubito, id ipſum, quod hic auguramur, confirmatura. Regulam enim S. *Auguſtini* tempore iſto necdum in monte S. Eligii conſtitiſſe arguit citatum ejus privilegium, in quo de eadem altum ſilentium: arguunt & aliæ horum temporum circumſtanriæ; & inter reliquas, quod in quibusdam Monaſteriis, quamvìs jam dicerentur Canonici, regulam S. *Auguſtini* profitentes, tamen, quæ illa propriè regula eſſet, ignorarent. Dicebantur verò per quandam anronomaſiam potiùs, quàm ſtrictè loquendo regulam Auguſtinianam profitentes illi Canonici, qui ſtrictiſſimè ſecundùm omnem expropriationem (quamvìs necdum notâ, & nunc religioſis ſolitâ ſolennitate veſtitam) vitam communem obſervabant, velut id eadem regula præcipit; quod clarè probari poſſet multis exemplis; unum alterumve adduxiſſe, & ex Exegeſi noſtra repetiiſſe præcipuè iis, quibus neceſſe eſt, repetitam inculcare veritatem, non oberit. *Henricus* namque ſecundus Rex Angliæ ſæculô dudecimô, cùm reperiſſet in Canonia Waltbamenſi ab *Haralde* Comite annô 1060. fundata pro fratribus ſecundùm authoritatem SanctorumPatrum Canonicæ Regulæ ſubjectis, poſtmodùm eosdem Canonicos ad ſæculares mores deſciviſſe, renuntes reformationem cedere domô coëgit: *& Canonicis Regularibus glorioſam ſervantibus vivendi regulam à Sanctis Apoſtolis traditam, & poſteà à magno, & B. Auguſtino adornatam extradidit.* Ut refertur in ejusdem Regis litteris Mon. Anglic. Tom. 2. p. 13. ſimile quid legimus in Charta *Annæ* Reginæ, ubi dicitur de inductis in Eccleſiam Sylvanectenſem S. Vincentii Canonicis: *ut mundo renuntiantes, regularem, id eſt Sanctorum Apoſtolorum & B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, vitam Canonicè amplectentes vivere valeant:* quidquid ergò in his, ſimilibúsque modis loquendi de regula *S. Auguſtini* reperias, ſubſtantia potiùs intelligenda eſt, quam eadem ipſa cum toto ſuo contextu ſtrictè ſumpta: quæ ſubſtantia potiſſimè fundatur in expropriatione & Charitate mutua, ſeu vita communi. Unde, ùt diximus, quicúnque utrámque hanc ſtrictè profitebantur, dicebantur ſecundùm regulam *S. Auguſtini* vivere, utporè cujus notiſſima erat ex ſermone illo de communi vita Clericorum reſtauratio. Hinc etiam eôdem ſæculô undecimô, ac ſequenti à quibusdam ſimpliciter dicebantur Canonici iſti *ordinem S. Auguſtini* amplecti, ùt habetur in Charta *Lietberti* apud Mir. annô 1066. data, & pluribus aliis. Ex quibus omnibus demum infero, nihil ad ſpecificationem ordinis noſtri referre tam ſtrictè à quibusdam expetitam *S. Auguſtini* regulam; cùm certiſſimum ſit, extitiſſe Canonicos *regulariter*, ac *votivè* viventes, quos adver-

adverſarii ipſi negare non poſſunt, quamvis regulam *S. Auguſtini* non haberent, etſi etiam dicerentur ſecundùm eam vovere, ùt monſtratùm eſt. Cùm præterea certum quóque ſit hos Canonicos ex ſpecie noſtra excludi non poſſe, imò nec unquam excluſos fuiſſe: ſic Reittenbucbenſes ab origine dicuntur fuiſſe *Canonici regulares*, & ejusdem, cujus nunc ſunt, ſpeciei, quamvis multis annis poſt regularitatem inductam *Gerochus* Româ primùm attulerit regulam *S. Auguſtini*, quam ſe profiteri dicebant. Ex quo pariter colligo regulam S. *Auguſtini* in formalibus, nec in aliis tum jam longè antea exiſtentibus, imò nec Salisburgi ſub *Conrado* Reformatore ad initium ſæculi duodecimi fuiſſe compertam, aliàs Gerochus inutili planè itinere Româ accerſiviſſet, quod potuiſſet ſuo ab ordinario, ac ſimul Confratribus ſuis Salisburgenſibus obtinere; ſed de hoc plura, cùm de celeberrima Abbatia Reittenbucbenſi conſultò agemus. Tota ergò cauſa, quâ dici cœperant Canonici ſtrictiore quôdam modô expropriationem profitentes ſecundùm *regulam*, vel etiam *ordinem S. Auguſtini* vivere, aut ordinari, refunditur in ipſam ſæculô undecimô per *Gregorium ſeptimum, Petrum Damianum, Nicolaum ſecundum, Alexandrum ſecundum, Ivonem Carnotenſem &c.* iteratò mundo Eccleſiaſtico divulgatam *Auguſtini* in ſuis Clericis reformationem; cùm liqueat, ante Auguſtinianam nuncupationem Canonicis adjectam, ad regularem, votivámque, ſeu communem vitam fuiſſe reductos Canonicos Lucenſes à *Joanne* Epiſcopo annô 1052. ùt babetur ex decreto *Leonis* Papæ, eô annô ad eosdem Canonicos *S. Martini* Lucenſes dato apud Ughel. It. ſacr. T. 1. p. 805. & Atinenſes paulò poſt à *Leone* ejuſdem Urbis Epiſcopo, apud eundem T. 6. p. 426. quos ideò ſummis laudibus extollit *Adenulphus* Archi-Epiſcopus Capuanus in Epiſtola ad vitam *S. Marci* M. & Ep. Atinenſis, quam iisdem conſcripſit. Vide eundem Ughellum cit. T. 6. p. 408. Sed omnes bæ reformationes Regulæ *S. Auguſtini* nullam memoriam præſeferunt, usque dum demum ſub *Gervaſio* Rhemenſi in Gallia Archi-Epiſcopo ad annum 1067. legitur, quòd is Eccleſiam D. Dionyſii, quæ *jam penè*, ùt ipſe inquit, *annullata fuerat, renovare appoſuit, & in eadem ſuo ſumptu, & labore ad integrum reſtituta, cum diverſis ædificiis ad neceſſitatem Fratrum accommodatis Canonicos ad laudem, & honorem Dei conſtituit, Beati Auguſtini Regulam, Ordinémque profitentes:* Sic Gervaſius juxta Thomaſſinum primus videtur Regulæ *S. Auguſtini* mentionem feciſſe: *Si*, inquit P. 1. L. 3. c. 11. n. 10. *certò conſtet, Gervaſium Archi-Epiſcopum Rhemenſem reſtauratâ Eccleſiâ S. Dionyſii apud Remos, Canonicos Regulares AUGUSTINI REGULÆ obſequentes inſtituiſſe annô* 1067. *ùt ex chartis ejus Abbatiæ probare contendunt* (*CANONICOS IBI CONSTITUI B AUGUSTINI ORDINEM, REGULAMQUE PROFITENTES*) *antiquiſſima hæc fuerit illius regulæ memoria.* Sed hæc regulæ memoria inquirenda eſt, qualis fuerit: duplicem enim ſenſum babere poteſt hæc vox regula, *ſtrictè*, ita ſcilicet, ut ſignificet quendam codicem certarum præſcriptarum conſtitutionum, & *latiùs*, prout nil aliud ſonat, quàm certam methodum vivendi, velut vulgariter dicebantur votivè viventes, *ſecundùm regulam* vivere, qui loquendi mos ævò mediô receptiſſimus erat, præcipuè cùm de Clericis in communi, & in clauſtro viventibus ſermo occurreret. Sic *S. Winebaudus* (quem nec Mabillonius inter Monachos numerare præſumit) cùm *dicatus Deo, incertos, caducósque mundanæ fragilitatis caſus pertimeſceret, Clericatûs onus accepit, & REGULAREM NORMAM Fons Divinus ei infudit,* ut

Acta SS. 6. Apr. in vita S. Wineb. §. 1. *ut in cellula exigua ſolitariam duceret vitam. Solitariam*, hoc eſt, à mundo remotam quamvis Clericalem (ùt patet ex toto vitæ contextu) atque hinc non aliam niſi religioſam, ſeu votivam, ideóque *ſecundùm regularem normam*, quia ſecundùm regulam Patrum, quamvis nulla certa legatur ab ipſo obſervata fuiſſe. Deinde annò 805. in Capitulari hujus anni apud Theodonis-Villam fuerat à *Carolo*, & Epiſcopis conſtitutum, ut, *qui ſæculum relinquunt, ſpecie, ut Deo ſerviant, re, ut Dominicum ſervitium fraudent, omninò ſecundùm regulam, vel Canonicam, vel monaſticam vivant.* Per hanc *regulam Canonicam* alia non intelligi poteſt, niſi puré norma vivendi ſecundùm SS. Patrum inſtituta, non ergò certus Regularum codex: neque enim demonſtrari valet, *Carolum* ad Regulam Chrodegangi L. 28. n. 56. reſpexiſſe, utpoteunius ſolius Diœceſis Metenſis limites afficientem & ne fortè *Carolo* cognitam; ùt Mabillonius in ſuis Annal Bened. demonſtrat. Unde idem Mabillonius eruditè de Regula in antiquis Monaſteriis obſervari ſolita diſcurrens: ait: *Colligimus ex Sidonii Ep. 17. L. 7. in qua Voluſianum monet, ut fluctuantem regulam Monaſterii S. Cyrici ſecundùm ſtatuta Lirinenſium Patrum, vel Griniacenſium informet. Ubi Regulæ vocabulum non pro aliqua SCRIPTA, ut VULGO REGULA uſurpatur* (Nos eam per nomenclaturam *Codicis* determinamus) *ſed pro certa vivendi ratione, ac diſciplina uſu recepta in Monaſterio &c.* Hæc Mabillonius, ſuam aſſertionem deinde ex Caſſiano evidenter probans. Ex quo patet etiam ſubſequis temporibus, &, ùt diximus, mediò ævò præcipuè apud Clericos per regulam nihil aliud intellectum fuiſſe, niſi diſciplinam certam, ac normam vivendi: unde jam infero, dum Thomaſſinus primò omnium Auguſtinianæ Regulæ memoriam temporibus *Gervaſii* Rhemenſis Epiſcopi alligat, intelligítque codicem illum ſcriptum *S. Auguſtini* regulæ, ſecundùm quam *Innocentius III.* profiteri Canonicos Regulares voluit, nunquam concedendum, hanc *Gervaſium* intendiſſe; audi cumprimis iterum Mabillonium (cùm L. cit. n. 25. de Authore, ipsáque Regula Aquisgranenſi quædam attuliſſet, dixiſsétque, eam à *Ludovico* per omnia Canonicorum monaſteria, & ad Cathedrales Eccleſias Imperii ſui fuiſſe ſubmiſſam) iſta ſubjicientem: *Et hæc quidem*, inquit, *Canonicorum regula in plerisque Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis Gallicanis obſervata eſt usque ad ſæculum undecimum, etiam à Canonicis Regularibus à prima illa origine ſui inſtituti* (ſuæ reformationis) *usque ad ſæculum*, inquam, *undecimum*, & profectò penè à plerisque usque ad hujus ſæculi finem, etiam ab illis, qui ſe profiteri dicebant Regulam *S. Auguſtini*: patet id ex Chroniſta Reicherſpergenſi irrefragabiliter, prout meminimus hac de re in Exegeſi noſtra, quod adeò hìc non vacat repetere. Igitur omnia exempla, quæ adduximus tum de Canonicis Walthamenſibus, tum Sylvanectenſibus, tum Rhemenſibus, nil aliud evincunt, niſi eos inſtitutos fuiſſe ſecundùm Regulam, id eſt, normam vivendi à *S. Auguſtino* obſervatam, ideò inquit Regina *Anna* in ſua charta, ut Canonici Sylvannectenſes *regularem B. Auguſtini, quæ ſcripta eſt, VITAM*, vivant. Regula autem ipſa, quamvis jam in uno, alteróve monaſterio Canonico recepta cenſeri poſſit, at, ut ita dicam *legaliter*, ante tempora *Innocentii* Papæ aſſeri nequit ulli impoſita fuiſſe; utpotè, quòd hæc ad inſtituti Canonici etiam in ſua ſpecie infima conſtituendi rationem non requireretur. Ex quo pariter liquet diſtinctio inter Regulam ſpecialiter *S. Benedicti*, & *S. Auguſtini* qualiter nempe illa dici poſſit conſtitutiva eſſe ſpeciei infimæ *Ordinis S. Benedicti*, at nunquam regula *S. Auguſtini*, *Ordinis Canonicorum*:

Ra-

Rationem videtur nobis ſæpè citatus Mabillonius ſuppeditare, ait enim in præfat. Annal. Ben. n. 18. de Regula *S. Benedicti: hoc diſcriminis eſt inter S. Benedicti, aliáſque SS. PP. Regulas, quòd ejus ſequaces eam abigere non poſſint, propterea quòd ſtabilitatem, & converſionem morum ſecundùm Regulam ſe compoſituros promittant, adeoque obſervandæ Regulæ propoſitum in votum quodammodò cadit, quod nulla alia antiquorum Patrum, ſi benè memini, præſcribit.* Certè id non præſcribit Regula *S. Auguſtini*. Unde cùm etiam ante tempora *Innocentii* voverent Canonici Regulares ſecundùm Regulam *S. Auguſtini* vivere, votum illud non cadebat ſuper Regulam ſcriptam, ſed ſuper normam vivendi à *S. Auguſtino* receptam, hoc eſt, *Apoſtolicam*. Itaque à primo ad ultimum deveniendo concludo, ex his Hermanni verbis non obſcurè colligi, Canonicos Regulares (quamvis ſeu ab *Odone*, ſeu ab ipſo Herimanno ejusdem ſpeciei infimæ habitos) ſic diverſimodè vitam votivam duxiſſe, ut quidam Regulam Aquisgranenſem obſervarent ſecundùm minimum, infimúmque paupertatis gradum, quidam ſecundùm inſtituta *S. Auguſtini* ex ſermone 2. de Clerici- ſuis Regulæ Aquisgr. inferto, quidam denique (ſi tamen aliqui) ſecundùm ipſam ſcriptam regulam ejusdem *S. Auguſtini*, nihil tamen diverſi ab iisdem Sermonibus quoad ſubſtantiam Vitæ Canonicæ votivæ præſcribentem. Hæc occaſione hiſtoriæ admirandæ de Abbatia Martiniana Tornaci tum inſtituta, tum diverſis fatis ſubdita differere, dum voluimus, pariter Lectorem rogamus, ut quæ deeſſe in Exegeſi noſtra quoad Regulæ Auguſtinianæ effectum adverterit, his allegatis ſupplere dignetur.

Abbatia hæc S. Martini in urbe Tornacenſi exiſtit. Mir Suppl. Cod. Dip. P. 2. c. 33. idem L. de orig. Mon. Ben. Spicil. Dach. T. 2. nov. Edit. f. 889. & ſeq. Ughell. Ital. ſac. T. 6. in Ep. Atanenſ. & T. 1. in Ep. Luc. nov. Edit p. 805. Boll. ad diem 28. Apr. vita S. Marci Ep. M. Atan. & 19. Junii vita S. Odonis Gall. Chriſt. T. 3. col. 273.

S. Martini Iprenſe. Abbatia.

Ipra perampla, unáque ex præcipuis Flandriæ Civitas, ortum ſuum, teſte Maſſæo, *Balduino* debet *Arnulphi Comitis Filio* circa annum 960. munita, ac firma eſt, non tam mœniorum, aliarúmque munitionum, quàm ſitûs, ac naturæ ipſius præſidiô: nomen, teſte Zeilero, alioquin etiam à plumbo ſortitum *Pleyn* vocabatur; cauſam addit, quòd fundus urbis penè totus ex plumbo conſiſtat ob multitudinem tuborum plumbeorum, ſeu fiſtularum, fluvialibûs, aliisque aquis per ſingulas ferè domos effluentibûs, usúmque quotidianum miniſtrantibûs. In hac urbe primùm duæ Parochiales Eccleſiæ extitêre; ad S. Martinum Principalis una, altera ad S. Petrum: illa S. Martini Canonicos habuerat, fortè ipſo Urbis Fundatore *Balduino* Eccleſiam, Canonicóſque inſtituente, ſed ùt erant ſæculi decimi, undecimíque mores ad omnem libidinem proclives, hi pariter hujus Eccleſiæ Canonicos adeò corruperant, ut paſſim beneficia nullo Canonum, expropriationisve habito reſpectu, Simoniacè planè, & iniquè plus offerentibus, non plus merentibus concederentur. Hinc notiſſimus ille vitiorum Extirpator, & verè alter diſciplinæ regularis præcurſor ſimul, ac propagator *Joannes* Morinenſis extirpatis perverſis illis Clericis Eccleſiam Iprenſem Canonicâ *S. Auguſtini* regulâ informavit: Hæc ejus ſunt verba è ſuo privilegio, integrè cum tempore referendo, deprompta: *Ego* (inquit) *Joannes Dei gratiâ Morinorum Epiſcopus, cùm quosdam Clericos ſæculariter viventes de Eccleſia mea, quæ eſt in villa, quæ dicitur Ipra, quam ſimoniacè acquiſierant, poſt acceptum à*

Domino Papa Paſchali mandatum Canonico Judicio convictos ejeciſſem, eámque, quamdiù volui, uſibus meis liberrimè retinuiſſem, ad ſanctæ Religionis cultum eandem convertere curavi. Sed, cùm aliquo tempore hoc, quod propoſueram, peragere diſtuliſſem, & obnixis precibûs bonorum virorum inibi habitantium, quatenùs id acceleraretur, pulſarer, tandem juſtæ petitioni eorum aquieſcens, illuc, quod decreveram, perfecturus adveni. Cúmque in prædicta Eccleſia præſens adeſſem, & quem eidem præeſſe vellent, inquirerem, quendam Presbiterum nomine Gerardum, qui ibidem mecum præſens aderat, de quo minùs ſperabamus, bonæ opinionis, & vitæ virum, & Canonica religione inſtructum omnes unanimiter injectis manibûs dari ſibi acclamârunt, quem ſatìs renitentem, & tantæ curæ pondus ſuſcipere formidantem, piæ eorum inſtantiæ, quamvìs in multis mihi neceſſarium, negare non potui, præfatam ergò B. Martini eidem regendam tradidi, quam cum Eccleſia B. Petri, cæteriſque ſuis appendiciis ad opus Canonicorum ſub eodem, ſuiſque Succeſſoribus ſecundùm regulam D. Auguſtini ibidem conſtituendorum ab omni exactione præter duos ſolidos ſingulis annìs in Synodo poſt Pentecoſten perſolvendos liberam eſſe conceſſi. Hæc, & plura in dicto privilegio *Joannis*, quod ſignatum eſt annô Inc. Dom. 1102. Ind. 10. Kal. Oct.

Confirmavit hanc fundationem annîs poſt octodecim *Radulphus* Rhemenſis Archiepiſcopus litteris *Guilielmo* Abbati datîs. Dicens illis, quòd *venerabilis confrater noſter Joannes Morinorum Epiſcopus Eccleſiam S. Martini, quæ dicitur Ipræ ſitam, ad opus Canonicorum ſecundùm Regulam B. Auguſtini viventium tradidit, eámque cum Eccleſia B. Petri, cæteriſque appenditiis ſuis ab omni exactione, præter duos ſolidos, ſingulis annis in Synodo poſt Pentecoſten perſolvendos, liberam eſſe conceſſit. Poſteà verò creſcente numero fratrum videns eandem Eccleſiam multis diſpendiis onerari, paucis ſtipendiîs relevari, Altare de Renigles &c. ad ſuſtentationem fratrum, liberè in perpetuum poſſidenda contulit &c.* Et iſta omnia ſuô privilegiô corroborat ſeptem Epiſcoporum, nec non & aliorum plurium Archidiaconorum, atque Abbatum ſubſcriptione. Stetit hæc Abbatia (quam Jacobus Marchantius L. 1. de ſcript. Fland. *Abbaticam præpoſituram* vocat) ad annum usque 1569. virîs doctrinâ & ſanctitate præclarîs egregiè ſemper proviſa, quibus, ùt notat Miræus L. de Orig. Can. reg. Cap. 44. omnium Iprenſis oppidi paræciarum procuratio eſt commiſſa. Cùm demum commune propè tunc fatum cum aliis pluribus Eccleſiis ſubire coacta per *Paulum IV.* Papam in ſæcularem mutata, & ex Abbatia, Epiſcopalis eſt effecta, ipsô tunc totô gremiô regularî in ſæcularis Cleri ſtatum translatô, & Præpoſito *Joanne Snik* Decanatûs officium aſſumente, bullâ deſuper per longum à *Pio IV. Pauli* ſucceſſore emiſsâ, quâ regularis in Eccleſia Iprenſi ſtatus ſupprimitur, & ex bonis ejusdem duodecim præbendæ deſignantur, quas de membro S. Martini dixêre: his dein decem acceſsêre de membro Morinenſi, & decem de membro Furnenſi, atque inde unà cum Epiſcopo conſtituti Canonici præbendarii triginta duo. Sícque hæc tam ſollicitô Zelô, pióque affectu ex ſæculari facta Eccleſia regularis per D. Joannem Morinenſem in tali converſatione ſubſtitit annis 457. iterum dein facta Sæcularis.

Exiſtit, ùt dictum eſt, in ipſa urbe Iprenſi in Flandria ad Fl. Iperlam. Mir. Suppl. Cod. dip. P. 3. C. 29. Foppen. novæ Col. par. 3. C. 92. Gall. Chr. T. 3. col. 303. & ſeq.

S. Martini Prioratus Windeſem. Fundatorem habuit *Henricum Wellens* in D. Petri, Lovanii Capellanum, qui Daventrienſium Clericorum in Communi viventium virtute provocatus, Collegium in H. *S. Georgii* conſtructum ad- *Fund ſæ. 15. Floret,*

lec-

lectis indè aliquot viris devotis extradidit, ex illiſque *Ægidium Walramum* Rectorem conſtituit. Annô 1447. viſum omnibus inſtitutum ſuum in vitam Canonicam commutare, hinc conſentiente Epiſcopo Regula *S. Auguſtini* ſuſcepta, ac deníque annô 1462. ipſum monaſterium Congregationi Windeſemenſi eſt unitum. Cùm Calviniana hæreſis plurima per Belgium monaſteria, & inter hæc thronum quóque Marianum in Grobendanc ſubvertiſſet, hujus loci Canonici ad *S. Martini* (cujus nomen relicto priore *S. Gregorii* ob ſacellum in hujus Epiſcopi honorem erectum à Waltamo, patrociniúmque aſſumptum eſt) ſuum elegerunt refugium, quorum converſationi tam ſollicita ex hinc Charitate adhærere ſtatuerunt, ut conſenſu Apoſtolico, Principíſque Lovanienſis obtento, ſe, ſuáque bona huic Martiniano Prioratui tranſcriberent: ex quo factum, ut hic unito nomine adhuc noſtro tempore *Thronus B. Mariæ ad S. Martinum* nuncupetur. Annua autem Cœnobii Corſendoncani vectigalia in uſum Collegii Theologici pro Alumnis Canonicis Windeſemenſibus Lovanii ſtudentibus fuerunt decreta.

Floruit in hoc celebri Prioratu vir Doctiſſimus Martinus Lipſius notus apud eruditos ex operibus *S. Auguſtini*, *Hilarii*, *Symachi*, ac *Macrobii* ſuâ induſtriâ correctis, atque digeſtis, lucíque publicæ per typum editis. Nec minùs *Petrus* ille à *S. Trudone* ex Subpriore hujus loci ſecundus Prior, ac demum totius Capituli Generalis, qui contra P. Lupum, alióſque Sanctum *Auguſtinum* Eremitarum non ſolùm Fundatorem, ſed & Profeſſorem vendicantes, quàm invictis argumentis teſtamentum hujus S. Doctoris pro genuinis filiis Clericis votivis ſolùm, ac unicè valiturum propugnaverit, cuíque illud ſcrutanti ad oculum patebit.

Exiſtit florentiſſimus hic Prioratus Lovanii, ſcientiâ & virtute ſuorum, quos alit, Religioſorum totô Belgiô celebratus. Mir. Donat. Belg. L. 1. C. 144. Hiſt. Mechl. Tom. 1. pag. 165.

S. Mariæ in Ludenkerke ſeu Lunenkerck Prioratus Windeſem.

Fuit hoc Monaſterium, antequam Capitulo Windeſemenſi uniretur, nobilis Abbatia Annô 1157. fundata, cujus primus Abbas *Wigboldus* à *Godefrido* Epiſcopo Ultrajectino conſtitutus dicitur, & exinde 27. numerari Miræus ait, cùm demum in Prioratum mutata eſt. Dilapsâ etenim diſciplinâ, reformationi commiſſa eſt capituli Windeſemenſis ſub Priore *Wilhelmo* an. 1428, ùt narrat Buſchius, cujus reformationis, nec non & præcurrentis peſſimæ ſubſiſtentiæ hiſtoriam, ſat dilucidè idem deſcribit, à nobis in ipſo futuro opere referendam. Hujus verò Monaſterii aſſumpta reparatio eſt ſucceſſu tam proſperô, ut paulò poſt in priſtinum optimæ obſervantiæ virorem ſe reſtitutum viderit, tum tamen ſimul (ùt Windeſemenſibus mos fuit) dimiſsô Abbatiali titulô, Prioratûs nomine inſignitum. Egit in hoc cœnobio Prioris munus laudatiſſimâ vigilantiâ *Rodolfus* de Oetmerſem ex Gremio S. *Agnetis* Montis aſſumptus, qui dein felici fine vitam in domo profeſſionis ſuæ concluſit annô 1438. ſed memoriâ dignum illud eſt, quod de quodam fratre Anonymo Buſchius enarrat hujus loci Ludenkerkenſis: hic diabolica infeſtatione ſeductus à monaſterio ſuo diſceſſum reſolvit, & jam digreſſus in oppido, Herlinghe dicto, Eccleſiam intrans miſſam auditurus divertit, cùm ecce tibi! inopinatò pulcherrimus puerulus in manibus Sacerdotis ſacræ hoſtiæ locô ſe ſe huic fugitivo Apoſtatæ conſpiciendum objicit, horret inter ſpem, metúmque homo miſer, & ſe in iniquitate ſua deprehenſum agnoſcens, ne mortis tempore hoc

ipſum amoris miraculum ſe ſe transmutaret aliquando in tremendi judicis horrendam metamorphoſim, maluit illius parvuli blanditiis capi, quàm iſtius juſtâ comprehenſione damnari: itáque reaſſumptâ intimâ in Deum pœnitentiâ ad monaſterium rediit, in quo dein usque ad vitæ finem fidelis Domino ſuo ſponſor permanſit. Refert inter monaſteria à primævo ſuo ſtatu decidua Dyonyſius Sammarthanus in deſcriptione Eccleſiæ Mechlinienſis Abbatiam Liedekercam, quam tamen non oportet cum hoc, de quo loquimur, Prioratu, anteà verò non minùs Abbatia, confundere, hæc enim propè Harlingam conſtitit, ùt diſſertis verbis teſtatur Chroniſta Windeſemenſis L. 2. C. 53. p. 518. & Thomas Kemp. in ſuo Chron. Cap. 24. pag. 64, illa verò ſita eſt in Aloſtano Comitatu, de quo nos alibi: ſicut verò illius Fundatores compertos habemus, minimè tamen Eccleſiæ Patronum, ſic in iſta S. *Martinum* tutelarem novimus, primos verò Authores ignoramus. Cæterùm hoc monaſterium pariter ſæculô 16. deſiiſſe ex notiſſimis aliorum in his locis monaſteriorum ruinis edocemur.

Exſtitit autem propè Harlingam in Friſia Occidentali. Chron. Wind. L. 1. C. 43. & L. 2. C. 53. Chron. S. Agnetis. C. 24. Chron. Mag. Belg. ad annum 1431. Buſch. de reform. Monaſt. Cap. 4. Edit. Leibn. T. 2. p. 480. Mir. L. de orig. Can. Reg. Cap. 75.

Fundat. circa an. 695. Exſtinctum.

Martini Cathedralis Trajecti ad Rhenum. Sæculum erat ſeptimum penè ad finem dilapſum, cùm Lux Evangelica Friſonum cordibus paganâ ſuperſtitione ſuffuſis irradiare inciperet operâ præcipuè, ac labore S. *Willibrordi* ex Anglia in hæc loca migrantis, qui magnam Congregationem Presbyterorum eligens, Juſſûque Pipini Francorum Regis caſtrum Trajectenſe adiens, cùm antiquatam jam, ac ruinæ proximam reciperet Eccleſiam *D. Thomæ* ſacram, eidem novum in honorem *S. Crucis* oratorium adjunxit annô 695, in quo congeſtis viribûs ipſe cum ſociis ſuis Divinæ laudi & converſioni animarum ſecuriùs inſiſteret: proficiente autem tam egregiô labore Evangelicô effecit Rex *Pipinus*; ut (quamvis renitente *Willibrordi* humilitate) crearetur hic vir Sanctiſſimus loci Trajectenſis Epiſcopus à *Sergio* Romano Pontifice, & in Eccleſia *S. Petri* Romæ ſolenniter ordinaretur. Expedit autem, ut iſthìc adjungamus verba Joannis Beckæ, prout eadem in magno Chronico Belgico referuntur: Sic igitur ille: *Reverſus*, inquit, *Beatus ad Germaniam in fundo Baſilicæ S. Thomæ propè Caſtrum Trajectenſe, Canonicorum cœnobitalium conſtruxit Eccleſiam, in qua Cathedralem Eccleſiam ſtabiliri juſſit, & eandem manu propria in honorem B. Martini Conſecravit Epiſcopi, annô Pontificatûs Willibrordi* 22; qui coincidit ad annum 718, cùm *S. Willibrordus* à *Sergio* Epiſcopus ordinatus ſit annô 696. aut juxtà Beckam 697. annô Pontificatûs *Sergii* decimô. Igitur ad hunc quóque annum fundatio, primáque Eccleſiæ hujus Cathedralis *S. Martini* Trajectenſis origo erit figenda. Néque de *Canonicis cœnobitalibus* iſtis illa æquivoca interpretatio quibusdam ſolita hìc locum invenit, quaſi iidem ſint, ac Monachi ſtrictè ſumpti, ſeu ordinis S. Benedicti; præterquàm enim, quòd eruditis compertum ſit, Beckam ſæculi 14. Scriptorem ſe ſuo tempori accommodâſſe, & *Canonicorum cœnobitalium* nomine diſcrimen feciſſe à Canonicis ſæcularibus, idémque dicere voluiſſe, ac *Canonicorum Regularium*: inſuper accedit quòd in vita *S. Suidberti* ab erroribus Pſeudo-Marcellinianis pura, diſertè legatur: *S. Willibrordum Trajecti Clericos inſtituiſſe, qui Canonicâ normâ vitam agerent, Epternaci autem Monachos.* Ubi vides Canoni-

nonicos Trajecti à Willibrordo inſtitutos monachos non fuiſſe, cùm hos Epternaci, non Trajecti poſitos expreſsè vitæ Author annunciet. Sic autem ſemel initiata perſtitit hæc Sancta Canonicorum Societas per multa tempora; Nam cùm S. *Odulphus* nonô ſæculô Friſiam eximio SanctitatisSplendore recrearet, ipſeTrajecti (ùt teſtatur Martyrologiam S. S. Uſuardi auctum) *talem Canonicum agebat*: quod confirmat Miræus in faſtis Belgicis de hoc eodem Sancto ſic ſcribens: *Ultrajectum*, inquit: *profectus Canonicis S. Salvatoris vulgò Oudmünſter, qui communem, ac velut Cœnobiticam adhuc tunc vitam agebant ſe adjunxit: & à Frederico Epiſcopo in Friſiam miſſus, ſtauria Canonicorum in communi pariter viventium Collegium inſtauravit &c.* Equidem non negavero, aliud eſſe hoc S. Salvatoris monaſterium ab altero *S. Martini*, utpote quod in illo primitùs quidem ſtatuta ſit Epiſcopalis ſedes à *S. Willibrordo*, at paulò poſt ejus obitum in S. *Martini* translata, ùt patet ex diplomatibus à Miræo L. de Can. ſæc. relatis, & ex Epiſtola S. *Bonifacii* ad *Stephanum* PP. annô 754. transſcripta apud eundem Miræum in codice Donat. C. 10. Sed tantus videtur iis temporibus inter utrámque Eccleſiam fuiſſe nexus, ut quaſi unum in ambabus gremium, unáque vitæ ratio cenſeretur. Certè, dum S. *Odulphus* dicitur, ſe Trajecti Clericali militiæ mancipaſſe, & juxta Miræum, Canonicis S. Salvatoris ſe adjunxiſſe, vita ipſa ſic factum iſtud enarrat, ut monaſterium utrumque confundat, legitur enim: *Vir Deô plenus juxtà veridicam vocem in Evangelio dicentis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus Diſcipulus, poſtponens patrem, propinquos, agros, familiam, omnémque poſſeſſionem, quò viſum eſt ei Chriſto Duce pergere, pauper rebûs, dives meritis contendit properare, nihil enim habere deſiderabat in hoc ſæculo, ut à Domino ſecundùm ſuam promiſſionem centuplum acciperet, & vitam æternam poſſideret in futuro. Quo in loco tunc temporis erat quidam magnæ Sanctitatis Epiſcopus nomine Fredericus, qui Sanctum virum cum magno ſuſcepit gaudio, & honore condigno, omnéſque ſecum unanimiter Servi Dei, qui inibi erant coadunati, Domino congratulantur tam ſanctum, tam Religioſum adveniſſe Dei famulum.* Hæc ibi. Ex quo ſanè, meâ quidem opinione, quid eruas, quô *Odulphum* monaſterii S. *Salvatoris* potiùs, quàm S. *Martini* Canonicum adſtruas, haud reperies, niſi approbes, quod notavimus. Nec ſolùm ſæculô, ùt diximus, nonô, ſed adhuc undecimô ambo hæc monaſteria regularia exſtitiſſe arguunt acta S. *Wolbodonis* Epiſcopi Leodienſis, in quibus iſta leguntur: *Ante Epiſcopatum apud ulterius Trajectum ſub Religioſis admodùm Patribus in Eccleſiaſticis Clauſtris vitæ adolevit diſciplinis, quibus poſteà ex bono diſcipulo optimus Magiſter effectus ſubditorum vitam exercere ſtuduit. Et licèt Præpoſitus factus exteriorem curam ſuſcepiſſet, apprimè tamen regendis interioribus conſtanter invigilabat: & ſe ipſum quidem antè omnia ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubjiciendo, alios ſecum intra anguſtas illius viæ aras, quæ ad vitam ducit, tam exemplis, quàm documentis cohibebat ---, nullúſque alicui evagandi, aut à ſancta religionis tramite exorbitandi ſub eo locus erat. Hunc ob eximiæ vitæ meritum Imperator Henricus miro Charitatis affectu amplectebatur; qui & eundem invitum ab Clauſtri quiete abduxit &c.* Singula hæc manifeſtè demonſtrant, Monaſterium Trajectenſe *Wolbodonis* tempore, id eſt, circà annum 1020, & ultrà, regulare fuiſſe, non tamen (ùt perperam vult Wion, Dorganius, aliíque) ordinis S. Benedicti: Nam ſeu dicant hi *Wolbodonem* ſolùm, Stabulenſem monachum; ſeu etiam monaſterium Trajectenſe Benedictinum, in utróque falluntur, ac corriguntur à Reinero Monacho Leodienſi Benedictino ſæculi duodecimi Scriptore, ſic de *Wolbodone* ne-

noſtro, & Ultraiectino monaſterio enarrante: *Juventute*, inquit, *ſpectabili, ùt palma florens --- omnes in Clero præcellebat Eccleſiæ Ultrajectenſis; in qua etiam fuerat Canonicus à puero; quæ tunc temporis religione, paritérque divinis & humanis vigebat diſciplinis ---- ad Præpoſituram deinde majoris Eccleſiæ* (id eſt Cathedralis *S. Martini*, ex quo confirmari adhuc hoc tempore vides ea, quæ ſuprà retulimus) *promotus ſatagebat tanquam fidelis Diſpenſator, & prudens, qualem in Evangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici menſuram confratribus ſuis, --- --- Nec tamen pro cura exteriorum, curam negligebat interiorum, ſed piè ſeverus, diſcretè diſtrictus, omnem cohibebat indiſciplinationem; practicæ quidem, ùt Martha, Theoricæ inſiſtens ùt Maria. Quoniam ergò Canonicus, REGULARIS interpretatur; opportunè, importunè arguebat ſubditos, & obſecrabat tam moribus, quàm habitu eſſe regulares, illud tenens Salomonis, tene fili diſciplinam &c.* Hæc quidem Reinerus, ùt diximus, Monachus, qui profectò nunquam *Wolbodonem*, ejúſque confratres Canonicos pronuntiâſſet, ſi monachi fuiſſent. Ex quo pariter concludes, quæ in Annalibus Benedictinis de hac majore Eccleſia leguntur, ſcilicet: tempore *Gregorii* Trajectenſis, id eſt, circiter annum 754, non duplex fuiſſe inibi monaſterium *Clericorum* & *Monachorum*; fundamentô hujus aſſertionis deſumptô ex diplomate *Pipini* Regis apud Cointium, in quo donationes à *Pipino*, *Carolo*, & *Carolomanno* factæ confirmantur in ſtipendium Monachorum, vel Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Chriſtianitatem convertunt: nec verius certiúſque eſſe, quod idem horum Annalium Author ſubnectit inquiens: *quamquam dici poſſit, eosdem ſimul dici monachos, & Canonicos:* idque planè ideò, quòd alioquin, excepto hoc unico diplomate in pluribus quàm viginti diverſis, ſeu privilegiorum, ſeu aliorum veterum actorum documentis, quæ ad manus habeo, ne ſemel quidem hoc nomen Monachi ſeorſim, & cum diſcrimine exprimatur, frequentiſſimè autem ſolùm nomen aut Clericorum, aut Canonicorum; ùt eſt in Privilegio *Ludovici* Pii annô 814. dati, item *Lotharii* primi annô 858, ubi expreſsè in Eccleſia *S. Martini* viventes ſolo nomine Canonicorum notantur: Adde vitam à Reinero conſcriptam; Martyrologium M. S. Eccleſiæ S. Laurentii; Chronicon mag. Belg. &c. undè verbis illis diplomati inſertis *Monachorum*, vel *Canonicorum* alii ſignificari nequeunt, niſi *Canonici Cœnobitales*, de quibus Becka, aliíque. Quodſi fortè monachos exſtitiſſe quis ideò affirmet, quòd nonnullis in Chartis legantur inſerti *Servi Dei*, aut *Fratres* Cœnobii &c. per quos quidam è recentioribus Scriptoribus paſſim intelligendos opinatur monachos (ùt ſæpiùs, nec tamen ſatis unquam opinionem adeò exorbitantem notari meritò cenſemus) multùm fallitur: nam annô 993. Canonicos ſine monachis in eadem Ultrajectina Eccleſia fuiſſe nemo negabit ex eruditis, & tamen in Charta donationis eodem annô à *Frethebaldo* Viro quodam nobili data iidem Canonici *Pontificalis Cathedræ fratres*, item *utriúſque monaſterii fratres*, deníque *fratres in Trajecto commorantes nuncupantur*. In *Lotharii* autem diplomate an. 858. emiſſo, iidem, qui dicuntur *Canonici*, in fine vocantur *Servi Dei*, ſic enim Lotharius: *Didicimus, quòd Trajectenſis Eccleſia, quæ in honore Chriſti Confeſſoris Martini conſtructa eſſe dignoſcitur, barbaricâ imminente nequitiâ pene deſtructa & ad nihilum redacta ſit, Canonicique olim in ea militantes paſſim per diverſa loca quidam diſperſi, quidam etiam interempti ſunt.* Ad finem autem tradendo in ſubſidium monaſterium RuremundenſeS. *Petri*, ſic effatur: *Monaſterium in honore S. Petri conſtructum, quod Bergh nuncupatur, ad præfatam ſedem Trajectenſem*

jectenſem ſub omni integritate tradimus, per omnia tempora ad conſolationem & tutamen'u n Rectorum ejusdem ſedis vel Cleri famulaturum concedimus, quatenus PRÆSIGNATI SERVI DEI noſtrâ perceptâ liberali munificentiâ - - - - pro noſtra ac prædeceſſorum noſtrorum ſalute liberiùs exorare delectet. Exiſtere tamen primitùs, *S. Willibrordi* tempore, cum Canonicis monachos potuiſſe non inficiamur, quod ſanè pluribus in locis factum, partim quòd ad meſſem colligendam ampliorem animarum neo-converſarum, aut conventendarum, monachi vocarentur, & adſciſcerentur, poſtmodum in ſinum Canonicorum, quorum profeſſionem exin aſſumebant; partim, quòd, Canonicis curâ animarum diſtentis, monachi intereà Divinam pſalmodiam aliâque domeſtica miniſteria peragerent; prout hæc omnia fuſiùs in diſſertatione noſtra Exegetica demonſtravimus. Atque hæc ſynopticè notâſſe de certitudine inſtituti Canonici, & quidem votivi, in utrâque tam *S. Martini* quàm S. *Salvatoris* Eccleſia intereà ſufficiet.

Floruerunt autem viri in his ambobus Cœnobiis præclariſſimi, & Sanctitate æquè ac doctrinâ illuſtres; inter quos vel unum *Gregorium* Trajectenſem, *Fridericum* & *Odulphum* nominâſſe ſatis ſit, quamvis non ignoremus, hanc nobilem Triadem alienis caſtris à quibusdam Scriptoribus adnumerari, & cum primis S. *Gregorium* atque S. *Fridericum*, de quo poſteriore, cùm Florarii Sanctorum Author, iſque Canonicus Regularis, ſcripſiſſet: *apud Trajectum inferiùs natale S. Frederici Ep. M. de ordine Regularium &c.* malè audire cogitur apud nonnullos, & ita quidem, ut dicatur: *quod prout illud ſine probatione aſſeritur, ita etiam ſine refutatione negetur.* Nos tamen leniùs, parciùsque agendum cum hoc auctore opinaremur; eò, quòd licèt probationem adferat nullam, utpote ſuo propoſito ſcribendi non neceſſariam, attamen rem prudenter ſupponat confectam, quam & legit ipſe, & legiſſe fortè non dubitaverit illos, quos judices præmetuere poterat: etenim eum in Eccleſia Cathedrali enutricum, diſciplinis Eccleſiaſticis ſub *Ricfrido* inſtitutum, ac deníque ſacris majoribus ordinatum vita ipſa enarret, qualem alium niſi Ultrajectenſem cum aliis Canonicum dices? prætereà antiquiſſimis Pontificum Trajectenſium Chronicis, ubi de S. Friderici actis agitur, hæc inter alia inſeruntur: *ſanctus autem Epiſcopus inde ſuam Diæceſim, undecúnque perluſtrans, pervenit ad Friſiam, ubi de S. Trinitate percepit, Arianam inoleviſſe perfidiam, quam & ipſam cum magno laboris ſtudio prorſùs exſtinxit, & poſtquam B. Odulpho S. Salvatoris CONCANONICO Stavrienſem Eccleſiam commiſit, omnibus bene peractis Trajectum ſaluberrimè transfretavit. Concanonicum* nominat Chronicon, ut indè manifeſtè diſcas, quàm meritò Florarii Author eum ſtatuerit æquè, ac B. *Odulphum* fuiſſe ex ordine *Regularium*. Præcipuè cùm juxta Reinerii in hac ipſa cauſa ſententiam *Canonicus* interpretur *Regularis*. Sed quæ de *Gregorio* & *Odulpho* dicenda adhuc ſuperſunt, aliò differrimus.

Deníque quo tempore ſæculares, *S. Martini* Eccleſia, Canònicos exceperit, incertum manet: id tamen extrà omne dubium, nobiliſſimam hanc Chriſti ſponſam, poſtquam ob multorum meritorum prærogativas à *Pio IV.* annô 1560. Archiepiſcopali culmine inſignita eſt, mox exorto hæreticorum confœderatorum tumultu, defeciſſe. Unicô enim *Fredericô Schenck* inauguratô, ac annô 1580. defunctô, duo reliqui *Hermannus* Comes à Rennebourg, & *Joannes* Bruheſen nominati quidem ſunt, ſed poſſeſſione fruſtrati, univerſis Archi-Epiſcopatûs proventibus in fiſcum contractis, ex quo Vicarii ſolùm conſtitui cœperunt, quales usque nunc perſeve-

ſeverant; néque tamen his juribûs ſuis quierè fruentes, dum annô 1724. à Janſenianis ac Queſnellianis *Joanni* Van Beylevelt alius dictus Cornelius Steenhoven abſque ulla Pontificia confirmatione oppoſitus eſt, & die 15. Octob. conſecratus (Orthodoxis nequiquam reclamantibus) per Dominicum MariamEpiſcopum Babylonienſem, ſed dudum excommunicatum.

Miræus L. 1. Don. piar. C. 1. & L. 2. C. 6. & C. 12. L. Dipl. Belg. C. 27. Foppens. nov. Collect. p. 2. C. 194. Chron. Belg. Edit. veteris f. 27. & 55. Alrfridus cir. acta SS. apud Boll. in vita SS. Ludgeri, Odulphi, Friderici, & Wolbodonis. Sur. 7. Nov. in vita S. Willibrordi, Mabill. Ann. Ben. L. 23. n. 15. &c.

Fundat. ſec. 7. ſæcular.

Mechlinienſe S. Rumoldi Abbatia. De hac ſi admitterenr promiſſæ ſynopſis limites, vix contineri poſſemus, quin prolixiùs ageremus, eò quòd nullum in Belgio monaſterium reperiatur majoribus dubiis ac obſcuriſſimis, ut ita dicam, ſubjectum principiis: occurreret ſanè inter alias quæſtiones præcipua, quæ propriè primitùs illa Eccleſia fuerit, quam *S. Rumoldi* jam diu nuncupârunr? an, quæ à quibusdam *S. Stephani* dicta, an alia ab illa, quam in Ulmo ipſe Sanctus conſtruxiſſe memoratur; aur ab illa, in qua perhiberur ſepultus, quæque in excellentiſſimam poſterioribus temporibus excrevit Fabricam, digna ut demum Archipræſulis Mechlinienſis ſedes fieret, & metropolis. Dein mox ſe alia offerret quæſtio, de ſtatu, Conditione, normaque vivendi *S. Rumoldi*, præcipuè quòd eum Noſtri in proprium ſuum retulerint, quaſi *Canonicum Regularem*, in proprium, inquam, ſeu breviarium, ùt vocamus, ordinis; quibusdam non exiliter odioſum, jam tanquam *liberalius* in celebrandis Sanctorum Feſtis, jam tanquam *exemplô minùs probatô, à Lateranenſibus enormiter auctum*, & ſi quæ ſunt alia, quæ noram ingerere poſſent, ut proprium illud fraude carere non poſſet, quòd Sanctorum plurium nomina ſub Auctoritate *Pji Qninti* compoſita ac conceſſa præferret, in hujus ramen pontificis Bulla nè quidem apparentiâ. Sed nos conſultò ab utráque abſtinemus, non Argumentorum ad rem noſtram facientium defectu ſed nè ſphæram hic noſtram tranſiliamus, ſolùm memoravimus iſta, ut nos libera veritate reſponſuros alibi iis, qui Breviarium noſtrum *liberale* Arguunr, certò confidant.

Vide Bolland. in hiſtor. Chron Epiſcoporum Hieroſol. t. 3. Maji. Pag. 9011. n. 221. & 222.

Tetiam ergò ſolam, quæ hujus loci eſt, quæſtionem proponimus, ſuſcipimúsque, Breviter tamen, reſolvendam; an Eccleſia Mechlinienſis quàm, *S. Rumoldi* antiquitas ſemper nominavit, quamque ſupponimus ex Miræo eam ipſam à *S. Rumoldo* in ulmis exſtructam eſſe; an, inquam illa jure poſſir inter noſtrâ cænobi recenſeri: nos certè de hac re nec ambigimus quidem; cauſas ſimulque ex iis ejusdem originem & hiſtoriam accipe ſequentibus: *S. Rumoldus* ex alienis terris Sæculô octavô inclinante, in Belgium Evangeli prædicandi causâ adveniens, Mechliniam attigit, ubi *multâ grutiâ receptus ab illius loci Comite Adone, gratiam eidem cæleſtis benedictionis rependens, uxorem din ſterilem fæcundandam promittit, precibúsque ſuis efficit, ùt prole maſcula eos cælum bearet, quàm ipſe S. Rumoldus, ùt ſpoponderat, è ſacro fonte lavavit, & Libertum nominavit*: cúmque beneficium iſtud non exiguâ munificentiâ remunerari pararent ambo Deo aliunde devoti conjuges, præcipuè, quòd unigenirum ſuum vitâ (utpote cùm reliquis pueris aliquando ludenrem & ſubmerſum) novô miraculô ab eodem recepiſſent incolumem, *veſtra* inquit, *Rumoldus. Vobis ſint, nam aſpernamur caduca, ut tamen ſatisfaciatis advenæ veſtro, deſertâ paludis hujus nobis dari depoſco, non, ùt alieno*

no delectemur fundo, ſed ut labore noſtro inibi ſervorum DEi proficiat manſio. Favet ſtatim Comes, quod petebatur, offert ex voto, teſtamentabilis conſcribitur pagina adſtipulatione ſubnixa, nomen loco ulmus ob ulmorum illic luxuriantium copiam. Adunantur Deo militantium copiæ, accreſcunt omnia, quæ ad uſus pertinent Eccleſiæ usque ad conſummati operis ſummam. Sic fermè vitæ à Theodorico Abbate ſcriptæ contextus de Eccleſiæ, ac cænobii ulmenſis exordio, liberam| fors cuique malente opinionem relinquere, quos ſecùm inibi verbi divini Miniſtros conſtituerit, Clericos illos, an monachos? at qui paucîs annîs Theodorico Junior, de eadem Ulmenſi Eccleſia ſcribit, deſignat ſimul inſtitutum Baldericus Epiſcopus: *apud Machlinas*, inquit, *eſt Monaſterium Canonicorum, ibi quieſcit pretioſus Dei Martyr Rumoldus, genere Scotus, qui vitam Eremiticam ducens inibi matyrisatus eſt.* Ex quo de eodem hoc

L. Nat. Belg. ad 1. Jul. i. monaſterio Molanus, *fuit*, inquit, *ab initio Fundationis non Monachorum, ſed Canonicorum monaſterium quomòdo in Chronicis Cameracenſibus ante annos fere Sexentos conſcriptis nominatur.* Sed néque Theodoricus omnem Clericalis ibi inſtituti men-

apud furi- 1. Julii n. 3. circa finem. tionem intermiſiſſe videtur, *adunantur* (ſcribit) *illic Deo militantium copiæ, accreſcunt omnia, quæ ad uſus pertinent Eccleſiæ usq; ad conſummati operis ſummam, ille ipſe poſthumus Libertus inibi adoleſcit & eruditur &c.* Has militantium copias profectò non aliorum niſi Deo Sacratorum hominum per vota conſidero tanquam vitâ communi adunatorum, & certiſſimè Religioſorum: nec diſcepto, an ſoli illi Clerici fuerint, an intermixti monachi? pro ſolis Clericis pugnat Molanus, ùt audivimus: Neque tamen poſteriorem opinionem tuentibus penitùs reſiſtam, dum lego eo tempore, & quidem in terra Belgica tale quid jam *S. Bonifacium* & *Willibrordum* ſtatuiſſe, de *Bonifacio* Arguunt Pippini litteræ apud Miræum Donat. Belg. L. 2. C. 6. Quibus dona certa Eccleſiæ Ultrajectenſi confirmat in *Stipendiis Monachorum vel Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Chriſtianitatem convertunt.* De *Willibrordo* autem refert vita apud Bol. t. 1. Martii n. 2. quòd hic Trajecti ad Rhenum *Canonicos, & Monachos Apoſtolatûs ſui adjutores, ac ſocios, in uno atque eodem cænobio vitæ cujusdam Communis ſocietate devinxit úsque eo, dum Religioſis viris utriúsque Ordinis propria cænobia, in diverſis Eccleſiis aſſignari poſſent.* Néque hoc mirum, monſtravimus enim aliàs, quòd arctô Charitatis ac Communionis Vinculô ſalvâ tamen ſemper utriúsque inſtituti diverſitate pluribus in locis convixerint monachis Clerici atque Canonici; ſed ad præſentis rei notitiam hæc inſinuaſſe ſufficiet. Intereà confirmat noſtram de Canonicis, ſeu Clericis, iisque Regularibus in Ulmenſi Eccleſia primitùs conſtitutis ſententiam hiſtor: quoque Mechlin: ſcriptor: dum ex S. *Rumoldi* vita ait. t. 1. p. 23. ab hoc Sancto *Libertum Adonis* Comitis filium *Clericis regulariter in Ulmeto viventibus poſteà Præfectum* fuiſſe. Rabie deinde Nortmannorum terram Mechliniam (ſi ſolam Eccleſiam Ulmenſem excipias) dirè per 18. annos ſub *Carolo Craſſo* depopulante, de fuga ſibi Religioſi conſuluêre, ultra centum annos omni penè cultu Eccleſiaſtico inde Sublato, & ipsâ præfatâ orbatâ Baſilicâ niſi, quòd quædam ibi à Theodorico memoretur Nonna, ſeu Matricularia ſonandarum campanarum officium habens manſiſſe. Nonna, inquam, absque dubio una ex Senioribus illarum Virginum Sacrarum, quæ reparatam à Mathilde filia Raſonis, qui Adonis ſuperiùs relati, benefactoris erga *S. Rumoldum*, Frater fuerat poſt annum 832. ædem Ulmenſem incoluére, ibíque cuſtodiæ dictæ ædis, & reliquiarum S. Martyris adhibitæ, divinæ modulationis obſequio deſerviêre; à quibus (ùt ſuperiùs diximus) origi-

ginem ſuam duxêre Virgines Bleyenbergenſes. Miraculum ſiquidem illud cum antedictâ Nonnâ poſt Priorem irruptionem Nortmannicam an. 832. patratam contigiſſe certiùs eſt : ex quo dein hæc virgo (quam *Gerlindem* dictam inſinuavimus ibidem) novam Virginum Coloniam ſedatis Barbarorum furiîs çollegiſſe, at (iîsdem Barbarîs iterum hæc loca vaſtantibûs, & Monialibús undequáque diſpersîs) denique pacis quóque relictô fœdere circà annum 880. miraculoſè à captivitate liberata hoc ſacellum cuſtodiîſſe videtur. HincCertiore conjecturâ utemur dicentes, *Gerlindem*, ſi quas forraſsè Virgines ſacras collegerit Piorum hominum beneficiô, non in ipſô eôdem locô, ſeu Ulmeto, ſed aliquantum ſeparatô ſuum fixiſſe Domicilium. Certè harum Virginum continuam & antiquiſſimam propagationem, id eſt, à ſæculi octavi fine, quô *Gerlindis* adhuc vixerat, Mechlinienſes ſcriptores tradunt, ut videre eſt apud Geſtelium. t. 1. pag. 80. verùm continuò easdem in Ulmenſi monaſterio reſediſſe, ut credamus, obeſt cartba *Caroli* ſimplicis, qua annô 910. Epiſcopo Leodienſi *Stephano* conceſſit hanc Abbatiam, in quam paulò poſt, ſcilicet annô 934. Ricbarium Epiſcopum ex S. Lamberti Abbatem Canonicum induxiſſe, & Notgerum tam Canonicis quàm præbendis dotâſſe certum eſt, igitur ſicut ab eo tempore de Virginibus ibidem nullâ mentîo, ſic probabiliùs, easdem aliò quamvìs non longè ab hoc loco transîiſſe.

Ulmenſis hæc Abbatia, quæ deinceps in Cathedralem mutata eſt, à Pennoto noſtro tum demum, id eſt, annô 1559. dicitur ſæcularis effecta, cui ſubſcribere neutiquam poſſumus, documentis nimis apertè contrarium teſtantibus, utpote, quòd legamus, Canonicos ſæculò quartô decimô inclinante non ſolùm præbendatos, ſed & teſtatos legaliter, quod tunc maximè in

Pen. L. 2. C. 38. n. 9.

Belgio apud Regulares neutiquam ampliùs receptum erat niſi fortè autumes, hoc per nimiam relaxationem in Mechlinienſi factum eſſe Ecclesia : quòd tamen aſſerere, nullìs poſitivîs argumentis exſtantibûs, non præſumo.

vide Nov. Coll. Dipl. p. 2. c. 133.

Bolland. act. SS. 4. Julii vit. Sancti Rumoldi in Comment. ac notis. Foppens. Nov. Collect. P. 1. C. 11, Mir. de Can. ſæc. C. 74. & cod. dipl. p. 1. C. 2. hiſt. Mechlin. t. 1, pag. 34. & 35. Fiſen. hiſt. Leod. P. 1. an. 881. n. 18. Gall. Chr. t. 3. col. 78. & t. 5. Col. 29.

Metenſis S. Stephani Ecclesia Cathedralis. Hujus exordia primis temporibus adſcribenda, ſuadent monumenta non exilia, tempore certè *S. Servatii* Epiſcopi Tungrenſis, hoc eſt, Sæculô 5tô, floruiſſe illam præcipuô Divinæ Clementiæ præſidiô, patet ex veterum Hiſtoricorum unanimi propè teſtimonio, dum dicunt, Attillâ Galliæ loca devaſtante, virum Sanctum Romam ad limina Apoſtolorum profectum, ut imminentem reſiduis partibus Dei iram precibûs ſuìs averteret, à B. *Petro* audiviſſe, totam ferè Galliam tradendam Barbarorum incendio, prærer ſolum Proto-Martyris *Stephani* Oratorium, Metis conſtructum: Quòd & factum, S. *Authore* Eccleſiam tunc Metenſem moderante.

Fundat. ſæc. cir. Quart. ſæcu laris.

Clericos verò jam tum ad hanc Eccleſiam communi vitâ fuiſſe congregatos, dubitare non ſinit eorum temporum adhuc in Cathedralibus Eccleſiis vigens Apoſtolica diſciplina : Attamen certi nihil antiquis documentis enuntiantibus, primam, quàm haurimus notitiam, nobis ſuggerunt *S. Arnulphi* acta, in quibus dignum noratu refertur : *Diſcum Argenteum cum ingenti pecuniæ ſummâ, quem in honore B. Stephani Protomartyris conſecratum, pretiô alienaverat, recepiſſe, ſicque factum, ùt & matricularii, ſeu cæteri pauperes Dei ſuſtentationem alimonia haberent,*

rent, & res Sanctorum, quibus data ſemel fuerat, abſque ullius redderetur diſpendio. In hac narratione memorati matricularii non alii erant quàm votivi Clerici, quos prima Eccleſiæ ætas (ùt in Cypriano legitur, & nos id in Exegeſi noſtra monſtravimus) ſportularios, poſterior matricularios nominavit. Unde in vita S. *Rigoberti* ſcriptor ejus annotavit: *Quòd Canonicam Clericis Religionem reſtituit: juxta numerum quóque eorum, quotus ille in tempore erat, ſufficientia, & continua eis victualia conſtituit, quatenùs divino cultui liberiùs atque inſtantiùs inſiſtere quiviſſent. Priùs quippè, quàm exoptabilis hic Altor & Pater eorum adveniret, non eis dabatur Canonicus panis, & non erant, ut ſunt hódie Canonici, ſed ſicut matricularii.* Hoc eſt, ſi benè rem ex antiquis Eccleſiæ moribus apprehendo, cùm olim diſtribueretur unicuíque, ſicut cuíque opus erat, exinde perſecutionibus effervefcentibus, conſtitutæ ſunt ſportulæ, ùt cuíque ſua neceſſaria tribuerentur, quibus ſeorſim vivere poſſet, violentiis illis communem menſam aliáque Communia non modicè diſtrahentibus: ſed hi ſingulariter viventes, non ideò votivi non erant. Igitur mos iſte inolevit in tantum, ut quamvís plurimi Clerici ſæculò quintò ab *Auguſtino, Alipio, Caſario, Paulino,* &c. iterum inquandam communitatem coaleſcerent, longè plures tamen eſſent, qui ab Eccleſia matrice alerentur, ſuáſque portiones pauperes Chriſti acciperent, ſeorſim tamen in privatis domiciliis degerent, & ad miniſteria ſolùm Eccleſiaſtica convenirent. Sed S. *Rigobertus*, horum matriculariorum miſertus in unam eos fecit communitatem convenire, ut Canonicum, non matricularium, id eſt, communem, non ſingularem victum obtinerent; & (ùt verè decet Canonicos) ſimul viverent in uno Clauſtro, unáque menſa non ſolùm temporali, ſed & ſpirituali alerentur: unde addit præfatus Author: *Primus Remenſium hic Epiſcoporum fertur commune eis inſtituiſſe ærarium, generaliter illorum uſibus in ſæcula profuturum.*

Arnulfus itáque Metenſis Antiſtes, ut ſuis matriculariis egentibus ſuccurreret, Diſcum illum alienaverat ex mente haud dubiè matriculariorum, qui non alii erant, quàm ejus Clerici votivè viventes, quamvis necdum communiter, id eſt, in uno Triclinio, ac dormitorio commorantes: fecerat tunc id *Arnulfus*, ſed quandò ſignatè factum ſit? úsque ad tempora *Chrodegangi* ſeu *Grodegangi* trigeſimi ſeptimi Epiſcopi Metenſis, definiri non poteſt: hic verò Sanctiſſimus Præſul quantò diſciplinæ ardore ad priſtinam votivam Clericíſque congruam vitam ſuôs collegerit, ſatis & dilucidè monſtrat ejusdem regula, non illa, quam decurtatam ac interpolatam edidit Dacherius, ſed quam ſincerinrem longè luci donavit Harduinus, in qua totum caput 31. fideliter relatum eſt: quòd in Altera (cum magno diſpendio cognoſcendæ non ſolùm genuinæ reformationis Clericalis in hoc Sanctiſſimo viro, ſed & à ſe memoratæ Prioris jam à quibusdam ſolitæ votivè vivendi normæ) deſideratur: de qua, quia alibi jam egimus hic ultro diſſerere, abſtinemus, ſolùm adiicientes ex Chronico Epiſcoporum Metenſium: Quòd *hic Clerum adunavit & adinſtar cœnobii intra clauſtrorum ſepta converſari fecit, normámque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent, quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, ut perituris vacare negotiis non indigentes divinis ſolummodò officiis excubarent.* Hinc Browerus in ſuis Annal: de *Chrodegango* quædam præclara proferens ſubdit: *Quòd verò cumprimis hic memorandum, vitam eam Clericorum poſt florentis Romani Imperii ſæcula reduxiſſe traditur, quod adeò S. Ambroſius teſtatur ab Euſebio Vercellenſi præclaro Pontifice, in Italia dili-*

gentiùs excoli cæptam, ut quem duo pariter à Clero ſuo exegiſſe memorat, monaſterii videlicèt continentiam, & diſciplinam Eccleſiæ, - - - ipſe itàque Chrodegandus, quod antiquæ litteræ loquuntur, diſciplinâ ex urbe Romanâ petitâ, rarò tum Auſtraſiæ exemplô Clericos regulares in unam communémque vitæ ſocietatem aggregavit, eóſque cænobii legibus adſtrictos, excitatis circà B. Stephani ædem ſeorſim domiciliis, ceu Clauſtro monaſtico coërcuit, - - - & multa certè in actis Chrodegandi concurrunt, quo conjecturam facias, eum normæ vivendi ac diſciplinæ, quam Canonici deinceps in Auſtraſia paſſim tenuère, exſtitiſſe vel Authorem vel vindicem. Hæc vir iſte doctiſſimus, & quem veterum monumentorum perſpicacem interpretem nemo non veneratur. *Chrodegando* poſt *Augerannum* ſuccedens *Gandulfus* Clericis ſuis adſcripſit *S. Adricum*, cujus continuata in Cathedrali Eccleſia ſuâ diſciplina ſatis exinde relucet, dum de prætacto *S. Aldrico* in vita ejus legitur: quòd, cùm is miſſionem à Rege (ab obſequio enim *Caroli* Magni fuerat) *obtinuiſſet, ut humana abdicaret ſtudia, Deique obſequiis totum ſe ſe conſecraret, à Gandulfo Metenſi Antiſtite benignè honorificéque excipitur, ac mox explorato ejus propoſito, Regiiſque, quibus prolixè commendabatur, perlectis litteris Clericorum Ordini adſcribitur, annum in eo ſacrarum functionum Tyrocinio poſuit, ac deinceps Sanctioribus ſacris initiatus Eccleſiæ S. Stephani Diaconus dictus eſt*: poſt *Gandulphus Theodoricus* laudatur 48. vus Epiſcopus, dicitúrque monaſterium urbis principale S. *Stephano* Proto-Martyri conſtruxiſſe, adeptô ipſius brachiô à Biſontica civitate. Monaſterium iſtud non aliud fuit, quàm Clericorum in commune viventium domicilium, quod adeò hoc nomen à vita communi promeruit, ut multi graves Authores non dubitaverint vel ex hoc ipſo *monaſterii* (ab antiquis ſcriptoribus Clericalibus habitaculis impoſiti) nomine definire in tali loco Canonicos *votivè* & *regulariter* viventes exſtitiſſe. Certè Chiffletius in ſua Veſuntione ſic eruditè diſcurrit ad hoc nomen *monaſterium*, ut dicat, *frequens in antiquorum ſcriptis MONASTERII nomen pro Eccleſia: imò in Biſantinis ritualibus Eccleſiarum omnium Clericos ſeu Canonicos, dictos perſæpè invenias FRATRES, quod nomen ideò illis attributum puto, quòd in prima ſua inſtitutione regulares fuerint, & vitæ communi addicti.* Sic Chiffletius: Cæterùm ne longior noſtra excurrat narratio, hìc animadverſum cupimus, aliquid de *Stephani* & *Pauli* Regula, quam ſub ſolius *Stephani* nomine ſuæ concordiæ inſeruit Benedictus Anianenſis, prout eruditis notum eſt. Hanc regulam ſcriptam eſſe Metenſibus Canonicis probavit diſquiſitionum de Canonico Ordine Author Doctiſſimus, & quæ Ultrò deſiderari ad pleniorem demonſtrationem poſſent, ſupplebimus aliquando. Sub hac regula jam ab *Arnulphi*, aut certè Clodulphi tempore vivebant ſæculô ſeptimô Canonici utriúſque Eccleſiæ, *S. Stephani* ſcilicèt, & *Pauli* in urbe Metenſi conſtitutæ, & ſub hac ipſa *S. Trudo depoſito Laicali habitu*, uti de illo narrat Donatus Diaconus, *ex conſilio Clodulphi, comam ſuam in S. Stephani Proto-Martyris Eccleſia vovens ſe ſoli Domino ſerviturum totondit.* De quo jam aliàs egimus. Sic itáque hæc Eccleſia Metenſis in regulari diſciplina aliquot ſæculis ſubſtitit; Cùm demum in eandem ſæcularizationis ſortem, in quam complures aliæ, decidit, cujus tempus aliqui ad Walonis Præſulatum affigunt; credimus, tamen id potiùs tempore ſchiſmatis Henriciani contigiſſe.

Chron. Ep. Metenſ. collect. Concil. Hard. t. 7. Meúriſſ. hiſt. Ep. Met. L. 3. p. 350. vita S. Clodulph. & S. Rigob. & S. Arnulphi apud Mabil. ſæc. Ben. & Bol. Chifflet. in Veſunt. Molan. in natal. ad 6. Martii.

S. Mi-

Fundat. -- Exſtinctum.

S. Michaëlis Hemmenſe, Prioratus. Quem non audemus inter Windeſemenſia numerare, quòd illum nec apud Buſchium, ne apud Thomam Kempenſem, nec Joannem Probum in Catalogo Monaſteriorum dictorum reperiamus: igitur potius credimus à propriorum ſuperiorum, Diœceſaníque directione dependiſſe. Cœnobium id Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* fuiſſe ex Eſtii Hiſtoria M. M. Gorcomienſium diſcimus, intereà ignari omnis ejus fundationis. Solùm memoriâ digniſſimum hìc referre viſum eſt, quod idem Eſtius recenſet, quódque in magnam eſt hujus cœnobii imò totius Ordinis noſtri commendationem, ut habeant, qui minùs fortè à temporibus recentioribus tribuunt Canonicis noſtris, ideò, quaſi aut remiſſiores eſſent, aut negligentes omninò, ut pro Deo & Eccleſiæ ſuæ amore Sanguinem vitamque profundant. Ecce enim eodem (quo Joannes noſter Oſterwicanus Martyr occubuit) anno circà Kal. Octobris, *Oppidulum* (verba profero) ipſius Eſtii: *in ripa Rheni ſitum, nomine Sconhoviam obſedit Comes Lumnius, ac deditione cæpit, pactis quidem ac juratis conditionibus, ut & Catholicæ Religionis uſus, & tam perſonarum, quàm Religioſorum locorum privilegia ſalva obſeſſis manerent: ſed quorum nihil ab homine perfido præſtitum fuit. Nam non multò poſt per milites, impiæ ſuæ voluntatis miniſtros, ejus loci templa profanavit, aras evertit, Chriſti, ſanctorúmque ejus imagines confregit, ſacram ſupellectilem diripuit, Sacramenta conculcavit: tantum aberat ut Catholicis exercitium aliquod Religionis ſuæ, uti pactus fuerat, promitteret, quin verò mox ad ſolitam miniſtrorum Dei Carnificinam ſe ſe cum ſuis convertit. Erat extra muros urbis inſigne monaſterium Canonicorum Regularium montis Sancti Michaëlis Hemmenſe. Ejus Religioſi propter hoſtium excurſiones in oppidum commigrârant. Verùm ubi tutiores ſe reputabant, peſſimè tractati ſunt. Unus eorum Theodoricus nomine, Gondanus patria* (*Gonda*, ſeu *Gauda*. Hollandis *Ter Gaw*, urbs mediocris Iſelæ & Gaudæ Concurrentis ſinu excipitur) *multis vulneribus ab impio milite confoſſus, & interemptus eſt. Alii duo Jacobus & Grudanus ac monaſterii Supprior, & Cornelius Sconhovianus, ex Arbore nuce, quæ ex regione Domûs Senatoriæ ſtabat, ſuſpenſi & ſtrangulati ſunt. His tribus ad martyrium acceſſit quartus ejusdem cænobii contubernalis, Gaſparus nomine, quem equinæ caudæ alligatum Barbari illi, multis, qui rem ſpectabant, commiſſerantibus, Gondam úsque pertraxerunt, Oppidum duobus ferè milliaribus Sconhovia diſſitum, quod fraude quorumdam perditorum hominum ante quatuor menſes in Geuſiorum poteſtatem fuer.:t redactum. Illic Gaſparum ex Autenna navis, quæ erat in inſula flumine extra mœnia civitatis, atque ex oppoſito arcis, ſublimem deligârunt, & ſurſum deorſum trahentes ac retrahentes animam eidem tandem extorſerunt: tum pro ſpectaculo corpus ſuſpenſum diebus aliquot reliquerunt. Hæc paſſi quatuor illi, non ob aliud, quàm quia Catholici, quia Monachi, quia Sacerdotes erant.* Sic Eſtius Felix Cœnobium, quod tam pretioſos Martyres velut Altera Machabæorum Mater, nutrivit, & ad hunc Beatum triumphum conſtanti virtute promovit; quod licèt eorundem barbarorum dein infeſto furore ſubverſum eſt, non tamen ambigimus, glorioſo æternæ memoriæ Calculo unà cum ſuis alumnis, quos aluit, notatum eſſe tam in cælis, quàm in piæ Matris Eccleſiæ non interituro Regeſto.

Exſtitit propè urbem Sconhoffiam ad ripam Rheni à Dictæ urbis ſiniſtris. Eſtius hiſt. Mart. Gorcom. L. 4, C. 2.

Mittelburgenſe, Abbatia. Hujus cænobii latere originem ejúsque fata úsque ad annum 1123. *Fundat. -- Exſtiantam,*

fa-

fatentur, qui hactenùs de eo meminerunt, ſcriptores; hôc verò annô regularem diſciplinam in dictô monaſterio miſerè peſſumdatam fuiſſe notat Joannes de Beka auctor Chronici Trajectenſis, qui in *Godeboldo* Epiſcopo Trajectenſi ait: *Hic Epiſcopus Regulares Canonicos habitantes Middelburgi propter inordinatam eorum converſationem, expulit, & religioſos monachos Ordinis Præmonſtratenſis, de Cænobio S. Michaëlis Antverpienſis illuc attulit.* Legimus autem, magnam ad horum reformationem dictô annô operam impenſam fuiſſe: nam Jacobus Meyerus ad annum 1123. inquit: *Albaldus Abbas Formiſellenſis* (de quo nos mentionem fecimus, ubi de hoc cænobio actum eſt) *poſtquam per annos 22. laudabiliter præfuiſſet, & bona multa præcipuè in Testrep* (locus eſt propè oſtendam mari merſus) *Cænobio aquiſiviſſet, factus eſt Abbas apud Waltighem, id eſt, Middelburgum in Wallachria, qui primùm Regulares fuêre, ſed non multò poſt facti ſunt Præmonſtratenſes.* Ex quo colligimus Albaldum virum religioſum, ac diſciplinæ Zelatorem ideò ad hanc Middelburgenſem Abbatiam, indubiè petente *Godeboldo* prænotato Epiſcopo, translatum, ut perverſos Canonicorum mores ad ſtatutum obſervantiæ tramitem reduceret, aſt in obſtinatis jam ad malum animis nihil optimum virum profeciſſe arguit paulò poſt inducta Præmonſtratenſium colonia, & ipſorum malevolorum ejectio: nam Wilhelmus Heda de eodem *Godeboldo* narrat: *Quòd in Middelburgo oppido Wallachriæ Canonicos Regulares propter eorum petulantiam amovens, Religioſos Ordinis Præmonſtratenſis ex Antverpia in locum eorum accitos inſtituit.* Joannes autem Reygerſpergius in Chronica Zelandiæ ait, eoſdem aliò translatos fuiſſe. Cæterùm an inductæ diſciplinæ Præmonſtratenſi ſe ſubdiderit Alboldus quóque, ut putat Papebrochius, nobis non eſt liberum decernere, documentis ad id affirmandum omnimodè deficientibus: At Iſaacum Formoſellæ ſucceſſiſſe Alboldo, annô 1222. vel 1223. Wallachriam ſeu Middelburgum translato, ut docet Meyerus, non ſubſiſtit, cùm dictô annô in Charta ſeu Privilegio à *Carolo* Bono Canonicis Loënſibus dato ſubſcriptus reperiatur, *Adam Formoſelenſis Præpoſitus*, ideóque Iſaacum Adami Succeſſorem fuiſſe, non Albaldi certum eſt. Hæc de Middelburgenſi Abbatia dicta ſint, dum ampliora ſuppetent: de quibus tamen dubitamus, totâ Wallachriâ, ſub jugo Heterodoxorum, fidem Catholicam amittente, nec eruditiones tales (ut Saxoniâ: curante.

Sita erat hæc Abbatia, ut videtur, in ipſa urbe Middelburgenſi. Meyerus Ann. Fland. ad an. cit. Miræ. nov. edit. p. 374. acta SS. t. 3. 6. Junii.

Monicæ Virginum Canonicarum Prioratus. Erat hic ſacer locus Anglicarum Virginum Domicilium, quarum induſtriæ ac pietati ſuum debet initium. Cùm enim ſeptem Anglicæ, veréque Anglicæ puellæ in monaſterio *S. Urſulæ* Deo ſua vota religioſa prompſiſſent, indè cum venia ſuperiorum recedentes novo Cænobio fundamenta (vilia quidem ac rudia) in Parochia S. *Jacobi* jacerunt, interea ædem à Ulierbacenſibus Benedictinis ſibi locantes, paulò poſt verò juſtô pretiô plenè in ſuos uſus religioſos redimentes, ac in vetuſtum ſatis Parthenonem permutantes, Eccleſiâ B. Virgini immaculatè conceptæ ac S. Michaëli ſub titulo S. Monicæ conſecratâ, junxerunt ſe poſtmodum his ſeptem Virginibus decem aliæ, Anglæ omnes cum duobus ſororibus converſis ex præfato S. Urſulæ monaſterio huc tranſeuntes, ſuíſque locum iſtum bonis immodicè dotantes, qui uſque hodie egregiè floret; Fundat. 1609. Floret.

ret; viſitúrque ibi inter reliqua ſacra Cimelia Cilicium devoti Chriſti Martyris *Thomæ Mori*, ac Rosarium ejusdem, quibus Deo Matrique ejus Sanctiſſimæ ſe pium, Sanctúmque ſervum exhibuit.

Exiſtit Lovany in Urbe. Hiſt. Mechl. T. 1. p. 175.

Fundat. in Nerv. **Mons S. Eligii ad S. Vindicianum Abbatia.** Montem hunc, quem ſæculô ſeptimô S. *Eligius* Noviomenſis Epiſcopus cum S. *Vindiciano* orationis cauſâ, & internæ contemplationis ſtudiô frequenter viſitabat, demum alioquin à nullo homine exultum, minùs inhabitatum Oratorio quodam providit, denósque viros pios incolere fecit Deo Anachoretarum more ſervientes; Nomine etiam ſuo, ſicut & miraculorum gloriâ exinde cohoneſtavit, cui paulò poſt incrementum prodigioſum S. *Vindicianus* (vitam eremiticam inibi eligens, & Epiſcopatu Cameracenſi per aliquot annos ſtrenuè, ſanctéque gubernato, in cælum abiens, corpusque ſuum huic monti intumulandum relinquens) mirum in modum adjecit. Hac beneficiorum cæleſtium famâ, atque largitate allecti undequáque populi devotionem ſtabilem ad eum montem peregrinantes continuavere usque ad immanem illam Nortmannorum an. 881. irruptionem, à quo tempore devaſtatô oratoriô, totóque ſacrô locô expilatô, omnis devotio ſub ruderibus unà cum ſacris *S. Vindiciani* Lipſanis ſepulta, ſimúlque ſuppreſſa jacuit. Cùm dein annô 940. quibúsdam juvenibús Clericis montem illum caſu relaxandi cauſâ conſcendentibús, unus eorum inter ruinoſa veteris Eccleſiæ rudera conſiſtens baculi ferrata cuſpide fodicare locum illum, curioſitate puerili ductus, incipit, mox autem ad hoc attentatum, neſcius, quid præſumeret, utroque lumine orbatur; quódque mirabilius, vix dum à ſociis in hoc cæcitatis diſcrimine admonitus, ut ſe *S. Vindiciani* gratiæ fideli animô commendaret, ipſe id enixè præſtiterat, utrumque lumen recepit evulgatô hoc duplici per totum Cameracenſem Viciniam miraculô, *Fulbertus* Epiſcopus montem Eligianum adiit, indiciis certis, ſibíque jam notis ſepulchrum *S. Vindiciani* eo ipſo in loco, ubi Clericus ille juvenis foderat, inquirit, reperítque; tum ſenticetis undequaque extirpatis Eccleſiam præſtanti, ac eximiâ formâ conſtruit; ſacráque oſſa *S. Vindiciani* in noviter paratam argenteam capſam recondit, ad altare recenter poſitum collocat, & SS. *Petro, & Paulo* atque *Vindiciano* dictam Eccleſiam conſecrat, octò Clericis, ſeu Canonicis ad cuſtodiendum ſacrum theſaurum inibi conſtitutis; quos dein annô 1068. *B. Lietbertus* ad Sanctiorem vitam reducens regulæ Auguſtinianæ ſecundùm generalem reformationem iis temporibûs aſſumptam ſubdidit. Hic eſt *Lietbertus* ille tanta vitæ integritate, morúmque exemplô inſignis, ut, cùm in Epiſcopum conſueto uſu eligeretur; Rex ipſe non tam eligentium vota confirmaret; quàm præcurreret, & cui cælum ipſum favere videbatur: nam *dum more ſolito*, ùt inquit vitæ Author, *in Conſecratione ejus Sanctorum codex aperitur Evangeliorum, repertum eſt, quod ait: Hic eſt filius, in quo mihi complacui. Hic ergò Sanctus Epiſcopus* (cujus vitam aliquando inter Epiſcopos Cameracenſes dabimus) *in monaſterio S. Vindiciani* (ut cum præfato vitæ *Lietberti* ſcriptore loquamur) *apud montem S. Eligii Clericos regulares conſtituit, & ejectis illis, qui negligenter ibidem ſerviebant, multa de ſuis bonis ibi deſervientibus ſuperaddidit.* Spicil. T. 2. 142. Tali virtutum fænore, quale usque hodie in eadem celeberrima Abbatia eſt reperire. Cogor profectò, ut

ut præſtitutum compendii limitem in deſcriptione hujus excedam, materiâ nimiùm quantum jam nunc ad eam abundante, hinc quædam adducere, quamvis ampliora, non omittam.

Conſtituta ſiquidem hac per piiſſimum *Lietbertum* reformatione, cùm ipſe paulò poſt ad præmium meritorum ſuorum avocaretur, an. ſcilicet 1076. Canonici Sant-Eligiani ſui inſtituti confirmationem à *Lamberto* Epiſcopo Atrebatenſi multis obtinuêre prærogativis, quædam depromere ex hujus confirmationis charta licebit. Ait itaque *Lambertus : Legimus in geſtis Atrebatenſis, Cameracenſisq; Eccleſiæ, Dominum Fulbertum earundem urbium Epiſcopum, corpus B. Vindiciani de terra elevâſſe, eóque in loco, qui mons videlicet S. Eligii dicitur, Eccleſiam priore deſtructâ readificâſſe, de titulo Apoſtolorum Petri & Pauli, ubi Clericos octo, & ſtipendia, unde viverent, conſtituit, & eos hac libertate donavit, ut nullius poteſtati ſubjacerent niſi ſolius Epiſcopi. Poſt mortem verò ejus caperunt dietim â ſervitute Dei tepere, Eccleſiáque usque ad tempus Domini Lietberti Epiſcopi declinare. Quam deſtructionem ipſe vir miſericordia agrè ferens, ut ita dicam, alter Samaritanus, ejus miſeriæ condoluit, ac ſecum tractare, quomodò id in melius repararetur, capit.*

Cui Conſilium tali negotio congruum, ille miniſtravit, qui hoc velle cordi ejus infudit. Nam ibi Clericos Regulares de communi viventes, ſuorum Conſilio fidelium ordinavit, eisque Abbatem ſua Profeſſionis præfecit. Unde factò Privilegiò ſuos precatus eſt ſucceſſores, ut eos proveherent, & fierent adjutores, libertatem quoque Eccleſiæ, ac poſſeſſionum ſuarum denuò confirmavit, & Altare de Huchin eâ conditione ibi dedit, ut ſingulis annis in feſtivitate S. Remigii, XII. Denarios ſolvat, & deinceps ab omni redemptione liberum faciat : Altare quóque de Rodricourt ita dedit, ut ſine Perſona permaneat (id eſt ſinè præbendariis, ſed proventus immediatè cederent monaſterio, & ex gremio illa Eccleſia provideretur, vide Cang. verbô *Perſona* §. *variè ab Epiſcopis &c.*) *Dominus quoq; Gerardus Prædeceſſor meus, Succeſſor ſuus, in Novilla & Medianovilla, ſine Perſonis, dedit Altaria, ſalvo jure Epiſcopi, & redditibus ejus & conſuetudinibus Archidiaconi ejus. Hæc omnia ego Lambertus, Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus tibi Reverendiſſime Frater & Fili Joannes Abba, omnibúsque in eo, quo es loco & ordine, propter religionem tuam Succeſſoribus tuis religioſè, & communiter victuris, ſicut ſuperiùs determinatum eſt, firma & inconvulſa permanere concedo &c.* Hæc pluráque alia Lambertus : Qui deinde liberam quóque admittit Canonicis Abbatis electionem : *Cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi : ut ſemper aſſumatur unus è gremio eorum, aut ſi idonea perſona ibi inventa non fuerit, de alio monaſterio Ordinis & profeſſionis ſuæ, qui deinde manu Epiſcopi ſuſcipiat beneficium loci, curam animarum, & Abbatialem Benedictionem* : Adjungit præterea Parochiam Reproviis Abbatis dominio in totum, ſolùm ut annuè duo ſolidi in cæna Domini ad ſervitium Epiſcopi perſolvantur; Cujus Parochiæ huic Abbatiæ incorporandæ benefactor exſtitit Clareboldus Miles, qui ſimul integram hæreditatem Eccleſiæ Eliganæ delegavit. Quod actum eſt *annô DEI Chriſti* 1097. *ind.* 5. 12. *Kal. Nov.*

Igitur præter tres parochias S. *Vindiciani*, nimirum: quæ eſt Abbatialis Eccleſia, & aliam, quæ dicitur *Novilla*, vulgò *Nauville*, & *Medianavillam*, aliàs *Moyenville* poſſidet Mons. S-Eligianus, Prioratum quoque *Repreuve* ſeu *Reprovium* inter Bapalmam, & Paulopolim ſitum, ubi hodiedum aliquot Religioſi è monte S. Eligii res divinas peragunt ex fundatione prænominati Clareboldi Toparchæ de Lotringhem, item alium Prioratum *B. Mariæ de Perroii* ad muros oppi-

di

di Bethanienſis in Arteſia, idque ex fundatione Roberti Bethunienſis Advocati: denique Prioratum, *Albiniaci* (de quo ſuprà) quem olim Abbatiam Miræus dixit, ſed qui vices communes hujus mundi ſubiens à ſuaque origine deficiens in Prioratum deſcivit, & Monti S. Eligii ceſſit. Cæterùm excelluit hoc Collegium præclariſſimum ſemper viris ingenuis, in eo ſiquidem, ut plurimos alios in hoc compendio non memorem, *Joannes* ille Morinenſis Epiſcopus mundo renuntians Canonicus Regularis effectus tam ſolidis in Tyrocinio inſtitutus eſt diſciplinæ Regularis Principiis, exiſtente tunc Abbate altero *Joanne* eximiæ ſanctitatis, & religionis viro (teſte Joanne de Collemedio) ut dignus non ſolùm habitus ſit ad Eccleſiam Tervanenſem omnium votis aſſumi Epiſcopus, verùm etiam poſt mortem conſtanti hominum æſtimatione inter ſanctos computari: unde Miræus Cap. 125. de Canon. ſæc. Collegiis hæc de Divo noſtro, *Beatus*, inquit: *Joannes Morinenſis, ſeu Tervanenſis Epiſcopus obiit annô* 1130. *is triginta annis Epiſcopatum Sanctiſſimè rexit, Judiciorum, pauperum, Eccleſiarum, Bibliothecarum, & dilatandæ religionis ſedulus obſervator, qui in libro vitæ, numero Sanctorum piè creditur aſſcriptus, quamqàm non ſit per Romanam Eccleſiam Canonizatus. Vita ejus in monaſterio S. Bertini ſcripta habetur.* Hæc Miræus. Nos ejuſdem acta integra, in promiſſo opere inter memoriâ dignos Eligianos Canonicos (quorum plura nomina factaque annotata habemus) daturi ſumus, intereà obſervantes, fuiſſe hunc *B. Joannem* accuratum libertatis Eccleſiaſticæ, & gloriæ Divinæ vindicem, nec minùs Apoſtolicæ ſedi devotiſſimum; ideò ipſum vitæ ſcriptor diſertè enunciat, *apud B. Memoriæ Paſchalem ſecundum Papam tantam inveniſſe familiaritatem, ut eum inter Chariſſimos ſemper habuerit, & quidquid toto Pontificatûs ejus tempore ab ipſo petiiſſet, ſine aliqua difficultate obtiuuiſſe.* Et cùm aliquando Guillelmus Nordmannus poſt *S. Carolum* Martyrem, iniquis quorumdam inſtigationibûs, Inſulanis Clericis omne inhiberet capeſſendum, petendúmque à civibus ſubſidium corporale; *Joannes* noſter juſſu Remorum Archiepiſcopi, Inſulam veniens, audaciam illorum tantâ animi fortitudine repreſſit, ut rurſum Clerici omni neceſſitate providerentur. Ne quid de aliis negotiis à ſummis Pontificibus, ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & inter hos ab *Ivone* Carnotenſi, ejus quondam in Divinis litteris Magiſtro, impoſitis referamus, ſemper ſummâ ſolertiâ, ac exquiſita ſagacitate peractis; nihil quoque de perfectiſſima, ac profuſa in omnes, maximè verò religioſa monaſteria, charitate, qua tam Canonicorum, quàm monachorum, velut utrorumque providus Pater curam geſſit vigilantiſſimam. Tria nigrarum monialium, id eſt Ord. *S. Benedicti* ipſe fundavit, S. *Bertini* pluribûs proventibûs dotavit, ejus quoque operâ reformatio Cluniacenſis in idem cænobium inducta eſt, monaſterium *S. Martini* de Campis, Aquicinctenſe, Blandinienſe *S. Petri*, & Bergenſe *S. Winoci* multis donariis auxit; De noſtris verò, quia per decurſum hujus operis per ſe mentio occurret, ſuperfluum eſſet hic quidquam diſſerere. Quæ intereà de hac nobiliſſima hodiedum eximiè florente Abbatia S. Eligiana diximus, propè omnia in hunc virum Sanctiſſimum, quaſi rivuli in fontem ſuum refunduntur. Nos verò haud dubiè confidimus, Dei benevolentiam non ceſſaturam omni benedictione ſua hoc conſervare cænobium; meritis præcipuè intercedentibûs S. hujus Reformatoris *Joannis*, nec non S. *Vindiciani*, cujus ſacra lipſana ſicut Canonici hujus loci ſumma veneratione colunt, ejuſdémque diem feſtum ſub ritu primæ Claſſis

ſis ſolenniſſimè celebrant, ſic & ejus Patrocinium in quibusvis ſibi occurrentibus adverſis ſecuri, ac certi dilaudant. Porrò quamvis adhuc quædam ſaltem de uno, alteróve Abbate Sant-Eligiano doctrina, ac Sanctitate præeminente (qualis fuerat an. 1174. *Euſtachius* vir pientiſſimus, quem DEus mirabili aliquando viſione eſt dignatus; & Prioris ſæculi initiò *Franciſcus* Doresmirenx ſcriptis Clarus, incomparabiliſque memoriæ, nec non litteraturæ indefeſſæ) diſcurrere poſſemus, attamen filum rumpere, & divertere ad alia cogimur.

Sita verò eſt hæc Abbatia in Arteſia uno non omninò milliari ſupra Atrebatum. Aub. Mir. L. de Can. Reg. c. 38. & Cod. Dip. L. 1. C. 43. Fopp. Nov. Collect. P. 3. C. 45. Duc. Annal Fland. acta SS. in Jan. Gall. Chriſt. t. 3. Col. 425. & ſeq.

Montis S. Odiliæ Abbatia.

Fundat. ſæc. cir. 12. Floret.

Diſcurrebamus jam in hoc circulo de quodam S. Sepulchri Dominici Monaſterio non attingentes ipſius, cui id, pluráque alia unita ſunt, Congregationis Originem, actáque præcipua, quorum notitiam tamen habere neceſſe eſt, nobis, ut noſtra vindicemus: néque enim ignotum, fuiſſe aliquos, qui Canonicos Sacri Sepulchri ſpecie diſtinctos à noſtris prætenderent, aut ſaltem ſic negarent Lateranenſes fuiſſe, ut ſpecie diverſos adſtruerent. Commodiùs autem de hac Congregatione iſthic tractaturi rem à capite ordiemur. Inſtitutum itáque iſtud ſecundùm ſubſiſtentiæ ſuæ rationem conſideratum aliud non eſt à genuino inſtituto; imò, illud eſt. à quo tanquam fonte totus Ordo Canonico-votivus promanavit. Jeroſolymis enim primum Epiſcopum S. *Jacobum* Minorem conſtitutum, rexiſſéque ſedem hanc uſque ad annum Chriſti 60. legimus in Euſebii Chron.; ac eum æquali votivæ vitæ tenore cum ſuis Clericis in dicta Eccleſia vixiſſe, velut reliquos Apoſtolos, rationis convincit æqualitas, & colligi poteſt manifeſtè ex iis, quæ in exegeſi noſtra hac de re diſputavimus. Hinc Sylveſter Maurolicus in ſuo Oceano Ord. *nec mirum*, inquit: *hanc Religionem* (de Ordine Canonicorum loquitur Abbas ipſe Ciſtercienſis) *in illis Partibus Palæſtinæ mirabiliter floruiſſe, ſiquidem ibi ſuam habuit inſtitutionem ab Apoſtolis, præſertim Jacobo Minore.* Quod igitur ſæculô undecimô, ac duodecimô de introductis in Eccleſiam Dominici Sepulchri Canonicis Autthoes referunt, & nos mox inferiùs deſcribemus, de reſtitutione intelligendum eſt, non de inſtitutione; indubitatum enim eſt, etiam cùm Jeroſolyma ſub poteſtate Saracenorum uſque ad *Godefridi* Bullonii tempora premeretur, Eccleſias complures, maximéque Sacrum Domini Sepulchrum à viris Religioſis, Eccleſiaſticíſque fuiſſe cuſtoditum, quamvis forcaſſe ſæpiùs ſerie interruptâ; uti nimirum ferebant Tyrannidis in Chriſtianos graſſantis tempora, ipſáque non raró inter illos exorta ſchismata, quæ absque dubio cauſabant primævæ diſciplinæ in Clero Jeroſolymitano magnam remiſſionem; præcipuè; cùm Græcorum immiſcerentur errores, & fides ipſa labeſceret; quod ſæculis illis contigiſſe præprimis novimus, quibûs à Saracenis Jeroſolyma ſubacta eſt, hoc eſt ab annô 637. quàm ſanctè autem, ac votivè vixerint Clerici Jeroſolymitani enarrat Nicephorus, dum L. 14. C. 5. ſic ait: *Vivunt ſimul in una domo, nulla re, quâ cor humanum in terram deprimitur, capiuntur. Apud illos nec aurum, nec aliud metallum, imò nec ulla veſtis per proprietatem poſſidetur, nam palliô τριβώνιον, quod geſtat hodie unus, videmus cras alium veſtiri, ita ut una veſtis ad omnes, & quod ad omnes, ad quemvis ſpectet, omnes ad unam menſam ſedent, & unô fruuntur cibô, orationem ſuam in communi peragunt, quan-*

Vide Maurolicum in Ocean: Relig.

quandóque etiam integris noctibûs humillimo geſtu, & in timore Domini. Neque obſtat, quod Willelmus Tyrius L. 11. C. 15. de Bello Sacro invehens in Arnulphum Patriarcham conqueritur; ab eo Ordinem, quem primi Principes ſtudioſè, & & cum multa deliberatione inſtituerant, Canonicos Regulares introducendo commutatum, profectò enim, ſi genuina hæc eſt Willelmi Tyrii querela, aliquid humani paſſus eſt, nec ſcripſit, ùt ſui temporis ratio, & diſciplina exigebat; ſolus dum ille inter tot ſanctos æquè, ac doctiſſimos Eccleſiæ Proceres privatæ cuidam Opinioni innixus ſiniſtro excepit affectu (quam alii omnes cum applauſu probaverant) relaxati inſtituti Canonici reformationem, gaudebant námque, ſi modò poterant, ſeu Epiſcopi, ſeu ſæculares Principes alioquin univerſi in omnes eam Eccleſias propagare. Cui adjungas, malè ab eodem dici, *Ordinem à Principibus multâ deliberatione inſtitutum per Arnulphum fuiſſe commutatum.*

Exſtitit Sacri Sepulchri adoratio, floruítque ſub ipſis tribulis, ac ſpinis Paganorum, illud aliquot ſæculis jam ſtipantium, nunquam tamen nobiliùs, quàm ad initium undecimi reviruiſſe devotio fidelium cernebatur, omnis generis, ſexúſque conditione eò convolante, ùt narrat Radulphus Glaber L. 4. C. 6. qui annô 1040. ſuperſtes vixerat. Nam dubitari non poteſt, hoc noſtræ ſalutis reconditorium, nunquam ſine Chriſtianæ legis cultoribus, etiam manibus Paganorum retentum, deſolatum jacuiſſe. Conſtat enim Eccleſiam hanc à *Conſtantino* Magno conditam usque ad annum 1009. aut (ùt ex Ademari Chronico Pagius notat) ſequentem perſtitiſſe, quô annô cùm à Saracenis, juxtà eundem Ademarum, devaſtata fuiſſet, paulò poſt ipſo Rege Babylonio, & Saracenis factum dolentibus eadem Eccleſia reædificata eſt. Quodſi hanc continuò usque ad annum 1010. exſtitiſſe, & tunc reexſtructam iterum usque ad Balduini, regnum Jeroſolymitanum obtinentis, tempora perduràſſe negari nequit, gratis aſſeremus, illam miniſtris Eccleſiaſticis ad usque recuperationem terræ ſanctæ per Godefredum Bullonium obtentæ eguiſſe. Néque iſtud quempiam eruditum ſentire crediderim, néque unquam Willelmum Tyrium cenſuiſſe. At jam quæſtio recurrit, cujusnam inſtituti (qui Divina tot ſæculis operabantur in hac inclyta Eccleſia) normam tenerent? certè dum nobis cum Willelmo pugnandum, patet ex ejus aſſertis, alios ſe in ea Eccleſia non ſuppoſuiſſe, niſi, quos dicimus, Sæculares Canonicos, iſtos à Principibus primis (quos non Godefredum neque Balduinum intelligendos, ſed primos illos, quorum agmen *Conſtantinus* Magnus duxerat, ex Willelmo diſcimus, ipſiúsque Hiſtoriæ contextu) conſtitutos *multâ deliberatione* affirmat idem; at *Religioſos* illos, & quos nunc *Regulares* nuncupamus, dudum ſempérque fuiſſe, quàmvis usque ad Arnulphi Patriarchæ dies necdum forſan Regulam Auguſtinianam Profeſſos, arguunt, imò teſtantur Authores, non infimi Nominis, Nicephorum ſuperiùs diſcurrentem audivimus, cui, licèt aliquantum recentiori, pondera tamen veterum ſcriptorum libranti, ac uſurpanti, non continuò abnegabimus fidem. Hinc obſervanda, quæ in codice vetuſtiſſimo ſuis oculis luſtràſſe Cambius de Boſſis Canonicus Regularis Mediolanenſis profitetur, cùm ipſe annô 1479. Jeroſolymis Bibliothecam montis Sion perviſeret. In hoc igitur codice ſequentia ad verbum exarata legerat: *Habet Jeroſolymitanus Patriarcha quoſdam Suffraganeos ſibi nullo mediante ſubjectos, id eſt Bethlehemitanum, & Hebronenſem, & Liddenſem. Fuit autem Eccleſia Betlehemitica Prioratus Canonicorum Regu-*

 larium

larium usque ad tempora Balduini primi Regis Latinorum in Jeruſalem. Rex verò propter loci dignitatem & Dominicæ Nativitatis præcellentiam, eam dignitate Cathedrali ſublimavit, conſtituens in ea Eoiſcopum, de mandato, & voluntate bonæ memoriæ Paſchalis Papæ, qui Aſtalonem eidem immediatè ſubjecit. Similiter Hebronenſis Eccleſia, quæ priùs fuerat Prioratus, propter loci dignitatem, in quo ſepulti ſunt Adam & Eva, Abraham, Iſaac & Jacob, cum Sara & Rebecca in Spelunca duplici, propter reverentiam ſervorum Dei, ad Epiſcopalem ſublimata eſt dignitatem, habet inſuper prædictus Patriarcha, Abbates & Priores ſibi ſubjectos, inſignia Pontificalia, Baculos, & mitras, annulos & Sandalia ex Privilegio dignitatis habentes, Domino Patriarchæ in miniſterio reverenter aſſiſtentes. Parochialis ſiquidem Eccleſia Dominici Sepulchri ſub monte Calvario Canonicos habet Regulares ſecundùm Regulam, & habitum B. Auguſtini viventes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui eſt eis locò Abbatis. Ex hoc fragmento eruo, Prioratum Bethlehemitanæ Eccleſiæ ante *Balduinum*, atque hinc, & ante *Godefredum* floruiſſe ſub Canonicorum Regularium norma. Néque enim tam diſſertè diceretur hunc locum Prioratum exſtitiſſe usque ad *Balduini* tempora, ſi primò ſub *Godefredo* cæpiſſet; protracti temporis inſinuandi, hic ſtylus eſt, non rei alicujus nuperrimè exortæ deſignandæ. Quodſi verò dudum Prioratus exſtitit Betlehemitanus, tanquam locus ſemper celebrior inter lares Dominicos habitus, talem & Sacri Sepulchri fuiſſe, non inaniter conjectare poſſemus; Willhelmi enim aſſertio ſub Arnulpho commutationem Ordinis factam, id eſt, ùt ipſe intelligit, ſæcularem Clerum in Regularem mutatum, quantæ fidei ſit, haud obſeurè doeebimur, ſi ejus in ſcribendo affectum, ſepoſitô animorum ſtudiô ſcrutemur. Arnulphum Willelmus plurium ſcelerum arguit, ac condemnat, Petrus econtra Tudebodus Presbyter Siuracenſis Sapientiſſimum, & honorabilem Clericum celebrat, ùt eſt apud Duchesn. t. 4. L. 1. p. 812. cui horum ſubſcribemus? Petro, qui Arnulpho Synchronus in Patriarcham electo non convixit ſolùm, ſed & electioni interfuit, ùt ibidem legimus: an Willelmo? qui tum nè quidem infantiæ cunas dimiſit. Inſuper Albertus Aquenſis & ipſe Willelmo Senior Hiſtoriam Hieroſolymitanæ expeditionis ea fidelitate conſcribens, qua retulerunt, qui præſentes intererant, Arnulphum non minùs egregiè collaudat. Ut prætercam alios Willelmi judiciô, & ſcribendi Conſiliô longè moderatiores, quod cuíque pateſçet, dum ejuſdem Willelmi ſtylum etiam de aliis agentem in examen vocaverit, maximè ubi de Religioſis viris diſſerendum occurrit, quibus illum minùs æquum fuiſſe paſſim amarior, duriórque ratio ſcribendi oſtendit: ſic Jeroſolymitanos equites perſtringit, ut vel palpari turbati in ipſo hominis affectus poſſit, ſic *Hadrianum* Papam quartum anteà Canonicum Regularem, atque vel inde duriùs ab ipſo notatum muneribûs infinitîs corruptum aſſerit, inclupátque; cùm omnium Hiſtoricorum teſtimoniô conſtet, virum Sanctiſſimum nil magìs, quàm munerum præſtigia horruiſſe. Nec optimis quibusque Cardinalibus benignior, ſed in omnes ſeverus ultor, quos à ſua, aut affectione, aut Opinione alienos habuit, voluítque. Eò certè reprehenſioni obnoxius magìs, quòd odii, amorísque domandi impos, etiam peſſimos tueretur; ùt in Octaviano ſub nomine Victoris quarti, Antipapa nequiſſimo fecerat, laudibûs indigniſſimìs ad cælum uſque virum impium evehens, cùm tamen cerneret, *Alexandrum* tertium totius tam Occidentalis, quàm Orientalis Eccleſiæ Suffragiô contra Octavianum agnoſci, ac ſummum præſulem honorari. Ergò Willelmus à partium ſtudio neutiquam abſolvendus in hactenùs relatis,

num

num in Arnulpho juſtus arbiter recipiendus ſit, cuíque ſuum judicium eſto. Nobis certè hujus auctoritas adeo ſubleſta eſt, ut non ſolùm in iis, quæ in Arnulphi moribus carpit, iniquus Judex, ſed & in illis, quæ de commutatione ab ipſo facta commentat minùs fidelis narrator appareat. Id ergò pro certiore dixerim, Canonicos Sacri Sepulchri, ùt aliàs in plurimis locis factum exempla copioſa demonſtrant, à prima vivendi ratione diſciſcentes fortè ad normam ac ſimilitudinem Aquiſgranenſium tunc Canonicorum diſciplinam laxâſſe, ad hoc adductos, ſeu temporum ſeu hominum utpote paganorum eos identidem perturbantium injuriâ; hos verò redemptâ Hieroſolymâ per Chriſtianiſſimum Principem *Godefredum*, quantociùs ad illam, tunc per Galliam, Germaniam, ac Italiam undíque refloreſcentem Auguſtinianam reformationem fuiſſe reductos. Hinc, quos Willelmus affectu vacuus dicere reformatos debuiſſet, ex ſæcularibus in Regulares mutatos perversè aſſeruit. Id ipſum diſcere potuiſſet ex litteris ſub *Godefredo* ab *Urbano* PP. datis, quæ apud Fratres Minores urbis Jeroſolymitanæ adhuctum dicuntur haberi: in his Pontifex diſertis verbis Clericos ſacri ſepulchri ad obſervantiam regularem legitur *reduxiſſe*; ut adeò nunquam Willelmus auctor mihi futurus ſit ad aſſerendum antè *Arnulphi*, ac *Balduini* tempora nullos in Eccleſia S. Sepulchri Canonicos Regulares fuiſſe conſtitutos. Quod ad ſummum fortè de Arnulpho ſic dici poteſt, ut eos aliquantò ſtrictiùs ad Regulam Auguſtinianam reformaret, præficiens eis Priorem, cùm antea haberent Archidiaconum, qualem hunc ipſum Arnulphum fuiſſe citatus obſervat Ardrichomius.

Fuit autem hoc celeberrimum S. Sepulchri cænobium Seminarium quoddam, ex quo viri prodière præclariſſimi, quódque Mater extitit integræ Congregationis per Galliam, Germaniam, Italiámque diffuſæ, út patet ex *Celeſtini* Papæ ſecundi litteris ad eosdem Canonicos an. 1144. directis: in quibus inter alia *Denkendorffenſe*, ſed corruptô vocabulô *Detrendorff*, nuncupatur Diœceſis Conſtantienſis in Germania. Ac longè plura eidem acceſſère tum, ubi profugi Canonici aſylum, ſubſidiúmque in partibus occidentalibus compulſi ſunt quærere; Cùmque Amelricus *Ludovico* 7mo Juniori dicto, per Epiſtolam, ſubmiſſúmque à ſe ſacri Sepulchri Canonicum, Hoſpitale quoddam, vel alium quemlibet locum, ubi refugium haberi poſſit, concedi ſupplicavit, velut eadem Epiſtola in geſtis Dei per Francos Ep. 19. refertur: Ex quo tam *Ludovicus* Rex, quàm alii potentiſſimi Principes unita manu ſuccurrere oppreſſis feſtinârunt Canonicis, quod maximè factum, dum ſub Heraclio Amalrici ſucceſſore Jeroſolyma annô 1187. ammiſſa eſt. Tradunt enim litteræ Jacobi de Manſuetis Epiſcopi & Generalis hujus Ordinis, Priorem, Canonicósque Jeroſolymitanos deceſſiſſe in occidentem, & primùm quidem ad civitatem Barulenſem Neapolis, exin diſperſos quoque per Galliam, atque Germaniam, ubi tanto undíque favore excepti ſunt, ut interlabente non adeò prolixo tempore in ſola Ultrajectenſi Diœceſi domus Regularium iſtius modi viginti quatuor, ſeptem autem Virginum Sanctimonialium ejusdem Congregationis ſint numeratæ. Exſtat præterea in quodam Virginum Canoniſſarum Sacri Sepulchri Avennione Bulla ab Honorio Papa tertio annô 1221. die 14. Cal. Decem. data, in qua idem inter alia ſic loquitur: *Accipimus in protectionem & tutellam noſtram, Eccleſiam S. Sepulchri in Jeruſalem & omnia bona, quæ jure poſſidetis, & quidem Eccleſiam Avenionenſem, & eam, quæ eſt Cimonii, Antiochiæ, Conſtantinopoli,*

poli, Theſſalonicæ, Bajocolis, Troyæ, Burchadoſii, & omnes Eccleſias, quas in Sicilia, Hiſpania, Polonia, Hungaria, Tyroli & Germania, in Gallia, in Lombardia, in Sileſia, in Anglia poſſidetis ---- uti & omnia bona, & poſſeſſiones in Chiropoli in Beleth, in Cypris, in Moravia &c. Ex quo Bullæ fragmento colligitur, quàm latiſſimè diductam per omnes partes occidentis hanc Congregationem fuiſſe. Præterea patet, licèt annô 1187. Chriſtiani à Solidano è plurimis ejecti ſint Palæſtinæ locis, perſtitiſſe tamen adhuc non paucos Ordinis noſtri, ſub graviſſimo Turcarum tributo, religioſos; donec demum tum ſubjectorum obtinendorum penuriâ, tum ipſius Congregationis in præcipuis (ùt paulô poſt videbimus) occidentis partibus exſtinctione ſenſim defecerint, & pleráque Canonicorum monaſteria illis Religioſis ceſſerint, qui laudabiliſſimo Zelo ad hodiernum usque diem conantur, cum grandi ſæpè tam bonorum, quàm ipſius vitæ periculo penè aſſiduo ſacra loca divinis providere miniſteriis; Quales præ reliquis eſſe experimur Reverendos Patres Ordinis *S. Franciſci*, quos ſtrictioris obſervantiæ vocamus.

Invectâ igitur ad Germaniam Canonicorum ſacri ſepulchri Coloniâ & pluribûs hinc inde accommodatis eorum uſui normæque vivendi monaſteriis omnia univerſim ſub unius Congregationis Capite regebantur, qui dudum ipſe Patriarcha Jeroſolymitanus eſſe ſolebat, inde fortaſſe plerumque ex Ordine Canonicorum Regularium, & non rarò ex ipſo ſacri ſepulchri gremio aſſumptus. Qualis fuit *Stephanus, Wilhelmus, Fulcherius, Almericus, Heraclius, S. Albertus*, aliique, ex quo Pennotum noſtrum emendare licebit dicentem, *Jeroſolymâ iterum ab infidelibus captâ & Patriarchâ cum Canonicis aut interfectis, aut locô exactis, totam Congregationem funditùs eſſe everſam, præter unicum monaſterium Abbatiale S. Sepulchri de Catalambiò &c.* Nam præterquam quòd tempore *S. Alberti* adhuc quædam monaſteria in terra Sanctâ Canonici Regulares incolerent, ùt patet ex antiquis membranis Eccleſiæ Florentinæ à Marino Sanuto L. 3. parte 6. C. 24. memoratis, ubi dicitur Reinerius olim Eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis in Jeruſalem tùnc autem Joppenſis Prior Legatus Principaliter fuiſſe conſtitutus, ut dictum *S. Albertum* reduceret in Orientem annô 1204. adeòque ſeptemdecim jam annis poſt Jeroſolymam amiſſam: Congregatio inſuper S. Sepulchri multis annis ſubſequis in Occidente perduravit, quoadusque ſub *Alexandro* Sexto, qui Romanam Eccleſiam anno 1492. regendam ſuſcepit, illa in Gallia quidem, & Italia Monaſteriis univerſim ad Equites Melitenſes devolutis ſuppreſſa eſt, non tamen in Germania, in qua ſicut hodiedum plura actu exiſtentia tam Virginum, quàm virorum cœnobia numerantur, ſic adhuc Congregatio perſtat, aſſumitúrque Prior Generalis aliquis ex Canonicis hujus Congregationis. Quamvis enim circa medium ſæculi decimi quinti paſſim illius cœnobia dilaberentur, maximè bellorum injuriâ, annô tamen 1464. velut quidam Matathias ſurrexit Joannes à Brûk miſerans intereuntem jam tantæ congregationis ſtatum; aggreſſus itàque eſt reparare *S. Odiliæ* in monte monaſterium, & proſperatum opus in manibus illius, non ſolùm vidit priſtinæ reſtitutum diſciplinæ vigori, ſed & Paulô poſt cohoneſtatum Abbatiali dignitate, velut id infra patebit; conſtitutúsque eſt Joannes per totum Belgium Generalis, habens ſub ſe egregiè florentes Eccleſias, Cameraci, Tornaci, in Arthеſia, Hanonia, aliíſque quàm plurimis locis. Cúmque *Alexander* Sextus ſuum diploma de ſupprimenda hac Congregatione ederet, ab eodem Germania immunis eva-

evaſit, curantibus id præcipuè *Maximiliano* Imperatore Auguſto, & *Joanne Alberto* Sereniſſimo Poloniæ Rege.

Cæterùm obſervandum hic ſubit, non rarò quandam à minùs rerum hiſtoricarum peritis confuſionem fieri, inter ſacri ſepulchri Canonicos, & Equites ibidem locorum exortos, ex quo error errorem inducens, dum & iſti & illi ejuſdem inſtituti concipiuntur. Vanè & inaniter arguimur alienos ſuffurari manipulos. Sciendum namque alios eſſe Equites Religioſos Jeroſolymæ exortos, & alios ipſos, de quibus loquimur, Canonicos: illi ex origine ſua triplicis ſunt generis, ſcilicet: *Templarii* inſtituti annô 1118, *Equites Hoſpitalarii* ſeu S. Joannis Hieroſolymitani exorti an. 1099. *Equites Teutonici* annô 1191. omnes hi, ſicut & Canonici ſacri ſepulchri, habitum portant Cruce ſignatum, profeſſione tamen diſpares ſunt. Baſilius Serenius ſcribens de inſtitutione Ordinis militaris S. Jacobi Compoſtellani, originem eorum adſcribit Canonicis S. Sepulchri: *Ipſi* (inquit ille f. 51. & 58.) *Clerici Canonici Dominici Sepulchri Cuſtodes, jam ab initio deputati, non ſolùm ex Apoſtolica inſtitutione, ut ex decreto S. Clementis Martyris patet, ſed ex reſtitutione Godefridi, ac Balduini Bullioneorum, ut ex Bullis Pontificiis conſtat, & ex eis aſſumptus Patriarcha tales, id eſt, ordines Militares ad peregrinorum præſidium inſtituerunt, quos candida, lineáque cruce, veluti ſuperpellicei eorum particula conſignârunt.* Hæc ille: Nos de horum equitum Origine, aliíſque controverſiis multa iſthìc diſſerere poſſemus, ſed prolixiora, ùt aliàs, ſic & iſthic aliò differimus. Atque ſeu vera ſint, quæ Serenius ſcribit de illorum origine, ſeu minùs probanda, nos eosdem nunquam ad noſtri inſtituti ſpeciem contrahimus; quoad Canonicos verò Sacri Sepulchri pro aris, & focis certamus, ut jure ac re inter noſtros tanquam legitimos, & genuinos, confratres computemus; utpote quos & inſtituti identitas, & nominis æqualitas, & veſtis lineæ ratio veros Canonicos facit atque decernit, quamvis nonnunquam nomine Cruciferorum inſigniantur, id eô modô à Cruce, quam geſtant, eisdem obvenit, quô Canonicis *Windeſemenſibus*, hoc nomen, in uſu eſt à loco primigeniæ ſuæ reformationis.

Eſſet jam, ut ſpeciatim quædam de Sacri Sepulchri Virginibus Canoniſſis diſſereremus, quas non minùs à primis ſæculis Deo inibi ſerviiſſe, inſtitutúmque ſuum validâ virtute uſque ad noſtra tempora propagâſſe complures Authores obſervant, ſed nobis ad intentam metam properantibus nemo ſuccenſeat, dum iſta producere hâc vice omittimus, ſufficiátque earum Parthenones, quos in Germania â plurium ſæculorum ſerie aut poſſederanr, aut actu retinent, ob identicam pariter cum aliis Canonicis Virginibus rationem, noſtræ deſcriptioni inſeruiſſe: atque hæc lectori benevolo præviè de Sacri Sepulchri Canonicis propoſuiſſe ſit ſatis. Nunc præſignati cænobii deſcriptionem aggredimur; hócque quàm diverſa ſata, rerúmque vices ſubierit, paucis dabimus, dum ad modernum ejus ſtatum deveniamus.

Primus itaque vir Sanctiſſimus *Wiro* fuit, qui è Scotia cum duobus Clericis *Plechelmo* Presbytero, & *Otgero* Diacono partes Germaniæ Evangelii dilatandi cauſâ adiens propè Ruram fluvlum locum ſibi à *Pippino* Rege circà annum 750. obtinuit, ut inibi *remotus à mundi negotiis*, ùt inquit vitæ S. *Wironis* ſcriptor, *liberiùs cum ſuis cæleſtes caperet fructus. In quo* etiam *oratorium S. Mariæ ſemper Virginis, Deique Genitricis honori conſecratum eſt, nec non S. Petri monaſterium decori operis artificio conſtructum ex Lapidibus, quod perdurat in præſens.*

Hæc Author, ùt diximus, vitæ S. *Wironis*. quòd locus iſte jam antè S. *Wironis* adventum ſub D. *Petri* nomie exſtiterit, haud aliquis ex *Wironis* actis conficiet; tum verò illud accidiſſe, cùm monaſterium honori D. *Petri* à S. Wirone conditum eſt, facilè aſſentiar. Refert autem Trithemius, ejúsque, ut ita dicam, àgipedes Bucelinus, Wion, Menardus &c. Hoc Monaſterium à prima per *Wironem* inſtitutione Benedictinum fuiſſe, in quo *D. Wiro monaſticis diſciplinis ſe ſubmiſit, & Abbatis Officium non recuſavit*. Hæc Trithemius, at ſine teſte, cùm in S. *Wironis* actis nec legatur, aut eum Monachum, aut Monaſterium illius, Monaſtici inſtituti fuiſſe: quod ergò gratis aſſeritur, facili negatione rejicitur. Exſtitiſſe autem in illo loco Clericos, potiora ſunt, quæ perſuadeant. Imprimis in ipſa à Monacho, ſaltem non longè poſt obitum *Wironis* ſcripta vita (à quo quis dubitet, & *Wironem* & ejus ſocios Monachos dictos fuiſſe, ſi tales exſtitiſſent) Epiſcopus unus, alter Presbyter imò & Epiſcopus, tertius Levita nuncupatur, ſed Monachus ex iis nullus. Deinde fuiſſe ibi annò 858. hoc eſt, annis à Morte *Wironis* fortaſſe nec centum elapsis, Canonicos, apparet ex *Lotharii* Regis Lotharingiæ, ac Friſiæ donationis Charta dictò annò conceſſa Canonicis Ultrajectenſibus, quâ eis hunc locum, ſeu, ùt ipſe ait, *Monaſterium in honore S. Petri constructum, quod Bergh nuncupatur*, ſub omni integritate tradit; nullâ planè mentione factâ illud unquam anteà Monachos incoluiſſe. Non ergò eſt, quò nos perſuadeant ad aſſenſum, qui illud Monaſterium primùm Monachos, dein Clericos habuiſſe aſſerunt, ùt id in additionibus notavit noviſſimus operum Diplomaticorum Miræi editor, niſi certiora, meris aſſertionibus, fundamenta producantur; hæc de hujus loci primordiis præfari libuit. Igitur Clericorum Congregationem à *Wirone* in eo loco inſtitutam ſolidiſſimæ diſciplinæ fuiſſe, tempora illa dudum evincunt; nam præterquam quòd id exigebat propoſiti exſequendi ratio, cùm ſcilicet, ùt in vita S. *Plechelmi* refertur, incolas illos, quamvis Chriſtianos, ùt plurimùm tamen vanis ſuperſtitionibus deditos erudire pararet, ut ſanctiſſimis moribus, vitæque inſigni Exèmplô *Clerus illius*, reducendis ad purum Dei cultum fidelibus præluceret: urgebat inſuper præcipuè iis in partibus noviſſimè collectum Concilium Liptinenſe annóque 743. celebratum, in quo *totus Eccleſiaſtici Ordinis Clerus*, id eſt, Epiſcopi, Presbyteri, aliique Clerici *ſuſcipientes antiquorum Patrum Canones promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica inſtituta moribus, & doctrinâ recuperare. Antiquorum*, inquam, *Patrum Canones*, quorum quàm principalis ſemper ſcopus fuerit Eccleſiaſticos omnes ad Apoſtolicam expropriationis votivæ normam reducere, ſatis in noſtra exegeſi monſtravimus. Non tamen inficiabimur, paulò fortaſſe ante tempora illius à *Lothario* emiſſæ donationis chartæ iſtud Monaſterium multùm defeciſſe, ſicque in numero Canonicorum ibidem habitantium fuiſſe diminutum, ùt non melius utrique ſocietati (nempè Ultrajectenſi cum ſuo Epiſcopo Hungero exulanti, & hujus D. Petri) ſubveniri poſſe crederetur, niſi illa iſti aſſociaretur, aut potiùs, ùt in diplomate Lotharius ait: *iſtud illi traderetur in perpetuam poſſeſſionem*.

Itáque hoc modò Monaſterium D. *Petri* quaſi rurſùs reviruit, manſitque in ſtatu Regulari, id eſt, eò, quò illud Ultrajectenſes informare cæperunt, multo tempore, imò aliquot ſæculis; cùm nullum adduci poſſit (ſaltem quantum nos uſque dum aſſecuti fuimus,

mus) ante ſæculum 14tum documentum, quod id affirmare prohibeat an. verò ſæculô mox memoratô, & quidem annô 1361. iidem Canonici inter ſæculares jam dudum habiti ſint ex diplomate Reinaldi ſecundi Gelriæ ducis approbantis translationem Capituli ex Monte SS. *Petri*, & *Odiliæ* in Eccleſiam S. *Spiritûs* urbis Ruremundenſis eidem vicinæ, aliiſque cum temporis datis, ùt ſunt *Joannis de Arckel*, Epiſcopi Ultrajectenſis, & *Engelberti* de Marca Epiſcopi Leodienſis, doceri vix poterit: nam dicta documenta, ad ſummum probabunt, illos cum Canonicos ſuô modô præbendas habuiſſe, interea clauſtralibûs adhuc domibûs in utriúſque Epiſcopi Charta memoratis. Quàm debile autem argumentum ex præbendis, pro ſecularitate aſſerenda ſumatur, alibi oſtendimus. Aut fortaſſe cuidam videbitur hæc ſæcularitas arguenda ex ea, quæ in præfatis inſtrumentis legitur, nuncupatione *Collegiatæ Eccleſiæ* Montis *Odiliæ*, quæ vox adeò creditur Regulari Canonicorum vitæ deſignandæ oppoſita, ut Prioribûs ſæculis ſtrictè planè per *Monaſterii, Prioratus, clauſtri*, aut *Cænobii* nomen locus regularis enunciari ſoleret, velut id paſſim in ſynchronis eorum temporum Hiſtoriis occurrit. At, ſi etiam iſtud in pluribus Germaniæ noſtræ cænobiis Canonicorum Regularium ad regulam *S. Auguſtini* fundatis vel reformatis obvenerit, nemo tamen id univerſim probabit de omnibus: ut adeò mirum planè videatur, hodierno tempore nonnullos tam ſeverè de Canonicorum votivorum regularitate ſentire, ut eos omni planè juris voce *Canonicis* alioquin competente conentur deſtituere, maximè caventes, nè eorum Eccleſias *collegiatas* nuncupent, aut *Monaſteria*, *Collegia*. Novi quidem apud Pereyram L. 2. elucid. 19. de Benef. ſect. 4. n. 1308. dici, quòd *Collegiata Eccleſia vocetur illa, in qua eſt Collegium clericorum, & neque Cathedralis, neque regularis eſt*. Deſumpſiſſe videtur hanc definitionem ex Gloſſa in cap. ſtatutum in verb. collegialis de elect. & electi pot. in 6to quæ ait: *Collegiatam Eccleſiam dici Canonicos in una Communitate ſub uno capite, ſecundùm certa ſtatuta &c. conſociatos*. At non video ex his gloſſæ verbis Collegiatam Eccleſiam ad ſolos ſæculares poſſe reſtringi. Præcipuè cùm hac ipſa voce tanquam ad Regulares æquè, ac Sæculares ſe ſe extendente Canonicos utatur Laymanus. L. 1. decret. tit. 6. cap. 27. n. 3. inter alia ſic loquens: *Non conſtat inter D.D. utrum Religioſus eligi poſſit ad prælaturam Eccleſiæ Collegiatæ ſæcularis &c.* Ubi vides reſtrictionem per vocem *ſæcularis*, ut inde meritò inferri poſſit, ſenſiſſe Laymanum Eccleſiam Collegiatam dari *Regularem*, æquè ac *Sæcularem*. Sed non eſt, cur his anxiè inhæreamus, cùm ſufficiat declarâſſe, ex citatis diplomatibus abſolutam Canonicorum, eo tempore in Monte S. *Odiliæ* commorantium ſæcularitatem decidi non poſſe.

Intereà verò, cúm præfati in Ruremundenſem Eccleſiam emigraſſent Canonici, non dici pôſt in Eccleſiam, monaſteriúmque iſtud ab iis relictum ſucceſſêre alii & quidem ſub Regula S. *Auguſtini* viventes, quos Sacri Sepulchri nuncupamus, hi nimirum, quos iſthic deſcribendos ſuſcepimus; illis verò iſthuc inducendis, primam appoſuit manum, quem ſuprà laudavimus, *Joannes* à Brickan. 1464. idque adeò feliciſucceſſu, ut annô 1485. ab *Innocentio* 8vo datô deſuper ſpeciali decretô, in Abbatialem Eccleſiam hic locus ſit elevatus, quam idem Joannes paulò inde in Generalem totius in Belgio Congreg. electus, ſolerter gubernavit. Sed quod dolendum, nec iſti diù in hoc loco ſubſtitêre Canonici, utpote communem Heterodoxorum furen-

furentium in ſe quoque ſtragem experti, indéque profligati: ex quo tempore ille adeò ſanctus multarúmque tam reliquiarum, quàm aliorum ſpiritualium cimeliorum frugaliſſimus locus neglectus, divorum aræ ſubverſæ, ſtatuæque dejectæ Hagiomachorum rabie.

Exſtitit, ùt diximus, propè Ruram amnem unô milliarî Germanicô diſtans civitate Ruremunda. Bolland. 15. Julii in vita S. Plechelmi & 8. May in vita S. Wironis. Mir. Donat. Belg. L. 2. C. 12. & ſeq. idem L. de Can. coll. C. 57. Pennot. L. 2. C. 67. Molan. Natal. SS. Belg. ad 10. Sept. Ghinius in Natal. Can. Lüll. Mauſol. S. Jacob. Gretſcher. Nov. Edit. t. 4. Part. 2. pag. 24. Brocard. deſcript. terræ S. apud Canis. t. 4. pag. 23.

Fundat. an. 1479. Floret.

Montis Pacis aliàs Vredenberg. Virginum Canonicarum Prioratus. Fundatricem habuit *Mariam* Comitiſſam Loſſenſem viduam *Joannis* Naſſovii Comitis Viandæ, Dieſtthemii, Domini Bredæ &c. Hæc namque *de ſua, ſuorúmque Parentum & Progenitorum* (ut verbis ipſius illuſtriſſimæ Fundatricis loquamur) *ſalute cogitans, ac terrena pro cœleſtibus felici commerciô commutans, monaſterium perpetuum Sanctarum Virginum ſeu Sanctimonialium numero viginti quinque de ordine, & obſervantia regulari S. Auguſtini, ac ſub Clauſura monaſtica, ubi nimirum Majeſtatis Laus è Virgineis organis aſſiduè reſonet, animæque prædicti quondam Joannis Comitis de Naſſau ipſarum religioſarum devotis orationibus fervens memoria habeatur, in loco vulgariter nuncupato Weſtenberghe erexit.* Cui filius ſuus *Engelbertus* Naſſovius in omnibus liberaliter ſuffragatus eſt, ut verò piiſſima Fundatrix ſuæ dilectionis teneritudinem manifeſtiore adhuc teſtimoniô comprobaret, propriam filiam ſuam, odiliam nomine, cœleſti connubiô Deo conſecrans in dicto loco Primam Prioriſſam conſtituit. His omnibùs, felici eventu annô 1476. transactis, à *Ludovico* quóque Borbonio Epiſcopo Leodienſi propriâ confirmationis Chartâ dictô mox annô die 14. menſis Julii roboratis, omnium bonorum proſtitutrix Calviniana hæreſis, annô 1572. devaſtatis plurimis Belgii locis etiam hoc cœnobium ſuis ſub cineribus crudeliter ſepelivit. Virgines intereà de fuga ſibi conſulentes Bredam adjêre Civitatem, ubi aliquantùm moratæ; favore *Alberti* ac *Iſabellæ* Belgii Principum Lyram urbem transferuntur; novi domicilii ibidem conſtruendi dotem æquè ac gratiam dexteritatej præcipuè illius temporis Prioriſſæ Annæ van der Wouwere à præfatis Principibus ſibi, ſuíſque reconciliantis. Cæterùm originis annum conſignat Gramayus 1472. ſed fundationis Charta, quo diximus ſuperiùs annô 1476. expedita eſt: Lyræ verò ſtatio firmata ab eodem Gramayo dicitur annô 1610. ubi hodiedum feliciter Chorus hic Virgineus perſeverat.

Nova Collect. Dipl. Foppenſ. Parte 1. C. 221. & 222. Gramayus in Antiqu. Cap. 8. p. 34.

Fund. ſæc. 1 ſæcularis.

Namurcenſe S. Mariæ Abbatia. Quodſi Fiſenio fides, ut hujus ſtructuram primùm D. Materno debeamus, circa annum Domini 97. profectò inter prima veri Numinis Templa hanc conſtituere ædem debebimus. Nunquam ibi Monachos conſtitiſſe propè verum eſt: porrò à *Caroli* Magni temporibus Clericos eandem Eccleſiam incoluiſſe ipſe Dionyſius Sammarthanus ex Gramayo agnoſcit, dum hic refert, *illos in Ordinem redegiſſe ſequentes Leodienſes Epiſcopos, clauſtrum quoque ſuum & Officinas olim habuiſſe hos ipſos Canonicos. Stephanus* Leodienſis Epiſcopus huic loco Abbatiæ prærogati-

gativam contulit ; quamvis verò tum adhuc Regulari, Abbatem tamen ſæcularem annô 922. præfecit. Quàm facilè autem exinde regularitas in membris evaneſcere potuerit, non eſt opus multis declarare ; nunc à Canonicis Sæcularibus magnô virtutis, ac doctrinæ emolumentô providetur.

Exiſtit in urbe Namurc. Fiſen. Hiſt. Leod. t. 1. ad an. 97. Gramay in Antiq. Namurc. t. 2. ſect. 26. Gall. Chriſ. t. 3. col. 582.

Fund. inc. 15.

Nazareth Virginum Canonicarum Prioratus. Sæculô decimô quintô in Druenenſi Taxandriæ Dominio Walwicko oppido mediis initiis, ignotisque inſtitutoribus erectum. Gynecæum eſt quarundam Virginum Regulam S. *Franciſci* profitentium, quam non longè poſt annô ſcilicet 1454. cum Auguſtiniana immutârunt, ut ſimul & inſtitutum Canonicum aſſumerent, Virginibus primis Dordraco evocatis. *Willhelmus* Hollandiæ Comes jam à primis conditi, ùt videtur, Cænobii annis, ſcilicèt 1409. Privilegium immunitatis à Telonio eidem conceſſit. An hic Parthenon hodiedum exiſtat nondum ſatis didicimus, intereà tamen inter Florentia numeramus. Gramay, in Taxandria pag. 37. cap. 5. in deſcript. Ooſterwici & Dominii Druenenſis.

Fud. [illegible] Flor.

Neo-Monaſterium vulgò Nieucloſter Abbatia Virginum. In honorem S. Eliſabethæ à *Guillelmo* Spykere Fundatus in pago hujus nominis Parthenon, inde verò propè Bergas translatus an. 1248. à *Margaretha* Flandriæ comitiſſa, & in Abbatiam erectus membrum Congregationis Victorinæ exſtitit. De qua Congregatione multam planè, egregiámque laudem concinnavit Jacobus de Vitriaco, nominátque hujus Congregationis *Principem Abbatiam S. Victoris*, dictam (quæ tunc extrà muros Pariſienſes exſtiterat) ejúsque Conventum *Lucernam quandam Domini ſuprà Candelabrum poſitam non ſolùm propinquam civitatem, ſed remotas quasque regiones, & ad Dei cognitionem illuminantem, & ad charitatem inflammantem, tanquam piſcinam probaticam, & Luterem æneum in templo Domini.* At ùt notat Miræus l. de Orig. Can. Reg. C. 13. quemadmodùm Aroaſienſis, ſic & Congregatio S. Victoris deſiit, nec annuum ampliùs Capitulum à Victorinæ olim Congregationis Abbatibus celebratur.

Exiſtit autem adhuc hoc Virginum Neomonaſterium ; quódque olim extra, nunc intra urbem ſeu Bergas S. Winoci conſpicitur. Miræ : de Orig. Can. Reg. C. 12. Gall. Chr. t. 5. col. 362.

Fund. [illegible] Exſtinctum.

Nicolai Bergum Prioratus Windeſemenſis. Meminit hujus Prioratûs æquè, ac aliorum primis reformationis Windeſemenſis annîs ſeſe huic ſubdentium Buſchius in ſuo Chronico ; meminit & Catalogus ordinarii Windeſ. ; denique Chronicon quoque Bodecenſe, ſed præter hæc nuda verba, alia deſideres omnia. Exſtinctum illud eſſe indubitatum eſt.

Exſtitit in Bergum oppido propè Leovardiam. Buſch. Chron. Win. L. 1. Cap. 45. &c.

Fundat. an. 1126. Floret.

S. Nicolai de Pratis Abbatia. Sub antiquis temporibus (ùt teſtatur *Simon* Epiſcopus Tornacenſis in ſuo Privilegio) Eccleſia fuit S. *Medardo* dicata, ſita in ſuburbio Tornacenſi Canonica poſſeſſione Eccleſiæ majori ſubjecta, quam dein ex ipſorum dictæ Cathedralis Eccleſiæ Canonicorum *devota petitione, & Religioſi affectûs deſiderio liberam faciens*, præfatus Epiſcopus *Canonicæ vitæ Abbati Ogerio nomine ex Monte S. Eligii adſcito, & regularis Diſciplinæ Perſonis adſerviendum Deo ſub regula S. Auguſtini*

annô 1126. *extradidit* perpaucîs tamen attributîs Privilegiîs ; ſi enim ſolam libertatem eligendi Abbatem, curam item cum cæmeterio Canonicis, & converſis ejuſdem monaſterii conceſſam exipias, cæterum nil penè favoris collati reperies : obligabantur enim iidem Canonici ad decimas majori S. *Mariæ* Eccleſiæ præſtandas, *de omni agricultura veſtra*, inquit *Simon* Tornacenſis Epiſcopus : *circà Tornacum, & de pecoribus manſionis veſtræ decimas dabitis Canonicis S. Mariæ, nihil alioquatenùs vobis de ipſorum Parochiali jure vindicantes abſque illorum aſſenſu.* Succeſſu tamen temporis nobiliùs dotati ſunt, ùt mox dicemus.

Fundatorem autem proprium ſi requiras, occurret pro certiore, ſi Miræo fides eſt, *Ailbertus* Eccl. Tornac. Canonicus, cum eodem reparationem Eccleſiæ & clauſtri ædificationem curante ſuîs impenſîs (id eſt 105. marcis) *Moninô* Cive Tornacenſi opulento : ùt patet ex Charta ſeu Hiſtoria fundationis à Sammarthanis relata. Cùm verò Ogerius primus illius loci Abbas hunc locum minùs aptum ob aquæ penuriam reperiſſet, alium elegit in Tornacenſi ſuburbio Scaldi vicinum, ibíque S. *Nicolao* Eccleſiam cum Abbatia optimo ſucceſſu firmavit. Nam annô 1146. Theodoricus Alſatius Comes Flandriæ eandem in protectionem ſuſcipiens, jam poſſeſſiones ejuſdem non exiguas enumerat exſtitiſſe, quas omnes Gerardo Abbati beneficentiſſimô affectu confirmat, & à cunctis invaſoribus tuetur, ac vindicat. *Everardus* poſtmodùm Tornacenſis idem Epiſcopus annô 1179. Altaria aliquot liberrima donatione contribuit : *Innocentius* 2dus Apoſtolicâ quóque gratiâ totam fundationem, omniáque ejus bona confirmat. Síeque decurrentibus annis indies augmenta Abbatia hæc recepit ampliſſima, exſtátque uſque hodie eximiè enitens inter præcipuas Belgii Regulares Canonias ; multa Bellorum fata ſubiens cumprimis an. 1566. à Calviniſtis ad ſolum uſque vaſtata ; iterum feliciore ſorte caput levavit, cùm pace reſtitutâ & compreſsâ Hæreticorum audaciâ, piorum benefactorum obſtetricante manu in urbe Tornacenſi quaſi noviter nata, quia ex fundamento, in primo loco ſcilicèt in Monte S. *Medardi* recenter exſtructa eſt, ſperantes Canonici ibidem eò ſe firmiùs, quò inter muros Tornacenſes ſecuriùs, munitos perſtituros : at inde quoque ob arcem propè Monaſterium à Ludovico 14. Rege conditam dimoti, clauſtróque in Martis domicilium converſo, demum Canonici ad Parochiam S. *Margarithæ* in urbem annô 1672. transferuntur, ubi nunc adhuc perſiſtunt. Mir. Donat. Belg. C. 47. idem L. de Orig. Can. Reg. C. 59. Foppenſ. nov. coll. p. 2. C. 65. & p. 4. C. 11. Gall. Chriſt. t. 3. col. 297.

Nicolai Virginum Canonicarum Prioratus. Sæculô, ùt videtur, 15tô Gerdrudis Brant cum duabus Virginibus ex Daventria Arſcotum adeuntes locum ad fundandum Deo quærebant ardentiùs, has cùm Nicolaus de Arnhem Eccleſiæ Arſcotanæ Sacellanus pium propoſitum exponentes percepiſſet, exiguâ ſuâ, quam habebat, hæreditate unàcum domo liberaliſſima voluntate donavit. Hanc igitur cùm in Sacrum domicilium convertiſſent, ad comparanda ſibi vitæ alimenta ſedulam operam manualibus navabant laboribus, & annô 1451. numero auctæ, regulæ ſe tertiæ S. Franciſci addixerunt. At inde conſentiente Epiſcopo Leodienſi *Joanne Heinſpergio* inſtitutum cum Regula Canonica S. Auguſtini ſunt amplexæ, ſubmittentes ſe directioni Prioris S. *Martini*, ſub quo pariter annô

Fundat. circiter ſæc. 15. Floret.

1451.

1451. hanc vivendi formam omnes profeſſæ ſunt. Nunc ſubjectæ exiſtunt Archiepiſcopo Mechliniensi.

Situs eſt hic Parthenon Arſcoti in Urbe. Hiſt. Mechl. p. 244.

Nivellenſis S. Gertrudis, primitùs S. Petro ab hac ſacra Virgine dicata Abbatia. Exſtitiſſe in hac, à ſui Origine, Virgines Canonicas cum Canonicis ſolito more adjunctis, qui eis Divina Myſteria peragerent, nervosè ſatis noſter le Large in ſuis diſquiſitionibus Canon. p. 126. monſtravit, ut in iſto compendio opus non ſit ampliora adiicere. Plurium dein Parthenonum ſortem experta, & fortaſſe jam ante ſæculum undecimum in ſæcularizationem decidit, in qua hodiedum perſeverat. Cæterùm quæ fortè hac occaſione à quibusdam contraria ſeu de *S. Gertrude*, ſeu de duplici monaſterio monachis, non Canonicis aſſerendo diſſolvi poſſent, aliò conſultius differimus.

Exiſtit tribûs milliaribûs germanicis infra Bruxellam. vide authorem citatum, item Bolland. 17. Martii Mir. de Can. Colleg. c. 14. Gall. Chriſt. t. 3. col. 576.

Oigniacenſe S. Nicolai Prioratus. Originem obtinuit per Venerabilem, & Sanctitate non exiguâ conſpicuum Presbyterum *Ægidium* à Walecuria, qui adjunctis ſibi duobûs fratribûs *Roberto*, ac *Joanne*, & poſſeſſionibûs ſuis in pauperes diſtributis, vel ut Clariùs loquamur, ad exſtruendum hoc cœnobium impenſis, primùm Sanctâ Charitate, velut quædam terreſtris trinitas uniti Domino in eodem aliquamdiù deſerviêrunt, quod adſtructum erat cuidam perantiquæ Capellæ ligneîs ſolùm parietibûs compactæ, ac honoribus patrociniόque *S. Nicolai* Ep. Mirenſis dicatæ, verùm non diu eorum tam piæ, exemplariſque vitæ conſervatio ſub modio latuit, quin ſe plures Clerici eorum ſocietati adjungi enixè peterent, ut indè numerus in quoddam Sanctum jam collegium ſervorum DEI excreſceret, cui prædictus *Ægidius* Prior præſidebat. Et nè his in Domino alendis quotidiani proventus deficerent, primus, qui ſe huic novellæ plantationi beneficum præſtitit, fuit *Balduinus* de Lopon Miles, ejúſque Uxor *Oda*: qui an. 1192. *approbantibus Præpoſito, & toto Conventu Foſſenſi, ad quos Eccleſia S. Nicolai pertinebat, decimam de Villa, quæ Roulz dicitur, & terram curturiolam dictam, & decimam fæni de onignies, & licentiam aquirendi circumquaque bonarum terræ B. Nicolai Eccleſiæ contiguæ, & jus patronatûs in Eccleſia de Moulgnies, pro remedio animarum ſuarum ſuper altare B. Foillani Foſſenſis Eccleſiæ ad uſus fratrum in Eccleſia B. Nicolai de Onignies Domino famulantium reportaverunt.* Approbante etiam hanc donationem, & confirmante Domino *Alberto* Leodienſi Epiſcopo, quæ confirmatio data eſt in ſcriptis an. 1196. eámque novô privilegiô roboravit ſucceſſor *Hugo* Ordinis, ſeu inſtituti ſpeciem (antea in neutra charta notatam) deſignans his verbis. *Sub ejusdem autem Prioris obedientia fratres in communi, & de communi, ita quòd nullus ſibi aliquid appropriet, religioſè vivant. Statuimus etiam, quòd nullus in eadem Eccleſia Canonicatum habeat, niſi reſidens fuerit, & alibi redditus non habuerit:* Ex his ſanè verbis apparet iterum, quod dudum anteà notavimus de expropriatione apud Canonicos requiſita, cui tum nullatenùs refragabatur certa ſportularum diviſio, ſeu ùt vocamus, deſignatio præbendæ diurnæ, nam Canonicatus hic accipi videtur pro beneficio, unde adjicitur *& alibi redditus non habuerit.* Attamen non pertinaciter inhæreo, id explicari nequire de Canonicatu, ùt eſt

eſt ſimpliciter beneficium regulare ſine perſonali præbenda, prout traditur à Pereyra L. 2. Elucid. 19. n. 1284. quod autem ad illud conjecturandum moverat, eſt Bulla *Benedicti* 12. In qua Canonicis conceduntur certi proventus ex donatione, ſeu tradito magiſterio, item §. 39. disertè habetur conſtitutio de *Canonicis beneficia etiam ſimplicia, qualia ſunt, Sacriſtia, Theſauraria, Eleemoſynaria, Operaria, Cameraria &c. obtinentibus, qualiter ad ordines promovendi ſint.* Hæcque beneficia certas penſiones habuiſſe annexas, patet ex §. *Cùm ſit rationi conſonum*, item §. *inſtitutionibus regularibus inhærentes &c.* In quibus reperitur, fuiſſe Canonicorum Regularium monaſteria adhuc paſſim tempore editæ hujus conſtitutionis, id eſt an. 1339. peculiaribus præbendis implexa, ut Canonicis illis, ſicut nunc ſæcularibus, darentur annui redditus in pecunia; quem morem tamen poſthac inhibet Zeloſiſſimus hic Pontifex, dicens: *Quòd illi, quibus incumbit onus providendi de victu, Canonicis eisdem provideant ſufficienter & decenter, non in pecunia, ſed in victualibus, prout cuilibet opus erit, de qua ſufficientia & decentia victualium tractetur, & ſi expedierit, ordinetur in Capitulo annuali &c.* Qua eadem occaſione ultrò adjungo, nunquam me, in quibusvis demum Chartis fundationum, donationum, Privilegiorum &c. monachis qualibuscunque datis ſimilem formulam legiſſe, ut in iis diceretur, in Eccleſia hac vel illa aliquem monachatum obtinere, ſicut in allegato privilegio Canonicatus tanquam verè perſonatus (nihil planè tum temporis regularitate, ſeu votis monaſticis cum præpedientibus) & dignitas Eccleſiaſtica haberetur, quod mirum, à quibusdam recentioribus tam vehementer explodi. Sed nos iterum ad hiſtoriæ filum revertamur.

Tanto odore virtutum Ogniacenſis Eccleſia, quosque vicinos ad cupediem quandam animorum exhilaraverat, ut *Henricus*, Dux Lotharingiæ, ac Brabantiæ in conceſſo privilegio diceret, *ſe locum illum plurimùm diligere, & ideò cum omnibus bonis ſuis in protectionem & defenſionem ſecurè recipere:* Denique, ne Canonicis Ogniacenſibus ſolidiſſimum omnium deeſſet præſidium, privilegiis egregiis, munita eſt annô 1227. à *Gregorio* Nono ſummo Pontifice, in cujus Bulla primùm legitur, *ut ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis &c.* Quamvis extrà dubium ſit, primitùs ſtatim ſub hac regulari forma Ogniacum fundatum eſſe, ſed, ut aliàs ſæpiſſimè, ſic iſthinc ſufficiebat tam fundatoribus, quàm Patronis, vel ſolo nomine Canonico, totum id deſignare ac dicere, quod nunc tam ſcrupuloſo ambitu quidam Critici requirunt, ut niſi præter vocem *regularis* Canonico additam adhuc ſuperadjunctum titulum *Ordinis S. Auguſtini* reperiant apud aliquem Sanctum Antiquum &c. mox diſſentiant ejusdem eſſe cum modernis Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* ſpeciei. Sed quid jam memoremus præſtantiſſimas perſonas ex hoc cœnobio tanquam ex palæſtra quadam virtutum prodeuntes, totíque Eccleſiæ Catholicæ in magnum decorem utilitatémque ſervatos? Solùm tres hic nominare libet, ne brevitatem digrediamur promiſſam, & tamen in laude horum trium ſtet omne verbum, quod deſideramus proferre. Primus eſt Venerabilis *Jacobus de Vitriaco*, quâdam veluti panopliâ earum prærogativarum, quibûs virtus ſcientiáque ornatur, amictus: ipſe enim Doctor Pariſienſis eximius, dein ordinis Canonici Sanctiſſimus effectus alumnus eſt, ſcriptor inde

inde aliquot voluminum celeberrimus, dignitate mox Epiſcopali inſignitus Acconenſi, ſed eâdem ob cellæ ſuæ Ogniacenſis, & humilitatis conſervandæ amorem (veniam quamvis ad id difficulter concedente *Honorio* 3tio) dimiſsâ paulò poſt, cùm ſub modio latere tantùm lumen nequiret, & nè quid ſuis deeſſet meritis condigni honoris, ac præmii, an. 1228. per totam *Syriam* conſtitutus eſt Legatus Apoſtolicus, demum S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus. Hac dignitatum varietate cinctus *Jacobus* quantum Eccleſiæ Catholicæ ſuis laboribus contulerit in extirpandis hæreſum monſtris, & implantanda fide orthodoxa in partibus Orientalibus, non eſt noſtrarum virium, ut condignè enarremus; id tamen, quod ad rem præſentem maximè confert, non ſilebimus, Jacobum ſcilicèt noſtrum, cùm ex monaſterio ad Epiſcopatum Acconenſem, & ſucceſſivè ad alias dignitates enarratas aſſumeretur, nunquam non ſe Ogniacenſi Eccleſiæ fidelem filium, gratúmque exhibuiſſe, neque dum vires ſuppetebant, ſuâ eam accumulare munificentiâ neglexiſſe; ut in monumentis domeſticis non ſolùm ſcriptum reperiamus, ſæpiùs Ogniacenſem Eccleſiam à ſe viſitatam, & liberaliter dotatam, ſed etiam chartam de annô 1243. à Priore Ogniacenſi *Sigero*, & toto conventu ſubſcriptam, erectámque, hodiedum extantem, & à Foppenſio noviſſimæ edit. Miræi tom. 3. novæ collect. Diplom. inſertam habeamus, in qua ſpecificè enumerantur ingentia planè ejuſdem donaria huic ſuæ dilectæ Matri, ac ſpirituali quondam nutrici collata. Inter quæ illud memorandum, cùm à tempore fundationis Canonici Ogniacenſes à vino, ob penuriam proventuum abſtinere cogerentur, hoc *providâ diſcretione conſiderans vir eminentiſſimus, quod pro tali defectu perſonæ litteratæ, & maturæ, in eodem loco jugum ordinis ſubire recuſarent, timens, nè pro defectu conſilii, & venerabilium raritate perſonarum ejuſdem loci religio tepeſceret, & minus frequentaretur à bonis, beneficia beneficiis cumulans, quæ ſanus mente tractaverat, opere complevit in extremis, & ad comparandas vineas, vel poſſeſſiones ad hoc ſpecialiter deputandas, petuniam legavit uſque ad quingentas libras alborum, ut ex dictarum poſſeſſionum proventibus, Conventui, infirmis, & hoſpitibus, in vino competenter provideretur, cùm ad hoc faciendum ejuſdem Eccleſiæ priùs non ſufficerent facultates.* Obiit autem vir iſte celeberrimus, & quantum vel ullus aliàs, tantum ipſe (tempore planè arduo, quô fideles Eccleſiæ velut aurum in fornace probabantur) de eadem eximiè meritus annô 1243. ultima Aprilis, ſub *Innocentio* 4to ſummo Pontifice, & *Friderico* ſecundo Romanæ ſedi infeſto imperatore, ſanctiſſimè actam vitam beato planè fine concluſiſſe *Jacobum* teſtes extitêre plures viſionibus divinis tunc dignatæ perſonæ, quæ ſecurè certòque aſſerebant, ſe eum felici quiete perfruentem in Paradiſo Domini exultantem conſpexiſſe: hinc & à pluribus ſcriptoribus *Beati* titulo honoratur, & Ogniacum ſibi gratulatur ejuſdem ſacro corpore (quod ipſe Romæ moriens illuc deduci petiit) hodiedum decorari. Flagella etiam ejus, binaſque mitras, unam ex pergameno, alteram ex ſerico, annulos quóque duos Pontificales, Pedum unum ex ebore, aliaque relicta ab eodem tanquam pretioſa, & ſummè colenda Cimelia ad hanc diem cautè reſervat.

Secundus eſt *Joannes de Nivella*, Doctor Theologus, qui ex Decano Eccleſiæ S. Lamperti Leodienſis, relictis ampliſſimâ præbendâ, honoribus, aliiſque affluentibus

divitiis, pauperem, humilémque in Ogniacenſi Eccleſia Canonicum induit, ibiq́ue vixit, ut ab omnibus Sanctitate conſpicuus adhuc in vita ſuſpiceretur, atque coleretur. Hic Sanctiſſimo illi Eremitæ, ac Presbytero Beato ſcilicèt *Guilielmo* in vita ſua ſpirituali tantus, talisq́ue Rector exſtitit, quantum dein ejusdem Sanctitas, atq́ue miracula comprobarunt. Obiit autem annô 1233. die 16. Martii, aitque Molanus hunc ipſum *Joannem* plurimis miraculis clarum effulſiſſe.

Denique tertia eſt *Maria Ogniacenſis*, Matrona ſanctiſſima, & vitæ planè mirabilis, quam *Jacobus* de Vitriaco teſtis oculatus, & multis annis omnium ſecretorum ejus conſcius fideli calamô enarravit. Dudum jam inter Sanctas Mulieres habitam fuiſſe, comprobant ſufficientia documenta, è quibus pro nunc ſufficiat; annô 1608. impetraſſe Ogniacenſes à ſede Apoſtolica, ut corpus illius ſolenni pompa elevaretur, & in theca argentea altari ſuperimponeretur; ex quo ſingulis hebdomadis ſacrum cum cantu habetur in ejus honorem: translatio autem ipſa, ſeu elevatio prædicta facta eſt per *Franciſcum* Biuſſert Epiſcopum Namurcenſem, in cujus Diœceſi Ogniacum recumbit. Nam, cùm hic ſollicitus Paſtor totam ſuam Parochiam peragraret, devenit etiam Ogniacum, ibiq́ue ſepulchrum *B. Mariæ Ogniacenſis* accedens, tantam inde devotionem hauſit, ut tunc, & quoties illius Chriſti Ancillæ mentionem fieri contingeret, ab imbre lachrymarum ſeſe continere non poſſet, porrò, ut aliquam ſuæ devotionis vicem rependeret, mente cæpit agitare de illius elevatione facienda; Igitur id à ſummo Pontifice *Paulo V.* deprecans, obtinensq́ue, ſolennitatem ad 12. Oct. an. 1608. indixit, atque celebravit cum plenariis indulgentiis per totam diœceſim priùs promulgatis, prævie præmiſsâ Epiſtolâ paſtorali, invitante ſingulos ſuæ jurisdictioni ſubjectos ad hanc feſtivitatem. Ut hic originaliter omnia adferamus, loci anguſtia non admittit, nullátenus tamen, (cùm illa ad manus habeamus) promiſſo noſtro in opere dimiſſuri.

Cæterùm duo adhuc, quæ hic adjiciamus, ſuperſunt: Primò hanc Beatam *Mariam* Ogniacenſem à quibusdam, cujus inſtituti fuerit, ignorari, nos autem nè ambigimus quidem, inſtituti eandem fuiſſe Canonici, &, ùt dicere ſolemus, Canonicam fuiſſe regularem, ſed, ùt bene in notis ſuis ſcripſit Foppenſius, tanquam recluſam: non abſimiliter à Venerabili Wilburge, quæ pari vitæ ratione vixerat, ad S. Floriani in Auſtria, de qua inferiùs in Circulo Auſtriaco. Secundum eſt, multis deſideriis à me ſuſpirari, ut, dum non paucorum ſanctorum in opere noſtro memoria occurrit, qui ſanctiſſimum ordinem noſtrum mirâ ſanctitate, ac virtutum exemplis præcipuis colluſtrarunt ab eo tempore, quo ultima ejusdem facta eſt reformatio, & ſecundùm quam usq́ue nunc, quotquot adhuc ſolidioris Canonicæ diſciplinæ Zelatores exiſtunt, ſe vivere ſpondent, atque impendunt: ut inquam, ſaltem quorundam ex eis feſtiva celebritas Calendario noſtro poſthac inſereretur, quos inter non ultima ſanè eſſe poſſet hæc B. *Mariæ* Ogniacenſis die 23. Junii: cui addamus ad diem 8. Auguſti *S. Altmannum* Epiſcopum Pavienſem; ad 23. Decembris, *S. Hartmannum* Epiſcopum Brixinenſem &c. Quorum Catalogum amplum ad manus haberemus. Et opinaremur ſanè haud ipſis modernis quibusdam Criticis inde nos minùs placituros, certiſſima hôc factô, pro dubiis eligentes, qualia

lia nobis in quibusdam feſtis, ſi non alia de cauſa, ſaltem ex ea objici poſſent, quòd v. g. *S. Ildephonſum, Iſidorum, Eucherium, Leandrum &c.* ideò inter noſtri ordinis alumnos referamus, cùm relicto monachili ſchemate (quod primùm profeſſi erant) provocati ad ſalutem gentium, & miniſterium Eccleſiaſticum, primævis ſæculis ſoliti ſint ad caſtra Canonicorum, eorumque profeſſionem tranſire: Ubi intereà tot Sancti ſuppetunt, qui à Juventute ſua, Canonicâ vitâ ſanctiſſimis, ac maximis ad imitationem (ùt diximus) exemplis provocantibus transactâ gloriam æternam poſſident in cœlis, & dignè planè honorem potiorem à nobis in terris pariter ſe ſe expectare præſumi poſſunt.

Denique ut de Ogniacenſi hoc cœnobio finem ſortiamur, cùm nulli hactenùs illud Congregationi ſubjectum legamus, necdum penetravimus, cur uſque nunc tanta aliàs celebritate conſpicuum ſub ſolius Prioratus titulo innoteſcat; niſi fortè recentiſſimis planè temporibus in Abbatiam elevata fuiſſet, quod tamen non comperimus. Certè annô 1694. ampliſſimum Dominum *Bernardum* nonniſi ſub Prioris nomine eidem Ogniaco præfuiſſe ſatis notum habemus, & fortè ideò in Gallia Chriſt. Collegium hoc penitùs reticetur. Situm eſt Ogniacenſe cœnobium ad Sabim fluvium inter Nivellam, & Namurcum pari quatuor fermè milliarium intervallô diſtans. Mir. ſuppl. Dipl. P. 36. 84. & 93. & 104. & 108. Foppenſius novæ Collect. p. 2. c. 125. Arnoldus Rayſſ. in cœnobiarchia Oigniac. Molanus in Natal SS. Boland. ad diem 10. Feb. & 23. Junii Fiſen. hiſt. Leod. t. 1. ad. an. 1192. &c.

Fundat. cir. sec. 7. Floret.

S. Pauli Abbatia. Quam *S. Donatus* ex Monacho Luxovienſi Veſontinus Archiepiſcopus in ipſa urbe Metropoli condidit, amplíſque ſtipendiis dotavit, ſibi etiam, dum viveret, ſummo affectui habuit. Cùm enim divinarum rerum ſtudio unicè aſſuetus eſſet, dein Epiſcopalium curarum diſtractus laboribus, præfatum, ubi poterat, monaſterium religioſæ quietis captandæ gratiâ adiit, in eoque quidquid monachô dignum erat, etiam Epiſcopus, nullâ præpediente honoris prærogativâ exſequebatur. Certiùs ſanè exiſtimaveram, primitùs, & quidem à *S. Donato* monachos in hoc cœnobium inductos fuiſſe, non S. Benedicti (prout certiſſimum evincitur ex illo Anonymo à nobis ſuperiùs citato aſſerente regulam S. Benedicti hujus regni, id eſt totius Auſtraſiæ habitatoribus omnibus ignotam fuiſſe) ſed S. Columbani: defeciſſe tamen hanc monaſticam diſciplinam (qualiſcunque illa fuerit:) præcipuè diversis infortuniis poſt *S. Donati* obitum (quem an. 657. attigiſſe Boſchius in vita ad 7. Aug. demonſtrat) ac temporum intercurrentibus injuriis, ut domicilium nè quidem inibi inhabitoribus ampliùs ſufficiens præberetur uſque ad an. 1044. docet noſter Pennotus: tum verò *Hugo* cognomento Salinacius LIII. Veſontionum Archiepiſcopus, cùm antea hujus cœnobii Abbas Commendatarius eſſet, novâ, melioréque formâ veſtivit, Canonicos induxit, & per Decanum gubernari conſtituit: ſed ſub qua preſsè regula, nec inſtrumentum *Hugonis*, ſeu teſtamentum in favorem hujus reſtitutionis conditum, nec alia documenta eorum temporum manifeſtant. Illud tamen extrà aleam, ſub annum 1122. invectam fuiſſe regulam *S. Auguſtini*: & quamvis diù fluctuarent Canonici eidem ſe ſe ſubmittere, hincque totum ſe corpus duas in partes diſcinderet,

ſub *Anſerico* tamen Archiepiſcopo an. 1131. Leges Concordiæ inter diſſentientes Sanciente, & *Innocentio* II. filum diſcordiæ reſcindenre ex integro per decretum datum 1132. 15. Cal. Oct. Gerlando *S. Pauli* Priori &c. concluſum eſt, nè quis ex hinc, qui *S. Auguſtini* regulam ſequi nollet, in *B. Pauli* familiam admitteretur: Unde evenit, ùr (noranre Chifflerio in illuſtrat. Claud.) per centum & 20. annos deficientibûs ſenſim Canonicis regulæ Auguſtinianæ adverſis annô 1252. rota domus in regulare, ac perfectum tranſjêrit inſtitutum Auguſtiniano-Canonicum, eidemque primò Abbaris nomine præfectus ſit *Stephanus de Cicons*.

Hæc nobiliſſima Abbaria noſtra adhuc ætate præclarè florens magnis præeminentiîs gloriatur; præterquam enim, quòd Eccleſia *S. Pauli* ſemper inter præcipuas totius Burgundiæ, ac antiquiſſimas poſt ipſam Metropolitanam ſit habita, poſſider quoque in Eccleſia parochiali *S. Donati*, ſibi pleno jure unita, corpus hujus ſui S. Fundatoris. Inſuper accedit, *Humbertum* Archiepiſcopum an. 1161. abdicato Epiſcopatu, regulam, habitumque Canonicorum Regularium iſthic ſuſcepiſſe, vitamque ſuam Sancto fine clauſiſſe, unde in Necrologio hujus cœnobii legitur: *Kal. Oct. obiit Humbertus Archiepiſcopus Canonicus noſter, hic ſepultus.* Plura de hac celeberrima Abbatia referenda ad opus ipſum differimus.

Exiſtit in Urbe aliàs quoque *Palatii* nomen obtinens. Penn. L. 2. c. 33. n. 8. Mabill. Annal. Bened. L. 11. n. 50. Chifflet. cir. act. SS. 6. Jun. in vita S. Claudii & 7. Aug. in vita S. Donati Veſont. Ep.

Fundat. ſæc. 11. Floret. **Perroy S. Mariæ Prioratus.** Cujus initia ignorantes, ea, quæ ex Miræo didicimus, hic ſubjicienda curavimus: Religioſi Eligiani (Montis ſcilicet *S. Eligii* Canonici, de quibus ſupra egimus) poſſident prioratum *B. Mariæ* du Perroy, ad muros oppidi Bethunienſis in Artheſia, ex Fundatione Roberti Bethunæorum Advocati. Ita Locrius in Chronic. ad an. 1100.

Miræus Diplom. Belg. L. 1. C. 43.

Petri: Prioratus Virginum Canonicarum, vulgò St. Peeters ter Sieken. *Fundat. 1228. Floret.* In pago Opbruxellenſi (olim extrà, nunc intrà ipſam urbem Bruxellam ſito) Virgines duæ honeſtô locô genitæ collato in unum, qui ſuppetebat, exiguo cenſu ædem in ſolatium Leproſorum exſtruxeranr, quibus Chriſtianæ Charitaris officium, quô poſſent, obſequiô exhiberent: occaſionem id exercendi ſuppeditabant paſſim tunc temporis, ſcilicèt occaſione Jeroſolymitanæ expeditionis, reduces ex Judæa miſerè hâc ægritudine infecti Chriſtiani: indè non mirandum, ſi toties, plurimis in locis illo ſæculo leproſaria hoſpiralia condita fuiſſe legimus: his autem tam pio operi intentis Virginibus mox ſe aliæ junxerunt, & obtentâ ab Epiſcopo Cameracenſi licentiâ, facultatibûs mediantibûs monaſterium perexile ſtruxerunt, adjunctâ capellâ primùm ligneâ, inde lapideâ 1228. ſolenniter conſecratâ. Demum inſtitutum Canonico-Auguſtinianum ſuſcepiſſe dicuntur; at tempore hactenùs omninò ignoto. Structura tam Eccleſiæ, quàm cœnobii cùm ſæpiùs reſtauraretur, nunc elegantem planè, & inſignem ab annô 1717. ex fundamenris novis exurgenrem induiſſe formam perhibetur.

Exiſtit Bruxellæ in Urbe. Hiſt. Mechlin. c. 2. p. 42.

S. Petri Stivagienſe, aliàs, & Gallicè dictum Eſtival, *Fundat. ſæc. 7. Ord. Præm.*

Eſti-

Eſtivai, vel Stivai Abbatia. Principem hæc inter omnia totius Voragi monaſteria locum antiquitate fundationis obtinet. Annô enim 661. ſaltem Eccleſiam D. *Petri* honoribus dicatam exſtitiſſe, quod eam *Bodo* Tullenſium Epiſcopus hôc annô Eccleſiæ Cathedralis Patrono *S. Stephano* contulerit, diſcimus ex actis Epiſc. Tullenſ. à Mabillonio in ſuis annal. citatis, & necdum editis. Hinc arguimus *Bodonem* fuiſſe, qui Eccleſiæ huic jam anteà exſtructæ tempore iſto, prout eadem acta referunt, monaſterium adjunxerit ſuper fluvium *Miirt*, & duodecim Canonicos aggregaverit. Annecto intereà, quæ ex Reverendiſſimi hujus Abbatiæ Præſulis Caroli Ludovici Hugonis documentis haurio, referentis monaſterium iſtud nono labente ſæculo *Richardem Caroli* Craſſi conjugem in poſſeſſionem, ac dotem obtinuiſſe, quæ licèt in ſuo, quod eidem monaſterio dederat, diplomate non explicet, quales tunc temporis Aſcetæ illud incoluerint, utpote quos ſub ambignis, *Servientium Domino* vocibus exprimit; Clariùs tamen poſtea *Ottonis I.* Imperatoris præceptum annô 965. datum oſtendit: dum Canonicos ibidem degentes expreſsè appellat *ſub regula B. Auguſtini Deo deſervientes*. Hæc dum ex præfato Hugone diſco, ſi diploma iſtud *Ottonis* autographum eſt, atque legitimum (quod tamen mihi nondum videre licuit) multum roboris addent probare Conantibus regulam *S. Auguſtini* etiam viris Canonicis, jamque ſæculô decimô, in uſu fuiſſe, etſi ſe de illa (ùt nunc, & à temporibus *Innocentii* tertii conſuetudo invaluit apud Clericos, quam longè anteà tenuerant monachi) neutiquam ſcriberent, aut nuncuparent: ſed nos ſperamus hujus diplomatis authenticum teſtimonium obtinere, ut inde ampliora ad propoſitum noſtrum eruamus. Cæterùm ex eodem Hugone habemus: Canonicos *S. Auguſtini* permanſiſſe ad uſque ſæculi duodecimi annum 1146. quô iidem reformationis Norbertinæ pietatem appetentes, huic ſe ſubmiſêre, quæ ad hanc uſque diem illibata ſervatur.

Gaudet autem cœnobium iſtud plurimìs, ampliſſimiſque juribûs, imprimis in villas quindecim temporalem juriſdictionem exercet, & graduali ordine lites à præfecto, quem Galli, Maire, id eſt, Prætorem nominant, diremptæ ad judicem Cameræ Abbatialis, vulgò juge du Buffet de l'Abbe provocantur per appellationèm, & inde ad Senatum ſupremum Lotharingiæ devolvuntur.

Spiritualis dein Juriſdictio in pagos ſeptemdecim diffuſa, viget integra. Præterea Abbas ipſe tribunal Eccleſiaſticum habet; in gratioſis æquè, ac contenſioſis rebus plenâ gaudet poteſtate: ſoli deniq́ue tota Abbatia ſubjecta eſt ſummo Pontifici, nec ab alio in ſpiritualibus inquiri, aut reformari poteſt.

Exiſtit ad Fluv. Miirt vulgò Meutre, diſtat Danubrio verſus Orientem 3. milliar. Gall. Mab. Ann. Ben. L. 15. n. 16. Ruyrius L. antiq. Voſag. Document. communic.

Plechelmi Præpoſitura, hanc in honorem *S. Plechelmi* Epiſcopi, cujus ſacrum caput *Baldericus* Epiſcopus Ultrajectinus XV. cum majore parte corporis Oldenſaliam oppidum tranſiſalanæ provinciæ tranſtulit, pariter exſtruxiſſe dicitur. In hoc loco eundem felicis recordationis Epiſcopum (ùt eum Chronica Ultraject. Epiſcop. dilaudant) quoddam Collegium Canonicorum ſtruxiſſe, non eſt, cur Miræo diſſentiam, at illos, ut dicam (confirmationis tabulis dudum deficientibûs) Regulares exſtitiſſe, haud inducor. Monitis, ut

Fund. ſæc 10. Exſtinctum.

ut hanc Præpoſituram inſeram, patere cogitabam, ultrò verò non ſuccurrentibus documentis, eò faciliùs eam ipſo in opere dimittam.

Miræus L. de Can. ſæc. cap. 101. Acta SS. t. 4. Julii 15. in Comenr. prævio. Chron. Mag. Belg. pag. 82. Docum. Commun.

Fund. 1252. Floret. Pratum Marianum, ſeu Vallis S. Mariæ Abbatia. Fundatur à *Margaritha*, Comitiſſa Flandriæ, & Hannoniæ an. 1252. Hæc piiſſima Matrona primitùs ex Cœnobio *S. Catharinæ* Pariſiis ſeptem Scholares Religioſos Valentianas evocaverat, ibidem novi monaſterii fundamenta jacturos, mutatô poſt biennium conſiliô, intentum pietatis opus Montibus executa eſt, coempto hunc in finem *manſô quôdam, inſuper attributis Quadraginta bonariis prati jacentis inter prata de Ononainus &c.* ùt inquit in ſua Charta Donationis prætacta *Margaretha*. Annuêre huic ſancto propoſito *Nicolaus* Cammeracenſis Epiſcopus, ipſúmque *S. Waldetrudis* Montium Hannoniæ Capitulum. Primùm ſolius Prioratûs titulô gaudebat monaſterium iſtud, usque dum annô 1617. à *Paulo* quinto inter Abbatialia receptum eſt, primúsque in Abbatem Benedictus Melchior le Beghe: at uſum infulæ annis poſt 44. ab *Alexandro* 7mô Jacobus Neutre obtinuit.

Habuit hæc Abbatia præ reliquis memoriâ dignum Præſulem Franciſcum Petrart, qui ex religioſo familiæ *S. Franciſci* Epiſcopus Calchedonenſis, & ſuffraganeus Archiepiſcopi Cameracenſis Ludovici de Betlaymont, dein factus eſt Prior hujus Cœnobii. Neque ramen diù præeſſe, aut prodeſſe poterat, cùm annô 1591. regimen ſuſcipienti, ſubſequô annô, mors excuſſerit. *Minorita, ſeu fratrum minorum.*

Alium quoque *Martinum* Colin hæc Abbatia ex Iſaacano Prioratu Canonicorum Regularium Windeſemenſium in Abbatem poſtulavit; qui tamen vix clavum arripuit an. 1651. mox 7. Martii eôdem annô cum vita dimiſit.

Floret hæc Abbatia ſub Congregatione Gallicana, Exiſtitque in ipſa Urbe Montium, Foppens. Nov. Collect. p. 1. p. 115. Gall. Chriſt. t. 3. col. 165. & ſeq.

Premiacum Virginum Sacrarum Abbatia. *Fund. 1190. Floret.* Quam *Rogerius* Epiſcopus Cameracenſis ante annum 1190. (quô obiit) creditur fundâſſe, &, ùt tunc ſæpiùs fieri conſuevit, hunc ſacrum Parthenonem conſtructo pariter à ſe Cantipratano Canonicorum Collegio adjunxiſſe, ea bonorum communione, ut utriusque Cœnobii familia promiſcuè iiſdem potiretur; ſed, cùm ſe gemina Abbatia Congregationi Victorinæ, tunc celeberrimæ uniret, à ſe invicem ſunt diviſæ: Exſtat hac ſuper re Charta *Joannis* de Bethunia Epiſcopi Cameracenſis, quâ Abbatia Premiacenſis Monialium Ordinis *S. Auguſtini* eximitur à Juriſdictione Abbatis Cantipratani, atque à communione proventuum, & bonorum: *Habito enim*, ùt inquit *Joannes*, *cum fratribus ac ſororibus ante dictis tractatu, nonnullas conſideravimus rationes, & cauſas, per quas intelleximus evidenter, quòd ſtatus ſororum diutiùs in futurum durare non poterat, nec in ſancto propoſito numerus earundem augeri, ſi in ſubjectione B. Victoris, & jam dicta Cantipratenſis Eccleſiæ remanerent, maximè, cùm Ordo præſcriptus in ſuæ profeſſionis conſortium tale, ſicut diximus, perſonas de facili non admittat. Actum annô ab Incarnatione Domini* 1214. *Menſe Auguſto.* Eximiis hic ſacer Parthenon dotibûs identidem floruiſſe comperitur, præcipuè cùm adhuc ſub directione Victorinæ Congregationis augmentaretur, ita, ut etiam in nova ali-

aliorum locorum erecta Virginum Canonicarum aſceteria ex hoc tanquam nobiliſſimo Gynecæo pro Virgineæ plantationis certiſſimo incremento Coloniæ peterentur, ùt infrà de Cœnobio Quercetano apparebit.

Viget etiamnum hæc Sacrarum Virginum Canonicarum Abbatia intra ipſos muros Cameracenſes conſpicua. Mir. L. de Orig. Can. Reg. C. 81. idem ſuppl. Dipl. parte 3. C. 110.

Fundatum ſæc. 13. Floret.

Quercetanum, vulgò Quesnoy, Virginum Canonicarum Abbatia: Hujus fundatorem ſe exhibuit *Petrus Pitenz* Sacellanus *Balduini* Cògnomentò Animoſi Flandriæ, & Hannoniæ Comitis, ſæculô, ùt videtur, 13. verùm labenti cum tempore, ædificorum ſtructuræ ut ſuccurreretur, *Joanna* dictarum Provinciarum Comitiſſa mox manum adjutricem ſuppoſuit, & cæptum cœnobium firmiſſimis ædificiis auxit circà an. 1233. primasque plantulas, ut in perenniter virentia germina hæc laudabilis fundatio firmaretur, è Primiacenſi tunc maximè florente Sacro viridario deprompſit *Margaritha* dicti *Balduini* Animoſi Deo devotiſſima Soror, idque circà annum, ùt Miræus in Chronicis M. SS. Hannoniæ ſe legiſſe aſſerit, 1263. undè, nè credi debeat, hoc monaſterium viginti novem annis ſuæ fundationis fine vacâſſe, dicendum erit, Virgines illas Primiacenſes ad inducendam ſolidam regularem diſciplinam fuiſſe adductas, prioribùs verò annis illud ſacras quidem, Deoque dicatas Veſtales, ſed necdum certâ ac formatâ regulari inſtitutione excultas inhabitâſſe.

Floret hodiedum hæc Abbatia, & quæ primitùs muris urbis erat contigua, nunc in ipſa Urbe Querceto, vulgò Quesnoy (Quia anteà munitionibus obnoxia) conſiſtit. Mir. L. de Orig. Can. Reg. C. 86. Gall. Chr. t. 3. Col. 167.

Fundat. - - - - Floret.

Quercetanum, ſeu Eeckhouttanum, vulgò de Eeckhout, S. Bartholomæi Abbatia. De hujus fundatore occurret in Littera *S.* ubi de *Sarchinienſi* cœnobio agimus, ampla diſſerendi occaſio, quò Lectorem de hoc plura ſcire deſiderantem remittimus. Fuit is *S. Trudo* è Nobiliſſima, imò regia, ùt quidam docent, ſtirpe progenitus, totam Hasbaniam jure patrimoniali poſſidens, at univerſam divino deſignans obſequio, inter reliqua autem ejus piiſſima opera memorantur duo clericorum monaſteria à ſe exſtructa, unum *Sarchinii*, quòd Sarchinienſe olim, nunc *S. Trudonis*, aut ob urbem Cœnobio adjunctam *Trudonopolis* nuncupatur: alterum, *Brugis*, de quo Rodulphus Abbas Sarchinienſis in Chronico ſuo apud Miræum, & in litteris ad Walemarum datis: *Beatus*, inquit: *Trudo habuit ex parte patris Dominium villæ Brugis nuncupatum cum ſuis attinentiis, quæ modò eſt oppidum famoſum in terra, quæ vocatur Flandria - - - - - Monaſterium B. Trudo ibidem in proprio ſuo alodio fundavit, & dotavit, & in eo octoginta monachos inſtituit.* Hoc monaſterium illud ipſum eſſe, de quo iſthìc narrare conſtituimus, paſſim ſcriptores obſervant, ùt videre eſt apud Cornel. Bartholomæi in Mantiſſa. At, ut verum fateamur, apud nos hac ſuper re aliquatenùs adhuc fides vacillat; nam quod fragmentum Chronici Trudoniani Cornelius noſter in probam producit, illud ipſum apud Miræum hæc verba ſubjicit: *ſed quâ causâ poſteà immutatio ſexûs contigit, neſcitur.* Ergo in eo cœnobio, quod Quercetanum fuiſſe creditur, tempore Chronographi Trudoniani, id eſt, ſæculi undecimi fine, moniales habuit locò vi-

virorum, quod in Quercetano Cœnobio nunquam contigit: Obſervo equidem juxta Cornelium tria diverſa loca, in quibus ſucceſſu temporis commoratos dicit Clericos Canonicos primitùs Brugis à *S. Trudone* inſtitutos. Primò in Querceto, & id usque ad Nortmannicam ſæculò nonò ingruentem devaſtationem, hinc effugientes præfati clerici, ac loca refugii inquirentes dicuntur ſubſtitiſſe in *Ameresheim*, ex quo loco rurſum dilapſi recolliguntur ad initium ſæculi decimi ſub *Lamberto* (ùt vult Cornelius, corrigens Miræum, qui ex tabula quadam Aroaſienſi *Udalricum* quendam ſignavit tunc Epiſcopum Tornacenſem) eriguntque cum parochiali Eccleſia cœnobium in *Odeghem* juxta Brugas ſub titulo *S. Trudonis:* Deniqúe, ſecuritate firmiore in Belgium (depulſis Martis timoribus) inductâ, dicuntur eorundem Canonicorum annô 1016. quidam rurſum ſe Quercetum recepiſſe, *ob devotionem, ùt videtur*, inquit Cornelius, *ergà primæ fundationis locum*, reliqui permanſiſſe Odegem. hunc in Quercetum reditum Meyerus alligat ad annum 1050. dicens: *annô 1050. in ſuburbano Brugenſi conditum eſt Cœnobium Regularis diſciplinæ, cui nomen Quercetum.* Recipitque hanc reſtaurationis Quercetanæ Chronicam ſupputationem Cornelius. Dein annô 1091. in vicinia Querceti fundatur Collegium *B. Mariæ*, & annô 1094. electus eſt in primum Præpoſitum *Gummarus*, qui præfuit annis 20. hic Romam profectus fertur Eccleſiam Monialibus ceſſiſſe, at ſucceſſorem ejus reclamâſſe. Et has Moniales ipſas Trudonianas eſſe cenſet Cornelius, quæ annô 1110. in ſocietatem Quercetanorum Canonicorum ſic admiſſæ ſunt, ut iſti earum curam tam ſpiritualem, quàm temporalem haberent, & utriusque ſexûs, religioſi ſcilicèt viri, ac Virgines *in eodem cœnobio* degerent, ùt iterum paulò inferiùs dicemus. Sed hoc cœnobium illud eſſe nequit, de quo Chronographus Trudonianus locutus eſt: utpote qui *immutationem* factam dicit virorum religioſorum in ſanctimoniales: nec intelligi poteſt de immutatione per Præpoſitum Gummarum facta, cùm illa Eccleſia in vicinia Querceti erecta fuerit, non in ipſo Querceto, & alia appareat eſſe ab illa, de qua idem Chronographus; prætereà hujus tempore facta ſit admiſſio Virginum in ſocietatem Quercetanorum: etenim tam ignoranter vix ſcribere potuiſſet ſæpefatus Chronographus, qui adhuc annô 1117. ſuperſtes fuit; neque eum facta à Gummaro Sanctimonialium inſtitutio ante annos circiter decem, aut paulò ampliùs latere potuit. Unde de alia illum immutatione, quin de alio cœnobio (ſi univerſa conſideremus penitiùs) diſſerere neceſſe eſt, ſed de quo? non datur conjecturare: Quamvis certum ſit, quotquot Quercetum à *S. Trudone* conſtructum aſſerunt, id dicendi fundamentum ex data Trudoniani Chronographi relatione hauſiſſe. Nobis hac in re nihil definire conceditur, nam ſeu alioquin Theodoricum vitæ *S. Trudonis* Scriptorem, priorem à Rudolfo; ſeu Donatum (quo antiquiorem de eodem *S. Trudone* hiſtoricum necdum fuit reperire) perſpiciamus, uterque de uno ſolùm ſignatè, eoque Sarchinienſi cœnobio facit mentionem, qualis etiam memoria exſtat in privilegio *Roberti* Hasbaniæ Comitis datô, circa annum 746. ùt notat ipſa Charta, id eſt annô quintô poſt obitum *Theodorici* Regis, qui obitus juxta certiorem computum evenit annô 741. at de Quercetano, ſeu Brugenſi mentio in antiquis documentis omninò nulla. Undè crediderim, in eo loco Quercetano exſtruxiſſe fortè Trudonem Eccleſiam, cellam, aut orato-

torium, qualia complura inſtituiſſe facilè credibile eſt, at, quod ibidem 80. collegerit monachos, Clericóſve, qui dein usque ad ſæculi decimi, undecimíque reformationem demum conſuetâ pietate in regulam *S. Auguſtini* juraverint, ſolis à Cornelio productis rationibus difficulter perſuadeor. Nam *Donatus* Diaconus, ùt notavimus, de Quercetano hoc cœnobio nullam facit memoriam, neque Guicardus Abbas, neque Harigerus Lobienſis. Sed neque Rodulfus ipſe Quercetum nominat, imò aliud à Querceto monaſterium ab eo ſignari jam obſervavimus. Hæc dicta volumus, non ut celeberrimæ Quercitanæ Abbatiæ aliquid de ſua antiquitate ſurripiamus, ſed ut firmiora obtineamus documenta, quibus eandem expoſt contra notiſſimos omnia propè ſugillantes modernos Criticos ſtabiliamus. Quamvis igitur nec definire præſumamus hujus ſacri cœnobii exordium, tanquam primi ex ſingulis à *S. Trudone* fundatis, minùs autem tanquam annô 650. ab ipſo jam erecti, utpotè (velut in Sarchinienſi monſtratum) *S. Trudone* ante an. 670. vix ac ne vix, ad fines Hasbanienſes remeante, & tum primùm extruendis monaſteriis manus admovente: attamen vetuſtatem condebitam, & prærogativam Trudonianæ fundationis huic nobiliſſimo Quercetano Collegio adſtruendæ ſartam, tectamque lubentes relinquimus. Intereà ad alteram, ſi non in fundatione, ſaltem primam in reformatione Epocham, hujus florentiſſimæ Abbatiæ divertimus. Cùm enim eadem Eccleſia, quam à S. Trudone fundatam dixêre, rabie Normannicâ ſæculò nonô ad ſolum usque everſa jaceret, religioſi autem incolæ hinc inde alimenta, ſuſtentationis inopiâ adacti, perquirerent, ſenſim ſe recolligere auſa eſt Eeckhutana piorum, & tam dirè hactenùs preſſorum regularium Clericorum Colonia, præcipuè manum adjutricem benignè ſubminiſtrante Epiſcopo Tornacenſi; ſed quo illo? hic iterum hæret aqua, annum 906. hujus primæ Coalitionis ponit Cornelius, & ex quadam tabula M. SS. Quercetana Miræus ſic diſſerens: *Annô Redemptionis Dominicæ Nongenteſimo ſexto, qua tempeſtate Dominus Udalricus idem Noviodunenſis, & Tornacenſis Epiſcopus Cathedralem regebat, in parœciali Eccleſia S. Trudonis in Pomerio urbis Brugenſis, non procul à lapideo magno ponte poſita, in loco Odeghem nuncupato ſacrum initium habuerunt fratres quidam dicti de capella ſub auſpiciis Prioris cappas, quas vocant, nigras geſtantes. Hi fratres, locum præfatum in eodem ritu, ac ſtatu tenuerunt annis centum & tribus: nimirum ab annô nongenteſimo ſeptimo usq; ad annum milleſimum decimum, quo quidem annô, rem ſacram promovente illo, de quo ſuprà diximus Reverendiſſimo Domino Udalrico, iidem fratres de Capella, facti ſunt, Canonici regulares ad normam veteris inſtituti S. Auguſtini, quod Sanctum inſtitutum ab eodem S. Auguſtino in Hipponenſi civitate, provincia Africanæ primitùs ordinatum fuit circiter annum Domini trecenteſimum nonageſimum quartum.* Hæc ex citata tabula Miræus, qui errore quodam memoriam præveniente eundem *Udalricum* annô milleſimò decimô adhuc ſuperſtitem ponit, quem jam annô 906. Epiſcopum dixerat. Hinc eum ultrà 100. annos præſidere oportuiſſet, cùm certum ſit, inter annum 906. & 1010. ſeptem Epiſcopos ſediſſe, ùt patet ex hiſtoria *S.* Martini Tornac. ſpicil. Dach. t. 2. p. 918. Qui verò hi fratres de Capella fuerint, Cornelius innuit: *Videntur illi inquit, qui aliàs Thouſani dicti, nam Abbatia Thouſana olim dicebatur Capella Thouſana, & Abbas Thouſanus dictus eſt* Ab-

Abbas Capellæ : olim autem ante tumultus Belgicos ſita erat propè Brugas ad regionem Septrionalem, cum Quercetani ad Auſtralem habitarent, hinc, quia ambo juxta Brugas, inter ſe confuſi videntur. Negat igitur totum contextum à Miræo allegatum, & hos fratres de Capella nihil vult cum primis Canonicis Brugenſibus, ſeu Quercetanis habere commune. At veniâ erudiſſimi hujus viri dixerim, cœnobium hoc de Capella longè antequam ab *Everardo* Epiſcopo Tornacenſi annô 1175. converſum eſſet in Abbatiam Ciſtercienſem, dependiſſe à monaſterio *S. Richarii* in Pontivio, ord. S. Benedicti annô 1106. in prioratum evectum, quem titulum fortè jam anteà poſſidens lapſu temporum amiſerat. Neque exſtat certa temporis Epocha, quô hæc Capella Centulenſibus monachis ſit attributa; id certum, Harigerum annô 1088. (quo Chronicon ſuum centulenſe abſolverat) diverſarum cellarum & altarium &c. hujus tamen Capellæ meminiſſe. Ex quo dicere auſſim tunc necdum Centulenſibus paruiſſe, & probabiliùs hanc Capellam, tanquam Canonicorum Quercetenſium Diverſorium, cùm annô 1016. iidem in Quercetum migrarent, illámque inhabitatione dimitterent, adhuc jure poſſeſſionis tenuiſſe, usq́uedum demum penitùs relicta Centulenſibus ceſſerit. Profectò, ut tabulam illam à Miroæ citatam planè tanquam figmentum rejiciamus, haud ſufficiens cauſa ſuppetit; incorrectam illam tabulam arguit Cornelius, ergò, quæ fortè menda obrepunt in Nomine Epiſcopi Tornacenſis *Udalrici*, locò *Rauberti*, ad initium ſæculi decimi, aut *Harduini* ad initium ſæculi undecimi ſedentis, corrigantur, ſubſtituta veriore Epiſcoporum Chronologiâ; & quæ vix credi poſſunt; ab antiquis tabulam illam concinnantibus, fingi potuiſſe, ſic explicentur, ut quos in odeghem in paræciali Eccleſia *S. Trudonis* in Pomerio Urbis Brugenſis non procul à Lapideo magno ponte poſita conſtitutos fratres de Capella dictos legimus, ſub auſpiciis Prioris collectos, fortè eosdem poſſimus dicere, qui primorum ibidem Clericorum Trudianorum quædam portio eſſent, atq́ue reliquiæ. Neq́ue obfuerit dicere, hos eosdem quandam ſimilem formam induiſſe in habitu, præfatô ſæculô undecimô, qualem Gulielmitæ longè poſt exorti portâſſe noſcebantur: Neq́ue inde minùs Clerici regulares eſſe poterant, cùm tunc diſcrimen veſtium, maximè inter Clericos, ſæpiùs eſſet reperire, pluribûs eorum monaſtium habitum penè imitantibûs, ùt teſtantur diverſorum temporum Concilia diſertè id in Clericis prohibentia, apud Mabil. Annales. Potuerunt ergò, ùt tabula illa memorat, in quadam communione locum Odeghem incolere usq́ue ad annum 1010. quô dein, non ſub *Udalrico*, nec *Lamberto*, ùt inferiùs mox dicemus, ſed ſub *Harduino* facti ſint regulæ Auguſtinianæ tum ſenſim refloreſcentis imitatores.

At, quod additur, eosdem dein in ſocietatem ſui inſtituti, ac muneris quosdam Canonicos Regulares Aroaſienſes perduxiſſe, non putaverim tabulam illam loqui de primis Querceti Canonicis ſtrictè ſumptis, ſed per anticipationem quandam id dici de ſubſequis, qui absq́ue dubio ſuaviſſimo Aroaſienſium odore allecti quandam cum illis ſocietatem, ac inſtituti injêrunt rationem: Quamvis non legamus ſub eadem eos congregatione militaſſe: Sed hoc propoſitum noſtrum non infirmat, quin nec illud, quamvis Aroſienſes nè unquam in Quercetum perducti ſint, aut cum illis coaluerint; utpote

quòd

quòd potiùs hanc paraphraſim Miræo adſcripſerim, quàm tabulæ illi. Habebant Quercetani Canonici ſufficientia exempla Auguſtinianæ regularitatis aſſumendæ è propinqua Gallia, è Monte *S. Eligii*, ex Eccleſia Amianenſi, Cameracenſi, aliiſque non paucis, qui *Auguſtinum* decimô, & undecimô ſæculô non ignorabant excellentiſſimum ſui inſtituti Reformatorem. Nec refert, prout ſæpiùs jam monuimus, quo tempore poſtmodùm regulam *S. Auguſtini* nominetenus aſſumpſerit; licèt haud dubium ſit, longè ante tempora *Alexandri III.* (cujus primum ſub hoc nomine *S. Auguſtini* documentum ab annô 1179. usque dum exiſtere novimus) eandem præfatos Canonicos jam obſervâſſe, & extitura monumenta hac ſuper re certiora, ſed nobis incognita, credimus, quæ utinam (priùsquàm opus noſtrum ad calcem deducatur) cum aliis pluribus, quibus hanc celeberrimam Abbatiam abundare novimus, benevolâ communicatione obtineamus. Hæc breviter de exordio hujus Abbatiæ annotare viſum eſt, fortè aliter ſcripturis de futuro ſi firmiora nobis pro Cornelii ſententia ſuppeditata fuerint argumenta.

Annô 1048. à Canonicis Quercetanis aſſumptus eſt, ùt tunc mos ferebat, pro recluſo *B. Everelmus* Anachoreta, cùm jam diù anteà ſæpefati Canonici Quercetum, annô ſcilicèt 1016. inhabitare cæpiſſent, ùt liquet ex mox relatis. Vixit verò hic Beatus *Everelmus* velut recluus 12. annis, Corpore in ipſa *S. Bartholomæi* Eckhutana Eccleſia ſupulto, ejus Epitaphium adhuc ſuperſtes ſic legitur: *Hic jacet Everelmus Anachorita, qui 12. annos in hac inſula Luci noſtri converſatus eſt, & obiit annô milleſimô ſexageſimô, ſecunda die Octobris.* Sic igitur ſeries Chronologica hujus Abbatiæ ſtatuetur, annô 906. reflorere cæpit preſſa hactenùs Clericorum tam dirè vexatorum Colonia, & ſe ad quandam rursùm communis vitæ ſocietatem recolligere; ſed non ſub *Udalrico*, ùt hæc tabula Quercetana præfert, neque ſub *Lamberto* (ùt vult Cornelius Bartholomæi in ſua mantiſſa) qui ſimul Tornacenſis & Noviomenſis Epiſcopus 1120. præſedit, aut ſub *Radbodo* ejus deceſſore, iſtô penè, illô centum & ampliùs annis tardiùs ordinato: Adde, quod nullus inter Tornacenſes hìs temporibûs *Lambertus*, verùm ad ſæculi decimi initium *Rambertus*, ad undecimi verò annum 1010. & ſeq. *Harduinus* extiterit, ſedem ſæpedictam moderans, ùt videre eſt apud Dacherium in Chronico *S. Martini* Tornacenſis: hic enim ſub *Roberto* Francorum Rege factus eſt Succeſſor *Radbodi*, qui *Robertus* regnum adipiſcitur an. 998. & defungitur annô 1033. unde, cùm ſub eodem *Roberto*, *Harduino* ſucceſſerit *Hugo* annô 1030. *Harduinum* præcedentibûs annis Epiſcopatus præfatos tenere oportuit. Sub *Ramberto* igitur *Auguſtini* inſtitutum primùm ad Eccleſiam in Odeghem reviruit, radices dein firmiores Captans tranſplantatum eſt in Quercetum annô fortè 1016. ſub *Harduino*; perfectè demum ſtabilitum annô 1040. ubi dein Religioſi in tantum virtutibûs excelluêre, ut idem Quercetum in Abbatiam erigeretur, & Odegemianum cœnobium ſub titulo Prioratûs diù eidem ſubjectum perſiſteret.

Annô 1130. *Theodoricus* Alſatius *ob timorem, & amorem Dei, & ſpem æternæ vitæ, & ſalutem animæ ſuæ, quidquid hæreditatis, vel redditum, juris, vel advocationis in Echolt habuit*, ùt dicitur in privilegio, eôdem annô dato. *Eccleſiæ Dei, quæ inibi fundata eſt, & Dei ſervis in eadem Eccleſia Deo & S. Mariæ & S. Bar-*

Bartholomæo Apoſtolo, & S. Willibrordo ſervientibus, petente in nomine Domini Monacho ejusdem Loci fratre Folcramno liberè poſſidendum in perpetuum tradidit. Ubi notata velim ab iis hæc duo verba, quæ inſerta privilegio legimus, ſcilicèt *ſervos Dei & Monachos*, nam, qui meminerit, quæ ſparſim monſtravimus de certiſſimo Clericatu ſine omni planè ambiguitate tam ab Eccleſiaſticis, quàm laicis perſonis paſſim Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* ſæculô tam duodecimô, quàm ſequentibûs aſſerto usque fortè decimum ſeptimum per ſciolos quosdam tum demum inani velitatione denegato; reperiet, impunè Canonicos in Communi viventes *Monachos* dictos, quamvis tales in ſtricto ſenſu, & ùt nunc quidam hallucinantur, nunquam, nè quidem æſtimati ſint. Præterea ſi Canonicos, quos nemo eruditus in hoc privilegio intellectos fuiſſe abnuet, tam ſimplici nomine *ſervos Dei* dicere potuit Theodoricus, viderit Annaliſta Benedictinus, cui fundamento inſiſtat, dum ex hoc verbo, Monachos ſtrictè tales interpretatur.

Annô 1179. *Alexander III.* confirmat hujus Abbatiæ poſſeſſiones & Privilegia omnia Bullâ datâ *Arnulpho Abbati Eccleſiæ S. Bartholomæi de Eeckhout, ejusq; fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis in perpetuam memoriam:* recipítque eandem Eccleſiam ſub *B. Petri* & ſuam protectionem, ac privilegiô præſentis Scripti communit, ſtatuens: *Ut Ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum & B. Auguſtini regulam in ea inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.* Interdicit inſuper arctiùs, nè Epiſcopo, Archidiacono, vel eorum miniſterialibus (haud dubiè ob ſimoniæ vitium eâ ætate plurimùm in Clero graſſantis) Canonicis ſeu Clericis aliis pro confirmatione, intronizatione, vel Benedictione Abbatis, palefri dum, cappam ſericam, aut quidquam aliud facultas vel licentia pateat ab Eeckhoutanis Canonicis, vel ipſo novo Abbate obtentu cujuslibet conſuetudinis exigendi. Si verò ab illis pro his quidquam exegerint, cùm deteſtabile ſit, & obvium rationi, liberè liceat illis, quod poſtulaverunt denegare. Non opinor hoc laudabile *Alexandri* decretum adhuc ſuum obtinere vigorem, quodſi tamen? felicior erit hæc plerísque Abbatiis aliis, à quibus haud modicis ſumptibûs dignitas Abbatialis pro neoelecto redimitur.

Annô 1228. facta eſt abſolutio, bonorúmque diviſio Parthenonis Trudoniani ab Abbatia Quercetana ſub *Gosvvino* Abbate, cùm hactenùs ſic communione bonorum aleretur utráque religioſa familia, ut quaſi unum cenſeretur Cœnobium. Nam Eccleſia illa in Odeghem, in qua Virgines ſacræ morabantur, à Priore regebatur: at hic in toto unà cùm Virginibus tam quoad ſpirituale, quàm temporale regimen ab Abbate Quercetano pendebat. Separandi cauſam quædam ſimultates inter utrámque familiam exortæ dederunt, ad quas tollendas, pacémque reſtituendam hôc demum mediô ſubventum eſt. Ornatur hodiedum inſigne Abbatiale Quercetanum duobûs pedis, ſeu paſtoralibûs, cujus rationem non aliam cenſet Cornelius Bartholomæi, quàm duplex regimen, quô Abbas Quercetanus in ſuam & Trudonenſem Eccleſiam eminuit; de hoc Parthenone ſuô locô plura. Fuit autem ſemper Quercetum præclariſſimorum virorum Seminarium, atque ut duos ſolùm in hac ſynoptica relatione enarremus, eſt imprimis vir ille omnium bonorum perpetuâ memoriâ recolendus *Lubertus Hautſhiltius* hujus

jus cœnobii, tempore Conſtantienſis Concilii, notiſſimus Abbas electus, & ab ipſis Patribus Concilii prædicti ob doctrinam, & morum gravitatem mitra Abbatiali donatus; quàm excellentiſſimis vitæ meritis per totam Europam eminuerit, teſtatum fecit jam olim ejus de Belgio Propheticus Spiritus, & præſtantium à ſe in Querceto ſpirituali diſciplina inſtructorum Religioſorum non exiguus numerus, dum aliquot ex iis partim ipſius dein Quercetanæ Abbatiæ *Luberti* ſucceſſores, partim aliorum ejusdem noſtri ordinis Præſules ſunt effecti. Alter eſt, quem ſæpè memoravimus vir clariſſimus Cornelius Bartbolomæi, ſcriptor ſanè, & vindex pro ordine Cànonico nemini ſecundus, velut ad unguem probat ejus contrà librum quendam à *Joanne Caramuele* editum, & *Libra* intitulatum, oppoſitum *Pondus Sanctuarii*, quod qui revolverit, inveniet virum hunc omni ad perfectum ſcriptorem qualitate excelluiſſe, ſeu dein in ſcribendo moderationem, ſeu eruditionem, ſeu hiſtoriæ notitiam, ſeu, deníque optimam quamque argumentandi, ac oppoſitos quoscúnque cuniculos facillimâ, ac dilucidâ evertendi arte deſideres rationem; nullúsque dubito, id ipſum (quod nos plenô aſſenſu necdum recepimus) aſſertum ejus de prima Quercetanæ fundatione, ſine fluctuatione amplexuros, ſi non tam ſua in mantiſſa Cornelius pro materiæ tunc ſe offerentis exigentia jubilarem Encomiaſten, quàm ſeverum in quovis obueniente dubio criticum agere conſtituiſſet. Cæterùm cùm annô 1585. Alexander Parmenſis Princeps Collegium iſtud PP. Societ. extradi cuperet, reciſa iterum eſt actio, prioréſque in eo poſſeſſores ſtabiliti, quorum curâ adhuc his temporibûs eximiè floret.

Sita eſt hæc Abbatia in ipſa Urbe Brugenſi. Mir. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 33. Narrat. Abb. S. Martini Fornac. Spicil. Dach. p. 917. Cornel. Barthol. Pond. Sanctuar. in Mantiſſa. Foppens. Nov. Collect. Dipl. P. 1. C. 50. & 64. Chronicon. Centul. in fine. Mir. Donat. Belg. L. 1. C. 51. Gall. Chr. t. 5. Col. 277.

Rebrovium, vulgò Rebreuve Prioratus. Abbatiæ *Fundat. ſæc. 11. Floret.* Montis *S. Eligii* unitus ex fundatione (ùt refert Locrius) *Clarembaldi* Toparcbæ de Lotinghem. Hunc Prioratum, uti & alterum de Perroy mox à fundatione Religioſis S- Eligianis traditum fuiſſe, oſtendit, atque confirmat ſuîs litteris *Lambertus* Epiſcopus Atrebatenſis annô 1097. Joanni Abbati conceſſis; quem utrumque celeberrimum hoc collegium cum multis aliis hodiedum indefeſſâ Spirituali ſolertiâ curat.

Exiſtit Rebrovium inter Bapalmam, & Paulopolim. Locrius in Chron. ad an. 1100. Mir. diplomat. Belg. L. 1, c. 43.

Roesbrugghe ſeu Pontis-Rohardi, vulgò dicta Dominarum de Roiſebrech S. Mariæ Virginum Canonicarum Abbatia. *Fund. 1240. Floret.* *Williermus*, ſeu Willhelmus de Bethunia Dominus de Molembeka vir per omnia Deo ſervientibus affectus, corúmque emolumentum quærens, ac ſua beneficia in utrumque ſexum ſic diſpergens, ut utriusque precibus divinam ſibi Clementiam propitiam confirmaret: an. 1240. cum Uxore ſua piiſſima Eliſabetha Domina de Ponte-Rohardi aſſenſu, & voluntate Filii ſui Ægidii primogeniti juxtà eundem pontem-Rohardi Virginibus Deo dicatis juſtum ſpatium attribuit *in moro ſuo* (ùt ipſe ait in Charta fundationis, idemque eſt, quod locus aliquis paludoſus, unde

& nomen ſuum Morinenſes obtinuiſſe videntur Chaugio hôc verbô, quod paluſtres regiones incolerent) *de Houthen. & ut dicta Eleemoſyna* (verba ſunt Wilhelmi) *noſtra eisdem monialibus ad pleniorem provectum proveniat; contulimus ipſis in eodem moro unam menſuram terræ ad turbas earundem deſiccandas & ad Slaghaud faciendum.* Confirmat dein hanc fundationem Ægidius deſuper conceſſo diplomate, inſuper bona alia adiicit, quæ congruô pretiô per Virgines has eliberata ſunt: prout declarat aliud ab eodem datum diploma annô 1245. & rurſum aliud à Roberto Advocato Atrebatenſi, & Betunienſi Teneremondensíque Domino, eôdem annô confectum, qui ea bona tanquam hactenùs ſibi feudalia ab omni feudo abſolvit, liberáque Eccleſiæ prædictæ (quam Novellæ plantationis *S. Mariæ*, præfatæ litteræ intitulant) & jure hæreditario poſſidenda extradit.

Ut plurimùm hanc fundationis benevolentiam ſacræ Virgines Pontrohardenſes in acceptis referunt primò Uxori *Willhelmi*; hæc enim, prout in Necrologio hujus Abbatiæ notatur, ob dilectionem & amorem præcipuum, quem ad has Virgines, & ordinem earum præ aliis ordinibus habebat, *à Præmiacenſi Eccleſia per Venerabilem Patrem Petrum Dei gratiâ Morinenſem Epiſcopum ſex ſorores Deo Devotas, & Zelô religionis, & juſtitiæ plenas advocare in hujus erectione niduli provocavit, quas per* 35. *annos* (obiit enim Willhelmus Maritus Eliſabethæ an. 1243. tertiô ſcilicèt poſt fundationem annô) *verbis dulciſonis & conſolationibus aſſiduis nutriendo, adversùs omnes in earum defenſione quaſi murum ſe viriliter erigebat.* Hæc & plura adhuc in laudem hujus devotiſſimæ Matronæ Necrologium. Secundò: Nicolao Bergenſis S. Matini Eccleſiæ Presbytero, quem idem Necrologium dilectum, & familiariſſimum huic cœnobio appellat: aitque eundem *ob amorem, quem ad ordinem prædictarum Virginum in honeſtate habitûs, aliiſque obſervantiis & diverſis inſtitutionibus, præ quibusdam aliis ordinibus præferendum habebat, Virum Nobilem Guillelmum de Bethunia unà cùm illuſtri Domina Eliſabeth Uxore ſua Domina de Ponte Rohardi, exhortationibus, monitionibus conſiliiſque ſalubribus ad hoc induxiſſe.* Fuit hæc quoque Abbatia Congreg. Victorinæ membrum; nunc per ſe præclarè adhuc florens.

Exſtitit olim in territorio Furnenſi ad fl. Iſaram, nunc in ipſa Urbe conſpicitur. Nov. Collect. Dip. P. 1. c. 127. Gall. Chr. t. 5. Col. 359.

Rotnacenſe S. Hermetis Abbatia. *Fund. ſæc. 7. Floret.* *S. Amandus* Trajectenſis Epiſcopus ſæculô ſeptimô Illuſtre populo Belgico ſydus Evangelicum datus à Domino, inter plurima, quæ huic terræ Idololatriam eliminando, ac Dei veri cultum inducendo contulit beneficia, illud tanquam præcipuum exhibuiſſe videtur, quòd, cùm ſagaciter prævideret, introductam morum ſanctitatem in populo diù florere non poſſe, niſi aſſiduò habeant ſibi præfixa & bonorum hominum exempla, quæ ſequantur, & informationem ad progreſſum pietatis conſtantem, quâ erudiantur; plura tum monachorum, qui vitæ contemplativæ ſervirent, tum Clericorum, qui activam contemplativæ jungentes, eisdem præceptorum divinorum Doctrinam miniſtrarent, condiderit monaſteria: inter quæ Rotnacenſe *S. Hermetis* Cœnobium exſtitit, de quo Baldricus in Chronico. *In vico*, inquit: *Rotnacenſi eſt monaſterium Canonicorum à S. Amando in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum ubi Martyr Dei pretioſus Ermes requieſcit.* Plures ſunt *Hermetes*

tes martyrii Coronâ illuſtres, quorum unus Bonnoniæ 4. Jan. paſſus ſub Maximiano, alter Maſſiliæ 1. Martii, tertius Romæ ſub Aureliano 28. Auguſti, cujus S. Corpus à Luipramo Salib. Archiepiſcopo an. 851. ex dono *Leonis* Papæ Salisburgum delatum ibidem honorificè colitur. Quartus Hadrianopoli ſub Juliano 22. Octobr. Quintus in Africa 2. Nov. At quis horum Rotnaci requieſcat, necdum reperimus. Id extrà dubium, hujus reliquias poſt tempora *S. Amandi* illuc fuiſſe translatas, indéque Eccleſiam à *S. Hermete* dici cœptam, cùm anteà SS. Apoſtolis *Petro & Paulo* ſacra, ab iis quoque nominari ſoleret: in Charta enim *Ludovici* Pii Cæſaris an. 831. pro Hildefrido viro nobili extradita (quâ eidem villas monaſterii Rotnacenſis Iſernam nimirum, & Thorenſelam concedit in uſumfructum) ſolum monaſterium Rodenacum nominatur, omiſſo penitùs nomine Patroni Eccleſiæ: ex quo colligi poteſt, necdum *S. Hermetis* nomine, corporéque dotatum fuiſſe; quod confirmat Miræus in faſtis ſuis Belgicis aſſerens, an. 851. illud S. Corpus Româ Indam, dein hinc per Ludovicum pium Rotnacum fuiſſe translatum. *Româ*, inquam, ſed non illius Sancti, qui Romæ paſſus eſt, út patet ex ſupradictis. Quamvis obſervet author hiſt. Mechl. *S. Hermeti* aliam, in eodem tamen cæmetrio, Eccleſiam fuiſſe conſtructam, quod notâſſe ſufficiet. Verùm Colvénerii opinioni, hoc monaſterium primitùs Benedictinorum fuiſſe, cur ſubſcribamus? niſi dicamus *S. Amandum* aliud, quàm cœnobium Benedictinorum condere non potuiſſe, quod, quis approbabit? Hæc Abbatia ſucceſſu temporis ab eodem *Ludovico* Pio Monaſterio Indenſi ſeu Endenſi S. Benedicti ſubjecta, ac donata fuit, perſtititque in hujus poteſtate, usque ad annum, út videtur, 1280. tum enim extant Litteræ venditionis, quibûs Regnardus Abbas monaſterii S. Cornelii Indenſis Rodnacum, eò quòd præfatum ſuum Indenſe Monaſterium nimiâ ærâ gravaretur, Guidoni Comiti Flandriæ vendidit, cum omnibus pertinentiis earum, dominio directo & utili, & omni jure aliàs Indenſi Eccleſiæ competente. Hinc fortaſsè & ipſum jus Patronatûs Rotnacenſis Abbatiæ præfato Guidoni ceſſerit. Ex quo tempore eadem Collegium Canonicorum ſæcularium effecta, tale annô 1538. jam extitit, út Patet ex *Pauli III.* Papæ Privilegio, dato Guillielmo Baroni de Roggendorf Domino temporali Rothnaci, quo jus ei, ac ſucceſſoribus concedit conferendi dignitates, & Canonicatus omnes in eadem, tum jam collegiata Eccleſia *S. Hermetis* Rothnaci intrà quatuor menſes per annum; cùm reliquis menſibus collationem ipſe ſummus Pontifex ſibi reſervaret, qui anteà totô annô jus easdem dignitates conferendi habuerat. Hic autem eſt ille Guillielmus de Roggendorf, qui ſibi immortalem apud orbem Chriſtianum memoriam promeruit, utpote non ſolùm regnùm Valentiæ à Mauris oppreſſum tanquam Dux Exercitûs *Caroli* Imperatoris dimicando feliciter liberans, multáque millia Chriſtianorum ab eisdem Mauris captivata priſtinæ libertati reſtituens, verùm etiam civitatem Viennenſem in Auſtria Turcarum copiis obſeſſam, ejusdem civitatis Præfectus, ſeu Gubernator, unà cum cæteris ipſius Civitatis Capitaneis tanquam potior, & præcurſor ab eorum inſultibus ſupremo favente auxilio eripiens: út idem Pontifex in hoc ſuo privilegio eundem prolixè dilaudat. Situm erat út nunc hoc cœnobium in ipſa Urbe Rothnaco, vulgò Ron-

cen

cen, aut Renay duobûs penè milliaribús Gallicîs infrà Aldenardam Flandriæ Urbem. Mir. Cod. dipl. L. 2. c. 8. Faſt. Belg. p. 260. Foppens Collect. nov. parte 3. c. 77. Baldric. Chron. L. 2. c. 44. Hiſt. Mechl. t. 2. p. 237.

Fund 16.6. Floret. Rubeæ Vallis S. Pauli Prioratus Congregationis Windeſemenſis. Hoc celeberrimum cænobium primum ſui fundatorem agnoſcit *Ægidium Oliverium* Presbyterum, & *Walterum Vander Moten* Laicum, qui *deſiderantes*, ùt loquitur privilegium Joannæ Duciſſæ Brabantiæ, *gratum Creatori omnium exhibere puro corde famulatum, conſiderantêsque mundum, & ejus ornatum, nec non converſationes hominum adeò fore labiles, & ad vana gaudia, ſeu opera malitioſa inclinatas, quòd propoſitum ſuæ mentis (Converſationes ſæculi, & hominum habendo) minimè adimplere poſſent: eremum unico conſenſu petiêrunt, ac in eadem, videlicet in loco, qui dicitur Benede-deu Claboſtborre, in nemore de Zonia domos habitationis, & cellulas bonis ſuis propriis ædificaverunt, Dominum Wilhelmum Danielis de Boondale Presbyterum ſecum in ſocium aſſumendo, miſſas, & alia pia, & divina opera inibi celebrando & faciendo.* Hæc autem piiſſima iſtorum ſanctorum virorum converſatio adeò mox præcordia præfatæ ſereniſſimæ Duciſſæ commovit, ut locum illum ſpeciali affectu in ſuam protectionem ſuſciperet, & *tam pium opus* (út eadem in præfacto privilegio ultrò proſequitur) *per præfatos viros inceptum perire nolens, ſed potiùs cum intimo deſiderio augmentare, & ad ſtatum debitum, in laudem & gloriam noſtri Salvatoris deducere cupiens promittat pro ſe, ſuîsque Hæredibus, ac ſucceſſoribus, præfatis Presbyteris, & Laico bona fide, quòd nunquam temporibûs affuturîs eosdem à dicto loco amovebit, vel eum locum in alios qualescúnque immutabit, niſi in illos duntaxat, quos præfati viri ſibi aſſumere velint: & iis mortuis, nunquam, niſi in homines devotos, ac juſtos Presbyteros, Clericos, vel Laicos, non vagos, omnipotenti cum devotione ſervire volentes permittet immutari.*

Itáque tanto munimine protecti cæperunt annô 1366. dictam eremum ſuis colluſtrare virtutibùs, & exemplari vivendi norma plures, quorum corda Deus tetigerat, ad æqualem imitationem invitare, ut annô 1331. jam novem eſſent divini amoris unitate conjuncti, de Eccleſia, cæmeterio, ac aliis ædificiis competentibus, & ad obſervationem religionis aptis præclarè proviſi; deníque de conſervatione ædificiorum conſtructorum, & ad ſuſtentationem mox dictarum numerô perſonarum, in victu & veſtitu, ac aliis neceſſariis, videlicet libris, Calicibus, ornamentis Eccleſiaſticis, ſufficienter dotati, unde cum necdum certo Ordini alligati regulariter exiſterent, *à Gerardo* de Dainville Cameracenſi Epiſcopo confirmationem hujus ſuæ ſanctæ intentionis, ac Fundationis obtinuêre, ita quidem, ut Joannes Sarclaes Canonicus, & Archidiaconus in Eccleſia Cameracenſi tanquam Commiſſarius, & Executor ex parte præfati Domini Gerardi Epiſcopi Cameracenſis ſpecialiter deputatus annô mox relatô 1373. locum ipſum accedens die 18. Januarii erexerit in Prioratum, atque ordinaverit: Et *quia* ipſa *Eccleſia ſeu Capella in honore S. Pauli Apoſtoli erat conſecrata* (verbîs loquimur ex ipſius Sarclais ſeu deputati Commiſſarii ſcripto teſtimonio deſumptîs) *& locus totus in nemore dicto Zonia fuerat: decretum eſt, ut dictus locus ex tunc prioratus S. Pauli de Zonia nuncuparetur: Quibûs peractis de conditione præfatorum Presbyterorum inquiſitum eſt, qui etiam comperti ſunt honeſtæ &*

& Sanctæ eſſe converſationis, & ſummâ affectione deſiderantes ad religionem, & regulam, ac ordinem B. Auguſtini convolare. Hinc, ut eorum ſatisfieret deſiderio, compluribus ad prædictam diem teſtibus fide dignis convocatis, atque inter alios circumſpectis viris (ùt iterum præfatus in ſuo teſtimonio Commiſſarius aſſerit) *Dominis ſcilicet Fratribus Wilhelmo de Belgis Parochialis Eccleſiæ de Wattermaël & dicti loci curato, Francone de Rus-Broëc, & Joanne Hilleman, Canonicis regularibus monaſterii de viridi valle ejusdem Ordinis S. Auguſtini. Exinde prænominatus Commiſſarius Dominum Wilhelmum Danielis, Henricum de Angulo, & Henricum Wiſe Presbyteros, ac Walterum de Diebeke eorum familiarem, habitum Religionis adhibitis ſolennitatibus conſuetis induit, dein ab eodem Commiſſario miſsâ ſolemni usque ad offertorium perductâ tres prædicti Domini cum Waltero converſo cum magna devotione, & promto deſiderio cordis profeſſionem ſolemnem ſuper altare majus fecêrunt in hunc modum. Ego frater Wilhelmus facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, ac Domino noſtro Cameracenſi Epiſcopo, & futuro Priori ſecundùm regulam & ordinem B. Auguſtini.*

Peractô Miſſæ officiô proceſſum eſt ad electionem novi Prioris, cùm omnes illi præſentes eſſent, quos huic actui Canonico adeſſe oportebat, *de Conſilio & licentia ſæpè fati Commiſſarii, ac de Auctoritate D. Epiſcopi Cameracenſis invocatâ ſpiritûs S. gratiâ; concordi, & unanimi voto dicti fratres, videlicet Henricus de Angulo, & Henricus de Wiſe, Fratrem Wilhelmum Danielis in Priorem ſuum elegerunt, & eum antè magnum altare deduxerunt, Te Deum laudamus altâ voce decantando, & campanam ſuam pulſando, & poſtmodùm populo præſenti ſuam electionem notificârunt adhibitis ſolemnitatibus in talibus adhibendis, denique eandem* ipſi Fratri *Wilhelmo præſentaverunt, requirentes eum cum inſtantia, quatenùs electioni hujusmodi de ſe factæ conſenſum ſuum præſtaret. Qui quidem plurimùm renuens tandem confidens de Divino adjutorio, & exhortatione proborum virorum circumſtantium conſenſit.* Sicque ter felix auſpicium ſumpſit hæc verè in Domino ſanctiſſimè exorta fundatio, tantum poſtmodùm indies profectum capiens, ut ad hodiernum usque diem inter præcipua Windeſemenſis Congregationis membra effulgeat; cui ſe annô 1413. in Generali Capitulo congregato ſubmiſit. Adeò verò Spiritûs, & diſciplinæ regularis Zelô poſthinc exarſit, ut, *cùm quidam conventus* (verba proferimus Joannis Buſchii Authoris eorum temporum Synchroni) *monaſteriorum prædictorum* (ſcilicèt Congregationi Windeſemenſi unitorum) *ad perpetuationem novi fervoris, & ampliori devotionis amore divinitus, ùt creditur, accenſi, præcipitium quoque, & ruinam à recto tramite veræ religionis, & regularis obſervantiæ per frequentem ipſorum extrà monaſteria ſua digreſſionem non miminè formidantes, & in futurum præcavere id cupientes, includi ſe ad morem Charthuſienſium à Venerabili Generali Capitulo inſtanter poſtulâſſent.* Inter primos (qui hanc aliàs Canonicis inſolitam diſciplinam arriperent) connumerari cuperet Sanctus iſte Rubeæ vallis conventus, prout idem Buſchius teſtatur, dum inter ſedecim, primum monaſterium ponit *B. Mariæ Viridis vallis*, ſecundum verò *B. Pauli in Rubea valle.* Sed quid jam referrimus de illuſtriſſimis pietate, ac ſcientia viris, quos dudum Rubea vallis enutrivit: ſolùm ſi commemoremus notiſſimos illos Joannem Guillemannum, & Antonium Geer, illum quidem Bolandus teſtatur, ſummo cum labore, atque induſtria vitas Sanctorum plurimas colligen-

ligentem, manúque ſua deſcribentem, optimo uſui litterarii orbis univerſi, immortalem ſibi exinde memoriam apud eruditos meruiſſe, ùt experimentò diſcimus, nec minùs alterum ob æquale Studium laus planè inſignis manet, nempe Antonium Geerum, aut ùt alii, Geentium, geminum Valeſius Andreas ſic extollit: *multum ſanè Gentio, & Joanni Gilemanno univerſa debet Eccleſia, ob vitas Sanctorum plurimas, & ab interitu vindicatas.* Obiit Gilemannus an. 1487. Gentius autem 1543. uterque ſecuturæ poſteritati in ambiguo relinquens, plus ne profuerint exemplis Sanctorum, quæ conſcripſerant, an propriarum virtutum, quibûs aliis ad imitandum præluxerant. Cæterùm clauſura illa, quam meminimus, ex pleriſque Windeſemenſibus cœnobiis auctoritate Capituli Generalis annô 1634. eſt ſublata.

Sita eſt Rubea vallis uno milliari Germanico infrà Bruxellam ad occidentem Mir. ſuppl. Diplom. P. 2. c. 127. & 130. Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 40. & 47. Bol. in præf. tom. 1. Jan. Valeſius Bibliot. Belg. Hiſt. Mechl. T. 2. p. 106.

Fundat. ......

Ruſſellivilla aliàs S. Mariæ de Nemore Abbatia.

Pauca ſunt, quæ de hac Abbatia communicare poſſumus, cùm in ea deſcribenda ipſos, quos conſulere licuit, Scriptores parciſſimos reperiamus: Certè, dum Miræus in ſuo de Originibus Can. Reg. libro unicum hujus, & id (ſiquidem iſtud indigitare voluit) depravato inter *Arteſiæ* monaſteria nomine refert, nempè *Rivovilla*, ſeu *Guiſſeavilla*, alibi verò ſic: *Monaſterium S. Mariæ à nemore, nunc Guiſſeauuilla*, aut *Rivovilla* fundatum à Dominis, ſeu Toparchis Creciacenſibus, cujus Abbas dicebatur Prior (ùt loquuntur) Congregationis Aroaſienſis. Alia penè omnia incomperta ſunt, *penè*, inquam, omnia, ne *Milonem* ſecundum Epiſcopum Morinenſem omiſiſſe videamur, qui, cùm ſæculô 12. circà annum 1159. Abbatem hujus Ruſſellivillenſis monaſterii egiſſet, Miloni primo, dictô annô mortem oppetiente, die 15. Julii in ſedem Morinenſem ſucceſſit, non ſolùm honoris, ſed & virtutis ſui Anteceſſoris eximius æmulator factus. Diſcere autem exinde poſſumus, quàm præclarè aliquando hæc Abbatia floruerit, quæ viros Epiſcopali quoque infulæ admotos nutrivit.

Sita eſt in Arteſiæ Comitatu S. Pauli. An verò adhuc exiſtat, floreátque, necdum ſufficienter edoctus ſum, Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 10. & 55. item tom. 1. cod. Dipl. L. 2. Donat. Belg. c. 50. in notis. Chron. Andrenſe Edit. Dacher. ſpicil. t. 2. p. 809. col. 1.

Fundatum ......
Exſtinctum.

S. Salvatoris Trajecti ad Rhenum.

Fuiſſe hanc Eccleſiam & veſtutate, & dignitate ipsâ *S. Martini* poſtmodùm Metropolitanâ priorem, diù diſceptatum eſt ab hujus Canonicis, nunquam definitum. Pugnare pro iis videbatur Epiſtola *S. Bonifacii* ad *Sergium* P. P. nec non alia fundamenta in deſcriptione Eccleſiæ *S. Martini* Trajectenſis à nobis producta; non tamen ideò aliquid decernere cupimus, præcipuè ubi noſtrûm non intereſt, pro juribus Heterodoxorum, ſub quibus utráque Eccleſia premitur, decertare. Id negari non poteſt, ex hac dignitatem Epiſcopalem poſt *S. Willibrordi* diſceſſum (*S. Bonifacio* clavum tenente) translatam eſſe ad *S. Martini*. Cætera, quæ de hac Eccleſia diſſerenda occurrent, ùt plurimùm eum hiſtoria alterius Metropolitanæ concurrunt, hinc quæ inibi diximus, perlegenda erunt. Exſtare etiamnum ibidem clauſtrum Canonicorum, in publicam Academiam ab Hæreticis converſum, refert Henſchenius.

nius. Præterea præfatam Eccleſiam Majori *S. Martini*, Fraternitate peculiari fuiſſe conjunctam *Henricus* Quartus teſtatur, ex quo confirmantur ea, quæ de nexu quaſi individuo, & unum penè conficiente inter utriusque Canonicos gremium usque ad hujus *Henrici* quarti datam Capitularem Ordinationem (quâ iſta *S. Salvatoris* excempta decernitur à ſubjectione *S. Martini*) diximus.

Miræ. Suppl. Part. 2. c. 40. & L. 2. c. 46. Foppenſ. part. 2. cap. 179. & cap. 148. & Part. 3. cap. 7. hiſt. Ultraject. Pauli Hoynck. pag. 4.

Prædat. 1382. Ex ſtruct. Salvatoris in Eymſtein Prioratus Windeſem. Fundatur à provido viro *Reynaldo Munenbode Cive* Dordracenſi an. 1382. conſtituitur autem ab exordio ſuæ fundationis Præpoſitura Canonicorum Regularium; quæ licèt identidem infeſtaretur à quibusdam regulari vitæ minùs faventibus, Magnum tamen illum *Gerardum* Daventricenſem, tam ſolertem habuit tutorem, atque Patronum, ut invidentium cuneos felici ſemper arte elideret, tanti uempè viri munita præſidiô: Teſtari id litteras ad Canonicos Trajectenſes ſcriptas memorat Chroniſta Windeſemenſis; quas utinam obtinere liceat, fortè alicubi inter veterum Scriptorum Scrinia latitantes. Ut verò decedente *Gerado* non ſuccideret hæc nova plantatio, mox Religioſi Eymſteinenſes recenter erecto Windeſemenſi capitulo ſeſe adjungi poſtularunt; ut quadam reciprocatione pietatis, quam illi Windeſemenſibus anteà benevolentiam exhibuerant, duplicato ab iſtis fœnore reciperent. Cùm enim initio ſuæ inſtitutionis hi (tempore inveſtitionis ad ordinem canonicum jam propè inſtantem) primum ſuum manipulum in Eymſtein ſacro habitu donandum tranſmitterent, ad illorum ceremonialia occultâ fide perſpicienda; viciſſim illi ad horum communionem piâ æqualis diſciplinæ, ſed firmiùs forſan ſtabilitæ æmulatione ſunt attracti, ut eò lubentiùs unum cum ipſis corpus conſtituere pararent, quô accuratiùs cernerent, aliunde pleráque jam conſueta ſtatuta obſervari. Narrat enim citatus Chroniſta, quòd *Windeſemenſes Clerici à primoribus ablegati* (necdum enim in Auguſtiniano-Canonicum inſtitutum juraverant) *ac monaſterium in Eymſtein ingreſſi à præpoſito Fratre Simone, & cunctis ſuis fratribus, obviis manibus devotè ſunt ſuſcepti, omnibus diebus, quibus ſecum permanſerunt, plenâ Charitate pertractati, cùmque poſt fraterna Charitatis mutua, amoroſáque colloquia ſententiam Patrum, qui ſe miſerant, piúmque intentionis ſuæ deſiderium ipſis enarrâſſent, non minimè in Domino gavisi, ipſos fratres noſtros ad omnia ſua Conventualia in choro, capitulo, clauſtro, & refectorio gratioſè admittentes, ſingula eorum Ceremonialia, & ordinis inſtituta, quantum ipſis in reformatione adhuc novellis inde conſtabat, & ſicut à Patribus in Viridi valle, unde originem traxerunt, ipſi didicerunt, libenter ad oculum demonſtrabant &c.* Ex quibus diſcimus, prima Canonicæ inſtitutionis fundamenta Windeſemenſes ab Eymſteinenſibus mutuâſſe; dum autem illi Zelô divini amoris accenſi ex parvis magna, & de exiguis eximia elicientes, prudenti diſcretione perfectiora cognitis addiderunt, tum iſti, id eſt, Eymſteinenſes præclaræ adeò reformationis normam amplecti neutiquam dubitarunt. Factum id fuiſſe ante annum 1395. neceſſe eſt, eô namque annô quatuor jam conjuncta, & Capitulo Windeſemenſi unita monaſteria: *Windeſem* nimirum, *Eymſtein*, *Fontis S. Mariæ & Novæ Lucis* memorantur, ut novæ hujus congregationis confirmationem à ſumma ſede obtinerent, de qua ſuperiùs, ubi

ubi de capite, nempè Windeſemenſi Monaſterio ſermo occurrerat, pluribûs egimus.

Hoc igitur modò in ſua reformatione Eymſteinenſe cœnobium reſtitutum, ipsíque Windeſemenſi Congregationi unitum, primò omnium ad commutandum Nomen *Præpoſiti* in *Prioris* vocabulum obligatum fuerat, quod vir piiſſimus, atque humillimus *Simon de ſconovia* eò paratiore animo unà cum ipſius Prælaturæ in manus viſitatorum Windeſemenſium reſignatione præſtitit, quò ardentiore intùs Spiritu agebatur ad curandum ſui ordinis omnimodum incrementum: nec defuerunt votis ſuis deſiderati eventus; adeò enim Eymſteinenſium nova converſatio ad omnium vicinorum tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium hominum ædificationem ſe diffuderat, ut quendam crederes tunc refloruiſſe virtutum Paradiſum; irrigavit hunc primitùs primus ibidem capitulari ſuffragiô conſtitutus Prior *Henricus Wilde*, de quo Chroniſta noſter ait: *Quòd dictum monaſterium decem, & ſeptem annis diverſis temporibûs in fervore Spiritus, & Zelo magno animarum ſtrenuè ſatìs, & laudabiliter gubernavit.* Dignum relatu hôc locô exiſtimavimus, quod cum quopiam hujus ipſius monaſterii Canonico Regulari annô 1494. contigiſſe vetus aliquod Schediaſma teſtatur, à Bolandiſtis compertum, & actis *S. Patritii* §. 5. n. 48. inſertum: Quamvìs enim id cuíque hæc acta Sanctorum ſcrutanti obvium ſit reperire; attamen, cùm ad noſtram hiſtoriam perficiendam, quæ in eo narrantur, multum conferant, libuit illinc deſcripta juxta originariam relationem ſubnectere: eſt autem hujusmodi.

Annô Domini 1494. *Alexandro VI.* præſidente Romanæ Eccleſiæ, *Maximiliano* verò regnante in regno Romano, *Karolo*, Francorum Rege intrante regnum Neapolitanum ſub Archiduce *Philippo* Regis *Maximiliani* filio, & præſidente Eccleſiæ Trajectenſi *Davide* de Burgundia, erat quidam monachus, ſive Canonicus Regularis in partibus Hollandiæ Monaſterio Eymſteete devotus Deo, regulæ ſuæ, & ſtatutorum Capituli ſui de Windeſem diligentiſſimus obſervator, hic cùm diù fuiſſet in ordine, & præ cæteris ſui conventûs fratribus ſe mortificationi, orationi, & ſimilibus exercitiis propenſiùs mancipâſſet, quo ſpiritu, neſcitur, ductus, petiit opportunè & importunè licentiam ſibi dari à ſuperioribus arctiorem ordinem intrandi, aut tanquam pauper mendcius per provincias peregrinandi.

Obtentô tandem deſideriô diverſas mendicando Chriſtianorum patrias, & regiones ingreſſus eſt, venítque tandem in regnum Hiberniæ, ùt videret, & etiam intraret purgatorium *S. Patricii*, de quo multa narrantur; perveniens autem ad locum, & monaſterium, ubi dicebatur illius introitus eſſe, locutus eſt cum præſidente loci illius, referans illi deſiderium ſuum, qui miſit illum ad Diœceſanum, dicens: Sibi illicitum eſſe, quemlibet introducere ſine aſſenſu Pontificis ſui: Adiit Epiſcopum, & quoniam pauper erat, & ſine pecunia, vix à miniſtris admiſſus eſt, pervolutúsque genibus Epiſcopi, petiit ſibi licentiam dari intrandi purgatorium *S. Patritii*: Epiſcopus verò petiit ſummam quandam pecuniæ, quam ab intrantibus jure ſibi deberi dicebat; cui Frater reſpondit, ſe pauperem eſſe, nec habere pecunias, quas etiamſi baberet, propter lepram Simoniæ ob id obtinendum tribuere non audere; poſt multas tandem preces devicit Epiſcopum, & litteras quaſdam admiſſionis exhibuit, mittens eum ad Principem territorii

torii illius, ut & illius licentiam obtineret, qui etiam nummos expetiit, quos cùm extorquere à non habente non poſſet, finaliter tamen etſi difficulter admiſit eum: Rediens igitur ad Priorem loci purgatorii, litteras Epiſcopi & Principis illi obtulit, quibûs lectis Prior ait ad illum: Oportet frater, ut & monaſterio noſtro ſolitam ſtipem impendas, certam illi ſummam denuncians, cui frater reſpondit, ſe pecunias non habere, qui mendicus eſſet, ſed nec dare pro hujuſmodi ſibi licere, quia ſimoniacum eſſet, ſed ſe petere propter Deum ad locum famoſiſſimum pro ſalute animæ ſuæ introduci: Præcipit igitur Prior Sacriſtæ ſuo, ut illum ad locum introduceret; Frater verò confeſſione facta, & ſacroſancto Dominico corpore ſumpto, prout alios quondam feciſſe ante introitum loci illius legerat in codicibus, à Sacriſta in lacum quendam profundum demiſſus eſt, deinde cùm ibidem jam eſſet, porrexit illi per funem modicum panis, & vaſculum aquæ, quô ſe reficeret, contra Dœmones præliaturus.

Sedit igitur in lacu per totam noctem tremens & horrens, ſed & ignitas preces Deo offerens, per ſingula penè momenta dæmones adventuros horreſcens: Cùmque à veſperi ſediſſet usque ad mane, ſole jam orto; venit Sacriſta ad orificium Laci, advocans illum, & funem pro retractione illius ſubmittens, at Frater ille admiratus eſt valde, eò, quòd nihil vidiſſet, audiſſet, vel pertuliſſet incommodi, aut afflictionis, & varia revolvit animo ſuper his, quæ legerat, & audierat de hoc purgatorio: neſciebat enim, quòd antiquum miraculum jam fide firmatâ ceſſaverat: verumtamen incolæ loci ob quæſtum, & nummos purgationem peccatorum inibi adhuc fieri advenientibus aſſerebant. Perſcrutatis igitur omnibûs & illuſionem hanc ſimplicium aboleri cupiens Frater Supradictus Hiberniâ exiens Romam petiit, & cùm ſummo Pontifici appropinquare non poſſet, pœnitentiario ejus, viro ſatis honeſto & Eccleſiaſtico, eucta, quæ acciderant, enumeravit, petens, ut hæc Domino Papæ ſignificaret, ad quod ille ſe ſpontaneum obtulit, acceptâ firmiſſimâ fide, ſive juramentô à Fratre, quòd hæc ſe ita haberent. Acceſſit igitur Pœnitentiarius ad ſummum Pontificem, & cuncta illi manifeſtavit, qui graviter tulit, taliter ſimplices decipi, & præcepit Pœnitentiario, ut litteras mitteret ſigillô Apoſtolicô munitas ad Epiſcopum, Principem, & Priorem loci illius, præcipiens, ut locum illum, in quo quondam introitus fuerat ad purgatorium, quod *S. Patritii* dicitur, funditùs everterent, & everſum eſſe ſuis litteris & ſigillis, per eundem ſuarum litterarum portitorem, certificarent. Remiſſus eſt ergò ſupradictus Frater ad Hiberniam Apoſtolica deferens ſcripta, quibûs viſis Princeps Provinciæ unácum Epiſcopo & Priore, locum illum Fallaciæ deſtruxerunt, & deſtructum per ſua ſcripta, nuntio prædicto eadem referente ad Curiam ſummo Pontifici notificârunt. Hæc prædictum Schediaſma. Eſſent porrò complura, quæ in eodem attentiùs rimari poſſemus, fidemque dictorum penitiùs ſcrutari; maximè veró hac occaſione diſcurſus fortaſſe de *S. Patritio* ſuppeteret, quô, neſcio an quemquam aliorum ſanctorum majore calamorum conflictu, ac ſtudio, diverſi ſibi ſui inſtituti Alumnum vendicare conantur. Certè doctiſſimus Papebrochius in eo eſt, ut virum hunc quantumcunqua Sanctum ad nullum planè eorum, qui nunc ſunt, religio-

ſum ordinem propriè referendum cenſeat: cui nolim ego in tam illiberali æconomia ſuffragari, maximè cùm idem Beatus in ſua confeſſione (quam omnium Patritianorum documentorum certiorem mox dictus Papebrochius ac fideliorem judicat) tantùm non omninò apertè (ſic veterum ſcriptorum morem fuiſſe in exegeſi probavimus) votivæ ſuæ, ac regularis vitæ initàm obligationem enuntiet, cæteróquin vel ex hoc ſufficienter & clericus, & votivus dicendus, quòd tam Sancto, ac perfectiſſimo viro nihil eximiæ virtutis de facili valeat abnegari. Verùm noſtri quia propoſiti hìc non eſt de qualitate inſtituti, cui aut *S. Patritius*, aut alius quiscúnque (de quo controvertitur) annumerandus ſit, identidem & quacúnque occaſione ſe ſe offerente tractare; hinc, cùm aliunde tota hæc Quæſtio extra limites præſentis noſtri argumenti verſetur, conſultiùs eandem aliò differimus, ubi ex conſtituto de hoc magno thaumaturgò tractatus occurret.

Cæterùm quemadmodùm ex hoc documento illius Eymſteinenſis Canonici Anonymi pietas, & religioſa vita ſatìs eruitur, ſic complures Sanctæ converſationis viros inibi exſtitiſſe nequidem ambigendum eſt: Si enim Windeſemenſes ipſi hinc prima ſuæ informationis dogmata ſumere non dubitârunt, profectò oportet viros ibidem fuiſſe diſciplinæ ubíque deprædicatæ obſervantes; unde & *B. Lidwvinam* illam admirandæ patientiæ & eximiæ virtutis Virginem reperimus religioſis hujus cœnobii valde fuiſſe affectam. De quodam, in ejus vita, narratur, quòd vice quadam cellulam hujus Virginis ingreſſum ipſa ſtatim (quamvìs cœca) ex proprio nomine ſalutaverit; ſuper quo ille vehementer miratus, cùm eam interrogaſſet, unde ſe adeſſe nôſſet, illa ſimpliciter reſpondiſſe dicitur: *Quia Dominus donavit hoc.* hujus ipſius Virginis tempore Eymſteinenſem Priorem agebat Willhelmus Wilde, cujus Zelum obſervantiæ religioſæ Buſchius prolixè enarrat, datque colligi (dum ait, quòd factus Prior in Emſteyn illud per decem, & ſeptem fermè annos gubernaverit) exſtitiſſe ibidem viros pios, Deóque dilectos. Eraſmi verò Roterodamenſis iſthìc profeſſi infauſta fata aliò differimus.

Deníque hoc monaſterium eandem ſubverſionis cladem (quam reliqua in Auſtrali Hollandia experta ſunt) ſubiit. Cujus nè quidem certam, ubi ſteterat diſtantiam aſſignare licet, quam tamen nos illic ſtatuimus, ubi in Charta ultrajectini Dominii Blaviana ſignatà legitur domus; ſeu Caſtrum Eem vulgò thuis ter Eem. Chron. Wind. L. 1. c. 11. & 37. & L. 26. c. 36. Boll. t. 2. Martii ad diem 17. & tom. 2. Ap. ad diem 14. Chron. Belg. edit. Nov. t. 3. p. 371.

S. Salvatoris in Thabor. Prioratus Windeſemenſis.

Fundat. circa an. 1407. Extinctum.

Hujus fundationis authorem reperimus quendam præſtantem, ſtrenuúmque militem *Revenicum* nomine: Hic enim cùm Hieroſolymam adire decreviſſet dona plurima, & certa prædia Windeſemenſibus contulit, ut inde novum ſui Ordinis, Congregationíſque monaſterium erigerent in ejusdem benefactoris hæreditariis bonis. Aſſenſêre piiſſimæ voluntati Patres, ſubmiſíque hunc in finem ſunt, qui locum deſtinatum luſtrarent, inquirerént que de fundando monaſterio ſufficientiam; concluſúmque eſt, ut, ſi adeſſent centum antiqui Scudati Franciæ pro perpetuis monaſterii illius, annuíſque redditibus, & quinquaginta pro ædificiis conſtruendis, optatum effectum Sancti illius viri intentio ſortiretur, quod

cùm

cùm impletum miſſi ad id negotium viſitatores cernerent, operi appoſitæ ſunt manus, perfectúmque eſt monaſterium circa annum 1407. & nè videretur piiſſimus Fundator ſola ſua bona neòfundato monaſterio contuliſſe, ſeque ipſum tanquam portionem optimam reliquiſſe mundo, ordinem à ſe adeò dilectum, ac æſtimatum ingredi firma reſolutione conſtituit, utque amicorum id omnimodè impedientium conſilia opportuna ſagacitate elideret, Windeſemenſes adiit, ibique inveſtiri petiit, quod etiam enixè ſupplicanti conceſſum eſt, ſicque ordinis non ſolùm promotor, ſed & ſanctum commembrum effectus; Demum in ſuum, quod fundaverat, monaſterium remiſſus ibidem magna æmulatione virtutum vitam ſuam piiſſimè traduxit. At primus ibidem Prior renunciatus eſt *Wernerus Kaynkamp* circa annum 1408. ille ſcilicèt, cui ob notiſſimam ſanctitatem ſuam exordientis Windeſemenſis Cœnobii regimen primò pariter, omnium votis oblatum eſt, rexitque tribûs annis imcomparabili ſolertia, donec multis precibûs liberationem obtineret. Sed paulò poſt iterùm è medio ad candelabrum elevatus Prior ad hoc, de quo diſſerimus, cœnobium, petitus eſt, quod non minùs prudentiſſimè per ſeptem annos debitis inſtitui Canonici regulis ad amuſſim informavit. Cui in regimine *Jacobus Oern*, & poſt hunc *Henricus Herderwic* ſucceſſit, ambo Windeſemenſes profeſſi, & tantarum prærogativarum, ut dubitare meritò poſſis, cui in præeminentia virtutum palmam cedas. Accrevit autem inſtitutione vigilanti horum virorum adeò locus iſte in bona regulari diſciplina, ut teſtetur Chroniſta Windeſemenſis *plura antiqua ordinis noſtri monaſteria in Friſia ejus adminiculô reformata fuiſſe ad decus totius patriæ. Cùmque tempore erecti hujus cœnobii in Weſtphriſia, corda incolarum rudia eſſent, ac brumali algore frigida, per primum mox dictum Priorem Wernerum effecta ſunt manſuetiſſima.* Duravit autem hujus monaſterii ſplendor religioſus, ac gloria, usque ad communem illam cladem ab heterodoxis cauſatam ſæculô 16. quô pariter cum aliis emarcuit, cujus ſola adhuc rudera ſuperſunt, & exigua hæc, quam narravimus, memoria.

Exſtitit propè Sneckam urbem tribus infra Leowardam milliaribûs. Chron. Windeſ. L. 1. c. 39. & L. 2. c. 33.

Salvii Præpoſitura. Fundâſſe eandem *Carolus Martellus* à Balderico refertur, qui miraculis in loco ſepulturæ *S. Salvii* patratis commotus, & attonitus, locum ipſum fiſcô Valentianensi, aliiſque rebus auxit, ac ſtipendiô deputatô Canonicos inſtituit ibidem. *Fundat. ſæc. ſept. Ord. S. Bened.* *Canonicale* certè *monaſterium* Baldericus nuncupat, & ſeu *Carolus Martellus*, ſeu *Carolus Magnus* hujus cœnobii Fundator exſtiterit, qui pro quocúnque horum decertant, Collegium Canonicis fundatum aſſerere coguntur, taléque annô 826. reliquiis *S. Salvii* dotatum fuiſſe conſtat ex Scriptore vitæ, SS. Marcellini & Petri apud Henſchenium: in qua legitur: eaſdem reliquias *primum omnium Georgium Presbyterum, & Rectorem monaſterii S. Salvii Martyris, quod in pago Favoniartenſi, in vico Valentianas appellato, in ripa Schaldis fluvii ſitum eſt, ſuſcepiſſe, & per quendam Diaconum ad memoratum monaſterium de Aquenſi Palatio deſtinâſſe, idque annô quartô decimô Imperii Ludovici Auguſti. Ergò*, inquit Henſchenius, *annô* 826. juxta Pagianam Criſim verò 827.

Quæri ergò hic poteſt, Canonici hi ſæcularesnè fuerint, quales noviſſimus Galliæ Chriſtianæ Editor adſtruit, an regulares? certè ſuô,

ſuô modô pro his laudatus Henſchenius perorat: *Arbitramur*, inquit, *monaſterium iſtud fuiſſe Clericorum ſub Carolo Magno inſtitutum, cui aſſignavit tertiam partem redditum fiſci; illósque vexiſſe ſecundùm ſimilem aliquam regulam, qualem Clericis præſcripſit S. Godegrandus Epiſcopus Metenſis editam tomô primô ſpicilepii Acherii: Ubi in præfatione monetur Lector, Patres Concilii Aquiſgranenſis tanti feciſſe hanc regulam, ut quidquid ad Clericorum mores, Canonicè efformandos, conduceret, ad ſua, licèt ſuppreſſo nomine, decreta transtulerint.* Tanti profectò hanc regulam Patres Aquisgranenſes fecerunt; ſed non quam Acherius luci obtruſit, mutilam, imperfectam, ac longè poſt Aquiſgranenſe Concilium ſic deformatam; aſt quam ſinceram, & ùt primigeniam Labbæus dedit, de cujus diſcrimine, quia nos plura alibi, iſthic non vacat ultrò diſcurrere: hanc ergò regulam quia *S. Salvii* Canonicos obſervâſſe meritò arbitratur Henſchenius, & nos eidem æquali ſenſu concordamus, Pariter non qualitercúnque regulares, ſed ſecundùm obſervantiam Cap. 31. regulæ ſinceræ Chrodegangi vixiſſe non ambigimus; Cæterùm meâ non refert, ex Authore Originum Cœnobiorum Hannoniæ præfatum Galliæ Chriſt. Editorem ſcribere, poſt cladem Nortmannicam *Brunonem* Colonienſem Archiepiſcopum circà annum 959. indulſiſſe, ut emortuis Canonicis ad hanc *S. Salvii* collegiatam Eccleſiam paulatim commigrarent monachi, utpote quod ex Burchardi Cameracenſis Epiſcopi privilegio annô 1120. dato conſtet Cluniacenſes adhuc Canonicis commixtos convixiſſe. Id certum, plenô jure per *Brunonem* ceſſionem monachis factam non fuiſſe, imò nè Burchardi quidem tempore, etſi fortè tum, aut jam aliquantis annis priùs principatum Canonicis in hoc monaſterio interverterint monachi, ùt ex eodem privilegio diſcimus: nunc Abbatia eſt Ordinis Cluniacenſis.

Exiſtit juxtà Valentianas ad Scaldim Fluv. Acta SS. ad diem 26. Junii in vita S. Salvii in Comment. n. 8. Miræ. ſuppl. Dipl. P. 1. cap. 17. Gall. Chriſt. t. 3. col. 131.

S. Saturnini Abbatia.

Fund. ſac. 7mo. Ord. præm.

S. Paulus, ex Theologienſi monacho Epiſcopus Virdunenſis obtentis *S. Saturnini* M. reliquiis ſacellum in ejus & *S. Pauli* Apoſtoli honorem extrà Urbis Virdunenſis muros intrà annos 616. & 648. (quibûs præfuit) exſtruxit, illudque additô clauſtrô Canonicis inhabitandum extradidit, ubi iidem usque ad ſæculi decimi annum 986. perdurârunt, operante interea *S. Saturnino* glorioſo hujus Eccleſiæ Patrono in reliquiis ſuis plurima beneficia: ex tumba enim ejus defluentis olei attactu plures infirmi ſoſpites efficiebantur, cùm verò præfatô annô ſedem Pontificalem regeret *Wilgefridus* (aliàs quoque Wicfridus aut Wilfridus nominatus) Epiſcopus, cernerétque minùs congruè à Canonicis miniſtrari Divina in hac *D. Saturnini* Eccleſia, eandem monachis Benedictinis conceſſit; incoluêre hi illam usque ad *Alberonis* tempora, annum plùs minùs 1140. quô iterum ejecti locum dedêre Canonicis novâ per S. *Norbertum* reformatione inſtitutis. Negocii totius ſeriem quia Epiſtola ipſius *Alberonis* Epiſcopi ad *Innocentium* ſecundum data elucidat, proderit ejusdem ſaltem hic partem ſubjicere. *Reperi*, inquit, *quandam Eccleſiam hic juxta civitatem noſtram ſitam, quæ per injuriam, & irreligionem paucorum monachorum ibi degentium, ad tantam infamiam redacta fuerat, ut jam non Domus Dei, ſed diceretur eſſe quoddam proſtibulum, de qua quid egerim, quàm certiſſimè potero, paucis dicam.*

In

In Eccleſia illa in H. B. Pauli Apoſtoli conſecrata, à prima poſitione per tempora decem, & novem Epiſcoporum fuerunt priùs Clerici, ſed per irreligioſitatem, & negligentiam illorum devenit ad tantam inopiam, ut quod priùs multis ſatis erat, vix victui unius Sacerdotis ſufficere poſſet: quidam autem Prædeceſſor meus Wilfridus Nomine, amator Religionis, Clericis illis ex hac expulſis, religioſos monachos in ea poſuit, qui longo tempore in fervore religionis permanentes, & bona Eccleſiæ diſſipata reſtituerunt, & inſuper plurima aquiſiêrunt: Succedentes denique alii pedetentim ab illa religione declinare cæperunt, & ſic declinando bona Eccleſiæ luxurioſè deſtruendo usq; ad tempora noſtra perſeveraverunt. Ego dolens nimiam deſtructionem illius Eccleſiæ, quia magni nominis à priſcis temporibus exſtiterat, Abbatem illius loci, priùs ſolum ſolus, poſteà cum cæteris Abbatibus & religioſis conveni, multa capitula coram dignitate veſtra nec nominanda, quæ de eo verè prædicabantur, ei propoſui &c. tandem poſt frequentes admonitiones vanas & inutiles &c. compulſus precibus aſſiduis - - - - - Abbate in Eccleſia recluſo, paucisque monachis, qui ſecum malè vivebant inter religioſos collatis, pauperes Chriſti Eccleſiæ Præmonſtratæ ſecundùm regulam B. Auguſtini Laudabiliter viventes in ea poſui. Inde commoti monachi - - - - - fremunt quotidie, non tam de expulſione prædicti Abbatis, cujus vitam plenè & ipſi deteſtantur, quàm de mutatione tituli conquerentes. In hoc autem malè dicunt, hôc enim titulum non mutamus, ſed in forma primæ poſitionis repoſuimus. Inſuper accedit ad hoc, quod Abbas loci illius Vicarius eſt Epiſcopi, quod officium magìs convenit Ordini Clericorum, quàm monachorum &c. Hæc Albero. Ubi obiter adverto, quæ idem de Clericatûs prærogativa Canonicis competente obſervat: Scilicèt Vicariatum Epiſcopalem, utpotè munus propriè clericale, magìs convenire ordini Clericorum, quàm monachorum: ex quo diſcimus Alberonem monachos, & quidem S. Benedicti plenè diſtinxiſſe à Clericis, neque habuiſſe pro monacho-Clericis, quales à quibusdam eſſe aſſeruntur, novô certè, non antiquô argumentô. Neque tunc, id eſt Alberonis tempore, Præmonſtratenſes adhuc diſtincti habebantur à genuino & originario Can. Reg. Inſtituto, ùt patet ex alibi dictis, adeòque quidquid in hac Epiſtola de Præmonſtratenſibus, id omnibus Canonicis tunc regulariter viventibus attribuendum eſt.

Profecit autem quàm plurimùm ſolertiâ neo-inductorum Canonicorum Eccleſia *S. Saturnini*, ut teſte Laurentio de Leodio *Abbates primi Rogerus nimirum ejusq; ſucceſſor Theodoricus Eccleſiam illam in omnibus melioraverint, & omnia à monachis dilapidata magnis curis recuperaverint*, adeo: *Ut unde vix tunc contenti erant viginti Sarabaitæ, non monachi, inde nunc ferè trecenti ſervorum Dei victitent.*

Cæterùm Eccleſia, quæ ab *Alberone S. Paulo* dicata eſt, nunc *S. Saturnini* dicitur, quòd ab hujus S. Patroni ibidem præcipuo honore culti (ob ſacras, ùt ſuperiùs notavimus, reliquias ejusdem) beneficiis quotidie accumulatis obtigiſſe videtur: quamvìs probabile, utríque, id eſt, tam *S. Paulo*, quàm *S. Saturnino* primitùs eandem Eccleſiam fuiſſe conſtructam.

Hæc Abbatia adhuc floret ſub Præmonſtratenſium inſtituto, ſitáque eſt ad urbem Virdunenſem. Bol. 8. Febr. in vita S. Pauli Virdun. hiſt. Epiſc. Virdun. Spicil. Dach. t. 2. p. 256. & ſeq.

Seclinum S. Piati Mart. Præpoſitura. Eſt Seclininm Caput totius Pagi Medelentenſis *Collegiô Canonicorum*, ùt inquit Miræus, *Fundata ſec. 9. ſæculari.*

ræus, *& Lipſanis S. Piati Martyris nobile.* Hujus fundationis Exordium ſæculô Nonô *S. Eligio* tribuitur Noviomenſi Epiſcopo. Hic enim, ùt narrat Audoenus in vita, *invenit in territorio Medenantenſi, vico Sacilinio, S. Martyrem Piatonem, cui ſimiliter clavos prolixos ex corpore ablatos populis in argumentum monſtravit. Corpus denique ſicut Martyrem decet, eleganter compoſuit, atq; mauſoleum urbanè deſuper fabricavit;* hæc S. Audoënus. Conſtituiſſe autem Collegium Canonicorum, teſtantur Miræus L. de Can. colleg. c. 40. & *S. Piati* Biographus. perſtitêre porrò ſub conſueta communis vitæ forma Canonici usq́ue ad Normannicam devaſtationem, quæ an. 881. contigit; quo tempore perſecutionem infidelium declinantes cum Sacris *S. Piati* reliquiis Carnutum diffugerunt, redeuntes tamen cum iisdem reductâ quiete. Quamdiù vita communis hoc in cœnobio à *S. Eligio* fundata ſubſtiterit, incompertum. Annô 1210. *Innocentius III.* de quodam Canonico Secliniensi Præbendato agit, ùt refertur C. inter cætera. 17. T. 5. de præb. an tunc præbendæ hæ Canonicos Seclinienſes ſæculares effecerint, non ſatis notum. Id certum, nunc hoc monaſterium ab iisdem poſſideri.

Situm eſt Seclinium in Flandria unô, & mediô mill. ab Inſulis. Mir. Cod. dipl. C. 19. ſpicil. Dach. t. 2. f. 93. Molanus in Nat. SS. Belg. &c.

Fundat. ---- *Exſtinctum.*

Selvert. Virginum Canonicarum Prioratus.

Hunc refert Miræus unà cum Parthenone altero Oëgecloſter (quod de iſto notâſſe ſufficiet, cùm alia documenta, quidquam ſcribendi, omninò deſint) ex percelebri olim Abbatia Ludingebercana prodiiſſe. Cætera, præter geminorum horum Prioratuum interitum, pridem per Heterodoxos cauſatum, latent.

Miræus L. de orig. Can. Reg. cap. 75.

Septem Fontium vulgò Seven-Borren S. Mariæ Prioratus Windeſemenſis.

Fund. circ. an. 1388. Floret.

Cui exordium dederat *Ægydius* de Bredyck Eccleſiæ Anterlechtenſis ante Capellanus. Hic arctioris vitæ ductus amore ſeptem ſibi æqualis probitatis ſodales aſſocians locum in Sylva ſoniæ vulgò *Bois de Sogne* Germanis *Sonien Wald*, aut *Sonien Buſch* elegit, in quo ſecuro virtutum tramite nullis mundi illuſionibus præpediti, viam perfectionis currere, & ad bravium æternæ quietis pervenire valerent. Igitur circâ annum 1388. adeuntes piiſſimam, & omnibus religioſis ſummè affectam Ducem *Joannam*, ut ſuis deſideriis liberali manu ſuccurreret, locúmque, quem inhabitare ſtatuèrant, pio illis aſſenſu tribueret, rogârunt; & illa nullo prorogationis injecto termino mox benigniſſimè *ob amorem Dei & remedium animarum tam omnium Prædeceſſorum ſuorum, quàm propria, ut omnes participes eſſe poſſent divini ſervitii, quod futuris temporibus Deo volente præſtabitur, dedit Domino Ægidio de Bredeycke & Sociis ejus inibi exiſtentibus aut in futurum adventuris hæreditariè poſſidendam clauſam de Zeven-Borren, cum diſtrictu & locis, prout ibidem tunc ſita fuerant. Quem locum etiam eadem nobiliſſima Domina amortizavit, & alienavit, ut eum ipſi liberè & integrè perpetuis futuris temporibus teneant, habeant, & poſſideant, eum in finem, ut ibidem hoſpitale ac monaſterium exſtruere, atq; erigere poſſint, in honorem Dei ad laudes ejus inibi annuntiandum, eique ſerviendum &c. Datum Bruxellæ die 4. Novemb. annô Domini* 1388. ſic ſtabiliti primi ſeptem-fontani Canonici ſub Priore *Ægidio* viro Venerabili,

bili, ſimulque Fundatore ſuo, Eccleſiam, ut dotes & piorum hominum beneficia admiſerant, exſtruxerunt, eôdem annô in honorem *B. Virginis* & *S. Auguſtini* conſecratam ſecundâ Aprilis. Ex quo apparet, priùs Eccleſiam hanc fuiſſe dedicatam, quàm privilegium *Joannæ* Duciſſæ extraderetur. Cùm autem undiqnc egregia fama non ita pridem coadunatæ Congregationis Windeſemenſis per totum Belgium divulgaretur, ſeptemfontani Canonici non minùs diſciplinæ regularis firmandæ cupidi cœnobium ſuum, quod annô 1401. uniêrunt viridis Vallis Capitulo, dein annô 1417. eidem ſubmiſêre; ſub qua ad hæc usque tempora eximio pietatis, ac illibatæ virtutis fulgore inter reliqua commembra præclarè promicat; & inter 34. incorporata monaſteria ſeptem-fontanum antiquitate unionis factæ ſecundum locum obtinet; ejúsque Reverendiſſimus & Ampliſſimus Dominus Prælatus, ac Prior *Joannes Franciſcus Uſſelinx* in Capitulo Generali annô 1728. Aquisgrani celebrato, Commiſſarium egit inferioris Germaniæ ab annô 1721. hoc charactere inſignitus. Habuit quoque hoc præclarum cœnobium viros pios ac doctos, nec non & ſcriptores eximios, quorum (qui nobis innotuêre) ſuo tempore memoriam faciemus.

Exiſtit hic Prioratus in Sylva Sonia, duobus milliaribus paulò ampliùs directè infrà Bruxellam. Foppens. Part. 1. novæ Collect. c. 193. Geſtel. hiſt. Mechlin. t. 2. p. 132. ſeq.

Fund. 1429. Floret. Sinay Virginum Canonicarum Prioratus. Cui initium fecit *Petrus Heeſe* vir quamvis innodatus conjugio, pietatis tamen ac religioſæ vitæ promovendæ amore nulli ſecundus: hic ſuperiorum veniâ evocatis tribus ordinis *S. Franciſci* virginibus Aldenardâ Corturiacum, domum ſuam annô 1429. in dotem futuri cœnobii conſignavit, quam tamen dein cum alia commodiore in Neveldrieſch, patrocinante Cortracenſi Decano & Curione, commutârunt. Jactis fundamentis per Joannem Geys Præpoſitum primum lapidem ponentem dedicata annô 1502. Novemb. 21. eſt Eccleſia. Virgines hæ usque ad annum 1504. uſæ ſunt togâ, & palliô cinericei coloris, capitegio & humerali nigro: tum verò Præfecta earum *Amaldina Suellaertis* Lethaliter decumbens cum bona ſororum parte regulam *S. Auguſtini* ſuſcipiens Canonico ſe inſtituto devinxit, pluribus dein annîs uſa directore Ogniacenſi Priore, Viſitatorem autem nacta Viridis Vallis Præſulem. Hæc ex Gramayo decerpſimus, cujus tempore eædem adhuc floruerant, cùm de earum aut exſtinctione aut ſubſiſtentia nihil extra hujus Scriptoris narrationem innotuerit, néque ratio ſolidior ſubſit, ut illas periiſſe credamus, adhuc tanquam de actu exiſtentibus judicamus.

Exiſtit in Urbe Corturiacenſi. Gramay. antiqu. Flandriæ Parte 2. in Corturiaco pag. 63. & 64.

Sion (olim de Bethania) Virginum Canonicarum *Fund. an. 1475. Floret.* Prioratus. Primum prope ſylvam ducis in pago de Uncht annô 1475. hic Parthenon ſuum accepit exordium, quatuor opulentis Virginibus ſub habitu tertiæ regulæ *S. Franciſci Ludovico* Borbonio Epiſcopo Leodienſi concedente Deo ſe ſacrantibus, indè in Urbem Sylvam Ducis ſecuritatis, ob bellorum turbinem, refugium quærentes admiſſæ inſtitutum Canonicum ſuſceperunt: continuatô ſanctæ converſationis ſtudiô usque ad annum 1629. dum fœderatorum ſævitia Sylvam Ducis occupat, Virgines exulare coguntur, variis in locis ſuſpirantes diverſorium; de-

demum Vilvordiæ gratiam incolendi adeptæ monaſterium exſtruunt an. 1673. & 1713. Eccleſiam quadragenario labore continuaram perficiunt, annóque 1719. plenè perſolvunt, inſignem planè, ut nobis relatum eſt, atque magnificam: parent Ordinariæ Mechlinienſis Archipræſulis directioni.

Situs eſt hic Prioratus in Urbe, ùt notavimus, Vilvordia. Hiſt. Mechl. t. 1. p. 133. Docum. Commun.

Sion S. Mariæ Prioratus Windeſemenſis. Bevervvickum olim, & S. Agathæ-

Fund. circa an. 1429. Exſtinctum.

fanum dictum (hôc autem poſtmodum inſignitum nomine ob frequentiſſimum peregrinantium illuc accurſum) vulgò *Bevaerden* per Magnum *Gerardum* monaſterio Clericorum ornatum eſt de communi viventium, quale ſcilicet idem in ſuo patrio ſolo jam Daventriæ primitùs conſtituerat: diffundente ſe autem præclara Windeſemenſi Canonici inſtituti reformatione per totam Hollandiam, hi qui Beverbici morabantur devoti Clerici, Laicíque, Priori Generali tunc *Willelmo* Vornken de introducenda in præfatum monaſterium ſuum hac ſancta inſtitutione ſupplicârunt; qui, ùt erat regularis diſciplinæ Zelator eximius, actutum petitis ſuffragaturus primò cum Priore de Monte *Erico Clivis* loci oportunitatem propriis perluſtrans oculis (cùm cernerent Clericos ac Laicos ibidem de domo Domini Rothgeri & Clericorum Congregationis Zwollenſis collectos) nullâ injectâ morâ præſtiterunt aſſenſum: hinc annô 1429. Joanni Buſchio & Godefrido de Teyla negotium demandatum, ut (inquit idem Buſchius) *omnibus poſtpoſitis, mox viſis eorum præſentibus litteris, Ludenkerkâ* ubi tunc eadem de causa morabantur) *recederemus, & in Bevervvick adveniremus, & Ordinem Canonicorum Regularium ibidem inſtitueremus, & fundaremus. Qui ùt filii obedientes* (verba ultrò damus præfati Buſchii) *voluntatem Patrum noſtrorum complevimus. Erat autem ſexta feria manè, cùm ad viam nos præpararemus, & fuimus circà portam monaſterii*: nempè in abſceſſu à Ludenkerka) *ubi venit in mentem, quòd eſſet dies Capituli culparum. Unde mutuò dicebamus, nos hinc antequam exibimus, priùs deponere volumus, ſi quid in hoc loco deliquerimus, & ſarcinis depoſitis acceſſimus ad Capitulum, & culpis noſtris dictis, diſciplinam etiam accepimus, & ſic mundatâ conſcientiâ ad locum properavimus deſtinatum. Invenimus autem ibidem circa mare duas domos contiguas, de una facientes Eccleſiam, de alia dormitorium, & in loco alio coquinam & refectorium. Inveſtivimus ergò ibidem unum Sacerdotem, Dominum Hugonem de Dordraco, duos de præfatis Fratribus Neydonem, & Hinricum, reliquos, quos ibi invenimus, in Donatos & familiares recepimus. Tres etiam de ſæculo Clericos de bona progenie inveſtivimus. Cantum ergò noſtrum, habitum, ſtatuta, & ordinarium per omnia juxta morem Capituli noſtri, & ſtatuta aſſumpſimus, & horas in Choro legimus. Miſſam & quædam alia in principio cantavimus juxtà perſonarum facultatem. Miles quidam, Bertoldus de Aſſendelf dictus, ſe nobis adjunxit, non habens uxorem, privatim volens vivere, & in quiete ab hominum tumultu Domino Deo ſervire. Hic Domum lapideam magnam, & bonam in eodem fundo circa aquas de licentia noſtra ædificavit. Circà domum illam totum monaſterium propter ejus convenientiam nunc eſt conſtructum, quod jam per annos plus quàm quadraginta in bona permanſit reformatione, propter Generalis Capituli de Windeſem incorporationem, & annualem viſitationem.* Hæc Buſchius de inſtitutione ac introductione Canonicæ vitæ in Beverwicenſe aſceterium. Idem verò hic ſcriptor remonſtraturus illius monaſte-

naſterii quamvis egregiâ diſciplinâ florentis, periculum, aut ſaltem eorum in ipſo degentium religioſorum, qui ſeu ſuperioribus reſiſtebant obſervantiæ regularis amuſſim præſcribentibus, ſeu quo, neſcio, inducti ſpiritu, etiam aliò ſe transferebant: id in duobus Beverwikenſibus fratribus contigiſſe deſcribit. *Nam*, inquit: *Frater Neyto Senior eorum, cùm ad obedientiam Capituli noſtri generalis ſe dediſſet cum fratre Henrico cognato ſuo de Hardervvich, & viſitatores ex parte Capituli aliquid contra eorum voluntatem ordinare vellent, ipſi reſtiterunt, & ad Generale Capitulum, ſeu priorum Superiorem appellaverunt. Ad hoc tandem devenerunt, ut Frater Neydo ab ordine, quem nuper aſſumpſerat ordinis Canonicorum Regularium ad ordinem Johannitarum S. Joannis in Friſiam ſe transferret, in ſæculari Eccleſia factus plebanus in quadam villa, & incidit in alia mala, ut audivi, quæ non ſunt dicenda per ſingula. Frater verò Hinricus mala morte vitam finivit, quòd ſe ipſum occidit.* Hæc idem. Cæterùm gratulans ſibi Buſchlius de hujus cœnobii Regulari inſtitutione fortaſsè eò magìs poſtmodùm doluiſſet, ſi ſæculo 16. aut deinceps ſuperſtes hunc nobilem locum laſciviâ hæreticorum demolitum, & profanatum vidiſſet.

Exſtitit propè Beverwic inter Harlemum & Alcmariam. Chron. Wind. L. 1. c. 44. Buſch. de refor. monaſt. cap. 5. edit. Leibniz. t. 2. p. 481.

Fundat. anno 1072. Floret.

Sonnebeckanum S. Mariæ in Villa Abbatia. Duabus ab Ipra milliaribus exiſtit Præpoſitura Sonnebeckenſis paucis exordiis ſuâ in fundatione contenta; quam an. 1072. *Fulpoldus* Vir nobilis, ac Dives ſua in villa *Sonnebecka*, ſeu, u in privilegio Fundationis *Drogonis* Epiſcopi Morinenſis legitur, *Sinnebicka* conſtituit, ſolis tribus aſſignatam Canonicis, nec tamen exilibus proventibus dotatam: nam præterquam quòd *Fulpoldus* ipſe de hæreditatis ac poſſeſſionis ſuæ proprietate, *terras in Flandria, videlicet extra Brugas, quarum numerus eſt 24. menſurarum: decimas etiam, quæ ſunt in villa nominata Nortſcotes, ſervos & Antillas 30. aliosq; redditus ad vivendi neceſſarios uſus contradidit.* Ipſe quoque *Drogo* Epiſcopus illam Eccleſiam ab omni debito, quod hactenùs ei, vel ſedi Epiſcopali ſolvebat, liberam omninò reddidit, & abſolvit. Præterea decimam & oblationes ad præfatam Eccleſiam pertinentes *ad ſupplementum victûs Canonicorum ex parte S. Mariæ pro remedio animæ ſuæ, omniúmque Anteceſſorum ſuorum vel poſterorum attribuit:* Conceſsítque ut Canonicorum tertius ſuper cæteros omnesque Parochianos ad prædictam Eccleſiam titulatos curam paſtoralem haberet, tali modô, ut, *quando ſubditorum contigerit alterum mori, cum Conſilio reſidui locum ad beneficium reſtauret defuncti: illóque hoc eſt Præpoſito humanis rebus migrante, quem elegerint Canonici paſtoralem, huic absq; alicujus genere pretii regimen ipſe Epiſcopus Morinenſis det paſtoralis officii, & Præpoſituram totius boni ad Eccleſiam pertinentis.* Patet autem ex his Canonicos per *Fulponem* inſtitutos primùm fuiſſe ad normam Aquisgranenſis regulæ, & regulares quidem, ſed necdum ad *D. Auguſtini* regulam adſtrictos; quod, quo tempore factum ſit, eò minùs dignoſcitur, quò certiùs jam aſſeruimus non multum interfuiſſe usque ad *Innocentii* tempora, ſecundùm inſtituta *D. Auguſtini* viverent Canonici, an ſimpliciter Sanctorum Patrum. Exſtat Bulla *Paſchalis II.* annô 1110. Sonnebeckanis Canonicis data, hoc eſt, annis poſt fundationem ſuam 38. In qua ſummus Pontifex ſic ad *Lambertum* Sonnebeckanum Præpoſitum loquitur: *Ex Drogonis Venerabilis quondam Morinorum*

norum Epiſcopi ſcripto comperimus, quòd bonæ memoriæ Fulpoldus unà cum uxore ſua Ramburga, Avia tua, & poſt eot Pater tuus Theobaldus (fuit hic Fulpoldi Filius, numerúmque Canonicorum ſeptem conſtituit) *Eccleſiæ Sanctæ in Villa Sonnebeccenſi varia ſui juris prædia contulerunt, unde ſeptem Canonicis ſtipendium provideretur, ea igitur, quæ à Prædictis Parentibus tuis eidem Eccleſiæ tradita ſunt, Altaria etiam, quæ bonæ memoriæ Radbodus quondam Noviomenſis Epiſcopus ad eundem locum contulit, ſcilicèt de Ruslaër de Nieuvv-Kercka & de Brevenſtruer, & quæcunque à quibuscúmque fidelibus de ſuo jure in eandem Eccleſiam oblata ſunt, vel impoſterum offerri contigerint, in eorumdem Canonicorum uſus, firma ſemper & quieta permanere ſervaréque cenſemus.* Ex quibus verbis manifeſtiùs adhuc deduci poteſt, ſummum Pontificem hos Canonicos regulæ Auguſtinianæ necdum obligatos agnoviſſe; cùm demum annô poſt Bullam Paſchalis 32. id eſt, an. 1142. *Innocentius II.* in privilegio eisdem Canonicis conceſſo ſic ait: *ſtatuimus, ut ordo Canonicus ſecundùm B. Auguſtini regulam & inſtitutionem fratrum de Aridagamantia perpetuis ibi temporibus inviolabiliter obſervetur.* Quo tempore juxta Sammarthanos Abbatiæ quoque titulum videtur obtinuiſſe Collegium Sonnebeckanum.

Hoc monaſterium multis, & virorum præſtantium, & virtutum prærogativis ſemper enituit, præcipuè dum membrum exſtitit Congregationis Aroaſienſis, & dum Lambertum primum Præpoſitum ſuum, poſt annos quatuor Præpoſituræ, vidit ad Epiſcopatum Noviomenſem ac Tornacenſem aſſumptum. Quamvìs autem graviſſimis ſubjectum ærumnis fuerit, totúmque monaſterium an. 1578. per Belgicos tumultus dirutum, rurſum tamen ſolertiâ Præſulum ita revixit, ut hodiedum egregiè floreat, ipſeque Abbas priſtina Sonnebeckanæ toparchiæ jura (dudum diviſa) iterum monaſterio obtinens toparchæ titulô amodò inſigniatur.

Situm eſt, velut jam diximus, duabus ab Ipra milliaribus. Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 10. idem cod. Dipl. Suppl. P. 3. c. 32. & c. 45. Gall. Chr. t. 5. Col. 352.

Sonnegium S. Vincentii Præpoſitura. *Fund. ſæc. 6. ſæcul.* Hanc ab eodem hoc ſancto Comite fuiſſe exſtructam docemur ex *S. Landrici* filii ejusdem S. Comitis vita, in qua ſic legitur: *B. Madelgarius agnomine Vicentius præfati Antiſtitis Landrici Genitor elegantiſſimus, cùm jam vergeret proclivus ad ſenium, & congruum cerneret de quibuscúnque præteritis delictis pænitentiale tempus: in villa ſuæ proprietatis, quæ dicitur altus-mons, monaſterium cum monaſticis officinis inſtruxit, in quo ipſemet monachus factus, poſthabitâ ſæculari militiâ &c. aliud quoq; fundavit templum in prædio ſuo, quod ſonegias vocatur, ubi in hoc Cœnobio S. vir morbo præventus decubuit, ſanctamq; animam Deo in cœlum tranſmiſit.* In hoc cœnobio *S. Vincentius* an monachos primùm, & quidem Benedictinos (aſſerente Dionyſio Sammarthano) an clericos conſtituerit, divinari haud poteſt, & fortaſſe minùs à vero aberraverit, qui ſtabit pro clericis; tum, quòd ille veſtigia *S. Amandi* ac documenta ſecutus, cùm anteà altum-montem conceſſerit monachis, ibíque ipſe eorum inſtitutum aſſumpſerit, ſonegiam clericis ceſſerit, ut ſic utrique ordini ſe Benefactorem faceret, augerétque geminorum profectum: tum quòd vitæ ſcriptor miracula *Landerici* recenſens identidem Sonegiæ incolas non monachos, ſed Clericos nominet. Scio equidem & Mabillonium hìc quoque ſuo

inhæ-

inhærere principio, nomine Clericorum, intelligens monachos, at hoc jam ſatis aliunde rejectum, atque ſubverſum ulteriori refutatione nè dignum ducimus. Cæterùm hunc miraculorum collectorem longè poſt *Landricum* ſcripſiſſe, ſatis contextus, & rerum à ſe narratarum ſeries innuit. Qui quidem n. 11. ſequentia enarrat: *Sed nunc*, inquit: *quoddam offendiculum occurrit, quod ſupremus Arbiter, qui in ſe ſperantes non patitur vileſcere, ad melius reſtituit. Scimus, quia nihil terrenum ſtabile, quin vetera ſemper aliquâ mutentur novitate, Conventus ergò ille Sonegienſis Congregationis cùm primùm à B. Vincentio locaretur, monachicâ vitâ functus eſſe perhibetur, qui locus priùs à monachis cultus, poſtmodùm canonicè inſtitutus, deinde à Sanctimonialibus innovatus, in tantum cognoſcitur eſſe transmutatus, ut cùm ſuppellex Eccleſiæ librorum ſcilicet, cæterorúmque miniſteriorum tali modò ſubtraheretur, per multos annos Kalenda feſtivitatis S. Landrici oblivionis rubigine tegeretur: ignorabant, qui eam libenti animo celebrarent, qua die indicium ejus invenire poſſent, quapropter annorum multorum labente curriculo, cæteris ritè celebratis nullum reboabat feſtum B. Landrico &c.* vides Lector, advertísque recentiorem longè à tempore Landrici annô circiter 700. defuncti manum hæc miracula deſcribentem, aut ſaltem hunc ultimum §. quem quidam antiquiores Codices, qualis eſt Betlehemiticus Can. Reg. Lovanienſium, ùt ait Henſchenius, nè referunt quidem, à ſæculi longè poſterioris ſcriptore fuiſſe adjectum. Quamvis non multum decertem, ſubintrare, aut etiam clericis cohabitare (ùt frequentiſſimè factum eſt) monachos potuiſſe. Intereà ſæculô 10. in Sonegia perſtitiſſe Clericos regulares, habemus ex libello geſtorum Abbatum Gemblacenſium, in quo Author de primo Gemblacenſium Abbate Erluino diſcurrens præmiſſis aliis ſic inquit: *Erluinus omnium bonorum amicitia dignus - - - - ſingulari amicitia confœderatus erat Raginero Comiti - - - - hic Baldrici Leodienſis Epiſcopi avunculus: & quia ſuâ potentiâ in omnibus Nepoti ſuo Epiſcopo patrocinabatur, Abbatiam Lobienſem in beneficio accepit, & mirum in modum, qui ſæcularis potentiæ tyrannide toti Imperio formidoloſus erat, Venerabilis Erluini monitis ſalubribus libenter obediebat. Cùm ergò, ùt dictum eſt, tantâ efferretur inſaniâ, tanto tamen ſe viro ſubmittebat, & ut cultum ſanctæ religionis exerceret, in omni loco ditionis ei permiſerat: Unde commiſit ei monaſterium S. Vincentii in loco Sonegias dicto, ubi clericalis ordinis regula vigere debebat, ut ibi monaſticæ vitæ ordinem inſtitueret. Sed id importunitate rei & temporis infectum remanſit.* Hæc ibi: ex quibus partim colligi datur, vix ac nè vix antea in Sonegia monachos exſtitiſſe, quod aliàs Scriptor horum geſtorum (ùt videtur Gemblacenſis monachus) non omiſiſſet, cùm id præcipuè ſæculi undecimi Scriptores, ex quibus hic unus eſt, notare non negligerent, his vel ſimilibus verbis: ut *ibi monaſticæ vitæ ordinem reſtitueret, ubi antea vigere debebat.* Neque legimus unquam in eam Eccleſiam monachiſmum fuiſſe inductum: quod ultrò conjecturæ noſtræ inſervit: partim diſcimus, ſæculô decimô nullas ibi Sanctimoniales ſed Clericos exſtitiſſe, ut adeò illi miraculorum ſcriptori modica in hoc videatur fides adhibenda, dum idem locus *prius à monachis cultus poſtmodùm Canonicè inſtitutus, deinde à ſanctimonialibus* dicitur *innovatus.* Nam annô 1071. Henricus Imperator eam, ùt Præpoſituram donavit Theoduino Leodienſi Epiſcopo: annô 1152. eadem præpoſitura Canonicorum erat, ùt

patet

patet ex Charta donationis Abbatiæ Camberonenſi factæ. Scio equidem Guiſium Scribere, *Brunonem* Archiepiſcopum Colonienſem annô 965. amotis monachis apud Sonegias inſigne Canonicorum ſæcularium collegium ordinâſſe, iisque conſtitutiones juxtà regulam *S. Auguſtini* præſcripſiſſe, templo & clauſtro reparatis. Sed qui id ex antiquis manuſcriptis aſſerverit Guiſius, haud video: ut enim ex Authore iis temporibus penè æquali produximus, ætate Erluini Gemblacenſis Abbatis, & Baldrici Epiſcopi Leodienſis (qui, ambo paulò poſt medium ſæculi decimi floruerunt, Erluinus quidem ùt Abbas ab annô 956. Baldricus verò ùt Epiſcopus ab eodem annô juxtà magnum Chronicon Belgicum, & Sigebertum Gemblacenſem usque ad annum 959.) *Sonegiæ Clericalis ordinis regula vigere debebat, ac inſtitui quidem monaſticæ vitæ ordo, quod tamen remanſit infectum. Bruno* autem Archiepiſcopatum ſuſcepit annô 953. vixitque usque ad annum 965. ùt ſcribit Sigebertus, & Hermannus contractus ad hunc annum. Non alio ergò tempore monachi induci potuiſſent Sonegiæ, niſi quod intercurrebat annum 959. & 965. (cùm id tempore Baldrici factum non ſit) ergò vix inſtitutos à quinquennio monachos Bruno dimoviſſet, quin non videtur credibile, virum tantæ ſanctitatis & Juſtitiæ velut eum omnes hiſtorici veteres dilaudant, tam citò abrogâſſe ſchema monaſticum vix dum illuc inductum; niſi aut dicamus *Brunonem* ad id moviſſe monachorum indiſciplinatos mores (quod tamen non probamus) aut antiquum Canonicorum jus ad eam Eccleſiam, quod ſibi injuſtè ademptum apud *Brunonem* vindicabant: Alterum eſt, quod in Guiſio notamus de inductis Canonicis ſæcularibus, ſed ſecundùm regulam *S. Auguſtini*, ut viverent, ordinatis, quod planè ineptum eſt aſſerere, cùm principale, quod *Auguſtinus* in regula ſua decernit, quodque generaliter in ea ab omnibus ſuſcipitur, ſit vitæ, rerúmque communio; aut ergò Guiſium præſcindere oportuit à *S. Auguſtini* regula, aut Canonicos illos dicere regulares, quod eò conſultiùs feciſſet, quò certiùs *Brunonis* novimus Zelum, ac fervorem in Clero reformando. Profectò vitæ illius Scriptor Rothgerus ſæculô undecimô *religionem & cultum Dei eum ſecundùm Canonicam & Apoſtolicam authoritatem ſic inſtituiſſe affirmat, ut multitudinis, quæ in diverſis congregationibus ad ejus honorabilem ſedem pertinentibus erat, unum cor eſſet, & anima una: ut veſtium ſuperfluitas, morum inæqualitas, & quidquid hoc modo effæminatum, & indecens in ejus Eccleſia videretur, vera & ſpirituali circumciſione - - - - diligentiſſimè abſcinderetur: ut divinis miniſteriis omnes, quorum id intererat intentiſſimè ſecundùm præfixam ſibi regulam viverent &c.* Quinimo idem Author ultrò ſcribit, quòd *certatim multis in locis per Parochias Epiſcopii ſui fidelis Domini ſervus & prudens Eccleſias, monaſteria, & cætera ædificia ſervitio Domini Dei ſui & honori Sanctorum ejus apta, quædam à fundamentis erexit, quædam priùs fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit, in his ſingulis, qui Deo omnipotenti ſub regula vitæ Canonicæ deſervirent provida ingenii ſui arte diſpoſuit, ac nè quid eis pro modo converſationis ſuæ deeſſet, liberaliter diſponendo providit.* At hæc omnia inſinuant, à *Brunone* Canonicos non qualitercúnque, & ſæculariter ſecundùm regulam Canonicam fuiſſe inſtructos; ſed haud dubiè ad meliorem reductos formam ab illa licentia, quam annô 866. *Guntharius* Colonienſis Epiſcopus ad non minimam expropriationis votivæ læſionem ſuis Canonicis legitur conceſſiſſe. Verùm reſtituti ad priſtinam Apoſtoli-

ſtolicæ vitæ diſciplinam Canonici Colonienſes à *Brunone*, quàm egregiè uſque ad tempora *Philippi*, & ultrà, in priſtino fervore perſtiterint, noſtrum erit, dum de his ſermo occurret, demonſtrare. Interim ex hac adducta Rothgeri pericope ſimul eruimus, nunquam ipſum mutationem illam Sonegiæ præteriturum fuiſſe, ſi eam *Bruno* causâſſet, maximè cùm huic non multùm diſpares variationes referat, ſilet autem penitùs ſonegienſem. Cæterùm quo demum tempore jugum votivæ vitæ abjecerint Sonegienſes non ſatis compertum, nunc ſub Præpoſito triginta duo conſiſtunt præbendati ſæculares Canonici.

Sita eſt hæc Præpoſitura in ipſo oppido hujus Nominis vulgò *Solgnies* dicto, tribus milliaribus ſuprà montes Hannoniæ ad orientem, Mir. L. de Can. ſæc. colleg. c. 45. Sigebert. Gembl. Libell. de Abbat. Gemblac. apud Dacher. t. 2. f. 761. Sur. vita S. Brun. 12. oct. Foppens. nov. Coll. P. 1. c. 14. Bolland. vit. S. Landrici 16. Ap. Gall. cbr. t. 3. col. 75.

Fundat. circa an. 1407. Extinctum.

Stagni S. Petri Prioratus Windeſemenſis.

Fundatrix hujus extitit honeſta Matrona Domina de Brakel, quæ divinæ pietatis Zelò ſuccenſa locum illum ſtagnum *S. Petri* dictum cum omnibus domibus, agris, & attinentiis ſuis Capitulo Generali Windeſemenſi contribuit; oravitque, ut in eodem loco monaſterium erigeretur ordinis noſtri, quod cœptum anhum 1407. completum eſt, primo ibidem Priore conſtituto viro religioſiſſimo Joanne Kempis. Sortem diverſam expertum hoc cœnobium, præcipuè in temporalibus, multis frequenter calamitatibus jactabatur, cùm demum duo honorabiles, ac divinæ gloriæ propagandæ intenti viri Bernardus We den Enghe Trajectenſis, & Henricus Cannemon Daventrienſis ambo Canonici locum illum plurimùm diligentes tanta bona eidem, dona, & beneficia conferrent & procurarent, ut brevi poſt tempore ab omni inopia ſublevaretur, cunctiſque neceſſariis ſucceſſivè ditaretur. Fuêre ad hoc cœnobium è diverſis aliis locis acceſiti in Priores, qui illud laudabili planè vigilantia gubernarunt. Cæterùm quod referamus nihil ſuppetit; extinctum pariter fuiſſe tunc, dum eliminata ex Belgio fœderato pietas eſt, ac ſancta religio, dubitare non poſſumus. Cujus nè quidem nomen Mappæ Geographicæ memorant. Propè Bommel UrbemGeldriæ extitiſſe Chroniſta noſter ſcribit; unde eidem pariter illud adjunximus.

Chron. Wind. L. 1. c. 39. L. 2. c. 35. Chron. S. Agn. c. 24.

Fundat. ad initium ſæculi Noni. Extinctum.

Staurienſis Eccleſia olim Parecialis in Friſiæ Occidentalis Metropoli Stauriâ dictâ.

Hanc *S. Odulphus* à *Friderico* Trajectenſi Epiſcopo ad Friſones, gentem tunc ferociſſimam, & paganiſmo præfractè deditam, miſſus circà medium noni ſæculi incoluit; & populum penè indomabilem ad Chriſti paſcua felici in ea labore reduxit, utpote; quòd jam antea verâ fide imbuti defeciſſent. Stabilitò autem Divinò veri Dei cultu in dicta Eccleſia Collegium Canonicorum conſtituit, de quibus Miræus in faſtis Belgicis ex vetuſtiſſimis documentis ſcribit: *Quòd à Friderico Epiſcopo Odulphus in Friſiam miſſus Stauriæ Canonicorum in Communi pariter viventium collegium inſtauraverit.* Perſtiterunt autem in hac vivendi norma uſque ad tempora Andreæ de Kuye ex Leodienſi Præpoſito Epiſcopi Trajectenſis 25. adeóque uſque ad aliquem annum, qui inter 1127. & 1138. numeratur;

hoc

hoc enim tempore *Andreas* præfuit: tum *Canonici propter eorum demeritum* (ùt in Chronicis Trajectenſium Epiſc. legitur) *amoti ſunt*, eorúmque locô monachi S. Benedicti inducti ex Oeſtbroet monaſterio, quod ob ſtrictiſſimam Benedictinæ regulæ obſervantiam *Carcer Ordinis* appellabatur. nunc omnia ibidem hæreticorum.

Exſtitit in Urbe Stauria Chron. mag. Belg. edit. nov. p. 161, & 169. Mir. cit. &c.

S. Stephani Abbatia.

Fundat. . . . . . ſecularis. Hanc Eccleſiam dudum jam exiſtentem, ſed temporum lapſu reformationis indigam ſæculô duodecimô *Jocerannus* Epiſcopus Lingonenſis curavit. *Nam quidam Canonici* (ùt refert hujus Abbatiæ Chartularium) *Jocerannum adiêrunt, enixè poſtulantes, ut ſibi liceret regulariter vivere, quorum juſtâ petitione libenter annuens conſiliô Garnerii Abbatis & Lingonenſis Archidiaconi & Guilemcê Archidiaconi ſimul & Decani, communi etiam aſſenſu utriúſque Capituli Lingonenſis atque Divionenſis Eccleſiæ, conceſſit, ut quintèniacum ſecederent, ut ibi remoti ab omni ſæculi tumultu regularem vitam profiterentur: donec multiplicatô, ſaltem ad duodecim, numerô, ad Fratres ſuos reverterentur, Reverſi regularem ordinem in Eccleſiâ S. Stephani obſervarent, eâ conditione, ut mortuo non regulari, nullus niſi reformatus admitteretur, niſi regulam profeſſus, & ſecundùm ſcita Canonum vivere pollicitus.* Quam regulam non aliam niſi *D. Auguſtinì* expoſt fuiſſe intellectam, velut veram Canonum Clericorum votivè viventium ſynopſim, ejusdem Epiſcopi explicavêre Arcbidiaconi, illius auctoritate id ipſum ſtabilientes, ut *Canonici Divionenſes viverent ſecundùm Apoſtolicam inſtitutionem & B. Auguſtini profeſſionem.* Hac in Eccleſia *Henricus Henrici III.* Brabantiæ Ducis filius annô probationis

annô Domini 1113.

ſuæ expletô ſolennem ſuam profeſſionem emiſit an. 1269. & in Canonico inſtituto regulariter vivens piè ibidem obiit, præſidente tunc hujus Collegii Abbate *Amedeo*. Sed ùt ferunt fatales temporum vices, ſeculô decimô ſextô exeunte laxatâ prioris laudabilis converſationis formâ adeò in ſæcularium mores degenerârunt Canonici, ut ad ſeptimi decimi initium, id eſt, annô 1613. regulari votivæque vitæ remiſſô nuntiô ſæcularium omninò ſtatum Canonicorum aſſumerent, quales hodiedum perdurant.

Sita eſt hæc Abbatia in ipſa Urbe Divionenſi. Mir. Donat. Belg. L. 1. c. 127. Collect. Burgund. f. 57. & 89. Gall. Chr. t. 4. in Ep. Ling. col. 569. & 753.

S. Stephani Biſontii Abbatia. *Fundat. ſec. 4to. ſecularis.*

Cùm, ùt Burgundici Hiſtoriographi referunt, in monte Cœlio Urbis Biſuntinæ *S. Hilarius V.* Veſontinus Epiſcopus Eccleſiæ hujus exordia in honorem *S. Stephani* Protomartyris poſuiſſet, mortéque præventus perfectionem ejus ſucceſſoribus ſuis reliquiſſet, continuatam à *Panchario*, aut, ùt alii *Pancratio*, operam felici ſucceſſu demum abſolvit *Fromènius* pietatis, ac religionis, ùt eum Chiffletius nominat, abſolutiſſimum exemplar: atque *in ea* (verbis mox nominati Autboris utimur) *Regularium Canonicorum Collegium primus conſtituit, quod auctoritate Apoſtolica munire curavit, multis à Damaſo, & Siricio in eam rem obtentis privilegiis.* Itáque origo hujus Eccleſiæ coincidet, ùt Zeilerus refert, in annum 370. qui idipſum de inductis præfatô annô Canonicis Regularibus diſertis verbis enuntiat. At refugit hoc Canonicorum Regularium nomen ſæculo quarto attribuere non nemo recentiorum Scriptorum; eò, quòd opinetur, hæc à Chiffletio

vix

vix ex aliis antiquioribus monumentis, quàm Lectionibus ſæculô recentiori compilatis, & à veteri breviario hauſta, adeóque ex uſu longè poſterioris, quàm qua Forminius vixit, ætatis Canonicos Regulares nominatos. Diximus autem in Exegeſi noſtra, quo jure clericos etiam primis ſæculis votivos Canonicos regulares nominemus, non alio certè, quàm quo veros fideles Apoſtolorum tempore *Catholicos*, aut quô ſeculô quartô innoteſcentes monachos, nuncupamus *religioſos*, quod ante ſæculi quinti finem vix, ac nè vix ad hominem votivum ſignificandum fuerat ſolitum; atque haud Salvianô priorem erit aliquem, qui ad id hoc nomine uſus ſit, reperire. Nè verò Chiffletium, quòd per Canonicos Regulares Clericos votivos Eccleſiam Veſuntinam incolentes intellexerit, Sugillemus, tanquam nulli veteri documento innixus iſta ſuo marte diſſeruiſſet: exſtat apud eundem vetus Membrana hæc enarrans: *Donatus in Luxovienſi eruditus erat monaſterio, non tamen monachus* (quod univerſim ab iis obſervatum cuperemus, qui quoscúnque legunt in monaſteriis monachorum enutritos, ac imbutos, mox monachos faciunt, quod nemo eruditus admittet, cui compertum eſt, quàm vulgare fuerit parentibus, olim etiam ſummæ nobilitatis proles ſuas ad erudiendum monachis committere, quin tamen unquam monachi eſſent) *ſublimatus dein, & inter Canonicos commorans monachale ſchema indutus, ſic erat inter illos quaſi monachus unus, canonici implens officium, monachi non admittens propoſitum.* Nec minores iſte Sanctitatis æmulatores habuit Epiſcopos ſubſequos: cùm poſtmodùm vacillare Canonicorum mores in laxitatem inciperent, ſub Felice, Clavum Eccleſiæ Veſuntinæ obtinente; cujus incuriâ, vel pravô exemplô circà finem ſæculi ſeptimi factum, *ut Canonici ex piis ſacrilegi, ex Clericis demum evaſerint milites.* Felici ſucceſſit Terradius, ſicut ſedis iníque partæ, ſic morum deviorum æmulus; ſub hoc caſus memorabilis contigit, quem non recentior quidam hiſtoricus, ſed Tetradio coævus ſcriptor notavit, per Chiffletium detectus: rem is narrat ſequentibus: *Sub Tetradio,* inquit: *Fratrum miſera converſatio incorrecta duravit, usquequò Deus ſuper his dignatus eſt nunc providere, deſtinavit enim quendam juvenem Albonem nomine Chryſopolitanæ Eccleſiæ Canonicum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ converſationis ſtudium quæſivit. Tantâ enim abſtinentiâ, labore, & vigiliis corpus ſuum attrivit, ut graviſſimâ, & ferè continua ægritudine languens conventum ſequi vix poſſet; qui vitæ hujus naufragia volens evitare, ad monaſterium Luxovienſe ſe tranſtulit, ibi conſideratis religionis, & ordinis circumſtantiis, modum ſagaciter retinuit. Sed quem Deus Eccleſiæ ſua Paſtorem prævideret, ad recuperandam Eccleſiam Chryſopolitanam, & fratres ejus, qui in tam pravo ſtatu conſtituti erant, acceptâ à Priore & fratribus licentiâ, ad dictam Eccleſiam metroplitanam remeavit: Intereà Tetradius moritur, adeptus igitur Albo Pontificatûs officium Fratres alloquitur, eisque verbis benigniſſimis, quid Luxovii didicerat, indicavit, & uti more illorum Religioſorum viverent, ammonuit. Videns autem ſe nihil proficere, Abbatem Luxovienſem cenſuit conſulendum, Abbas verò ad ejus roborandam bonam voluntatem, Priorem Luxovienſem Adonum, ſuâ fultum Authoritate, eidem Archiepiſcopo dedit Adjutorem, venientes igitur ad noſtram matrem Eccleſiam præfati Epiſcopus, & Prior, Fratres ſatis aptè allocuti, nunc quidem blanditiis, nunc verò terroribus, ut ſe regulari diſciplinæ ſubmitterent, pro-*

poſuerunt illis unum de duobus eligendum, aut obediendo mandatis regulæ, Deoq; ſerviendo in monaſterio diſciplinatè viverent, aut de monaſterio exeuntes, quamcúnque viam ſibi vivendi ſumerent: Ordinatis denique Fratribus, & regulari diſciplinæ reſtitutis, Adonus Prior valedicens Epiſcopo ad propria reverſus eſt. Sic itáque qui ſæculô ſeptimô à Coævo Auctore Canonici dicuntur, alii, quàm Regulares eſſe non poterant ab Albone reformati, ſeu, ùt inquit ſcriptor *regulari diſciplinæ reſtituti* indubiè illi, quam primùm ſanctiſſimi Albonis deceſſores invexerant, *Hilarius*, *Pancratius*, & præprimis *Forminius*: ex quo in tantum ſaltem vindicamus præoccupatam Canonicorum *regularium* dictionem in Chiffletio, ut eam jure, ac meriro Clericis Veſontionenſibus dare potuerit ſeculô ſeptimô, quin & ſextô, quò magis fortè, & Canonicè & regulariter adhuc vixerint, quàm tum, ubi ſub Felice recalcitrare cæperunt. Neque mirandum, quòd ad Canonicos mores reformandos aſſumpti ſint Luxovienſes monachi; quaſi inde concludi debeat, eos omnino in monachos tranſiiſſe. Cùm narrationem perpendenti ſatis ſit (ne id aſſerat) reverſio Adonis Prioris ad propria, quod Columbanus & nè Albo quidem, admiſiſſent, ſi ex Canonicis Monachi fuiſſent effecti: hoc enim non eſt ſine exemplo exemplum illi, qui legiſſe ſe meminit ſicut Canonicos à Monachis, ſic non rarò monachos à Canonicis ad ſuum cuíque proprium inſtitutum fuiſſe reformatos. Hæc Eccleſia regularis adhuc exſtitit ſeculô undecimô, utpote cujus *Clericorum candidum cætum*, ſe vidiſſe ait *Petrus* Damiani, *nitere tanquam Chorum Angelicum*; & quos ipſe novit ſe ſe *exercere quotidiè ſub regularibus diſciplinis*. Certè vir doctiſſimus Thomaſſinus ex Petri Damiani verbis ſcribere non hæſitavit ejusmodi fuiſſe tunc Eccleſiam Veſontionenſem, qualem anteà dixerat Cathedralem Remenſem, & poſtea ſubjunxit fuiſſe Velitrenſem, Bellilocenſem, Sagienſem, Liexovienſem, Dublinenſem, Cantuarienſem, aliáſque (de quibus omnibus vita Comite nos ſuo tempore plura) omnes ſcilicet Canonicas, & regulares. Florentem autem hanc diſciplinam regularem Eccleſiæ ſæpè dictæ Biſuntinæ adſcribit Damianus *Hugoni* Epiſcopo: at ſplendorem hunc ab *Hugone* eximiè conſervatum paulò poſt ſubſecuta ætas ita obnubilavit, ut ſæculô decimô tertiô nè veſtigium in ea ampliùs appareret alicujus regularis diſciplinæ. P. 1. L. 3. C. 11. n. 10.

Chifflet. in Veſont. p. 2. f. 152. & 163. &c. Boland. ad diem 10. May vita S. Sylveſtri, & Frominii in Comment. n. 3. Mab. Ann. Ben. L. 18. n. 70. Zeilerus Burg. Topog. verb. Biſanz. p. 254. Pet. Dam. t. 3. opuſc. 39. c. 1.

Thabor Virginum Canonicarum Prioratus. Ejus Fundator ſacerdos quidam Gochenſis fuerat *Joannes Pupper*, qui, ut octo Virginibus vitam religioſam aſpirantibus provideret, prætorium Wilderenſe dictum Mechlinienſi urbi confine ad earum ſpiritualem uſum coëmit: quæ in eodem locô ſuſcepto cum regula *S. Auguſtini* Canonico habitu usque ad turbas Belgicas feliciter perdurârunt, tum monaſteriô flammis devaſtatô aliam ſibi domum annô 1567. intrà urbem comparârunt; ſed iterum ejectæ annô 1580. ſex annorum dilabente ſpatio reduces eandem domum recuperantes regularis Clauſtri formâ, ſuíſque inſtitutis aptâ ſtabiliore perfecerunt fortuna, dum in ea usque ad noſtra tempora religioſè, ac piè ſubſiſtunt. Fundat. ſec. 16. Floret.

Ex-

Exiſtit Mechliniæ in Urbe. Hiſt. Mechlin. t. 1. p. 81.

Fund.1094. Floret. Trudonis Abbatia Virginum Canonicarum. De hac Abbatia quædam dicta inveniet Lector, dum de Quercetano Cœnobio diſſeruimus; igitur, quæ ſuperſunt, hic adjicienda exiſtimavimus. Virgines illæ ſuæ originis cauſam, habent, ut in *Gummarum* Quercetanæ Eccleſiæ Præpoſitum annô 1094. Capellam *B. Mariæ* eisdem concedentem, refundant; reclamârunt quidem adverſùs hanc ceſſionem Canonici, at animos eorum ſenſim ſuiſſe emollitos annus 1110. aperuit, cùm tunc Virgines prædictas tantô benevolentiæ affectu complecterentur, ut illas in ſpiritualem ſimul, & temporalem curam ſuſciperent, ipſis Canonicis ſalvô religioſæ modeſtiæ munimine cohabitaturas. Verùm annô 1122. remanente licèt priori communione bonorum, translatæ ſunt ſacræ Virgines in Prioratum de Odeghem ſub Parochia *S. Catharinæ* juxta Brugas. Dum demum annô 1248. ſeparatio earum ab obedientia Quercetanorum & bonorum temporalium communione facta eſt, non mutato tamen Canonico ſub *S. Auguſtini* regula inſtitutô. Duodecimô poſt annô, id eſt, 1260, cœnobium monialium, fulmine tactum in cineres abiit, quo terrore perculſæ tertiam commigrationem inſtituêre, & haud procul inde abeuntes juxtà viam Cortracenſem novum exſtruxêre monaſterium. Tunc autem, cùm ſeparatio trudoniani Parthenonis facta eſt à Quercetanis, ſimul Abbatialem dignitatem obtinuit, primáque Abbatiſſa, nominata *Uſſilia*, ſpecialiter tum à nobilitate, tum ſanctimoniâ commendatur. Sed nec iſthic diù eis habitare conceſſum eſt, furente enim, circà annum 1566. & ultrà, Calviniſtarum inſaniâ, Flandriæ præcipuè ſacra loca Diabolico auſu devaſtante, & hoc cœnobium eorum crudelitati ſuccubuit, Virgines autem annô 1580. die 10. May translatæ ſunt in Urbem Brugenſem obtinentes monaſterium Fratrum Bogardorum, ſeu tertii ordinis S. Franciſci, quod ipſi ab annô 1487. inhabitaverant in loco Stael-Yſer dicto, ubi uſque hodie magna Religionis Canonicæ obſervatione exiſtunt. An autem, ùt ſcribit ex Sandero Dionyſius Sammarthanus eædem Virgines ſub Congregatione Windeſemenſi vivant, necdum ſatis edoctus ſum; id certum, Parthenonum Windeſemenſium Catalogum mihi communicatum, hoc cœnobium non referre.

Cornel. Barthol. Mantiſs. ad pondus Sanct. Foppens. P. 3. c. 71. Mir. de orig. Can. Reg. c. 33. Gall. Chriſt. t. 5. col. 281.

S. Trudonis Sarchinienſis Abbatia. *Fund. ſec. 7. Ord. Ben.* Illius hic *Trudonis* Abbatiam memoramus, quem Canonici æquè, ac monachi ſtudioſo ſibi labore vendicant, eò quòd deficientibûs antiquioribûs monumentis nuſquam detur intelligi, utrum per ſanctum ipſum regeretur primò ædificatum cœnobium, an per alium; Clerici quoque, an monachi fuerint, quos in eo conſtituerat, & quando monachi in eo eſſe cœperint, ùt loquitur Radulfus ſæculi duodecimi Scriptor, Authórque Chronici Trudoniani. Fundamenta utriúsque partis non abs re erit, ùt ſunt, modeſtâ brevitate producere, à quibus Radulfus abſtinuit. Trudonem monachum fuiſſe quemdam recentiorum ſcriptorum perſuadent ſequentia. Primò: quia in vita à Donato Diacono vetuſto ſcriptore digeſta, *ſanctæ converſationis*, & alibi, *ſanctæ religionis* habitum geſtâſſe *Trudo* dicitur, quod de

de altero niſi monacho iis temporibus tradi non ſolebat. Secundò: Quia *cellam*, *monaſterium*, *cœnobium* vocat Donatus; ad hæc Grimmo Abbas ante medium ſæculum octavum loco illi *regulariter* præfuiſſe memoratur in litteris Rotberti Hasbaniæ Comitis, quæ vox *regulariter* in actis, & conciliis eorum temporum, voci *Canonicè* opponitur. Tertiò deníque, quia nullum apparet veſtigium, factæ in illo cœnobio mutationis, quod ad noſtrum tempus ſub *S. Trudonis* appellatione, regulæ & ordini S. Benedicti addictum perſeverat. Sic ille.

At eundem ipſum ſanctum virum Clericum exſtitiſſe, & Cœnobium illud fundâſſe pro Clericis, parti aſſerenti hæc motiva ſuppetunt. Primò, quia voces illæ, quæ ad ſolum monachismum denotandum conſtrictæ videntur, adeò generales ſunt, ut parùm aut penè nihil ex iis Eruditus quiſque pro decernendo ſtatûs diſcrimine eruere poſſit; monſtravimus enim in Exegeſi noſtra, quàm labili fundamento innitantur, qui ex ſimilibus nomenclaturis (ſi alia potiora deſiderentur) ſe ſolis acceptis ſuæ probationis energiam proterre conantur. Secundò: fuit Theodoricus Abbas *S. Trudonis* (à quo hanc Donati vitam ſuô ſtylô, fideli tamen, nam ipſe inquit, nihil in *ea proprium ſuum eſſe præter verba*, exaratum habemus) deceſſor immediatus ſuprafati Radulfi, an autem hic adeò ignarus Scriptæ Theodoricianæ vitæ fuiſſe cenſendus erit? ut eô ipſô tempore, quô à contraria parte vel maximè hæ voces ad ſignificandum monachiſmum reſtrictæ aſſeruntur, easdem ipſe non intelligeret, & adhuc dubitaret, imò (ut ex iis verbis apparet: *Clerici quoq; ſive monachi fuerint, quos in eo conſtituerit, & quandò monachi in eo eſſe cæperint?*) plus Clericatui, quàm monachismo tribueret: adde, quòd de Clericatu Trudonis Radulfus non dubitet quidem, hæc enim genuina ejus confeſſio: *Dum autem noſtrum, & piiſſimæ memoriæ S. Trudonem Clericum fuiſſe, & ſacerdotem, & cœnobii noſtri primum ædificatorem vita ejus docet.* Ex quo ſanè abundè liquet, nunquam Radulfum inter monachos *Trudonem* numerâſſe. Sed quod ille in dubio habuit, de primo cœnobii Sarchinienſis inſtituto fuit: & nimis illiberalem eum ſcriptorem æſtimo, qui ſolis monachis voces illas ſuprà relatas adjudicet; quaſi non æque Clericis abſolutiſſimâ non rarò vitæ religioſæ normâ viventibus congruat *Sancta religionis habitus, ſancta converſatio, regularis vita*, & ſimilia. Sique id in mora ſit, quòd in actis & conciliis illorum temporum vox *regulariter* voci *Canonicè* ſoleret opponi, profectò id ipſum generaliter non valere, vel ipſa acta illis temporibus ſcripta demonſtrant. Ubi Donatus diſſectè enuntiat, ſæculi ſeptimi *Canonicos, ſub ſancta converſationis habitu Chriſtum nudos nudum ſequentes, & voventes ſe, ſoli Domino ſervituros Canonicè & regulariter.* Si *Canonicè & regulariter*, igitur ſaltem in ſenſu Donati hæ duæ voces ſibi non poſſunt eſſe oppoſitæ. Præterea hujus Scriptoris verba de *Trudonis* genuino Clericatu eſſe intelligenda Theodoricus nunquam dubitaverat, hinc ipſe de mutatione ſtatûs Sancti viri loquens ait: *Ingreſſus Eccleſiam Beatiſſimi Protomartyris, renuntiat Scholaſticis, manibúsque Epiſcopi ſui tonſuratus exuit Laicum* (notanda hæc verba ſunt, quæ innuunt Trudonem ex Laico, id eſt, homine ſæculari Clericum factum) *& indutus Clericatum juratus in Chriſti bella miles aſſumitur &c.* At major fortaſſe ambigendi ratio in primô inſtitutô deſignandô Trudoniani cœnobii verſatur, quam & Radulfus non

non vanè perſpexit. Dicam tamen nec inconſultè, quod ſentio, & ipſum illud cœnobium à primæva ſui origine usque ad ſæculum decimum Clericos votivos, Trudonis æquè, ac Metenſium Canonicorum, egregios in via virtutis æmulos aluiſſe. Diverſa Radulfi exſtant Litteraria documenta; Chronicon illud Trudonianum, volumen ſeptem librorum contra Simoniacos, libellus vitæ S. Lietberti Cameracenſis Epiſcopi, opuſculum de ſuſceptione puerorum in Monaſteriis cum Ep. hac de re ad Sibertum; deníque Epiſtola ad Walramum Ducem Limburgenſem & Advocatum Eccleſiæ Trudonenſis ſcripta annô 1130. refert autem Miræus Fragmentum quoddam ejusdem Radulfi deſumptum ex Chronico (ubi id tamen obſervatum velim, nec à Mabillonio eam in ſuis analectis memorari Epiſtolam, nec à Dacherio in ſuo ſpicilegio Chronicon illud referri) quod Miræus teſtatur ſe M. S. ex Abbatia S. Trudonis penes ſe habuiſſe, cùm chronicon ſuum Belgicum formaret, hæc ideò notari cupimus, nè quid allegare videamur, quod (quia Chronicon Radulfi Dacherianum, aut Mabillonii analecta non proferunt) fictitium æſtimetur. Itaque Radulfus: *Beregiſus*, inquit, *ex pago Condroſio ortus, & à parentibus intra monaſterium S. Trudonis ſub habitu Religionis, litterarum ſtudiis, & lege Divinâ imbuendus traditus, largiente Pippino Principe eidem lata prædia, monaſterium Andaïnenſe in honore S. Petri conſtruxit, in quo Clericis Ordine Canonico militantibus, ipſe Pater in eodem habitu eſt ſociatus, quod modo S. Huberti in Ardenna nuncupatur, ubi Waſô Leodienſis Epiſcopus, delato eodem à Trajecto corpore dicti S. Huberti pro Canonicis regularibus monachos inſtituit.* Beregiſus ergò in S. Trudonis monaſterio inſtitutus habitu & profeſſione Clericus exſtitit, qualem ſe deinde & in Andaginenſi exhibuit. Ex quo non eſt ultrâ, quòd fluctuemus, Clericine, an Monachi in Sarchinienſi cœnobio à ſui inſtitutione exſtiterint? cùm Rodulfus id ipſum definiat, qui tamen in Chronico Dacheriano adeò ſubtimuit, pro qua parte proferret ſententiam. Profectò in hoc ego non dubito, Chronicon M. S. à Miræo viſum, lectúmque fideliùs longè eſſe eô, quod Dacherius produxit: nam & regula Chrodegangi ab ipſo talis reperta eſt, quæ caput 31. (de quo ſupra meminimus totius ſtatûs illiûs temporis quæſtionem quàm maximè explicante) omninò amiſit. Adde quantum ex prævio indice totius operis colligi poteſt, Dacherium hoc Chronicon non à prima Abbatiæ Trudnnianæ (à qua tamen Miræus id habuit) manu ſed à Guillielmo Masnauvio accepiſſe, minoris igitur apud eruditos ponderis, atque reſpectûs, quàm illud hinc meritò infert ex allatis Radulfi verbis Miræus: *ex quibus Trudonenſis Chronographi verbis, illud effici videtur; tùm apud Sarchinienſes, tum apud Andaginenſes, ex primæva inſtitutione fuiſſe non monachos, ſed Clericos, ſeu Canonicos, ùt vocant, regulares.* Quod ante nos & Joannes Molanus vir rerum Eccleſiaſticarum, præſertim noſtratium peritiſſimus obſervavit.

Perſtitiſſe autem Canonici videntur in hoc cœnobio usque ad ſæculum penè decimum, quo furor Normannicus pleráque Belgii loca devaſtans ex ſacris domiciliis quoque religioſos exulare fecit: unde poſtmodùm reſtitutâ quiete in loca Clericorum non rarò ſubintrarunt monachi, utpote illis aut jam planè deficientibûs, nè redire poſſent, aut aliis in terris ſecuriori tranquillitate proviſis. Quod autem nullum appareat veſtigium factæ mutationis ex ſtatu

ſtatu Clericali in monachilem Sarchinienſis cœnobii, minimè convincit; nam maximum, quod veſtigium exſtat, ſunt documenta adducta, ac eruta ex ipſo undecimo ſæculo, quo tempore Radulfus floruit, præter illos notiſſimos turbines hoſtium Belgio paulò ante inflictos, & ſolùm ſufficientes, qui, ſi illud incendiis, ac aliis davaſtationibus multis in locis effecerunt, ut integrorum Collegiorum ac cœnobiorum veſtigia tollerent, quò minùs poſteris vel conjectura relicta ſit, ubi antea conſtiterant, quantò magis auferre potuerunt chartas, aliáque memoriæ ſubſidia, facili flammâ abolenda, quibùs deficientibùs mutationis talis Epocha inveſtigari non poſſit. Hæc adducere opportuit, ut brevi ratione monſtremus, cur Sarchinienſe Cœnobium, quod múltis jam ſæculis regulæ S. Benedicti ſubjectum eſt, anterioribus temporibus noſtro Apoſtolico ordini annumeremus. Regebatur autem illud Cœnobium à tempore, ut videtur, ſuæ fundatiónis à *S. Trudone* factæ usque ad Grimonem per Præpoſitos; quod ipſum magis adhuc Clericale illius inſtitutum, quàm monachile fuiſſe comprobat, utpote, quod illud non cella eſſet cuidam Abbatiæ ſubjecta, ſed monaſterium à ſui origine Metropolitanæ Metenſi, lege inviolabili, ſub honore *S. Quintini* M. & *S. Remigii* Epiſcopi ac Conf. contraditum, atque exſtructum; quod monachis ſolitum non erat, at vulgare Canonicis, præcipuè ſæculò octavò, dum monachi nitebantur non tantùm, nè monaſteria eorum noviter exſtructa ſubjicerentur Epiſcopis, ſed & ut ipſa ſubdita eximerentur. Hic Grimmo primus Abbas dicitur (in Chronico Radulfi à Miræo citato) circà annum 727. eâ dignitate donatus.

Verùm hic confuſa emergit Quæſtio Chronologica de inſtituto à *S. Trudone* Sarchinienſi cœnobio: Mabillonius enim L. 15. Annal. n. 21. ad annum 662. ait: *ad hunc annum conſignanda videtur origo cœnobii Sarchinienſis, quod Trudo nobilis Hasbanienſis - - - - - ædificavit.* Quod fieri non potuit, nam vita *S. Clodulphi* Epiſcopi Metenſis refert: Trudonem *à S. Remaclo Tungreſi Epiſcopo demandatum fuiſſe ad S. Clodulphum Metenſis urbis Pontificem, ut cuncta, quæ in illis partibus prædiorum & facultatum poſſidere videbatur, Deo & S. Stephano Protomartyri tradere feſtinaret. Dum autem B. Trudo, ad quod venerat, plenè conſecutus fuiſſet, dumq; res ſuas & facultates, & quidquid prædiorum, quorum non modica erant, poſſidere videbatur, Deo & S. Stephano & B. Clodulpho Pontifici ſub firmiſſimis teſtamentis tradidiſſet, ad ſua quàm citiſſimè feſtinat, & ut, Quæ olim mente diſpoſuerat, ſancti deſiderii pro voto ardens implere potuiſſet, omninò ſatagebat &c. quanto animi fervore monaſterium & reliqua ſervorum Dei habitacula conſtruxerit &c.* Igitur ſub *Clodulpho* jam dudum Metenſi Epiſcopo Origo Sarchinienſis cœnobii eſt locanda: at, quemadmodùm in Chronico Epiſcoporum Metenſium notatur, *Clodulfus* attigiſſe dicitur tempora Pontificatûs *Gregorii II.* qui Eccleſiam univerſalem rexit ab annô 715. ad 731. Item Imperatoris *Anaſtaſii*, qui Imperium moderabatur ab annô 713. ad 716. Itáque demus *Clodulfum* primò annô *Gregorii*, id eſt, 715. die 8. Junii obiiſſe, cùm verò inter hiſtoricos conveniat eundem Sanctum 42. aut juxtà alios 40. annis Eccleſiæ Metenſi præfuiſſe, hinc demptis quadraginta duobus remanebunt 675. quo annô *Clodulfus* ad ſummum infulam Metenſem adipiſci juxtà hanc chronologiam potuit: quodſi inſuper addas *Trudonem*, ut hujus vita teſtatur, tranſactis plurimis annis à ſæpedicto Pontifice

ad

ad partes Hasbaniæ *ob utilitatem Beatiſſimi Stephani - - - - felici jure fuiſſe deſtinatum*, eúmque monaſterium ſeu cellam ſeu Eccleſiam in ſua hæreditate conſtruxiſſe, ultrà modum videbis Sarchinienſis noſtri cœnobii originem à Mabillonio fuiſſe præoccupatum. Cæterùm ponenda tamen hujus fundati monaſterii Epocha erit inter annos ſaltem 670. & 690. cùm teſte Theodorico, *Trudo* objerit Francis dominante Theodorico, ultrà annum præfatum non ſuperſtite: hæc ad Chronotaxim in aliis quoque Trudonianis monaſteriis formandam annotare intendimus, maximè pro Quercetani mox enarrati & Echutani temporibus diſcernendis valituram.

Situm eſt Sarchinium, quod nunc vulgari titulo S. Truon vel S. Truyen nuncupatur, in Hasbania ſeptem milliaribus Gallicis occidentem versùs, Trajecto maſano diſtans. Mir. de orig. Bened. Cap. 16. idem in Chron. Belg. p. 289. & ſeq. idem Donat. Belg. L. 2. c. 5. Molani Nat. SS. Belgii. Sanderus in Flandria illuſtrata. Chron. Trud. apud Mir. L. 2. c. 1. & aliàs, Chron. Radulfi apud Dach ſpicil. in præfat. Mab. Annal Ben. L. 15. n. 21. Donatus vita S. Trudonis c. 3. 11. 12. & ſeq. Sæc. Bened. tom. 2. Sur. t. 4. ad diem 23. Nov. Boland. vita S. Clodolfi ad diem 8. Junii, Chron. Epiſc. Metens. in Clodulfo. Fiſen. hiſt. Eccl. Leod. Pa. 1. p. 66. &c.

Fund. ſec. 7. Ord. Prem.

Truncinienſis vulgò Droghene S. Mariæ Præpoſitura. Hanc antiquiſſimam Eccleſiam ante ſæculum fortè ſeptimum extitiſſe evincunt, ſi vera ſunt, quæ de *S. Baſino* Rege & Martyre referuntur, utpote Fundatore ejuſdem, ac Dotatore, quam dein *S. Amandus* Trajectenſis Epiſcopus Collegiò ſeu monaſteriò Clericorum in communi viventium decoravit annô 643. habuit hic S. Rex filiam *Aldegundem* nomine, quæ ſub directione *S. Amandi* Trunchinii vivens felicem demum ex hoc loco æternitatem adepta eſt; corpus verò ejus ibidem quieſcens annuô feſtô ad diem 20. Junii devotè colitur unà cum Patre Baſino pariter illinc tumulato, memoriâ illius ſacra die 14. Julii celebrari conſuetâ. Hoc cœnobium annô 883. à Normannis dirutum jacuit tamdiu ſub ruinis, dum Balduinus Calvus Flandriæ Comes illud priori decori, cultuíque divino reſtituit, rurſum inductis, quos furor bellicus ante diſperſerat, Canonicis fortè circà initium ſæculi decimi, cùm annô 918. objerit. Exſtat *Roberti II.* Flandriæ Comitis ſignata annô 1077. donationis Charta, in qua præter multa bona *decimarum, Bodium quoq; Ruslenſis Parochiæ novæ & veteris terræ, & juxta eandem Eccleſiam propr.am confert manſionem Fratrum ad congregandam annonam*. Poſthæc *Theodoricus* Alſatius ad inſtantiam *Ivvani* ſeu Ivani Comitis Aloſtani tanquam hujus loci ſecundi Fundatoris hunc ipſum ait *ſe S. Trinitati & perpetuæ Virgini Dei Genitrici Mariæ, nec non S. Joanni Evangeliſtæ, & omnibus Sanctis omnimodis liberum obtuliſſe in uſus Fratrum Regularium, ſecundùm regulam B. Auguſtini ibidem Deo ſervientium.* At paulò poſt annô nimirum 1139. idem *Ivanus* reformationem ibi voluit præmonſtratenſem ab iiſdem Canonicis aſſumi, ut colligi poteſt ex donatione eôdem annô à ſe & uxore ſua *Laureta ad uſum fratrum Truncinienſis Eccleſiæ Pramonſtratenſem ordinem profitentium liberè tradita &c.* in quo ordine adhuc idem cœnobium perſeverat.

Situm eſt Truncinium ſeu Drongene ad Liſiam Fluvium uno milliari Gallico diſtans Gandavô versùs occidentem. Mir. donat. Belg. c. 96.

c. 96. & cod. dipl. c. 56. Foppens. nov. coll. c. 18. Sander. L. 4. rerum Gandav. c. 6.

Fundat. ſec. 2. ſeculare.

Tullenſis S.Stephani Cathedralis. *S. Manſuetum* Trevirenſem Epiſcopum, primam tulli Leucorum Eccleſiam conſtituiſſe, in qua Evangelii Satores populum Paganum fidem Chriſti docerent, cultúmque divinum peragerent, conſtans hiſtoricorum traditio eſt. Neque ignotum, multos ex illo tempore non ſolùm Epiſcopos, ſed & Clericos Apoſtolicæ vitæ imitatores ſolertiſſimos ibidem aſſiduè perſtitiſſe: Certè quis, quantúsque *S. Aprius*, *Leobinus*, ſeu *Bodo*, *Gauſelinus*, *Gerardus*, *Bruno*, aliíque fuerint virtute ſimul, ac ſapientia incomparabiles viri, ſuo tempore declarabimus, nunc interim prolixitatem evitaturi, ſolùm notamus, hanc ipſam Tullenſem Eccleſiam inter illas cenſeri debere, quarum Canonicos Trithemius ait diverſis quidem temporibus, omnes tamen abjecta regulari vita, factos eſſe nomine, & re, & converſatione ſæculares.

Browerus Annal. Trevir. L. 2. n. 16. Penn. L. 2. c. 39. n. 12. Trithem. in hiſtor. Hirſaug. ad ſæc. 10.

Fund. 1244. Floret.

Thura ſeu B. Mariæ la Thure Virginum Canon. Abbatia. Hujus originem atque progreſſum ex Gallia Chriſtiana præeunte Philippo Braſſeur in ſuis originibus cœnobiorum Hannoniæ brevi enarratione diſcimus: fundatam nempè fuiſſe à *Nicolao* de Barbenſon Solræ Dynaſta annô 1244. ad Sabim fluvium, ibidémque duodecim annis perſtitiſſe, Fundationem confirmavit *Guido* Epiſcopus Cameracenſis laudato annô die *S. Bartholomæi*. Demùm annô 1256. translata ad pagum Solrenſem, uſque hodie feliciter floret. Prima Veſtalium Colonia è Primiaco accita eſt, juſſáque in Præſidem Agnes annô 1244. hanc ſubſecuta in regimen Johanna Fundatoris filia, quæ præfuit ad annum 1271. Reliqua hujus Parthenonis deſiderantur.

Gall. Chriſt. t. 3. col. 16. 17.

Fund. ſec. 9 Exſtinctum.

Tyelenſe S. Walburgis Præpoſitura. Vetuſta ſatis, cujus originem ad ſæculum nonum referri invenimus apud Chroniſtam Belgicum, qui ait, Theodorici primi Comitis Hollandiæ Avunculum *Hagononem* Trojanum dictum, *Tranſactis temporibus apud Tyelam Eccleſiam conſtruxiſſe, in qua Sanctimoniales longo tempore ſervitio Divino mancipatæ ſunt: poſtea autem Eccleſia deſtructa & iterum reformata ſemotis ſanctimonialibus Canonici Regulares inſtituti ſunt, qui usq; ad tempus Adelboldi decimi noni Epiſcopi Trajectenſis, humiliter Deo ſervierunt.* Non multùm diſcrepat ab hac relatione Wilhelmus Heda, ſequentia ediſſerens: *Eccleſiam*, inquit: *D. Walburgis in Tiela Trajectenſi à Danis & Piratis paulò ante deſtructam reſtauravit, & perfecit Adelboldus, deputans in illa Collegium Canonicorum, ubi dudum Walgerus Princeps & Comes Frater Theodorici, uti volunt, primi Comitis Hollandiæ templum ſtruxerat, & Virgines ſacras, quas Sanctimoniales vocant, pro obſequio divino inſtituerat, quod poſtea collapſum & dirutum ſemotis Virginibus reparatum fuit, & viri religioſi ſub profeſſione S. Auguſtini vel S. Iſidori (quos Canonicos regulares appellant) in illarum locum ſubrogati, qui Deo ſerviendo piè vivebant usq; ad tempora Adelboldi. Hic tertiò tunc locô deſolatô, & per eum inſtaurato, diſſoluta priorum diſciplina Canonicos præfecit ſæculares*, quod juxtà Joannem Beckam factum eſt an. 1015. Verùm hallucinatur Heda in eo, quòd fundationem adſcribat hujus cœnobii Walgero ſeu Waltgero, quod Chroniſta Belgi-

cus

cus attribuit Hagononi, cui certè non ſolùm ùt ſcriptori vetuſtiori, ſed & accuratiori fides firmior adhibenda eſt.

Originis hujus cœnobii annum non licet definire, quamvis certum, id Hagononis tempore contigiſſe, quem an. 863. adhuc fuiſſe ſuperſtitem idem Chroniſta obſervat, dum ait: *eòdem annò ad inſtantiam Comitis Hagononis tradidiſſe Carolum Calvum Theodorico fratri Walgeri Eccleſiam Egmandenſem &c.* non tamen obvium eſt, cujus inſtituti virgines illæ primitùs in hoc cœnobium inductæ fuerint; neque indubitatè aſſeri poteſt, quo tempore illis ſemotis Canonici Regulares conſtituti. Nunc ipſa Eccleſia Heterodoxis eſt ſubjecta. Situabatur in ipſa Urbe Tyela ad ſeptentrionale littus Vahalis in Batavia Provinciæ Geldriæ. Chron. Mag. Belg. edit. novæ t. 3. pag. 69. & 70. Heda in Catal. Epiſc. Ultraject. in S. Willibrordo.

Fund. ... Vallis Cellæ ſeu Vall-Cellenſe. Præpoſituram an Abbatiam hoc Monaſterium dicam, non ſatis aſſequor, notitiam illius ſuppeditavit Papebrochius, dum mox infrà citandus ſcripſit: ſe ſe *egregium membraneum, & antiquum paſſionarium redemiſſe, ne penitùs periret cum aliis quatuor ejuſdem molis, argumentique voluminibus &c. in monaſterio Valcellenſi Cameracenſis Canonicorum Regularium.* Ex quibus verbis viri doctiſſimi diſcere oportuit, monaſterium iſtud adhuc florere; quod ſi ita, religioni duxiſſemus, illius non meminiſſe. Quamvis quædam ſint, quæ hujus nobis exiſtentiam ambiguam reddant, nam ſiquidem Abbatia ſit, de ea Sammarthani altè ſilent, neque in Gramay Cameracenſibus Antiquit: Libro primo quidquam de hoc cœnobio eſt reperire: & fortaſſe amanuenſi Papebrochii obtingere potuit, ut Canonicos Regulares, Ciſtercienſium locò ſcriberet, quorum monaſterium *Vallcellenſe* dictum, ſecundo milliari ab Urbe Cameraco diſſitum novimus. Quidquid horum ſit, nos illud omittere Papebroohii Authoritate freti noluimus, donec contraria doceamur.

Acta SS. ad diem 25. Junii in vita S. Perinnæ Virg. Gall. Chr. t. 3. col. 175.

Vallis Angelorum in Leyderdorp Prioratus Windeſem. *Fund. an. 1400. Extinctum.* Fundavit hunc Prioratum de licentia *Friderici* Epiſcopi Trajectenſis vir diſcretus *Petrus* van den Poel annò 1400. petiitque in eo conſtitui Canonicos Congregationis Windeſemenſis. Ambigimus tamen, fuerintne primi in hoc loco convivientes ex aliquo (ùt aliàs ſolitum erat) hujus Capituli Prioratu collecti? cauſam ambigendi ſuggerit, relaxata & Windeſemenſibus adeò inconveniens converſatio eorum, ut potiùs credamus, eoſdem aliunde illuc fuiſſe vocatos, etenim, ùt refert Buſchius, cùm ad eum locum regendum non multò poſt inſtitutum monaſterium *Wilhelmus* Vornken ex cœnobio poſtularetur, hic vir Zeloſiſſimus non omninò per annum Prior exiſtens cùm moribus ſuis adverſari cerneret vitam ſibi ſubditorum, neque ſuis ſe adverteret admonitionibus proficere, cedens honori pariter, ac oneri in Windeſem rediit, hac de re ſic Chroniſta noſter: *Cùm, inquit, Hollandinos ibidem cerneret delicatè velle vivere, & ſuo Zelo ac fervori, inſtitutionique Windeſemenſi nondum poſſe congruere; nè ad Carnis deſideria, quæ Chriſti amore contempſerat, rurſus prolaberetur, cùm Prior penè per annum ibidem tunc extiterat, convocato Conventu, valedicens fratribus ait. O mei fratres chariſſimi, jam dudum ipſe conſpexi deſideria, & mores veſtros, vobis & inſti-*

inſtitutioni meæ non poſſe convenire, cùm viam Domini rectiſſimam, & ſanctæ religionis ſemitam nimis delicati tentatis incedere, qui arctam pœnitentiæ vitam in religione conſervare, nec Carni aut ſanguini, ſed Deo & ſpiritui ſervire promiſiſtis. Nunc ergò Prioratûs officium computatione factâ reſigno, cappâque reſumpta in nidulo meo moriturus in Windeſem revertor. Dominus ſit vobiscum, à malo vos conſervans, & ad cuncta bona perducens. Hæc ex Buſchio Willhelmus, videtur tamen hæc Willhelmi reſignatio in tantum corda Canonicorum Leyderdorpenſium abberrantia conjunxiſſe, ut, cùm quibusdam annis interjectis, iidem alium fratrem ex Windeſem Priorem aſſequerentur *Joannem* ſcilicèt Broechuſen virum non minùs Zeloſum, atque robuſtum, ùt eum Chroniſta nominat, dictum de Zuzato, huic tanta alacritate ſe ſe ſubmitterent ad omnimodam reformationem, ut in ſummo rigore, & bona diſciplina conſervarentur. Verùm ùt fert quorumdam nimis delicatè aſſuetorum conditio, & hunc ipſum Joannem legimus ob delicatos Hollandinorum mores, de licentia capituli ab officio fuiſſe abſolutum. Quamdiu autem ſub regulari inſtituto hoc monaſterium permanſerit, haud divinare licet, certè tempore Joannis Probi Canonici Bodecenſis, hoc eſt, poſt medium ſæculum decimum quintum adhuc inter relata ab ipſo monaſteria Windeſemenſia ejusdem fit memoria, hinc auguramur non minùs illud ſub Clade Hæretica, per totum Belgium ſe diffundente, deſiiſſe.

Exſtitit illud in oppido Leyderdorp, quod diſtat Lugduno Batavorum uno & medio milliari Hollandieo ad dexteram vide mappam Blavienſem Rhenolandiæ &c. Chron. Wind. L. 1. c. 39. & L. 2. c. 48.

Fund. forte ad finem Vallis pacis S. Joannis Bapt Prioratus Windeſemenſis. *ſeculi 14. Exſtinctum.* Fundavit hoc Vallis pacis cœnobium primùm pro fratribus tertiæ regulæ *S. Franciſci Wermeboldus* de Buſchoep, eùmque per novendecim annos ſub hac forma vivendi perſtitiſſent, mutatâ ordinis ſpecie à Priore Windeſemenſi Joanne Vos habitu Canonico fuêre veſtiti. Hoc monaſterium pariter communi religioſorum in Belgio fœderato, naufragiô, procellis Calvinianis eoortis diſperiit.

Exſtitit hic Prioratus uno milliari Gallico ſuprà Trajectum ad occidentem. Chron. Windeſ. c. 39.

Vallis S. Mariæ. Prioratus Virginum Windeſemenſ. *Fund. . . . .*

De hoc Miræus ſequentia: *Vallis B. Mariæ propè Aldenardam - - - - Prioratus Capituli Windeſemenſis*: alia incomperta.

Miræus L. de Orig. Can. Reg. cap. 55.

Virdunenſis Cathedralis S. Mariæ ſacra. *Fund ſec. ado ſæcul.* Hujus initia ad Apoſtolorum penè tempora referenda docent, quæ nobis ex antiquioribus Scriptis ſuppetunt, relationes; nam *Sanctinum* Divi *Dionyſii* diſcipulum, & ab eo deinde Epiſcopum ordinatum, in partes Germaniæ ablegatum fuiſſe conſtans eſt veterum hiſtoricorum traditio, qui inde Meldenſibus, ac Virdunenſibus ſummô Zelô fideíque implantandæ emolumentô Evangelium prædicavit. An *Sanctinus* hanc *B. Mariæ* Eccleſiam Virduni primus exſtruxerit, an jam perfectam anteà inhabitare cæperit, augurari non poſſumus. Certè ab hujus Beati Epiſcopi adventu in hunc locum primam hiſtorici Eccleſiæ iſtius memoriam ſtatuunt, qui fortè pariter primus ſedem in illa ſtabilem Epiſcopalis muneris fixerit, Comitem ſui Evangelici laboris habuiſſe dicitur, *Antonium* Pres-

Presbiterum: neque tamen compertum, an jam ab ipſis adjuncta huic Eccleſiæ fuerit communitas conſueta Clericorum, quod quidem non abſolutè aſſerere, ſuſpicari tamen meritò ad ſimilitudinem aliarum, tunc per Apoſtolos, eorúmque diſcipulos inſtructarum Eccleſiarum, poſſumus. Tempore *Agerici* decimi hujus Eccleſiæ Epiſcopi ſæculô ſextô; fuiſſe ſolitam clericorum congregationem jam adunatam Virduni, arguit ejusdem S. Epiſcopi donatio, quâ *Fratribus* hujus Eccleſiæ contuliſſe dicitur, *quod ad Arcus & ad Mantuam habent.* Sed apertam hujus rei lucem ejusdem paulò poſt ſucceſſor *Paulus* Epiſcopus decimus tertius confert, de quo in ejus vita legitur, quod in *Cathedrali Eccleſiâ ipſe Canonicos Canonicè vivere inſtituit.* Quæ verba non ſic accipienda videntur, quaſi antea votivi Clerici, aut nulli fuiſſent, aut defeciſſent, ſed quòd bellorum illis temporibus plerúmque graſſantium injuriâ diſciplina utcúnque labefactatâ per *Paulum* iterum ſie reſtituta, tantâ quidem firmitate, ut non niſi ſæculô Nonô nova rursùs reformatione egerent Canonici Virdunenſes, quam etiam magno anniſu executus eſt *Berhardus* trigeſimus Epiſcopus, prout de eo vivus teſtis atque coævus Bertharius refert dicens: quod hic ipſe *Canonicos ſuôs Canonicè vivere fecit.* Huic poſt *Dodonem*, & *Barnoinum* factus eſt ſucceſſor *Berengarius*, ideo memorandus, quòd ſub eo Canonicus non contemnendæ vixerit Sanctitatis (cujus nomen à monacho hanc hiſtoriam referente utinam expreſſum fuiſſet) qui, dum aliquando in Eccleſia, de qua loquimur, proſtratus ſolo *B. Mariæ* memoriam celebraret, inſequens tunc in eandem Eccleſiam Epiſcopus, videnſque ipſum Clericum devotioni hoc modô immorantem pede percuſſit, ut ſurgeret; non tamen iſtud impunè, nam; cùm vir ille patienter hanc injuriam tuliſſet, ſequenti nocte lectulo jacentis Epiſcopi, & necdum dormientis viſa eſt adſtare cum *Thecla* Virgo *Maria*: quæ, percute, inquit, iſtius pedem Thecla, & Clerici mei injuriæ ultrix exiſte, fecit illa, ut mandatum eſt, & exinde ad reliquos vitæ dies pes illius exaruit. Sed nè nimii in hujus Eccleſiæ, Epiſcoporúmque factis enarratione ſimus, omiſsis iis, quæ ſub *Hattone* atque *Berthaldo* Epiſcopis tum per incendia, tum per Bellicos Nortmannorum incurſus, tum alia infortuina ſuſtinuit, Solùm advertenda ſub *Theodorico* ſæculô undecimô præſidente, quo tempore *Godefridus* Gibboſus circà annum 1050. cum Balduino Comite Flandrorum urbem Virdunenſem invaſerat, totâ ſtrage illatâ ipſi Eccleſiæ, cauſatâ ingenti cum diſpendiô; ut multis civibus ac Clericis in fugam diſperſis viginti quatuor Canonici ob concrematam Eccleſiam tunc in Hungariam præ inopia profectis nec unquam ampliùs reverſi memorentur. Sed pœnitentiam poſtmodum inſignem agente de hac injuriâ Eccleſiæ Virdunenſi illatâ *Godefrido*; *Ermenfridus* ejuſdem Canonicus, ac Archidiaconus, Vir per omnia laudatiſſimus non ſolùm famâ ſuæ religioſæ converſationis iterum multos Clericorum ad urbem ipſam, & ad Eccleſiam *S. Mariæ Magdalenæ* à ſe fundatam, & in uſus Deo ſervientium pro poſſe ditatam reduxit; ſed etiam Cathedralem Eccleſiam novâ Canonicorum Coloniâ reparavit, per quorum induſtriam, ut refert hiſtoriæ Epiſcoporum Virdunenſium continuator, utráque Eccleſia in omni augmento rerum, & religionis effloruit. Sed neque hæc tam optata reſtauratio diù tenuit; cùm paulò inde continuis eadem Eccleſia malis quaſſata per

multos annos gemere coacta ſit ſub jugo aſſiduè pene ſe ſe inſequentium adverſitatum, ut hinc non facilè augurari liceat, quâ diſciplinæ normâ ad tempora usque *S. Alberonis* Canonici Virdunenſis Eccleſiæ convixerint: illud tamen vix diffiteri quis poterit (ùt aliàs his temporibus in pluribus Eccleſiis nobilioribus & ubi regula *S. Auguſtini* recepta non legitur) ſaltem viguiſſe Aquisgranenſem. Sed nos hic filum abrumpimus nihil de viris præclariſſimis in hac Eccleſia usque ad ſæculum 12. vigentibus dicentes: quales erant non ſolùm Epiſcopi ipſi, ſed complures quoque Canonici pro fide Catholica, nec non Apoſtolicæ ſedis authoritate ad agonem usque generosè certantes.

Chron. Mag. Belg. in div. loc. ſpicil. Dacherii hiſt. Brev. Ep. Vird. t. 2. Boll. acta SS. in vita S. Pauli Ep. Vird. 8. Febr.

Fund. 1343. *Floret.* Viridis Vallis S. Joannis Bapt. Prioratus Windeſemenſis. Habebat *Joannes III.* Brabantiæ Dux domum quandam in Sonyæ Sylva in loco dicto Groenendael, id eſt, Viridis Vallis, plus fortaſsè virtutem, piàque merita operaturo congruam, quàm temporali obſequio; hanc ſibi magnâ devotionis inſtantiâ largiendam expetebat *Joannes* de Buſcho inibi Eremiticam vitam traducturus: aſſenſit juſtiſſimæ petitioni Princeps, ita quidem, ut ſi eum alibi transferri, vel mori contingat, ex tunc impoſterum alter Religioſus ad ſerviendum ibi Deo perpetuis temporibùs moretur, collata in ſuæ conceſſionis robur Donationis Charta die Veneris poſt Aſſumptionem Virginis Mariæ annô 1304. quanto tempore hic *Joannes* locum præfatum incoluerit, ignoramus, at de annô 1343. ejusdem Ducis extat diploma novæ collectionis, à quo meritò hujus Prioratûs ſumere licebit exordia. Tunc enim *Franco* Canonicus minor Eccleſiæ *S. Gudulæ* de Frigido monte contuens frequentiùs piiſſimam vivendi rationem Joannis Hinkaërtii ejusdem Eccleſiæ Canonici majoris ipſi primùm ſe familiari agendi conſuetudine aſſocians, demum vitæ ſanctioris & omnium terrenorum amittendorum deſiderium aperiens mox ejusdem Joannis animum deflexit ad unà ſecum ſuſcipiendam perfectiorem vitam in ordine regularium Canonicorum: hinc ambo omnem moram rumpentes, ut vocanti Deo eò obſequerentur ferventiùs, quò celeriùs; ad *S. Genofevæ* Priorem Pariſiis ſe conferunt Petrum de ſalicibus nuncupatum, ab eóque vitæ regularis normam accuratè ediſcunt. Paulò poſt redeuntes eidem Joanni Brabantiæ Duci ſupplices occurrunt, ut ſibi præfatum locum aliundè jam à ſe ante triginta novem annos cultui Divino deputatum ſolitâ benignitate contribuat: nec defuit pio annutu religioſorum hominum amantiſſimus Princeps, litteras mox in confirmationem ſuæ donationis conficiens: *Quibûs dilecto ſibi in Chriſto Domino Franconi de Frigido monte Presbytero locum dictum Grænendaël olim per Deceſſores ſuos jam pro quadam eremo Conſtruenda ibidem traditum & conceſſum in nemore de Zonia, in Parochia de Hoëlaërt cum magno vivario ibidem adjacente*: tali conditione tribuit: *Quòd idem locus cum clauſura & pertinentiis ſuis ſit & maneat in futurum habitatio quinque virorum religioſorum ad minùs, divina officia ibidem ad laudem, & gloriam, & honorem omnipotentis Dei & glorioſæ Virginis Mariæ ejusdem Genitricis, omniúmque Sanctorum, & electorum ſuorum celebrantium & exercentium. De quibus duo ad minus eſſe teneantur Presbyteri, viventes religiosè. Datum Bruxellis feriâ quartâ in feſtis Paſchalibus, anno domini mil-*

milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio. Suberat hic locus ſpirituali jurisdictioni Epiſcopatûs Cameracenſis, cui tunc *Petrus Andrea* præerat. Locô itáque viri hi ſancti, ſolidáque regularis vitæ informatione muniti Epiſcopum adeunt, & vota ſua depromunt, à quo tam benignè fuêre ſuſcepti, ut eos ipſe propriâ manu ſuâ Canonicorum *S. Auguſtini* habitu inveſtire ſit dignatus, *Franconem* hujus loci, ſibíque aſſociatorum virorum Præpoſitum conſtituens. Recens Author hiſtoriæ Mechlinienſis *Joannem Franconis* ſodalem *Hincartium* nominat, ſociúmque iis in ſuſcipiendo ſacro habitu an. 1349. die 10. Mart. *Joannem Rusbroquium* annumerat; quod eſſe nequit, *Joannes* enim Sexagenarius Viridem Vallem eſt ingreſſus, octaginta & octo annis vivens annô 1381. mortem oppetiit; ergò in eodem monaſterio viginti octo annis moratus eſt, quos ſi ab octoginta & uno annorum Chriſti ſupputes, remanebit annus 1353. quo *Joannes* inſtitutum Canonicorum in viridi valle ſuſcepit, adeóque quinque annis, poſtquam primò Canonicum ibidem inſtitutum à præfatis viris ſuſceptum eſt; unde & Bucellinum in ſuæ Monaſteriologiæ parte 3. juvabit corrigere, ubi idipſum aſſerit; Joannem ſcilicet cum Francone & Hinkaërtio à Petro Epiſcopo indutum, & ſequenti die in Priorem fuiſſe declaratum. Quodſi enim id factum eſſet, vitæ Rusbroquii author indubiè obſervaſſet: dum C. 6. illius aditum his verbis ſolùm deſcribit dicens: *Verùm poſteaquam ad ſexageſimum uſque ætatis annum in ſæculo vixerat - - - - - tametſi jam pridem perfectionis culmen apprehendiſſet - - - - - attamen cum quibusdam ſodalibus ſuis ad Viridem vallem ſe ſe contulit eâ mente, eóque conſilio, ut inibi quietiùs & ſecuriùs Divinæ contemplationi totum ſe traderet.* Quæ verba ſupponunt ſanè, Viridem Vallem jam fuiſſe in ſtatu ſuo firmatum, ad quam quietem ſuam obtenturus convolavit. Fuit tamen hic celeberrimus vir inter primas divini hujus inſtituti plantulas, tanquam cedrus quædam cœleſtis libani, inſigniter exaltatus contemplationis internæ ſublimitate, & radicatus in imo virtutum, profundiſſima nempè humilitate. Homo enim litterarum penè rudis (qui non niſi quatuor annis in iis addiſcendis exegerat) tantâ ſapientiæ abundantiâ libros de divinis rebus conſcripſit, etiam theologis admirandos, ut eum Dionyſius Chartuſianus *virum mirabilem* dixerit, atque *divinitùs unctum, & mirificè eruditum*. *Gerardus* Magnus ille Belgii Doctor & Apoſtolus *vocem ejus tanquam ſpiritûs Sancti fiſtulam reſonantem audire* geſtiens ad videndam, Sancti, ac devotiſſimi Patris præſentiam corporalem per longinqui itineris ſpatium ex Hollandiæ finibus in Brabantiam transmigrârit. Author denique Chronici Belgici *devotum, illuminatum, Venerabilem, & ſanctum virum appellet*. Nec refert hujus pientiſſimi viri ſcripta aliquantò acriùs à *Joanne* Gerſone eorundem temporum ſcriptore eximio traduci, & Ventilari; nam prout Editor operum Venerabilis Rusbrochii ingenuè advertit, nunquam forſan Gerſonius Calamum ſuum in divinas Rusbrochii Lectiones tam ſeverè ſtrinxiſſet, niſi aut corruptô aliquô exemplari fuiſſet deceptus, vel humanum quidpiam paſſus, præcipiti judiciô celeriùs tuliſſet ſententiam, quàm aut vitam, moréſque, aut omnia opera illius, hæcque ſedatô ſatis animô, penetraſſet. Primus etiam hujus novelli cœnobii Joannes noſter conſtitutus eſt Prior. Qua ratione autem hic in mox citato Chronico Belgico *Origo & occaſio novorum Regularium fuiſſe* dicitur, *qui ſub*

Capi-

Capitulo de Wyndechem militaverant, cùm ex Chronico Windeſemenſi conſtet ipſum cœnobium ante annum 1386. necdum exſtitiſſe, quo tempore jam diù fuerat, quòd Joannes noſter ad ſuperos abierit, colligere ex Epiſtola *Joannis* de Sconovia licebit (utpote qui ſub Rusbrockio noſtro primam vitæ religioſæ inſtitutionem accepit) adeóque coævi ſic ſcribentis: *Erat ſacerdos, ùt ſpero, Deo acceptiſſimus, primus Prior, & fundator cujusdam monaſterii Canonicorum Regularium in Brabantia appellati Vallis Viridis &c.* Ignorare Joannes de ſcanovia non potuit, *Franconem* primum fuiſſe, cui Dux Brabantiæ Viridem Vallem in domum ceſſerat, quemque cum altero *Joanne Petrus* Epiſcopus Canonicum Regularem habitûs collatione creaverat, unde & Franconem indefinitè primum loci Fundatorem honorat. Neque tamen (hanc prærogativam Rusbrokio attribuens) aberravit Joannes, neque qui Author eſt Belgici Chronici: quod enim ipſi de prima ordinis inductione per *Franconem* facta edixerant, hoc iſti annuntiârunt de perfecta inſtauratione: Sub *Francone* enim vigore diplomatis à Duce *Joanne* conceſſi, ut ad minùs quinque virorum religioſorum maneat habitatio, locus iſte vix cellæ nomen condignè attigit, dum ſub *Joanne*, & ejus operâ vera meruit effici Prælatura: ejus, inquam, operâ, nam, ut nil dicam, nullam usque ad tempus *Joannis* memoriam plurium religioſorum, quàm in diplomate ſignantur, & fortè tum, nè horum quidem, exſtare, de illo certè auctor vitæ ſignatè ediſſerit, quòd ipſe cum quibusdam ſodalibus ſuis ad viridem vallem ſe ſe contulit: unde facilè concludi poteſt, per hunc adauctam ſodalium religioſorum diſciplinam regularem, primùm debito ſuo in vigore fuiſſe ſtabilitam, Unde *Thomas* Kempenſis in *S. Agnetis* Chronico ait, *Joannem* Sexagenarium Religionis habitum ſumpſiſſe, ut non ſimultate temporis, ſed ſocietatis inter primos meritò & ipſe computandus ſit, & prædicto modo æſtimandus Fundator. Eodem Joannis tempore alter Joannes in præfato monaſterio ſub humili coqui ſchemate eximiæ Sanctitatis laudem adeptus eſt, aliàs dictus *de Leevvis*, quem plura Martyrologia ad diem quintum Februarii tanquàm Sanctorum memoriâ, cultúque dignum proponunt; obitus tamen ejus non hac die obtigit, ſed 22. Jan. de quo etiam Buſchius in Chronico ſuo ait, eum in omni ſua occupatione altioris dictum fuiſſe contemplationis, quam ipſum Rusbrokium Priorem ſuum: *Prout*, inquit, *libri Teutonicales ab ipſo editi legentibus manifeſtant.* Ut adeò de his duobus religioſiſſimis viris certiſſimè comprobetur, quòd *cum ſimplicibus ſit ſermocinatio ejus*; & illud *S. Leonis*: *ô quam velox eſt ſermo ſapientia, & ubi Deus Magiſter eſt, quàm citò diſcitur, quod docetur.* Jungamus his duobus viris, tertium æquivocum, & fortaſſe ſanctitate vitæ non multò inferiorem, ut in iſta Joannæa triade divinorum donorum non inanem gratiam hoc nomine ſignatam tam mirè operatricem pleniùs contemplemur. Eſt is idem, quem mox meminimus Joannes de ſconovia, qui de præfatis ambobus religioſiſſimis viris tractatum ſpecialem compoſuiſſe dicitur: fuit hic, ut diximus, Rusbrochii Diſcipulus, atque Novitius, primúsque Auctor, ut ſe viridis Vallis cœnobium an. 1413. Windeſemenſi addiceret Congregationi cum aliis non paucis, quæ Buſchius articulatim enumerat, aitque hunc Joannem pro eorum omnium unione capitulari, & amica compoſitione tunc Viridis Vallis

Opera Gerſon. t. 1. ubi binæ Epiſtolæ Joannis de Sconovia ad Gerſonem exſtans in apologia operum Gerſon.

Vallis ſubpriorem ſolennem feciſſe in latino collationem in omnium audientia ſub themate: *Et fiet unum ovile, & unus Paſtor. Hic eſt ille Frater Joannes*, inquit citatus Buſchius: *Qui Simoni Nepoti ſuo in Eymſtein duas ſcripſit Epiſtolas, certos paſſus veteris teſtamenti pro novitiorum informatione pulchrè moralizans, ſalubria vitiorum, & tentationum antidota, virtutúmque exercitia in ipſis declarando. Hujus Patris de Sconovia, & etiam Nepotis ſui Simonis diſertos in generali Capitulo frequenter audivimus Sermones, quia ambo docti erant viri, & bene ſpirituales.* Nec interea defuêre alii in hoc præſtantiſſimo cœnobio viri virtuoſi, ac litterati, ut inde meritò *Viridem Vallem* tam egregiorum virorum floribüs vernantem, nuncupaveris. Exſtitit inibi, cùm adhuc præpoſituræ titulô gauderet, *Henricus Zelle* doctrinâ, & virtute, eximius, ſub quo unio Windeſemenſis facta, noménque Præpoſiti in Priorem mutatum eſt: huic ſucceſſêre Magiſter *Henricus ex Pomerio*, qui nonnulla ingenii monumenta poſteris reliquit: *Henricus Mortenbek* vir devotionis incomparabilis, & patientiæ penè inauditæ, cùm eum divina pietas aliquot, ante ſuum obitum, annis pœna cœcitatis viſitaſſet. *Jacobus Dynter*, in quo ſtudium decoris domûs Dei, ſenile conſilium morum, gravitas & animi candor, ſpecioſiſſimum boni regentis ornatum confecêre. Ut alios ſubſequos plurimos hujus loci Præſules, ingeniô, virtute, regendi prudentiâ, cæteriſque præeminentiis comendabiles prætereamus.

Floret hic eximius Prioratus adhuc noſtris temporibûs, nec ei deſunt ſufficientiſſimi meritorum theſauri, ob quos & hâc, & futurâ ætate ſemper condignis encomiis honoretur.

Exiſtit autem Viridis Vallis in ſylva ſonga ad fauces Yſche amnis unô milliari Germanicô infrà Bruxellam. Mir. Not. Eccl. Belg. c. 210. & 214. Bucel. Monaſteriologiæ part. 3. Chron. Belg. Bollan. ad diem 5. Febr. Buſch. Chron. Windeſ. c. 40. Thom. Kemp. Chron. S. Agn. Cap. 2. de rebus, quæ domum S. Agn. non concernunt. vita Ven. Joan. Ruſb. præfixa operibus ejus editore Laurentio Surio Chartus. edit. Colon. an. 1692. Cap. 6. & 16. hiſt. Mechlin. tom. 2. pag. 79.

Fund. - - - Exſtinctum.

S. Viti Prioratus Windeſemenſis. Cujus ſolam memoriam nobis ſæpè jam in cœnobiis Windeſemenſibus laudati Catalogi monaſteriorum hujus celeberrimæ congregationis reliquerunt. Hunc tamen æquè, ac alios in Hollandia Prioratus periiſſe indubium eſt.

Exſtitit propè Nardam Urbem in Hollandia. Authores ſæpè citati in ſuis Catalogis.

Fund 1415 Floret.

Urſulæ. Virginum Canonicarum Prioratus. Quem Eliſabetha de Weſel vidua Henrici de Duysborch civis Lovanienſis fundavit, Domos, ac hortos ſuos anno 1415. ad uſum exſtruendi Parthenonis legans conſenſum huic ſtructuræ ipſe Summus Pontifex *Martinus V.* annô 1420. attribuit, cujus tamen, uti & pleraſque Prioratuum Virginalium in Belgio Chartas fundationum atque privilegiorum deſideramus. Refertur autem, primitùs has Virgines ſolùm in communi vixiſſe, usque dum annô 1515. ſub Priore Betlehemitico *Petro Impens* regulam, ac inſtitutum Canonicum *S. Auguſtini* ſunt profeſſæ.

Exiſtit Lovanii in urbe. Hiſt. Mechl. t. 1. pag. 172.

Fund. fact circ. 7mo Pat. Oratorii.

S. Vulmari ſeu Wlmari in nemore Abb. In Picardia ſita. Civitas Bolonienſis duas in par-

partes ſeu oppida dividitur, ſuperius, & inferius: illud præter munitum caſtrum, & Cathedralem Eccleſiam (de qua ſuperiùs egimus) nec non & alia diverſa hodiedum exiſtentia templa atque monaſteria Abbatiam habuit S. Vulmari, non exiguam illam, ſed antiquitate æquè, ac rerum memoriâ venerandam, quam eundem ſanctum primitùs exſtruxiſſe vitæ ejus Author commemorat his verbis: *At ille ---- ad pagum Bolonienſem, in quo natus fuerat, ſe clam ſubtraxit: ingreſſus autem ſylvam, quæ uno tantum milliari ab ejus diſtabat patria, & jure hæreditario ad ipſum ſpectabat, cæpit in SS. Dei Genitricis Mariæ, & Beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem ædificare Eccleſiam, quò cùm illum inviſendi gratiâ complures utriùsque ſexûs convolarent homines, verbo Dei eos reficiebat, & ſub regulari habitu regebat &c.* Vixit verò S. Wlmarus circa annum 680. in eodem monaſterio conditus; in quod, quo tempore Clerici inducti ſint, & an jam à *S. Vulmaro*, quos ſub regulari habitu regebat? definire non poſſumus. Subſtitit hæc Abbatia, quæ etiamnum *S. Vulmari* in nemore, aut in ſylviaco nuncupatur, usque ad tempora Henrici octavi, noti illius Anglicani Attilæ, quæque monaſteria ſibi occurrentia devaſtantis. Hujus Tyrannis hanc quoque Abbatiam cum religioſis incolis ſuppreſſit 1544. cùm jam aliquot ante ſæcula eandem ſortem per Normannos experta fuiſſet: ſed tum pietate ac munificentiâ *B. Idæ* Viduæ & Comitiſſæ Boloniæ in formam meliorem ſurrexit. Quamvis certiore propè fide quidam narrent, hanc de qua agimus, Eccleſiam à *S. Ida* intra muros urbis Boloniæ fuiſſe de novo fundatam, atque conſtructam, & Abbatiâ Canonicorum inſignitam, aliam verò ab illa, quam *S. Vulmarus* in ſylviaco erexerat ab hac ipſa Beata Comitiſſa tunc pariter reparatam pro monachis, de qua fortè acta apud Mabillonium in ſuis annalibus. Noſtra fuit olim membrum, teſte Miræo, Congregationis Aroaſienſis; nunc illam Patres Oratorii inhabitant.

Exſtitit in Urbe Bolonienſi, Mir. L. de Orig. Can. Reg. c. 10. vita S. Vulmari, apud Sur. 20. Julii. Annal. Mabil. L. 67. n. 81. &c.

Waëſtmünſter aliàs Mons Roſarum Virginum Abbatia.

Fundat. an. 1226. Floret.

Annô 1226. à *Waltero* Tornacenſi Epiſcopo in loco amæniſſimo fundata dicitur, in pago ſcilicèt Waëſtmonſtrenſi ad Durmam. Evocatæ ad primam in hoc neoerecto Parthenone Coloniam conſtituendam ſunt Virgines ex Pratenſi Gynecæo, quæ pietate ſimul, ac prudentiâ morum novam plantationem firmare Dei auxiliô poſſent ad nunquam peritura tempora. Prima, quæ præeſſe jubebatur, *Agnes* dicta eſt, quam decedentem ſubſecuta eſt *Giſla*, hanc excepit *Adeliſia*, ſucceſſit *Beatrix*, cujus exſtant litteræ ſupplices ad *Michaëlem* Tornacenſem Epiſcopum annô 1280. in die B. Margaritæ ſcriptæ petentis facultatem ſuſcipiendi (quod in multis Virgines gravatæ & oneratæ eſſent) *Bonam* puellam Gandenſem, quia evidentem in receptione hujus ſibi accreſcentem viderint utilitatem.

Mutatâ religione paſſim in Belgio hæ Virgines pariter in exilium ſunt actæ, ſed poſtliminiô iterum Catholica revireſcente in his terris devotione reverſæ nihil niſi ſui cœnobii, cineres & ruinam receperunt. Aliquamdiu igitur intra conductas ædes Antverpiam cæſo ſectario hoſte tranſiêrunt, inde Teneramundam, donec reparato veteri, quod unum in deliciis habebant, monaſterio per Abbatiſſam 18. *Philippinam* Trieſt. & 19. *Annam* de

de Samillan circà annum 1634. (ſecuritate pariter per totum Belgium reſtitutâ) usque hodie tenerrima charitate fovente magno ſuarum virtutum in omnium linguis præconio iiſdem conceſſum eſt perdurare.

Miræus L. de orig. Can. Reg. cap. 55. Gramay. in Teneramunda L. 2. c. 7. Gall. Chr. t. 5. col. 126. Mir. Donat. Belg. L. 1. c. 131.

Fundat. 870. ſecular. S. Walburgis Præpoſitura. Meyerus in Annalibus Flandriæ fundationem hujus cœnobii an. 870. affigit, aitque à Balduino ferreo Flandriæ Comite exſtructum, cùm *Carolum* Calvum Francorum Regem Comitatus in Sueviam inde ſecum Corpora *SS. Walburgis*, ac Fratrum ejus *Willibaldi*, & *Winniboldi* deportans Furnis ſervanda traderet, templo, ac Sacerdotibus ad id inſtitutis: *Benedictini*, inquit Meyerus: *Nominis, qui poſtea Canonici facti ſunt.* Hæc Meyerus, ùt legerat, è tabula propè chorum appenſa deſcripſit ſequentis tenoris: *Balduinus ferreus Flandriæ Comes an. D. 870. Carolum Francorum Regem Comitatus in Sueviam, deportavit inde corpora SS. Walburgis ac Fratrum ejus Willibaldi, ac Winniboldi, eaque magno cum honore Furnis ſervanda tradidit, templo, ſacerdotibúsque ad id inſtitutis.* Sed ex ſuo addidit: *Benedictini Nominis.* Nam nunquam, nè ſæculo adhuc decimo ſolitum erat ſcriptoribus per ſacerdotes ſimpliciter prolatos, *monachos* deſignare, quin ipſos monachos, cùm ſe ſacerdotes dicerent, id adjunctô monachismô inſinuâſſe alibi oſtendimus; unde hujus tabulæ documentum non monachos, ſed clericos notat. Neque ulla exſtat notitia, ex qua erui poſſit, hoc monaſterium primitùs Benedictinis fuiſſe collatum. Idem Meyerus Balduinum Barbatum Comitem Flandriæ ait hanc Furnenſem Eccleſiam antea *S. Mariæ* ſacram magnifico opere circà an. 1030. conſtruxiſſe, & *S. Walburgi* ex hinc dicatam ornâſſe inſigni Canonicorum collegio: quod quidem contingere potuit, cùm illa Eccleſia non diù antea à Nortmannis fuiſſet vaſtata. Verùm & in hoc Meyero certiora documenta optaremus: Nam de conſtructio- ne iſta, & inductione Canonicorum à Balduino facta necdum vetus aliquod ſat firmum inſtrumentum conſpeximus, ut adeò potiùs credamus à *Carolo* Francorum Rege ſemel exſtructam Eccleſiam pro Canonicis ſemper ſub horum miniſterio perdurâſſe, id eſt, usque ad *Roberti* Senioris, ſeu Friſii tempora, & quidem ad an. 1095. quô exhibetur diploma ab ejus relicta Conjuge in remedium animæ præfati *Roberti*, huic monaſterio datum, quô quatuordecim tum Canonicis ibi exiſtentibus decimum quintum fundavit. Hac Charta vetuſtiorem pro Walburgenſi Eccleſia necdum nobis occurriſſe novimus, ut ex ea aut monachis ſucceſſiſſe Canonicos, aut à Balduino Barbato hos primitùs inſtitutos aſſeramus.

Donationem mox præfatam Paſchalis II. an. 1106. bullâ Heriberto Præpoſito datâ confirmavit: nempè *ad præbendas dictorum Fratrum* 80. *menſuras terræ, ex quibus* 20. *libræ annis ſingulis perſolvuntur &c.* Quod ipſum rurſus per litteras approbat Balduinus cognomentô *ſecuris* an. 1114. additque nova de ſuis beneficia præcipuè: *ad refectorium Fratrum, & lumen Eccleſiæ deputatam terram,* Deníque Callixtus II. an. 1120. poſſeſſiones omnes, & privilegia Furnenſis *S. Walburgis* Eccleſiæ datô in hunc finem Brevi Apoſtolicô *dilectis filiis Fromoldo Furnenſi Præpoſito, & ejus Fratribus in Eccleſia S. Genitricis Dei Mariæ, & S. Walburgis Deo ſervientibus:* ſicque in pro-

protectionem Apoſtolicam accipit, & confirmat, *ut quæcúnque in futurum conceſſione Pontificum &c. poterit adipiſci, firma ſemper ad communem uſum Fratrum & illibata permaneant.* *Ad communem* inquam, *uſum Fratrum:* Neque enim dubitandum, his & prioribûs temporibûs Clericos in communi viventes iſthìc fuiſſe congregatos: Undè meritò Gramayus apud Sanderum dixerat: *Canonicos Furnenſes Regulares exſtitiſſe*, qui demum, ùt plurium ferebat conditio neglectâ diſciplinæ religioſæ obſervantiâ (quo tempore ignoramus) in ſæculares ſe canonicos transformârunt.

Hæc Eccleſia præter Canonicos, quos ſuo fovebat in gremio, etiam alios intra clauſtri ſepta continebat Clericos ſervitio ejusdem deputatos, atque haud dubiè ſæculares, neque eos Canonicos: de his Callixtus Papa ſua in Bulla: *Clericis*, inquit, *qui ſedulis Eccleſiæ veſtræ ſervitiis intra ambitum Clauſtri exiſtunt, cum juſtitiæ ratione authoritas quoq; veſtra proſpexit, ut pro exceſſibus ſuis intrà idem Clauſtrum correctionis jura percipiant.* Cùm enim eô obedientiæ vinculô (quô ipſi Canonici) conſtricti non eſſent, & tamen perſonatibus intitulati, velut de talibus ſuperiùs in deſcriptione Arienſis Eccleſiæ locuti ſumus, ideò exceſſus ſuos renuebant à Canonicis corrigi poſſe, adeóque eò impuniùs delinquendi retinebant libertatem: hinc iſta à ſummo Pontifice auctoritas Furnenſibus attributa eſt, ut haberent Clerici iſti, facilè ad quæque remiſſi, per quos arcerentur: Præcipuè, cùm ſe alioquin jure hujus ipſius Eccleſiæ tanquam aliqualia membra Epiſcopo quoque Diœceſano opponerent, utpote quòd eadem ab omni Epiſcopalis exactionis debito libera ſit declarata, ut ipſe *Callixtus* loquitur.

Deníque hæc Præpoſitura ſæpiùs à viris nobiliſſimis, ac doctiſſimis gubernata fuit, quorum Catalogum, atque laudabilia acta usque ad ejus ſaltem conjecturatam ſæculariſationem ſuo tempore producemus.

Exiſtit in ipſa Urbe Furnenſi, eſtque inter tres ejusdem Eccleſias primaria. Mir. L. de coll. Can. c. 38. Foppens. nov. coll. P. 1. c. 20. acta SS. ad 25. Feb. vitæ S. Wal. Meyerus in annal. Fland. L. 2. ad an. 870. Sander. Chorog. Fland.

Warneſton. vulgò Waëſtene S. Petri Abb. Fund. . . . Floret. Diverſis hæc Abbatia donata nominibûs Malbranco aliísque forſan errandi occaſionem dederat, dum hanc, quæ ad Liſam fluv. ſita eſt, cum mox præcedenti confunderent, nominis ſimilitudine decepti. Nam *Warneſton*, de quo hic agimus, à Gallis hodiernis *Garneſton*, aut *Guarneſton* ab antiquis: *Waëſton* à Flandris nuncupatur, amplum id municipium eſt ad Liſam Fluv. ſecundo Lapide ab Ipris diſſitum, in quo Eccleſia fundata eſt à Toparchis Bethuniæ, quo anno ignoratur: hanc an. 1138. poſſedebant ſæculares Canonici (quod non dicerem, niſi disertè tales in privilegio, eodem annô à *Theodorico* Alſatio Flandriæ Comite, & à *Milone* Epiſco Tervanenſi in confirmatoriis litteris an. 1142. dato, nominarentur) paulò fortè antea in tales ex regularibus deſciſcentes, quales annô 1126. exſtitiſſe, conjicere licet ex Charta eô annô ab *Adhelide* Peronæ, & Warneſtonii Domina, ejúsque Fratre *Odone*; ampliùs autem ex alia ab eadem *Adhelide*, ejúsque Marito *Roberto* annô 1117. data, in qua hæc accuratè inſeruntur: *Notum facio - - - - quòd Anteceſſores mei* (id eſt, Bethuniæ Toparchæ, qualis ipſe ex ſucceſſione

ſione uxoris erat) *fundaverunt Eccleſiam de Warneſton: qui etiam divino inſtinctu ſtatuerunt, quòd Canonici Regulares in eadem Eccleſia omni die militarent.* Annô itáque præfato 1138. *Milo* Morinenſis Epiſcopus notæ ſanctitatis, hujus Eccleſiæ Canonicos reduxit ad diſciplinam eò feliciùs, faciliúsque, quo Clerici ipſi ejusdem Eccleſiæ hanc anhelarent: ait enim *Theodoricus*, quòd quidquid ibidem juris, aut poteſtatis habere videbatur, & ipſam Eccleſiam cum redditibus ſuis in manum Epiſcopi liberè concedit, ita videlicet, *ut ibidem Abbas cum fratribus conſtituatur, ac juxta ordinem, & conſuetudines Eccleſiæ B. Nicolai de Aridagamantia ſacræ religionis cultus, & habitus in perpetuum obſervetur &c.* ait inquam, *aſſenſum Adbelidis de Perona, & Clericorum ſæcularium, qui præfatæ Eccleſiæ hactenùs miniſtrârunt ab hac ſententia non diſcrepantem ſe approbare.* Reductis autem ad vitam regularem hôc modô Canonicis, *Galtero Abbati, ac fratribus ſuis eorúmque ſucceſſoribus ſub regula B, Auguſtini Chriſto militantibus, quæcúnque poſſident perpetuò concedit; & quidquid juris Domina Adbelidis, & Canonici ſæculares in Eccleſia de Guarneſton poſſiderunt &c.* Deníque Abbatia iſta diù ſub Congregatione Aroaſienſi tanquam laudabile membrum floruerat, ſed hâc ſublatâ, eadem usque nunc per ſe feliciter perſeverat.

Exiſtit, ùt diximus, ad Liſam fl. ab Ipra 2. milliaribûs Mir. Donat. Belg. L. 1, c. 48. idem de orig. Can. Reg. c. 10. Gall. Chr. t. 3. col. 522.

Watanenſe S. Nicolai, & Richarii Abbatia. *Casketum*, aut potiùs (ùt inquit Zeilerus in deſcript. Comit. Fland. f. 167.) *Caſtellum* vulgò Caſſel, urbs eſt in Flandria Belgica, ad hujus extremos fines versùs Arteſiam, nunc exſtat oppidulum, quod *Watanum*, vel *Guatinum* vulgò *Waëtenſe* dicunt, olim celebris, & multis titulis memorandâ Abbatiâ inſigne. Pro qua audiendus Iperius: *Annô*, inquit, *milleſimô ſeptuageſimô ſecundô Robertus Friſo Flandriæ Comes fundavit monaſterium Watinenſe Canonicorum Regularium in honorem B. Mariæ Virginis, ubi priùs Eccleſiola fuerat B. Richarii confeſſoris.* Clariùs aliquantùm de hoc ipſo cœnobio apud Miræum L. de orig. Can. Reg. Meyerus in Annalibus Flandriæ: *Annô*, inquit, 1072, *inſtituti ab Roberto Flandriæ Comite, Canonici diſciplinæ regularis apud Watanas, illisque Odfridus Sacerdos religioſiſſimus datus Antiſtes, qui ædiculam ibi quondam Divo ſacram Richario ab Alfanino Presbytero acceptam, auxit, vertitque in monaſterium; id monti eſt impoſitum ad Enulam amnem, in extremis Casketenſium, quà eorum ſpectant, finibus; duobus diſtans millibus ab oppido S. Audomari; ubi Cuniculi ſubterranei procul ex monte, ùt referunt, deducti vetuſtæq; arcis fundamenta claram loci antiquitatem arguere videntur, Tradunt incolæ fuiſſe Watanum Batavorum olim Coloniam. Cùm autem Odfridus Antiſtes abolere hic contenderet divi Richarii memoriam, ac venerationem introducere D. Nicolai; Obſtitiſſe narrant ejus conſilio populi Menapienſis agri conſuetudinem, quæ eò ad ſacra Richarii ſtato quotannis die convenire non ceſſabat. Hac autem tempeſtate ad memoriam, venerationémque divi Ægidii undique illò concurritur. Huic Cœnobio attribuit Adela Roberti Friſii mater Balinbergam ad occidentalem plagam Caleti montis* (ſic enim ſcribunt pro Casleti) *ſuper fluvium Penam Joannes Advocatus Atrebatium, & Hermentrudis uxor ducenta viginti agri Jugera in pagis ſtenis, Petinghem, & ſacello Eremboldi; & Gilboldus Fleterneuſis Eques Flandrus in Thiggahuſio agri jugera viginti. Obiit au-*

tem Odfridus primus hujus Cœnobii Antiſtes annô 1085. Hæc Meyerus cit. apud Miræum. Cauſam verò hujus conſtituendi cœnobii obtenta victoria debita Roberto præfato contra Richildim Montenſem Comitiſſam, quâ multa ſtrage ſuorum, filiíque interfecti ipſe totius Flandriæ Principatum obtinens *in honorem B. V. hanc ob tanti facti memoriam exſtruxit Eccleſiam, & 30. regulariter viventium Canonicorum deſervire inſtituit obſequio.* Ut inquit Lambertus Ardrenſis.

Exſtant confirmationis, ac donationum privilegia aliquot hujus Cœnobii, quæ omnia ſuo tempore dabimus. Iſthìc ſolùm notari cupimus *Robertum* Jeroſolymitanum Filium *Roberti* Friſii Flandriæ Comitis, & Principem Flandrenſium Bononienſium, Torvanenſium, ac Atrebatenſium, tam tenerè hanc Abbariam dilexiſſe, ut ſe quaſi cum ea creſcere & proficere gauderet. Sic enim ille in privilegio à ſe huic adhuc novellæ plantationi annô 1093. hoc eſt, 21. annis poſt factam *à Roberto* Patre an. ſcilicèt 1072. fundationem, dato loquitur: *Litteris*, inquit, *præſentibùs notificari volo meis contemporalibus, & deinceps ſuccedentibus, Bernoldum religione converſationis virum & notabilis* (ſic lego, nam in exemplari eſt *mutabilis*, quod videtur errore typi inſertum) *exemplar & ſpeculum fratrum in Eccleſia Sanctorum Nicolai, & Richarii in loco, qui dicitur Watana, Deo Canonicè militantium Præpoſitum, ab Eminentia poteſtatis à Deo mihi tradita, cum eiſdem fratribus humiliter expetiiſſe, ut eandem Eccleſiam adhuc rudem, adhuc novellam, adhuc ex recenti nativitate tenerrimam, & nondum infantiam pueritia transgreſſam, Ego puer & primæva ætatis adoleſcens in tutellam & patrocinium defenſionis meæ ſuſciperem; ut ita præveniente & ſubſequente, miſericordia Dei utrique creſceremus in timore, & amore Dei, provectu & incremento temporalium & ſpiritualium bonorum, donec occurramus Genitori & Nutritio noſtro Jeſu Chriſto in virum perfectum in menſuram ætatis, & plenitudinis ejus.*

Quod innocua petitionis deſiderium eſſe perpendens, & idcircò brachiis pietatis, & Anchorâ Charitatis amplectens, maximè ideò, quia ibidem Deo militantes excubiis animarum vigilanter inſudantes, Chriſti bonus odor videntur eſſe Deo in omni loco, in his qui pereunt, & in his, qui ſalvi fiunt.

Et quia prædictus Præpoſitus in agro Dominico non bubalis, ſævis & indomabilibus, ſed bobus manſuetis, & jugum Chriſti ſuave, & leve ferre gaudentibus, aratro Evangelico diù noctúque non ceſſat arare, ſecundùm doctrinam dicentis: Manè ſemina ſemen tuum &c. - - - - - his, inquam, omnibus prout melius valui medullitùs deliberatis, deſtinavi ſolemniter, hilaritérque prædictam Eccleſiam infrà ambitum muri propugnaculi noſtri, & aſylum tuitionis noſtræ, cum omnibus ad ſe pertinentibus, mobilibus, & immobilibus, quæ poſſidet, & poſſeſſura eſt, ſuſcipere, ſuſceptámque Deo auxiliante contra omnem violentiam, & injuſtitiam omnibus diebus vitæ meæ pro poſſe à Deo mihi attributo, & attribuendo, irrefragabiliter defendere, ſublimare, & propagare: ut ſicut prædictus puſillus Grex cui complaceat Patri ſuo dare regnum, pro eo quod vendit, quæ habet, & dat Eleemoſinam, & facit ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis, ante omnes alias Eccleſias in terra jurisdictionis meæ à me adhuc puſillo, & puero magnis deſideriorum votis hujus ſecuritatis, & quietis munitiones anhelavit impetrare: Ita quoq; antè omnes alias, & præ omnibus aliis ſemper mihi in omnibus ſuis neceſſariis familiarior, & peculiarior exiſtat, mecum in Domino pubeſcat, proficiat atq; ſeneſcat &c.

Hæc

Hæc & plura ibi. Florebant in hac Abbatia, ùt dixeram, viri præſtantes, moribûs & ſcientiâ egregii, quorum ſynoptica memoria videri poteſt in Chronico hujus cœnobii ab Ebrardo ibidem Canonico Regulari, & Venerab. Olfridi primi Præpoſiti diſcipulo conſcripti.

Demum annô 1560. ſuppreſſa eſt hæc Abbatia, & pro augmento dotis menſæ Epiſcopalis Andomarenſis, ùt inquit Miræus, redditus ejus deſtinati ſunt per Pium 4tum. Extitiſſe tamen usque ad annum 1607. in eadem Abbatia religioſos Canonicos colligitur ex hiſtoria provinciæ Anglicanæ Soc. Jeſu per P. Morum edita. p. 294. Qui inter alia refert, tunc tantum ſuperfuiſſe octo religioſos, *non multum in religioſa diſciplina exercitatos : hi (cùm plerúmque Præpoſitum ſibi ex aliis monaſteriis aſciſcerent, poſt ſuppreſſum ſcilicet Abbatiæ titulum, & unionem menſæ Epiſcopali factam) tunc inter turbas Belgicas Præpoſitum è gremio ſuo nacti ſunt, ſed is ſacrâ ſupellectili, & vaſis argenteis, quæ ſpoliationem hæreticorum evaſerant, divenditis abiit in Hollandiam, & peſtilentiâ correptus meritas ſacrilegii dedit pœnas.* Hæc P. Morus. Sammarthani ex Locrio ultimum Præpoſitum ſeu Abbatem Philippum notant de Lannoy priùs Decanum; an hic idem ſit à P. Moro obſervatus Apoſtata, non ſatis nobis compertum eſt. Ceſſit demum Watanenſis Præpoſitura Patribus ſociet : favore Principum Belgii *Alberti & Iſabellæ* diù licèt renitentium, tandem perſuaſorum aſſiduis precibûs Epiſcopi Andomarenſis Jacobi Blaſæi, ordinis Minorum S. Franciſci, translati à Cathedra Namurcenſi ad Andomarenſem an. 1601. Nec non Pauli V. ſummi Pontif. idipſum pro Societatis Patribus efflagitantis.

Exiſtit à Casleto 4. & medio milliari, Andemaropoli verò uno & medio. Mir. L. de orig. Can. Reg. c. 55. idem ſuppl. cod. dip. P. 3. c. 166. & 179. Mart. Theſ. Anecd. t. 3. p. 798. Lambertus Ardu. Hiſt. Comit. Ghisnen. c. 28. Gall. Chr. t. 3. col. 523.

Winnoci vulgò Winnoxberg Præpoſitura.

Fund. circa an. 910. Ord. Ben.

Balduinus cognomentò Calvus Flandriæ Comes Sesquimilliario à Dynquerca & 7. ab Ipris, locô non inamœnô, urbem jam inibi plantatam an. 910. vallis munivit, in qua, ùt Charta *Balduini V. Balduini* Barbati filii refert : *Idem Balduinus Calvus Abbatiam in honore SS. Confeſſorum Martini & Winnoci fundavit, & Canonicos, qui diu, noctúque Deo ſervirent, ibidem inſtituit. Eccleſiam quoq; cùm rerum affluentia, tum privilegiorum munificentia, magnificè dotavit, & Sacrum B. Winnoci corpus* (qui Sanctus B. Berthini diſcipulus in villa Wormhouet dicto, concedente Heremaro ejus loci Domino monaſteriolum exſtruxiſſe, ibíque cum duobus fratribus ſuis monaſticam duxiſſe vitam juxtà inſtituta B. Bertini Sithivenſis ſcribitur ab Iperio) *quod præ timore hoſtium multis ante temporibus à Wormhout* (nunc amplum inter Casletum & Bergas *S. Winnoci* municipium) *in Sithim erat translatum, reportavit, & in præfata Eccleſia Bergis collocavit.*

Refert autem Meyerus L. 4. Annalium annô 1123. 5. Septembris hanc urbem cum cœnobio flammis periiſſe, ex quo putat Zeilerus *Balduinum* Barbatum an. 1209. idem cœnobium in montem urbi proximum transtuliſſe cum *S. Winnoci* corpore. At hæc collatâ accuratiore Chronologiâ non ſubſiſtunt; nam *Balduinus V.* Barbati, ùt diximus, filius diploma ſuum Winnocibergenſibus monachis

nachis datum ſubſcripſit annô 1067. tanquam Dominus dicti loci, comésque Flandriæ, ac hæres Patris, quem certum eſt an. 1036. obiiſſe: Qui ergò Balduinus V. dicere potuiſſet hoc ſuo in diplomate (à ſe an. 1067. dato) ac narrare id, quod primò factum eſſet 1209. hoc eſt à morte Patris 163. annis imò à morte ipſius hujus filii ſeu Balduini V. Inſulani dicti, & annô 1067. hoc eſt ipsô annô, quo hoc diploma extradidit, defuncti? Quâ Chronologiâ ſic corrigendus erit Meyerus, ut hæc urbis conſecratio, ipsáque nova monaſterii conſtructio alligetur potiùs ad annum 1029. prout id obſervavit Miræus. Nam primus, qui cum monachis locum bergenſem occupavit juſſu *Balduini* Barbati erat *Rodericus* priùs Abbas Sithienſis, quem ſcimus in Sithienſi Abbatia Succeſſorem nominatum *Hemfridi* an. 1021. defuncti, & vitâ ſuperſtitem fuiſſe usque ad annum 1043. cauſam verò extraditæ in manus monachorum hujus Abbatiæ commune tunc temporis malum fuit, de quo idem *Balduinus* in ſæpedicto privilegio: *Quoniam*, inquit, *rerum affluentiam delitiæ, delitias autem comitatur Dei mandatorum oblivio, præfati Canonici propriis voluptatibus ineſcati, circa ea, quæ Dei ſunt, non nimis devoti, imò penitùs ignavi reperti ſunt &c. illis igitur amotis locum venerabili Roderico tunc temporis Abbati S. Bertini regendum commiſit &c.* in hoc cœnobio, dum illud adhuc Canonici inhabitaverant, pretioſa ſanctorum cimelia, Sancti nimirum *Oswaldi* Regis Angliæ & M. *SS. Lewvinæ & Itisbergæ* Virginum, ac denique *S. Winnoci* condebantur. De quibus aliísque nos ſuo loco plura diſſeremus.

Exſtitit, dum Canonicorum erat, in urbe Bergenſi S. Winnoci. Miræ. Donat. Belg. P. 2. C. 25. in notis Gall. Chriſt. t. 5. col. 331. Meyer. cit. Zeiler top. Burg. Bucel. Germ. Sac. Monaſteriolog. p. 3.

Wittevirumenſe ſeu Witteburenſe. Præpoſitura. *Fund. ... Exſtinctum.*

Sic auguramur, cùm alioquin præter paucula Miræi verba nihil de hoc cœnobio pateat: ea ergo ſubjicimus: *Capitulo*, inquit, Gröningenſi *ſuſtentando anno* 1568. *adſignatum eſt Monaſterium Ezenſe Ordinis S. Auguſtini & Vittevirumenſe cum ſuis proventibus:* Igitur exſtinctum eſſe manifeſtè conſtat. Horum locum quia reperimus, Mappæ inſeruimus. Sed, ut de Ezenſi ſeorſim ageremus, omnis ulterioris notitiæ defectus prohibuit.

Exſtitit utrumque in Provincia Gröningenſi. Miræ, L. de Canon. ſæcul. Cap. 118.

EMBO-

EMBOLISMUS ENARRATIONIS SYNOPTICÆ,

De Celeberrima Congregatione Noſtri Salvatoris per Beatum Petrum Forerium inſtituta ac propagata: Cui adjungitur altera dicta Dominæ Noſtræ ab eodem Divo pro Virginibus Canonicis fundata.

PARÆNESIS.

Non omninò extrà ordinem, minùs extrà inſtitutum tranſilimus, dum præſentem Embolismum imponimus, priùsquam ad novum circulum transgrediamur: Quamvis enim intrà aſſumptum à nobis alphabeticum ordinem omnia in Lotharingia exiſtentia Forerianæ reformationis cœnobia enarrari potuiſſent, cùm Lotharingia tota circulo Burgundico accenſeri conſueverit hactenùs, placuit tamen quendam Embolismum innectere, ut hiſtoriam Forerianam ſolidiùs, Clariúsque diducere valeremus. Atque ut animum noſtrum penſiùs explicemus, profectò, ſi nihil aliud ad id nos permoviſſet, vel una ſufficiſſet verè multis titulis debita in ſanctiſſimum noſtrum *Petrum Forerium* devotio, quâ quantum ſpecialiſſimô dudum anhelaverimus affectu, eidem ſecundùm vires noſtras omnem cultûs propagationem impendere, ille haud dubiè optimè noverit, pro quo hoc ipſum elaboramus, quod ſcribimus. Unde nec quiſquam *Petri* pius Amator, ac Cultor improperabit nobis, ſi aliquantò fuſiores in Foreriana hiſtoria fuerimus, quàm præfixi alioquin hujus operis tanquam ſolius cujusdam Prodromi limites paterentur: nam licèt & iſtam differre ad opus potuiſſemus præfixum, libuit prævenire Propoſitum, cûm tamen non defutura ſint plurima, quæ hìc intermiſſa, ſecundùm inſtituti operis rationem poſtmodùm reſtabunt enarranda. Hæc prælibare oportuit, ne Lectori benevolo aut promiſſæ brevitatis immemores, aut incauti transgreſſores videremur.

ECPHRASIS.

Vitæ *D. Petri Forerii*, & inſtitutæ geminæ Congregationis *S. Salvatoris*, ac Noſtræ Dominæ.

Vitam debitis refertam elogiis *D. Petri Forerii* præ cæteris olim Gallico idiomate conſcripſit A. R. D. Joannes Bedelius Congregationis *S. Salvatoris* Canonicus Regularis Pariſiis quidem editam annô 1645. poſteà Muſſiponti recuſam annô 1656. iterúmque Pariſiis annô 1666. Muſſipontanam dein tanquam reliquis auctiorem annô 1668. in latinum vertit, aut potiùs per hanc, ut ipſemet interpres profitetur, jam antea à ſe factam Pariſienſis ultimæ verſionem auxit A. R. D. Dominicus Biſſelius ſanctæ Crucis Auguſtæ Canonicus, pariter regularis. At poſtquam Divina providentia conſtituit fidelem ſervum ſuum *Petrum Forerium* per Apoſtolicam declarationem toti mundo *Beatum* notificare, plures mox ſubſecuti ſunt Biographi, qui vitam illius ſpeciali rurſùs ſtylô colluſtrarunt. Romæ hujus eximii viri acta conſcripta ſunt annô 1730. & SS. D. N. *Benedicto* dicata idomate latino; mox alia Italicâ linguâ enarratio ibidem eodem annô edita, ac Eminentiſſimo Cardinali Nicolao Mariæ Lercari Congregationis Lateranenſis Protectori adſcripta, hanc comitata eſt altera eodem Idiomate Italico, eodémque loco, ſed compendiata, dicatáque Eminentiſſimo Cardinali Cinfuegos. In Germania præcipuam, ne dicam, propè unicam, curam impensámque pro dilatando hujus Beatiſſimi viri cultu ac honore divulgando adhibuit celeberrima, ac laudatiſſima Canonia Pollingana, & inter ejus loci Canonicos, cumprimis duo plæclara è Bavarico cœlo tum ſcientia, tum virtute latè micantia ſydera A. R. Dominus Euſebius Amort nunc Decanus ejuſdem Collegii digniſſimus, & A. R. Dominus Philippus Säller; quem laboris præſentis promotorem, & opitulatc..m indefeſſum, & quamvis jam ſenio 72. annorum prægravatum, nulli tamen litterario labori imparem, atteſtantibus non exiguis documentorum faſciculis à ſe mihi miſſis, & univerſim propriâ venerandâ manu exaratis, nunquam non omni honore ſuſpicio, & revereor. Hi, inquam, viri erudiſſimi, ac Foreriani cultûs Zelatores eximii primi fuêre, qui vernaculâ linguâ præfatas, hactenùs quaſi occultiori Pallade diſcurrentes vitas per totam Germaniam, loqui fecerunt; inſuper & alia, quæ ad notitiam tum inceptæ, tum ſuis ſtatutis informatæ utriúſque Congregationis Forerianæ conducere poſſunt, liberali operâ typis publicârunt. Nos itáque ex omnibus nobis tam typo impreſſis, quàm ſcriptotenùs communicatis monumentis non niſi Ecphraſticam quandam de B. Petro narrationem concinnamus, Lectorem amplioris informationis cupidum ad mox citatas deſcriptiones, ac demum ad ipſum futurum opus dirigentes.

Petrus igitur noſter mediocris fortis parentibus *Dominico Fourier & Anna Vacquart* genitus, nunquam non coluiſſe virtutem impensô planè ſtudiô noſcitur, præcipuè verò (quæ propria Angelorum

rum ac Innocentûm eſt hominum) caſtitatem; hanc adeò ſibi à cunis quaſi cognatam ſociabat, ut fandi adhuc impos lacrymis ſuam pudicitiam teſtando tueretur, cùm fortè linteis aliquandò immutandis ejusdem Mater minùs cautè contectum parvuli corpuſculum relinqueret. At aliquantùm grandior effectus, quamvis puerili adhuc in ætate, adeò abhorrebat alterius omnis ſexûs conſortium, ut graviorem illi pœnam parentes minari non poſſent, quàm intentando, fore, ut ejus ad menſam ſedentis lateri proximè ſororem aſſociarent. Studiorum tam humaniorum, quàm Philoſophicorum emensô curriculô, cùm annum 21. attigiſſet, non ſine divino conſilio Canonicum Regularem profeſſus eſt, in monaſterio Calmuſiacenſi, ubi antea nobili planè teſtimoniô firmis radicibus ſibi implantatam eſſe virtutem ad omne religioſæ vitæ exercitium requiſitam per conſuetum noviciatûs annum probâſſet. Deerant adhuc *Petro* divinæ ſapientiæ ſtudia, Igitur à ſuo Domino Abbate, ut his imbueretur, Muſſipontum mittitur. Quantum verò in illis profecerit, duos teſtes adduxiſſe ſuffecerit P. Chriſtophorum Boſſardum ejus Profeſſorem, & P. Fagotium ejus aliquandò in diſputatione ludicrè ſolùm, atque exercitii gratiâ ſuſcepta (in qua Calviniſtarum errores defendere cogebatur) oppugnatorem: profitebatur ille Scriptis: *Petrum Divinorum myſteriorum ſcientiæ ſe omninò ſedulò applicuiſſe, & omnium ore conſcholarium, ob pietatem, modeſtiam, & optimos mores dilaudari plurimùm, ac æſtimari.* Aſſeverabat iſte: *Libentiùs ſe utriùsque auricula jacturam facturum, quàm ut Calviniſtæ Petri ſcientiam poſſiderent; eò, quòd hæc cum pertinacia conjuncta, ab eorum indole inſuperabili, ſe in deſperationem de illorum ſalute porrò promovenda adduceret.* Addidit prætereà Fagotius, *ſibi nunquam imaginatum fuiſſe, quòd tanta illi doctrina ineſſet; ſed hoc errore hodie exemptum eſſe, ſcire ſe, quòd is hoc ævo parem ſibi non habeat in ſanctitate - - - - & omninò arbitrari, ſe hunc virum quasvis ſcientias in intellectu ſuo collectas circumferre.* Hæc aliquantò prolixiùs deduximus, ut pateat non defuiſſe tanti operis in reformatione ſuſcepti Authori requiſitam, eamque profundiſſimam ſapientiam. Hac itáque egregiè ornatus Forerius noſter in ſacerdotem ſacratur, primô ſacrificiô in die *B. Joannis* Baptiſtæ Divinæ Majeſtati litatô in ipſo ſuæ profeſſionis cœnobio: ex quo tempore unum poſthac ſibi ſtudium fuerat, non remiſſo greſſu, ſed Giganteis paſſibus iter virtutum decurrere, ut ad optatam metam perfectionis religioſæ indefeſſo, ac citatiſſimo calle perveniret. Ingens in eo mentis demiſſio, carnis tanta erat mortificatio, ut mortem potiùs impedire, quàm nutrire corpus ad vitam per alimenta videretur: Semel de die legumina quædam, fructus crudos, acetarium, radices ſumebat, à vino, dum vixerat, ſic abſtinuit, ut aquam (quâ ſitim domabat) frigidam ad adimendam ejus cruditatem vinô modicô rubricaret: Præſcriptam intereà vivendi diſciplinam tam accuratè obſervans, ut quidquid ex inſtituto occurreret, ipſe, tanquam ad id ſolus deſtinatus eſſet, ſummâ ſolertiâ perficeret. Obſervantia tamen regularis neſcio, quô malô cauſante geniô, adeò in hoc loco defecerat inter *Petri* Concanonicos, ut nè umbram quidem religioſæ liceret converſationis reperire. Quô autem exinde vehementiori dolore *Petrus* anguſtiabatur, & reparationem diſciplinæ anhelabat, eô graviore odio inſe-

ſtabatur à reliquis in tantam quidem ſe ſe temeritatem effundentibus, ut non ſemel vas illud, quo ad legumina ſua coquenda utebatur, venenô inficerent; quod ille bis, tervé mira Dei providentiâ prænoſcens demum cogitabat illud amplecti magni Gregorii Conſilium, *meliùs eſſe cum pace abire, quàm in lite ſimilique* vitæ periculo *reſidere.* Cùmque hæc prorupta in *Petrum*, ſceleratáque Confratrum audacia inter clauſtri penetralia ampliùs occultari non poſſet, quin ad ipſos ejusdem conſanguineos plenis vocibus perveniret, illi, quorum aliunde in eum tenerrimus propendebat affectus, juſtâ commiſeratione inducti extrà clauſtrum accommodare dilectum ſuum Forerium concludunt. Operâ itáque, nec inaniter impensâ, obtinent, ut tria beneficia *Petro* intrà pauxillum elabentis temporis offerrentur. Hic ille quamvis in ipſo cœnobio ulteriora pati nullatenùs detrectaret, attamen cum Abbatis ipſius voluntati non reſtiturus, tum pium conſanguineorum ſuorum veneraturus affectum, oblatum quidem favorem non reſpuit, at aperuit ſimul, quâ eum mentis integritate, ac virtutis prærogativâ ſuſciperet, nam, cùm duo eorum beneficiorum ſat pinguia, tenuè verò tertium, & viliſſimorum proventuum eſſet, ſed ingentis laboris, ovibus ſcilicet in eo commorantibus omni colluvie vitiorum irretitis; iſtud ambobus brachiis, magnóque oſtenſo deſiderio complecti velle ſe dixit: Conſiliô quidem in hoc ùt plurimum uſus cognati ſui Joannis Forerii, è Societate Jeſu Presbyteri, ſibi aliunde in conſcientiæ arbitrum, jam à multis annis electi. Itáque Parochiam, quam incolæ *Matincuriam* dicunt, aggreſſus, eâ ſagacitate inter breve tempus ſcelerum ſentes ex animis ſibi ſubditorum evulſit, virtutésque inſeruit, ut, cùm tam ſubitò Circumvicinorum locorum incolæ Mantincurienſes conſpicerent è fæce quadam hominum in ſelectiſſimos Divini honoris Cultores eſſe immutatos, id ſine miraculo (*Petri* ſcilicet ſanctitate cooperante) nullô modô factum eſſe affirmarent. Nimius eſſem, ſi ornatiſſimam ejus virtutum panopliam in hac animarum cura ſibi comparatam explicandam aſſumerem; ſufficiátque id unum veriſſimô aſſeruiſſe encomiô, ipſum abſolutiſſimum perfecti Curatoris exemplar exſtitiſſe, quod ex illo unico ſibi aſſumpto gnomate identidem repetito, & exactiſſimè præſtito: *Omnibus prodeſſe, Nulli obeſſe*, abundantiſſimè comprobatur: Aſſeverante prætereà ipſo *B. Petri* Diæceſano Tullenſi Epiſcopo, *ſi ſolos quinq; tales viros haberet, ſuam Diæceſim brevi tempore inter florentiſſimas fore conſtituendam.*

Verùm, ut omni conatu vires ſuas ad proximi utilitatem exſereret, duo aggreſſus eſt negotia ardua quidem, ſed incomparabilis emolumenti. Primum erat, ut collabentem plurimùm ordinem Canonicum in Lotharingiæ partibus ad ſtabilitatem quandam, & virentem reformationem perduceret. Secundum verò, ut ſub hoc ipſo ſacro inſtituto fundaret Virginum Deo ſacratarum Congregationem. Neque hic referri ſatis poſſunt obſtacula & adverſa plurima, quibus *Petrum* impedire ſtuduit bonorum omnium perverſiſſimus hoſtis: Vicit tamen, & eò majori gloriâ, quò acriori certamine, Virtus ejus & indefeſſa patientia enituit, tantúmque reportavit triumphum, ut adhuc vivens octo monaſteria jam penè ad ſæcularismum deficientia cerneret præclaram illam, ac hodiedum florentiſſimam à ſe conſtitutam Congregationem tanquam prima membra conſtituere. Ex Parthenonibus autem

autem omnino 42. quæ ſummatim Virgines ſacras complectebantur circà duo millia quingentas & viginti. Hanc geminam B. Petri benedictionem, cùm clementiſſimus Deus tam largo munere usque ad annum 1640. conferre dignatus eſſet, ut utrámque Congregationem complexam, & perfectè ordinatam cerneret, non ſine ingenti animi ſui exultatione eodem anno ad præmia meritorum avocatur, piiſſiméque Grajaci in Burgundia die 9. Decembris moritur, ob bella tùnc Lotharingiam turbantia, ibidem commorans. Obitus autem ejus erat, ut eſſe ſanctorum ſolet, ſomno ſcilicet potiùs, quàm morte ipſum opprimente; nam ſenſim viribus deficientibus omnibus ſacramentis ſummâ in Deum devotione ſuſceptis, formatô ſuprà totum corpus Crucis ſignô, ſenſibus integris; vultúque ſereno annô ætatis ſuæ ſeptuageſimô ſextô eò tranſiit, ubi ſui laboris mercede æternùm potitur. Corpus jubente Hiſpaniarum Rege Canonicis confratribus conceſſum, ut transferretur in locum profeſſionis ſuæ, retentum eſt *Mantincuria* populo in tantum proteſtante, ut vitam ſe dimiſſurum ſtatueret potiùs, quàm ſacro hoc corpore orbari: ſed ſic fortè potiùs conſtituente numine, ut ubi laborando præcipuum ſibi ſuorum meritorum collegit manipulum, eô quoque in loco quieſceret. Cor verò ejus relictum eſt *Grajaci*, pro quo tanquam pretioſo theſauro ſibi reſervando ſupplicaverat Civitas.

Præteriêrunt inde à morte *B. Petri* anni Nonaginta, cùm accumulatis ad ſacrum ejus corpus quotidianis penè miraculis, ac plurimis beneficiis, *Benedictus XIII.* ſummus Pontifex permotus, & maximè inclinatus Clementiſſimis Auguſtiſſimi Imperatoris *Caroli VI.* Ducíſque Lotharingiæ *Franciſci Stephani* precibus, eundem annô 1730. ſolenni ritu Beatorum inſeruit Caſculo, conceſſítque imagines ejus radiis & ſplendoribus in ſignum ſuæ ſanctitatis exornare, certis etiam locis, perſoníſque indulſit, ſub ritu duplici ejus recitare officium: Quod Indultum deinde *Clemens XII.* ejusdem *Benedicti* ſucceſſor bulla die 28. Aug. An. ejusdem 1730. ſignata ad omnes Canonicos Regulares *S. Auguſtini* in regnis, ac provinciis Auſtriacæ Domui hæreditariis, nec non toti Imperio Romano extrà Italiam ſubjectis extendit. Demum 20. Novem. ejusdem anni Breve iterum emanavit indulgentiarum plenariarum per triduum celebrandæ condebitâ ſolennitate hujus beatificationis lucrandarum. Laudatur autem Beatiſſimus hic Dei ſervus in Bulla Beatificationis hoc præcipuo encomio, quòd ipſe *ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini - - - - ſit digna tanti parentis ſoboles, quæ quaſi flos roſarum in diebus vernis, Eccleſiam nominis ſui celebritate, & ſpiritualium aromatum odore implevit &c.* Cùm verò, quæcúnque Demum loca ſe arctiori amoris vinculo obſtrictos *B. Petro* profitebantur, mox ad ipſam à Summa Sede conceſſam Beatificationis triduanam ſolennitatem procederent celebrandam, & inter hæc Urbs Grajacenſis nec remiſſior eſſe in ſuo affectu cuperet cæteris, nec moroſior; ut eandem hanc feſtivitatem eò ſanctiore ritu recoleret, capſam illam, in qua ante 90. annos cor piiſſimi viri incluſum erat, conſtituêrunt in aliud nobilius, & exquiſitiore arte elaboratum vas transponere: at eâ reſeratâ admirandô planè prodigiô & inenarrabili cordium lætitiâ repertum eſt, vela quidem ſerica, quibus venerabile cor obtegebatur, tabe, carióque confecta, ſed ipſum integerrimum adeò, rubrum, molle, & flexibile, quaſi pau-

paucis abhinc horis è diſſecto corpore fuiſſet abſtractum. Cùmque ad hnc ſpectaculum requiſitâ induſtriâ advocarentur tam medicæ, quàm anatomicæ, ac Chirurgicæ artis periti, omnium calculô ſubſcriptum eſt, manifeſtô & indubitatô miraculô illud à Divina omnipotentia hoc modô fuiſſe conſervatum, ut indè apertè declararet Divinus amor, nolle ſe illud habitaculum corruptioni ſubeſſe, quod ob conſtantem virtutum famulatum incolere totius ejus vitæ decurſu dignatus eſt, juxtà illud Petri ſolitum gnoma: *Deus es, & mens es.* Quin ambigere non poſſumus Deum illud adhuc ſuâ gratiâ adeò fovere, & complecti, ut non ceſſet ampliſſima beneficia præſtare amoroſo illud affectu colentibus.

Hæc in præſentiarum brevi, levique ſtylo, de vita, morte, & beatificatione *D. Petri* enarrare voluimus; cùm ad opus ipſum differamus, quæ longè ampliore egebunt Periphraſi; utpote in quibus non ſolùm, quæcúnque *Petrum* in præclaris exerciciis virtutum, & plurimis imitatione digniſſimis actibus ſpectabilem reddidêre, exhibituri ſumus, verùm etiam ipſum Canonizationis actum, ſecundùm omnia adjuncta ſua additis bullis ſingulis, tunc, aut exinde emanatis daturi. Nunc autem ad duplicem ab eo inſtitutam Congregationem digredimur enarrandam, ut dehinc & deſcriptionem monaſteriorum ſub utráque Congregatione florentium catalogum ſubjiciamus.

Petrus igitur poſtquam inoletas illas ſentes, & tribulos vitiorum è ſua Parochia Manticurienſi tam dextrè extirpavit, ut ex Dæmnum (ſi fas eſt dicere) ſentina quandam efformaret regiam Angelorum, ſufficeréque cerneret; ſolitam adjunctâ Divinâ gratiâ in conſervanda ſuorum pietate boni Curionis vigilantiam: mox ille ſe (utpote cujus flagrantiſſimum cor in Divinum amorem nunquam quidquid ad ejus gloriam operaretur, ſatis fore crediderat) ad plures animas novo molimine lucrandas armabat, ad quod perficiendum duplex ſe offerebat occaſio. Cùm enim ſub initium aſſumptæ parochialis curæ de diverſis mediis ad rectè dirigendam plebem conducentibus identidem cogitaret, viderétque nil meliùs expedire, quàm ſi juventus ſolida in pietate educaretur, incidit ipſi, id imprimis in puellis attentare, ſexu quippe ſemper ad virtutem ediſcendam proniore, & magis flexibili. Præcipuè autem cùm honeſtati æquè, ac ſecuritati virtutis magis longè conſultum adverteret, ſi eædem à fæminis Magiſtris (ſeorſim & ſeparatim à pueris) non intermixtim à præceptoribus inſtruerentur; tandem in eum ſenſum devenit, ſi illæ (quæ taliter puellis præficerentur) requiſitâ ad hoc opus ſolertiâ, & inſtanti pietate, nec eâ vulgari, ſed cœleſti prudentiâ comite formandæ quôdam ſe vinculô religionis obſtringerent: tali enim modô ad intentum animarum lucrum omnimodè, quantum humano more poſſumus, proviſum iri. Hæc intrà ſe iteratò perpenſa non poterat *Petrus* non probare, ſed nè quid ſine ſingulari invocatione Divini Conſilii & auxilii conari præſumeret, ſui propoſiti cauſam efficaciſſimis precibus, ac bonis operibus Deo commendabat, quandóque ſolùm in concionibus quædam incidenter tractando de bono virginitatis, contemptu mundi, & vita Sanctè inſtituenda.

Deus autem eò minùs fruſtrabat pia *Petri* vota, quò certiùs jam in divina ſua providentia ad perficiendum hoc opus *Petrum* prælegerat. Undè non multò poſt tempore contigit, ut quædam Virgines

nes devotæ, ac piæ eundem pro Directore Spirituali ſibi expeterent, & ad omnia pro Divino honore agenda ſe paratiſſimas offerrent: probatâ earum conſtantiâ, cùm unaquæque hactenùs in ædibus paternis moraretur, eos in unam ſeparatam domum collegit, ipſarúmque propoſitum, quod jam conceperant, cum religioſis votis vivendi ſubmiſsâ ſupplicatione loci Ordinario, Epiſcopo ſcilicer Tullenſi, aperuit. Non exigua quidem ſe immiſcuêre huic piæ intentioni obſtacula; ſed Deus, qui omnia ſuæ habet voluntati ſubdita, eliſit ſingula; ita, ut primò à præfato Ordinario an. 1599. in ſeptembri, dein annô 1603. à Cardinali à Lotharingia, legato à Latere 3. Decemb. demum annô 1614. die 1. Feb. ab ipſo Summo Pontifice *Paulo V.* novi à ſe conſtituti ordinis approbationem, ac confirmationem obtineret, bullis, ac privilegiis ſpeciatim deſuper datis, & à nobis ſuo tempore referendis; *Urbanus* deníque *octavus* has ipſas Virgines ſacras ſub nomine, ac Ordine Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* & nuncupatione Congregationis Dominæ noſtræ egregiis planè privilegiis muniêrit, atque de novo ſtabiliêrit. Sed de his inferiùs plura adhuc dicenda occurrent.

Altera, quæ *Petro* obvenit, occaſio, erat deploranda planè diſciplinæ regularis facies in octo Abbatiis, quæ in Lotharingia inſignes anteà extiterant. Nulla erat earum ab invicem dependentia, nulla relatio: vita autem Canonicorum in iis degentium penè nihil religioſi inſtituti præferebat; ita quidem, ut veſtitus ipſe diverſicolor eſſet, & ad ſæcularem ambitionem excultus, ne dicam aliquid de converſatione, & reliquis inſipidiſſimis eorum moribus. Hos ergò omni niſu reducere cogitabat ad vitam religioſæ obſervantiæ congruam, quod jam antea quidem attentare conatus eſt Eminentiſſimus Cardinalis à Lotharingia, vir à ſuo Zelo, ac pietate notiſſimus, præſertim, cùm an. 1595. & an. 1604. convocatis omnium Canonicorum Abbatibus mentem ſuam aperiret; ſed irritô tunc labore. Non tamen defuit divina pietas tam Sanctis Eminentiſſimi votis, ſolùm, quòd differret effectum, *Petri* noſtri videtur à Deo deſtinata opera fuiſſe, hinc cùm inſiſtente præfatô Dominô Cardinale acceſſiſſet diploma die 10. Julii annô 1621. emiſſum à *Gregorio XV.* quô licentia datur hanc reformationem omnimodè procurandi, *Petrus* accerſitur, opusque ſibi ſecundùm prudentiam ſuam perficiendi injungitur, egregiô planè totius ordinis emolumentô. Nam *Petrus* inceſſu humilis, moribus gravis, pietate & tenerrimô in Deum amore fervidiſſimus, in cujus corporali quidem præſentia nihil non erat vile, & quod mundo eſt abjectum, cernere, ac Sanctiſſimus ejus vultus, converſatióque omni fulgebat integritate, virum perfectum, & omnigenæ virtuti intimè unitum probante. Hic ergò Spiritû Divinô plenus, & ſpe in Deum ſecurè armatus opus illud difficillimum aggreditur, tantóque mox profectu continuat, ut intrà breve tempus (dum in uno alteróve Cœnobio moxque inde Muſſiponti negotium cum quibusdam viris magis cordatis confert, urgétque prægnantibus motivis) ex antiquis illis cœnobiis quatuor Canonicos, ex urbe autem duos, eósque doctiſſimos viros nullo adhuc religioſo voto obſtrictos ſuis exhortationibus pelliceret ſibi ſocios, ad omnem reformationem Canonici in hoc regno labentis ordinis adſtituros. Cùmque locum, in quo primam novæ reſtaurationis plantationem conſtituerent, necdum haberent, utpote

pote Abbatiîs octo adhuc eorum conatui reſiſtentibûs; *Petro*, ſolicitum auxilium ſunm apud ſuperos inclamanti, adfuit ter felix nuntium, Lunevillæ antiquam *D. Remigio* ſacram Abbatiam haberi, quæ eosdem excipere parata eſſet. Plenô gaudiô inaudiebat hoc nuntium *Petrus*, & nè oblatum favorem ſuo retardaret molimine, ſtatim cum ſex ſodalibus ſuis in Abbatiam *S. Mariæ* Muſſiponti Ordinis Præmonſtrat: ſe confert, ibíque menſibus aliquot omnes, in renovatione Spiritûs commorantes, novo induuntur habitu, æquali ſcilicèt, & ad decentiam Canonicam, id eſt, non togâ ſericatâ, in ambitionem ſtriatâ, vel ad genua tantum usq́ue protenſâ, non lineâ fimbriatâ, & quibus neſcio floſculis acu depictis, aut etiam aurô, argentòve inſertô ornata; ſed humili ſimul, atque honeſta, *qualem ſcilicet poteſt habere*, ut inquit Sanctiſſimus Auguſtinus: *Presbyter, qualem poteſt habere decenter Diaconus, & ſubdiaconus*, uno verbo *de communi*; ſicq́ue ſex velut novelli Chriſti milites ſe *Petro* tanquam Duci, ac Præpoſito lætantes ſubjiciunt; quod factum eſt in ipſo *B. V.* purificatæ feſto annô 1623. inde in paratam ſibi Abbatiam *S. Remigii* concedunt, ipſo S. Scholaſticæ feſto exordientes Tyrocinii tempus, conſuetis illud virtutum exercitiis inibi traducturi. Quô in omni ſanctitate completô, nè viderentur ſua reformatione novum, diſtinctúmque ordinem machinari, annô 1624. feſtô annuntiatæ Deiparæ ſacratô, intra manus Remigiani Prioris vota ſua ad novæ hujus reformationis conſtitutiones à *B. Petro* concinnatas emiſerunt; *Petro* tamen hanc profeſſionem differente, idq́ue, ùt deinde apparuit, ne unquam ipſe in Congregationis hujus eligi Generalem poſſet, ob ſtatutum, *neminem niſi harum conſtitutionum profeſſum ad id munus eſſe aſſumendum:* Quod tamen piâ Dei ſic ordinante clementiâ fefellit *Petrum*. Nam congregatione à *Petro* conſtitutâ, & à Summis approbata Capitibus, ſecundùm omnia conſtitutionum puncta, electus quidem eſt in Præpoſitum Generalem, eúmque primum *Nicolaus Guinettus*, vir eximiæ ſapientiæ, ac virtutis annô 1629. die 25. Jan. opinabatur jam *Petrus* ſecurè ſe aleam effugiſſe, nè unquam ampliùs in Generalem peteretur, tum, quòd Summi Pontificis decretô firmata eſſet Generalis electi perpetuitas, tum, quòd *Guinettus* florentis adhuc ætatis præferret tempora, *Petrus* autem ſeniô grandævus viveret: Itáque die 15. Auguſti ejusdem anni ſolenniter profitetur. At verò poſt tres annos morte inviſâ Guinettum tollente, omnium votîs Forerius in Generalem expetitur; nec jam reſiſtere humillimus vir poterat non tam confratribus ſuis, quàm Deo imperanti; ſuſcepit igitur, quod adeò effugerat onus; tantáque illud curavit ſolertiâ, quantâ ipſam reformationem incæpit. Neq́ue explicari ſatis poteſt, quæ incrementa inter annos perpaucos hæc celeberrima ſumpſerit Congregatio: nam annô, primorum Patrum profeſſionem inſequente, id eſt 1624. huic reformationi ſe *Petrimontium* ſubdidit, *Domapra* ſeu *Domepra*, & *S. Nicolai* propè Verdunum: annô 1626. *Abbatia Belcampenſis*, annô 1627. *S. Leonis Tulli*, *S. Nicolai Muſſiponti*, & *Prioratus Vivarienſis*, ut adeò inter quatuor non omninò annos octo cœnobia ſub ſua reformatione revirentia vir Sanctus numeraret; exin acceſſêre identidem alia, ita, ut ad hodierna tempora ſub ea ſeptemdecim numerentur, quorum nos deſcriptionem mox dabimus, antea adhuc paucula de ipſa Congregatione relaturi.

Con-

Congregationis Salvatoris Noſtri forma, ejusdémque Collegia, & Abbatiæ.

VOluit vir Sanctiſſimus *Petrus Forerius* præ reliquis Congregationi à ſe inſtitutæ hunc attribui titulum *Salvatoris Noſtri*: uti ipſe ajebat, ſe ad hoc fuiſſe perſuaſum, teſte vitæ *Petri* Authore & ſcriptore L. 1. c. 17. nè ſcilicet alio Epitheto *Salvatorem* honoraret, quàm appellando *Noſtrum*, ad gentium Doctoris exemplum Titum ſuum initiò Epiſtolæ ſic alloquentis: *Tito dilecto filio ſecundùm communem fidem, gratia & pax à Deo Patre & Chriſto JEſu Salvatore NOSTRO.* Tantam ſiquidem in hac cogitatione ſuavitatem invenit, quòd hic Salvator, hic Deus, hic JEſus, ſit *noſter*, ut ad obſtringendos nos ad perennem ejus memoriæ conſervationem ipſis Epiſtolis mutuò mittendis eadem D. Pauli verba Præmitteret, quibus ipſe ſuas exorditus eſt. Hujus autem Congregationis initia quia mox retulimus (plurimis, quidem ad rem facientibus, reciſis, ne ex Monogrammate promiſſo, opus ipſum conficere videamur) pauca addere conſtituimus: nimirum quæ adhuc ad aliqualem notitiam neceſſaria fortè cenſebamus ipſam congregationem, ejusque formam præprimis concernentia.

Primum eſt: Hanc, concurrenti præcipuè, ut jam ſuprà diximus, incomparabili Zelo Eminentiſſimi Cardinalis à Lotharingia ſuum debere initium, nec non & Reverendiſſimo, ac Illuſtriſſimo *D. D. Joanni* de Porcellets Tullenſi Epiſcopo, horum enim auxiliò Beatiſſimus *Petrus* noſter negotium iſtud aggreſſus eſt, & feliciſſimum ad effectum perduxit. Poſtquam igitur ſex illi primi ſocii annò 1624. profeſſionem ſuam, velut meminimus, emiſerant, jam tunc eodem annò ab *Urbano VIII.* reformatio iſta novo confirmata eſt diplomate, firmitérque ſuis in conſtitutionibus ſtabilita.

Secundum eſt: Hanc Congregationem à primo inſtitutionis ſuæ anno usque ad 1629. ſine proprio, & ut loquimur, genuino Capite exſtitiſſe: Nam quamvis totus illius Director, ac Inſtitutor *B. Petrus* fuerit, renuit tamen omnimodis ullo titulo ſuis præeſſe, maluítque haberi tanquam unus ex ipſis: ab eo autem annò adminiſtrari cæpit per unum Superiorem (quem diximus *Nicolaum* Guinettum) cujus officium erat perpetuum, contrà, quàm aliàs in Congregationibus Italicis fieri conſuevit: Unde prudentiſſimis allegatis motivis, hoc ſpeciatim efficere *Petrus* per duos è ſuis conſodalibus Romam miſſis ſtuduit, atque demum obtinuit. Eſt verò Generalis Præpoſiti (hoc ſiquidem titulo nuncupari ſolet) authoritas fermè deſpotica, id eſt, abſoluta, nec dependens ab eorum, quibus præeſt, votis ac concluſis: habet ipſe duos aſſiſtentes, & Procuratorem Generalem, qui tertiò quòque annò in Capitulo eliguntur, & horum ſolùm conſiliò ipſe totam Congregationem adminiſtrat, ſingulis Canonicis ſuis per ſedecim actu Collegia diffuſis aſſignans domos, & illarum ſuperiores, prout judicaverit, inſtituens, deſtituénsque iterum, conformiter tamen ad Congregationis ſtatuta, quæ certos Superioribus ſuæ præfecturæ terminos definiunt, ultra quos dictus Generalis ſuperiores illos particulares prorogare non poteſt. Habet autem præfatus Generalis titulum, usúmque Pontificalium cum Abbatiali prærogativa; ſed autho-

authoritate ipſis alioquin Abbatibus longè eminentiori, ùt obſervatum eſt.

Tertium eſt: Quod ipſas conſtitutiones has Celeberrimæ Congregationis in particulari concernit, harum ſeriem cùm penes nos habeamus eo quidem accurato tenore exarata, prout ipſa ad unum jota propria manu Vener: Servi Dei *Petri* Forerii conſcripta Muſſipontani Canonici velut pretioſum teſtamentum cautiſſimè conſervant ſimul, ac obſervant, jam dudum deliberavimus huic præſenti labori inſerere, ſed retinuit iterum præmiſſi operis brevitas, illud ſolùm notare voluimus, conſiſtere easdem in quinquaginta octo ſtatutis ſeu punctis; collimant autem ea potiſſimùm ad ſalutem proximi procurandam per doctrinam parvulis, & rudioribus è populo adminiſtratam, eámque tam in miniſteriis fidei, quàm in ludo, ut vocant, litterario; deinde ad impenſam curam evitandi rumoris, & converſationis cum ſæcularibus, de qua ſigillatim punctum 12. 28. 32. 36. 37. 38. & quidem cum energia tractant: neque fruſtra, novimus enim, quantum diſciplinæ regulari nocere ſoleant tractatus cum ſæcularibus, & præcipuè eorum frequentes invitationes, & admiſſiones ad religioſorum cubicula, inibíque inſtituta colloquia &c. Verè, *qui tangit picem, inquinabitur ab eâ:* & ſi juxta S. Leonem, *dum per varias actiones vitæ hujus ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere,* quantò magis id fiet inutili mundanorum hominum confabulatione.

Serm. 4. de quadr.

Prætereà commendantur exercitia præſtantiſſimarum virtutum, præcipuè: *Exacta Charitas, profunda humilitas, paupertas omnimoda, & cæca obedientia.* Verbô: digitô Dei ſcriptas has conſtitutiones dicet, quisquis perſpexerit. Atque hæc de congregationis aliquantâ notitiâ.

Monaſteria ſub hac Congregatione ſubſiſtentia quod attinet, obſervamus, eorum quorundam acta nos ob defectum documentorum prætertire, quorum tamen in futuro opere haud dubiè interim obtinendorum notitiam communicatô modô dabimus, Præmittentes nunc Elenchum brevem Reverendiſſimorum DD. Præpoſitorum hujus Congregationis. Attamen ſine adjecta expoſitione geſtorum, utpote quòd in brevitate verſemur.

Primus itáque Generalis Præpoſitus fuit P. Nicolaus Guinet Muſſipotanus, electus 1629. die 25.Jan. obiit an. 1632. die 12. Apr.

Secundus: Beatus Petrus Forerius, electus annô 1632. die 20. Auguſti, Sanctiſſimè obiit an. 1640. die 9. Decembr.

Tertius: P. Guido le Mulier Burgundus gente, Patria Lencuriensis, electus circa annum 1641. obiit annô 1642.

Quartus: Pater Joannes Terel Nancejanus, electus annô 1642. obiit 1667. die 4. Apr.

Quintus: Venerabilis P. Joannes Etienne, quem B. Petrus ipſo ſuæ profeſſionis die perfectiſſimum fore religioſum præſagiit, electus eſt annô 1667. obiit annô 1685. in ſpe ſanctitatis.

Sextus: P. Philippus Georges Marevillanus, electus annô 1685. obiit annô 1692. vir tantæ pietatis ſimul, & eloquentiæ, ut cui palmam concedas, definiri non poſſit.

Septimus: Franciſcus Achilleus Maſſu de Blament Lotharingus, electus annô 1692. obiit 1707. die 4. Oct.

Octavus: Ven. P. Joannes le Gagneur Lotharingus è pago Rouverois Surmenſe, electus annô 1707. die 22. vel 23. Oct. obiit vir

vir conſummatæ, & præcipuè veræ Forerianæ humilitatis æmulator, annô 1714. die 26. Aug.

Nonus: P. Nicolaus Verlet Nancejanus, electus annô 1714. obiit annô 1726. die 1. Apr.

S. Ægidii Præpoſitura.

Cùm hæc æquè, ac *S. Benigni*, *S. Joſephi*, *& vivarienſis Prioratus* noſtræ Germaniæ terminos in Mappa expreſſos non attingant, de iis aliâ datâ occaſione, vita ſoſpite, diſcurrere dabitur.

Alteriacenſe S. Humberti Abbatia.

Fundata eſt annô 1144. per *Stephanum* à Barro Metenſem Epiſcopum, & *Caliſti* ſecundi Papæ Nepotem, virum ingentis virtutis, & pro Eccleſia ſua tuenda inexpugnabilem, velut acta illius manifeſtè teſtantur; de quibus alibi. Confirmavit exinde hanc nobilem fundationem *Theodoricus Stephani* ſucceſſor an. 1176. Eccleſia hujus Abbatiæ egregiâ ſtructurâ protenditur, artificii etiam ſplendore inclyta, præcipuè, affabrè confectæ feneſtræ plurium jam in ſe oculos rapuerunt; dum una earum Genealogiam Chriſti à Jeſſe usque ad Salvatorem deductam omnium Heroum imagines adpictas encauſtica arte repræſentat: altera Annuntiationis myſterium exhibet, tertia Chriſtum Cruci affixum, quarta Nativitatem ejusdem, quinta demum Virginis intemeratæ aſſumptionem &c. inter reliqua, quibûs abundat, cimelia, conſervat hæc Abbatia articulum digiti *S. Humberti* Patroni ſui Epiſcopi quondam Tungrenſis: hunc à Fundatore ſuo *Stephano* ſe obtinuiſſe gloriatur, miraculis quidem inſignem, & adeò apud exteras quoque nationes venerationi habitum, ut ad ſacram æmulationem, & nè dicam Zelotypiam aliquando fuerit Arduenſibus Monachis, hujus *S. Huberti* reliquo corpore locupletatis; etenim vaſtatæ à Burgundo Principe *Carolo* Alteriacenſi Abbatiæ, ut, quo poſſent, certiori medio ſuccurrerent Canonici, ſacri ſui pignoris circumlatione ab exteris quoque brevi tempore amplam ſummam optatâ liberalitate adepti ſunt, ſed ùt monuimus, non ſine livente fortunâ, provocati enim à laudatis monachis Alteriacenſes ſunt ad cauſam coram Epiſcopo Tullenſi dicendam *Olrico* de Albo-monte: iterata actio eſt coram Lotharingiæ geminis Ducibus *Renato, & Antonio*, eò maximè, quòd ſuffuratores, & reliquiarum ſuppoſititiarum jactatores arguerentur: lis diù vehementérque agitata, tandem in transactionem devoluta eſt, nempè: nè Alteriacenſes ampliùs reliquiàs ſuas per provincias, aliáque loca, niſi ſolam vallem *S. Deodati*, deportarent; at tanquam legitimas, ùt hactenùs, imperturbatè publico cultui exponerent, oblationes quoque ab adventantibus juxta antiquum morem reciperent. Econtrà Monachis Arduennenſibus delegatum eſt, ut in compenſationem ſubventionis quæſitæ, quotannis Alteriacenſibus quadraginta ſupra centum FrancosBarrenſes penderent:Eſtque ſententiæ huic ab utroque Abbate, Alteriacenſi quidem *Nicolao Marcier*, Arduennenſi verò *Nicolao de Malaze* ſubſcriptum, & ut à poſteris obſervetur, utrinque firmatum.

Erat olim Alteriacum Aroaſienſis Congregationis membrum, illa verò poſthìnc exſpirante, annô 1656. per *Nicolaum* Seraville ejusdem Abbatem Congregationi *S. Salvatoris* noſtri unita eſt, ſub qua usque hodie laudatiſſimè floret. Abbates hujus celeberrimi Collegii gaudent jure, ac uſu Pontificalium; habuitque illud viros ad clavum vigilantes celeberrimos; præter primum, nomine *Anſelmum*, præcipuè in appenſis ad eorum tumulos

mulos Epitaphiis laudantur *Rodolphus* Præſul quintus, qui invictâ patientiâ, incendia ſui monaſterii, hoſtiúmque incurſus excipiens hæredes Fundatoris ad liberalem donationem permovit. *Matthæus* Abbas decimus in defendendis privilegiis ſui monaſterii alter Achyles: cui accenſendus *Joannes Renaud*, *&* *Nicolaus Marcier* veritatem reliquiarum *S. Humberti* indefeſſô Zelô tuentes. Deníque *Claudius Steveney*, cui ob ingentia in ſuam Abbatiam merita ſucceſſor elegans Epitaphium Gallicis metris concinnatum appendit, quod nos in ipſo opere dabimus.

Ab annô 1660. dum *Nicolaus* Seranville Carolo Midotio homini extero, & Tullenſi tum Canonico, ſuam Prælaturam reſignâſſet ſub hac formali clauſula bullæ Pontificiæ inſerta, ut ampliùs non commendetur hæc Abbatia, ſed in priſtinam tituli naturam revertatur, eíque de perſona regulari, & idonea provideatur: hoc non obſtante, hodie ſolùm præeſt Coadjutor regularis, ex Sancti *Ludovici* Argentinenſis paſtoratu Foreriano aſſumptus Claudius du Val, electus annô 1721. quem diù ſoſpitem Deus conſervare dignetur, optamus.

Exiſtit hæc Abbatia proximè ad amnem Mortaniam vulgò Mortagne. Hugo Stivag. tom. 1. Monum. ſac. Antiq. Documenta Communicata.

S. Bodonis, nunc S. Salvatoris Abbatia.

Primordia hujus ad *S. Bodonem* ſæculo 7. florentem, & Epiſcopum Tullenſem referuntur, qui *Dei Zelô ductus in quodam prædio ſuo adunato non modico Conventu Sanctimonialium clauſtrum ibidem ſtatuit.* Inquit Chronographus Senonenſis ſæculi 13. ſcriptor. Cujus verò hæ ſanctimoniales inſtituti fuerint, non ſatis conſtat, neque, quô tempore iis amotis ſucceſſerint viri religioſi. Sæculô decimô dicuntur jam cum Canonicis Monachi commixti vixiſſe. Sic in privilegio huic cœnobio à Rege Carolo dato legimus eundem juſſiſſe, *ut dies, quo regni adeptus eſt ſolium, in refectione Fratrum Canonicorum pariter, ac monachorum* (ſcilicet 5. Kal. Feb.) *honorificè celebretur &c. Datum indict. 12. annô 16. regnante Rege Carolo.* Hoc eſt annô 912. perſtitit hôc modô *Bodonis* monaſterium ad annum usque 1010. at non eô in flore, ac munimine, quô illud *Bodo* firmavit: unde eodem aſſerente Chroniſtâ; *dictô annô Bertholdus monaſterium S. Salvatoris in Voſago in Clivo montis prope Bodonis monaſterium, ubi ſanctimoniales diximus à Fundatore ſuo Bodone inſtitutas, à fundamentis ædificavit, & ibi monachos inſtituit. Monachis verò poſt aliquod tempus inde expulſis, Canonici ibidem inſtituuntur.* An hæc ita ſint, vehementer ambigo, renuunt non ſolùm huic immutationi verùm & toti Richerii Chroniſtæ Senonenſis de hoc cœnobio relationi fidem adſtruere Canonici Domepurenſes, ajúntque, *S. Salvatoris* initia penitùs à *Bodonis* monaſterio diſtincta, uníque *Bertholdo* in acceptis eſſe ferenda, utpote qui id à fundamentis erexerit: quod nè Richerius quidem negat. Addunt alia, quæ non expedit referre, intereà fidem huic Canonicorum Domepurenſium aſſertioni ex ſola eáque (ùt apparet) ſat levi traditione deſumptæ præſtare haud nos juvat, dum conjecturæ documentis antiquis innixæ ſuppetunt aliæ. Certè quamvis in eô non adhæream Richerio, ùt dicam monachis expulſis ſucceſſiſſe Canonicos, ſic indubitatè conceſſâ (utpote pro qua fragmentum adduximus eam comprobans) cohabitatione monachorum cum Canonicis, multò veritati propiùs accedemus dicentes: *Bertholdi* co-

natu

natu ſeparationem factam Canonicorum à monachis, illíſque monaſterium *S. Salvatoris* propè *Bodonis* exſtructum fuiſſe, & concreditum. Atq́ue in hoc hallucinari facile crediderim Richerium aſſerentem, à *Bertholdo* in *S. Salvatoris* monaſterium noviter conditum inductos monachos, quippe quòd monachis nimium favere per totum ſuæ hiſtoriæ contextum ſatis reperiatur. Nunquid enim ideò monachos potiùs, quàm Canonicos à *Bertholdo* in novo monaſterio conſtitutos probaveris, quòd, cùm eidem à ſæcularibus nimiùm divexato providendum de conſervatore eſſet, in Conventionum litteris identidem *Abbatis* nomen recurrat; quaſi non æquè Canonicis, ac monachis Abbates præfuerint; aliud, quod pro monachis à Bertholdo primitùs conſtitutis proferas, argumentum, non aſſequêris. Igitur certi ſumus Canonicos Regulares *S. Auguſtini* ab antiquiſſimo tempore illuc inductos, quod vel ex ipſo Richerio diſcimus; cùm dicat, profiteatúrque ſuo tempore hos inibi jam perſtitiſſe, ùt ex ipſo Richerii contextu conficitur jam tum diu fuiſſe; eò quòd aliàs Richerius certò allegâſſet immutationis Epocham, ſi ſibi eadem tanquam recentiùs facta occurriſſet. Cùm verò inductorum Canonicorum tempus non ſuppetat ex monumentis antiquis, ſtandum tam diù eſt pro illis à *Bertholdo* fundatis (quorum aliàs initium aſſignari non poteſt, & quos certò ſcimus dudum atq́ue adhuc, non interruptâ ſerie ibidem perdurâſſe) donec à contrarium ſentientibus documenta, quæ conveniant, proferantur. Certè annô 1134. ibidem exſtitiſſe Canonicos, adeóque poſt exſtructam *S. Salvatoris* Abbatiam ſæculo uno elapſo, docet charta Agnetis Comitiſſæ de Solmis, quâ eôdem annô *medietatem Eccleſiæ, & Villæ de Ravono ad aquas* Canonicis *pro anima Godefridi Comitis Mariti ſui contulit.* Ex quo iterum patet Richerii verſutia, dum cap. *17.* ad annum non minùs 1153. quàm 1160. de hoc cœnobio *S. Salvatoris*, quaſi nullâ adhuc interlapsâ immutatione monachorum loquitur, ùt legenti patebit, cùm tamen evidenter mox relata charta evincat (transmiſsâ etiam monachis prima inductione) laudatîs mox annis neutiquam ampliùs pro eorum exiſtentia à Richerio potuiſſe pugnari, hinc oportebat diſſimulare. Non defuêre hujus Eccleſiæ Canonicis ingentia merita, quibus ſibi animos Tullenſium Epiſcoporum adeò reconciliârunt, ut multîs ab his gratiatum donîs ornarentur, *Petrus* namq́ue annô 1185. & *Odo* annô 1195. Abbates *S. Salvatoris* jurisdictione ordinaria, ac quaſi Epiſcopali condecorati leguntur in octo Eccleſias parochiales his ſubjectas: cùmq́ue prærogativa iſthæc poſtmodum à Gerardo Archidiacono Tullenſi irreverenter impeteretur, delegati Pontificii Judices ejus audaciam ſtrenuè annô 1245. repreſſerunt; ipſe quoque aggreſſor facti ſui pœnitens ultroneâ ſcripturâ extraditâ conteſtatus eſt, ſe *privilegiis, Chartis, ac monumentis; & poſſeſſione pacificâ quinquagenariâ, & ampliùs intellectis & inſpectis Querelam remiſiſſe, & confiteri tam coram ipſis Judicibus, quàm coram Venerabili Patre Tullenſi Epiſcopo - - - - - nullum jus pro repræſentatione & inſtitutione in talibus habere, & ſi quid etiam juris & facti habuiſſet, illud piè & devotè & ſine conditione qualibet in perpetuum contuliſſe.*

Quo tempore Lutheri hæreſis Lotharingiam quoq́ue pervaſit, monaſterium *S. Salvatoris* ferrum, flamamq́ue ſuſtinuit. Reparavit ſuccîſam ædem annô 1524. *Gerardinus* Jacob Abbas optimus: verùm rursùs reviviſcens Calviniſtarum

ſtarum furor annò 1565. huic eidem Abbatiæ extremam ruinam inflixit: ergò *Nicolaus* Maliart tunc loci Præſul aliò & quidem ad locum ſecuriorem conſtituere parat novi molem ædificii. Erat Domaprum villa huic Abbatiæ dudum ſubjecta, ſitu amæno, & Albimontis nobilis Caſtri munimentò ſecurum, huc ergò profugos hactenùs Canonicos pius Pater conducit, impetratâ priùs per Bullam *Pii V.* de annò 1569. licentiâ novi in loco iſto monaſterii exſtruendi. Vixdum omnia ſuam in hoc ædificio perfectionem obtinuêre, tertia infernalis furia Lotharingiam irrumpit annò 1587. Dux ille nocivisſimus, omniúmque impietatum Coriphæus Bullionius, vaſtantur iterum quæque Abbatiam attingentia, ſolam Eccleſiam cum clauſtro protegente ab invaſoribus Numine; verùm, cùm ære alieno gravati nimiùm religioſi ingemiſcerent, illata damna liberum non erat novò emolumentò diſpellere, donec reformationem bonorum ſuppeditaret reformatio morum; cùm nempè Canonici *S. Salvatoris* annô 1625. ſe Congregationi *S. Salvatoris* noſtri ſubmiſerunt. Mox enim, quaſi è ruinis reſurgentem ſuſpiciebant omnes afflictiſſimam anteà Abbatiam, monaſterium omnimodè reparatum, nec diffiditur factum, ut ſi non majori, certè priſtino eadem ſplendori in integrum reſtituta ſit, maximè ſolertiâ prudentiſſimi Abbatis Reverentiſſimi Domini *Joannis Baptiſtæ Piart* toti orbi ob doctrinam, ac virtutem notiſſimi, conſtituti (dum proceſſus Beatificationis *B. Petri* Forerii agebatur) Procuratoris, ac Poſtulatoris Generalis, poſtmodum verò ejuſdem quoque Canonizationis. Hic autem vir præclariſſimus cùm aliquamdiu clavum quoque totius congregationis *S. Salvatoris* Abbas Generalis gereret, nuper, ùt magno cum dolore percepimus, fatis ceſſit, cujus pios manes Deus æternâ requie munire dignetur.

Sita eſt hæc Abbatia ab Albomonte ſeu Blankenburg aliàs Blamont duobus penè milliaribus diſtans. Chron. Senoniens. ſpicil. Dacherii t. 2. cap. 10. & 16. & 17. Annal. Bened. L. 51. n. 82. & L. 53. n. 47. acta Epiſc. Tullens. in Berthol. Documenta communicata.

Calmuſiacenſe S. Mariæ Abbatia.

Cùm quidam ſacerdos Pius *Authenor* nomine ſæculô undecimô apud Caſtellum Romarico-monti contiguum Deo in ſanctæ ſolitudinis ſervitute vacaret, paucis colligatis in ſocietatem fratribus alius quoque ſe ſe adjungere ſtatuit *Seherus* dictus, creſcente dein numero fratrum Authenore verò obeunte, *Seherus* in Caput hujus ſanctæ congregationis eligitur.

Porrò eodem penè tempore Ludulphus Decanus Tullenſis extra mænia civitatis in honorem S. *Leonis* monaſterium conſtituens dictum *Seherum* adiit, ſupplicans, hujus quoque neo-erecti Aſceterii curam ſuſciperet, ſéque ipſum Ludulphum ſubditum poſthàc in via Domini ambulaturum dirigeret: aſſenſit juſtis precibus vir Deo plenus, & quibùsdam è ſuis Fratribus Tulli conſtitutis, ipſe utriuſque cænobii regimen ſummâ prudentiâ per aliquot annos curavit.

Demum cùm locus ab *Authenore* primùm excultus à *Sehero* inhabitatus uſque ad annum 1093. fuiſſet, at commoditati religioſæ minùs idoneus; *Theodoricus* vir nobilis, atque præclarus ejus conjuge *Hadelvide* matronâ piiſſimâ deprecante ſylvam magnam cum toto allodio de Chamous ſeu de Calmuſiaco *Sehero* contulit, pleno cum jure oratorium, ædémque erigendi

Fra-

Fratribus ibidem commoraturis, Deóque ſervituris congruam:quod munus *Seherus* animô gratiſſimô ſuſcepit, erexítque monaſterium ad hanc diem Deo auſpice florens. Dicitur à quibuſdam ſcriptoribus ſuppreſſo *Theodorici* atque *Hadelvidis* nomine *Seherus* hujus loci Fundator: ſic Rüerus hæc verba ex quodam Epitaphio ſe eruiſſe docet, nempè; *Annô ab incarnatione Domini* 1128. 8. *id. May obiit piæ memoriæ Dominus Seherus Abbas primus, & Fundator hujus cænobii, & Leonis Tulli.* Verùm ex hoc Epitaphio non plus probari poteſt *Seherus* Fundator Calmuſiaci, quàm probetur *Leonis* Tulli; ſicut autem certum eſt, & nos infrà oſtendemus, hujus Fundatorem fuiſſe *Ludulphum* Decanum Tullenſem, ſic id ipſum dicendum erit de *Theodorico* quoad Calmuſiacum. Intereà noramus, Fundatorem non ſolùm nuncupari poſſe eum, qui temporalia ad aliquod monaſterium conſtruendum bona ſuppeditat, ſed eum quoque, qui ſpiritualem ſtructuram in tali loco erigit; atque hoc modo jure *Seherus*, & Leonis Tulli, & Calmuſiaci Fundator dicitur. Huic opinioni lumen adfert Chronographus Senonienſis, qui de hac ipſa Eccleſia Calmuſiacenſi, præmiſſâ S. *Nicolai* ex urbe Myrenſi Barrim Lotharingiæ oppidum tranſlatarum reliquiarum hiſtoriâ ſic ſcribit: *Eodem ferè tempore* (id eſt annô 1093.) *Eccleſia Calmuſiaci à quibuſdam viris fidelibus inchoata fieri cœpit, quæ poſteà bonis multis augmentata, & in honore perpetuæ Virginis Mariæ dedicata, à Canonicis Ordinis S. Auguſtini dignanter incolitur*: Loquitur Chronographus hic apertè, non de illis, qui fundum, ac media contulerunt, ſed qui ſpirituali ædificio inſtituendo dederunt operam, non enim latere potuit eundem, dictos viros Religioſos non niſi benefactorum, atque ideò tunc fundatorum liberalitate attractos, manus appoſituros fuiſſe. Verùm quantum à dictis *Theodorico*, ac *Hadevilde* liberalitatis; tantum à *Goſcelino Theodorici* (paulò poſt defuncti) Fratre, ac hærede livoris, aſperitatíſque *Seherus* cum ſuis expertus eſt, iſte enim monaſterium impugnavit, & impiè planè devaſtare aggreſſus eſt, quem etiam vir integerrimus tam diu hoſtem ſuſtinuit, donec Epiſcopus Tullenſis eum minis, demum, his parùm aut nihil operantibus, anathemate ad pænitentiam malè actorum urgeret, & reſipiſcentem duodecim librarum Monaſterio præſtandarum damnaret.

Quiete hoc modo Religioſis reducta *Seherus* duos ex ſuis ad S. *Rufi* Canonicos tum optimâ vivendi normâ laudatos deſtinavit, quam edoctam ſecum Calmuſiacum inducerent, quô factô *Pibo* Tullenſis Epiſcopus *Seherum* Abbatiali honore inſignivit annô 1094. per privilegii Chartam; cænobiúmque S. *Leonis* deinceps quoque moderaturo contradidit. Hæc dum legerem, penè ab Opinione illa deflexiſſem Rüeri, adductóque per ipſum Epitaphio, alligante Calmuſiacenſis Originem Fundationis anno 1093. utpote, quòd unicô annô interlabenti vix tot viciſſitudines evenire potuerint, quibus & Monaſterium Calmuſiacenſe à *Theodorico* traderetur, & ab hujus Succeſſore Fratre vaſtaretur, rurſúmque reſtitueretur priori integritati, demum & diſciplinæ causâ addiſcendæ apud S. *Rufi* Calmuſiacenſes diverterent (certè non unâ, aut duabus diebus) erudirentúrque. Verùm ubi cautiùs *Pibonis* Chartam annô dictô 1094. ſignatam perlegeram, deprehendi in ea ſolius collati Abbatiális tituli, S. *Leonis* cænobium afficientis, mentionem haberi, non verò ſeparationis utriúſque tanquam per hanc Chartam inſti-

tutæ;

cutæ; præterea neque in iſta noratam reverſionem Calmoſiacenſium ex S. *Rufi*, denique vaſtationem illam à Goſcelino & reſtitutionem unàcum prima erectione Calmuſiaci fieri potuiſſe, inter anni 1093.initium, & 1094.finem, facilè apprehendet, qui monaſteriorum his temporibus erectorum humilem quandóque ſtructuram ex ſolo ligno confectam attendet.

Seherus igitur Abbas creatus eſt non Calmuſiacenſis, ſed S. *Leonis*: ſic litteræ *Pibonis* manifeſtè oſtendunt, in quibus ait: *Notum eſſe volumus, quia Seherum Fratrem concordi Fratrum ſuorum votô electum in Abbatem promovimus, & in ſede Tullenſi ad titulum S. Leonis, ſanctique Nicolai ordinatum S. Spiritûs cooperante gratiâ, quantùm in nobis fuit, conſecravimus.* Solùm itáque Tullenſis Abbas à *Pibone* inauguratus *Seherus* eſt: Calmuſiacum ſic erat annexum S. *Leonis* Tullenſi, ut tunc unum corpus efficeret. Religioſi præterea Calmuſiacenſes profitebantur in S. *Leonis*; ſic enim iterum *Pibo* in præfata Charta: accepta, inquit: *ab eo* (id eſt Sebero) *ſecundùm B. Auguſtini regulam Profeſſione, omnium tam Clericorum quàm Laicorum, quicúnque de procelloſo ſæculi tumultu ſub eo in unum confluxerunt, vel poſteà confluerent, curam ei commendavimus. Poſtremò, nè quorundam clericalis propoſiti Fratrum ordinatio, qui in ſylva de Calmoſiaco quietem ſolitudinis prælegerant, ſecundùm Canonica decreta caſſaretur, ut prædicto Abbati ſub eodem titulo S. Leonis, ſanctique Nicolai quiſque profiteretur, neceſſarium duximus.* Patet igitur Calmuſiacum nil niſi Oratorium quoddam tum fuiſſe, & jus profitendi ſolùm reſtrictum ad titulum Abbatiæ S. Leonis Tullenſis: quàmvis enim Calmuſiaci exiſterent Religioſi Canonici, ij tamen dependebant à Tullenſibus, ſed ordinari poterant ad titulum Calmuſiacenſem.

Non diù tamen fuit, quod Calmuſiacum ab Abbatia Tullenſi ſeparatum proprium Abbatem, titulúmque aſſequeretur, exſtat enim *Paſchalis* ſecundi Bulla confirmationis *Sehero* Calmuſiacenſis cænobii Abbati inſcripta an. 1109. quô Calmuſiacum tanquam ſeparatum Monaſterium, & abſolutum expetitis Privilegiis à *Paſchali* communitur. Sicut autem in ſæpe fatis litteris ſuis *Pibo* cavit, *ut ſi Calmoſiacum quandóque plenariam libertatem, ut per ſe eſſet titulus, per Dei miſericordiam obtineret: nulla promiſſa obedientiæ neceſſitas, nulla ſuſcepti tituli auctoritas, ut in S. Leonis, ſanctique Nicolai Eccleſia perpetuò remanerent, jam dictos Fratres adſtringeret, ſed de toto Fratrum Collegio, quos Abbas judicaret idoneos, ſic, ut voluntas eorum ſpontè ad hoc accederet, communi totius Capituli Conſiliô, in Eccleſia de Calmoſiaco legaliter titulandos deſtinaret;* Sic facta diviſione, & dedicata in titulum Calmuſiacenſi Eccleſia à *Pibone* Epiſcopo in honorem S. *Salvatoris*, & B. *Mariæ*, pariter diviſi ſunt Canonici, ac conceſſum, quem vellent ex alterutro, locum eligerent, in quo deinceps perpetuò manerent. Monaſterium autem conſecratum eſt annô 1107. in titulum à *Richardo* Albonenſi Epiſcopo 1. Cal. Octob. cùm verò pariter habeamus *Pibonem* dictô annô tranſiiſſe ad ſuperos ſeptimô Cal. Dec. adeóque 54. die poſt monaſterii dedicationem haud dubiè *Pibone* per ægritudinem impedito, id munus *Richardo* fuerit demandatum.

At dubitari tamen poſſet, an Calmuſiacum à *Pibone* in Abbatiam non antea erectum fuerit, factáque dicta diviſio, quàm in titulum à *Richardo* conſecraretur? profectò cùm lis inter Calmuſiacum, & Romaricenſem Parthenonem de Parochiali Eccleſia, & certo fundo à *Pibone* Calmuſiacenſibus collato cieretur, ipſéque Vir ſanctus *Pibo* Pa-

Paſchalem imploraret arbitrium: *Seherus* nuncupatur, non *Abbas Leonis Tullenſis*, ſed *Calmuſiacenſis*, quamvis & *Pibonis*, & *Paſchalis* litteræ annô conſecrationem dictæ Eccleſiæ præcedente, nempe: 1106. ſint editæ, imò priores fortè citiùs, dum deſiderato anni calculo, ſubſcriptus legitur dies 13. Cal. Dec.; at in aliis, quæ *Lingonis* ſubmiſit Pontifex annus 1106. diésque 6. Cal. Martii.

Sed hoc dubium ſe ultrò nequit extendere, quàm ad ipſum monaſterii Calmuſiacenſis caput, cùm igitur Seherus *Abbas Leonis Tulli* conſtitutus dudum fuerit, dicitur Abbas Calmuſiacenſis non jure tituli à Calmuſiaco ſibi vindicati, ſed jure regiminis, quô, qui Abbas erat in Tullenſi Abbatia, idem Abbas, ût Rector præſidere agnoſceretur Calmuſiacenſi: hinc in ſecunda Bulla *Paſchalis* data Lingonis 1106. 6. Cal. Martii, nunquam Calmuſiacum *Abbatia*, ſemper *Canonica* tantùm appellatur: igitur indubium videtur, Calmuſiacum ante annum 1107. Abbatiali titulo, ac jure decoratum non fuiſſe.

Præfuit porrò, dum vixerat, *Seherus* utrique cænobio Abbas, vixit autem ad annum uſque 1128. ût ex inſcriptione Epitaphii à Rüero producti conſtat: fuitque vir vitæ integerrimæ, neque vulgaris virtutis, quem Ferrarius *Beatum*, Sauſſajus in Supplemento Martyrologii *ſanctum* appellant. De cujus actis peculiaribus, ſibíque propriis utinam nobis idonea documenta aliquandò in opere noſtro edenda communicarentur.

Demum fuit hæc Abbatia diù ſolita viros alere magnæ virtutis, & nominis, donec ſenſim labeſcere in Diſciplinæ languorem inciperet, quem nunquam magis contraxiſſe, quàm ſæculô 16tô videtur, ita quidem, ut circà annum 1565. difformitatem ſui à priſtina vivendi forma penè ipſa mirari cogeretur. Sed ſuccurrit huic tam gravi morbo enervatæ obſervantiæ regularis Clemens Dei providentia; ſicut enim in ſpinas ſolent nonnunquam incidere frugum pretioſarum ſemina, quæ excreſcentes ſuppeditant cauſam ad ſimul evellenda Zizania, agrúmque excolendum ſolertia cautiore, ſic annô 1585. factum id ipſum huic Abbatiæ claret; cùm ſcilicet inter effrænes, tunc convівentes inibi Canonicos, *Regulares* quidem, ſed neſcio, an quidquam regularitatis præferentes; admirabili planè Dei ordinatione magnum illud ſanctitatis lumen, & Canonici Ordinis noſtri nobiliſſimum decus ſuſcipi peteret, beatus *Petrus* Forerius: hujus enim dexteritate, atque induſtriâ Calmuſiacum in omnem veteris Diſciplinæ, ac rigoris Canonici tramitem reducebatur pauco poſt tempore, & ſolidiſſimè continuabatur, maximè dum cœli ſimul concurrente favore, de optimis ſemper exinde præficiendis Præſulibus eidem proviſum eſt; qui ſanè ſupernæ pietatis favor inter præcipuas conſervando alicui Monaſterio conducentes divinas gratias eſt habendus. Hinc uſque hodie hæc Abbatia in ſpiritualibus non minùs, quàm temporalibus præclariſſimè florere dignoſcitur. Et, ut ex recentiſſimo exemplo reliqua dimetiamur, præſertim quàm egregios, atque ad omnem ſeu ſcientiam ſeu virtutem exculptos viros hæc laudatiſſima Abbatia enutriat, novimus annô 1714. electum in Generalem totius florentiſſimæ *Salvatoris* noſtri Congregationis ipſius cænobii Calmoſiacenſis digniſſimum Præſulem Reverendiſſimum D. Nicolaum Verlet, qui ad annum uſque 1726. præſidens, quantum ſe zelatorem vitæ Canonicæ inviolarè ſervandæ præſtiterit, quantis doctrinæ ac exemplaris converſationis radiis velut murυaro, à

Foreriano Sole, lumine toti Congregationi præfulſerit, nos aliquandò pluribûs enarraturos ſpondemus.

Sita eſt hæc Abbatia inter Eſpinallum, & Dompairæum in Diœceſi Tullenſi. Chron. Sennon. Edit. Acherii t. 2. L. 2. c. 25. acta SS. ad 8. May in prætermiſſis. Vita B. Petri For. L. t. cap. 4. Martene Theſauro Anecdot. t. 3.

Fund. ....
Floret.

Domus S. Martini, Hæc ædes religioſa eſt, & Seminarium Congregationis Forerianæ, quod Domino cooperante indubiè ſuo tempore in integrum, ac perfectum monaſterium excreſcere poſſe ſperamus.

Exiſtit tribûs milliaribûs Germ. infrà Verdunum Docum. Commun.

Fund. ....
Floret.

Domus S. Michaëlis. In ipſa urbe hujus Nominis, de quâ aliàs nihil, quod referamus innotuit, niſi quòd annò 1643. à quodam Canonicô Cathedrali Tullenſi fundata ſit. Ita Docum. Commun.

Fundat. 1096.
Floret.

S. Leonis Tulli Abbatia. Habuit hic Sanctus Pontifex ſibi præcipuo affectu devinctum Eccleſiæ Tullenſis Canonicum *Luctulfum*, dein ejuſdem Decanum. Igitur cùm paucis poſt obitum ſuum annis *Leo* in ſanctorum numero haberetur, mox animum *Luctulfus*, (ſeu ùt alii *Ludulfus*) hujus ſui integerrimi Patroni ampliùs propagandæ gloriæ applicuit, omnémque operam impendit extruendo in ejus honorem monaſterio, quod ideò *S. Leonis* Tulli nuncupationem obtinuit. Conduxit autem huic cœnobio (quemadmodùm in Calmoſiacenſis deſcriptione obiter tetigimus) providendo virum tunc Sanctitatis opinione celebrem *Seherum* Casleti commorantem, in id invecturum ejus normæ viros religioſos, quales in dicto Casleto inſtituiſſe dudum noſcebatur: id eſt, Clericos communis vitæ ſub *S. Auguſtini* regula militantes. Quod ultimum nos ex Bertholdi Conſtantienſis hiſtoria Browerus docet ad an. 1096. *Nobile*, inquit, *tunc juxtà Leucorum urbem monaſterium Clericorum, quod Canonicum Romanè appellant, à Lutulpho Sanctiſſimi Leonis Papæ filio, ſanctæque Eccleſiæ Tullenſis Decano conſtructum, & Clericos iſthic ſub præpoſito aggregatos, qui regulam B. Auguſtini ſequerentur Bertholdus memoriæ prodidit, additque Lutulphum hoc annò in Longobardia degentem, ab Urbano Pontifice retuliſſe privilegium, quo cœnobitis ipſe regulam B. Auguſtini, ceu vitæ futuræ normam, ſancivit, & Abbatis eligendi jus conceſſit: quandoquidem tunc Tullenſis Eccleſiæ moribus receptum, ut Præpoſiti Congregationum hujuſmodi Abbates & dicerentur, & conſecrarentur, uno dempto Baculi uſu, quem iis portare nefas. Porrò Lutulphum hunc à Brunone* (ſic Leo antè Pontificatum dicebatur) *qui uſq; à pueris continentiam in Clero, & pudicitiam adprimè coluit, & vindicavit, non ex thoro ſuſceptum, ſed, quod non inſolens huic ætati, pro filio poſtmodùm in Italia à Leone adoptatum; loquitur ipſius Leonis ſumma vitæ integritas.* Hactenus ex Bertholdo Browerus.

Seherus igitur primus *S. Leonis* Tullenſis Abbas renuntiatus id primò curæ ſibi habuit, ut omnis religioſæ diſciplinæ, & Canonicæ obſervantiæ regulam firmam conſtitueret, cui nè quid virium deeſſet, *Lutulphus* non ſolùm operam ſuam, ſed & ſe ipſum per profeſſionem Canonicam *Sehero* ſubmiſit; vocatus is erat ex Caſtelleto Cœnobio, ſito propè Romaricenſem Parthenonem, ùt antea, dum de Calmuſiaco locuti ſumus, notavimus. Id opinor, negari non poteſt ab illo, cui obituarium *S. Leonis* Tullenſis perſpectum, in

quo

quo diſertè legitur: *Quòd hanc Eccleſiam ſub S. Leonis invocatione conſtruxit eidem ante Pontificatum chariſſimus Luctulfus Canonicus, ac deinde Decanus Tullenſis Eccleſiæ, præficiens ei primum Abbatem Seherum, evocatum è Caſtelleto, antiqua ad Romarici montis radices domo regularium, qui obiit annô* 1130. lege 1128. 8. *id May.* hæc ex dicto obituario Papebrochius, cui teſtimonio plus deferendum judico, quàm Mabillonio ſcribenti: *Hoc tempore* (id eſt 1097.) *quidam Clerici receſſerunt, qui in Caſtelleto interpoſita inter Monaſterium Moſella, reſidebant, & ad Calmoſiacenſem Eccleſiam, quæ ab annô* 1013. *condi cæpit, ſe receperunt. Non multò poſt Seherus, qui eorum Dux erat, Præpoſitus fuit S. Leonis Tullenſi Abbatiæ, quam Venerabilis Lutulfus Decanus ſub finem hujus ſæculi ædificavit:* Quò modô enim *Seherus* ex Calmoſiacenſi ad S. Leonis Abbas poſtulatus tranſiērit? cùm obituarium clarè aſſerat ex Caſtelleto fuiſſe adſcitum. Inſuper Calmuſiacum acceſſiſſe Tullenſi Abbatiæ, cùm certis de cauſis Seherus Fratres ſuos relictô Caſtelletô Calmuſiacum tranſferret, pater penè manifeſtè ex litteris *Pibonis*; ſicut enim in iis talis Calmuſiacenſis monaſterii mentio, ut ſolius cujusdam Oratorii qualitatem adæquatet, ſic ſui initium ſatis probat per ſe ſe poſt Tullenſis cœnobii jam ad titulum Abbatialem erectionem, obtigiſſe. Deinde ſi Calmuſiacenſe initium ad annum 1013. refert Mabillonius, cùm *Seherus* hactenùs unàcum *Theodorico* indubitatus Fundator ſemper habitus ſit Calmuſiacenſis cœnobii, prout idem teſtantur citatum à nobis Rüeri Epitaphium, Chronicon Senonienſe, ipſáque monumenta domeſtica: aut iſta neceſſe eſt falſitatis arguere, aut dicendum, *Seherum* annos diù ultrà centum vixiſſe, utpote, quem Epitaphium Rüeri annô 1128. obituarium Leonis Tulli 1130. ſcribit deceſſiſſe, quod propè ultra fidem & gratis adſtruitur. Hinc nobis & ſecurius erit & prudentius non aſſertionibus Mabillonii ſed Authoritatibus veterum monumentorum mentem, animúmque accommodâſſe.

Floruerunt quoque in hoc præclaro cœnobio viri ingentium meritorum, non minùs qui Abbatialis honoris culmen obtinuêre, quàm qui alioquin ibidem Deo ſerviêrunt vitæ Canonicæ religioſi profeſſores, illos inter nè hîc ſaltem *Hugonem* Metellum præteream, movet idem, quem paulò ante citavimus Annalium Benedictinorum Author Mabillonius, qui in Analectis à ſe collectis, ac editis pag. 476. hujus eximii viri, non eximia laude (quâ ex multorum gravium virorum Judicio aliàs dignus cenſebatur) meminit, Cauſam habes, quòd Gerhardum, vel Gerardum Ord. ùt videtur, S. Benedicti Monachum aliquantò duriùs arguat, dum eundem de Euchariſtiæ ſacramento non rectè ſentientem Epiſtola peculiari interpellat, monétque cavendum ſibi ne ſcientiâ, quâ pollet, polluatur, & crimen laudi ſuæ admiſceat. Certè Epiſtola, quam in Analectis Mabillo publicæ luci dedit, *Hugonis* non ſolùm præclarum judicium, ſed & corrigendi moderamen oſtendit adeò, ut ex hac, ſi liceat æqualem de reliquis quoque ſcriptis ejus ſenſum ferre, colligi meritò poſſit, Hugonem ſibi (quòd Gerhardum delinquentem corripuerit) ſeverum nimis Cenſorem in Mabillonio meruiſſe. Nos, ut eruditum mundum hujus opinionis noſtræ arbitrum ſtatuamus, non ſolùm hanc ipſam, ſed Deo auſpice, ac eorum, quorum intereſt, favore, plures operi noſtro ejusdem Epiſtolas ad demonſtrandam liquidiùs veritatem inſeremus.

De reliquo fuit *Hugo* natus apud Tullum Leucorum auditor Anſelmi Laudunenſis, quem Guibertus Novigentius virum dicit totius Franciæ imò Latini orbis lumen in liberalibus diſciplinis, ac tranquillis moribus, & *Eugenius III.* Papa Deum Spiritum ejus reſuſcitâſſe fatetur, nè ſcriptura periret, deníque idem Guibertus ait, ejus tam ſinceram fuiſſe in ſcripturarum, ac fidei aſſertione ſeveritatem, ut plures veros ſuis probetur documentis feciſſe Catholicos, quàm inſtruere potuerit Erroneus quiſpiam temporis illius Hæreticos. Ab hoc ergò Anſelmo videtur indubiè ſeverum illum in ſectarios Spiritum hauſiſſe Hugo, ut velut alter Hieronymus eorum perverſa dogmata acerbiùs ſugillaret: Quem Sanctum Doctorem novimus, quô ampliore encomiô honoratum à Catholicis, eò iniquiore calculo tanquam virum præfervidum, & ſuis præoccupatum affectibus denigratum eſſe ab hæreticis. * Erràſſe Gerlandum aut potiùs Gerardum (utrumque enim ei nomen tribuitur) in Doctrina transſubſtantiationis manifeſtè patet, hunc errorem perſtringit Hugo, ſed ſimul Chriſtiano planè, & peramante calamo ad veritatem catholicam docendam hortatur, & revocat, ut nihil in hac Epiſtola reperire poſſis, ex quo cum Mabillonio dicere movearis in Hugone non minùs moderationem, quàm judicii gravitatem deſiderandam eſſe. Sed de hoc plura alibi.

*Vide Baudrum in Lex. univ. verbo Hieron. edit. Lips anno 1709.

Hugo hic cùm jam provectæ ætatis eſſet, Canonicum Regularem in iſto *S. Leonis* cœnobio induit, & ſe mutatum fuiſſe in virum alterum, ipſe teſtatur in Epiſtola undecima ad quendum Monachum *Gemmam* dictum perſcripta, in ea ſic loquitur: *Mutavi mentem, mutavi veſtem, & pro pellicula peregrini muris redolente, involutus ſum ovina pelle; pro pelle mardarina veſtitus ſum pelle Caprina: pro cibis delicatis, exquiſitis terrâ & aquis, placent vilia oluſcula, ruſtica legumina, faba Pythagoræ cognata: pro nectareo potu placet potus avenæ, potiùs aquæ.* Et in Epiſtola 1 ad *S. Bernardum*: ſe quidem ipſum profitetur *quondam nugigerulum*, *nunc Crucis Chriſti Bajulum*, ſed in ſubſequa ſe dicit: *Quondam Domeſticum Ariſtotelis, nunc ſervum Chriſti, & abraſis crinibus, ſcriptô libellô repudii priori converſationi, poſt hæc omnia, regulæ B. Auguſtini ſe dedicaſſe, & in clauſtro candidorum Nazaræorum ſe clauſiſſe.*

Quæ eſt in oper. S. Bern. num 432.

Tempore *S. Bernardi* videntur religioſi hujus cœnobii pauci vixiſſe, ſed & illi apud Divum hunc virum malè fuiſſe notati. Hinc, ut aboleretur injuſtè fortè afficta calumnia, ipſe Abbas tunc Siebaudus *D. Bernardum* adiit cum litteris commendatiis ab *Hugone* ſcriptis, in quibus hic tum hujus *Siebaudi* virtutes commendat, tum livorem detractoris enervat argumentis ad rem facientibûs: videtur porrò qui ſiniſter adeò relator exſtitit, fuiſſe quidam ejuſdem Abbatiæ, de qua agimus, Canonicus, Heribertus nomine, utpote de quo alia ejuſdem *Hugonis* Epiſtola, ſed nomine Abbatis ſui ad Guillelmum Abbatem ſcripta agit, in qua oſtendit in Heribertum irritatum fuiſſe Siebaudum; quòd is aſpera & irrita de eo, & fortaſſe de tota *S. Leonis* congregatione ſparſerit, quamvis id in hac Epiſtola non prodatur, utpote cùm videatur Heribertus deſeruiſſe locum ſuæ profeſſionis: *Præter ea*, inquit Abbas, *longè plus irritavit nos Dei noſtri injuria, quàm noſtra, cujus pactum irritum fecit.*

Denique hæc Abbatia, cùm diverſis vicibûs jactaretur, ut ſibi de firmiſſimo protegendæ diſciplinæ regularis muro provideret, annô 1627. ſe Congregationi Forerianæ univit, cujus præclariſſimum mem-

membrum eſſe adhuc conſpicitur: Abbatiæ tamen Commendatarium Abbatem præeſſe, ſolúmque ejus Præſulem ſub Prioris nomine monaſterium gubernare ab amico edoctus ſum.

In hac Eccleſia præcipuo honore colitur S. Liberia Martyr, cujus ſacro corpore decoratur.

Sita eſt propè urbem Tullenſem. Browerus L. 12. Ann. Trevir. n. 110. Papebr. in Parelip. ad Conat. Pont. Diſſert. 37. Mabill. Annal. Bened. L. 69. n. 81. & in Analect. pag. 475. Docum. Commun.

S. Ludovici Domus, ſeu Paſtoratus. Quo tempore quóve Authore hæc domus Forerianæ Congregationi ceſſerit, experiri uſque dum nequivimus, nunc ibidem Adminiſtratoris munus gerit P. Benedictus Hurault. Cætera incognita.

Exiſtit in urbe Argentoratenſi. Docum. communicata.

Lunevillenſe. S. Remigii Abbatia. Referuntur hujus initia ad annum 990. quô *Folmarus* Comes Metenſis hoc Cœnobium condidit, & Monachis incolendum conceſſit: perſtitêre in eò uſque ad annum 1034. tunc bonis temporalibûs cum vita regulari ad ſupremum defectum deductis. Quô adnitente, haud cognitum, Abbatia Virginibus ſacris extraditur, ſed & iſtis ad unam uſque lenta tabe conſumptis paulò poſt ſuccedunt Regulares Canonici. Hæc Abbatia notatu digniſſima, quòd prima omnium reformationem Forerianam ſuſceperit, & in ea ſeptem illi ſanctiſſimi viri hujus Canonicæ reformationis ſub Directore Forerio Authores per integrum annum religioſæ vitæ Tyrocinium poſuerint, ex qua dein velut quadam olympiaca Palæſtra prodeuntes probârunt opere, quàm ſolidâ virtutum armaturâ proviſi fuerint, dum inducto liberiori in Canonicam normam, laxiorique Spiritui bellum moventes, glorioſam victoriam in ſæcula perennaturam felici conflictu reportârunt.

Cùm annô 1732. ſacrum *B. Forerii* corpus Matincuriæ exhumaretur, præter alios quinque hujus venerandæ Congregationis Præſules Sextus adfuit Lunævillenſis Abbas Reverendiſſimus Dominus *Sigisbertus* Verlet: qui tamen non multò poſt tempore, annô nimirum 1734. ad æternam cum *B. Petro Forerio* obtinendam ſocietatem è terris, ad filiorum ſuorum, quos reliquerat, non levem mærorem, maximum verò ſuum ſolatium avocatus eſt, ùt piè ſperamus. Jungamus poſtremò Reverendiſſimum *D. Franciſcum Huguin*, qui ob ingentia, quæ ſibi in hac Abbatia Lunævillenſi collegerat virtutum decora primùm deſiderante Duce regio ad Abbatiam Calmoſiacenſem transferri, dein Patrum unanimi Calculô promeruit, ut in defuncti Reverendiſſimi Generalis *Nicolai* Verlet vices, ac dignitatem annô 1726. vocaretur, cùm jam per 24. annos huic noſtræ Abbatiæ digniſſimè præfuiſſet.

Exiſtit hæc Abbatia in ipſa Ducali urbe Lunevillenſi. Bedel. in vita Forer. L. 1. c. 16. & 18. Docum. Communic.

Mataincurienſe. Nunc adhuc Parochia: ſed in actuali promotione ad *Prioratum*. De hoc ſacro aſceterio placuit tranſcripta per Reverendiſſimum *D. Joannem Piart* Abbatem Domaprenſem de die 3. Julii 1732. ſubjungere. Lis, inquit, cum Mataincutienſibus de corpore *B. Petri Forerii* diutiùs agitata ad plerorúmque vota terminata eſt. Remanebunt ſacra Beati oſſa Matincuriæ, ſed pactis inſtrumentô publicô, ſeu transactione utrinque voluntaria, de die 21. Junii proximè elapſi con-

 ditio-

ditionibus, etiam ab illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Tullenſi Diœceſano, & ſupremâ authoritate Ducali firmatis, quibûs agnitum fuit & expreſſum, venerandum corpus Jure proprietatis eſſe Congregationis noſtræ, ipſum fore collocandum in capſa curis & expensis noſtris jam jam confecta exquiſitori arte, non verò in alia, quam & ipſi Matincurienſes fieri duobus ferè ab annis curaverant, nec adeò egregia: Claves capſæ noſtræ, priùs ſigillis Epiſcopi Diœceſani, & Congregationis noſtræ munitæ, ſervandas fore, unam in Reverendiſſimi Superioris noſtri Generalis manibus, alteram in Paſtoris Matäincuriæ Canonici Regularis, & eandem, quem mallemus, Eccleſiæ loco exponendam, licèt crate ferrea, eáque deauratâ, tribus ſub Clavibus, quarum una erit penes majorem, ùt vocant, incolarum communitatis, concluſam. In his adjectæ fuerunt in inſtrumento Clauſulæ, quibus fundi ſpatium ſat amplum nobis conceditur ædificandæ novæ in honorem Beati Eccleſiæ, & ad loca regularia, ad Canoniam duodecim ſaltem Canonicorum conſtruendam præter jura in Sylvis, & paſcuis non modicè utilia.

Hoc ipſo in conſeſſu, in quo decretus eſt iſthic erigendus Prioratus, actum quoque eſt de exhumatione inſtituenda ſacri corporis *B. Forerii*, & ad 30. Auguſti deſtinata, ſubſequis dein tribûs diebûs pro ſolennitate Beatificationis celebranda ſtatutis, quæ dein feſtivo ritu ab Epiſcopo Tullenſi per mandatum extenſa eſt, ut peragatur à tota Diœceſi per ſolenne ſacrum cum propria de Beato collecta, & hymnum Ambroſianum in fine decantandum.

Donec divina pietas, proſperétque hunc noviter exurgentem Maraincurienſem Prioratum ſuis gratiis atque favoribûs, tribuat deníque in recenter erigendo monaſterio iſto, ut plures reperiat *B. Petrus* Noſter, ſicut ſui inſtituti profeſſores, ita & virtutum, meritorúmque ſuorum imitatores.

Exiſtit Mataincuria propè Mirecurtium non longè à Fluvio Majdon Docum. Communic.

Muſſipontanus Prioratus.

Hujus exordium certo tempori illigare non audeo, quamvis enim in *B. Petri* vita Bedelius de hoc loqui videatur, dum ait: *Muſſiponti degens* (B. nimirum *Petrus*) *antequam Seminarium noſtrum exſtructum fuit, ſuum diverſorium apud D. Mariam Majorem habuit &c.* Adeòque ex his propè veritatem ſit per Seminarium iſtud hunc ipſum Prioratum poſſe intelligi, niſi tamen certiora edocear, id definire non præſumo. Seu igitur hoc cœnobium *Petri* tempore, ſeu anteà conditum ſit, id certum, Beato huic viro locum iſtum chariſſimum fuiſſe, & verè dici poſſe, jam tunc exſtitiſſe illud Seminarium quoddam pietatis. Vixit námque in eo, & ſcientiam Sanctorum brevi tempore, ſed ampliſſimo Spiritu hauſit Venerabilis *Nicolaus* Guinetus primus hujus Sacræ Congregationis Generalis; qui quamvis totius vitæ ſuæ curſum ſolis triginta duobûs annis compleverit, adeò tamen omnigenâ virtute excelluit, ut vel ex ipſius B. *Petri* Conſilio dignus æſtimatus ſit tanto muneri primus omnium præeſſe. Hic idem Prioratus toti Congregationi tantis in amoribus eſt, ac veneratione, ut uſque hodie electus ſit in perpetuum Præpoſitorum Generalium domicilium: aſſervatur iſthic tanquam pretioſum depoſitum illud omni Regio Thalamo præſtantius feretrum memorati Venerabilis Nicolai Guineti, de quo iſta Bedelius: *Somnum*, inquit: *capiebat in feretro*

tro tam anguſto, ut vix in eo corpori locus eſſe poſſet ; loquor ego cum certitudine, quandoquidem domus noſtra Muſſipontana pretioſa hæc depoſita ſe poſſidere gloriatur.

Ut nil memorem nobiliſſima M.-Scripta ſummèque ob antiquitatem colenda, inter quæ eminent ſtatuta Congregationis propriâ *B. Petri* manu exarata, neque doctiſſimos viros, qui locum iſtum identidem decoravêre, è quibus tamen non omninò prætereundus Joannes Bedellius vitæ Foreriana ſcriptor accuratus, eruditus, ac pius, hujus inclyti Prioratûs digniſſimus aliquando Alumnus.

Exiſtit hic Prioratus in urbe Muſſipontana. Bedel. in vita Forer. L. 2. C. 10. & 14. Docum. Communic.

Petri Montis, aliás Pieremont. Abbatia.

Cùm ſæculô undecimô ſub *Gregorio* ſeptimo ſummo Pontifice Henricianum ſchiſma Eccleſiam vehementer affligeret, legitimo ejus capiti Imperatore malevolo Wibertum Ravennatenſem Archi-Epiſcopum ſub Clementis III. nomine obtrudente, tum Eccleſiæ Metenſis Canonici complures unà cum *Herimanno* piiſſimo Epiſcopo firmiſſimum ſe pro domo Iſrael murum oppoſuêre, ne ſchiſmatici Cæſaris impietate contaminarentur: inter primos, qui *Herimanno* pro jure *Gregorii* tuendo adhæſerant, *Lubricus* erant Metenſis Eccleſiæ Cancellarius, & *Gacelinus* Eccleſiæ Collegialis S. *Salvatoris* ibidem Canonicus. *Lubricus* enim plurima pro Eccleſiæ, Summíque Præſulis defenſione perpeſſus cum *Gacelino* in locum à turbis ſemotum recedens perſecutionis Henricianæ procellis aliquantùm vitatis ibidem Deo religioſè ſervire cum ſociis quibuſdam aliis adhuc ſe ſequentibus conſtituit, hinc in loco de Monte Brianci clauſtrô erectô circà annum Domini 1096. regulam S. *Auguſtini* ſuis obſervandam præfigit ſub Canonico inſtituto.

Fuit *Lubricus*, ſeu *Leubricus* (ùt alii ſcribunt) vir apprimè honorabilis etiam ſanguinis nobilitate, cùm à primoribus ſuum duxiſſe Originem Meuriſſius eruditè demonſtret: neque eidem defuit vitæ inculpatæ integritas, certè is fuit, cui Deus *Herimanni* Epiſcopi ſui poſt obitum feliciter viventis ſtatum aperire dignatus eſt illa mirabili viſione ac revelatione: cùm rectè dictô Herimannô vitâ functô, Reliquiæ S. *Clementis* paulò ante ab ipſo elevatæ, & dudum miris prodigiis claræ, ab omni penitùs conferendo beneficio ceſſarent, rem itáque tam inſperatam universa plebe mirante non minùs, quàm plangente, ecce *Lubrico* cæleſti miraculô panditur: intra præfatam prodigiorum aliàs à S. *Clemente* ſolitorum dilationem, beatum hunc Pontificem ante tribunal Chriſti pro anima *Herimanni* cum Diabolo acerrimè decertare: obiiciebatur ei ab hoc, quod metu mortis inconſtanter ſe egiſſet inter diſſenſionem regni, & Sacerdotii, malens fugâ perſecutiones, & Eccleſiæ ſuæ perverſiones violatô Sacramentô (quod more Imperiali exigitur) prævenire, at B. *Clemens* ſui ſuſcipiens cauſam vicarii pro ſingulis piiſſimo judici preces genu flexô fundebat: demum ſupplicatione tanti interceſſoris cernebat Lubricus commotum divinum judicem Herimanno veniam indulgere, & maledicto accuſatori imperare ſilentium, & ſi aliud non eſſet, quod virum hunc, piiſſimúmque Fundatorem probaret virtutis æmulum omníſque iniquitatis inimicum, vel ſatis id oſtenderet Henrici in Lubricum mens iniqua, qui aliud in iſto odiſſe non potuit, quàm probitatem: ut utriusque acta ſatis oſtendunt.

Apud Acher. in Spicil. T. 2. pag. 220. Col. 1. §. *hic Hermannus.* NB. addit in fine author ſequentiâ: *quamvis verò divinæ nulla ſit mora efficacia, tamen quia trinitatis eſſentia in humanitatis Chriſti perſona judicat omnia ex diſpoſitionis ordine diſcuntur fieri mora.*

Hæc

Hæc Abbatia præclarè fundata præclariora ſemper incrementa obtinuit, & inter fulmina Henricianæ afflictionis adolevit ùt Laurus: ſemper quibûſdam virtutum amatoribûs eandem ſuô ſubſidiô ſolantibûs. Sic legimus eô ipsô, quem Fundationis annum auguramur, id eſt 1096. *Mathildem* Filiam Bonifacii Marchionis Longobardiæ, & *Beatricem* Filiam *Friderici II.* Lotharingiæ Superioris Ducis, & Comitis *Barri* Eccleſiam S. *Petri* largîs donationibûs cumulâſſe. *Urbanum* dein ſecundum eandem dotem ſuâ Bullâ eôdem annô Mediolani 7. Cal. Junii confirmâſſe &c.

Cùm inſtitutum Canonicum in hanc D. *Petri* Baſilicam *Lubricus* induxiſſet, ipſe primus ſuorum factus Præpoſitus regimen ad annum usque 1099. produxit, quò ad virtutis anteactæ præmium feliciter tranſivit. Succeſsére *Lubrico* continuatâ ſerie præclari Præſules; demùm annô 1607. cùm præſideret Joannes Roman Abbatiali titulô dudum inductô *Clementis* octavi auctoritate uſum quoque Pontificalium adjunxit, depoſito ſimul tunc de ejuſdem licentia veſtitu candido, reaſſumpto nigro, quem ab origine Fundationis Canonicos hoſce geſtâſſe prætexunt. Quam permutationem ſicut laudare nequeo, ſic nec reprehendo, ſi modò cum Candore veſtium Candor non ſimul deponatur animorum, quod in hac Abbatia neutiquam factum fuiſſe probat tum Zelus ille omni dignus præconiô, quô ſe jam annô 1624. reformationi Forerianæ ſubmiſerat, primúmque inter reformata à Bedellio memoratur: tum virorum inſignium ibidem Profeſſorum memoria, de quibus nos alibi plura dicturi ſumus.

Exiſtit propè Danubrium occidentem versùs. Meuriſſ. in Ep. Met. Chron. Epiſc. Meten. apud Acherium ſpicil. t. 2. pag. 229. Pennot. Hiſtor. Ord. L. 2. C. 39. n. 6. Bedel. vita Forer. L. 1. C. 18. document. communic.

Atque hæc de monaſteriis noſtris in Lotharingia florentibus brevi ſtylô communicare libuit, præcipuè in cultum & gloriam magni Diſciplinæ Canonicæ Zelatoris, ac Reſtauratoris in iis partibus *B. Petri Forerii*, nec non & in feſtivam totius Congregationis *Salvatoris* noſtri laudem, & præconium ſempiternum. Nos tantis votis precamur, ut hæc celeberrima Congregatio creſcat in mille millia, atque tum accedentium, tum de novo exurgentium monaſteriorum numerô augeatur, quantô deſideriô exoptavit BeatiſſimusForerius omnem Canonicum ordinem ſub ſancta & illibata regulari Diſciplina Deo usque in finem mundi fideliſſimo famulatu militaturum. Nunc ad Congregationem VirginumForerianarum transgredimur.

Congregationis noſtræ Dominæ Virginum Canonicarum à B. Petro inſtitutæ, & Parthenonum ſub eadem exiſtentium deſcriptio.

Hujus Congregationis Originem, ac progreſſum jam triplici idiomate divulgatum, gallicô nimirum, Latinô, & Germanicô, quamvis noverimus necdum tamen ideò retinebamur, quò minùs hìc totum repereremus, conſulturi Lectoris aut otio, aut emolumento, ne diſtractus alibi ſupplere cogeretur, quod iſthic producere aliundè expediret. Huic inſuper accedebat rem tam commodam non penitùs differendam, verùm brevi ſaltem relatione exhiben-

hibendam in præſenti: dandum verò in ipſo opere, quidquid ſeu ad exordium Congregationis hujus, ſeu ad primarum illam inſtituentium Perſonarum magnâ planè virtutum & ſanctitatis famâ fulgentium vitam, ſeu denique ad ejus incrementum conferre judicaverimus. Nam cùm ipſius hujus Congregationis inſtitutio adeò colligetur cum ipſa tum B. *Petri* tanquam Fundatoris, tum Venerabilis *Alexiæ* de clerc tanquam primæ Præpoſitæ vita, ut unum ex integro referre ſine altero vix, ac ne vix quidem poſſit, hinc nemo aſpernabitur, quòd in ſynopſi, quam hic ſubnectimus, ſaltem rudem quandam notitiam Lector necdum fortè aliàs informatus de ſæpe dicta Congregatione habere poſſit.

Diximus jam, ubi vitam B. *Petri* deſcripſimus, quô modô Vir ſanctus geminam Congregationem, Virorum ſcilicèt, ac Virginum inſtituere ſit aggreſſus, diximus inſuper ſpeciatim de primis cauſis ad utrumque promovendam compellentibus; diximus denique quàm felici operâ obſtacula omnia amolitus ſit, & progreſſum exoptatiſſimum in multiplicatis tot Virginum monaſteriis adhuc vivens ipſe viderit, & Divinam in hoc Clementiam ſibi tam larga benedictione propitiam meritò potuerit admirari; ſolùm nunc paucula adhuc enumeranda occurrunt, quæ ipſam genuinam Originem reſpiciunt. Itáque *Petrus* collatô omni Conſiliô, ac prudentiæ moderamine, quod profectò amplecti in re nova, & magni ponderis negotium Præſeferente oportet, cùm, quæ ſe primam ad ſeriam converſionem vitæ & ſæculi abdicationem obtulerat *Alexia* de Clerc, adeò inconcuſſa in ſuo propoſito ſerviendi Deo firmâſſet, ut de ejus conſtantia nil ambigui ſupereſſet ampliùs, inſuper mira Dei ordinatione quatuor adhuc aliæ Virgines ſe *Alexiæ* inconvulſo pietatis nexu adjungerent, & non minùs, quàm ipſa, ſolùm B. *Petri* exſpectarent directionem, quo demum in portu ſpem vitæ Religioſæ ſanctè inſtituendæ tanquam Anchoram ſuæ ſalutis figerent: ipſe autem Beatus dudum jam cum Deo tractâſſet, concluſiſſetque, novum illud Virginum inſtitutum ordiri, quô puellæ parvulæ, & adhuc innocentiæ baptiſmalis candore decoræ ad omnem Chriſtianam pietatem erudirentur: earum Virginum (ad quid inclinarent ipſæ) animum ſic tentare eſt aggreſſus. Cùm Virgines prædictæ ad Parthenonem *Portûs ſuavis*, ſeu, ùt Galli loquuntur, *Pouſſeus* à duobus in eo loco nobilibus matronis & Canoniſſis (ſed quas ſanctimoniales dicimus) Domina de Aſpremont & Freſnel magno charitatis affectu eſſent acceptæ, ibidémque conceſſum illis domicilium, ut, quo poſſent gratiorî obſequiô Deo famularentur, donec, quid ſtatuendum ſit de firmo quodam, ac certo amplectendo inſtituto, deliberarent; *Petrus* iiſdem tranſcripſit Epiſtolam, Poſtulans, ut quævis earum, nec conſultâ alterâ, prout cuíque Spiritus Divinus dictaverit, ipſi occluſis litteris inſinuet, & quid quæque intendat, an ordinem aliquem jam in Eccleſia ſtabilitum ingredi, an novum conſtituendum amplecti? rem miram! ſecutæ mandatum Patris, ſecretô unaquæque cordis ſui Conſiliô tranſmiſit Epiſtolare reſponſum, & dum *Petrus* cujusvis Chartam aperit, invenit certiſſimô Divinô oraculô factum, ut omnes quinque in id propenderent, quod unum *Petrus* nutriebat in pectore, ſed revelare nondum poterat; ſcilicèt novum ſe Ordinem exoptare, huicque ut nomen dent, quamvis earum Virginum impensè cupere. Dei ergò

voluntatem adorans *Petrus*, qui ſolus facit utraque unum, rem ſeriò aggreſſus eſt, cùmque jam annô priori, ſcilicèt 1598. quædam ipſe confeciſſet ſtatuta, quibùs dirigere ſacrum à ſe inſtituendum Conventum parabat, accedebat Epiſcopum Verdunenſem, cujus territorio Portus Suavis innectebatur, rogabatque approbationem harum Virginum dirigeodarum, quam etiam Epiſcopus benignè indulſit, at verbis tantum, non ſcriptis, mox apertæ ſunt ſcholæ, nec defuêre complures puellæ Scholares, imò cùm tantam in his Virginibus omnis populus cerneret ſcintillare pietatem, ingentemque fructum in parvulis erudiendis accumulari, advolarunt & Virgines, quæ ſe *Alexiæ*, ſuiſque Sodalibus adjungere poſtulabant; ut adeò intrà breve tempus numerus ad duodecim ſit adauctus: & quamvis quidem una earum malo inducta ſpiritu totum penè negotium tam ſalubre, ac ſanctum in brevi depravâſſet; ille tamen, qui
Iſ. 40, 29. *dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat*. Suggeſſit pientiſſimæ Dominæ de Aſpremont, ut (cùm inſtigante iniquo Dæmone, Virgo illa malevola Bartholomæa nomine Canoniſſas ad dimovendam Alexiam induxiſſet) eadem Mataincuriæ propriis ſumptibus domum Virginibus coëmerit, illæque hinc dimiſſæ duplici fænore potirentur, tum, ut fierent piiſſimo Patri ſuo ſpirituali propiores, tum ut ſecuriorè poſthac virtutum exercitio ſe in ſpiritu, nobili planè exemplô, fundarent; Mataincuriæ enim ſubſiſtentes paucô intervallô præſtantiſſimos iterum ſuâ ſolitâ eruditione fructus in juventute puellari protulerunt: ſolùm itáque ſupererat, ut ſe tandem ad certum ſtatum, ordinémque firmarent. Suaſere docti æquè ac pii, præſtare longè antiquum ordinem eligere, aut ſaltem jam à ſede ſuprema approbatum, quàm novum operoſo nimis, & eô forſan irrito conaru moliri; ingrederentur itáque (ſic aliqui eorum ſentiebant) Verdunenſe S. Claræ Monaſterium, rectè eodem tempore à quodam eximio, religioſóque viro reformatum; alii ſuggerebant inſtitutum Urſulinarum, eodem quoque tempore Pariſiis exortum: ſed omnibus his Conſiliis non tam Virgines ipſæ, quàm qui omnium corda dirigit Deus renuit aſſentiri: quodque *Petrus* intendebat, novum inſtitutum ſuum ſortiri effectum debuit rer-fauſto progreſſu. Hic enim obfirmatô ad hanc rem ſtudiô annô 1601. Liverdunum (quod eſt Epiſcopi Tullenſis Caſtrum, & in quo tunc idem reſederat cum multis Eccleſiaſticis, & Religioſis Perſonis Conventum acturus) contendit, ſupplicémque ſuum libellum in omnium præſentia Epiſcopo extradidit, petitum de erigendo novo Virginum Religioſarum inſtituto continentem. Facili primùm ſibilô elidebatur B. *Petri* poſtulatio, & ſi unum excipias, omnium reliquorum ora reijciebant eandem; at non deſtitit infractus *Petri* animus, & advertens non tam præſentium ſibi adverſari vota, quàm Sathanæ, omne opus ſanctum interturbare conantis, vaſritiem; aſſumptô fervote Spiritûs perorabat in conſeſſu Patrum tantô verborum pondere, tantâ adductorum motivorum energiâ, ut quidam Metenſis Canonicus, & Carbedralis Eccleſiæ Cantor Dominus à S. Germano, ultronei ſilentii impotens liberè exclamaret: *Verè digitus Dei eſt hic, audiendum, quid loquatur Dominus?* Hujus igitur præclariſſimi viri, & alioquin à virtute ſua, ac eruditione notatiſſimi pro *Petro*, declamantis ſententia mox omnium animos primùm ad accuratiorem negotii diſcutiendam

cauſam,

cauſam, dein ad optatum aſſenſum commovit. Re ad plenum confectâ, jam de Monaſterio inſtruendo Petro ſollicito, cùm Mataincuriæ ad id ſe quædam impedimenta opponerent, ecce tibi, piiſſima Domina jam memorata, *Juditha* de Aſpremont gaudens ad exequendum incæpta, ſuas ad S. Michaëlem (urbs eſt Lotharingiæ ad Moſam quinque Milliar. Verdunô diſtans) ædes eximia liberalitate defert. Iterum hìc ſuſtollenda remora, nam urbe Virdunenſi Epiſcopo tunc Errico de Lotharingia in Sacris ſubjectâ, *Petrus* noviter ſui inſtituti rationem, cauſámque perorare cogitur, at diſquiſitione deductâ, tanto cum applauſu recepta eſt ejuſdem ſupplicatio, ut Epiſcopus primâ Epiſtolâ Dominam Juditham dignaretur, moneretque congratulando ejus liberalitati, ad continuationem operis tam ſanctâ intentione concepti.

Itáque ad S. Michaëlem Collecta Virginum pars, alteram Mataincuriæ ſibi reſervatam *Petrus* volebat, utpote quòd earum precibûs multùm egeret, quarum ſubſidiô ſe ſemper à Deo aſſerebat eſſe exauditum: Earum hæc fuêre nomina, *Alexia de Clerc, Gante André, Joanna Louvroir, & Claudia Chauvenel.* An. 1602. die 7. Martii jam plena duorum Epiſcoporum munitæ approbatione inſtitutum ſuum ſecundùm præſcriptas à *B. Petro* conſtitutiones (quæ primæ, eæque breviores vocantur) exactiſſimâ regulari obſervantiâ aggrediuntur, ſcholas aperiunt, inſtillant velut piæ Matres in corda Juvencularum pietatem in ſuperos, omnémque innocentiæ conſervandæ curam tantâ ſolertiâ, ac inſtruendi ſagacitate, ut fama hujus belliſſimæ inſtructionis non ſolùm per totam Lotharingiam, ſed in ipſam quoqueGalliam divulgaretur, Quid, quod jam annô 1603. *Carolus* Dux Lotharingiæ, & alter *Carolus* à Lotharingia Cardinalis diſertis à Petro litteris expeterent, hoc ipſum inſtitutum Nancey quoque urbe fundandum, ex quo ſimul mox præfatus omnium bonorum memoriâ digniſſimus Cardinalis eodem anno de dato 8. Decemb. Bullam Apoſtolica authoritate his Virginibus extradidit, ut earum Congregatio ſub titulo *de Notre Dame* paſthàc nuncupetur. Annô 1604. iterum novum Muſſiponti pro iisdem exſtructum eſt domicilium: annô 1605. aliud ad S. Nicolaum: annô 1610. Verduni, & 1613. Catalauni. Deníque ad annum uſque 1640. *Petrus* vitam ſuam Beato fine concluſurus monaſteria actu ſub hac nova congregatione florentia 47. numeravit.

Annô 1614. cùm tantô accrementô cerneret Congregationem ſuam *B. Petrus* à Deô benedici, in id præcipuè incubuit, ut tanquam vera jam ordinis religioſi filia reſpiceretur, hinc per Lotharingiæ Primatem, & Cathedralis Eccleſiæ Nancejenſis Canonicum Antonium Lenoncour à Sede Apoſtolica confirmationem ſolennem ejuſdem Congregationis obtinuit, datâ per *Paulum V.* Bullâ ſignatâ an. 1615. Kalend. Febr. & rurſum alterâ ejusdem Summi Pontificis ſignatâ annô ſubſequô 1616. pridie Nonas Octob. in quarum utrâque mirum in modum dilaudat hoc inſtitutum Pontifex, agnoſcens *ſimul has ſacras Virgines divino inſtinctu congregatas tenerioris ætatis puellas in legendi & ſcribendi præceptis erudire, ac doctrinæ Chriſtianæ rudimentis, pietatisque exercitiis, ac probis moribus ſic informare, tam nobiles & divites, quàm pauperes nullo diſcrimine admittentes, ut univerſa cujuslibet humanæ mercedis ſpe, ac ſpecie repudiata inſigni planè progreſſu ex Juvenili eruditione gratuita hujusmodi emanante cum excellenti fru-*

ctu, & magna Prælatorum, Principum, Optimatum, incolarum, populorúmque conſolatione, & applauſu exemplariter, & laudabiliter perſtiterint & benedicente Domino perſiſtant &c. dicuntur autem in hac gemina bulla ſolùm ſub regula, & inſtituto S. Auguſtini religionem profiteri, quod etſi ſtrictè ſumptum jam poſſet ad Canonicum inſtitutum coarctari, attamen propriè ſub hoc nomine primò nuncupari cæperunt ab annô 1628. brevi Apoſtolico pro eadem nomenclatione, & Ordinis Canonici incorporatione obtento ab Urbano VIII. in quo ſic ait: *Licèt dictæ Præpoſitæ, Superiores ſeu matres, & Conventus Deo famulentur; verùm quia illis quod ſecundùm hujus ordinis particularia ex plurimis ſub eadem regula* (S. ſcilicèt Auguſtini) *exiſtentibus inſtituta militare debeant, nondum eſt determinatum; propterea Præpoſitæ, Superiores, ſeu matres ipſæ inſtitutum Canonicorum Regularium in illis partibus nunc maximè florens, & quod ſibi valde convenire judicant, complecti intendant, propterea que ſibi, ut de cætero perpetuiſque futuris temporibus Canoniſſæ regulares S. Auguſtini nuncupari & denominari poſſint, concedi ac facultates gratiæ, cæteráque privilegia tam Spiritualia quàm temporalia cæteris ejuſdem vel cujúſvis ordinis, & Congregationis Lateranenſis monaſteriis & regularibus locis illorúmque perſonis hactenùs conceſſa, & impoſterum concedenda &c. ſummoperè deſiderent &c. Nos igitur, qui perſonarum regularium, præſertim verò Sanctimonialium ſtatum ſtabilire totis exoptamus votis &c. Præpoſitis, Superioribus, ſeu Matribus, ac monaſteriorum ſupradictorum ſeu expreſſorum monialibus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut ex nunc Regulare inſtitutum Canonicorum Regularium ejuſdem Ordinis & Congregationis B. Mariæ perpetuò aſſumere, nec non ſub illo ſeu illa militare, ipſiſque Canonicis Regularibus in omnibus & per omnia, ſervatâ tamen perpetuâ clauſurâ ſe ſe conformare poſſint &c. dicta Apoſtolica Auctoritate etiam perpetuò concedimus & indulgemus.* Verùm quia necdum introductæ vitæ religioſæ primordia in hac congregatione, nec quoque ipſam genuinam hujus inſtituti ſpeciem meminimus, neceſſe eſt, ut de his quædam ſubjiciamus.

Quæ ultima hujus inſtitutæ Congregationis meta à *B. Petro* intenta fuerit, jam obviè ſuperiùs attigimus, attamen, ut hanc diſertiùs explanemus, repetenda ſunt nobis Nancejenſis Parthenonis exordia, cujus fundatorem ſe *Antonius* Lenoncour jam præfatus exhibuit. B. itáque *Petrus* videns quotidianum ſuæ intentionis profectum; cùm antea Virgines ſub ſua directione Domino ſervientes ſolùm proviſionalibûs quibûſdam conſtitutionibûs informaret, ut cæpto negotio optatam perfectionem adjiceret, alias & quidem, prout accuratàm totius temporis, morúmque inſtituendorum normam continerent, conſcripſit, annô 1617. publicè trium dierum præmiſſo examine ab Epiſcopo Tullenſi, tanquam conſtituto ad hoc Apoſtolico Comiſſario, totóque tunc collecto Eccleſiaſtico conventu die 9. Martii ſummo applauſu confirmatas. Die igitur Virgini præſentatæ ſacrato *Alexia* cum duodecim ſodalibus annô mox prætactô 1617. ſolenni inveſtitione Nancejano in monaſterio Deo deſponſata eſt. Beatus autem *Petrus* ab ipſo Summo Pontifice *Paulo V.* & ab Epiſcopo ad hunc actum Commiſſarius deputatus eidem magnâ, ùt univerſim ſolebat, Spiritûs devotione, ac fervore præſidebat. Sanè cùm nil magis caveret vir prudentiſſimus, quàm puellas à ſæculo abſtrahendas, & inter arctam quatuor murorum cuſtodiam conſtringendas fallendo traducere, hinc non perſuaſas,

ſuaſas, ſed volentes ipſas prævió maturô, ac exactiſſimô ſelectu ſuſcepit. Et quia primò omnium neceſſe duxerat futuri inſtituti ſui rationem diſſertiſſima explanatione proponere, inſinuabat illis votorum trium obligationem perfectam, & horum exactè obſervatorum præmium quidem inenarrabile, at violatorum pœnam non leviorem, addebat exinde ſeriem conſtitutionum obſervandarum, totiúſque inſtituti Cardinem potiſſimùm in eo fundari, ut quærant ſemper ſuis in actionibus atque conſiliis, intendántque illud, quod Deo gratius eſt. Quodſi in notitiam talis actionis deveniant, ſepoſitis omnibûs cæteris hoc ipſum exequerentur: at, inquiebat, cum gratiùs ſit Deo mundum deſerere, quàm illi ſe obligare, eum ergò ab ipſis eſſe deſerendum, & licèt id quælibet earum in propria ſuorum parentum domo commorans exequi poſſit, tamen quia Deo ſe longè ampliùs probarent, ſi relictis, ùt ipſe ait, parentibûs, vitam etiam ab his ſeparatam in communitate tranſigerent propter bonum exemplum, & ſubſidium, quod ſibi mutuò ferrent, hinc utique arripiendam eſſe: & quamvìs iſta ſine votorum nuncupatione, & religionis vinculis ſubſiſtat, cùm Deo nihilominùs multò ſit acceptius iisdem obſtringi, opera etiam perſonæ Deo devotæ majoris ſint æſtimationis atque gradûs eminentioris, vota hinc Deo nuncupanda, vitámque religioſam ineundam eſſe; quod quidem ipſæmet rectè in hujus electione ſtatûs judicâſſent, nunquam ad eum quôvis modô, vel hominum perſuaſione ſollicitatæ, ſe ſe executuras, & donante Deo perfecturas.

Verùm etſi religionis illigatæ nexu deſiderium procurandæ ſalutis propriæ poſſent explere, certum tamen eſſe futuras acceptiores, ſi aliorum quoque ſaluti conſulerent, huic proin operam navandam, atque ideò in inſtitutionem puellarum (aliarum perſonarum erudiendarum nulla ipſis ſuppetente ratione) incumbendum eſſe; ita quidem, ut baptismali adhuc candore ornatas aſſumant, ſicque in ea puritate reliquo vitæ decurſu conſervent: neque verò ſufficere, ſi huic labori hodie manus admoveant, altero verò die ab eo proſequendo deſiſtant, ſed oportere, ut illo tanquam Deo gratiore conſtanter, & perpetuò ex ſolo ejus amore ſine ſpe remunerationis ſe ſe obſtringant, & indiſcriminatim in egenas juxta, ac divites eum extendant &c. & hæc erat *B. Petri* informatio ſolida ſanè & aperta, hoc dicebat Deum ab ipſis deſiderare, hoc jam deliberent, jam attendant, an amplecti & exequi libeat &c. Cùm deinde omnium Virginum una eſſet tam Sanctum inſtitutum arripiendi ſententia; ad ipſum igitur actum proceſſum eſt, omnes Neo-Sponſæ ab Epiſcopo veſte religioſâ tanquam habitu nuptiali inductæ, exinde verò *B. Petro* traditæ, hoc adjecto memorando Epiphonemate *Tibi mi Pater Trado omnem Jurisdictionem, quam ego ſuper illas habeo, rege eas, prout dignum judicaveris.* Dehinc proceſſionaliter ab Eccleſia ad monaſterii portam inductæ ſunt, ſtatutâ mox per Epiſcopum Clauſurâ, & fulminatâ excommunicationis ſententiâ in violatores ejusdem. Annô ſequenti 1618. 2. Decemb. ſubſecuta eſt omnium Virginum profeſſio votiva, diſpenſante ſcilicet ad inſtantiam *B. Petri* Epiſcopo præſcriptum aliàs in propriis ſuis conſtitutionibus Noviciatûs bienniúm, ùt habetur ſexta parte §. 1. ſicque huic congregationi ſacræ felix auſpicium datum; dum eodem annô omnes reliquæ in multis diverſorum locorum Parthenonibus

exiſtentes mox *Alexiæ* ſuarúmque ſodalium exemplum præclarum ingenti animi devotione per æqualem profeſſionem æmulabantur, *Petro* ubíque moram gerente, nullíſque parcente aut laboribus, aut fatigiis, ut omnibus omnia fieret, quia omnium ſalutem intimis ſuſpiriis anhelabat.

Conſtitutiones quod attinet, juxta quas vivendum eſt ſingulis in hac Congregatione adunatis, eæ potiſſimùm, ùt diximus, ſe fundant in gratuita, & nè quidem indirectè, vel quòcúnque titulò, aut colore remuneranda eruditione juvenum puellarum. Habéntque ipſa monaſteria ſemper adjunctum quoddam domicilium, in quo convictrices puellæ habitare ſolent, cum quibus qualiter ſe Magiſtræ habere debeant, exactè *Paulus V.* præſcripſit: *ut*, ſcilicet, *ipſæ convictrices puellæ intra clauſtra quidem monaſterii habitent, at in loco à cellis & habitatione ipſarum monialium ſeparato, ita, ut amplum atrium ad alterum ejuſdem Eccleſiæ latus intra tamen ejuſdem monaſterii clauſuram exedris circum exſtructis fieri, & Monialibus Magiſtris ad illud docendi causâ horâ ſtatutâ accedentibus porta gemina exterior ſcilicet & interior obſerari, in idem atrium puellæ & Virgines præfatæ ante & poſt meridiem bina ac bina aſſiſtrice præſente ingredi, ac inde ipſæ moniales, quæ præfatas puellas docendi causâ accedunt, poſt duas circiter horas ſe in religioſa clauſtra recipere, illiſque occluſis, & non antea portæ ipſius atrii reſerari, & puellæ externæ in domum quæq; ſuam recedere, convictrices verò in ſua cubicula ſe recipere debeant &c.* & iſta quidem juxta ipſam *B. Petri* conſtitutionem parte 1. n. 3.

Hæc puellarum dictò modò deſcripta inſtructio adeò inſtituto ipſius Congregationis affixa eſt, ut quævis profeſſionem emiſſura expreſsè ſe ad eandem obligare teneatur per votum ſolenne reliquis tribus adjectum.

Præter autem ſæpè dictam inſtructionem, obſervant ipſæ quoque Virgines ſacræ chorum, orantes & cantantes certis horis, Breviarium Romanum cum feſtis Congregationis Can. Reg. Lateranenſis. Veſtitu induuntur nigro, & deníque in omnibus florentiſſimô exemplô, ſi aliæ ullæ, certæ hæ ſacræ Virgines radios ſuarum virtutum, & ingentis emolumenti (eò magìs præſtandi) quò ampliùs per plura Chriſtiani orbis loca diffundendos ſpargunt atque emittunt. hæc differere operæ pretium duximus, ut Lectori ſaltem aliquâ notitiâ ſuccurreremus, fuſiora ſuo tempore daturi. Nunc verò ad conſuetam monaſteriorum deſcriptionem deſcendamus.

Habet hæc Congregatio ſub ſe actu 80. monaſteria, ſupremum ſibi ſuperiorem non alium agnoſcunt niſi Epiſcopum, in cujus Diœceſi quæque eorum conſiſtunt, Confeſſarium ſuâ ſibi libertate eligunt, ſeu regularem, ſeu ſæcularem, ùt vocant, id eſt, Eccleſiaſticum, quem Epiſcopus ſibi præſentatum non audet repudiare: præterea ſibi ipſis præter Epiſcopum eligunt Viſitatorem pariter ab Epiſcopo approbandum. Nos ex his 80. monaſteriis eorum ſolùm deſcriptionem ſubjicimus, quæ Germania noſtra continet, reliqua ad ſua quæque loca reſervaturi. Ea verò à nobis his inſerenda, ſunt 45. & quidem ſequentia.

Argentoratenſe. Dictum S. Mariæ Majoris. Deſcribimus cœnobium, quod præ reliquis pene univerſis Congregationis Dominæ noſtræ, velut roſa ſinè ſpina prodiit, id eſt, ſine tribulationibus prævijs ad ſplendiſſimum ſtatum pervenit, jure autem ſucceſſum ſuæ tam beatæ for-

tis

tis poſt Deum in acceptis refert cumprimis Sereniſſimo Galliarum Regi, ejúſque Auguſtæ Conthorali hodie feliciſſimè regnantibus: nam, ut brevibûs ampliſſima horum beneficia referamus, vixdum annô 1683. diſperſæ religioſæ filiæ hujus noſtræ congregationis ex urbe Longarico Mater ſcilicet *Joſepha Rumlinus*, *Auguſtina Pellot*, *& Anna Playe* in Alſatiam emigrantes ad aliquod tempus Molſemii commoraretur tota hac provincia in belli theatrum commutata ſecuriore de loco ſollicitæ in latiſſimam, ac municiſſimam urbem Argentoratenſem fugientes, mox gratioſo favore annô 1692. receptæ ſunt ex ipſa piè defuncti Sereniſſimi Regis commiſſione, & Authoritate magni Vicarii, Domini Epiſcopi Argentoratenſis, Domini Abbatis de Henequin.

Igitur duabûs à ſe conductis domibûs Scholas aperuerunt, & laboris ſui induſtriam manifeſtô exercitiô declarârunt. Accurrebant ad tam ſolidam nec antea adhuc in hac urbe viſam gratuitam, nullâque mercede oblatam inſtructionem diſcipulæ penè innumeræ, fructúſque intra paucum tempus collectus ex eadem largiſſimos omnium civium in has ſacras Virgines pelliciebat affectus, nec magnò erat opus conamine, ut ad inſtantiam Domini Abbatis de Camillii tunc magni Vicarii Argentoratenſis (cùm anguſtæ nimis primæ illæ ædes ad capiendum randum ſcholarium cumulum eſſent) ipſius Sereniſſimi Regis decretô & patentibûs deſuper datis litteris ſignatis annô 1699. plenam ipſæ poſſeſſionem obtinerent domûs principalis ſpectantis ad Hoſpitale S. Barbaræ olim Auguſtinianorum, ùt vulgò dicuntur. Inductis igitur in hoc novum domicilium 20. Jan. an. 1700. Virginibus, reconciliata mox ad peragendum divinum obſequium Capella eſt per Dominum Archiepiſcopum Dublinenſem Dominum de Creagh: Cùmque magiſtrarum eis deficeret numerus, advocatæ ſunt in ſubſidium tres adhuc Matres de Eſpinal per Confeſſàrium illarum D. Matthæum S. Petri Canonicum. Numerô autem hoc modo jam ad ſex Virgines conſtitutô, cogitatum eſt de domo hac in monaſterium mutanda, & de regulari inducenda Clauſura; quod ut fieret, benefactorem ſe ſe præcipuum exhibuit Director Generalis Annonæ Alſatiæ Dominus de Cabout, expenſas omnes ſuppeditans ad partem habitationis in formam monaſterii conſtituendam, ipſéque primum lapidem poſuit annô 1707. die 26. Aug. ædificiô verò intrà tres menſes finitô erectum eſt B. V. altare & Clauſura ſtatuta per D. Vicarium magnum an. 1708. die 7. Martii cæremoniis conſuetis.

Verùm hoc Monaſterio loci latitudine adhuc nimis conſtricto, & necdum ſufficiente tanto numero ſcholarium puellarum, neceſſe erat rurſùs de remedio cogitare, neque in hoc defuêre eximii Patroni, è quibus præcipuus erat Abbas Reverendiſſimus Dominus Labicenski Confeſſàrius Auguſtæ Reginæ, vir ſi quiſpiam aliâs certè vel unus præ cunctis Amator, Fautor, ac Promotor dicendus utriúſque Congregationis Forerianæ. Huic ergò ad benefaciendum Virginibus Argentorati exiſtentibus paratiſſimo, de earum neceſſitatibus edocto nihil penè optatius videbatur, quàm advocatum ad Regiuam agere, nihil inſuper facilius, quàm impetrare ab eadem, quæ poſtulabat; tam tenero enim affectu ipſa has Virgines dudum amplectebatur, ut penè honori ſuo Regio decedere æſtimabat, quod eiſdem in Beneficiorum pignus non contuliſſet. Cauſam hujus ſubminiſtrabat ipſarum dictarum Virginum paulò ante exhi-

exhibitus non quidem tanta Majeſtate dignus,at devotiſſima promptitudine ſubmiſſus famulatus; cùm eadem Argentoratum tanquam Regia Sponſa perveniens inter tot præclariſſimos hujus urbis Parthenones in iſto Foreriano Cænobio trium dieruum ſpatio commorari dignaretur. Quo tempore admirantibus videre licebat, tantam Principem Regiâ jam Coronâ redimiendam non ſolùm propriis oculis laborantium, & inſtruentium ſororum, matrúmque conſpicere operam, ſed & manus ipſas in fuſum inſerere, textile ducere ac pingere, præſentata etiam ſibi ab humillimis ſervulis munuſcula tam affabili benevolentia recipere, ut ſe pro iis gratam,ac obſtrictam profiteri ambiret; & nè quid quoque de Exemplo pietatis deſiderari poſſet, ipſa velut è ſororibus una divinis precibus adeſſe, quotidianum obſervare diſtributionis penſum, exercitia interna recollecto ſpiritu agere ſic ſatagebat, ut eam crederes Sponſam potiùs ad clauſtralis Diſciplinæ connubium parandam fore, quàm ad Solium Regni cujuſdam, Regíſque terreni amplexum. Atque in his omnibus ſic præclariſſima hæc Princeps amoribus ſpiritualium Forerianarum Sororum capiebatur, ut, quæ impensè præſens de ſuis gratiis ſpoponderat, re ipſa exhibere poſtmodùm nullatenùs cunctaretur. Supplicibus itáque per præfatum Reverendiſſimum D. Abbatem factis Virginibus adeò gaudenter ſuccurrit, & ipſa apud Sereniſſimum Regem conjugem ſuum peroratrix interfuit, ut mox ordinatione Regiâ an. 1728. die 13. Febr. factâ Domino Prætori Argentoratenſi de Klingling conſtitutum ſit, ipſum Hoſpitale S. Barbaræ integrum eiſdem plenô jure extradere, & quale jam diù antea fuerat, rursùs in Monaſterium vertere, patentibûs deſuper litteris emiſſis annô 1729. quæ eodem annô in acta ſummi Conſilii Alſatiæ relatæ ſunt, & ad Regium mandatum Commentariis Cameræ contractuum inſertæ.

Favit etiam huic ſolenni diſpoſitioni Eminentiſſimus Princeps Epiſcopus, ac Cardinalis de *Rohan*; & approbationis ſuæ Chartam gratiosè eiſdem eſt elargitus, ut ipſæ Virgines Sacræ poſthâc hôc novô monaſteriô fruerentur pleno jure. Deníque omnigena poſſeſſio facta eſt annô 1729. die 29. Julij cum ingenti ſolennitate, omniúmque civium inſolito applauſu: reſonarunt cantica, & dulciſona organa cum diverſis Inſtrumentis Muſicis in Eccleſia, ignes etiam lætitiæ, & Illuminationes in omnibus circum domibus factæ tantam divulgabanr feſtivitatem, quaſi totum Argentoratum nova fuiſſet de Cœlo felicitate honoratum. Cæterùm tota ſtructura Regulari partitione, ac œconomia inſtituto Foreriano exactè conveniente magnis impenſis eſt diſpoſita, novæ inſuper Domus Scholares adjectæ, & à Fundamento ære Regio exſtructæ, ita, ut ſex Scholæ eſſent, tres pro puellis Gallicis, tres verò pro Theutonicis. Ædificium totius Monaſterii ad omnem ſplendorem reparatum effulget tanquam Princeps inter reliqua univerſa Cœnobia Forerianarum Virginum, ſuo decore,ac majeſtate. Ipſæ verò Deo ſacratæ Sponſæ ac incolæ hujus celeberrimi Parthenonis tantâ obſervantiâ ultimarum conſtitutionum à ſe receptarum vivunt, tantôque virtutum exemplô, ut toti urbi, imò toti Alſatiæ honori ſint, amori, ac admirationi.

Exiſtit in ipſa urbe Argentorato.

Baderbornenſe: Si unquam frequentatis jactata eſt malis pietas, ut ad ſui ſufficientiam per-

pertingeret, profectò id factum eſt in erigendo, ac ſtabiliendo Baderbornenſi Parthenone, pauca delibabimus, potiora poſthàc reſervaturi. Edoctæ Virgines Monaſterienſes de occaſione non contemnenda, qua inſtitutum ſuum Baderborni propagare poſſent, illuc quædam earum Mater ſcilicet *Guilelmia* ad S. Nicolaum profeſſa, & ſuperiorillà Monaſterienſis annò 1652. contendit, non levem huic negotio procuratura ſucceſſum. Nec defuit ei opportuna facultas, adeò enim benevolè ab ipſo Principe & Epiſcopo Baderbornenſi *Theodoro Adolpho* de Reck ſuſcepta eſt, ut, conſentiente ſimul Cathedrali Capitulo, ſuæ intentionis Patronum obtineret, ac protectorem, ſpondente eidem mox domum liberam, & exemptam ſecundùm morem Patriæ conferendam. Sed irrumpente eòdem tempore morbo Epidemico in civitatem, jam primum obſtaculum ſeſe huic ſancto propoſito ingeſſit; ſecutum mox alterum, nam eximiam domum, quam Epiſcopus Virginibus Religioſis incolendam paraverat, cùm ipſæ præfata peſte recentæ urbem adire morarentur, poſſidere permiſſi ſunt noviter tunc introducti Patres S. Franciſci: Virgines igitur ab amicis de Adventu, ob præventionem à Patribus prædictis faciendam, admonitæ, quamvis jam die 15. Januarii ſe præſentes ſiſterent, attamen die 12. ejuſdem menſis locum Patribùs præoccupantibùs ſpe ſimul ſua, ac re exciderunt. Igitur non alio remedio ſuperſtite, reditum cogitantibùs, ecce pia quædam matrona eaſdem remorabatur, nec fruſtra, pauxillo enim elapſo tempore piiſſimus earum Protector Princeps celſiſſimus de alia domo providet, & habitationem impertitur, in qua primùm ſcholas ſuas aperiunt, dato diplomate ſuæ protectionis, Eccleſiáque Monaſterio adjectâ in H. S. *Michaelis*.

At nova hæc quibuſdam præcipuè in his partibus necdum viſa inſtitutio, invidiam non minimam cauſavit, ac reniſum, è quibus cum primis quidam Parochus erat adeò his Virginibus infeſtus, ut è concione non ſemel in illas declamaret tanquam temerarias Patriæ exploratrices, ignotæ, atque ideò ſuſpectæ linguæ mulierculas &c. Hinc cavendum dixit, ne facilè filiolas ſuas in educationem plebi tam alienæ concredant. Profeciſſétque vir iſte cum pluribus aliis huic inſtituto contrariantibus in deſiderio ſuo, niſi nobiliſſimus quidam Aulicus in earum ſe defenſionem ingeſſiſſet dictus Dominus *de Bing*, hic enim ſeriò earum aſſumptô Patrociniô publicô ſuô teſtimoniô Virginum innocentiam tuebatur, aſſeverans ſibi inſtitutum iſtud ſic notum eſſe, ut id in Lotharingia & Gallia florentiſſimum, ubique homines adament, atque excipiant: nec deeſſe quoque in Germaniæ locis, ſuſcipique non minùs ob ingentia ab ipſo exundantia emolumenta jam dudum experimentô probata. Solabatur quoque ipſe celſiſſimus Princeps afflictas Virgines, quibus inſuper Patres ſocietatis magnâ adſtiterunt charitate.

Denique diverſis ſuccedentibùs rerum vicibùs, cùm à tribus celſiſſimis Principibus atque Epiſcopis omni gratia favoréque dignarentur, aliique non deeſſent Patroni, eximii; fundatione, dotatione, ac ædificii ſplendidiſſimi decore in tantum hic Parthenon firmatus eſt, ut noſtris adhuc temporibùs abundantiſſimè florere conſpiciatur.

Exiſtit in ipſa urbe Baderbornenſi.

Barleducenſe. Quem Patronum eximium, & fautorem ſingu-

ſingularem ab incunabilis ſuis experta eſt iostituta à *B. Petro* Virginum Coogregatio Illuſtriſſimum Principem ac Dominum *Joannem Porcelletz* de Maillaoe Epiſcopum Tullenſem, eundem quoque habuit Zeloſiſſimum Promotorem; vixdum enim tanquam Commiſſarius in hac parte à ſede Apoſtolica denominatus conſtitutiooes à *B. Petro* factas approbaverat, & omnibus ſub Congregatione noſtræ Dominæ vivencibus obſervandas demandaverat, ipſe in Barleducenſi urbe eaſdem introducendas à *B. Petro* expetiit: unde & annô 1618. *Dorothea* Bon-Larron, & *Nicolaa* Marchal die 7. Decemb. eandem urbem ingreſſæ, eò magis omnium in ſe oculos affectúmque rapuêre, quò humiliori inceſſu, & omni longè ornatu indigæ ſolum ligneum Crucifixum manibûs præſefereotes ſatis inſinuârunt, univerſum eminentem ſplendorem ſe ſe in virtutum, bonorúmque morum exercitio poſſidere. Receptæ itaque cum gaudio Virgines, & io domum venuſtam ſatis inductæ, ambæ gravi morbô opprimuntur: cauſam hujus mali movente vicioarum domui foſſarum exitioſa uligine, aſſiduò ſuos humores nocivos exuberante. Sed oon defuit bonorum ad ſe clamantium Protector Deus; nam quidam è mendicantium ordine Pater (ùt vulgò vocant) Auguſtinianous, motus Virginum calamitate, publica io coocione pro iisdem noo ſioe eximio verborum pondere peroravit, tantô quidem emolumentô, ut quicuoque adeſſent Auditores, omni, quâ fieri poſſet, ope miſellis ſuccurrere concluſerint. Fuerat ìoter hos Domina *du Jar*, inſignis plaoè, ſeu virtutem ſpectes, ſeu geoeris proſapiam: nam mox ſuâ ſponte pauperes Virgines adjens luſtravit omnia, indigentiámque io univerſis, ſeu victu, ſeu veſtitu, ſeu neceſſariis aliis tenero admirata affectu (præcipuè cùm in his omoibus lætam adhuc cerneret triumphare patieotiam) eas ſecum ipſa in proprias perduxit ædes, ſaltem ſi necdum in aliis ſuccurrere poſſet, à præcipuò malo, illius ſcilicèt oon tolerandæ mephitis, ac uliginis exhalaotis liberatura. Quamvis enim & aliis ſubſidiis fortaſsè eiſdem adeſſe tuoc ooń detrectâſſet; iter tamen, quod tuoc in procinctu aſſumere cogebatur, piam ad meliora tempora inrentionem diſtulit. Igitur Pariſios negotiorum domeſticorum cauſâ adiens ſorori ſuæ Dominæ *d'Haraucour* colloquitur de voto quodam adimplendo, quo ſe obligaverat ordinem intrandi Capucinarum, quibus jam olim ſtatuerat cœnobium in urbe Barleduceoſi erigere. Sed mutavit mîrâ providentiâ Deus in favorem haud dubiè ſui amantiſſimi Foreri, & ſuæ curæ commiſſarum Filiarum, hujus devotæ Domioæ propoſitum; contigit etenim, ut ſaocto *Franciſco* Saleſio tuoc adhuc in vivis agenti eadem propoſiti ſui rationem expooeret, ſimul expectatura à tanto viro Cooſilium, quod non dubitaret, illud Divino quodam fore oraculo confirmandum. Igitur Vir ſanctus, mox alia perſuaſurus, primò inconvenientiam dicebat eſſe, ut cootra Capucioorum inſtitutum, ipſa cænobium in urbe parare intenderet, inde verò ſubjungens majores longè fructus meritorum ſperrandos, & commoda toti urbi ſaluberrima, ſi inſtitutio Patris de Mantaincour illuc introduceretur: tanti nimirum æſtimabat vir Sanctiſſimus *Petrum* noſtrum, ut cenſeret omninò à viro hoc oon poſſe niſi præclariſſima emolumenta proximis evenire. Suſcepit tanti Directoris Conſilium paratô planè animô Domina *du Jar*, ac Barium redux nil ultrò morata, ſed declarans ſui propoſiti ſententiam, pri-

primùm annô 1620. ad S. *Michaelem* properans habitum hujus ſacri inſtituti expetiit, obtinuítque & reclamantibus licèt cunctis familiaribus ſuis, Deo uni ſe impendens annô ſubſequô die 15. Junii ſolenni profeſſione devovit, ſtatímque Barium rediens id primùm curavit, ut tam Dorothea *Bon-Laron*, quàm *Nicolaa Marchal* cum tribus juvenculis, quæ ſe pariter huic inſtituto tradiderant 11. Nov. eodem 1621. annô inducerentur, & annô proficerentur altero, sícque formatæ communitati Religioſæ ipſa piiſſima Domina *du Jar* conſtituta, eſt Præpoſita, rexítque incomparabili Zelô & ſanctitate Cœnobium plus quàm ſeptemdecim annis, cum ingenti tam temporalium à ſe tanquam vera Fundatrice abundantiſſimè præſtitorum, quàm ſpiritualium rerum accremento uſque ad anni 1630. undecimam Februarii, quâ die feliciſſimo obitu ex hac miſeriarum valle ad ſuperos æternùm coronanda avolavit ætatis ſuæ 56. multis quidem ærumnis & hoc Cœnobium ſæpiùs ſubjacuit, ſed manifeſto Dei auxilio ſemper ſplendidiùs, animoſiúsque ſe ſe ex univerſis eripuit; inde haud dubiè cæleſtibus ſubſidiis magís munitum, quod ipſum ſe quaſi Iſraeliticum murum opponeret in defenſionem conſtitutionum ultimarum à B. *Petro* conditarum, quas ſeverè, exactéque usque ad hodiernum diem tuetur, ac obſerva'.

Exiſtit in ipſa urbe Barleducenſi.

Blamontenſe. Cùm Maria *Margaritha* de Gonzaga Henrici Ducis Lotharingiæ cognomine Boni Sereniſſima Conjux, & ab eodem an. 1620. die 20. Sept. relicta vidua, Ducatûsque Lotharingiæ ex tunc uſufructuaria, adeò ſe piam munificámque exhibere conaretur Congregationi Dominæ noſtræ, & ipſi Fundatori B. *Petro* Forerio, ut id maximè ſuo emolumento impenſum duceret, quod eidem Congregationi contuliſſet, duorum Monaſteriorum eſſe voluit benigniſſima Fundatrix, Blamontenſis ſcilicet, & Nomencienſis. Utque illud ad optatum effectum deduceret, Religioſas Forerianas Matrem ſcilicet Eliſabetham cum duabus ſororibus ex domo S. Nicolai an. 1627. poſtulavit: quæ Virgines mox, ùt cum ingenti tam ipſius ſereniſſimæ, quàm Civium Blamotenſium affectu receptæ ſunt, domicilium ſibi congruum absque aliis admiſſis proventibus comparârunt, quos aliàs Fundatrix laudatiſſima certè liberali manu contribuiſſet. Solis ergò Eleemoſynis ſibi advenientibùs contentæ ſcholis inſtruendis eôdem annô dedére initium; at annô 1636. bello, ac fame Blamontium dirè infeſtante rursùs coguntur priſtinos ſuos S. Nicolai lares repetere; quodque huic cœnobio maximè injurioſum accidit, depopulantibus urbem flammis litteræ fundationis æquè, ac confirmationis, ipsáque religioſa domus incendio periêre. Sed nube calamitatum depulsâ, & reduce pace, à devotis civibus magnô iterum deſideriô Virgines elapſæ revocantur: quæ adverſitates omnes ob Zelum ſervandi inſtituti ſui quaſi nihili ducentes, cum gaudio revertuntur, ſuoque fervori incæpto continuatô labore inſiſtunt, tanquam nihil inibi unquam detrimenti paſſæ fuiſſent; dotem aliam nec petentes, nec præſtolantes, niſi quam Novitiæ poſt ſecundum Adventum ſe ſe inſinuantes, ſufficienti largitate voluntariè pauperibus Virginibus, atque ideo facili quovis contentis munere attulêre. Hæ Virgines piiſſimæ id quóque laudis ad hodiernum ſibi diem vendicant, quod inter primas fuerint, quæ ſe ultimis conſtitutio-

nibus B. Fundatoris ſubjecerant, quas quidem noſtro adhuc tempore majori curâ ac ſollicitudine cuſtodiunt, quàm multi temporalium bonorum ſectatores pretioſiſſimos auri, gemmarúmque obſervent theſauros. Deus, cui hæ tanto Spiritûs fervore famulantur, eaſdem perpetuâ ſuâ gratiâ adhuc ultrò tueri dignetur.

Situs eſt Parthenon iſte in urbe Blamontenſi vulgò Blankenburg.

Bockenheimenſe. Initium ſumpſit circà annum 1630. ſed paulò poſt irruentibûs Suecis ſubverſum, denuò reſtaurari cæpit circa annum 1679. per Matrem *Archangelam de Borville* Profeſſam Dienzenſem, domum conferente Domicella *de Bichebois* hujus loci Novitiâ; adauxit dotem Mater *Eliſabetha de Provii* cum conſenſu Regis Ludovicii 4ti. Nec defuit ipſius Ducis Lotharingiæ *Leopoldi* primi Clemens aſſiſtentia, cujus conſenſu & Epiſcopi Metenſis approbatione egregium planè incrementum obtinuit, colaborante ut plurimùm Domino *de Kikler* Curione hujus urbis & Canonico Regulari Abbatiæ Belchamenſis, cui hæc Parochia ſubeſt. Reformationi & introducendæ Regulari Diſciplinæ ſecundùm ultimas B. Fundatoris Conſtitutiones uſque nunc ut plurimùm cooperata eſt Mater *Thereſia* de Redvitz: ex Monaſterio Argentoratenſi illuc dimiſſa, cujus eximium Zelum non dubitamus felici adhuc ſucceſſu beandum fore.

Exiſtit in urbe Bockenheim.

Bonnenſe. Hoc Cœnobium ad ſui profectûs incrementum præcipuos Patronos habuit Magnum Cancellarium sereniſſimi Electoris Colonienſis, & Dominum Baronem *de Billehe*, quorum Filiæ, cùm primùm annô 1664. Mater Dupleſſis ex antiquiſſima nobilitate Delphinatûs oriunda, & profeſſa Nomenienſis in urbe Bonna exordium poneret inſtituti ſui, ſe ſe tanto Spiritûs fervore adjunxerant, ut nulla paupertatis, ac plurimorum emergentium malorum injuriâ, à vocatione ſua abſterreri valerent. Cùm bellum cruentum annô 1689. urbem Bonnam tanto turbine inundaret, ut quæque conſpicuæ ædes Bombardarum incuſſarum inſultu corruerent, etiam cœnobium iſtud ultimam paſſum eſt ruinam: ſed pace redditâ Virgines, quæ belli tempore Coloniam Agrippinam diffugerant, reduces piorum ſubſidio collapſa reſtaurantes nunc uſque, ipsâ ſuâ inopiâ in Spiritu divites, quò magis anguſtiatæ curata rerum ſuppellectile, eò liberiores mente ac animô opus ſuum tam fideliter adminiſtrant, ut inter illas, quæ ultimas B. Fundatoris Conſtitutiones receperant, dudum numerentur. Non ambigendum, quin ob ſolitam pietatem Deus daturus ſit eis cum tentatione proventum.

Exiſtit in urbe Bonna.

Briſacenſe. Audiens Magiſtratus Veteris Briſaci præclaros fructus, quos indies pariunt ſuo inſtituto Virgines Forerianæ Argentorati commorantes tanti boni ſuam quoque civitatem participem facturus tam exquiſitis precibûs quaſdam ex eadem congregatione Virgines ſibi ſubmitti poſtulavit, ut votis anuens Eminentiſſimus Cardinalis de Rohan annô 1731. ſubmiſerit Matrem *Mariam Annam Batailles*, & *Mariam Catharinam Hajes* eximiis virtutibûs opulentas. Hæ igitur primam Coloniam Briſaci in domo præclara ad hoc erecta, ſed necdum conſummata conſtituentes, magnum numerum mox obtinuêre Convictricium, nec defuêre ſuſcipiendæ. Speramus quoque Clauſuram actu jam eſſe inductam, cùm annô 1731. à quo tempore hanc notitiam hauſimus,

ſimus, inter paucos menſes eadem ponenda diceretur.

Cæterùm nulli ambigimus Magiſtratûs Briſacenſis liberalitate, ac induſtriâ hoc cœnobium inter præcipua Germaniæ aliquandò ædificii decore, ac congruentiâ fore numerandum.

Exiſtit in Veteri Briſiaco.

Brugenſe. De hoc alia notitia nobis non ſuppetit, niſi quam reperimus in Catalogo eorum monaſteriorum, quæ devotiſſimâ liberalitate aliquid contribuerant ad promovendum actum Beatificationis ſui ſanctiFundatoris *B. Petri Forerii*. Nos igitur de illius fundatione poſthac plura obtentutos ſperamus.

Conſiſtit in Urbe Bruga locô Flandriæ Auſtriacæ.

Bruxellenſe. Hoc monaſterium Fundatricem ſuam veneratur Principem *de Lixin* circà annum 1643. notam illam in Virgines Forerianas benefactricem, quæ Bruxellas venientibus primùm cubile magnum in ſuo palatio, dein ſucceſſu temporis monaſterium procurare dignata eſt, exiſtit hæc domus tanquam nobilior congregationis portio in partibus Brabantiæ, fructúsque aſſiduos proferunt ſeduliſſimæ Virgines, quibus viciſſim correſpondere non ceſſat Dei gratia, & Patronorum munificentia.

Exiſtit in ipſa Urbe Bruxellis.

Caſtellenſe juxta Moſellam. Urbs *Chatel ſur Moſelle* ſtructuris exigua, ſed ùt apparet, nullatenùs vilis pietate, quippe quæ non minùs ſibi deeſſe noluit, quod tantò inaudiit ubique emolumentô florere, inſtitutum Forerianum. Hinc *B. Petro* quaſdam ſubmittendas Virgines enixè ſupplicavit, & quod nulli ex primis monaſteriis, quamvis in opulentis locis exorirentur, evenerat, mirâ Dei providentiâ in hac urbecula factum eſt, nimirum: ut uno penè eodémque tempore monaſterium, adventus ſacrarum virginum, novarum inductio, ſcholarum apertio, & deníque clauſtralis clauſura haberetur, nam quidam eximius benefactor, cujus nomen dolentes ignoramus, non ſolùm præclaram domum ſuam in monaſterium convertendam dono tradidit, ſed inſuper, cùm duarum filiarum Pater eſſet, utrámque Deo in eodem monaſterio ſponſam immaculatam, devovit: inductæ ſunt adhuc eodem annô 1625. die 29. Sept. Cæterùm tamen anguſtâ ſemper ſuppellectile ſe ſe ſuſtentare cogebantur in hoc loco commorantes religioſæ, quarum demum Auguſtiſſimus Imperator *Leopoldus I.* miſeratus vices, cùm locus ipſe, quem primævè incoluerant, bellorum injuriâ, aliiſque adverſitatibûs penè inhabitabilis redderetur, monaſterium ſuper fundum antiquæ arcis conſtrui benignè conceſſit. Una, quæ hodiedum Virginibus in eodem cœnobio commorantibus ſupereſt, ſpes ſubſequentis ſortis melioris, de vaticinio *B. Petri* vireſcit, ſpondentis, hunc exiguum licet Parthenonem & egenum, temporis ſucceſſu ſemper majora incrementa capturum.

Exiſtit nunc in Urbe Caſtellenſi.

Caſtelli novi. Monaſterium hoc exordium ſuum obtinuit annô 1645. favente præcipuè D. Decano & Parocho loci dicto *Laſſerteux*, quem hujus cœnobii Virgines ſemper pro præcipuo ſuo Patrono ſuſpiciunt. Cùm enim ex urbe Eſpinalenſi fugientes quædam ſe Ligniaci, aliæ iſthìc locarent, omnibus penitùs ignotæ Caſtellenſis urbis incolis, primum ingreſſum patrocinantibûs Patribûs Capucinîs obtinuêre annô 1639. die 4. Jan. apud D. Comitiſſam de Mauleon. hæc piiſſima Matrona ſtatim earum modeſtiâ capta, & com-

commota ingenti, quam patiebantur, penuriâ (tempore quippe anni rigidiſſimo quatuor unciis tantummodo ad victum comparandum proviſas advenientes ad D. de *Batillii* Regium Gubernatorem adduxit, magnam quidem benevolentiam iis deferentem, & omnem protectionem ſpondentem, ſed non niſi à prædicto D. Parocho efficaci & auxiliatrice liberalitate donatis; utpote qui eis tam in Spiritualibus quàm temporalibus per quadraginta annos verus Pater extitit & Adjutor.

Hujus igitur eximii viri charitate commendatæ cuidam Dominæ de novo Caſtello per aliquot menſes ab eadem ſuſtentantur; cúmque rarò vivendi exemplô omnibus in amore eſſe inciperent ac Veneratione, Dominus *de la Vallee* & Maria *de la Villee* annô 1640. domum propriam ad incolendum aſſignârunt, in qua aperientes ſcholas & nullius proprii commodi reſpectu omnibus ad ſe accurrentibus ſummâ deſervientes ſolertiâ, tantum mox integerrimæ vitæ ac converſationis teſtimonium ex omnium ore promeruerunt, ut Principiſſa *de Lixin* dictô annô conſenſum gratiosè concesſerit eandem domum in monaſterium erigendi, quod demum annô 1645. ſuum effectum obtinuit, litteris patentibûs *à Carolo IV.* Lotharingiæ Duce extraditis, & confirmatione annô eodem ipſius Epiſcopi Tullenſis ſubſecuta. Prima hujus loci Rectrix Mater *Ignatia Gueria* fuit, prudentiâ ac pietate notabilis, hæc adjunctâ novi ædificii Capellâ ipſi monaſterio mox clauſuram quoque induxit, & ad ultimas amplectendas conſtitutiones omnem lapidem movit, quod tamen non niſi an. 1649. effectum eſt; cùm 14. Aug. ſolenni ad eas ſe voto adſtringerent coram Reverendiſſimo P. Generale *Joanne Terrel* à quo tempore in inœpta regulari obſervantia indefeſſo labore ad cœleſte bravium obtinendum decurrunt.

Exiſtit in Urbe Neuchateau.

Confluentienſe. Cœnobium in urbe Conflans exordium ſuum obtinuit annô 1727. à viro Zeloſiſſimo Domino *Lombard* hujus urbis Parocho; qui, cùm ſororem ipſe in Congregatione *Dominæ noſtræ* haberet, eandem unacum 4. ſibi adjunctis ſodalibus ex Eſpinalenſi monaſterio, ad iſtum à ſe Conſentiente Veſuntino Archiepiſcopo conſtructum Parthenonem obtinuit, ſub hac tamen expreſſa conditione, ut ſe ſe conformarent tam præſentes quàm ſubſecuturæ hujus loci religioſæ ultimis *B. Petri* conſtitutionibus, quibus attentiſſimo fervore eadem ſoror Domini Lambard usque nunc tanquam ſuperior obſervandis invigilat. Nec ambigendum, fore, ut hoc cœnobium inter præclariora aliquando ob perſeverantiam regularis diſciplinæ & inſtitutionis omnimodam ſedulitatem ſit compariturum.

Exiſtit in urbe Confluentia Ducatûs Barrenſis in Lotharingia.

Dieuzenſe. Fundatricem hoc monaſterium agnoſcit Nobilem Dominam *Claudiam Mariam Rüele*, quæ ſicut eidem temporali primùm aſſiſtebat ſubſidiô ſic illud deinde ſua virtute mirum in modum firmavit, cùm relictô ſæculô Nancey profitens remiſſa eſt Dietiam 6. Junii 1622 ſuâ poſthac pietatis opulentiâ ſuſtentatura ſpirituale ædificium, cui antea tam abundanter providit de terrenis. Exerevit autem hæc ab initio modica domus tantâ præcipuè rerum ex inſtituto Congregationis præſcriptarum copiâ, ut inter florentiores paſſim æſtimaretur. Ingruentibûs diverſarum Calamitatum inſultibûs, ac imprimis bellorum turbine, in fugam ſe recipere

pere adactæ ſunt Virgines, ſed ſedatis cum tempore malorum procellis reditus optatus fugitivis conceditur, quæ mox priori diſciplinâ arreptâ ad deſtinatum ſibi bravium properante calle pervenire conatæ ſunt, atque ut id eò ſecuriùs obtinerent, non minùs ante annum ſaltem 1692. vota ſimplicia in ultimis conſtitutionibus præſcripta emittere ex tunc inceperunt, ipsíſque ex integro ſe ſubjecerunt.

Exiſtit iſtud monaſterium pariter in ipſa Dietienſi urbe.

Duacenſe. Iterum de domo religioſa, eáque inope loquimur, & de egeſtate ſuſcitatam, quamvìs enim 1683. tres Magiſtratuum ordines Duaci uno aſſenſu concluſerint ex Fundatione quadam opulenta tunc ſe offerente, hoc inſtitutum ſua in urbe firmare, conſilium tamen altiſſimâ ſuâ providentiâ ſubvertit Dominus. Nam aliæ potentiæ adeò huic intentioni reſtiterunt, ut dicta fundatio Inſulas translata impenſa ſit in ſubſidium pauperum nobilium. Annô tamen 1699. die 11. Nov. Deo patrocinante advenêre Duacum Mater *Maria Roſa Douttreman*, *Maria Clara de Cruce*, *Maria Ignatia des Jardins*, *Maria Bernardina Nicodeme*, *& ſoror adjutrix converſa Maria Magdalena Fleurii* omnes ex Valentianenſi monaſterio, treſque præfati ordines novo eas conſenſu ſuſcepêre. Porrò præcipuos fautores ſuo in adventu invenerunt *D. de Malapert* Magiſtratuum Caput & Matris Mariæ Roſæ affinem cum Conjuge ſua. Domo itáque comparatâ ſine more clauſura ſecuta eſt cum Authoritate Epiſcopi Atrebatenſis *D. qui de Seve de Rochechovart* annô 1700. die 1. Jan. Sed hoc domicilio undequáque incommodô repertô aliud obtinuêre opportunius, quo in debitam monaſterii formam compoſito, clauſura inducta eſt annô 1701. per D. Abbatem *la Croix* Vicarium Generalem Atrebatenſem, mox benedictâ capellâ primæ Noviciæ velum tradentem. Succeſſêre paulò poſt complures aliæ allatâ dote adeò munificâ, ut & domus ipſa egregiè ampliari, & ſcholæ requiſitæ non minùs, quàm habitatio pro Convictricibus egregiè exſtrui potuerint, atque diſponi. Et licèt bellorum incurſio, aliorúmque invaſio malorum longis temporibus patriam undíque divexârint, factæ hæ ſacræ Virgines quaſi adverſitatibus firmiores perſtitêre in Zelô diſciplinæ, ac inſtructionis requiſitæ immobiles, perducántque hodie, illud ſibi pro theſſera uſurpantes, ut ſi primum regnum Dei quærant, cætera eis facilè ſint adjicienda.

Exiſtit in Urbe Dovay.

Eichſtadienſe. Multum profectò intereſt, dum pietas, Deíque Zelus hoſpitatur in Principe, non enim potiori jure, quàm iſto eliminantur ſcelera, & felici propagatione virtutes ſeminantur. Talem in Reverendiſſimo, ac Celſiſſimo Principe piiſſimæ memoriæ Domino *Joanne Antonio* Epiſcopo Eichſtedenſi ubertim experta eſt hujus nominis urbs celeberrima, aliàs etiam *Dryopolis* dicta. Nihil enim illi negotioſius, antiquius nihil, aut charius, quàm Dei promovere gloriam, & ſalutem curare animarum, quod ad voti ſui plenitudinem obtinere ſe beatiùs non poſſe æſtimabat, quàm ſi Forerianum Congreg. Dominæ noſtræ inſtitutum in hac ſuæ reſidentiæ urbe collocaret. Habebat idem cognatam in hac congregatione religioſam Moguntiæ. Citatô itáque nuntiô ipſam Eichſtadium petiit, eidem de exſtruendo ſecundùm conſtitutiones Forerianas, easque ultimas, monaſterio cum appendiciis reliquis collocu-

locuturus. Advenit illa cum Matre *Maria Anna de Haën*, die 4. Julii 1711. & tribus ibi Septimanis inſumptis apertæ ab iisdem ſunt ſcholæ in domo eis intereà aſſignata, donec amplum, & ſua liberalitate condignum monaſterium erigeretur: cùm verò magnificum id à ſua Celſitudine intentum opus trium annorum ſpatium in ſecondendo requireret, intereà in conducta domo clauſura ſignata eſt die 15. Oct. 1712. ſuppeditatis ab ipſo celſiſſimo Fundatore cunctis ad earum neceſſitatem requiſitis. Omnia hæc proſpera, & novello in tali urbe implantando germini optata, neque tamen immixtæ illis, exque graviſſimæ cruces defuêre: nam præter quòd à quibusdam malevolis hominibus, inſtigante haud dubiè infeſto ſpiritu mirum in modum infeſtabantur; inſuper neſcio quid inſoliti frequentiùs in earum domo hic idem piarum mentium inſecutor aſſiduus moliebatur, ita, ut à non paucis vicinis pro Veneficis innocentiſſimæ hæ Columbæ proclamarentur. Cogitatum itáque cumprimis eſt de remedio ſpirituali, & à Celſiſſimo Principe demandatum, ut poſthac continuò in earum Capella Sanctiſſimum Sacramentum aſſervaretur, quô etiam factum, ut omnis ſimul effugata ſit impii Sathanæ machinatio. Ultrò autem potenter planè exagitabantur ab ipſo Magno (ùt vocant) Capitulo Eichſtetenſi, adeò, ut non rarò miſellæ, & imbecilles quatuor ſorores (quæ ſolæ per tres annos pondus diei & æſtus ſuſtinere cogebantur) de reditu in ſua monaſteria & omni opere in hac urbe deſerendo cogitarent. Sed Deus, qui jam dudum curam bujus ſibi dilectiſſimæ congregationis ſuſcepiſſe manifeſtis comprobabatur indiciis, neque in his adverſitatibus ſe defuiſſe oſtendit. Nam imprimis, donec Celſiſſimo ipſi Fundatori anima exſuperaverat, neglectis quibuscúnque demum contradictionibus, pius Pater ſic has filiolas ſuas gratiâ fovit, atque protexit, ut nequidquam obſiſtentibus adverſariis earum, omnis ab eodem intenta ædificiorum pro Virginibus ſtructura optatiſſimam perfectionem acciperet, annô 1712. poſito primo lapide ad fundamentum erigendi magnifici planè nunc exiſtentis monaſterii: Quodque hic non intermittendum, in eruenda fundamenti foſſa repertus eſt lapis rubicundus formam cordis exactè præſentans. Quid hæc tam Mirabilis figura protenderit, facilè augurabuntur illi, qui incorrupti cordis B. Fundatoris hujus Congregationis miraculum penſitant, ac magnam inſuper in divino amore, Zelóque conſtitutionum Forerianarum ultimarum obſervandarum ab ipſis bis Eichſtadienſibus Virginibus perſeverantiam rigori lapideo haud abſimilem conſiderant. Cæterùm bujus lapidis inventio occaſionem Principi piiſſimo dederat, devotionem pluribus in Germaniæ locis laudatiſſimam, & in hoc monaſterium introducendi Cordis JEſu Salvatoris Noſtri. Tres & paulò ampliùs anni elapſi ſunt, cùm monaſterio exſtructo an. 1716. die 7. Febr. ſolenniter in id inductæ ſunt Virgines ſacræ, ipſáque mox Clauſura ſtatuta. An. 1719. Celſiſſimus ipſe primum lapidem ad exſtruendam novam Eccleſiam ponere dignatus eſt, ac 11. Junii an. 1722. plenè eadem eſt perfecta; ſequenti verò annô à Celſiſſimi Suffraganeo ſolenni ritu conſecrata: confeſtim etiam confraternitas Cordis JEſu in illa inſtituta gratiam babuit devotiſſimum Principem in Albo ſuo primum Sodalem habere inſertum. Succeſſit inde nova devotio Scalæ ſanctæ cum conſuetis indulgentiis, ut adeò omnibus numeris abſolutum tam

in

in virtute, quàm in rebus temporalibus conſpexerit Celſiſſimus Princeps ac Fundator adeò cordi ſuo amoris teneritudine affixum Parthenonem Forerianum. Quibus demum omnibus perfectè conſummatis, & ipſe Princeps verè Sanctus ac Pius tantorum meritorum non aliâ quàm æternâ dignus coronâ ad illam recipiendam abiit à mortali corpore annô 1725. die 27. Apr. fuerat tunc prima loci ſuperior ab ipſo Celſiſſimo Fundatore conſtituta *Maria Anna Knebelin* ejusdem à Fratre Neptis; Virgo maſculâ prudentiâ, & rerum agendarum ſagacitate inſtructa, virtute autem, vitæque innocentiâ propè Angelicâ, quantô verò dolore ob hunc diſceſſum fatalem cor ejus ſauciatum fuerit, non eſt noſtrum definire, illud certum, maximum mærorem eidem inde proveniſſe, quòd monaſterium ſuum verè pupillum, ac Orphanum cerneret patre ſimul, Patrono, Fundatore, ac validiſſimo protectore orbatum. Sed brevi in tempore Deus ſucceſſorem tribuit, qui non dignitatem ſolùm ſui deceſſoris, verùm & virtutem, ac maximè in hoc cœnobium tenerrimam propenſionem induit Princeps Celſiſſimus *Franciſcus Ludovicus* Electus die 3. Julii anni 1725. ex Illuſtriſſima S. R. I. Comitum de Schenck Familia. Hic conatu Virginibus ſacris tam felici ſuccurrit, ut ipſum magnum Capitulum diù antea iisdem infenſum, agnoſcens demum ex ipſius Celſiſſimi Principis informatione ingentem cauſatam indies utilitatem, fervorem prætereà in omni, quô obſtringebantur, miniſteriô, & vitam bonorum imitatione laudatam, ſuam eis aſſiſtentiam ſpoponderit, atque protectionem. Unde excrevit numerus tam Convictricium, quàm Virginum ſacrarum, omnium propè Nobilium, ac de familia Comitum, vel Baronum, ut omnino jam ſeptuageſimum compleret; ſed & accrevit inſtructionis in dies fervor, diſciplinæ prætereà regularis tantus Zelus, ac amor, ut ex hoc laudabiliſſimo cœnobio primò prodierint evulgatæ conſtitutiones ultimæ *B. Petri* linguâ Germanicâ, quæ hactenùs ſolùm idiomate Gallico habebantur. Optant enim hæ Zeloſiſſimæ Virgines, ut quàm maximè omnes Parthenones Foreriani in Germania exiſtentes ſe his ſanctiſſimis conſtitutionibus conforment. Cæterùm præeſt hodiedum mox præfata illuſtriſſima Mater *Maria Anna de Kneble*, de quà nobis per gratioſas ſuas litteras retulit nunquam non ſine bonore nominandus, qui paulò antequam mihi ſcriberet, Eichſtadii colloquiô ejus dignatus eſt, Vir doctiſſimus ac amiciſſimus D. Philippus Salerus, *eam Matronam eſſe incomparabilem, & prudentiæ admirandæ, ob quam à ſummis etiam utriúsque ſtatûs perſonis maximè ſuſpicitur.* Deus eam longis annis pro gloria ſua, & emolumento totius Forerianæ Congregationis ſervet incolumem.

Exiſtit hic Parthenon in urbe Dryopoli.

Eſpinalenſe. Urbs hæc non ſolùm à manualibus præclara artibus, ſed altiorum quoque Conſiliorum percupida, cùm ingentem fructum à recenter erecta Dominæ Noſtræ Congregatione compluribus in locis cauſatum perciperet, & ipſa hujus boni ſe facturam participem interpellavit ſollicitô planè ſtudiô, ſibi à B *Petro* tanti inſtituti Virgines ſubmittendas, quibûs ſequioris ſexûs juventus commoda eruditione informaretur. Primas ſupplicum partes ſuſcepit Domina *de Boſſompierre* Abbatiſſa illuſtris Abbatiæ Eſpinalenſis, à qua miſſus Nancyum actor, qui B. *Petro* preces Eſpinalenſium exponeret. Nec piis poſtulatis defuit piiſſimus

Pater, quatuor enim virtute, ac requiſita ad inſtitutum ſuum eruditione probatæ ſubmittuntur, ſcilicèt Matres. *Maria Royer*, *Stephana Pierſon*, *Agnes Barbet*, & *Nicolaa Gardien*. Appulêre autem Eſpinalum die 31. Jan. an. 1620. quibus ipſa Abbatiſſa prætacta gratanter ſuſceptis alterâ mox die propriam jam deſtinatam domum contradidit, ſolenni ritu die 2da Febr. à B. *Petro* Sacrificium in Capella adjuncta celebrante inductis. Aperiuntur inde die 17. ejuſdem ſcholæ tanta cum ubertate, ut ſpem omnem civium excellere in brevi hæc ipſa cenſeretur.

Verùm non correſpondit impenſis laboribus ſuſtentationis proſecutio, in tantum enim rerum omnium penuriâ pauperculæ inſtitutrices affligebantur, ut neceſſitate coactas mendicare potiùs oporteret, quàm inſtruere. Hæc inaudiens ſollicitus Forerianorum communíſque Pater Abbas *Antonius de Lenoncour*, Eſpinatum adiens cumprimis ſpatium ædificando Monaſterio requirit, inde peculium tam ad coëmendum locum, quàm ædem exſtruendam ſufficientem ſuppeditat, tantô charitatis exemplô, ut illud tota civitas ſecuta abundanti ſubſidiô indigentes hactenùs Virgines ſublevaret. Paulò poſt ſeptem advenêre ſupplices matronæ integræ fidei, mentíſque devotæ, quarum una vidua inſignis extitit benefactrix, *Franciſca* de Vage. Omnes hæ recepto, annô 1622. 6. Octob. ſacro habitu per Venerabilem Patrem auctoritate ab Epiſcopo Tullenſi ſibi datâ, magna ſolennitate in neoconſtituturum Cœnobium inductæ ſunt, comitante eas *D. Paticier* Abbate Calmuſiacenſi, & clauſura ſecundùm ſolitam formam ſtatuta.

Die poſtmodùm 31. Decemb. anni 1623. per eundem B. Patrem Novitiarum recepta eſt profeſſio, cùm intereà Benefactorum liberalitate, nova, eáque perpulchra Eccleſia eidem cœnobiq eſſet conſociata;in qua tunc B. *Petrus* primùm Deo Sacrificium libavit, annis poſt hunc actum ſex per Dominum de Gournay Epiſcopum Tullenſem ſolenni ritu conſecrata.

Accurrerunt poſtmodùm non exili numerô.. ſelectiſſimæ planè ſponſæ in ſinum Domini ſummo quaſi fervore irruentes. Certè quatuor ex una Familia novimus penè ſimul ſupplices fuiſſe ſuſceptas, erat præcipua *Genovefa Ganthier* relicta vidua Domini Fleurii, hæc annô 1627. inveſtita mox ſui imitatrices obtinuit ambas Filias, cum præfecta earum, quæ inter converſas aſſumpta, nuncupata *Joanna le Moine* vitam ſuam Religioſam tantis decòravit virtutibûs, ut in fama ſanctitatis obiiſſe paſſim noretur.

Annô igitur 1632. hoc eſt, ab ingreſſu in hunc locum duodecimô, triginta jam Religioſis, tanquam tot exquiſitis liliis, Cœnobium præſtanter florebat: at tres illi Antropophagi, ac Furiæ, bellum ſcilicet, fames, & peſtis dira his temporibûs crudelitate in Lotharingiam debacchantes Eſpinalo quoque noſtro infeſti Tyranni extitêre, unde B. *Petrus* coactus eſt ſaltem aliquas ex ſuo Eſpinalenſi Cœnobio favente Epiſcopo aliò deſtinare, quæ tamen ipſæ quaſi bonum Evangelicum ſemen, dum alibi diverſoria requirunt, Monaſteria obtinent, fructúmque centuplum ſuæ Congregationi reportant; per illas námque Novo-Caſtrenſis, & de Lygni exortus eſt Parthenon. Ceſſante autem divinâ vindictâ, ampliùs hæc ſacra excrevit Eſpinalenſis communitas; ita quidem, ut, cùm annô 1692. jam quadraginta Perſonæ numerarentur, coarctante nimiùm Monaſterii hactenùs exſtructi anguſtiâ, de novo Conſilium cæptum ſit. Mittitur ergò procurante Abbate Cal-

Calmuſiacenſi tunc Congregationis S. Salvatoris primario Aſſiſtente, & Congregationis Dominæ Noſtræ Viſitatore à Reverendiſſimo Domino Generali Patre *Maſſu* Frater Claudius Bonnet eximius Architectus, qui annô 1700. die 15. Martii poſito primo Fundamenti lapide poſt annum, ac ſeptem menſes totum ædificium in completam inhabitandi perfectionem deduxit. His ſacris Virginibus id in cumulum laudum accedit, quod eædem ultimis conſtitutionibûs conſtanter cupiant eſſe obſtrictæ.

Exiſtit hic Parthenon in ipſa urbe Eſpinal.

Eſſenſe. Exile Cœnobium, ſuum videtur circa annum 1650. ſumpſiſſe exordium, dum quædam Virgines devotæ ſe ſe colligentes inſtituto Foreriano operam dedêre, paulò poſt quibûſdam è locis aliis jam actu Congregationis Dominæ noſtræ Profeſſis in auxilium ſuccurrentibûs. Fervor ac Zelus earum hodiedum florens ſpem abundé confert, iſtud Cœnobium majora adhuc incrementa ſumpturum.

Gerbevillenſe. Iterum monaſterium deſcribimus in nuda paupertate fundatum, néque tamen mirâre Lector erudite, de tam aſpera hujus Congregationis Filiarum inopia: duo erant, quibus ùt plurimùm ad hanc moleſtam quidem, ſed probam comitem aſſumendam piiſſimæ Forerianæ Virgines non tam cogebantur, quàm ſe ſe ipſas adſtringebant. Primum fuerat nota tunc temporis in ſtatum Religioſum ſimultas, ac, ut ita dicam, hominum ſæcularium odium; conceptum inde, quòd crederent illorum unum ſcopum ac finem eſſe coacervandi divitias, & rerum affluente abundantiâ, otiô tempus conſumendi, fruendíque in deliciis iis bonis, quæ ſibi Sæculares nonniſi improbo labore comparare coguntur. Secundum erat ipſe ſincerus & præcordialis earum in paupertatem ſanctam affectus, atque propenſio, quâ, à ſuo B. Fundatore ſic edoctæ, credebant pretioſiorem theſaurum poſſidere ſe non poſſe, & eò ſecuriores fore in profectu virtutum, earúmque opulentiâ, quò exutæ ac alienæ magìs eſſent à terrenorum bonorum cura, & affluentia. Sic igitur inſtitutis ſufficiebat vel minimum in aliqua urbe angulum obtinere atque veniam, quâ ſuæ vocationi conformiter liceret vivere. Hoc profectò ſi unquam, certè Gerbevillæ ad votum accidit, nam ad petitionem Marchionis de Gerbeviller à Domo Chatel ad Moſellam ſitâ in hanc urbem vocatæ, approbante Tullenſi Epiſcopo, an. 1672. introductæ ſunt, ſed non tam in ædem aliquam pro tam ſtrenua pietate paratam, quàm in carcerem quempiam: atque nè de inopiæ perfectione deeſſet aliquid, quatuor in hoc Ergaſtulo commorantes, Mater ſcilicet *Angelica Harlachot*, *Maria Agnes Terrel* cognata Reverendiſſimi Generalis Congreg. S. Salv. *Claudia Franciſca Barbier*, & *Maria Chriſtina Bojrot*: Tanta alimentorum egeſtate premebantur, ut ad victum ordinarium non niſi panis Autopyrus iſque ob duritiem aquâ macerandus adeſſet. Néque tamen inde vel à cæpto labore remiſſum eſt, vel in querelas ullius Virginis lingua reſoluta; quin potiùs adeò ſuam celare inopiam conabantur, ut credidiſſet quis, illas omni opiperâ menſâ abundare: excolebántque tam aſſiduâ, ac gratuitâ puellas ſibi commiſſas eruditione, quaſi nil minùs quàm ſollicitudo eas premeret de neceſſitate curandi alimenti. Demum Deus, qui facit etiam de tenebris lumen ſplendeſcere, obſcuram harum piarum Virginum vitam per virtutis merita fecit pretioſam, ac lucidam, ut quaſ-

quaſdam in ſuam ſocietatem Sodales, eáſque utcúnque dotatas, obtinerent; quarum mediis quædam cellæ exſtructæ, domúſque honeſtior comparata, ſensímque hæc ipſa in Monaſterium excrevit cum Eccleſia, quam Reverendiſſimus Dominus *de Lozanne* Abbas Belchampenſis de Licentia ordinarii ſolenni ritu conſecravit. A quo tempore exactâ Regulari Diſciplinâ inductâ, ultimis ſe beati Fundatoris conſtitutionibus ſubmittentes dodiedum in hac præclariſſima obſervatione perennant.

Exiſtit in urbe Gerbeviller.

Gondrecourtenſe. Suavi odore virtutis, ac emolumenti eximii per plurima jam Lotharingiæ loca diffusô alliciebatur quoque urbs Gondrecourtenſis; hinc cives illius Domino Camilly tunc Epiſcopo Tullenſi ſupplicavêre, ut eodem inſtituto Foreriano hanc urbem bearet, aſſenſit optimus Antiſtes, & quaſdam ex Cœnobio Caſtri novi, quod tunc præ reliquis inſigni famâ pietatis in vicinia locorum notabatur, adduci voluit; quinque igitur ex iis ſubmiſſæ: Mater *Maria ſenant*, *odette dubois*, *Franciſca Agatha Morillon*, *Nicolaa de Gourdot*, *Maria Antonia de Bourgogne*. Die 29. Julii annô 1710. Monaſterium, reliquáque ad inſtructionem requiſita ædificia, clauſuram, Novitiatum, imò & Novitias ipſas, quaſi conjunctim & unà receperunt, brevíque intervallo temporis viginti quinque coadunatas Religioſas numeraverunt. Præcipuos verò ad hanc abundantiam Benefactores habuerunt Dominum *Marium* Vice Prætorem cum Filia ſua *Claudia Franciſca* relicta vidua Domini *Joannis Bellot*. Rexit porrò prima Superior Monaſterium eximiâ prudentiâ Mater *Senant*, cui, ſicut in regimine, ita & in virtute ſucceſſit an. 1722. Mater *Odette Dubois*, quam longo tempore præeſſe, ac prodeſſe huic Parthenoni omnibus votis precamur.

Exiſtit in urbe Gondrecourt.

Heidelbergenſe. Cùm Sereniſſimus Elector Palatinus *Joannes Wilhelmus* rei Catholicæ Zelator Eximius fructum exuberantem cauſari audiiſſet per Virgines Forerianas; mox annô 1700. Bonnâ advocari Heidelbergam curavit quaſdam, ut inſtitutum ſuum ad hanc quoque transplantarent civitatem. Advenit igitur Venerabilis Mater *Maria Franciſca* de Beywegh cum alia Bonnenſi Religioſa *Maria Dorothea de Weiſen*, aſſociatæ pariter his ſunt duæ ex Parthenone Moguntienſi, & duæ ex Luxenburgenſi, quibus ipſe Sereniſſimus tenerrimo favore exceptis ſtatim & domum incolendam extradidit, & penſionem ſufficientem pro alendis Convictricibus. Nec defuêre, quæ pauló poſt ſuſcipi petiêre Virgines præclaræ, & eximiis ornatæ dotibus, ita ut vix ſeptimô annô elapsô primis inſtitutricibus in Monaſteria redire conceſſum ſit, remanente ſolùm Matre *Maria Franciſca* cum una Moguntienſi: cùmque indies Divina illis benedictio augmentaret temporalia, annô 1710. domus earum in abſolutum Monaſterium erectum eſt, contribuente dignam tanta Principe dotem ipſa Sereniſſima Electrice. Annô autem 1710. diſcordiis illis Hæreticorum cum Sereniſſimo Electore ad extremum pene effervescentibus ipſe relicta hac urbe reſidentiam ſuam Manheimii conſtituens ſecum hoc inſtitutum ſic transtulit, ut tamen Heidelbergii hodiedum exiſtant, & inter ipſos hæterodoxos eò præclariùs floreant, quò certiùs & majori cum admiratione percepimus, *Mariam Franciſcam* plures puellas ex Hæreſi ad fidem unam ſalvificam traduxiſſe. Hæc Heidelbergæ in fama ſanctitatis demortua ſuppedi-

peditabit nobis de ſancta vita, quam duxerat, ampliorem in futuro opere noſtro differendi occaſionem.

Exiſtit in ipſa urbe Heidelberg.

Ligniacenſe. Annô 1639. Hanc in urbem advenerant quinque ex Eſpinalenſi civitate fugâ elapſæ Virgines, ut iſthic ſuæ inopiæ ſubſidium reperirent, quò obtentò adeò inſtituti ſui ad juventutem, quâ data occaſione inſtruendam ratio earum inſedit animis, ut omnium inde civium amorem facili negotiô reconciliarent, & ſi modó ſibi ipſis comparare in Monaſterium exſtruendum ædem quandam poſſent, parsti admitterent, igitur propriis manuum laboribus,arctóque victu tantum demum æris colligunt, quo eandem conducere poſſent. Primam tranquillitatem Religioſæ converſationis, quâ potiri inceperant, non modici poſtmodùm adverſæ Fortunæ inſultus turbârunt quidem, non tamen ſubverterunt penitùs, quinimò ſtabilitatem in virtute creſcentem divina benedictio ſolatiis demulſit eximiis, nam an. 1643. die 10. Sept. Dux Luxemburgenſis ejúſque conthoralis erigendi novi Monaſterii licentiam ampliſſimo Diplomate indulſit, quod dein Diœceſanus annô 1647. ſuis litteris confirmavit. Eodem hoc annô quatuor eximiæ domicillæ huic Cœnobio ſe tradiderunt, è quibus una gratiam adepta eſt, ut propriis Sereniſſimæ Duciſſæ manibûs habitu religioſo indueretur. Sed cùm novellæ adhuc huic Congregationi peculiaris deeſſet Eccleſia, in qua Divina perſolverent, Mater *Joanna de Lovrey* accedens Reginam Galliæ *Annam* ſcilicet Auſtriacam (quam noverat, quanta ſemper æſtimatione in B. *Petrum* ferebatur) ſupplex Regiis advoluta pedibus brevi peroratione ſuæ petitioni aſſenſum obtinuit, & liberalitatem retulit tantâ Principe dignam, quam cùm mox Matronæ Aulicæ profuſis Beneficiis ſequerentur, non ſolùm Eccleſia, ſed & Monaſterium nobiliter conſtructum, dotatúmque comparuit. Splendorem hunc externum comitatus eſt in ſacris Virginibus præclarus virtutum ornatus, & Regularis vitæ impenſa obſervatio,præcipuè cùm annô 1649. ultimas Conſtitutiones B. Patris amplecterentur; nè ſcilicet tam cumulatis Dei Gratiis ullo modo deeſſent rigore exactæ Diſciplinæ, quam hucúsque illibatè odſervari ab iiſdem gaudenter percepimus.

Exiſtit in ipſa urbe Ligniaco ſeu Ligny.

Longavicenſe. Monaſterium, poſt felix planè, & nobile exordium, ſucceſſum reperit infauſtum ac miſerum: nam quod Dominus *Rouſſel* Parochus loci annô 1628. mirâ liberalitate dotavit, inſtituítque tam providè, ut intra modicum tempus ſedecim Novitiæ numerarentur, annô dein 1682. ſupremum Senatum Metenſem primum ſibi adverſantem ingemuit, dum incorporationem Capellæ S. *Joannis*, quæ pro ſuſtentandis decem Virginibus ſuffecerat, declaravit nullam, planéque reſcidit; mox annô 1683. facto altero ſubſequente; dum ſcilicèt decreto Regio Longavicum cum arce, ac ædibus urbis demolitum eſt, ipſo quoque Monaſterio has pœnas luente, Virginibûs in modicum Eremitorium ablegatis, & ad 30. annos tantâ penuriâ afflictis, ut nec cellæ Religioſæ, nec alimenta ad victum neceſſaria ſuppeterent. Demum 1690. ultimum idque ſupremum ſucceſſit malum,mandatô,iterum regiô emanatô, quô omnes Religioſæ Perſonæ emigrare jubebantur. Diſperſæ exinde ſunt Virgines, quædam Argentoratum,quædam Luxenburgum,aliæ Moguntiam,paucis remanentibûs,divinámque præſtolantibûs

bûs Miſericordiam, quam firmè ſperabant poſt tot flagella tolerata rursùs fore placandam, nec fefellit eventus, nam paulò poſt gratia, & favore piorum reſpectæ ſe ſead feliciorem ſtatum recolligebant, ut hodie ad 20. ibidem exiſtant, optatiſſimâ tranquillitate ſuæ vocationi deſervientes.

Exiſtit in urbe Longavico vulgò Longwy.

Lunevillenſe. Expetiêre ſibi Cives Lunevillenſes hujus quoque inſtituti æmulatrices, quæ non minùs id ſua in urbe utiliſſimâ inſtructione in puellis parvulis exſequerentur, quod dudum in plurimis aliis locis factum admirabantur. Submiſſæ itáque ab ipſo Beato inſtitutore Mater *Anna à Viſitatione* tunc Superioriſſa ad S. Nicolaum, Profeſſa autem ad S. Michaëlem; *Franciſca Alba*, *Ignatia Mathe*, & *Ludovica Maillard* die 25. Nov. an. 1629. è collato ſibi parvo domicillio mox Monaſterium formârunt tam prompto ſucceſſu, ut non diù collectis ſufficienter ad conſtituendam communitatem Sodalibûs clauſura eidem Cœnobio ſit adjecta, & inſtructio acceptiſſimo toti urbi fervore incæpta. Nè verò quid de perfectione inſtituti huic laudatiſſimæ domui deeſſet an. 1648. unanimi votò ultimæ conſtitutiones ſunt receptæ. Floruêre in illa virtute ſimul ac nobilitate præclariſſima ſubjecta. De quibus ſuo tempore plura diſſeremus.

Exiſtit in ipſa urbe Luneville.

Luxenburgenſe. Sui initium hic Parthenon Luxenburgi urbe Burgundici Comitatus debet illuſtri quondam Dominæ *Margarithæ de Busbach*. Hæc etenim Nobilis Domini *de Wiltheim* annô 1621. relicta vidua, terrena faſtidiens, & ea, quæ futuræ felicitatis ſunt, animô devotô pertractans, cùm inſtituti Foreriani florentem pietatem & miram Alexiæ perpenderet, ſanctámque pœnitentiam, tantô in illud affectu exarſit, ut domum pro eodem ſe erecturam ſtatuerit, communicato ſuper iſto propoſito cum Domicella quadam de Mansfeld conſilio, quæ cùm Margarithæ animum ſummè approbâſſet, mox idipſum Fratri ſuo Abbati de Mansfeld pro tunc Primario Eleemoſynario Principiſſæ *Eliſabethæ*, *Claræ*, *Eugeniæ* ſub cujus ditione Luxenburgum exſtiterat, transſcripſit, litteras inde confirmationis obtentura. Obſecundabat ſororis ſuæ precibus Abbas, effecítque non ſolùm aſſenſum Eliſabethæ, ſed & totius Magiſtratûs urbis, maximè exinde perſuaſi, quòd graſſantem normiter 1626. contragionem (cùm de hac re deliberaretur, & propendere in favorem ſupplicum animi civium viderentur) pietas divina ſuſtulerit.

Itáque conſenſu adepto Domicella de Mansfeld ipſa rei factura periculum cum filia natu majore dominæ de Busbach Regina Thereſia Metas properat, & in dictæ urbis cœnobio inter penſionarias, ſeu Convictrices receptæ aliquanto tempore normam Foreriani inſtituti addiſcunt, quibus ipſe *B. Petrus* præclaris ſuis doctrinis perfectus inſtructor acceſſit. Igitur divino ſpiritu pleno ſe ardore in harum Virginum pectoribus inſinuante, reverſæ ſunt Luxenburgum, ſubmiſsíſque à *B. Petro* Virginibus, quæ ultimis conſtitutionibus ſe devoverant, *Angela* nempe *de Leſcate*, *Gertrude Ganthier*, & *Carola de Remberviller*, initium fundati novi Parthenonis factum eſt an. 1627. electo ad habitationem eremitorio quodam extra urbem, poſitúmque initium per Dominum Comitem de Mansfeld & piam Matronam de Busbach; atque mox de omnibus neceſſariis iiſdem proviſum. Annô 1628. prima per Dominum

mimum Epiſcopum de Azot Suffraganeum Trevirenſem velata & religioſa profeſſa ex neo-ſuſceptis effecta eſt *Thereſia de Wiltheim* filia natu major Dominæ de Busbach. Vixdum autem religioſo domicilio firmato & litteris approbationis, nec non commendatitiis ad conſiliarium Regium tum à D. Abbate de Mansfeld, tum ab Archiepiſcopo trevirenſi *Philippo Chriſtophoro* de die 20. oct. 1001 1627. obtentis permanſerant per annum & aliquos menſes in prædicto eremitorio, aliam, eámque commodiorem ſuo inſtituto domum adipiſcuntur, quam hactenùs Patres S. Dominici incoluerant, ad Parochiam S. Michaëlis eodem hoc tempore tranſlati, in qua usque ad hodiernum diem feliciſſimo planè tum ſuo, tum totius urbis profectu, ac emolumento perdurant.

Inter eas Virgines, quæ hoc cœnobium ſua pietate ſuffulſerunt præprimis exſtitit, quam ſuprà nominavimus, *Margaritha de Busbach.* Quæ religionem in hoc loco ingreſſa (ſub nomine Monicæ de Busbach) per totam Lotharingiam ac Luxemburgum ob ſanctitatis famam notiſſima eſt. Scripſit ejus vitam ſynchronus, eíque familiaris Gallicô Idiomate, dein à quodam Canonico Regulari in Bavaria in Vernaculam linguam tranſlatam propediem lucem publicam præſtolantem. Obiit illa an. 1651. die 10. Sept. ætatis ſuæ 72. annorum ingenti virtutum theſaurô ornata, præcipuè autem ſpeculum tam viris quàm fœminis religioſis exiſtens eximiæ obedientiæ, & humilitatis, qua, licèt ipſa hujus Luxemburgenſis Cœnobii Fundatrix atque dotatrix inter ſolas tamen ſorores converſas minima eſſe, & ſub directione vivere ſuæ filiæ elegit; imitatura vivaci exemplô Salvatorem ſuum, quem noverat non ſolùm velut Patrem, ſed velut Creatorem ſuæ ſe ſubjeciſſe Creaturæ.

Exiſtit hoc cœnobium, ut diximus nunc in ipſa urbe Luxemburgo.

Manheimenſe. Superiùs attigimus hoc cœnobium, ſuum exordium ab Heidelbergenſi duxiſſe: Cùm ſcilicetChriſtianiſſimus Princeps Palatinus *Joannes Wilhelmus* Heterodoxorum abominatione actus, Heidelbergam deſerens reſidentiam ſuam Manoii ſeu Manheimii figeret, tunc urbis incolæ confeſtim pro eodem Foreriano inſtituto huic ſuæ civitati implantando ſupplicàrunt, ſuperabat numerus Heidelbergenſium Virginum adeò, ut facili negotiô ſummitterentur Manium quatuor earum; ſcilicèt Mater *Dorothea de Weiſen*, Soror *Maria Philippina Geigerin, Maria Xaveria Seitz, & Maria Lepinay.* Poſita tamen erat conditio, ut utráque domus Heidelbergenſis nimirum, & Manheimenſis non niſi unam conficeret, quod quidem ab annô Fundationis 1724. usque ad 1726. perſtitit, at cum ob legitimas intervenientes cauſas reſolutum eſt, proprium etiam Manheimii Monaſterium conſtruendum: Igitur in primam Superiorem electa eſt an. 1727. die 15. Jan. Mater *Maria Thereſia Joſepha de Pflug*, quæ usque hodie egregiè præeſt, & novellum cœnobium non exiguis dotibûs auget, in quo præcipuè Capella ornatiſſima, & munidiſſimo decore reſplendens exiſtit.

Exiſtit in urbe Mannio.

Marſalenſe. Cùm ab annô 1635. communis bellorum calamitas univerſam Lotharingiam affligeret, & innocuos quoque ſua crudelitate feriret. Novimus quo facto primùm Dietienſem Civitatem invaſerit, ut ubi paulò antè Virgines Forerianæ ſuam pietatem ſtabiliverant, prædictô annô omnes

nes ſibi de fuga conſulere cogerentur; ex quibus ſeptem Marſalam pervenêre ibidem refugium inter tot urgentia mala quæſituræ. Ne verò etiam afflictiſſimo tempore ſui viderentur inſtituti immemores, quòd nimia neceſſitate diſtractis jam de vita potiùs propria alenda cura incumberet, quàm de proximi ſalute cogitanda: nulla pericula aut obviantia mala impedire eas poterant, quin protinùs de colligendis in dicta urbe puellis, quas inſtruerent, providerent. Itáque domo aliqua, neſcio cujus, benignitate obtentâ, ſcholas aperuerunt, benedixítque confeſtim Deus Virginum ſolertiæ, ut Gubernator ipſe, totúſque urbis Magiſtratus annô 1638. easdem benevolo planè fervore, unanimíque ſupplicatione Carolum Ducem Lotharingiæ hujus nominis 4tum conveniret de litteris patentibus his Virginibus conferendis, quas idem quoque gratioſè an. 1653. die 4. Dec. impertiit, addens, ut religioſis illis ſua in urbe tam diù dictum domicilium concederetur, donec liberalitate alicujus benefactoris faventé, inſtituto ſuo magis congruô habitaculô dotarentur: cujus etiam poſſeſſionem adeptæ ſunt annô mox ſequente 1654. die 19. Martii. Neque ingens illa, qua premebantur in conſpectu omnium, inopia pias aliquot animas abſterrere poterat, quin relictâ abundantia ſæculari mallent in clauſtro egere pro Chriſto, & ſuâ hâc ipsâ inopiâ felici commutatione, carnis locò, in ſpiritu ditari. Sex itáque juvenibus ampla cum dote ſua Novitiatum adeuntibus ipſum in egeſtate incipiens Marſalenſe hoc cœnobium egregiè quidem in temporalibus, longè autem præclariùs indies congeminatis virtutibus in ſpiritualibus accrementis ſolidatum eſt adeò, ut hâc adhuc ætate inſigniter floreat.

Exiſtit in ipſa Urbe Marſalia, ſeu Marſal.

Mataincurienſe. Fundatum eſt à *Leopoldo I.* Lotharingiæ Duce, annô incompertô; vixit autem in Ducatû ab annô 1697. usque 1729. quô obiit. Eccleſia cùm monaſterio parvo ſpatio innexa eſt, commoditati tamen religioſæ ſat amplo. Hoc monaſterium pretioſiſſimum theſaurum utriúsque Forerianæ congregationis poſſidet, nimirum ſacrum corpus Beatiſſimi Fundatoris. Vix ambigi poteſt, continuatis ad ſacras has reliquias prodigiis, & indies accreſcente concurſu ad easdem fidelium, paulò poſt quorundam benefactorum gratiâ illud in ampliorem formam cum Eccleſia eſſe reformandum.

Exiſtit in ipſo oppido Matain-cur, quod eſt infrà Mirecour mediô milliari Gallicô ad Fluv. Maidan.

Metenſe. Ut hanc urbem quoque pietas Foreriana ſolaretur, Authores fuerunt Dominus *Belchamps* Canonicus primicerius Cathedralis Eccleſiæ Metenſis, & Dominus *Heſſon* Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ S. Salvatoris, hi enim obtentâ à Rectore Provinciæ D. Duce de Vallete licentiâ, ut urbi de inſtitutione hac novella providerent, *B. Petrum* convenêre Fundatorem, requiſitas ab eo plantulas depoſcentes; quibus ille quantociùs ſatisfacturus miſit Nanceyô ſex ſequentes; Matrem ſcilicet *Marinam Maitre-Homme*, *Angelam de Lesqualle*, *Ignatiam Naquart*, *Gertrudem Ganthier*, *Carolam de Remberville*, & *Paulam Paton*, quæ cùm Metis die 23. Ap. 1623. appuliſſent, tenero affectu à Domina Abbatiſſa Harancour in celeberrima Abbatia *S. Petri* hoſpitalitatis gratiâ recipiuntur, ubi usque ad 1. Decembris omni charitate ſervabantur; atque cum demum domum

domum coëmentes trino ſimul favore honorantur, dum tam Dominus Civitatis pleno jure præfatam congregationi ædem incorporat, quàm ſua auctoritate *D. Henricus de Bourbon* Epiſcopus Metenſis confirmat, ac deníque patentibus litteris Sereniſſimus ipſe Rex *Ludovicus XIII.* datis annô 1623. die 1. Dec. totam fundationem munit & roborat.

Annô 1625. jam quædam è ſæculo ad hanc refugii domum avolantes Virgines ſolenniter à Domino Præpoſito *Heſſon* in Eccleſia parochiali Sancti *Liberii* ſunt inveſtitæ, & ex hinc in monaſterium ſuum clauſurâ ſimul firmatâ inductæ.

Fuerunt in hoc Parthenone magni nominis perſonæ ſuſceptæ, inter quas præprimis obſervanda occurrit Mater *Auguſtina de Gournay* ex illuſtriſſima hujus nominis familia oriunda, ac Neptis Domini de *Gournay* Epiſcopi Comitíſque Tullenſis, in cujus præſentia eadem ſua vota Deo annô 1634. die 28. Aug. nuncupavit inter manus *B. Petri*, ab eodem tempore ob excellentes animi dotes conſtituta præpoſita, omnibus ſubditis prudentiâ ac exemplô veneranda.

Cæterùm ſemper hoc cœnobium affectuosè *B. Petrus* diligebat, aſſervántque Virgines hodiedum tanquàm pretioſa Cimelia plures ab eodem ſibi tranſmiſſas Epiſtolas; quarum utinam nos exemplaria obtinere poſſemus operi futuro inſerenda.

Exiſtit hic Parthenon in urbe Metenſi.

Sancti Michaëlis. Erat in hac Civitate eximia planè Domus *Judithæ de Apremont* pientiſſimæ Matronæ, cujus favore, ac dono neo-collectæ, erectæque Congregationi ita in proprietatem ceſſerat, ut ex ea præſtans monaſterium *B. Petrus* inſtruxerit: ablegata illuc Alexia eſt cum quatuor ſodalibus an. 1601. die 7. Martii, apertæque præſcriptæ ſcholæ ingenti bonorum omnium lætitia. Tribus annis cùm Alexia præfuiſſet, vocata Nanceium ſubſtituit ſui locò non minùs virtute eximiam *Gante André*, quæ tanta pietate præſederat, ut totum penè Spiritum *B. Petri* hæreditaſſe crederetur. Locus hic præcipuè inde Venerandus, quod ex eò tanquam è prima ſcaturigine totius Congregationis propago dimanârit.

Exiſtit in ipſa urbe hujus Nominis ad fl. Moſam in ducatu Barenſi.

Mirecurtenſe. Eſt locus iſte auſpicatiſſimis *B. Petri* Forerii natalibus inſignis, unde hujus incolæ in monumentum ſuæ erga. Beatum Concivem, ac popularem ſuum devotionis & reverentiæ juſtum planè cenſebant, tam præſtantis inſtitutionis monaſterium continere. Poſtulationi igitur ad B. Patrem factæ non defuit paratiſſima ſatisfaciendi voluntas, delegata enim quantociùs Nancejô Mater *Cæcilia Raquemel*, & ſoror *Barbàra Gerbeau*, illa anno priori, id eſt, annô 1618. profeſſa, iſta tanquam novella ſacro habitu induta, & jam poſt novem menſes urgentibus cauſis ad emittenda vota admiſſa. Vix aliquot hebdomadis ſolito fervore præfixæ inſtitutioni erudiendarum parvularum inſudaverant, multiplicavit Divina bonitas puſillum hunc numerum, decem unà ſimul ſupplicantibus tanto fervore, & in hanc ſacram religionem affectu, ut omnes quoque ad noviciatum ſuſciperentur. Cura inveſtitionis ab illuſtriſſimo *Porcelleto* contradita eſt Abbati Calmuſiacenſi Domino *Paticier*, viro in paucis præclaro. Nec harum Virginum adventui defecit exoptata dotatio, cujus ſubſidiô, concurrente ſimul propriô ma-

manuum labore coemptis duabus conterminis ædibus eximium ſibi conſtruxêre monaſterium, quod Dominus tanta benedictione locupletavit, ut numerus religioſarum ultrà modum accumularetur; ex quo poſthac tanquam ex Alveario quodam religioſæ virtutis, quatuordecim *B. Petrus* aſſumebat ſecum abducens an. 1636. Grajum, erecturus quidem expetitum ab ejus loci incolis cœnobium, niſi duplex iucurrens neceſſitas propoſitum tunc impediviſſet: Quarum una irrumpentia bella, altera mors fuit B. Patris. Hinc annô 1640. in Mirecourt reduces, paulò poſt in Sabaudiam vocatæ, novo Parthenoni in Valle Auguſta initium poſuêre. Miramur tamen hanc Grajenſem civitatem pretioſo licet Teſauro cordis *B. Petri* dotatum necdum de monaſterio aliquo Forerianæ Congregationis ſibi providiſſe.

Cæterùm ſolido planè amore, ac cura *B. Petrus* hoc proſequebatur Mirecourtenſe cœnobium, & quod eidem præprimis gloriæ cedit, inſuper autem & conſtantem prætendit priſtinæ diſciplinæ fervorem, eſt ſuprema illa B. Patris ſumméque æſtimanda dilectio, qua conſtitutiones ultimas, de quibus jam ſæpiùs meminimus, mox, ut eas quarta ante mortem ſuam die concluſerat, ſic perfectas Virginibus Mirecourtenſibus, tanquam nobile ſuæ paternæ affectionis teſtamentum, transmiſit; neque dubitamus, nihil illô ſibi has Virgines antiquiùs, commendatiúsque ad plenam, & incorruptam obſervantiam adhuc hodie habituras.

Exiſtit in ipſa urbe Mirecurtenſi

Moguntinenſe. Raro ſolet Deus optimis exequendis propoſitis felix præſtare exordium, ut ſcilicet non terreno, ſed cœleſti præſidio innixi credamus ſolum Deum rerum omnium tenere principium. Hinc plerúmque ſummam obveniſſe difficultatem deprehendimus initio inducendæ ubicúnque penè locorum hujus ſacræ, de qua agimus, Congregationis, idque non minùs in Moguntienſi Auguſta: Nam licèt ab ipſo Electore *Carolo Henrico de Metternick* ex conſilio illuſtriſſimarum Sororum ſuarum, quarum una convictrix Luxenburgenſis tum fuerat, advocatæ eſſent Moguntiam, Mater *Urſula Coënen*, *Anna Carola de Reichlein*, & *Maria Clara de Reichlein* cum ſorore converſa, *Scholaſtica*, ut inſtitutum ſuum ibidem firmarent, vixdum tamen tribûs diebûs Luxemburgô proficiſcentibus mors inopinata Principis annô 1679. die 7. Oct. ſimul ſpem optimi ſucceſſûs extinxit. Verùm quæ non in homine, ſed in Deo poſuerunt eventûs optati fiduciam, hôc fatô non abſterritæ, proſecutæ iter die 12. ejuſdem menſis pervenêre Moguntiam, ſtatímque cœlo auſpice Patronum ſibi repererunt, virum Eccleſiaſticum pietate Notiſſimum Dominum *Mortzer*, qui apud Sanctimoniales *S. Agnetis* eis interim procuravit receptum: à quibus etiam omni charitate tamdiù retentæ ſunt, dum eis de proprio habitaculo proviſum eſt. At in hoc novæ moleſtiæ; nam in ædem introductæ ruinis obnoxiam, atque ideò paſſim palatium pellucidum appellatam, pluviis, ventiſque perviam, ſi unquam tunc certè didicêre imperviam nullam eſſe debere virtuti viam. Factâ autem ejuſdem domûs reparatione, interea omninò domicilium in quodam ſtabulo iis fuit ſtatuendum (quis hæc non credat divina ordinante, ac volente providentiâ contigiſſe?) neque tamen ad ullum faſtidium ſanctæ hujus ſocietatis, quin potiùs ad ingens ſolatium cedebat hæc mira Dei diſpoſitio. Cùm enim diverſorium iſtud rectà ſanctiſ-

ſanctiſſimo Naſcentis in ſtabulo Divini Redemptoris noſtri accideric tempore, gaudebant illæ inenarrabili cordis lætitiâ, hoc modo ſaltem quadantenùs amantiſſimo ſponſo ſuo poſſe conformari: præcipuè, cùm memoriâ recolerent primas congregationis ſuæ plantulas his ipſis ſacratiſſimis feſtis votorum religioſorum emiſſione cæpiſſe vireſcere; nihil igitur certiùs augurabantur, quàm ſuæ quoque in urbe Moguntinenſi introductionis hac ſimilitudine factæ auſpicatum progreſſum. Neque ſpei eventus defuit; nam domo præfata ad omnem honeſtatem, atque congruentiam reparatâ mox cum conſenſu D.D. Vicariorum ſcholis apertis, paucis decurrentibus diebus, ad 20. convictrices excrevit numerus: & cùm inter has eſſet Domicella de *Sicking* nobiliſſima Electoris defuncti cognata à parentibus illius maximam tota ſocietas protectionem eſt nacta. Sex denique elapsis menſibûs tanta convenit inſtruendarum multitudo, ut advocare in ſubſidium plures religioſas cogerentur. Quodque præprimis obſervandum occurrit, cùm inſtitutionis Forerianæ ratio diſertè requirat, nè hujus Alumnæ ulli perſonæ oneri ſint, aut moleſtiæ, quaſi de præſtito inſtructionis obſequio aliquid ſperantes, aut poſtulantes, quamvis magna adhuc rerum urgerentur inopiâ, adeò tamen hanc ipſam celare ſtuduerant, ut nè quidem beneficia offerentibus ſuam indigentiam revelarent: unde licèt nec noſtris temporibûs hæc pia Moguntinenſis Congregatio, rebûs ad ſui ſubſiſtentiam neceſſariis ſatis inſtructa exiſtat, non ambigimus tamen ſupernô adjutoriô adhuc eandem ſicut in virtute egregiè florentem, ita & in cæteris ſufficienter fore benedicendam.

Exiſtit in ipſa Urbe Moguntina.

Monaſterienſe. Exiſtunt in hac Imperiali urbe Virgines Forerianæ, quæ utinam ſuæ induſtriæ, laborique parvulis impenſo æqualem à gratis civibus beneficentiam reciperent, utpore quas usque nunc percepimus miſellô tuguriô concludi, & ingenti inopiâ affligi. Sed non dubitamus fore, ut & his ille omnium bonorum remunerator Deus auxilium præſtiturus ſit in tempore opportuno. Detinent ſe Virgines, ùt diximus, in exigua domo cum annexa anguſtiſſima Capella, in qua divinis deſerviunt.

Exiſtit in urbe Monaſterienſi.

Mottenſe. Annô 1627. rogatæ ad hanc urbem Forerianæ Virgines paratiſſimo ad ſerviendum proximo advenêre affectu. Et quidem Mater *Fournier* cum Matre *Scholaſtica Ganthier* & Sorore *Antonia Lechkaut*. Perdurarunt autem inſudantes ferventiſſimæ ſuæ inſtructioni uſque ad annum 1645. quô lamentabile hujus urbis per Gallos factum eſt excidium. Dum eadem terræ æquata cum ipſo pariter Foreriano hoc Cœnobio in nihilum redacta eſt.

Exſtitit in hac ipſa urbe dicta Lamothe.

Muſſipontanum. Curabat multo labore B. *Petrus*, ùt quàmvìs ſolenni ritu, inſtituta à ſe Virginum Congregatio, necdum eſſet approbata, attamen intenta pietatis opera nullâ temporis morâ arctarentur, hinc ut hæc puellarum inſtructio præcipuè in urbibus ſuum ſortiretur effectum, laborabat ipſe, quo demum conamine poterat. Muſſiponti igitur urbe ſibi aliundè præ cæteris vel inde cariore, quod ipſe ſcientiæ ſuæ Elementa in ea hauſiſſet, cùm impensè hanc inſtitutionem ſuam collocare flagitaret, primarios civitatis ordines ſuppliciter convenit, actorem intereà Reverendiſſimum

mum D. Abbatem de Lairvelz virum in ſua virtute notiſſimum conſtituens exitu tam felici, ut circa finem anni 1604. tres ab ipſo *B.* Patre ad præfatam urbem ablegarentur *Alexia* ſcilicèt *le Clerc*, *Gante André*, & *Iſabella de Louvroir* ubi domô ad erudiendas puellas conceſſa perſtitêre indefeſsô ſtudiô uſque ad alterum annum, quo *Alexia* & *Gante André* ad propria revertentibûs *Iſabella de Louvroir* regimen ſuſcepit, usque ad annum 1611. à quo illud ad *Joannam de Louvroir* devolutum eſt, aggregatis intereà usque ad annum 1623. novem virtute non diſſimilibus ſociabus. Eô autem annô die 2 Julii cum magno apparatu ad imitationem aliarum in Eccleſia Parochiali *S. Laurentii* habitu ſacro ſunt inductæ, exinde reductæ in Monaſterium ſuum, moxque conſuetis Ceræmoniis clauſura inducta, alteróque annô 6. Aug. ſubſecuta omnium profeſſio, & ad Venerabiles ipſius B. *Petri* manus depoſita: túmque in Superiorem ſeu Præpoſitam nuncupata eſt *Dorothea Fourier*, quæ tam dextrè ſui regiminis clavum novit dirigere, ut non multo interlabente tempore quatuordecim præſtantiſſimis, & ex nobilitate ſelectis puellis Monaſterium, ordóque cohoneſtaretur. Hoc Cœnobium cumprimis id laudis hactenùs ſibi ſemper promeruit, quod B. *Petri* conſtitutiones ad unguem obſervans hodiedum in omni Regulari Diſciplina illuſtriſſimum cenſeatur.

Exiſtit in ipſa urbe Muſſiponte.

Nancejenſe. Cùm per novellas B. Petri plantulas, Virgines, inquam, à ſe congregatas, ex opere eximiæ charitatis proximis impendendo bonæ famæ odor jam in urbem Nancejanam ſpargeretur, hôc eôdem allectus *Carolus à Lotharingia* Cardinalis cum Duce ipſo an. 1603. *Alexiam*, ut id opus pietatis Nanceii ordiretur, advocavit, quod, cùm ipſa inſigni omnino mox fructu præſtaret, annis vix tredecim evolutis *Antonius Lenoncour* Primas Cathedralis Eccleſiæ ſine mora conſtituit domum, Cœnobiúmque huic inſtitutioni congruum exſtruere, propriíſque dotare, quô ſecundùm omne deſiderium à ſe ſtabilito, & ipſa Congregatione recenter approbatâ *Alexia* cum Virginibus cæteris regulare ſuum inſtitutum debito poſſet in clauſtro proſequi; quod & ipſa cum ſocia de Chonevel tam eximiè præſtitit, ut non ſolùm intra modicum temporis ſpatium Virginum numerus ad 12 augeretur, verùm etiam ampliſſimæ indies dotes Monaſterio adderentur. Antonius ipſe, prout ex Bulla 2. *Pauli* 5. diſcimus, contuliſſe in ſubſidium Fundationis dicitur mille ſcuta monetæ Lotharingicæ ex propriis pecuniis, inſuper tot bonis ſtabilibus providiſſe, ut ex iis redditus annui mille Francorum percipi poſſent; acceſſit prætereà munificentia *Annæ Payn* nobilis viduæ: ut adeò tot benefactorum liberalitate munitum facilè omnium cæterorum Monaſteriorum (quorum tum jam ſex exſtiterant) Princeps ſuſpiceretur. Hinc & B. *Petrus* ipſe reverentiam ſingularem huic loco additurus conſtituit iſthìc pro tota Congregatione locum Noviciatûs habendum, ubi pariter, velut antea narravimus, primùm *Alexia* cum reliquis ſolenni Religionis ritu inveſtita eſt, & annô elapsô ſua Deo vota nuncupavit. Prævidit hujus Monaſterii futuram originem jam annô 1603. *Alexia*, cùm cuidam ex ſuis conſodalibus aliquando illud ſpatium pertranſiens diceret, *En, hoc in loco aliquandò ſpecioſum obtinebimus Monaſterium, in quo laudem Deo decantabimus.* Enarratus mox eventibus verificavit præſagium. Perſtitit autem hæc acceptiſſima Deo anima

anima tanquam Præpoſita in hoc Monaſterio ab anno ſuæ Profeſſionis 1618. uſque ad annum 1622. quo ad præmia meritorum evocata in cælos, corpus Nancejenſibus ſuis reliquit, non ſine inſigni ſpe ſanctitatis defuncta, ſignis, prodigiisque à morte ſecutis piam de illa opinionem conceptam abundè comprobantibus. Mirum quoque illud, quod annô 1620. ad S. *Nicolaum* cuidam præ cæteris ſibi familiari *Claudiæ Chauvenel* valedicere amarè ploranti, adiicerétque ſubridens. *Ne plora, tu enim adhuc Nancejum ventura corpus meum candela, candida, ac ardente comitaberis, cantatura cum aliis Laudate Dominum de Cælis.* Obeunte verò *Alexia* cùm Claudia illa exequiis né quidem præſens adeſſet, vaticinium *Alexiæ* in Claudiæ memoria ſenſim diſperiit; at ecce ſex à morte annis abeuntibus elevatum eſt corpus ob quandam mutationem in Choro perficiendam, hæc verò elevatio à ſacris Virginibus non ſine ſolennitate peracta eſt; dum omnibûs ſecundùm ordinem procedentibûs candellásque ardentes tenentibûs, & ipſa Claudia tunc præſens Proceſſionem hanc comitabatur: cùmque indubitatè de ſanctitate Matris ſuæ confiſæ indignum judicarent corpori illius ſanctæ animæ jam dudum Cœli deliciis fruentis lamentatorias nœnias occinere, omnes altâ voce intonuêre *Laudate Dominum de Cælis*, tunc Claudia reflectens ſe ad *Alexiæ* vaticinium confirmata eſt in opinione, quam diù jam tenuerat de *Alexiæ* ſuæ apud Deum meritis, & felici retributione.

Exiſtit hoc Monaſterium in ipſa urbe Nancejo nobiliter dotatum, & ad ſplendorem magnificum.

S. Nicolai. In hac urbe primùm Foreriana inſtitutio inducta legitur an. 1605. Matre *Gante André* & *Claudia Chauvenel* illuc à B. *Petro* tranſmiſſis, domicilio quidem aliquo ſuppeditato, at alioquin tantæ paupertatis; & penuriæ rerum omnium circumvallatis rigore, ut niſi ipſe Sanctiſſimus Fundator *B. Petrus* quâ datâ occaſione miſellis indigentibus ſuccurriſſet, ſanè ultrà humanas vires excreviſſet miſeriarum cumulus. Sed Deus, qui nunquam reijcit ſperantes in ſe, tetigit quorundam fidelium, commovítque ad commiſerationem pectora, ut quibuſdam ſaltem ſumptibus, Eleemoſynísque opitularentur: ex quo factum, ut ſe ſenſim hæc indiga recolligeret ſocietas, & comparatâ quâdam domô undecim jam adunatæ Virgines in magnifica S. Nicolai Eccleſia præſidente ad hunc actum D. Marin Decano rurali de Port, & hujus urbis Parocho, habitu Religionis annô 1620. veſtirentur, ſubſequô verò 1621. die 6. Junij vota Religioſa deponerent præſente *B. Petro*. Interim diſcedente *Alexia* huic actui aſſiſtente, primæ Præpoſitæ munus ſuſcepit Mater Chauvenel antea Superior Monaſterii ad S. *Nicolaum*; ſed non diù poſtea *B. Petrus* Annam le Clerc ad S. *Michaëlem* Profeſſam Præpoſitam induxit ſeptem annis laudabiliter præſidentem.

Cùm an. 1630. tota penè Lotharingia devaſtaretur à Guiſiis, enarrari vix poteſt, quantô malorum turbine hoc miſellum conquaſſatum ſit Cœnobium: Virgines exulare compulſæ, novennô numerô perfugêre: multis denique tanquam errabundas oviculas diverſisque locis peragratis ad Bellum Campum non longè antea Reformationi Forerianæ ſubmiſſum ſuſcepêre Canonici Religioſô charitatis affectu, & debitô eis ſubvenêre auxiliô, donec ſuppreſsâ iterum calamitate liceret remeare ad propria. Vix reduces omnem operam ad reſtituenda collapſa ædificia impenderunt; cui labori

cùm Deus gratiam jungeret, in pauco tempore totius Cœnobii viſa eſt reſtitutio ſub Præpoſita *Georgia*. Cui cùm altera non minùs prudentiâ, quàm virtute inſignis ſubſequeretur *Alba* Nomine, induſtriâ ſuâ cum temporalibus ſpiritualia ſic curavit, ut fervore Virginum indies creſcente in hoc ipſum Cœnobium ultimæ B. *Petri* Conſtitutiones, ſeveriores ſcilicèt aliquantò aliis (ac ideò hodie adhuc nondum ab omnibus receptæ, ab ipſo B. Patre quartò ante obitum ſuum die ad perfectionem finémque deductæ, deinde ab *Innocentio X.* an. 1645. approbatæ) reciperentur: Exiſtitque noſtris adhuc temporibus in primævo vigore Diſciplinæ.

Diſtat hoc S. Nicolai oppidum 2. milliaribûs Nancejô ad fluvium Meurte, in quo loco ſitum eſt Cœnobium.

Nimphenburgenſe in Bavaria.

Cùm Sereniſſimus Bavariæ Dux *Maximilianus* feliciſſimæ memoriæ Luxenburgi diverteret, tanto in Virgines Forerianas ibidem conſiſtentes, earúmque inſtitutum affectu ferebatur, ut redux Monachium propè inter primas curas ſibi habuerit, idem inſtitutum ſuo quoque in territorio firmandi. Igitur ejuſdem deſiderio ſatisfacturæ Luxenburgenſes Virgines ſummiſerunt quinque è gremio ſuo an. 1720. ſcilicèt Matres *Mariam Roſam de Huart*, *Mariam Catharinam Herman*, *Mariam Antoniam de Baillet*, *Franciſcam Xaveriam de la Rüe*, & Matrem *Annam Eleonoram Houſſer*, quæ ſuperior hujus novi Cœnobii conſtituta eſt. Pervenêre Monachium eodem annô die 19. Julij inenarrabili lætitia à Principe exceptæ, inductæ in paratam eis habitationem, cujus ſumptus duodecim millia florenorum confeciſſe dicitur. Nec defuêre aliæ eximiæ gratiæ, tum à piiſſimo Duce Maximiliano, tum Filio ejus ſucceſſore eiſdem accumulatim impertitæ, quibus favoribus illæ non minùs ſui inſtituti obſervantiâ correſpondere ſatagunt. Et quamvìs ſe necdum in hoc loco ultimis B. *Petri* conſtitutionibus votivè ſubmiſerint, ſicut tamen refertur, tanta earum jam actu babetur, ùt dubitari nec poſſit, paulò poſt ſe ſe in hoc Diſciplinæ fervore perfectè aliis conformaturas.

Exiſtit in Nymphenburg paucis horis diſtante ab urbe Monacenſi.

Nomenienſe.

Circa annum 1628. fundatum eſt in hac urbecula Cœnobium Forerianum induſtriâ præcipuè Sereniſſimæ Dominæ *de Gonzaga*. Prædixitque ſanctus Inſtitutor, fore, ut quamvìs hæc domus non ſit de ditioribus futura, multis tamen potior ſit exſtitura in vita Regulari. Delegatæ ad primam hujus loci poſſeſſionem fuêre â B. *Petro* quinque verè prudentes Virgines è Muſſipontano Monaſterio, cùmque illæ ſolita demiſſione pedeſtres iter ſuum pararent, prædicta Sereniſſima currus, ac Equites magnâ pompâ iiſdem excipiendis, & adducendis ſubmiſit. Obſiſtentibus licèt omni conatu modeſtiſſimis Virginibus, parendum demum erat, nè humilitate nimiâ læderetur potiùs quàm conſervaretur eximius tantæ Patronæ affectus.

Refulſêre in hoc Cœnobio miris ſanctitatis radiis præ reliquis duæ Virgines totius Congregationis præclaræ columnæ, una *Anna Maria Fourier* B. *Petri* ex Fratre Filia, bæc conſummata in brevi explevit tempora multa: quàmvìs enim tribus ſolùm annîs in Profeſſione Deo ſerviſſit, 20. ætatis terrena cum æternis beata morte commutans, attamen hoc pauco tempore omnem perfectionis viam attigiſſe videbatur, præcipuè verò

in

in ſui inſtituti obſervatione, id eſt in ſeduliſſima inſtructione juventutis. Altera *Joanna de Louvroir* annô 1635. 17. Febr. ætatis ſuæ 66. defuncta tanta ſanctitatis opinione, ut ejus lipſana hodiedum magni theſauri locô ſe poſſidere glorietur domus Nomeniana.

Exiſtit hic Parthenon in urbe Nomenio. vulgò Nomenii.

Pedepontanum. Virginalis hujus coloniæ in hanc urbem introducendæ occaſionem dedit Feſtivitas Beatificationis B. Petri For. quâ à Canonicis Regularibus SS. Andreæ, & Magni ibidem initiô anni 1731. ſolemniter celebratâ, cùm multa de emolumentis ex inſtructione Congregationi Dominæ noſtræ ab hoc Beato inſtitutæ conſueta Reipublicæ Catholicæ obvenientibus præclarè diſſerta fuiſſent etiam à Primariis ſtatûs Eccleſiaſtici Ratisbonenſis, non ſine manifeſtatione ingentis Zeli pro ejusmodi Parthenone hic loci quoque erigendo, unus horum Canonicorum hæc, utpote tum pro tenerrimo ſuo, quo in B. Petrum ferebatur, affectu, tum pro gloria Ordinis minimè negligenda arbitratus, A. R. D. *Philippo Saller* Canonico Pollingano, notiſſimo inſtituti Foreriani fautori, ſibíque familiari litterarum conſuetudine juncto, hic autem Canoniſſis Eyſtadienſibus per litteras communicavit. Fungebatur tunc temporis ibidem Superioris munere Religioſiſſima Mater, ac omnium bonorum teſtimoniô Digna tam Sancto Patre filia *Maria Bernarda Kirchbaürin* nunc piiſſimæ memoriæ. Hæc, vix ac iſta percepit, nullum non movit lapidem, quatenus & ſuo proprio Zelo, & tam ſanctis aliorum ſatisfaceret votis, cum tam felici ſucceſſu, ut obtento ſine difficultate, & 2. Junii 1732. in Scriptis renovato R^mi. ac Seren. DD. *Joannis Theodori* utriusque Bavariæ Ducis &c. ac Eccleſ. Ratisb. & Friſing. Epiſcopi gratioſiſſimo Conſenſu, inſuper ſpes magna ſat congruæ fundationis affulgeret, adeóque ſolùm de domo, ac neceſſaria habitatione vel in ipſa Ratisbonenſi, vel in Pedepontana Urbe, comparanda agendum reſtaret. Ad quod efficiendum cùm ipſa Religioſarum præſentia magìs conductura videretur, eò ablegatæ ſunt Venerab. Mater *Maria Sebaſtiana Schnürlin*, *Anna Victoria comitiſſa de Werſchowez*, *Joanna Carolina Baroneſſa de Karg*, quæ die 27. Aprilis eôdem anno Eyſtadiô diſcedentes, & Ratisbonam pervenientes, inque ultimæ Paterna, ſcilicèt Excell. & Perilluſt. DD. L. B. *de Karg &c.* ad Comitia Imper. Legati Trevirenſis domo pergratiosò exceptæ hoſpitiô, facilè quidem Religioſæ ſuæ converſationis fragrantiâ potiſſimæ Nobilitatis affectum, & æſtimationem lucratæ ſunt: At, prætérquam, quòd ſol, unde magnam congruæ fundationis ſpem affulſiſſe, ſuperiùs diximus, eclypſin paſſus ſit, ac exinde omnis iſta ſpes diſparuerit, nec diuturnô, ac indefeſſô labore, nec interventu etiam potentiſſimarum precum vel à Magiſtratu Ratisbonenſi (quod non mirum, quia Lutherano) vel à Pedepontano licentiam emendi aut jam exſtructi domicilii, aut ſaltem pro noviter exſtruendo ſufficientis terræ ſpatii evincere potuerunt. Inſuper, quamvìs hic defectus ceſſaverit, dum R^mus. DD. *Joannes* Præpoſitus, cœteríque RR. DD. Canonici Capitulares SS. Andreæ, & Magni, ſicut in omnibus aliis, ita & in hac anguſtia ſpirituales Beati Concanonici ſui filias, conſiliô, & operâ pro viribus ſuis conſolaturi ſupplicibus earum precibus dandi tantum ſpatii de ad ſuum collegium pertinentibus bonis, quantum pro honeſta

ſta earum habitatione neceſſarium fuerit, annuerunt, nihil inde ſibi decedere æſtimantes, quidquid ad honorem tanti fundatoris, & amplian- dum Sacrum ordinem cederent; temporalem tamen præfecturam gerentes ſiniſtris relationibûs adeo omnem illis viam ad obtinendum neceſſarium Sereniſſimi Electoris Conſenſum præcluſerunt, ut omni ulteriori ſpe deſtitutæ reditum in Eyſtadienſe ſuum collegium pararint, ac die 10. Novemb. actu Ratisbonâ abierint. Sed mirâ Dei Providentiâ factum eſt, ut in itinere convenientioris hoſpitii causâ Anglipolim declinantes Geiſenfeldam tenderent, ibidem in percelebri Benedictinarum Abbatia pernoctaturæ, ubi perbenignè admiſſæ percipiunt, ipſum Sereniſſimum DD. *Carolum Albertum*, Electorem, cum Sereniſſima conjuge, ac Reverendiſſimo & Sereniſſimo Fratre Epiſcopo Ratisb. & Friſingenſi proximè Wolzachium (arx eſt Principalis non procul Geiſenfeldâ diſtans) venationis causâ venturum. Capiunt in arena Conſilium prudentes Virgines de exſpectando, ibidem hoc Sereniſſimo adventu, ac neceſſario conſenſu perſonaliter ſollicitando; atque ad hoc negotium efficaciùs urgendum Eyſtadiô adhuc alias duas Conſorores Matrem *Annam Carolinam de Knœbl*, *& Mauritiam Adelheidem de Törring* in auxilium vocant; nec fruſtra: Nam impetratô facillimè gratioſiſſimô alloquiô propriâ experientiâ didicerunt, quod his in terris in adagium abiit, Sereniſſimis Bavariæ Principibus hæreditarium eſſe, ac quaſi innatum, ut nihil, quod à Religioſis, aut Religionis titulô petitur, negare poſſint: Quippe Sereniſſimus Elector Patronum cauſæ potiùs, quàm abſolutum Dominum agens aſſumptis ad trutinam piiſſimæ petitionis rationibûs, ut objectiones adverſantium ſapientiſſima dexteritate declinaret, in feſto Præſentationis B. V. Mariæ ſpecialem tam de ſacro hoc inſtituto, quàm de ejusdem Beato Inſtitutore venerationem præſeferens viva voce humillimis votis eâtenus clementiſſimè annuit, ut interim in conducenda Pedeponti domo conformiter ſuo ſacro inſtituto vivere poſſent, cum ulteriori gratioſiſſima aſſecuratione, de plenaria licentia exſtruendi novi monaſterii mox concedenda, quamprimùm à ſupplicibus futuræ ſuſtentationis, & mediorum ad id neceſſariorum ratio data fuerit. Obtenta hoc modo Permiſſione, & 30. Novembris in Scriptis redacta *M. Anna Victoria de Werſchowez* Eyſtadium cum inde noviſſimè accitis ſuis Conſororibus rediit, alias duas, à Capitulo delegandas conſodales pro nova colonia conductura, interim Matre *Maria Sebaſtiana Schnürlin*, *& Joanna Carolina de Karg* in Au arce Illuſtriſſimi DD. Comitis *Joſephi de Törring &c.* eam reverſuram præſtolantibûs. Sed negotiô hoc Eyſtadii longiùs protractô hæ duæ interim 24. Decemb. ſuum Ratisbonæ antiquum hoſpitium repetunt; quorſum etiam annô ſequenti prædicta Domina *Anna Victoria de Werſchowez* cum Ven. Mat. *Victoria Eliſabetha de Favrat*, *& Joanna Franciſca de Paula Baroneſſa Bozy de Roſenfeld* ſecuta eſt die 13. Jan. Itáque coadunatæ juxtà præſcriptum Conſtitutionum hæ quinque verè prudentes, & illuſtriſſimis ſuos natales propriis naturæ, & gratiæ dotibûs longè ſuperantes Virgines conductam Pedeponti præ ceteris comodam domum, in qua ſpeciali R$^{mi.}$ Ordinariatûs curâ jam privatum oratorium conſtitutum erat, die 18. ejusdem occuparunt, ubi ſequenti die, quo Feſtum Sanctiſſimi Nominis JESU incidit, R$^{mus.}$ DD. Præpoſitus Sanct-Magnenſis Sanctiſſimum Altaris Myſterium cele-

celebrando Divino obſequio ter fauſtum initium fecit, quod ſacræ veſtales inceſſante ſtudio proſecutæ ſunt, ad hoc ſolùm intentæ, quatenus cuncta ad mentem S.Fundatoris ordinarent; hinc primò formarunt clauſuram, in feſto Purificationis Divinum officium in choro alternatim dicere, ac jam antea inchoatis ſcholis internis penſionariarum die 17. Feb. etiam exteriores maximo puellarum confluxui aperire cæperunt. Quo in Religionis ſtudio quantùm ſibi complacuerit Deus, ſingulari Providentia palàm demonſtravit, dum huic religioſæ familiæ reipſa obtigit, quod Divinus Salvator ad S. Catharinam Senenſ. dixiſſe fertur, *tu curam habe de me, & ego curabo pro te*. Licèt enim omnî aliô humanô auxiliô deſtituta, & ab Eyſtadienſi Profeſſionis domo, quæ ejus dotibûs gaudebat, non niſi humili ſuppellectile, ac ſat parcô ſubſidiô ſuffulta eſſet, bono tamen virtutum odore brevi plures penſionariæ, & inter has aliquæ non minùs optima indole, quàm egregia dotatione præditæ adeo efficaciter attractæ ſunt, ut novæ huic Congregationi, implantari ferventiſſimis precibûs poſtularint, quarum prima exaudita eſt perhoneſta, ac Virtuoſa Virgo *Catharina* (modò dicitur *Joſepha*) *Schleiffeneggerin*, quæ præmaturè parentibûs orbata, jam antea per plures annos in celeberrimo convictu Virginum Urſulinarum Straubingæ educata, & vel ideo etiam ſine dilatione ſuſcepta, ac in feſto S. Joſephi Poſtulantium (uti vocant) altero verò anno Dominicâ iſtud feſtum præcedente Novitiarum habitu ab A. R. D. *Joſepho Scheinberger* Can. Reg. ad S. Magni, hujus Parthenonis Confeſſario Ordinario, & primæ hujus Novitiæ cognato donata, demum annô 1735. in eodem Divini Nutritii Feſto Sacris ſe votis obſtrinxit, Rem Divinam, & Sacras ceremonias peragente R^mo D. D. Præpoſito S. Magni. Cujus veſtigia cùm paulò poſt aliæ de nobili ſtemate Domicellæ permererent, facta remonſtratione etiam plenarius Sereniſſimi Electoris conſenſus quoad ædificandum novum monaſterium facili negotiô ſecutus eſt die 4. Septembris 1733. Exin die 24. ejusdem menſis Præſentibûs R^mo. Excel^mo ac Illuſtr^mo *DD. Franciſco Joachimo de Schmid ab Altenſtatt & Hächenkürchen* Seren. Princip. & Ep. Ratisb. Conſiliario intimo, Can.Cath. tunc Vicario Generali,& Colleg.Eccl. SS.Joan.Bapt. & Evangeliſtæ Præpoſito Infulato, nunc autem Epiſcopo lengonæ, ſuffraganeo Ratisb. & hujus ſacri cœtûs Protectore, ac Promotore pergratioſo &c. nec non RR. DD. Canonicis Regularibus Confeſſario Parthenonis prædicto, ac *P. Bernardo Edtl* unanimî calculô in ſuperiorem electa eſt A. R. D. Mater *Joanna Franciſca de Paula Pozy de Roſenfeld*, cujus prudens, Maternum, & religioſiſſimum regimen quàm coram Deo, & hominibus ſit acceptum facilè crediderit, qui reſcit, quòd eôdem, quô priùs, modô, licèt multiplicatis electricium votis jam tertia vice in hoc ſuo officio confirmata ſit. Electa autem omnem ſollicitudinem impendit ad conſtruendum novum domicilium, pro quo cùm Canonici Sct - Magnenſes domum anteà jure retractûs (totius enim Pedepontani ſoli Dominium directum ad eos pertinet) vindicatam, ac de proximè adjacente prato ſuo ſpatium quoad longitudinem 360. & quoad latitudinem 148.pedes Geometricos continens conceſſiſſent, ac neceſſaria materialia per hyemem præparata fuiſſent, præfatus R^mus DD. Præpoſitus Sct - Magnenſis 2. April. 1734. primum lapidem poſuit, ac annô ſequenti die 25. Julii ex ſpeciali R^mi. & Illuſt. Pro-Epiſcopi commiſſione publicum erectum oratorium condigna ſolemni-

lemnitate Benedixit. Has ſolemnitates ſecuta eſt mox alia die 28. ejusdem, dum Diſpenſante Rmo. Ordinariatu in hoc noviſſimè Benedicto Sacello duæ aliæ Novitiæ *Maria Auguſtina Baron. de Schrenck*, *& Maria Bernarda Kirchbaürin* ſuperiùs memoratæ ſuperioris Eyſtadienſis ex fratre neptis ac ſicut nominis, ita & vittutum hæres ſacram profeſſionem emiſerunt, ſolemne officium, ac ceremonias ſacras in Pontificalibus peragente Prælaudato Rmo. ac Illuſtmo D.D. VicariôGen. pro concione autem elegantiſſimè perotante Rmo pariter Excell.mo ac Illuſtmo DD. Franciſco Sigismundo L.B. de Stinglbeim &c. modò Cath. Eccl. Ratisb. Decano Digniſſimo. Ptæ omnibus aliis autem feſtiva fuit Innocentibus bis columbis dies 15. Oct. ejusdem anni 1735. quâ, ædificiô, quod in longitudine complectitut pedes geometricos 170. in latitudine autem 54. plenè perfectô, omnibûsque ad notmam à B. fundatore præſcriptam perbellè diſpoſitis diù ſuſpiratam hanc ſuam atcam cum convictricibus ſuis ingreſſæ ſunt non cum exigua Spirituali magnificentia, comitantibûs quippe RR. PP. Franciſcanis, Magiſtratu utbis, & ipſo loci Commendante illuſt. ac Gen. D. Antonio de Buinie Capitaneo Bavarico cum Selectiſſimorum militum centuria ſplendotem augente, ſimul & omni pettutbationi ptæcavente, Sanctiſſimum autem deportante, & ſolemnem Miſſam iterum decantante nunquam ſatis deprædicando Rmo. ac Excellmo DD. Vicario Generali, qua dein finita, & impetta ſingulis Benedictione Clauſura firmata fuit. Intta quam hucusque, neſcio, an majori cum tranquillitate, an Divinæ glotiæ Zelo vivunt ſub manifeſta ſingulari Dei Ptovidentia, & Ptotectione, quod exin liquet partim, quòd hic Parthenon jam ultra duas præmatura morte in ipſo novitiatu abreptas, actu viginti duas Religioſas, è quibus ſeptem ſunt converſæ, concludat, & numerus penſionariarum jam ſæpiùs usque ad 50. excreverit; partim, quòd ferme ſolus ſit, qui Belli malîs omnia Bavatiæ clauſtra opprimentibûs, & extremè emungentibûs inoffenſus permanſit. Quam feliciſſimam ſortem ſicut animitùs gratulamur, ita & ulteriorem gratiarum affluentiam precamur.

Exiſtit in amæniſſimo prato Danubium inter & Regen urbi Pedepontanæ immediatè annexum, adhuc tamen in territotio Parochiæ Sanct-Magnenſis, & Jurisdictionis Prætorialis.

Sigenſe aut Naſſau - Sigenſe. Cùm tepetitis litteris inſtaret ſereniſſimus Ptinceps Catbolicus *Franciſcus Hugo*, ejusqúe conjux *Leopoldina* nata de *Hohenloë* tum annô 1733. tum rurſus 1734. advenit ex Eichſtadienſi familia nova Colonia Vitginum Foterianatum hôc eôdem annô menſe Martiô & quidem Mater *Maria Xaveria Stregnard*, *Maria Petra Schlenkin*, & *Maria Conſtantia Favrat*. At ipſo Fundationis novi Monaſterii tempore crudelia mottis fata bunc piiſſimum Ptincipem ſurtipientia usqúe nunc aliam eventûs ſpem nobis non teliquerunt, niſi quam vidua Conjux gravida alendam tribuit, ſi Deus eandem hætede maſculo dignatus ſit benedicere, quod nos necdum comperimus.

Conſiſtit in urbe Sigena, quæ poſita eſt ad fluvium Siegdam in Veſtrovaldia Circuli Rhenani ſuperioris.

Trevirenſe. Cùm vera dilectio nequeat arcto concludi limite, ſed ſe in quæqúe loca, ac Perſonas affectet effundere, charitativo B. *Petri* inſtituto pariter nullô modô ſola ſuffecit Lotharingia, ſed ultrò magis, ac magis procedebat ad fructus colligendos uberrimos. Deſtinatæ ad id erant quatuor Vitgines Luxenburgo Auguſtam Trevitorum miſſæ, in ea urbe ampliſſima, & totius facilè Ger-

Germaniæ, ab antiquitate fidei, ac virtutum nobilitate, alioquin Principe, dum ſua opera impendere magna ſollicitudine parant, non ſolùm nullo à Civibus ſubſidio foventur, quin potiùs reſiſtentes experiuntur, & ſuæ in hanc urbem introductioni omninò adverſantes. Urgentur miſeræ paupertate penè extrema, & parvò tuguriolô incluſæ tantum non omninò deficere permittuntur, ſtatuente hoc Divinâ providentiâ, quæ nos inſtruit à minimis ſemper maxima eſſe exordienda negotia, & præcipuè in conſtituendis illis, quæ Religionem concernunt. Iſtud hæ prudentiſſimæ obſervantes Virgines, contentæ minimis, nec adverſariorum inſultu depreſſæ expectant cum patientia benignius Cœli Conſilium, & exorant ſolùm in iis Divinam præ cunctis aſſiſtentiam, quæ conducere ſciebant ad exſequendum miniſterium ſuum: emoliit quoque Dei Clementia cor Celſiſſimi Electoris, ac Archiepiſcopi Trevirenſis Domini Principis *Philippi Chriſtophori de Suteren*, cujus protectionis gratiam ſibi utcúnque jam affulgentem gratulabantur; cùm verò hic ab Auguſtiſſimo Viennam avocaretur, ibique diem extremum clauderet, ſpes noſtrarum Virginum vacillare rursùs cæpit, ſed firmiter in Deo fundata non omninò confuſa eſt. Nam cùm ſe perſequentibus jam antea à veritatis Magiſtro didiciſſent bona reddere, iſtud vel maximè in his circumſtantiis operari conabantur: igitur nullo infeſtantium odio deterritæ ſcholas, ùt poſſunt, ordinant, parvulas ſuavi illecebra ad diſcendum exſtimulant, pandunt utiliſſima ſua documenta, & in erudiendis illis ita proficiunt, ut odio Civium ſenſim decreſcente ſe ſe amicior inſinuaret affectus, placeretque tam pium inſtitutum illis quoque, qui antea id velut inventum inutile, & quoddam quaſi pecuniæ obtinendæ lucrum (à quo tamen quàm longè hoc inſtitutum abſit, nemo non videt) averſabantur. Præ reliquis autem favere occeperat novus Elector *Dominus Carolus Caſparus de Laye*: Qui de earum ſedulitate ac virtute edoctus mox gratioſam ſuam protectionem lubens obtulit, litteras patentes an. 1652. conceſſit, quibûs has Virgines ſtabiliri in urbe Trevirenſi voluit; inſuper iiſdem Privilegiis, quibûs aliæ communitates ibidem uti ſolent, gaudere fecit. Deníque ampla donaria tradidit in ſuſtentationem congruam, libertatem quoque conculit, ſibi de Monaſterio, ac clauſura providendi. His omnibus præcipuam manum adjutricem adhibuit celeberrima Mater *Gerthrudis de Wiltheim* Superior Parthenonis Luxenburgenſis; acceſſit quoque multiplicata Dei benedictio, ut licèt nullo bono fundato eſſent hæ ſacræ Virgines dotatæ, ſolâ aut piorum Benefactorum liberalitate, aut ære ſuſceptarum Noviciarum totum Monaſterium in ſplendidum, ùt hodie viſitur, ædificium exurgeret, & ſufficientia ſemper iis ſuſtentandis alimenta adeſſent. Hæc enim ſolet eſſe paupertatis Religioſæ ſecuritas, ut quæ curam ſuam totam jactat in Dominum, certiſſimis ab ipſo ſubſidiis nutriatur.

Exiſtit in ipſa urbe Trevirenſi,

Valentiannenſe. Annô Domini 1668. ſeptem Virgines piæ, atque devotæ compromiſſione ad invicem facta viventes in cælibatu hoc ſibi ipſis imponebant negotium, ut parvulas puellas in virtute, aliſque juventuti muliebri educandæ idoneis rebus erudirent, necdum ſatis aliquid (veluti videtur) de inſtituto Foreriano huic intentioni non abſimili fortè agnoſcentes. Contigit autem, ut eodem tempore *Maria Bernardina de Ondelange* Profeſſa Luxenbur-

burgenſis at jam in 26. annum Bruxellis exiſtens cum quibuſdam aliis conſodalibus ſuis Valentiannas adirent, ubi has in tam pio opere occupatas Virdines comperientes de ſuo inſtituto pleniùs informaverunt, perſuadentes, ut quæ ſolùm religioſæ obligationis meritô differrent, tantæ prærogativæ virtutem divino ſponſo arctiore vinculo Virgines copulantem amplecterentur: nec inanis hæc erat perſuaſio, utpote quæ volentes animos, &ad perfectum obſequium Divinum reperit paratiſſimos. Igitur aditô conſuetæ probationis exercitiô, bienniô, prout conſtititiones ordinant, peractô an. 1670. 21. May ad profeſſionem ſolennem proceditur, nuncupantur Altiſſimo vota, moxque ſuccedunt aliæ ſupplices, & domus illa in perfectum Monaſterium transmutatur, in quo usque hodie Foreriana inſtitutio præclariſſimè floret.

Exiſtit in urbe Valentiennis.

Verdunenſe. Effloreſcens undique cum incomparabili emolumento Noſtræ Dominæ Congregatio, civibus quoque Virdunenſibus perſuaſit ſua in urbe tam eximias pro parvulis ſuis erudiendis Magiſtras alere, virtute, & merito Laureatas. Hinc primùm eandem tres Virgines adjêre an. 1608. die 25. Oct. cùm poſt decem annos hujus loci Superior ſuam Nanceij (ſicut & ſingulæ reliquorum Monaſteriorum, vel potiùs tunc adhuc domuum Præfectæ) Profeſſionem peregiſſet, Verdunum redux aliquas tam diù in omni Spiritu, ac devotionis exercitio inſtruxit, ut tandem annô 1620. die 20. Sept. omnes habitu Religionis aſſumpto, altero poſt annô ipsô *Carolô à Lotharingia* Epiſcopô Verdunenſi eiſdem plurimùm in cunctis patrocinante, ac huic actui ſolenni pompa præſidente, vota ſua Domino redderent. Hoc Monaſterium unum ex celebrioribus totius Congregationis noſtra ætate florere perſpicuum eſt. Exiſtitque in hac ipſa Metropolitana urbe, omnium civium amoribus, & affectu ſuffultum.

Vezeliacenſe. Magnâ inopiâ hoc Cœnobium annô 1629. cæptum eſt, quod tamen cùm admirando pietatis fervore inhabitarent quatuor Nancejô adductæ, Virgines, adeò in ſui ſequellam ſæcularium animos attraxerant, ut complures puellæ huic ſe inſtituto per Religioſa vota contraderent, & primam egeſtatem ſublevarent. Hâc numerosâ communitate collectâ hodie adhuc eximiâ obſervantiâ ac ſpiritûs fervore ſponſo cæleſti deſervitur.

Exiſtit in urbe Vezeliaco, aliàs Veſelize.

Vicenſe. Sub annum 1634. petentibûs civibûs conſtructum Cœnobium, cui regendo, ac informando ab ipſo B. *Petro* ſubmiſſæ ſunt ſex ex Monaſterio Dieuzenſi Virgines, quæ ſuo muneri tum abundè ſatisfecerunt, ut non ſolùm advenientes paſſim puellas convictrices ſolidiſſimè inſtruerent, verùm & complures intra gremium Congregationis per Profeſſionem Religioſam recipientes, ad perfectum deducerent exercitium virtutum, in quo hucúsque egregiè perſeverant.

Exiſtit ad Caſtrum Vic propè Saliam amnem.

Atque hoc de Monaſteriis utriuſque ſexûs Forerianis dixiſſe ſufficiat, ſi luculentiora, & ampliora nobis documenta ſuppeditata fuerint, non deerimus quin ipſo in opere noſtro, quæque fideli calamô eidem ad perennem B. Petri gloriam, & Congregationis genuinæ ab ipſo inſtitutæ eximium decus inſeramus.

CIRCULUS WESTPHALICUS.

NOn exiguo limite olim hic quoque Circulus cingebatur, nam ſi antiquis apud Zeilerum, & Cluverium ſcriptoribus credimus, eminebat ſeptem Epiſcopatibûs, nimirum: Baderbornenſi, Leodienſi, Monaſterienſi, Oſnabruggenſi, Mindenſi, Verdenſi, Trajectenſi ad Moſam, & Cameracenſi. Ducatibûs quatuor. Neoburgenſi, Juliacenſi, Clevenſi, & Montenſi. Comitatibûs deníque compluribûs. Sed ſucceſſu temporum hinc inde eidem quædam decerpta ſunt; novimus enim Cameracenſem, jam diù Burgundico Circulo inſertum, Trajectenſem verò ad Moſam Epiſcopatum translatum Leodium fuiſſe.

Nos eum in hoc Circulo ordinem Locorum ſervabimus, qui recentioribus temporibus receptus eſt, & loca prout annô 1650. in repartitione imperiali in cauſa Suecorum facta enarrantur, eidem annumeramus. Hinc quoque Mindenſem Epiſcopatum dudum ſæcularizatum, & Regi Bruſſiæ adſcriptum Circulo Saxonico inſerere maluimus.

Sunt verò in hoc Weſtphalico Circulo Ordinis noſtri adhuc Cœnobia præclara, & tum Diſciplinæ rigore, tum antiquitatis jure, tum deníque diverſis aliis prærogativis omninò veneranda. Videbimus tamen, quàm veriſſimè Ovidius 15. Metam. dixerit: *Tempus edax rerum, túque invidioſa vetuſtas.* Immutemus paululum, & dicamus: *Túque Hæreſis invidioſa omnia deſtruitis.*

Etenim de præclariſſimis in hoc Circulo olim Canoniis florentibus nunc nil nobis niſi quondam eas tenuiſſe relictum eſt, earum quibuſdam aut alteri ordini, aut ſæcularitati attributis, aliis verò, quod immodicô gemitu deplorandum, ipsâ fide Catholicâ extinctâ, poteſtati Hæreticorum ſubjectis. Sed nos jam manum ad ipſam deſcriptionis tabulam apponamus, more hactenús aſſumpto ſecundùm ordinem Alphabeticum proceſſuri.

S. Adalberti Ep. M. Præpoſitura. Habuit hæc, olim extra, nunc intra muros Aquiſgranenſes exiſtens Eccleſia ſibi Fundatorem S. *Henricum*, cùm annô 1018. Imperii habenas moderaretur; quam, ùt in litteris Fundationis ait, *ſe ſpe Divinæ retributionis pro remedio animæ ſuæ, conjugisque dilectæ Chunegundis videlicet Imperatricis Auguſtæ, nec non parentum ſuorum, tum* *Fundat. 1018. Sæcular.*

Rr 3 *etiam*

etiam pro confirmando ſub Divina protectione regni ſtatu in honore S. Adalberti Martyris & Epiſcopi in monte contermino ſedi Aquenſi, fundavit. Non quidem in his litteris refertur, an Monaſterio clerum adjunxerit, id tamen cùm Molanus ſic aſſeruerit, ut etiam regulariter eundem ibi vixiſſe affirmet, nos hanc Præpoſituram noluimus negligere. Nunc eadem Sæcularium eſt Clericorum. Mir. Cod. Dipl. Belg. C. 28. Mol. ad diem 13.
Fundat. an. 1124. Floret. Junij.

S. Ægidii Abbatia. Extant de hujus inſtitutione litteræ, in quibus inter alia memorantur ſequentia: *Eccleſiam B. Ægidii, quæ eſt in monte publico* (Leodienſis) *civitatis Berengerus Abbas in Monaſterio S. Laurentii, dedit cuidam, Gerico Regulari Canonico, cum quibuſdam Fratribus ejuſdem Profeſſionis ad inhabitandum, & amplificandum, ſecundùm Ordinem S. Auguſtini; ea ſcilicet conditionis ratione, ut ſi prænominatus locus eòusque per divinam largitatem creſcendo proficeret, quod Paſtorem ſibi Fratres regulariter deberent eligere, idem electus corporalem inveſtituram à prædicto Abbate ſuſciperet, à quo etiam ad ſuſcipiendam Epiſcopalem benedictionem præſentaretur, hac conſtitutione per omnes ſucceſſores valiturâ.* Hoc fragmentum deſumpſimus ex Epiſtola, quam ſcripſiſſe ad *Eugenium* Papam tertium annô 1152. dicitur Wibaldus, ſeu Wilbaldus Abbas Stabulenſis, qui annô juxtà Bucelinum 1117. die 19. Martii habitum religionis in Valciodorenſi Monaſterio ſuſcepit, at juxtà Sammarthanos 1119. ætatis ſuæ 20. paucóque interjecto tempore Stabulaum ſtudiorum causâ devenit, poſtmodùm 1130. in Abbatem die 16. Nov. electus, annô demum 1158. obiit. Ex hoc calculo deduco Wilbaldum fermè an. 1115. hoc modô informatum de Fundatione iſta fuiſſe, quô mox deſcripſimus; nam ipſe in hac eadem Epiſtola ait: *De Controverſia, quæ eſt inter Abbatem Monaſterii S. Laurentii, in ſuburbio civitatis Leodienſis, & Abbatem de monte publico, celſitudini veſtræ ea in his litteris ſuggerere ſtudebimus, quæ ſuper his in veritate didicimus, ante annos fermè triginta ſeptem, cùm eſſemus pueri ſub ſcholari Diſciplina in prædicta civitate conſtituti &c.* Non poterat ergò tunc Wilbaldus aliter de hujus fundationis conditionibus niſi per rumorem doceri, præcipuè cùm ſe fateatur adhuc puerum, & quidem ſæcularem ſub Diſciplina Scholaſtica (quidni litterarum humaniorum) fuiſſe conſtitutum annorum ſcilicèt ætat. 16. circiter. Fundatio autem hujus Abbatiæ non eſt ante annum 1123. figenda, uti mox patebit ex annis Epiſcopatûs *Alberonis*. Ex quo imperceptibile videtur, ut Wilbaldus octo annis antequam fundatio ſub prædicta forma facta ſit, jam *contractum* ſub his conditionibus *formatum* didicerit, & quidem, ut ipſe inquit, *in veritate*. *Contractum*, inquam ſic enim ait: *Quod famâ inter prædictos Abbates fuerat contractum, nobis ex celebri relatione non poterat eſſe omninò ignotum.* Præterea Berengerus Abbas in S. *Laurentii* præfuit usque ad an. 1113. ùt notat Mabillonius, at tunc ne quidem fortè cogitabat Albero de inſtituendis Canonicis in monte publico. Inſuper vehementer mea quidem opinione hallucinatur Wilbaldus, dum ſubdit ſequentia: *Necdum*, inquit, *in eis partibus terræ conſuetudo proceſſerat, ut Canonici, qui Regulares dicuntur, Abbates crearent, nomine Præpoſitorum in Prælationis officio contenti.* Nam Bornheimenſe Cœnobium cùm annô 1120. Affligemienſibus tanquam deſertum à *Burchardo* Cameracenſi Epiſcopo traderetur, jam diù antea

Abba-

Abbatem habebat, velut illud præfatus Burchardus in ſuo diplomate Abbatiam appellat, *ut*, inquit, *Abbatiam illam ſub Regula S. Auguſtini aunihilatam regendam ſuſciperent, mouuimus.* Igitur diù ante Abbatia fuit, quod Wilbaldum iis in partibus educatum latere non potuit. Et Eccleſia S. *Leonis* Tullenſis novimus ex narratione Bertoldi jam an. 1094. primum, qui huic loco Præpoſitus fuit ab Epiſcopo loci in *Abbatem* ſolenniter fuiſſe datum. *Eſt enim conſuetudo*, inquit Bertoldus ad an. præf in ſuo Chron. *in illis partibus, ut præpoſiti Congregationum hujuſmodi, Abbates nominentur,& iu Abbates conſecrentur.* Certè ad has partes,quas Bertholdus Conſtantienſis obſervat, ſicut Tullum, ſic & Leodium referebatur tunc, dum iſte eodem ſæculo 12. quo Wilbaldus ſcripſit, vixítque, uti ſcientibus loquimur. Deníque ut nihil dicam de his, quæ in iiſdem, litteris diſconvenientia ſequuntur, certè neque credibile eſt (ùt idem Wilbaldus aſtruit) hanc ſubmiſſionem Abbatem Montis publici confeſſum eſſe, quod ſui Religioſi negârunt, & ſine hujus notitia ſubreptitiè ab *Innocentio* Papa per eoſdem eliberationem impetratam fuiſſe; quæ ſanè, ut credamus, non ſinit eximia ſanctitas illius temporis in hac Abbatia degentium Religioſorum. Profectò quantùm ſaltem apprehendimus, ſolidiora de Fundatione hujus percelebris Abbatiæ nobis Chronicon Magnum Belgicum ſubminiſtrat his verbis: *Venerabilis Albero, hujus Nominis primus, Frater Ducis Godefridi Lovanienſis,ex parte Matris,ex Clero S. Stephaui Metenſis,electus Leodienſium ordinatur Epiſcopus 28vus Tungrenſium verò 57mus annô Domini 1123. Poutificatûs Callixti Papæ, hujus Nominis ſecundi, annô 5tô præfuit annis ſex* : dein poſt pauca; *iu Eccleſia*, inquit: *S. Ægidii in monte publico Canonicos Regulares inſtituit, & eis multa bona tribuit, quæ Eccleſia incepta fuit tempore Nothgeri 27mi Leodienſis Epiſcopi,per Gundrannum Joculatorem & mimum, qui relictis vanitatibus ſæculi, elegit iu illo nemore vitam Eremiticam, & quia trauſitus periculoſus erat, ibi Deo hoſpitalitatem exercebat. Habebat verò urſum, qui attrahebat Lapides pro Eccleſiæ ædificio: Leodieuſes mirantes cum urſo lapides trahi, quidam ex ipſis ſæculum relinquentes, cum eo ibi regulariter vixerunt. Primus eorum Prior, quondam Decanus S. Petri Leodienſis, poſt primus Abbas fuit Aſſo, qui ibidem ſunt ſepulti, ad quam Eccleſiam ſingulis annis veniunt Mimi Epiſcopatûs Leodienſis proceſſionaliter cum Candela & oblationibus feria quarta poſt Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ ob revereutiam Guntranni, quem ad ſæculum reducere voluerunt. Qui obiit 5tô Kal. April. Fratres autem ejus cum Cruce obviant uſque ad porticum Eccleſiæ --- obiit Albero in Circumciſione Chriſti, ſepultus in Eccleſia S. Ægidii publici montis (hæc ex Chronicis Leodienſibus)* hucúſque Chron. Belgic.

Apparet itâque Canonicos in hanc Eccleſiam inductos fuiſſe inter annum 1123. & 1129. Fiſenius annum 24tum ſupra milleſimum centeſimum ſtatuit, & ex Ægidio Chroniſta ſcribit prædictum *Petrum primum loci Priorem, poſtquam multos annos præfuiſſet in humilitate cordis & paupertate maxima, virum diſcretum & Religioſum, Succeſſorem habuiſſe Azonem virum multis litteris præditum & Abbatis gradu poſteà inſiguitum. Albero* igitur Leodienſis Epiſcopus non Berengerus S. Laurentii Abbas Canonicis Regularibus Eccleſiam à Goderanno ante annos 155. ſub Notgero conditam excoluit, atque inhabitandam conceſſit. Nec meâ refert, ſi opponas, gratis hanc Epiſtolam à Wilibaldo confingi nequiviſſe; dico enim, eorum intereſſe, qui hanc primò produxeranr, ut elucidationem hujus communicent, & proceſſus, ſeu litis

inter

inter Abbates utriúsque Cœnobii conditiones pandant, ut dictæ Epiſtolæ certiorem fidem adſtruant; quod quamdiù factum non fuerit, pugnabo pro Fiſenio, & eò longè antiquiore Chroniſta gemino, Ægidio ſcilicet, atque Magni Chronici Collectore. Etenim cautiſſimum me hæc fragmenta reddiderunt, ne manum darem, dum ea collectionibus veterum ſcriptorum inſerta reperio, præcipuè, ubi, neſcio, quæ partium ſtudia Collectores quandóque ſuſpectos faciunt. Quodque hic obſerves, dum Sammarthani in deſcriptione hujus Cœnobii inſtitutionem Canonicorum Regularium ad annum 1100. alligant firmantes ſe in prælaudata Wilbaldi Epiſtola; attamen in *Alberone* Leodienſi Antiſtite diſertè affirmant annô 1124. *Alberonem* Canonicos Regulares in Eccleſia *S. Ægidii* in publico monte conſtituiſſe, cùm tamen in Berengero Abbate S. Laurentii de hac S. Ægidii extraditione nè quidem verbô meminerint, alioquin neutiquam oſcitantes in commendandis ſuorum Beneficiis Commonachorum, quæ aliis, præcipuè Clericis præſtitère, facilé nempè è memoria labitur, quod firma veritatis radice infixum non tenetur.

Cæterùm pauperem hanc in exordio Fundationis ſuæ Abbatiam fuiſſe conſtat ex laudato mox Chroniſta Belgico, dum ait: quòd *Albero contulit in Synodo Abbati S. Ægidii prabendam S. Dionyſii, quia inter Abbates non habebat cappam ſericam propter nimiam paupertatem.*

Hæc Abbatia Floret adhuc noſtris temporibûs, cui an. 1719. magnô emolumentô præſediſſe novimus Reverendiſſimum Præſulem *Lambertum* hujus Nominis 4tum *Lervitte* dictum ex Priore invitum ad Abbatialem dignitatem evectum.

Exiſtit in monte publico urbi Leodienſi proximo. Chron. Mag. Belg. p. 166. & 176. Foppens. Nov. Collect. part. 2. C. 58. Annal. Ben. L. 68. n. 43. Fiſen. hiſt. Leod. t. 1. L. 7. n. 5. & L. 9. n. 36.

Aux Bon Infans. *S. Mariæ* Abbatia Virginum Canonicarum ſacri ſepulchri, quæ hodie adhuc floret in ipſa urbe Leodienſi, Colonia ex Novavilla multis agitata calamitatibûs Leodium bonorum amicorum conſiliô emigrans, hic tandem annô 1496. à die 15. Kal. Jan. ſedem fixit coëmptis cellitarum ædibûs, his altero ſæculo ſe ejusdem inſtituti junxêre aliæ ex Haſſeleto venientes, de quibus nos alibi. Approbavit geminæ ſocietatis unionem Clemens VIII. quæ temporum intercapedine adeò pietate, & bonarum ſodalium profecit numerô, ut jam pluribus aliis Parthenonibus informandis inde expeterentur.

Exiſtit in urbe Leodio. Fiſen. hiſt. Eccl. Leod. t. 2. pag. 314. n. 19.

Beaurepaire, ſeu Bellus reditus, Abbatia nunc Ordinis Præmonſtratenſis. Sæculo 12. *Valdardus Archidiaconus Leodienſis, cùm inſignem locum ab Epiſcopo & Capitulo Leodienſi ſibi aquiſiiſſet, ac ſufficienter dotâſſet, in extremis laborans, in eo Canonicos Regulares S. Victoris Deo famulaturos inſtituit, atq; mandavit ordinari, & per Venerabilem Virum Magiſtrum Godefridum de Fontanis dictum locum de bello-reditu cum ſuis pertinentiis juxtà ordinationem præfati Archidiaconi Leodienſis, inſtantiſſimè nomine executorio ipſius Archidiaconi, eisdem S. Victoris Abbati & Canonicis obtulit, & ut aſſenſum ſuum praberent, ſtudioſiſſimè laboravit.* Ut refertur in Charta extraditionis hujus Monaſterii ab *Odone* S. Victoris Pariſienſis Abbate annô 1296. ipſis factæ Præmonſtratenſibus: qui eùm reſidentes ad montem Cornelii *tantis moleſtiis & incurſionibus malorum*

hominum

hominum, ipſorúmque Prædonum quotidie illuc confluentium afflicti, & quaſi penitùs exinaniti pacificè vivere, & religionis ſuæ regulas obſervare commodè non poſſent, apud eoſdem Victorinos ſupplicârunt pro hujus loci ſibi ceſſione facienda, quod ipſi paratiſſimi conſenſerunt, & deſideriis annuentes gaviſi ſunt, de eorum translatione à loco dicto Montis Cornelii ad hunc de Beaurepairire. Unde quidquid hactenùs juris in hanc Eccleſiam habuerant, iiſdem Præmonſtratenſibus cum aſſenſu Epiſcopi, & Capituli Leodienſis dictô annô 1296. ceſſerunt; quæ omnibus poſtmodùm prærogativis ornata eſt, quibus priùs Mons S. Cornelii gaudebat: Abbatiæ quoque titulum obtinuit, & usque nunc in enarrata vivendi forma perſeverat.

Modò viſitur in urbe Leodienſi hæc Abbatia, poſitáque eſt infrà Monaſterium S. Jacobi. Mir. ſuppl. Dipl. part. 1. C. 98. Foppens. Novæ coll. par. 1. c. 170. Gall. Chriſt. t. 3. col. 1042.

Bellum fagetum. Prioratus: Hujus meminimus in priori Circulo, at quia eundem poſtmodùm Leodium adeóque in Circulum Weſtphalicum translatum audivimus, huic eum quoque circulo hiſce innectimus.

Ord. Præm. Fund. 1123. Cappenbergh. S. Mariæ Abbatia. Anteà caſtrum à *Godefrido Comite, ejúsque Fratre Ottone cum adjacentibus quatuor Curiis S. Norberto, ſuiſque Fratribus ſibi ſubjectis, eorúmque ſucceſſoribus in Canonica Profeſſione ſecundùm Apoſtolica inſtituta ibidem degentibus* an. 1123. conceditur, & ab *Henrico* 4. Imperatore fundatio iſta an. 1133. confirmatur. Multa eſſent, quæ de hac Abbatia dici poſſent, ſed nos brevitatis causâ Filum abrumpimus.

Sita eſt in Weſtphalia Diœceſis Monaſterienſis in confiniis Marchiæ medio milliari à Fluvio Lippia ſeptentrionem verſùs, & tribus Germnicis ſuprà urbem Hamm. Foppenſius nov. coll. Dipl. p. 2. C. 40.

Caprimontenſe. Vulgò Cheuremont. Fund. extinct. Abbatia olim Canonicis in poſſeſſionem data à *Zuendeboldo* Lotharingiæ Rege. Confirmatione dein adjecta an. 910. à *Ludovico* ejuſdem *Zuendeboldi* Fratre, quæ omnia poſtmodùm *Fratribus in eodem loco Kevermunt, Deo dignè militantibus Ottho* primus Imperator an. 947. *aliis dotationibus auxit. Fratrúmque ibidem Domino famulantium uſus accumulatos, ac in perpetuò manſuram proprietatem donavit, ut deinceps de Regia illa Capella Abbas eidem Caprimontenſi Eccleſiæ præficiendus eligatur, idem autem nullas dictæ Eccleſiæ res ſibi providendas forinſecùs aliquo uſu deducere præſumat, ſed intra communiter ad Fratrum cæterorum ibidem ſervientium commoda neceſſaria retineat.*

Erat olim hic locus *Cheuremont* arce inſigni munitùs, fuerúntque in eo tria Canonicorum Collegia: unum *B. Mariæ*, de quo nunc agimus, alterum S. *Capraſii*, & tertium *S. Joannis Evangeliſtæ*. Cùm verò præfata arx Leodienſibus, multis de cauſis, infeſta exiſteret, eam *Notgerus* Epiſcopus Leodienſis annô 980. (hac fraude uſus) obtinuit: vocatus námque ad Baptizandam Satrapæ in ea arce commorantis prolem, magnam ipſe militium turmam clericali ſub habitu adduxit ſecum tanquam in miniſterium Epiſcopi adfuturam, vix verò intromiſſi arma occultata arripiunt, ſatrapæ milites ſuis munimentis expoliant, & Caprimontenſe Caſtrum ad fundum evertunt. Hinc ij adhuc hac de re verſus memorantur.

Legia ditatur per me, Caprimons ſpoliatur.
Hic ruit, hæc ſurgit, manet hæc, nunquam ille reſurget.

Idem dein *Notgerus* ipſa quoque præfato Canonicorum Collegia à Caprimonte tranſtulit, & quidem Abbatiam ab *Otthone* jam ſuo modo Capellæ Regiæ ſubjectam ex toto univit. Alteram S. *Caprafii* ad S. *Paulum* in urbe conſtituit. Tertia deníque S. *Joannis* Evang. nec igne, nec aliâ vi ullâ deſtrui potuit, donec *Notgerus* aliam eidem ſancto Baſilicam ſe in eadem urbe ponendam devovit, quod & ſequenti annô adimplevit, ſcilicet 981. in eàque 30. Canonicos fundavit. De quo Sigebertus Gemblac. *ad annum* 971. (non 972. ùt habet Miræus:) *Urbem ædificiis honeſtavit, majorem Eccleſiam corpore S. Lamberti inſignitam à Fundamento renovavit; Cœnobium S. Joannis Evangeliſtæ in Inſula fundavit.*

Exſtabat Caprimontium ſecundo à Leodio Lapide ad Weſam fluvium, ſuntque nunc omnia prædicta Collegia ſub Jure & poſſeſſione Sæcularium Canonicorum. Hiſt. Pontific. Leodien. Mir. L. de Coll. Can. Sæc. cap. 59. & cod. Dipl. L. 2. C. 17. & Don. Belgi L. 2. C. 16. & 19.

Fundat. circa an. 1093. Floret. Cella S. Jacobi, vulgo bonorum puerorum. Vel S. Eliſabethæ. Prioratus Windeſem. Condidit ſub annum 1093. aut circa, ædem S. *Leonardo* ſacram *Anſelmus S. Joannis* in Inſula Canonicus, dum eidem prima Fundamenta jam anteà ſubjecerat Civis quidam Leodienſis pietate nemini de facili ſecundus; cui locus ſuppliciis maleficorum infamis tandem meliori ſanctorum Patrocinantium titulo honorandus videbatur. *Obertus* tunc Leodienſis Epiſcopus Eccleſiæ novæ conſecrandæ manum lubens applicuit, ſolùm in eo difficilis, ut S. *Leonardo* dicaret, cujus tanta tunc temporis ignorantia habebatur, ut *Obertus* ambigeret, ullum hujus nominis cælo inſertum ſanctum reperiri. Hæc quidem, ùt confidimus, ex vetuſtis monumentis Fiſenius, cui refragari nolumus. Mirum tamen, ut ſeu Anſelmo Canonico, ſeu civi illi Anonymo, Leonardus notior, quàm ipſi Epiſcopo eſſet; quem tamen Ægidius Aureæ Vallis Monachus, ſcriptórque, virum dicit *in negotiis Divinis & humanis apprime eruditum*: adde veterem de eo proſam, quâ canitur: *de muneribus Epiſcopalibus plus ab eo ſcitum, quàm dici poſſit de homine &c.* Novimus à Fiſenio Obertum multorum criminum, ùt præcipuè ſimoniæ reum alligari, quem Ægidius, aliíque inſontem abſolvunt. Porrò inter has veterum relationum differentias, ſicut nemini præ altero fidem arbitror, ſic mediâ viâ incedendum opinor, ut, quamvis *Obertum* in Epiſcopatu obtinendo minùs juſtè egiſſe comperiamus, & Henricianæ factioni perpetim adhærentem, ideóque à culpa immunem non dicamus, hæc tamen quibuſdam laudabilibus factis & eximiâ in agendo prudentiâ utcúnque eluiſſe, & malè cæpta fine meliori concluſiſſe cenſeamus; adeóque, quem virum in Divinis eruditum nobis commendat Ægidius, tantæ ignorantiæ ideò non accuſare cogamur, quaſi S. *Leonardum* inter cælites colendum neſciërit, quem certè tanquam vir doctus in Beda non minùs quàm Adone diſertis verbis notatum legerit, maximè, cùm, ùt S. Lamberti Canonicus Martyrologio (illis temporibus diſtrictè præcepto) ac quotidie decantato præſens identidem intereſſet: ſed iſta hactenùs. Conſecrata igitur Eccleſia Porticus dicta eſt S. *Leonardi*: ſed cùm Anſelmus eandem Monaſterio S. *Jacobi* addixiſſet, nomen induit Cellæ S. *Jacobi*. Præerat huic Benedictino Aſceterio tum temporis Abbas Stephanus, ſub quo, inſigni miraculo; S. *Leonardus*, & ſuam in Cœlo gloriam, & Patrocinium nunquam ſe invocantibus defuturum comprobavit per quendam hominem mendicum *Aboldum*,

in

in hac Eccleſia à Calamitate totius corporis (quod ob enervationem membrorum, & monſtruoſi Gibbi oppoſitam molem omnem parandi victûs vigorem ipſi ſubtraxerat) ſtupendô prodigiô libertarum.

Continuata igitur piorum hominum ad hanc Eccleſiam fiducia, & quotidianus peregrinorum accurſus, cùm eandem in dies redderent celebriorem, fortè factum eſt, ut Deus ipſe vellet ſanctum ſuum ſolenniori cultu honorari: aut quidquid demum cauſæ ſucceſſerit, an. 1489. eadem Canonicis Regularibus ceſſit. Sic enim Chronicon Belgicum: *eodem annô,* inquit (id eſt 1110. nam 18vum Epiſcopatus Obertini annum Chroniſta hic ſtatuit, cùm primùm alligâſſet ad annum 1092. at Fiſenius, ùt ſuperiùs dedimus, hujus Eccleſiæ Fundationem affigit an. 1093.) *ædificata fuit porticus ſancti Leonardi, quæ dicitur cella S. Jacobi, quem locum Regulares Canonici emerunt à Fratribus ſancti Jacobi Leodio circà annum Domini* 1489. Fuêre Canonici iſti, qui diù jam Eccleſiam S. *Eliſabethæ*, aliàs *Bonorum puerorum* dictam incoluêre, de qua nos inferiùs aliqua. Cauſam translationis hanc Fiſenius fuiſſe affirmat: cùm *his temporibus,* inquit: *numero cœnobitæ creſcerent, creſcente nimirum Religionis ſtudiô, & dignitate, habitationis anguſtias graves ſentire cœperunt. Quare Innocentio Pontifice maximo annuente cellam S. Jacobi, ſive ædem S. Leonardo ſacram ab Abbate S. Jacobi pretiô comparârunt: eóque migrârunt hoc annô: multis miraculis S. Leonardum claruiſſe meminimus: claruitque deinceps ad hanc ætatem noſtram inſigni publica Religionis auctu.* Hæc Fiſenius.

Eccleſia hæc quamvìs S. *Leonardo* & nomen debeat & ſui acrementum, ex quo Canonicorum Regularium eſſe cæpit, non niſi Eliſabethani Cœnobii aut bonorum puerorum nuncupatione innoteſcit, ùt diſcimus non ſolùm ex antiquis Congregationis Catalogis, quibus hoc monaſterium jam penè ad trecentos annos huic celeberrimæ Congregationi unitum inſcribitur, verùm etiam ex recentiſſimis documntis.

Floret adhuc eximiis virtutum dotibus ornatum Cœnobium, cujus clavum, dum hæc ſcripſimus moderabatur Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus *Ægidius Morean* ad magnum Religioſæ Familiæ, totiúsque Congregationis Windeſemenſis gloriam, ac emolumentum.

Exiſtit in urbe Leodienſi. Buſch. Chron. Wind. L. 1. C. 45. Chron. Belg. pag. 145. Fiſen. t. 1. ad an. 1093. & t. 2. ad an. 1489. Gall. Chriſt. t. 3. de Epiſ. Leod. in Oberto.

Corporis Chriſti in Blomberg Prioratus Windeſemenſis. Hujus meminit in Catalogo Monaſteriorum Miræus, & Buſchius L. 1. de refor. Monaſt. ait, illud ex oblationibus fidelium ædificari cæpiſſe ab *Hermanno Stralen* Priore in Molenbeck, conſtitutis à ſe ibidem Fratribus Conventûs ſui: quô verò ſæculi 15ti annô id factum ſit, non comperio. Quam dein iſtud Monaſterium ſortem ſubjerit, incerti ſumus: vehementer tamen metuentes, inter motus bellicos, & præcipuè hæreticorum cauſatos furores periiſſe.

Fund. ſæc. 15. extinctum.

Exſtitit in urbe Blomberg Comitatûs Lippienſis. Mir. L. de Orig. Can. Reg in Catal. Monaſt. Windeiem. Monum. Baderbor. p. 192. Pleibon. t. 2.

Fund. an. 979. ſæcul.

S. Crucis Præpoſitura Leodii. A *Nothgero* Epiſcopo Leodienſi ſæculô 10. erecta, ejusque Eccleſia an. 979. die 23. Oct. ab eodem conſecrata eſt. Cauſam huic Fundationi dedit perverſum quoddam Nobilis ac præpotentis

hominis dicti defenſoris propoſitum; nam cùm ſpatium eximium in ipſa urbe Leodienſi exiſteret ſe ſe ſupra omnia ædificia eacumine ſuo excollens, è quo tanquam è ſpecula conſpici tota civitas poſſet, Defenſor ille cum Epiſcopo conferens, parare ſe dixit in eo loco ædificium velle, quod toti urbi in præſidium fieret. At prudentiſſimus Epiſcopus fallacis hominis dolum advertens, arcem, quam exſtruere intenderet, non in munimen urbis futurum, ſed in ſui malitioſi moliminis obtentionem, quo ſtatuerat tam Epiſcopum ipſum, quàm totam urbem caſtri talis firmitate ſecurus opprimere: ad ſpeciem ejus petitum non reiiciens, nè hominem aliunde divitiis, mattéque prævalentem in manifeſtam ſuorum perniciem irritare videretur, attamen fraudem fraude elidendam concluſit. Erat tunc *Rotbertus* Archidiaconus, majoríſque Eccleſiæ Præpoſitus, morum pietate inſignis, qui jam anteà cupiebat Sanctiſſimæ Cruci quodpiam perennaturum monimentum conſtituere, quô homines magis ad illius condebitam venerationem allicerentur. Igitur accerſito *Rotberto*, initôque Conſiliô ſuadet *Notgerus*, ut ipſe quaſi ſpontè ſtructuram in eodem colle ordiretur, ejus intereà protectione confiſus, quâ ſibi in cunctis gratioſum defenſorem ſit habiturus: *Rotbertus* nullâ protractâ morâ manum operi admovet, ædificiúmque molitur; vix Defenſor Rotberti conatum intuetur, mox irarum plenus Ediſcopum aggreditur, multôque ſarcaſmô inconſtantiam promiſſorum, dolúmque conceptum expoſtulat. At Epiſcopus quaſi rerum ignarus Rotbertum ſiſtit, quidque ædificii moliatur? inquirit: is, ut erat alioquin modeſtiâ, virtutéque humilitatis eximius, omni moderatione reſpondet, terram ſe ibi vacuam inveniſſe, per multos annos alicujus utilitatis expertem; viſum itáque ſibi illam Eccleſiæ Sanctiſſimæ Crucis, cujus Fundamenta ſtruere jam cæperat, maximè eſſe idoneam. *Quodſi*, inquit: *alter veſtra, Domine Præſul, ſedet ſententiæ, ſive placet domûs Dei Fundamenta in prædonum commutari refugium, nihil meá intererit, bonæ voluntatis, ſi quæ eſt ex me, merces mihi à Deo non deerit. Si quis autem nè hæc Eccleſia in honore Dei conſummetur, obſtiterit; ſuper hoc peccati immunis eſſe non poterit.* Hæc Epiſcopus audiens, quaſi rei novitiate, ſimúlque ſanctitate intentionis perculſus, ſimulánsque repreſſam vindictam: *Si quid*, ait: *aliud ibi cæpiſſes, profectò id fruſtra eſſet, fidésque amico promiſſis inavulſa maneret: at nunc quandoquidem Salvator Crucis ſuæ vexillum in hunc locum per te deſtinare voluit, quod cæpiſti inconcuſſum conſervabimus, imò quæ poterimus ſupplementa ſuppeditabimus. Injuriam námque Creatori inferimus, ſi poſthabito ejus præſidio ſpem vanæ ſalutis in armis hominum poſuerimus.* Hac igitur arte, ac induſtria deluſo fallaci Defenſore illo, Eccleſia non longo poſt tempore feliciter cum deſignato Clericorum clauſtro conſummata, eúmque in finem ab ipſo Epiſcopo agris, fundis, decimíſque ſic dotata eſt, ut quindecim in ea Canonicis ſufficientia victûs, veſtitûſque ſolatia præberentur. In hac Eccleſia piiſſimus Fundator ejus Rotbertus, poſtmodùm tumulatus, requieſcit, eámque annis inde elapsis viginti ſex Henricus Imperator in ſua Fundatione confirmavit, dato deſuper Privilegio, in quo Notgerum virum magnæ ſanctitatis nominat, & hujus S. *Crucis* Eccleſiæ Fundatorem, aitque ipſum ibidem Cœnobium Canonicorum inſtituiſſe & pro promerenda æterna vita, ex ſumptibus ſuis in eodem loco Deo militantibus ſtruendam decenter orna-

ornaviſſe, *ut ipſi*, inquit: *Sanctorum Patrum inſtituta ſequentes, diu noctúque ſerviant, pro pace Regni noſtri & incolumitate noſtra: & dilectiſſimæ conjugis noſtræ, & pro unanimitate Chriſtianæ fidei, ad Deum indeſinenter preces fundant, unà cibum capiant, pariter dormiant, totóſque ſe Divino cultui mancipent &c.* Nunc hæc Eccleſia eſt domicilium ſæcularium Canonicorum. An verò audiendi, qui hanc Eccleſiam primitùs Monachis datam dicunt, alibi reſolvemus.

Anſelmus Leodienſ. L. 2. de geſtis Ep. Leod. C. 26. Ægidius Bucherius in Chron. ſuppl. Miræi. P. 1. C. 6. Chron. Belg. edit. piſt. nova f. 91. Fiſen. hiſt. Leod. Par. 1. pag. 150. n. 6.

Dionyſii Præpoſitura.

Hanc Eccleſiam diù hærebam accenſere nóſtris, cùm, ut id facerem, nulla poſitiva perſuaderent argumenta, ut tamen excluderem, arcebat aliquantùm Pennotus noſter, hanc ipſam referens inter eas, quas Leodii regulares exſtitiſſe enumerat. *Nitardum* majoris Eccleſiæ cuſtodem hujus Fundatorem fuiſſe ex Fiſenio habemus, & Miræo, manum adjutricem utrámque *Nitardi* Germanus *Joannes* ſcilicet & *Godeſchalcus* appoſuit. quod factum ad annum Domini 988. ſub *Notgero* Epiſcopo, hæc ex dictis Authoribus adduxiſſe ſufficiet, quodſi major regularitatis notitia nobis intereà obtigerit, in hac Eccleſia à Canonicis (quos *Nithardus* cum Fratribus, viginti conſtituit, aliorum munificentiâ additis præbendis, ut adhuc deni jungerentur) obſervatæ, ſuppetet in futuro opere occaſio plura de ea diſſerendi.

Exiſtit in urbe Leodienſi. Fiſen. t. 1. L. 7. ad an. 987. Mir. Lib. de Can. Sæc. Cap. 61. Pennot. L. 2. Cap. 38. n. 7.

Eliſabethæ, ſeu Bonorum Puerorum.

Fund. . . . extinct. videtur.

Prioratus Windeſemenſis. Neque Fundatorem hujus ſacræ Domûs, neque originem, multâ licèt induſtriâ perquiſitam, licuit reperire: hinc non alia, niſi quæ Fiſenius communicare aut potuit, aut voluit, ſubjicimus; ea, quæ hujus loci hiſtoriam accuratiorem reddent, intereà ab iis, quorum intereſt, præſtolamur. Itàque Fiſenius eùm de translatione Canonicorum jam diù hanc *S. Eliſabethæ* Eccleſiam incolentium, ad cellam *S. Jacobi* meminit an. 1489. facta, ſubjungit: *Quæ Cœnobii fuerint exordia, à nemine proditum invenio, conditum nihilominùs fuiſſe certum eſt ante annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum, quo receptum fuiſſe in ſedis Apoſtolicæ fidem ac tutelam teſtatur Transmoſanus.*

Porrò Canonicos Eliſabethanos jam an. 1439. Windeſemenſi Congregationi adſcriptos fuiſſe, docemur ex Catalogo poſteriori Chronici Windeſ. nam dicente Buſchio, ſe hunc Catalogum formâſſe, *non ſecundùm ordinem antiquitatis ſeu fundationis*; *ſed ſecundùm ordinem aſſumptionis*, & cùm præter hæc ex ejuſdem Libro de reformat. monaſt. habeamus, monaſterium ſultanum *S. Bartholomæi* Hildeſimenſis Diœceſis reformatum fuiſſe dictô annô 1439. ipſúmque in ordine ſuccedat huic noſtro Eliſabethano, ſequitur dilucidè, ſaltem dicto anno, ſi non anteriore, Windeſemenſe membrum fuiſſe effectum. Quæ fata autem poſt translatos religioſos Canonicos ad cellam *S. Jacobi* hoc cœnobium ſubjerit, necdum inſtructi ſumus.

Exſtitit in urbe Leodienſi ad S. Huberti. Fiſen. Hiſt. Eccl. Leod. t. 2. ad an. 1489. Chron. Wind. L. 1. c. 45. Buſch. de refor. Monaſt. L. 1. c. 13.

Flonenſe S. Matthæi Abbatia.

Fund. an. 1079. Floret.

Hujus tres piiſſimi Laici exſtitêre authores, Fundator verò & liberalis dotator *Henricus* Leo-

 dien-

dienſis Epiſcopus. Cùm enim viri illi *Folcuinus* nimirum, *Lambertus*, *& Rodulfus inſtinctu divino præventi, temporalibus deſideriis abnegatis, ſuis omnibus volentes renuntiare prædicti Epiſcopi perſuadente conſilio, locum, qui Flona vocatur, elegiſſent ſolitariâ manſione inhabitandum;* eundem ab ipſo obtinuêre. *Conſtitutiſque ibidem Canonicis Domino regulariter ſervituris, prædia ſua, quæ habebant, contradiderunt in miniſterium vel in Eccleſia Dei militantium, vel in hoſpitali repauſantium.* Ut inquit in ſuo privilegio *Henricus:* qui pariter conſtituit imprimis: *nè eodem loco degentes ſub religione, nec in prioris ſui electione, nec in fratrum reſtitutione, Epiſcopi omninò poteſtatis neceſſitati ſubjaceant. Ita ut nec Epiſcopo liceat aliquô modô quicquam de ſupradicto loco vel ſubtrahere, vel vendere, vel præter eorum arbitrium donare, vel aliquid commutare, vel Archidiacono vel ejus Decano, quicquam ibi ſui juris vindicare. Illud etiam* inquit *Henricus: Epiſcopali auctoritate eidem loco conceſſi, ut ſacri Baptiſmatis myſterium ibi celebretur tali conditione, ut pueri ejuſdem loci, vel ſi qui aliunde pro dilectione in Communi manentium illuc mittantur, ibi Baptizentur, alii verò nequaquam ſuſcipiantur.* Signatur Datum hoc privilegium annô 1112. Fundationem tamen ipſam 20. annis præceſſiſſe notat Foppenſius, id eſt, factam fuiſſe annô 1092. at annô jam 1079. vult Fiſenius in ſua hiſtoria Leodienſi. *Conditum eſt,* inquit, *eôdem annô* (id eſt 1079.) *B. Evangeliſtæ Matthæo templum Flonenſe cum Xenedochio à viris nobilibus Rodulfo & Lamberto fratribus, eorúmque conſanguineo Fulcuino. Dicavit Epiſcopus XI. Kal. Octob. Religioſæ familiæ ex inſtituto S. Auguſtini præfuit Everardus, vir eximiæ virtutis, qui Prioris nomine contentus ſucceſſorem habuit Walterum primum Abbatem.* Hæc Fiſenius. Fieri igitur potuit, ut cùm annô 1079. (Henricô ad annum 1076. in ſedem Leodienſem aſſumptô & non niſi annum uſque 1091. ſuperſtite) hæc Eccleſia fundaretur, & inſtituerentur Regulares Canonici, charta illa poſt mortem *Henrici*, ipſius tamen nomine expediretur; quamvis annus ſubſignaretur ille quô extradita eſt: teſtes enim adſcripti habentur illi, qui tum vixerê, quando Eccleſia hæc condebatur; nam *Iyetvvinus Abbas Lambertus*, id eſt, *S. Lamberti* eſt ipſe Præpoſitus Leodienſis, hic verò ultrà annum 1094. Abbatiam ſeu Præpoſituram Leodienſem non tenuit, tum enim teſte Vandenberghio ſub *Oberto* Epiſcopo Leod. Tom. I. Col. 915. Præpoſiti munere fungebatur Guillelmus. Dein ex Laicis *Godefridus* Dux an. 1100. obiit in Palæſtina, & Leodiô jam ab anno 1094. abfuit, quô in terram ſanctam profectus eſt; at hic eô annô, id eſt 1079. non ſubſcripſit, cùm uſque ad annum 1089. Lotharingiæ Ducatum non obtinuerit, neque Bullonium (quô à morte Avunculi, id eſt, annô 1076. potiri cæpit) titulo Ducatûs tunc gaudebat, ut inde ſe Ducem *Godefridus* ſignare poſſet, ergò talem ſe ſubſcripſerit inter annum 1089. & 1099. ſequuntur complures, ut *Arnulfus* Comes de Los, *Albertus* Comes Namurcenſis, *Godefridus* de Ham &c. Quos omnes novimus inclinante ſæculo undecimo rexiſſe, pauciſſimos attigiſſe annum 1112. hinc inferendum opinamur Chartam illam ſub *Henrico* Leodienſi præſule confectam, à quibusdam citiùs, ab aliis tardiùs, neque unâ eadémque horâ, die, vel etiam annô, ſubſignatam, attamen ab omnibus inter annum 1079. & 1091. quo vivere *Henricus* deſiit: ſed cùm fortaſsè ob ingentes turmas mortem præcipuè *Henrici* in eligendo novo Epiſcopo ſubſecutas privilegium

gium illud moram ſuæ extraditionis pati cogeretur, factum, ut non niſi annô 1092. prodiêrit in effectum.

Cæterùm Sphalma in numerum Chronicum diplomatis à Foppenſio relati irrepſiſſe mihi certum, indicátque manifeſtè ipſa ſubſequens notata indictio XV. quæ neutiquam cum anno MCXII. ſed MXCII. cohæret, ut igitur, ſeu Typographi, ſeu amanuenſis errore, X. litteræ, C. poſtpoſita fuerit, cùm præponenda fuiſſet.

Hæc Flonenſis Abbatia notanda quoq́ue occurrit ob pactum pacis initum inter *Adolfum* Epiſcopum, & Leodienſes (poſt dira diſſidia, cædem, & triſtia cauſata funera) hactenùs ſibi rebelles, in eadem Abbatia, feliciter conſummatum, cujus nos hiſtoriam plenam ſuo tempore dabimus.

Floret autem hæc ipſa Abbatia adhuc noſtrâ ætate, habuítque viros complures omnigenâ virtute refertos. Gaudet quoq́ue inſigni Patronatu Parochiæ Heyliſſemenſis inferioris, & ſuperioris de quo Geſtel in hiſt. Mechl. t. 1. f. 282.

Exiſtit ſesqui milliarì infra Hoyum. Mir. L. de Orig. Can. Reg. C. 55. Foppens. nov. Collect. p. 2. C. 27. Fiſen. hiſt. Leod. P. 1. L. 9. P. 2. L. 3. n. 23. Gall. Chr. t. 3. Col. 1001.

Frendesvvegenſe S. Mariæ Prioratus Windeſem.

Annô Domini 1394. per Venerabilem Patrem, ac Magiſtrum *Everardum* de Eza Curatum in Almelo, & præſtantiſſimum Medicum (per quem ſe *Thomas* Kempenſis liberatum ab infirmitate fuiſſe dicit, ita: *ut eum longo tempore Deo propitio conſimilis ægritudo non urgeret*) adjuvante Domino *Henrico* Curato in Scuttrop, concedente Epiſcopo Monaſterienſi *Ottone* de Hoye fundatus eſt; primitúsque in parvum ibidem oratorium erectum, & à *Wenemaro* ſuffraganeo *Ottonis* conſecratum inducti per eundem ſunt quatuor anteà in domo præfati Magiſtri Everardi Commorantes ſæculares Presbyteri Canonico habitu ipſo *S. Thomæ* Apoſtoli die feſto: ex quibus *Hermannus* Plettenburg denominatus eſt Prior. Recens hæc Congregatio Deo ſub regula *S. Auguſtini* Canonicóque inſtituto ſacrata ad ſextum usq́ue annum ſoli Monaſterienſi Epiſcopo ſubjecta erat, obſiſtentibus Fundatoribus ipſis, ut alteri aut Capitulo, aut Congregationi ſubderetur, quæ extra Monaſterienſis Diœceſis jura exiſteret: at prævaluit demum Windeſemenſium pietas, & ubíque dilaudata, quæ ab ipſis regebantur, eximiè florentia monaſteria, ut, quantô antea niſu reluctarentur, tanto poſtmodùm fervore quærerent non ſolùm fundatores, ſed & primitiales omnes Monaſterienſis Eccleſiæ videre hunc Vredeswedenſem Prioratum inter Windeſemſes filias collocatum. Erat autem cœnobium iſtud, uti nos inſtruit Chroniſta Windeſem: *in pura paupertate inchoatum.* Ita quidem, ut ſub proprio Priore *Hermanno* ad aliquod tempus reſtrictâ planè annonâ ſuſtentarentur. Tandem circa annum Domini 1419. eò deſignatus eſt Prior *Henricus Loeder* Windeſemenſis Canonicus, Vir ille cuicúnque, hiſtoriæ Windeſemenſis, experto ob eximias virtutes, exquiſitámque ſcientiam notiſſimus; de quo egregia ſanè enarranda haberemus, niſi ab his, propoſita arceret ſynopſis: id dixiſſe ſufficiat, ſub hoc tanto, talíque Prælato pauperimum cœnobium inſignes adeò in omni genere laudum obtinuiſſe progreſſus, ut bonis temporalibus, æquè, ac ſpiritualibus abundaret, quibus hactenùs ad deſolationem penè indiguit.

Certè inter pauca evoluta luſtra non

non ſolùm ex hoc cœnobio ſedecim Priores ad plura quàm duodecim monaſteria expetiti ob præſtantiam virtutum fuerunt, verùm etiam, cùm ipſum hoc Vredesweoſe monaſterium ultra centenarium numerum fratrum multiplicaretur, inter tot tamen pellucida ſanctitatis ſidera non erat ſub dicto Priore Henrico videre, niſi unum aliquandò, cui lumen virtutis (vitii alicujus obvelantis Eclypſi) obſcurabatur. Cùm etenim hic piiſſimus vir materno Dei Genitricis conſpectu tali modò dignaretur, ut eam cerneret veſte eximiè candidâ, at diſperſim ſanguine maculatâ indutam, mox ipſam, qua decebat reverentiâ ſalutans alloquebatur dicens: *O glorioſa mea Domina, quis hanc veſtem tuam candidam, & pretioſam ſanguine commaculavit? an ego hoc facinus peccatis meis perpetravi. Cui Mater benigniſſima reſpondit: Non tu, mi chariſſime, in me id commiſiſti, ſed frater quidam Laicus de monaſterio meo volens recedere, & ad mundum redire, ſanguinem filii mei contemnens cruentâ conſcientiâ eam fecit ſanguinolentam.* Dum verò legimus Sanctiſſimam Matrem dixiſſe de fratre illo, eum *voluiſſe* recedere, ſanè opinari licebit, eundem paternâ curâ *Henrici* omninò à ſua ſtultitia fuiſſe revocatum. Intereà ex hac ipſa viſione colligimus, quantò affectu hoc cœnobium piiſſima cœli Domina ſit rutata, utpote quod *ſuum* monaſterium nuncupavit. Clariùs autem illud aliâ vice ipſa clementiſſima Patrona demonſtravit: nam cùm quidam Clericus Mathias nomine hujus loci tunc infirmarius in exequiis Matris ſororum (circa hoc, de quo loquimur, cœnobium commorantium) ſeu, ùt loqui ſolemus, ſuperioriſſæ, angelos cerneret præſentes, ſuum funeri exhibentes obſequium, vidit pariter Reginam eorum potentiſſimam, audivitque dicentem ſibi, quod *Monaſterii Northornenſis* (ſic antonomaſticè appellabatur, ob vicinitatem urbis hujus nominis) *perpetua vellet eſſe protectrix, quamdiu fratres ibidem in humilitate, vilitate, & ſimplicitate, ùt tunc in præſenti continuò permanerent.* Quæ ſanè quantùm illius loci (ad exemplum profectò omnium ſacerrimum Canonicorum inſtitutum colentium) obſervaverint tum ſuperiores, tum ſubditi, teſtis idem eſt, qui mox relata ſcripſerat, Author Synchronus, fidéque omnigenâ digniſſimus: ſcribit enim hunc ipſum *Henricum* eximium Præſulem, cùm regimen Northornenſe ſuſciperet, cumprimis voluiſſe, ac inſtituiſſe, *quòd omnes Fratres ſui humilia opera, quotidie exercerent, venias frequenter peterent, goſſilia in labore deferrent, nullum opus abhorrerent, hoſpitum pedes ſemper lavarent, debitam humanitatis Charitatem ſingulis exhiberent, neminem ad portam eorum venientem ſine cibo, & potu abire permitterent. De cibis & potibus in Conventu non murmurarent, bene tamen de his, quæ poterant habere, comederent. &c.* Verùm ne quis opinaretur *Henricum* multa de virtutibus, ac religioſa humilitate præcepiſſe quidem aliis, non tamen his conſtitutis legibus ſe ipſum ſubjeciſſe, probè notat dictus Chroniſta noſter: *Quòd hæc ipſa, quæ docuit, primus ipſe præſtiterit, magnas ſcutellas olerum, leguminum & piſarum magiſtraliter evacuando, groſſum panem, carnes ſalſas, rancidas, & firmatas, piſciculóſque, cùm haberet, libenter mandendo.* Præterea: cùm cerneret monaſterium ſuum ob virtutum præeminentiam ab omnibus honorari, ipſos quoque religioſos ſuos *cùm inter ſe aut cum ſæcularibus loquerentur, templa Dei, & Sancti Spiritûs organa divinis & Deo plena, rebus dilaudarentur.* Denique cùm Northornenſium mo-

res

res in Weſtphalia, Saxonia, in Friſia, & circa Rhenum conſectari paſſim Canonici laborarent: ipſe tamen humillimus *Henricus*, qui ignorare non poterat; ſuâ operâ & exemplari vitâ tantam diffundi redundantiam virtutum, ipſe, inquam, *in cella ſua ſedens*, ùt ſcribit laudatus Chroniſta, *ſe ipſum intra ſe recolligens, & ſibi iratus contra ſe infremuit, & vehementer eſfrenduit, quòd tam inutilis ſervus eſſet, quòd vitâ ſuâ & moribûs à Devotis & ſanctis Patribus tam multùm diſtaret, ſibique, & aliis tam parùm proficeret: ut fratres ſupervenientes & hæc percipientes in ſtuporem converteret.* Exemplô tamen iſtô illecti ſub eo Canonici, mirum eſt, quantùm illud æmulari curaverint. Certè de quodam Priore, quem tamen Buſchius ſuo nomine non prodit, humilitatis *Henrici* ſedulo imitatore, idem refert, *quòd is cùm manè ante miſſam non poterat habere devotionem, cellas fratrum circumjèrit, ollas eorum exportaverit, & hoc humili peracto opere, novam concipiens devotionem ad celebrandum ſe ſenſerit paratiorem.* Narrat demum Buſchius, quòd aliquandò *ad portam monaſterii majorem Henricus cum quibusdam hoſpitibus moraretur, tunc fratres Canonicos ex labore domum fortè redeuntes interrogabat: fratres quomodò vobis ſucceſſit negotium, an aliquid profeciſtis: ipſi continuò ſubſiſtentes, detectis in reverentiam capitibus hilariter* (quaſi nimirum non ex labore, ſed ex ſuaviſſimis corporis congeſtis, perceptiſque redirent cupediis) *reſponderunt: Ita Pater chariſſime, ſatis bene profecimus, & gratia Dei nobis optimè ſucceſſit.* Nec antea obedientiſſimi filii diſceſſêre, quàm licentiâ à pioPatre abeundi acceptâ. Admirantibus certè præſentibus extraneis, & agnoſcentibus ſpiritum ſedatiſſimæ divina pacis, & obſecundantis voluntatis in animis horum religioſorum reſidentem. Hæc de obedientia.

Sed quid memorem profundiſſimam humilitatem? fuit inter eos, cujus jam ſupra mentionem fecimus, vir demiſſiſſimus *Mathias*, qui etſi multis floreret virtutibus, & ſcientiis non trivialibus, optimæque notæ Clericus fuerit, in monaſterium tamen receptus ſolùm pro laico, occultatâ, omni ſuâ, quâ pollebat, doctrinâ, ac ſcientiâ, haberi voluit. Cùm verò Deus Northornenſes noſtros tam terrificâ peſtilentiâ viſitaret, ut usque ad duos religioſos Clericos omnes ſubtraheret, neque inter hos vir eſſet, qui competenti ſtylô, & honore debitô in Windeſem Priori Generali de novo ſubmittendo ſibi Priore ſupplices transſcribere nôſſet, ecce tibi! proditur à Paſtore in ſcuttrop, *Mathiam*, hunc ipſum virum eſſe litteraturæ expertum, ac eximiè edoctum. Miratus, qui ſupererat ſenior Canonicus, quomodo id eſſe poſſet, cùm tamdiu ſe habuiſſet pro Laico, tandem obedientiæ virtute adſtrictus, quem ſe diù occuluit, manifeſtare coactus eſt: arrepto igitur ſtylo tam elegantes litteras compoſuit, ut viſis illis Prior Windeſemenſis mox *Mathiam* inter Clericos, quamvis ſe dudum indignum proficentem annumerari mandaverit. Quid dicam de *Henrico* illo, qui Magiſter Pariſienſis públicè cathedram tenuit, tandem divinò allectus ſpiritu monaſterium Norrhornenſe adiens, ſuſceptus eſt? ſed ſolùm inter Laicos fratres locatus converſabatur, tantâ humilitate, ſuique abjectione, ut non erubeſceret relicto Magiſtrali pallio agere monaſterii ſubulcum multô tempore penitùs de ſua doctrina ignotus, & inter deſpectos quaſi deſpectior judicatus. Cùm ecce inopinatò contigit, ut circa portam monaſterii porcos educenti quidam Energumenus eidem obviam fieret, ex cujus ore dæmon affatus Henricum dixit: *O*

Magiſter Henrice, ſic non inceſſiſtis, quando vos Pariſiis in Cathedra legiſtis, Porcos ergò relinquite, & ad ſtatum veſtrum priorem redite. Obſtupuêre ad hoc frates præſentes, nemo tamen magìs humillimô Henricô, demiſſo capite non niſi ſilentium opponente. At rei veritate ſuperioribus manifeſtatâ, rogatus quidem identidem, clero Windeſemenſi ſe ſe aſſociaret, in tantum deprecata eſt omnem honorem humilitas *Henrici*, ut ſui abjectionem inceptam nonniſi cum mortali vita deponeret, & cum cœleſti illa ſecuriore ſcilicet, exaltatione commutaret. Tales ergò viros obtinuit Prior *Henricus*, quales volebat eſſe, nempè ſicut ſe ipſum. Ex quo etiam factum eſt, ut cœnobium iſtud Generali quodam præconio ab omnibus extollerctur; dicit enim audacter Chroniſta Windeſemenſis: *Ecce Nemus illud propè Northorn in vera humilitate, ſui vilitate, ſimplici obedientiâ, integrâ charitate, humilibus virtutum exercitiis, & devotis venis per dictum Priorem fundatum & rigatum: Quantum Auctore Deo fructum fecit in Weſtphalia, Friſia, Saxonia, & circa partes Rheni, quantos ex ſe Priores, & monaſteriorum ſexûs utriúſque Rectores ex eo tempore uſq; hodie generare non ceſſavit, quanta per eos monaſteria ordinis noſtri ante diſſoluta nunc videmus reformata, ſeu de novo conſtructa, ad gloriam Dei & plurimorum ſalutem. Totúſque Weſtphalicus orbis odore bono tam ſanctæ converſationis eorum non modicè recreatus, frequenter eos inviſere, mores & vitam aſpicere, & monita ſalutis æternæ pro animarum ſuarum remedio ſollicitè curarent expetere, ditiores etiam quiq; Canonici & Presbyteri, ſæcularéſque Vaſalli eorum paupertatem conſiderantes copioſis beneficiorum ſuorum auxiliis eorum neceſſitatibus ſubvenirent, largas ſuas Eleemoſinas in pecuniis, utenſilibus, agris, & Libris liberaliter tribuendo, quæ pro fratrum ſuorum ſuſtentatione ab hominibus ſexûs utriúſque magno exponentium cum fanore Pius Pater ſuſcipiens non ſolùm inde fratribus, ſed etiam multis pauperibus copioſè provideret.* Habuiſſe verò in ſuo Frensbergenſi cœnobio præclaros ſucceſſores *Henricum*, eò minùs ambigi poteſt, quò feliciori progreſſu novimus illud ſemper exquiſitis incrementis usquè ad noſtra tempora pertigiſſe: & inter quos modernus Reverendiſſimus ac Ampliſſimus Dominus Prior *Hermannus Winnekink* jure ac merito eſt cenſendus. Donet Clementiſſimus Deus, ut perdurante maternâ ſanctiſſimæ Genitricis promiſsâ ſuper hoc monaſterium protectione illud proſperetur, ac creſcat in mille millia, perdurétque ad jam cæptum honorem & gloriam Ordinis noſtri, ac Capituli Windeſemenſis univerſi.

Situm eſt hoc præſtantiſſimum ac florentiſſimum Windeſemenſis Congregationis monaſterium, quod aliàs Frenswegen ſeu Frenswegianum dici conſuevit, medio milliari Germanico infra Northornum allambente illud fluvio Fechta in Comitatu Bentheim. Chron. Windeſ. L. 1. c. 38. & L. 2. c. 56. 58. & 60. Chron. S. Agnet. c. 10. & 12. documenta communicata.

Gaësdonckanum S. Mariæ, aliàs habitationis gratiæ. Prioratus Windeſemenſis. Fundatores habuit Cives Gochenſes ſub *Adolpho* primo Clivium Principe. Primum ejuſdem Priorem *Helmichium* legimus, nunc verò præſidere didicimus Reverendiſſimum, ac Ampliſſimum Dominum *Petrum Nabben*. Windeſimenſi Congregetioni ſe ſe jam circà annum 1430. addixiſſe ex Catalogo Buſchii docemur. Reliqua nobis incomperta ſunt. *Fund. circa medium ſæc. 15. Floret.*

Situm eſt hoc cœnobium propè Gochiam

Goehiam in Ducatu Clivienſi. Chron. Wind. L. 1. c. 44. Teſchenmach. Ann. Cliv. p. 186.

Fund. --- Exſtinctum. S. Hieronymi. Prioratus Windeſem. Enumeratur hoc cœnobium inter poſteriora, quæ ſe reformationi Windeſemenſi addixerunt, ejus quoque memoria habetur in Catalogo Chronico Bodecenſi adjecto, at de ejusdem exordiis, aliisque fatis latent omnia: id ſolùm Miræus refert, fuiſſe Patribus ſocieratis conceſſum, proventus verò illius aſſignatos Cathedralibus Canonicis tum, cùm Eccleſia *S. Spiritûs* Ruremundenſis à *Pio IV.* an. 1561, in Cathedralem elevaretur; cauſam Pontifex addit, eodem tempore combuſti hujus, de quo agimus, monaſterii, & nondum planè reparati.

Exſtitit in ipſa Urbe Ruremundæ. Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 46. Mir. L. De Orig. Can. Reg. c. 55. & L. 1, Donat. Belg. c. 158.

Fund. --- Floret. S. Joannis Baptiſtæ. Prioratus Windeſemenſis. Refert hoc Monaſterium inter priora, quæ ſe ſæculò decimò quintò Congregationi Windeſemenſi univerunt, Joannes Buſchius in ſuo chronico; cujus tamen nos fundationem non minùs, quàm aliorum geſtorum hiſtoriam ignoramus, quamvis iteratis vicibus gratiam communicandorum documentorum à Reverendiſſimo Domino Priore Generali hujus congregationis exoraverimus. Hinc nè nobis culpa ingeratur, ſi in hujus ipſius deſcriptione frugaliores aliquandò (præter ſpem noſtram) fuerimus.

Exiſtit in urbe Aquenſi. Chron. Wind. L. 1. c. 45.

Fund. an. 981. ſecular. S. Joannis in Inſula. Præpoſitura. Fundata à *Notgero* Leodienſi Epiſcopo annô 981. dotata deinde ab *Ottone III.* annô 997. cujus in privilegio hæc verba obſervamus: *Conſultu*, inquit, *& juſta petitione Domini Sylveſtri Papæ, primùm quidem familiam in Marsna, & in Caſſeli nec non in Hittinchuſen, cum omnibus familiis & prædiis fideli noſtro Notkero Leodienſium Epiſcopo - - - - * eâ ſcilicèt ratione, ut fratres in monaſterio S. Joannis in Inſula, ab eo ante civitatem noviter conſtructo, redditibus ejusdem loci, ſicut propriis, utantur.* ** Forte; contulimus.* Tunc ergò Canonici in hoc loco à *Notkero* in communi, votivéque inſtituebantur, ùt obſervat Miræus. At quo tempore hæc vita inter eos diſparuerit? incompertum. id probabilius, annô 1189. eandem adhuc ſuô modô exſtitiſſe; velut apparere videtur ex Gharta *Godefridi* Epiſcopi Leodienſis; nam quamvis in ea hæc verba referantur: *cùm unus autem viam carnis fuerit ingreſſus, vel rationabiliter à Canonicatu fuerit amotus.* Quæ libertatem diſcedendi, vitæ votivæ contrariam, arguunt; at facillimè eadem ad perſonarum Eccleſiæ Thenenſis, quæ in ipſa hac charta Inſulanis Canonicis iſtis tribuitur, accommodari poteſt, imò debet; cùm mox per ſubſequa verba, priora explicentur, quibùs dicitur: *alius per manum perſonæ in eadem Eccleſia inſtituatur.* Intereà probat quoque communem, votivámque vitam hoc tempore adhuc floruiſſe, quòd per collationem Thenenſis Eccleſiæ evenientium *proventuum reſiduum in uſum Fratrum in Eccleſia Inſulenſi reſidentium juxta portionem, quæ unumquemque fratrum in refectorio contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter diſpenſari præcipitur:* ex quo apparet Canonicos hos non ſolùm communi, ſed, ùt dicimus, regulari menſâ, religioſis ſolùm ſolitâ, fuiſſe uſos, quod ſanè plùs quàm probabile eſt, eos tum adhuc ùt veros Canonicos votivos vixiſſe. Memorabilis eſt hujus Monaſterii eodem annô 1189. Eximius Præpoſitus *S. Al-*

bertus Godefridi III. Brabantiæ Ducis filius, utpote qui dein factus Epiſcopus Leodienſis annô 1192. propè urbem Remorum in Gallia martyrio coronatus, & Divorum Albo inſertus diem 21. Novembris ſibi in condignam Venerationem promeruit. De eo Molanus:

Legia quem genuit, electum Roma probavit,
Rhenis ſacravit, ſacratum martyrizavit.

Exſtat hæc Præpoſitura nunc ſæcularis in urbe Leodienſi. Mir. Dipl. Belg. c. 76. & not. Belg. Eccl. c. 32. Bucherius in Chron. Martyr. Roman. 21. Nov.

Juliacenſe Virg. S. Sepulchri Abbatia.

De hoc nil nobis innotuit, niſi quod licuit ex vita Venerab. *Alvaræ de Virmund* haurire; utpote dum eadem annò 1644. Juſſu Ducis Juliacenſis *Wolffgangi Wilhelmi*, conſenſu quoque Archiepiſcopi Colonienſis Juliacum vocata eſt, ut in hac urbe novam ſui inſtituti Canonici plantationem ordiretur, quod etiam tantâ ſagacitate præſtitit, ut non ſolùm jam ipſa in Abbatiſſam firmiter fundari hujus cœnobii juberetur, verùm & usque hodie hic Parthenon eximiis virtutibus haud dubiè ejusdem adnitente interceſſione perennet. Lüll. citat. vit. Alv.

S. Lamberti Cathedralis.

Fund. circa ſeculum. 7. ſecularis. Leodium legiam illam dicerem, de qua Hiſtoricus Trevirenſis ait: *D. Eucherium cum Valerio Materno, cæterisque ſociis in Elegiam Alſatiæ veniſſe, ibique reſuſcitato Materno ante* 40. *dies mortuo (multisque ad fidem Chriſti imbutis) valedixiſſe Fratribus, ac cum Valerio & Materno Treberim perveniſſe.* Dicerem, inquam, jam ab eo tempore ſacra fidei Principia Divo Euchario, relictisque ab eo illic Clericis Fratribus Leodium ſub hoc nomine Legiæ poſſe referre in acceptis, niſi me ab hac opinione quædam eam penè impoſſibilem reddentia impedirent; nam quid illud, quod memoratus Author *Alſatiæ Elegiam* nominet, aliam ergò à *Leodio* noſtro in Alſatia ipſe conſtitutam Eccleſiam noviſſe debuit, à veteribus *Elegiam* dictam: aut erravit in Provincia, cùm *Legia* ſeu *Leodium* multis milliaribus à toto Comitatu Alſatiæ diſtet, neque unquam ab antiquiſſimis remporibus huic provinciæ ſit annumerata. Quodſi etiam concedamus, hoc nomen *Alſatia*, aut interpolato, aut alio librarii errore irrepſiſſe, necdum cum hac narratione concordat itineris ratio: nam Romam, ùt aſſerit Author, profecti quadraginta dies inſumpſerunt itinere, haud dubiè eâ viâ reduces, illuc, quâ venerant, pergentes. Quod ſpatium dicto dierum Circulo conficere potuerunt, ſi per Alſatiam iter ſunt aggreſſi. At nunc inaniſſima ambage Treviris ab eis neglecta fuiſſet, ut *Leodium* pervenirent; cùm illa urbs potiùs eis meta ſuæ peregrinationis fuerit, non iſta. Et Hiſtoricus Trevirenſis ipſe ſua narratione ſatis declarat, eis Elegiam tanquam interjacentem hoſpitandi locum per decurſum iter obveniſſe tantùm ob ægrotantem *Maternum*. Si verò dicas, illos Navigio Româ abiiſſe, & per Galliam Ciſalpinam appuliſſe in Belgicam, ſicque circumeundo Leodium, demum perveniſſe Trevirim, viderint, qui hoc iter ad quadraginta dies coarctent, nos intereà, quæ certiora ſunt amplectemur. Itáque potiùs Browero aſſenſerim *Elegiam* vicum illum in finibus Trevirorum adſtruenti, qui ad ripam *Illæ* Fluvii hodiedum viſitur, & continuatis ea de cauſa (ùt idem Browerus t. 1. Ann. Trevir. L. 2. n. 2. & ſeq.) peregrinationibus in memoria habetur. Antiquiſſimam tamen eſſe Eccleſiam S. *Lamberti* Cathedralem commonſtrant monumenta plurima,

ma, venerandæ vetuſtatis manifeſta indicia. Id probabilius aſſerimus, *Humbertum* hanc Eccleſiam non ſolùm primùm omnium Epiſcopali honore decoràſſe, cùm ipſe Tungrenſis Triceſimus, & Leodienſis primus inauguraretur Epiſcopus, verùm etiam eundem primam Congregationem Clericorum in hac collegiſſe Eccleſia. Sic enim Author magni Chronici Belgici ad an. 700. de Huberto, dum dixit ipſum Romæ à Sergio Papa (interveniente Miraculo) in Epiſcopum Tungrenſem conſecratum. *Sedem*, inquit, *Epiſcopalem Leodii inſtituit, urbem egregiam fecit, jura legalia civibus tradidit, mores eorum & vitam Diſciplinæ fræno coërcuit, Eccleſiam S. Petri ædificavit, in qua nigros Monachos de Cœnobio Stabulenſi poſuit, & primo Eccleſiam Cathedralem Leodii in honorem B. Mariæ Virginis & B. Lamberti conſtruxit, in qua viginti Canonicos poſuit, nomen civitati Leodium dedit, cùm priùs legia vocaretur.* Hæc ibi. Quantùm verò ſæculò undecìmò Diſciplina Regularis hac in Cathedrali viguerit, teſtes ſunt literæ *Wazonis* tum Decani Leodienſis, quibùs Zelò egregiò in mores ſui Præpoſiti invehitur; inter alia ſic ſcribens: *Non debes eſſe Præpoſitus, niſi Canonicam clauſtri ducas vitam; diſtat igitur inter Clericum & Canonicum, quòd non Clerico ſed Canonico debetur clauſtrum, omnis enim Canonicus Clericus; ſed non convertitur. Ex Canonico autem non ex Clerico regulariter conſtituitur Præpoſitus, & ideò neceſſe eſt, ſi Præpoſitus es, in Choro, in Refectorio, in Dormitorio (niſi per Licentiam) ſis aſſiduus; quapropter aut cum Præpoſitura habebis religioſitatem, vel Præpoſituræ dignitas vertetur in vacillationem. Sis ergò conſulo, Præpoſitus cum Religione, vel ſaltem velis Religioſos amare, prophanum conſtat utrùmque hinc te Religioſum non eſſe, hinc etiam Religioſos vexare. Ut quid Fratribus communiter à Chriſti fidelibus conferuntur dona poſſeſſionum, ſi tu ſingulariter ſuper his vindicas Dominium, hactenùs eramus, etſi pauperes Chriſti, liberi tamen Matris Eccleſiæ Filii: inſtruat ſaltem nos Colonienſis Diſciplina clauſtri, ut Cellerarius annonam, vinum, pulmenta ſuſcipiens à Præpoſito, Prælati ſeniorúmque diſpenſat mandato &c.* Hic idem *Wazo* poſtquam in Epiſcopatum hujus Leodienſis Eccleſiæ aſſumptus eſt, non ſegniter æmulabatur anteceſſorum ſuorum frequentata ſtudia in reformando, & ad Apoſtolicam vitam reducendo Clero ſuo. Nam de eo Chronicon allegatum ait: *In quadrageſima à Choro, vel à Conventu ſeparari nolebat, Saxeo ſedili pro lecto, mattula utens pro Lectiſternio, pane avenaceo cum faba modica ſuſtentatus &c. Senile corpuſculum abſtinentiæ rigore macerabat &c.* Sic ſanè his egregiis exemplis pluſquàm verbo in Diſciplinæ obſervatione Canonicos ſuos continuiſſe quis ambiget? *Cùm jam ùt Præpoſitus interiùs ſubditos Regularibus inſtitutis, ùt chariſſimos fovebat Filios.* Teſte Anſelmo. Sed dum Anteceſſorum meminimus, occurrit inter alios *Notgerus* Antiſtes Sanctiſſimus: hujus enim, ùt narrat Anſelmus Leodienſis: *hujus*, inquam: *eruditionis occaſione plurimi eorum etiam in Religionis, ac ſanctitatis Diſciplina circà eum in tantum profecerunt, ut idonei fuerint Rectores Eccleſiarum: licèt à multis aliis Epiſcopalem gradum non aſſecutis, qui ſub eo nihilominùs coaluiſſent, quamplurimæ correctæ ſunt Eccleſiæ: ex quibus Durandus poſteà Leodienſis Epiſcopus Bavergenſem Eccleſiam Religionis & artium liberalium Diſciplina illuſtravit: Otbertus cum quibuſdam aliis ſecum hinc abductis Aquenſium Clericorum vitam pernicioſè licenti contagio depravatam ad ſancta Religionis ſtatum pro poſſe reduxit: denique Beatus Wolbodo Epiſcopus ad annum usque* 1021. *dum ultra-*

ultrajecti ſub Religioſis admodùm Patribus in Eccleſiaſticis clauſtralis vitæ adoleverat annis; poſteà licèt Præpoſitus factus exteriorum curam ſuſcepiſſet, nullus alicui evagandi, aut à ſanctæ Religionis tramite exorbitandi ſub eo locus erat.

Porrò diù perſtitit Regularis vita in hac Cathedrali Eccleſia, cùm demum per admiſſas perſonales præbendas, de quibus jam annô 1096. mentio habetur in quadam donationis charta *Balduini* Hieroſolymitani ſenſim irrepente rerum proprietate omninò ex poſt in ſæcularem converſationem ſe recepit præcipuè *Alberonis* Epiſcopatum tenentis tempore, teſte Fiſenio ad an. 1143. *tunc enim Canonicorum omnis Diſciplina corruiſſe dicitur, clauſtri ratione ſublatâ, die, noctéque Collegii portis patentibus, atque ita omni ſacri ordinis honeſtate in cupiditatem, átque intemperantiam verſâ.* Néque ſatis compertum, quo dein tempore ſe rurſum ad frugem meliorem recollegerit Leodienſis in Cathedrali Eccleſia Clerus, ut quamvìs non Regularis, eximio tamen florere inciperet virtutis, & ſapientiæ ſtudiô, quo hodie abundat.

Anſelmus Leod. de Epiſc. Leod. C. 85. Boll. 2. Apr. vita S. Wolbod. Chron. Fiſen. Hiſt. Leod. Part. 1. p. 237. n. 10. Gallia Chriſt. tom. 3. in Ep. Leod. M. Chron. Belg. t. 3. novæ edit. Mir. Donat. Belg. C. 31. Hiſt. Trevir. apud Dacher. ſpicil. t. 1. &c.

Fundat. 1616. Floret. **S. Leonardi S. Sepulchri Prioratus Virginum Canonicarum.** Exiſtit in urbe Aquiſgranenſi exordium ſuum an. 1616. obtinens. Fundatores ſunt nobis incomperti, floret autem adhuc noſtra ætate, qui vel maximè ideò omnium bonorum memoriâ dignus, quod in eo vitæ Religioſæ Fundamenta poſuerit, piiſſima illa, ac notiſſima per inferiorem Germaniam Virgo *Alvera de Firmund.* cujus mirabilem, & inſigni in Deum amore conſpicuam vitam aliquandò daturi ſumus, hæc igitur an. 1633. in Parthenone iſto vota Religionis cùm nuncupâſſet Numini, & aliquamdiu ſanctiſſimè inter reliquas ſodales ſuas converſata fuiſſet, an. 1644. Juliacum ad informandum inibi novum Gynæceum aſſumpta eſt, cui loco cùm aliquot annis laudabiliſſimè præfuiſſet, an. 1649. animam ſuam innocentiſſimam ſuo ſponſo reddidit, non ſinè apertis ſanctitatis indiciis defuncta: unde Aquiſgranenſes de hac pretioſa Margaritha meritò ſibi poſſunt gratulari, quam ab unguiculis ſuſceptæ Religionis nutrierant, at Juliacenſes ad hodiernum diem pretioſis ejuſdem lipſanis tanquam Matris, ac inſtitutricis ſuæ ſolantur. Lüll. citatus.

S. Leonardi in Grevenburgg. Abbatia S. Sepulchri Canonicorum Reg. floret adhuc, ſed de qua nihil aliud nobis innotuit. Exiſtit autem urbs Grevenburch. In comitatu Juliacenſi non procul Metropoli Juliaco. Docum. Communic.

Lippſtadienſe. Virg. Canonicarum Prioratus Wind. Hujus Cœnobii reddimus notitiam, prout nobis breviſſimâ ſylloge communicata eſt his verbis; *Famoſa Weſtphaliæ civitas in medio nationis pravæ colit, & ſanctè cuſtodit Venerabile quoddam Canonici Ordinis Parthenaum Congregationi Windeſemenſi unitum; iſtud tamen obſiſtente hæreſi, de avitâ Fundatione ac moderno ſtatu, haud ſatis inquirendum.* Crederem autem ſi unitum hoc Virginum Cœnobium eſt Congregationi Windeſemenſi, huic haud difficilem occaſionem eſſe ejuſdem ampliorem notitiam obtinendi, ac nobis quoque indicandi, quam dum jam ſemel fruſtra imploravimus, ſperamus ta-

tamen mitioribus fatis ſuccedentibus non planè hac in petitione negligendos.

Intereà addere libuit, hoc Cœnobium ad initium ſæculi 13. aut circiter, à Bernardo Lippienſi Comite fuiſſe mox pro Virginibus Canonicam S. *Auguſtini* Regulam profitentibus conſtructum, ſic enim Juſtinus in ſuo Lippiflorio edit: Meibomii; *Tunc Pius ille loci Fundator, ut omnia ritè ordinet, utq; Dei magnificetur honor, Conventum ſtatuit Chriſti ſub honore ſuæq; Matris, ut in finem glorificetur ibi. Colligit hic caſtas in Chriſti laude puellas, quas Auguſtini Regula ſancta ligat &c.*

Exiſtit hic Parthenon in urbe Lippa in Weſtphalia. Docum. communicata. Juſtinus in Lippiflorio Edit. Meibom. t. 1. p. 586.

Fund. circ. an. 795. ſæcular. S. Mariæ Abbatia. Nobiliſſimam hanc & ſuo Authore digniſſimam Abbatiam; quæ non ſolùm totum Belgium, ſed etiam univerſam inferiorem Germaniam ſuo olim decore ornavit; iſthìc non deſcribemus omni numero abſolutam (nam excederet diffuſa de hac loquendi materia propoſitum noſtrum, ipſáque rerum & documentorum vaſtitas hujus loci capacitatem) ſed brevem ſolùm notitiam adferemus, ex qua tanquam, ùt dici ſolet, ex cortice colligas, quæ lateat medulla.

Fundatorem igitur habuit *Carolum* Magnum, qui nihil non magni geſſerat, præcipuè in iis, quæ Dei gloriam reſpexerunt. Hic *Baſilicam*, ùt ait Sigebertus Gemblac. *Aquisgrani exſtruxit plurimæ pulchritudinis, ad cujus ſtructuram à Roma, & Ravenna columnas & marmora devehi fecit.* Scribit iſta Sigebertus ad an. 795. cui fortè non immeritò tempus Fundationis affigimus, conſecrationem verò illius à *Leone* Papa factam annô 799. quo tempore idem cum *Carolo* iſthic locorum commoratus eſt. Dicimus autem Fundatorem *Carolum*; non ex eo, quòd ignoremus Eccleſiam cum Monaſterio pridem antea, & quidem jam ſub ejus proavo ſtetiſſe: ſed ideò, quòd hic aut deſtructam reparaverit, aut certè ſuâ liberalitate eximiâ ex veteri, exili, & humili tam magnificam fecerit, ut digniſſimè Fundatoris titulo honoretur. Forma Baſilicæ perfectiſſima erat, nempè circularis: ne quid ſcilicet illi deeſſet ſeu artificii ſeu pretii; quod in aliis Eccleſiis oculus humanus magis quàm in iſta admirandum haberet. In ſermone, quem Carolum Magnum de hac Baſilica peroraſſe tradunt, ſicipſe effatur: *Noſtis qualiter ad locum, qui* Aquis, ab aquarum calidarum aptatione, traxit vocabulum, ſolito more venandi causâ ingreſſus, ſed perplexione ſilvarum, errore quóque viarum, a ſociis ſequeſtratus veni, thermas calidorum fontium & palatia inibi reperi, quæ quondam Granus, unus de Romanis Principibus, Frater Neronis & Agrippæ, à Principio conſtruxerat. Quæ longa vetuſtate deſerta, ac demolita, frutetis quóque ac vepribus occupata, nunc renovari, pede equi noſtri, in quo ſedi, inter ſaltus, rivis aquarum calidarum perceptis & repertis: ſed & ibidem Monaſterium Mariæ Matri Domini noſtri Jeſu Chriſti, omni labore ac ſumptu, quo potui, ædificavi, lapidibus ex marmore pretioſo adornavi, quod Domino adjuvante & cooperante ſic formam ſuſcepit, ut nullum ipſi queat æquiparari.* * *Sic apud Mir. tom. 1. p. 15.*

Itàque tam egregio opere hujus Baſilicæ, non ſolùm pro voto meo & deſiderio, verùm ex Divina gratia ad unguem peracto, pignora Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, à diverſis terris, & regnis, & præcipuè Græcorum collegi, quæ huic ſancto intuli loco, ut eorum ſuffragiis regnum firmetur, & peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à Domino Leone Romano Pontifice hujus templi conſecrationem & dedicationem fieri impetravi, præ nimia devotione,

quam ergà idem opus habui, & Sanctorum pignora, quæ ibi recondita meo ſtudio & elaboratu habentur. Decebat enim, ut idem templum, quod cunctis monaſticis ædifi iis, in regno noſtro, formâ & ſtructurâ præeſſe videtur, in honorem S. Dei Genitrcis, à nobis regali ſtudio fundatum, dignitate conſecrationis præcelleret; ſicut ipſa Virgo ſuper omnes Choros Sanctorum præcellens exaltata eſt: & ideô Domnum Apoſtolicum, qui omnes præcellit Eccleſiaſticos gradu, ad conſecrandum, & dedicandum, ex ſola cordis mei conſideratione elegi & accivi. Accivi etiam cum illo Romanos Cardinales, Epiſcopos Italiæ quóque quamplures & Galliæ, ſimílque Abbates & cujúsque Ordinis Clerum multum, qui huic ſacræ dedicationi intereſſent, acciti ſunt etiam multi Romani Principes præfecturâ & qualicúmque dignitate promoti ad id ſolenne Duces, Marchiones, Comites &c. Illic verò Domno Apoſtolico & omnibus prædictis nobilibus, & egregiis Perſonis Congregationis merui ab omnibus obtinere, pro nimia devotione, quam erga ipſum locum, & Matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti habebam, ut in templo eodem ſedes regia locaretur, & locus regalis & caput Galliæ trans Alpes haberetur &c.

An hic ſermo purus ſit, ac ſincerus Carolini ingenii partus, an ſuppoſititius? iſthìc non definimus; ea tamen, quæ de hac Baſilica proferuntur ſinceram, ac veridicam *Caroli* mentem explicant, ſimúlque declarant genuinè Baſilicæ hujus Majeſtatem, gloriam, ac præ cæteris prærogativam, qua indubitatè excelluit. Atque ut de ampliſſimis donationibus Villarum, urbium, ac Muncipiorum, quibus diverſi Imperatores eandem dotârunt, aut de pretioſiſſimis theſauris ipſam decore incomparabili exornantibus nihil diſſeramus, illud reticere non poſſumus, quod eandem magnificentiâ præcipuâ exaltavit in Eccleſiaſticis Juribus ac Privilegiis. Nam imprimis in ea Imperator Neoëlectus feſtivis & verè Regiis Ceremoniis coronandus decernebatur, quod etiam usque ad noviſſima tempora, & cumprimis ſuccedentibus à *Carolo* ſæculis ſanctè obſervabatur. Præterea *Gregorius* quintus Pontifex maximus eam cohoneſtavit tali dignitate, ut in ipſa ſeptem eſſent Cardinales Diaconi, & ſeptem Cardinales Presbyteri, ea ratione, *ut nullius dignitatis Perſona ſuper ſacrum Altare Dei Genitricis Mariæ ibidem conſtitutum Miſſam celebret præter prædictos ſeptem Cardinales Presbyteros & Archiepiſcopum hujus loci, & Epiſcopum, qui Leodienſi Diœceſi præſidet.* Hócque idem Pontifex fieri ſub Anathemate corroboravit annô 997. menſe Febr.

Et hæc quidem paucula ex plurimis, quæ ad decorem, & eximium hujus Baſilicæ encomium facere videntur, delibare placuit. Sed quod jam propiùs ad rem noſtram facit; eadem ipſa Eccleſia dum tantô, à Principe iſto piiſſimo, affectu diſſuaviabatur, & quaſi una præ cunctis reliquis ipſi in deliciis eſſet atque amoribus, tum, inquam, ipſa adjuncto per eundem Monaſterio, hoc adhuc præclaro gaudebat honore, quòd totus ei deſerviens Clericorum Chorus regularis eſſet, & vitâ communi, ac Apoſtolicâ viveret, verbô, ſub inſtituto votivo canonico plantaretur, ac longiori tempore præclarè emineret, de quo Miræus apud Molannum ſequentia: *Nuncupata eſt autem*, inquit: *hæc Eccleſia à Majoribus Monaſterium ſanctæ Mariæ, eò quòd Clerici ſeu Canonici viginti à Carolo Magno inſtituti, regulariter in eo vixerint, ſub obedientia unius præfecti, in communi intra clauſtrum, ſimul manducantes, & dormientes juxta ſtatuta Concilii Moguntini* (iſta in exegeſi noſtra memoravimus) *ſub Carolo Magno celebrati.* Hæc ille; néque ex conjecturis, ſed certis, firmíſque rationibus, quas ſuo tempore juvabit producere. Conſonant

ſonant quoque huic effato ipſa vetera documenta: nam *Lotharius* Imperator, dum huic Abbatiæ aliquot villarum à *Carolo* jam donatarum confirmationem an. 844. ſcriptis impertit, disertè eam ſe dare dicit *in alimoniam pauperum, & ſtipendia Clericorum ibidem Deo ſervientium*. Clariùs adhuc annô 997. *Gregorius* citatus in ſuo de inſtitutis Diaconis, & Presbyteris Cardinalibus Privilegio hoc ipſum enuntiat, dum ait: ſe ſupradictæ Eccleſiæ *concedere Clericorum Congregationem Catholicorum ſublimiter* ---, *& ut regulariter vivant, commendans*. Quam vocem *regulariter vivant*, abundè & clarè vitam in his clericis deſignare regularem, quisque deprehendit. Denique cùm Otto primus Imperator huic capellæ (ùt ipſe Baſilicam iſtam nuncupat) Abbatiam Caprimontenſem donaret, atque ſubmitteret, decernerétque tum, ut ad *ejuſdem Eccleſiæ, Fratrúmque ibidem Domino famulantium uſus accumulatos donaretur*, tum, ut Deinceps in *hac ſola Regum, vel Imperatorum Capella Abbas eidem loco Caprimontenſi præficiendus eligatur*; ſtatuit expreſſis terminis, ut Abbas idem quicùnque erit *nullas Eccleſiæ res ſibi providendas forinſecùs aliquo uſu deducere præſumat, ſed intra communiter ad Fratrum, cæterorúmque ibidem ſervientium commoda neceſſaria retineat*. Quod decretum clericos in communi viventes nihilque proprium habentes manifeſtè deſignare nemo facilè dubitaverit.

Quamdiù verò Clericorum Aquisgranenſium vita communis, ac Regularis duraverit, idem qui ſupra Miræus ex Molano notavit, ſic dicens: *ſed hoc ſuave jugum Aquisgranenſes, uti & Moguntini, aliique plurimi ſub Ottone tertio Imperatore & Nothgero Leodienſi Epiſcopo excuſſerunt: qui quidem Otto & Notgerus Baſilicam Aquisgranenſem à Nordmannis deſtructam inſtaurarunt, atq; ex Regularibus Clericis viginti Canonicos proprietarios viginti octo inſtituerunt*. Hæc ex Molano & Ortelio Miræus. Quibus eò paratiores aſſentimur, dum novimus ante hanc invaſionem Nordmannicam in Aquisgranenſi Baſilica notum illud pro reformatione Cleri, ac Monachorum celebratum Concilium fuiſſe, in quo regula confecta eſt Canonicorum, de qua tam multa in diverſas partes Hiſtorici, criticique commentantur, quaſi ea proprietarios potiùs Clericos, aut inſtituerit, aut firmaverit, quàm ad talem regularitatem à præcedente laxitate reduxerit; quâ ex ſæcularibus Religioſos, ex acephalis obedientiarios, ex proprietariis fecerit communis vitæ, ac votivæ ſectatores: verùm quia de hac ſatis ſupérque jam alibi diſcurrimus, præſtat crambem toties repetitam dimittere.

Cæterùm, quòd hanc Eccleſiam cum Monaſterio ſuo Abbatiam diximus, quam ùt plurimùm Capellam Regiam nominandi mos erat, ad id nos movit *Caroli* Magni confirmationis Charta huic Eccleſiæ data, cùm adhuc ſub alia & veteri forma, prout ſub ejus Proavo *Pippino* Herſtallio conſpiciebatur, exiſteret; nam in eadem Charta Carolus *Erinhardum* qui huic tunc (annô ſcilicèt 779.) Eccleſiæ præerat, Abbatem diſertis verbis, & quidem geminata vicè nominat, ex quo colligimus locum illum jam longis ante *Carolum* temporibus Abbatiam fuiſſe, quam dignitatem; cùm non legamus exhinc ſublatam, meritò ſaltem quamdiu Regularis permanſit, eodem titulo inſigniendam æſtimamus.

Exiſtit autem in ipſa urbe Aquisgrano 10. milliaribus à Colonia Agrippina diſſito Diœceſis adhuc Leodienſis. Mir. Cod. Don. piar. C. 11. & L. 2. Donat. Belg. C. 8. & L. de Colleg. Canonic. C. 29. Sigeb. Gembl. edit. Nov. piſtor

ſtor. ad an. cit. Foppens. Nov. collect. P. 4. C. 5. &c.

Fund. ſæculo 1510 Floret.

S. Mariæ in Bodinghem. Prioratus Windeſemenſis.

Originem ſuam ducit ab effigie Beatiſſimæ Dei Matris filium ſuum de Cruce depoſitum in ſinu continentis; quæ cùm primùm in capella in ejus honorem conſtructa magnâ devotione populíque concurſu honoraretur, & accumulatis miraculis ipſæ quoque oblationes & anathemata ſic multiplicarentur, ut in una Viſitationis feſtivitate, teſte Buſchio, offertoria in Cera, auro, argento, & pecunia, cæteríſque ſimilibus centum florenos excederent; (quæ pro tempore illo ſumma non exigua eſt computanda) commotus hâc Divinæ Matris in locum iſtum benevolentiâ illius parochiæ Curator (ut cultus ejus in dies condigniùs ageretur) ex quotidianis abundantiſſimis proventibus conſtituit, aſſenſu Apoſtolico etiam ad hoc obtento, ut inibi quatuor ſuſtentarentur Presbyteri horis Canonicis, aliíſque ad debitam pietatem conſervandam miniſteriis ſedulò deſervituri. Verùm non diù perſtitit hæc modica licèt Congregatio Clericorum, identidem enim diſcordiis, ac ſimultatibus, tum inter præfatos Presbyteros ipſos, tum inter Plebanum emergentibus, *Adolphus* Dux Montenſis paci non ſolùm, ac quieti loci illius (cujus ipſe in temporalibus Dominus erat) ſed & cultui Mariano cautè proviſurus ſaluberrimum aggreſſus eſt remedium. Erant nempe tunc illa actu revireſcentis Canonici inſtituti in Windeſemenſi Congregatione paulò antè erectâ feliciſſima tempora, quibus paſſim homines odore ſanctitatis illius pelliciebantur: ſtatuit itáque Comes præfatus hanc Capellam tot oblationibus opulentam, tot beneficiis divinis gratioſam Capitulo Windeſemenſi cum omnibus ſuis attinentiis conferre. Re ad ſummum Eccleſiæ Præſulem delata, & ex hujus mandato ab Abbate S. Martini Coloniæ examinatâ, Comitis *Adolphi* votum ad deſideratum effectum deducitur; hinc mox ad Capitulum Windeſemenſe miſſum, ut transſumptâ capellâ ibidem conſtituerent ſui inſtituti religioſos. Legatio autem à Capitulo commiſſa eſt Patri *Henrico Loëder* viro piiſſimo, veróque Phinees in Zelanda regulari diſciplina, & eodem tempore Priori Frendeſwegenſi (ex quo arguimus iſtius ad ordinem noſtrum Capellæ ſuſceptionem inter annos 1417. & 1437. quibus ùt Prior in Frendeſwege præfuit, contigiſſe) qui à Duce Montenſi glorioſè ſuſceptus omnia optatè eſt executus. Inducti autem ſunt ad hoc novum monaſterium, ſolidâ charitate, humilitate, ac diſciplina informandum, quatuor Canonici, duo ex ipſo Archimonaſterio Windeſem, nempè *Tricus Lyman de Goch, & Joannes Buſch de Zvvollis*, duo verò ex Frendeſweg, ſcilicèt *Arnoldus Huls & Willhelmus Keppel* datis *tam his quàm illis in mandatis*, ùt inquit Buſchius, *ut monaſterium illud inſtruerent ſecundùm charitatem de Windeſem, & humiliationes de Northorn.* Quæ verba hujus religioſiſſimi ſcriptoris ſanè nemo exiſtimet, ſine ſpeciali induſtria fuiſſe deprompta; innuere enim volebat, non ſolùm quæ illæ præcipuæ virtutes eſſent, quibus omnis ordo religioſus firmus in ſuo inſtituto ſubſiſteret, verùm etiam quo moderamine tum temporis monaſteria illa noſtra regerentur. Quamvis enim ſingulis ſingula cœnobia pollere deberent virtutibus, novimus tamen ſic eſſe plerúmque in illis, velut in ſuis incolis conſtitutum, ut quodvis in certa aliqua virtute præ reliquis notetur, ſic

ſic Windeſem quamvis omnis ſpiritualis armaturæ quædam eſſet Palæſtra, præcipuè tamen in charitate dilaudabatur: Frendeswegenſe autem in humilitate. Quod tamen non de quavis ſimpliciter virtute intelligendum putaverim, ſed de illis, quæ juxta Bonaventuram Matres dicuntur: *Quatuor*, inquit ille L. 5. Comp. Theol. verit. c. 8. *ſunt matres virtutum Fides origine, Charitas educatione, prudentia regimine, humilitas Conſervatione.* Quibus verbis egregiè charitatem ad educationem, humilitatem ad conſervationem deſignat, nam nutriri ac provehi monaſteria ad ſtatum optatæ ſubſiſtentiæ non poſſunt, ubi charitas deeſt, & econtra titubat conſervatio, ubi exulat humilitas. Ibi ergò charitas erat cum humilitate, hic humilitas cum charitate, unde Proſper Epiſt. ad Demetriam, *ſicut*, inquit, *pars charitatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas.* Hoc itáque modo primi hi ablegati inſtitutores Rectorem obtinent Arnoldum Huls, *jam dudum*, verba ſunt Chron. Wind. *Coloniæ notum, ſcilicèt ſuâ prudentiâ, ac pietate.* Vixdum autem anni quatuor effluxêre, jam novem ibidem noviter recepti numerabantur, hinc nè numerus pro tunc exſuperaret monaſterii cenſum, Joannes Buch cum fratre Wilhelmo Keppel, rurſum Windeſemenſe ille, Frendeswegenſe iſte repetivit cœnobium. Neque inutile erit hìc quoque annectere, quæ de dote, ut ita dicam, à Windeſemenſibus data primis Bodeggenſibus Canonicis ſæpè citatus Buſchius obſervat, ut exinde diſcamus, tum miſſâ ad innovanda monaſteria Ordinis conſueta donaria, tum ſolitum cujusvis religioſi veſtimentum: *Miſſalia*, inquir, *duo, Antiphonare unum, graduale unum, bonum pſalterium, cum aliis libris divinis: & duorum fratrum veſtimenta, penè duplicia, quatuor videlicet pellicia, quatuor ſuperpellicia, ſex nova ſubtilia, duo almutia, quatuor lanea linteamina, quatuor duplicata ſupellectilia & cætera plura ſimilia fratres præfati de Windeſem ibidem ſecum aſportaverunt, quæ poſt annos quatuor Frater Joannes Buſch cum fratre Wilhelmo Keppel inde recedens, novem fratribus ad religionem ibi priùs receptis omnia penè de Patrum in Windeſem licentia in Bodingen reliquit.* Denique non defuêre huic monaſterio inſtituendo rolerandæ, ac ſuperandæ afflictiones multiplices: narrat namque Buſchius, utpote unus ex primis 4. fratribus, primitùs in multis rebus penuriam ſe ſe ſuſtinuiſſe. *Nam*, inquit, *quando operimenta in hyeme ſatis non habuimus, truncum ſæpè ſub Capite pro pulvinari ſuppoſui, & truncum alium ſuper pedes pro calefactione eorum, & quandò aliud ſatis ad comedendum non habuimus, pane & butyro rugientem animum ſatiavimus, dicente patre: ſi brevis eſt caliga, ſit tibi longa liga. Hoc eſt ſi tibi alia non adſunt, panis & butyrum non deficiunt.* Intereà ſublevârunt cruces non rarò intercurrentia ſolatia maximè à patronis eximiis in hoc cœnobium dimanantia, ſic Archiepiſcopus Colonienſis *Theodoricus* aliquando dicitur in Bodeggen veniſſe, petens *ſeptem miſſas de B. Virgine, rorate cæli in Dominica Lætare jejunio, legi ſive decantari, quod dum factum ad ſingulas miſſas idem obtulit candidam ceream unius talenti, & Denarium Colonienſem.* Dux etiam Monrenſis *Adolphus* cum filio ſuo Duce Juliacenſi *audiviſſe* referuntur, *die quadam celebri ſummam miſſam in genibus, quam Joannes Buſchius decantavit, & ſinguli florenum aureum Rhenenſem obtulerunt.* Atque hæc ſunt, quæ nobis de origine aut potiùs de introductione ordinis noſtri in Ecclesiam Bodeggenſem innotuêre. Viget autem, floreque

que adhuc noſtro tempore ſub congregatione Windeſemenſi, præeſtque nunc eidem Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus Wilhelmus Widenmayer, qui cum aliis pluribus Reverendiſſimis Præſulibus interfuit Capitulo Windeſemenſi Aquisgrani annô 1728. celebrato.

Exiſtit Bodinggenſe Monaſterium 2. milliaribus ab urbe Bonna diœc. colon. Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 24. & L. 1. de Refor. Mon.

Fundat. .... *S.* Mariæ Prioratus Virg. Trudonopoli. Hujus memoriam nobis Chronicon magnum Belgicum ſuggeſſit, quamvis ejus originem aut Fundatores inde nanciſci non liceat. Profectò ſæculi decimi quinti medio eximiè Veſtales iſtas in hoc loco floruiſſe inde comperimus; quod, cùm an. 1467. *Carolus* dux armis ſuis quæque ſibi occurrentia per totam Hasbaniam vaſtaret, & Leodienſi urbe ſubactâ Trudonopolim eidem vicinam quoque diriperet, magnum religioſæ pietatis ſpecimen hæ Virgines exhibuerint. Narrat id ipſe Chronici prædicti Author, iis ſynchronus temporibus; dignum ideò cenſemus totum ejus contextum iſthic deprome re, ſic ergò idem: *in medio,* inquit, *Octobris menſis procedens Dux à Lovanio, cum infinita Equitum, peditúmque multitudine, ac armorum cujuslibet generis copioſiſſimo apparatu, primo impetu appulit ad S. Trudonem, & vaſtavit oppidum: quod antequam in deditionem acciperet, multi de exercitu in circuitu mala exercebant innumera, agendo prædas, incendendo domos, homicidia perpetrando, non parcebant ſpoliando ſæcularibus, non religioſis. Eſt juxtà muros oppidi monaſterium fœminarum incluſarum Canonicarum Regularium S. Auguſtini in commune viventium, ubi quantas abominationes fecerint, non eſt volubilis ſtyli miniſterio facilè explicare: & per ea, quæ illic facta ſunt, prudens lector, quid aliis locis piis factum ſit, facilè intelliget. Veniebat Venerabilis Prioriſſa ad portam usque monaſterii hoſtibus obviam, quia Rector cum ſociis præ nimio timore aufugerat, & humi proſtrata miſericordiam poſtulabat, exhibens ſalvum conductum Ducis, quo ſub ejus protectionem recepta erat Domus. Quam terribilibus oculis intuentes, & ſermonibus inconditis aſpernantes, nec movebantur reverentia loci, nec ſalvo conductu terrebantur, nec flectebantur ſuſpirioſis precibus devotæ multitudinis, tetram in facie pallidæ mortis imaginem præferentis. Quinimô more Leonum rugientium, cùm in venatione belluina crudelitate hominem perſequuntur, omnia perluſtrant, omnia pervagantur, ſingulas reviſunt officinas, diſplicita comminuentes, placita rapientes. Aggrediuntur primò oratorium, non orandi gratiâ, ſed ſpoliandi: & imaginibus, tabulis, libris, ornamentis, omnique ſuo decore evacuant, & abjecto omni timore Dei, diſtractas reliquiarum capſulas mittebant in lutum, & pedibus, ut paleas, conculcabant. Dehinc ad dormitorium aſcendebant, & ita omni ſororum ſupellectili ſpoliabant, ut nè imaginem quidem papyream reliquerint: Quæ conſiderans ſoror quædam bonæ ſimplicitatis, tulit ſecum devotionis ſuæ imaginem; cogitabat enim apud ſe dicens: etſi omnibus ſpolior rebus in uſum conceſſis, reſervabo ſaltem mihi JEſum meum. Habebat enim Iconem eburneam infantuli Salvatoris, quam arctiùs conſtringens ulnis ſuis, cùm latrones eam tollere vellent, fletu ſingultuoſo & anxio ejulatu reſpondebat: Nolite mihi tollere JEſum meum, unicum ſolatium cordis mei: omnia mihi abſtuliſtis præter eum, parcite mihi, quia conglutinatus eſt mihi JEſus meus, ut nullo modo inter nos divortium fieri queat. Multos hiſce verbis & flebili apparatu ad compaſſio-*

nem

nem ſui commovebat, ut à malè ceptis abſtinerent, tandem vir Belial compaſſionis expers, neſcius miſereri, de ulnis ſororis lacrymabiliter vociferantis, imaginem violenter abripuit, & ait: ſi tibi placet JEſus tuus, & mihi non diſplicet, hactenus eô tu uſa es, patere, ut jam utar ego. Cuncta denique in Cellario reperta vitæ neceſſaria, inq́ officinis reliquis utenſilia ad curam rei familiaris pertinentia, tollunt, confringunt, diſpergunt, nihil eorum, quæ ad victum, & veſtitum pertinent, deſolatis ſororibus relinquentes. Cæterùm tantus erat rapiendi furor; tanta denique ſecuritas, ut rejectâ naturali verecundiâ abuterentur dormitorio pro Latrina, tam procax inſolentia, ut ancillas Chriſti ad exuendum veſtimenta religioſa compellerent. Habebat antea præmonitas filias ſuas Mater, ut de veſtibus ſuis tantum tollerent, quantum ferre potuiſſent, contra injurias hyemis imminentis. Dicebant ergò pro imperio ad illas ſcurræ: exuite vos ſine mora, at illæ inexorabiles hoſtes aſpicientes coram facie eorum exuebant veſtimenta ſua ad camiſiam usq́. Illi autem relinquentes in manibus ſororum quidquid vile fuerat, ac reprobum, meliora tollebant. Sed quis non obſtupeſcat, magno Dei munere factum eſſe, ut cùm bona mobilia perdere cogerentur, theſaurum caſtitatis incomparabilem integerrimè conſervarent, nec illarum ulla, quantumlibet ſpecioſa, reperta eſt pati violentiam, aut corruptionis vitiô violari. Etenim ad imperium Priorissæ manebant indiviſæ ſorores, nec ſe ſe una ab altera ſeparabat. Inſtar igitur muri illæſæ, & impenetrabiles permanebant. Sanè audiens hæc Dominus Adolphus de Clivis, Dominus temporalis de Ravenſtein compaſſus tantæ deſolationi Ancillarum Chriſti, fecit eas adduci ad ſe: non enim procul aberat: & viri cohortis ſuæ tantum flagitium perpetraverant. Verùm earum aliqua nimis mœrore confecta præ teneritate luti profunditatem tranſilire non valentes, virorum manibus ferebantur: quas in diverticulo ſuo ſuſceptas humanè tractavit, benignè fovit, curam earum egit, magnámque partem ablatorum duntaxat in lectiſterniis reſtitui eis fecit. Hæc laudatus Chroniſta, an verò reſtituta Trudonenſibus libertate, virgines quoq́ue ſacræ ſuum domicilium repetiêrint, idem non refert, quamvìs id propè verum ſit, utpote *Adolpho* Duce easdem gratioſè fovente. De moderna autem ejusdem exiſtentia nihil nobis referendum ſuppetit.

Exiſtit Trudonopoli. Chron. Mag. Belg. Edit. nov. Piſt. pag. 427. & ſeq.

Mariæ in Arena Prioratus Windeſemenſis. *Fundat. .. Floret.* Sterilis hactenùs ex his partibus communicata Windeſemenſium monaſteriorum notificatio hujus quoq́ue nobis documenta ſuppreſſit, ut aliud de eo referre nequeamus, niſi quod Miræus breviſſimè inſinuat, illud hujus Congregationis membrum exiſtere, quod tamen non niſi poſt ſæculi decimi quinti finem factum fuiſſe colligimus, cùm ejusdem nec Buſchii, nec Bodecenſis chronici Catalogus meminerit. Nunc adhuc florere ex nuperrima nobis factâ relatione percepimus.

Exiſtit propè ſtralam Gelriæ oppidum. Mir. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 13.

S. Mariæ Abbatia. *Fund. ſæc. II. ſecular.* Antiquiſſima ſui inſtitutione gloriatur & Fundatore Sanctiſſimo, *Materno* ſcilicet primo Trugenſium Epiſcopo, ùt teſtatur Theodvinus Præſul Leodienſis: ſed ejus acta adeò usq́ue in ſæculi octavi initium celavit antiquitas, & inter Blattas, ac tineas fortè omninò conſumpſit injuria temporum, ut tum primùm, cùm *Gerbaldus* Leodienſibus Præeſſet Epiſcopus, Hujenſis Eccleſia ſenſim memo-

 riam

riam ſui aperiret. Hic *Gerbaldus* ùt erat vir omni virtute conſpicuus, eumprimis adlaboravit, ut dilapſæ, non ſolùm ſuccurreretur Eccleſiæ, ſed cultus quoque Divinus & miniſtrorum in iis alioquin degentium diſciplina ſpiritualis, quantùm fieri poſſet, reaſſumerentur, quod etiam tum ſub ipſo, tunc ſucceſſore ejus *Walckando* (quorum illum Bucelinus in Catalogo Epiſcoporum Leodienſium *Gelboidum*, iſtum *Valcandum*, corruptiùs adhue *Waliandum* nominat & *Gelbardum* ſtatuit anno 809. obiiſſe, non memorando ejus translationem, poſt 28. annorum regimen, ad cardinalatum, & tum factâ, id eſt, annô 813. ſucceſſione *Valcandi*) conſuetô Eccleſiæ promovendæ Zelő præſtitit *Carolus* Imperator. De quo ſummatim audiendus Author Magni Chronici Belgici ſic ſcribens ex Chronico Pontifieum Leodienſium: *temporibus Gerbaldi & Walckandi, Carolus in Eccleſia Hoyenſi viginti Canonicos Regulares ſub Abbate inſtituit.* Hoc eſt ad initium Noni ſæculi, eùm, ùt diximus, *Gerbaldus* præfuerit ab annô 785. usque ad 809. teſte eodem Chronico, & tunc *Walckandus* regimen ſuſceperit Eccleſiæ Leodienſis. Obſervat deinde Miræus, *Bozonem* Archidiaconum, & Abbatem *S. Mariæ* 15. Canonicos in Hujenſi *S. Mariæ* Eccleſia an. 1044. poſuiſſe; *Theodoricum* verò Epiſcopum alios totidem addidiſſe annô 1066. & eandem *S. Mariæ* Eccleſiam à fundamentis usque ad laquearia à ſe perfectam anno eodem dedicâſſe; ac deníque cum *Lietberto* Cameracenſi Præſule corpus *S. Domitiani* Epiſcopi ad dictam Eccleſiam, ex Eccleſiola, per *S. Maternum*, primum Tungrenſium Epiſcopum, conſtructâ transtuliſſe, teſtante Ægidio in geſtis Epiſcoporum Leodienſium. Quod ipſum ſuis in litteris *Theodoricus* ſuffulcit, ſic dicens: *Egò Theodvinus - - - notum eſſe volo, qualiter poſt libertatem Hojenſis Eccleſiæ, quam Maternus B. Memoriæ Epiſcopus conſecrando primitiavit, adjecerim libertatem etiam villæ. Præfatam ſiquidem Eccleſiam à fundamentis ad laquearia, à laquearibus, & ultrà reædificavi, quam etiam in auro, argento gemmis, & prædiis pro modulo meo ditavi, & de Agar Saram eſſe jeci &c.* ex quibus colligo, *Theodvinum* non aliam ſed eandem à *S. Materno* fundatam in majorem formam erexiſſe Eccleſiam; Canonicos autem jam à *Carolo* Magno ibidem fundatos, ac deinde Nortmannorum irruptione proventibús orbatos rursùm per *Bozonem* dotatos adeóque non tam inſtitutos, quam reſtitutos fuiſſe.

Cæterùm inducta per *Carolum* in hanc Eccleſiam regularitas non videtur ſæculum 12. exceſſiſſe, ex motivis jam aliàs ſæpiùs à me productis nimirum, ob regulam *S. Auguſtini*, quam priusquam aliqui Canonici aſſumerent, malebant ex tunc ſæculares, & eſſe, & nuncupari.

Sita eſt Eccleſia hæc unà cùm Collegio annexo in ipſa urbe Hujenſi Chron. Belg. Magnum Edit. Piſtor. tam veteri quam nova, Bucel. Catal. Epiſcoporum Leodiens. Miræus Cod. Donat. piar. Cap. 58. Fiſen. hiſt. Leod. P. 1. L. 1. n. 42. & L. 5. n. 28.

Marſana vulgò Mairſſen. *S.* Petri Præpoſitura. *Fund. ſeculo fortè decimo floret.*

Olímque Alodium ſub jure Gerbergæ Francorum Reginæ, quod antea poſſidebànt ſub Præpoſitò Clerici, ſed annô 968. mox memorata Gerberga Alodium iſtud Abbatiæ San-Remigianæ pleno jure donavit, confirmavítque donationem *Innocentius II.* an. 1136. & *Conradus* Imperator an. 1145. Quamvìs autem in erectione novi Epiſcopatûs Ruremundenſis per *Pium V.* hæc Præpoſitura in bulla ejus-

ejusdem Pontificis menſæ Epiſcopali incorporata legatur an. 1561. at videtur quoad hanc incorporationem effectus non ſecutus, nam priore mox elapſo ſæculo, eadem Præpoſitura cum omnibus pertinentiis, juribus, ac privilegiis per viam commutationis data eſt Abbatiæ Aquæcurtenſi; refértque Miræus Abbatem hujus Iſembardum Le Cocq annô 1628. his titulis fuiſſe inſignitum (prout jam ſuperiùs, dum de hac Abbatia actum eſt, annotavimus) *Nimirum Comes de Courcelles, Toparcha de Lignii, Walencour Præpoſitus & Dominus in Merſſen, Clemmen, Beke &c.* Eſt igitur adhuc noſtris temporibus Marsna, una ex præcipuis Præpoſituris, providerúrque ex Abbatia Aquæcurtenſi competenti religioſorum numero. Ceſſit verò hujus loco San-Remigianis monachis Prioratus Vallis-Floridæ in Diœceſi Noviomenſi in compenſationem.

Sita eſt non planè uno milliari Gallico à Trajecto Moſæ, ad Fluv. Geyl. Mabill. Annal. Ben. L. 47. n. 31. Mir. Don. Belg. c. 58. & Don. piar. c. 37.

Martini Præpoſitura.

Fund. an. 1036. ſæcul.

Fundatorem hoc monaſterium Canonicorum habuit *Sigibertum* Mindenſem Epiſcopum, virum omni virtutum genere conſpicuum: hic ut ſuæ devotionis monumentum in *D. Martinum* ſtabili per ævum memoriâ roboraret, in ipſa ſua Epiſcopali Metropoli Eccleſiam annô 1036. in ejusdem honorem molitus eſt, adjectô egregiæ ſtructuræ Cœnobiô, in quo regularem Canonicorum ſocietatem conſtituit, obtento deſuper à *Conrado* Imperatore ampliſſimo diplomate. In iſto liberaliſſimus Princeps inter alia ſic effatur: *univerſitati notum eſſe cupimus, qualiter Dilectus noſter Sigebertus Epiſcopus - - - - - ſerenitatis noſtræ Clementiam adiit, humiliter obſecrans, ut talia bona, qualia ipſe in prædiis, in mancipiis utriusque Sexûs, in dominationibus, nec non in cæteris utilitatibus habet quæſita ad monaſterium Minda & in uſum Fratrum ſub Canonica Regula inibi Deo ſervientium noviter ab illo in honore S. Martini Confeſſoris conſtructum per Imperiale noſtrum præceptum ſtabiliremus &c.* ex quo regularem horum Canonicorum vitam apertè docemur.

Hoc monaſterium novis impendiis *Bruno Sigeberti* Succeſſor auxit; ut teſtatur Chronicon Mindenſe apud Meibornium: *Iſte Bruno*, inquit, *duo monaſteria, ſcilicèt B. Mariæ, & S. Martini ab Anteceſſore ſuo Sigeberto incæpta, alterum quidem S. Mariæ, & opere, & conſecratione conſummavit: Sancti verò Martini devotè augmentavit.* Cùm autem ſub *Engelberto Brunonis* ſucceſſore tota urbs Mindenſis infauſtô incendiô conflagraret, ipſúmque hoc cœnobium in fatales cineres abiret, hic ipſe munificentiſſimum ſe exhibuit Reſtauratorem. Combuſtionem illius Poëta Mindenſis his verbis commemorat, poſtquam fundationem præmiſiſſet.

Quæ per ignem poſt cremata
Bina vice & vaſtata
Ferè, & cum omnibus,
Quæ in Gyro circumdata
Sunt ſtructuris urbis grata
Flamma ſumſit domibus.

Ex

; Ex quibus quidem duplicem ruinam hujus cœnobii experimur. Sed de qua ſaltem *Brunonis*, ac *Engelberti* tempore in Chonico altero ſolutâ oratione ſcripto, eóque cum Editione Meibonicana, tum Piſtoriana, nulla recurrit memoria. De dotatione verò hujus Eccleſiæ ab *Engelberto* facta hi verſus proſtant.

Præſul Engelbertus: ipséque Prior Sigebertus
Hi fundatores, hilarésque fuêre dotatores
Ergo Dei pietas ſedes dedit his requietas,
Et tibi Martine conregnabunt ſine fine.

Porrò de eadem fundatione à *Sigeberto* facta plura nobis enarranda Lerbeccius in ſuo Chronico reliquit: ait namque illud *S. Martini* cœnobium jam annô 1009. ſui originem obtinuiſſe, ſed transactis viginti annis à fundatione dicti monaſterii ad inſtantiam *Peregrini* Epiſcopi Colonienſis *Sigeberto* apud Regensborch à *Conrado* Imperatore fuiſſe Eccleſiam hanc *S. Martini* ſtabilitam & confirmatam. Hujus diplomatis confirmatorii fragmentum ſuperiùs adduximus, cujus Chronicæ notæ ſignantur ad annum 1029. *annô autem Domini Conradi ſecundi regnantis 5tô Imperii verò tertiô. Actum Regenſpurg feliciter. Amen.* Hic Clementiſſimus Princeps dicitur quoque multa bona fratribus, hoc eſt, Canonicis monaſterii contuliſſe. Præprimis autem, ùt ipse Lietbertus notat, quoddam prædium Kemmenen dictum, & vini decimationem: *aliud autem in eodem loco vinum* (verba ſunt Chroniſtæ mox laudati) *ſuis ſucceſſoribus, ea videlicet ratione, Sigebertus ordinavit, ut decimationem vini prædicti fratribus antedictis nullam moleſtiam inferrent; & quando de illo vino biberetur, intenderent, quod priùs ad omnem Epiſcopatum ſuum tantum non habuerint vini, quantum ciphus capere poſſet &c.* Demum ſubjungit ejus incendium his verbis: *hæc Eccleſia an. 1165. cum omnibus clauſtralibus domibus per incendium extincta eſt.* Qui annus ſi à vera Epocha non aberrat, videtur indicare, aliâ flammâ, quàm 1162. ipſam Eccleſiam Cathedralem, ac urbem conſumente periiſſe, adeóque illâ, quam ſuperiora duo Chronica ſub *Engelberto* factam memorârunt. Deníque reliquæ hujus Eccleſiæ vices, cùm paulò poſt videatur à regulari illo primitùs ſuſcepto tramite deſciviſſe, eò quòd hiſtoriam noſtram minùs attingant, conſultiùs dimittuntur, maximè ubi aliunde novimus totum Epiſcopatum cum pluribus Eccleſiis præcipuè in urbe Mindenſi exiſtentibus excuſsâ Catholicæ religionis obſervantiâ ſectæ Lutheranæ in ſpolium ceſſiſſe.

Exſtitit in urbe Minda. Chron. Epiſc. Mind. Edit. Piſt. tom. 3. p. 810. & 831. idem apud Meibon. tom. 1. pag. 551. & 560. Lerbeck in ſuo Chron. Edit. Leibnit. tom. 2. pag. 168. n. 15. Zeil. topogr. Weſtph. p. 33.

S. Martini Præpoſitura.

Fundata eſt à B. *Heraclio* decimo ſexto Leodienſium Epiſcopo: cauſam innuit Chroniſta Belgicus, dum ſic ſcribit: *Morbo Euraclius, qui Lupus dicitur, in natibus tam dirè laboravit, ut carnes ejus corroderentur: dilatio verò mortis erat per hoc, quod duo pulli Gallinarum manè, duóque veſperi conſumendæ Lupinæ rabiei apponebantur, morbo Gallinas conſumente. Intereà Epiſcopus medicis deſperantibus, audiens miracula multa per B. Martinum fieri, vovet, viſitaturum ſe ejus inſtanti Feſto B.* Marti-

Martini cum ſocietate honeſta ſepulchrum, quod & fecit. Itaque eò profectus per ſeptem dies ſolenniter ante tumulum ſanctum pronus jacebat nocte, diéque incumbens orationibus & lacrymis, compatientibus ei clericis. Septima verò nocte dormienti Epiſcopo B. Martinus in Pontificalibus aſtitiſſe viſus eſt cum B. Brixio, ubi Martinus dixit Brixio, eſtnè dignum, ut is tam devotus Peregrinus recipiat ſanitatem? cui Brixius, eſt, ait, cùm ſit homo noſtri ordinis (intellige Epiſcopalis) *tunc S. Martinus Crucem ſuper eum depingens, dixit: Frater ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus, ſurge, & dic Canonicis, te per me ſanatum, & ut te in Canonicum recipiant Eccleſiæ meæ, & hodie canta majorem miſſam: quibus dictis morbi locum baculo tetigit, & viſio diſparuit, & ſomnus receſſit. Epiſcopus igitur famulos jubet lucernas accendere, & ſe ſanum oſtendit. Fit tumultus, Te Deum à Canonicis cantatur: manè facto Euraclius in Canonicum recipitur, & miſſam celebrat, & ſic ad propria redit, & Eccleſiæ B. Martini Turonenſis & ſingulis Canonicis donaria deſtinavit, & Leodii Eccleſiam B. Martino in deſcenſu publici montis fundavit, ubi triginta Canonicis reditus de propriis aſſignavit, ordinans eos ſecundùm conſuetudinem Turonenſis Eccleſiæ in legendo & cantando, & aliis ritibus, & dum quodam tempore Turonum viſitaret, ſicut anno quolibet conſueverat; iterùm B. Martinus cum B. Brixio & Euſtachio ei apparuit, dicens: dic Fratribus tuis, ut quos Canonicos ſerrituros Deo & mihi ordinâſti; recipiant in Fratres, & ſucceſſores tuos omnes in Epiſcopatu Leodienſi, qui ſe mutuò viſitabunt, cùm fuerit tempus, & in Choro ſtallum, & ſtipendium habebunt, item nomina defunctorum mutuò referantur, & cùm pulſabitur, Divina celebrabuntur.* Hæc præfatus Chroniſta, haud dubiè ex documentis certiſſimis. è quibus illud fortè ipſius Heraclii teſtimonium legerit, quod refert Miræus, & in quo Epiſcopus hanc eandem hiſtoriam paucis immutatis ſuo enarrat nomine, ac perſonâ. Fundavit autem *Heraclius* hoc Collegium eôdem annô, ſcilicet: 963. quô à morbo ſuo liberatus eſt. Ut verò Capitulum quoque S. *Lamberti* Leodienſe, quod erat gratiæ receptionis fraternæ ad Eccleſiam Turonenſem particeps, beneficio *Heraclii* ſuam in S. Martinum gratitudinis vicem rependeret, ad ſupplementum Fundationis eodem anno quædam de ſuis terris ac bonis adjunxit, datâ deſuper chartâ donationis, in qua inter alia hæc leguntur: *Noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ tam præſentium quàm futurorum induſtria, qualiter Venerabilis Vir Dominus Everacrus* (Eraclius) *ſanctæ Dei Eccleſiæ Epiſcopus Eccleſiam ſibi commiſſam dilatare cupiens, quoddam Monaſterium extrà civitatem ſæpedictæ ſedis in honorem S. Martini inſtituit, ubi Canonicis ſub regula conſtitutis, toto niſu & conamine ſatagere cæpit, qualiter locus Dei inibi perpetualiter accreſceret, eisque ſuſtentatio corporalis nunquam deeſſet. Unde & nos tantam ejus devotionem agnoſcentes ſuiſque fidelibus & amicis plurima quæque ei in auxilium conferentibus, ſtuduimus etiam de noſtra communitate aliquod ſupplementum illi concedere, hoc eſt tria loca noſtra Bues &c.* Hoc, quod iſthic inſeritur, *Canonicis ſub regula conſtitutis*, planè commentabuntur quidam ea ſagacitate ad regulam Aquisgranenſem, ut inde omninò ob illam à *Nicolao* (tanquam ſolis proprietariis ſcriptam) reprobatam, concludant, Monaſterium illud pro Canonicis ſæcularibus fuiſſe fundatum: ſed qui noſtra de Aquisgranenſi regulæ norma Fundamenta perlegerit, inveniet ſatis commentatores illos hallucinari, quò lectorem remittimus. Cæterùm dum audio S. *Martinum* tam aperto Heraclii teſtimonio Ordini Canonico faviſſe; mirarer omni-

omninò ſubitam adeò hujus ſancti in eundem ordinem conceptam averſionem, quam ex Broweri Annalibus quidam recentiores gloriantur ſe accepiſſe opinantur, aut ex hiſtoria Ewervini Abbatis monaſterii S. *Martini* Trevirenſis, in quo contigiſſe narrant, *Henricum ſeu Heinricum Trevirenſem Archiepiſcopum aliquos villanos Clericos ibi Divinis deliberâſſe ſervitiis, Monachis jam antea depulſis, quod ſæpiùs dum eſſet factum, ideſt, modò exeuntibus Monachis, modò intrantibus Canonicis, cùm omnipotens Deus commemoratam mutationem tam indiſcretam vellet ſolitâ pietate ſtabiliri, nec diutiùs Canonicos immorari, contigit tale ſignum,* 4to *Non. Julii, quod eſt in ipſa tranſlatione S. Martini. Nam aurorâ ſurgente, cùm quiſque de latibulo ſuo Eccleſiam intrâſſet, hymnóſque Matutinales vix ſolenniter canere cæpiſſet, ſubitò inter eos apparuit Vir veneranda Canitie mediocris ſtaturæ, atq; Epiſcopali Baculo, quémque potenter increpans cogebat exire: ajebat enim ingeminans, percutiendo tardiùs exeuntes: exite ignavi, Martinus Monachus fuit non Canonicus, illis ita recedentibus, alterum longa infirmitas corripuit, alterum ſubita mors invaſit, ſicque locus deinceps arbitrio Monachorum ſubjacuit.* Quod ſi ergò Martinus ideò Canonicos, quos tamen hujus Hiſtoriæ author antea Villanos Clericos (alios certè tum, quàm Canonicos) nominat, expulit, quia ipſe *Monachus* fuit, non *Canonicus*, miror vehementer, quòd *Heraclio* cœnobium fundaturo non potiùs ſuaſerit, id tradendum Monachis quàm Canonicis, præcipuè cùm juxta Mabillonium Turonenſe ipſum ab origine fuerit Monachorum. Cæterùm quamvis hujus hiſtoriæ author *Ebervvinus* aſſeratur, qui fortè non longè poſt Epiſcopatum *Henrici* Abbas extitit illius Cœnobii, iſque ſecundus poſt illud ex devaſtatione Hunnorum reſtitutum; at, cùm in hac hiſtoria Eberwini apud me nimiùm fides vacillet, ſatis quoque Browerii, viri alioquin doctiſſimi, mentem non aſſequor, potuiſſe ſua clariſſima ſcripta hoc centone maculare: *Henricum* fortè Clericos primùm in neo-reſtauratum Cœnobium demandâſſe, imò ejuſdem clericali Diſciplinæ reſtituendæ multùm intenti animo inſediſſe, ut in eo Cœnobio Clericos Regulares ordinaret, non abnuo, at tam ludicrè ſua clericos ibi vixdum introductos peregiſſe, & ita quidem, ut à Divo *Martino* ipſo rejicerentur, nunquam credam: nam quotquot veteres alios hiſtoricos ſcrutamur, altum de hac re undíque reperimus ſilentium. Chronicon Magnum Belgicum, Anſelmum Schaffnabergenſem, hiſtoriam Trevirenſem apud Dacherium, aliáque, quæ hîc ſuperfluè enumerarem in ſimilibus peculiaribus actis enarrandis alioquin ſat liberales perquiro, at nullus eorum, cùm de Henrico déque monaſterio memorato loquuntur, vel ſimilitudinem hujus adfert fabellæ: certè ad hanc refutandam vel unum mihi mox citatum ſufficeret magnum Chronicon Belgicum, de quo Joannes Robertius apud Henſchenium in ſua exegeſi de Epiſcopis Tungrenſ. citatus pag. 397. *merito*, inquit, *nulla ex variis Chronicis fideliora ſe judicare iis, quam quibus uſus auctor illius Chronici Belgici.* Ac hic nec in *Mangarico* nec in *Theodorico*, nec *Henrico* quidquam de hoc caſu memorat, cùm tamen dicat: laudétque eum dicens *iſte regulares officinas, & clauſtrum circà majorem Eccleſiam conſtruxit, & rigorem regularis converſationis ibidem decrevit exerceri.* Qui ergò regularitatem adeò promovit in Eccleſia majori, an neglexerit, & tam viliter eam habuerit in altera, quam actu reſtituere intenderat? velut manuſcriptum illud Martinianum vel Eberwinus declarare ſatis videntur illis verbis: *cùm omnipotens*

Deus

Deus commemoratam mutationem tam indiſcretam vellet ſolitâ pietate ſtabiliri &c. Quidquid horum ſit, nobis ſufficit ſimiles hiſtorias à Domeſticis præcipuè ſæculo decimo, undecimóue ſcriptas habere ùt plurimùm inter quaſdam aut hyperboles, aut fabulas, quibus malebant ſua narrata farcire, quàm breviori, minùsque monſtroſâ relatione ſpatium veritati relinquere. Nobis intereà æquiùs erit iſta (quàm alii alia, eáque veriora) *inter aniles fabulas* computare. Cæterùm ut ad Leodienſe S. *Martini* Monaſterium revertamur, quamvis certam Epocham aſſignare nequeamus, quâ hujus loci Canonici pro diſtinctis à regularitatem profitentibus ſe cæperint habere; id tamen laudis reticere noluimus, perpetuis temporibus huic Collegio adhæſuræ; illud ſcilicèt, primum fuiſſe, quod ſuaſu B. *Julianæ* Religioſæ in monte Cornelio Virginis, & *Roberto* Leodienſi Epiſcopo decernente, & *Urbano* ſummo Eccleſiæ capite approbante feſtum SS. Corporis Chriſti ſolenni officio an. 1247. celebrare incæpit, conſtantíque pietatis fervore ſic quibuscúnque obſtaculis intercurrentibus obſervare continuavit, donec univerſæ Eccleſiæ hæc devotio communis præciperetur.

Jacet hoc collegium in proximo ad urbem colle, quem veteres montem publicum vocabant, Mir. de Can. ſæc. coll. C. 58. & not. Eccl. Belg. C. 25. Brow. ann. Trevir. ad an. 973. n. 21. Chron. Mag. Belg. edit. nova Struvii rerum Germ. ſcripr. t. 3. n. 82. & 83. Fiſen. Hiſt. Leod. t. 1. ad an. 1247. Hiſt. Trevir. ſpicil. Dach. t. 2. p. 208. ſeq.

Fundat. Ord. S. Bened.

Meſſienſe. Seu Meſſia S. Severi Præpoſitura. Hanc in ſua charta Donationis *Henricus* de Leyen Epiſcopus Leodienſis ait: *Patroni ſui corpore, aliorúmque Sanctorum pignoribus nobilitatam, floruiſſe pridem Religione Canonicâ, ſed per ſucceſſum temporibus, Religioſis decedentibus Canonicis, in tantam permutationis negligentiam decidiſſe, ut imminuto cultu Divinæ ſervitutis ipsiſque penè labentibus ædificiis jam vix videretur eſſe, quæ fuerat.* Hinc de ejus reſtauratione ſollicitus *Religioſo Wazelino S. Laurentii Leodii Abbati eam extradidit, ac hujus Monaſterio incorporavit.* Wazelino inquam, non primo, ſed ſecundo, ille enim annô 1149. 3. Cal. Nov. deceſſerat; dum hæc charta conceſſa eſt eodem annô 3. Cal. Dec. quo jam Wazelinus ſecundus prioris conſanguineus regimen Abbatiale capeſſivit. Cùm aliâs in aſſerendis ſuo ſacro ordini monaſteriis ſeduliſſimus Dionyſius Sammarthanus ſit, Meſſienſem tamen hanc Præpoſituram in Abbatibus Leodienſibus S. *Laurentii* omninò præteriit.

Foppens. Nov. collect. P. 2. C. 52. Fiſen. P. 1. ad an. 1147. n. 18. Hiſt. Leod. Gall. Chriſt. t. 3. col. 990.

Fundat. ſæc. 9. Floret.

S. Meinulphi in Bodeken ſeu Bodekeim aut Böggen Prioratus Windeſemenſis. Habemus hujus præclari Monaſterii egregia planè monumenta, quibus ejus encomium per plura ſæcula usque ad noſtra tempora nunquam obſcuratum (ex quo nempè ſemel regularem ſuam reformationem eſt adeptum) refulſit: ſed nobis non niſi ſynopſin iſthìc tradentibus pauca propoſuiſſe ſufficiet.

Fundator igitur illius S. *Meinulphus* fuit Decanus, & Canonicus Eccleſiæ Baderbornenſis ſua ſanctitate totam Weſtphaliam eô tempore nobilitans, quo S. *Baduradus* ſedem Epiſcopalem moderans regularem Diſciplinam, ſeu, ùt hujus S. Epiſcopi vitæ ſcriptor inquit, monaſterialem in ipſa Cathedrali

Eccleſia obſervandam inſtituit circà ſæculi noni initium. *Hic* igitur S. *Meinuplhus*, ùt referunt veerica an. 808, teres Eccleſiæ Bodecenſis litteræ; *Divinæ revelationis inſtinctu cæleſtique viſione inſtructus, quoddam monaſterium, quod Weſtphalicâ linguâ Bodeken, quaſi parvum dolium apellavit, in terra patrimonii ſui approbante Imperatore, qui tunc Aquisgrani fuerat, ſolenniter conſtruxit, & ipſum monaſterium de bonis ſuis temporalibus, quæ multa erant, largiter dotavit, & inibi nobiles fæminas, & devotas, quæ vulgariter* Doemvrouwen *nuncupantur inſtituit, quibus ſanctus Vir omnem foris evagandi occaſionem in vim majoris ſtabilitatis præcludere volens providâ diſpenſatione conſtituit ſex armigeros circumjacentes tanquam procuratores monaſterii prædicti, quibus bona ſua abundanter diſtribuit.* Hæc illæ litteræ. Quæ exinde nobis quæſtionem ſuppeditant, Virgines illæ Caoonicæ ſæculares fuerint, an Regulares? dubiúmque non tam ſolvit, quàm implicat Gobellinus, cujus teſtimoniô neſcio an facilè antiquius produci poterit, quamvìs & iſtud aliquot ſæculis illa fundatione recentius, utpote Gobellino Coſmodromium ſuum an. 1418. adeóque ſex penè ſæculis elapſis abſolvente. At iſte quidem in Vita S. *Meinulphi* apud Sur. 5. Oct. relata hæc diſertè (poſtquam exſtructum monaſterium meminit) ſubjicit dicens: *inſtituitque illic Congregationem ſæcularium, ut vocant, Canonicarum.* Conſentit Author Chron. Belg. qui eadem, quæ refert ſe dicit ex Gobellino accepiſſe: at idem hic Author in Coſmodromio ſuo ætat 6. C. 40. *Carolus*, inquit, *poſtquam Weſtphalos ſubegit S. Meinulphum de fonte levavit, & Matrem ejus Wichtrud dictam, Patre ejus defuncto, in ſuam protectionem recepit: quoniam Frater mariti vim ſtupri ſibi conabatur inferre. Hic Meinulphus nobilibus parentibus exortus Archidiaconus in Eccleſia Baderbornenſi de bonis paternis monaſterium momalium ſeu Canonicarum Regularium in villa Podecken Paderbornenſis Diæceſis fundavit, & dotavit.* Duplex ergò locus adinvicem contradicens, niſi dicas in vita Meinulphi Gobellinum *ſæculares* dixiſſe, quòd tales tunc eſſent, dum hanc vitam ipſe ſcripſerat, regulares autem dum Coſmodromii ætatis ſextæ caput 40. elaborârat. Quodcúnque autem ſit, necdum nobis Gobellini authoritas tanti eſt, ut eidem ſoli innixi, ſeu hoc, ſeu illud aſſeramus, cùm probabiliora profectò aliundè illa ſint, quæ pro regularitate earum Virginum Canonicarum decertant; eâ ſcilicèt, quâ tunc complures in Germania vixerunt, qualiſque diù antea in S. Odilia floruit. Neque enim qui dicta in exegeſi noſtra de Virginum Canonicarnm inſtituto ſæculi noni initiô, quo Generalis illa reformatio per *Ludovicum* Imperatorem inducta eſt, perpenderit, difficulter aſſentiet eaſdem Regulares exſtitiſſe, neque credibile eſt S. *Meinulphum* per omoia Diſciplinæ Regularis appetitorem eximium hac ſepoſitâ, ſæcularitati per ſuam Fundationem, quaſi patentiores januas aperuiſſe: quod ſanè illæ graves & providæ cautelæ de ſtabilitate firmanda, omníque foris evagandi occaſione præcluſa, aliíſque ad obſervantiam regularem requiſitis, ac optimè conſtitutis decretis abundè arguunt imò conficiunt; quæ fortè cùm legiſſet P. Edmundus Martene, eundem induxêre, ut ſæpeſatas Virgines ſuo potiùs ordini adſcriberet, ſic dicens: in ſuo itinerario litterario f. 246. *Monaſterium Boddëken ---- Initio erat Abbatia Monialium Benedictinarum fundata à S. Meinulpho Diacono.* Movebant ſanè virum clariſſimum ad hoc aſſerendum indicia penè manifeſta vitæ votivæ ab iis primitùs obſervatæ, quam

cùm

cùm juxtà principia ſua regulam Aquisgranenſem obſervantibus tam viris quàm fœminis abnegaret, non poterat aliter niſi eas inter Benedictinæ regulæ profeſſioniſque cultrices numerare. Verùm quia nos argumenta illa jam ſatis diſſolvimus, monſtrantes regulam Aquisgranenſem ſeu viris ſeu fœminis ſcriptam nullatenùs votivam vitam excludere, quin potiùs præſumere, cùm omnia documenta alioquin concordent, à S. *Meinulpho* Canonicas, non Monachas inſtitutas fuiſſe, jus, ratióque eas meritò collocat inter regulares.

Portò ut ad Cœnobii noſtri hiſtoriam revertamur, ſic ſollicitè inſtitutæ à S. *Meinulpho* hæ ſacræ Virgines, à quibus ſuæ converſationis munimen expectare debuerant, obtinuêre ruinam, iidem enim ipſi, quos pius Fundator elegit in cuſtodiam, ac vigilantiam earum, poſtmodum datâ occaſione, bona, dotémque monaſterii invaſêre, tum ſcilicet, cùm ſimul intra ipſas ruere inciperet Diſciplina regularis: ſic enim citatæ litteræ Bodecenſes: *cujus quidem*, inquiunt: *ordinationis, & inſtitutionis diſpoſitio litteris ſigillatis expreſſiùs habetur in prædicto monaſterio, & ſtetit hæc ordinatio per plures annos poſt mortem B. Viri Maynulphi. Sed heu convenerunt inimici omnis Religionis, dignitas generis, ocium, & voluptas, & caſtra Dei, ac patrimonium Chriſti funditùs devaſtantes nihil reliquerunt, proinde dicti officiati, & Vaſalli bona ſibi deputata pro miniſtratione neceſſariorum monaſterii ſibi appropriarunt, vendiderunt, & hæredibus ſuis tanquam propria, nemine contradicente, reliquerunt*, his prævenientibus malis ſemper ſunt deteriora ſubſecuta. Nam ipſius Gobellini tempore hoc ipſum Cœnobium *non hoſtium incurſu forinſeco, ſed tineâ attenuatum intrinſecâ deſolationi proximum erat*. Hócque circà annum 1400. ex quo pariter colligimus infeſtationes illas, injuriáſque externas abundè fuiſſe ſopitas; cùm dicat Gobellinus: *non hoſtium incurſu, ſed tinea attenuatum intrinſeca*. Quod confirmant litteræ nobilium de Fürſtenberg, quibus ſecuritatem ſpondent omnis poſthac intermittendæ jacturæ hactenùs Paderbornenſi Diœceſi à ſe cauſatæ, præcipuè verò huic Bodecenſi monaſterio, quod unà cum Eccleſia incenderunt, ob odia cum Nobilibus de Brenken contracta; quæ compoſitio facta eſt annô 1370. Itáque à ſæculi 15ti initio ſic dilapſa eſt omnis hujus Parthenonis proſperitas, ut demum referentibus Bodecenſibus monumentis, *ex omnibus ipſius ædificiis ſola Eccleſia, plus tamen (fimo & immunditia ejus teſtantibus) pro receptaculo beſtiarum, quàm pro Divini cultûs exhibitione perduraret, & in capellis eidem Eccleſiæ quondam annexis tunc verò dirutis, imò ſuper ipſa Altaria Capellarum ſicut in ſaltu virgulta ſuccreſcerent, & tam Canonicæ, quàm Rector parochialis curæ, ac etiam clerici cæteri, ſolâ Abbatiſſâ ibidem in tugurio ruſticano degente, terram fructiferam tanquam eis verſam in fuliginem abhorrentes, locum ipſum dudum reliquerint*. Demum deſperatâ plagâ cùm fruſtraneum eſſet expectare remedium *Walburgis de Walde*, Abbatiſſa ultima Bodecenſis ipſam Abbatiam cum monaſterio, reſervatô ſibi uſufructu certæ penſionis annuæ, *Willhelmo* de Monte Epiſcopo Paderbornenſi an. 1408. reſignavit. indict. 1. Kal. Septem. tuncque verificari incæpit mirabilis illa viſio, quam hujus Cœnobii ſanctiſſimus Fundator habuiſſe refertur: aliquando enim eidem, ipſo in loco pernoctanti, precéſque fundenti miræ lucis ſplendor ſe aperuit, móxque multæ apparuêre cervæ motibus inſtabiles, hinc inde diſcurrentes: ſed alio rurſum tempore eundem locum adeunti,

 &c

& decreti jam à ſe monaſterii, ſeu Parthenonis ob cervarum potiùs, quàm cervorum habitam viſionem, conſtruendi ſitum, rationémque accuratiùs ponderaturo alia quoque revelatio ſucceſſit; vidit nempè tunc jam non cervas, ſed cervum unum, eúmque non motu inſtabilem, ſed cornibus in ſublime erectis, modeſtè accubantem, propiúsque accedenri velut venerationis causâ ſeſe erigentem, ac demum planè inclinatâ cervice provolutum in terram. Nihil certiùs divinam providentiam hac, duplici viſione intendiſſe credebant primi jam inhabitatores reformati hujus Cœnobii, ac de fæmineo ſexu ad virilem tránslati, niſi, quòd per cervas illas motu inſtabiles Virgines notarentur in Diſciplina ſua clauſtrali titubantes, adeóque mobiles, ut ab illa omninò deciderent; per cervum verò cornibus in ſublime erectis quieſcentem, firmam conſtantémque reformarionem à viris religioſis ejuſdem inſtituti Cannnici ſubſecuturam: nam vixdum ab antetacta Abbatiſſà reſignata eſt Abbatia in manus Epiſcopi *Willelmi*, vir iſte præclariſſimus annô pòſt, 1409. Canonicos Regulares die 17. Julii plenô jure induxit. Verùm temerè ageremus, ſi iſthic reticeremus cauſam genuinam translati hôc modô prædicti Cœnobii, atque reſtaurati: narrat illam Author Chronici Bodecenſis, quam nos breviter ſolùm dabimus, *Clericum*, inquit: *ille, fuiſſe* Bernardum Plus *nuncupatum de familia ipſius Epiſcopi, venerat hic non tam caſu, quàm diſponente Deo, ad monaſterium de Bentheim Canonicorum Regularium, de quo nos ſuperius diſcurrimus. Exceptus eſt ab hujus loci Fratribus incredibili charitate, átque humanitate, extemplo nempè* (uti tunc mos ferebat) *pedes eidem promptiſſima humilitate lavantur, reficiuntur calcei, atq; purgantur, & quod majus eſt, ſocci novi calceis imponuntur, & demum quidquid ad exquiſitam hoſpitalitatem facere poteſt, virtute inſigni completur.* Attendit ipſe inſuper horum fratrum alioquin mores ad omnem modeſtiam compoſitos, pſalmodiam concinnè, decoréque reſonantem, diſciplinam deníque optimè obſervatam, omnibus itáque pietatis officiis ſibi tam affectuosè impenſis, & à ſe viciſſim non obviô animô admiſſis, redux *Bernardus Willhelmo* Epiſcopo accuratè enarrat, ejúsque pectus tanto in hos tam pios, tam regulares, & charitate eximios viros amore ſuccendit, ut hortante inſuper, ſuadentéque *Bernardo* ſtatuerit, tales religioſos ſuæ diœceſi implantare. Dumque de loco conſulitur, Monaſterium Bodecenſe ad ſui deſiderii effectum ſuggeritur. Nec mora; expediuntur mox litteræ ad Priorem Swollenſem (cur ad hunc potiùs, quàm ad Bentheimenſem, non ſatis liquet, niſi id factum fuerit ex ipſorum Bentheimenſium conſilio, utpore ejuſdem congregationis Windeſemenſis, & tunc numero religioſorum non adeò ſuperante, ut alteri monaſterio reformando ſufficere poſſent) *Joannem Waël*, in quibus Epiſcopus ioquit: *Honorabili Viro Joanni Waël Priori monaſterii in Zvvollis Trajectenſis Diæceſis, tradimus, concedimus & aſſignamus per praſentes, ita, quòd ipſe Eccleſia & monaſterio in Budiken, prout facultas ſuppetit, congregationem convenientem virorum Deo devotorum, Canonicorum videlicet regularium, religioni ſui monaſterii in Zvvollis conformium, juxtà ejusdem religionit exigentiam ibi conſtituat, præſertim cùm S. Meynulfus ejusdem monaſterii fundator religionis illius creditur eſſe profeſſor, priorem, ſeu Præpoſitum ipſi congregationi præficiat, prout ei viſum fuerit expedire.* Hæc ad litteram in ſuo *S. Agnetis* Chronico *Thomas Kempens.* in iis, quæ Domum *S. Agnet.* non concernunt, cap. 15. hoc modo autem extra-

dito

dito cœnobio primis reformationis Patribus explicari non poteſt, quæ eis difficultates & gravamina exantlanda fuerant; nimiúque eſſemus, ſi cum illa, tum econtra incomparabilem Zelum, virtutéſque eximias, quibus illi velut novæ illuceſcentes ſtellæ depulſis, hoc cœnobium hactenùs obfuſcantibus, perturbationum nubibus totam Paderbornenſem Diœceſim illuſtrare ſenſim occipiebant: erat in exordio hujus reformationis toleranda paupertas aſperrima, & cùm etiam aliquantùm ſe piorum beneficâ elargitione erigerent, mox malorum quorundam hominum inſecuta perverſitas, quocúnque demum jure acquiſita, nefandâ planè temeritate rurſum auferre conabatur: ita quidem, ut Author ipſe Chronici inter primos hujus loci Canonicos converſans, dicat, ſibi contigiſſe, quòd dum aliquando cum fratribus prædicti monaſterii pro afferendis lignis ſylvam ingreſſus fuerat, ſupervenientes raptores quidam, equos de curru ſolutos abduxerint, aliquibus inſuper ex ſuis ſodalibus captivatis, atque hujusmodi facta complura, imò magis enormia cum admiratione apud eundem legenda occurrunt, quæ nos brevitatis causâ hic omittimus. Acceſſit inde victus vilis omninò, & coarctus: cogor ejusdem ſæpefacti Chroniſtæ hac de re verba ſubnectere: ſic enim ipſe cap. 23. *Jam*, inquit, *quia dictum eſt de ablatione temporalium bonorum per raptores, modò conſequenter de ciborum penuria, quâ regulares Monaſterii Budecenſis temporibus premebantur, reſtat enarrandum. Nam quia prædicti regulares de pauperculis monaſterii ſui redditibus parùm gaudere potuerunt, ut præfertur, ex eò, quòd magna pars bonorum dicti monaſterii per ultimam Abbatiſſam ipſius, extraneis perſonis impignorata fuit, neceſſarium erat, ut pauperum cibis corpora ſuſtentarent. Quapropter potagia talia*, *qualia* (potagium idem ac juſculum. vide Cang. hoc verbo) *ſorbilia, pulmenta, & legumina præmemoratis fratribus refectionum temporibus appoſita, cum gratiarum actione ſunt inſumpta, & utinam in prædictis ad naturæ ſuſtentationem, ſufficientiam habuiſſent, ſæpius etiam, cùm jam pranſuri erant, panes foris à vicinis mutuabant, & quòd prædicti Deo devoti fratres graves moleſtias ex ciborum defectu ſuſtinerent, ex hoc, quod ſequitur, probari poteſt. Nam ex monaſterio B. Laurentii infrà muros oppidi Svvollenſis ſituati, de quo prædicti regulares Reformatores B. Meinulphi per Reverendum Willhelmum Epiſcopum Paderbornenſem vocati fuerunt, quidam regularis, neſcio quo Zelo ductus, Fratres ſuos in eodem monaſterio B. Meinulphi licentiâ acceptâ viſitavit, quò dum pervenerat æſtuali tempore, & quadam vice ad menſam refectoralem cum conventu ſederet, contigit, ut ruſticanus cibus, non qualis Svvollis in proprio ſuo monaſterio occurreret, eidem ad edendum anteponeretur, videlicet Naſturtium crudum ſale conſperſum, quod vulgari lingua dicitur Gartkretse, deinde offa de groſſo Siligineo pane facta, quam prædictus frater intuens, non attigit, ut comederet, niſi valdè parùm, & dum cibos lautiores præſtolaretur apportandos, putabat namq; quòd circa finem refectionis meliora fercula ad inſumendum, quemadmodum ad divitum menſas fieri ſolet, anteferri deberent, & ecce miniſter refectorii pro lautioribus cibis ceraſa cum ſuis frondibus in magna multitudine ſupra menſam poſuit ante fratres. Præfatus regularis itáque, qui à foris venerat, intuebatur hoc, quod forſè ad edendum antepoſitum, mirabatúrque, quòd tales viri, quos antea delicatos noverat, tam vilia, & abjecta nutrimenta locò ciborum, qui hominem reficere minùs poſſent, alacriter inſumere non* *deſi-*

deſiſterent, & prandio facto ſupradictus Frater, qui gaudens, ut ſe reficeret ad refectorium acceſſerat, non ſolùm triſtis ſed & eſuriens à menſa recedebat, & unum de converſis accedens, nomine Gottfridum, ſciſcitatus eſt ab eo me præſente, dicens in hæc verba, mi frater Gottfride, & qualis eſt cibus, quô hic ſuſtentatis corpora veſtra? & converſus reſpondens ajebat, Domine ſatis bonum eſt, quòd in tantum habemus ad edendum, tamen ſciatis, quod proceſſu temporis, videlicèt cùm nuces Avellanæ ſimiliter & accaſia (idem ac pruna ſylveſtria, acacia germanica) *matura ſint, meliorem menſam nos habere contingit. Frater hoc audiens, quod accaſia quæ porcorum cibus ſunt, expectarent pro melioribus cibis ſuis multum abhorrens cibum iſtum - - - - - confratribus ſuis Monaſterii B. Meinulphi in paupertate relictis ad ſupradictum ſuum monaſterium remeavit.* Hæc ex Chroniſta Boddecenſi referre voluimus, partim, ut apertè conſtaret, quàm humillimis imò & abjectiſſimis initiis negotium reformandi hujus monaſterii exordiri oportuerit, partim, ut quibusdam Noſtri inſtituti Canonicis exemplum inſinuemus, quâ viâ, qualive methodo ſanctiſſimi Anteceſſores, Patrésque noſtri Ordinem Canonicum collabentem reſtaurandum ſint aggreſſi. *Omnium rerum principia parva ſunt*, inquit Cicero L. 5. de finibus, *ſed ſuis progreſſionibus augentur.* Deníque habitatio ipſa, totáque Canonicorum ſupellex curta erat omninò atque contempta, labores manuum ingentes & onerosi, refert namque idem Chroniſta, Canonicis ipſis *pro curando pane & domûs neceſſitatibus, ſtrenuè fuiſſe inſudandum. Finitis enim*, inquit ille cap. 18. *horis, & prandiô meridiano jam peractô, chorales omnes ad communes labores foris egreſſi usq; ad veſperas laborabant; Prior verò in propria perſona Fratribus ſe conjungens, ac velut unus ex illis corpori ſuo non parcens fortiter, ac ſtrenuè laboravit:* fuêre autem hi labores non exiles & joculares, ſed graves & operoſi atque ut plurimùm agreſtes, quales ſunt aliàs Paſtorum, Fœniſecarum, occatorum, agricolarum &c. neque tamen his neceſſitatibus gravati, minùs ſe impendebant pietati; quin hæc ſemper dexteram in omnibus manum præripuit: patet id ex deſcriptione ſex Priorum conſequenter ſibi à prima reformatione ſuccedentium; nec ſine admiratione, ac tenerâ planè lætitiâ animi, ſimplici quidem (ùt vidimus in allatis fragmentis) ſed fideli planè ſtylo enarrata à ſæpedicto Chroniſta leguntur præcellentium virtutum, & incomparabilis obſervantiæ exempla atque exercitia tam ipſorum ſuperiorum, quàm ſubditorum. Hinc quoque nullatenùs defuit mox à tergo, ùt dici ſolet, Benedictio Divina. Pauciſſimô enim intervallô temporis dilapsô, quô deſolatum iſtud reparaverunt monaſterium neo-inducti Canonici, affatim *S. Meinulphus* (cujus ſacra lipſana tanquam tutiſſimum munimentum & omnibus ſuis gravaminibus ſecurum ſolamen viri iſti religioſi in ſua Eccleſia cuſtodiebant, atque colebant) operatus eſt prodigia quàm plurima, quibus divina clementia, tanquam ſuaviſſimo aliquo illicio hominum animos invitavit ad benefaciendum pauperculæ indigæque Bodecenſi Congregationi, adeò quidem, ut Buſchius de reformatione monaſteriorum teſtetur, ſcribátque ſequentia poſt annum 1440. quô tempore idem primus Prior in Sulta electus eſt, præfuítque usque ad annum 1446. *Poſtquam*, inquit, *Præpoſitus Nuſſienſis cum omnibus prioribus ſibi capitulariter unitis ad capitulum de Windesheim ſe dedit, & illi capitulariter ſe incorporavit* (quod factum eſt annô

nò 1430.) *Monaſterium in Boddeke, quod erat unum ex illis, etiam ſe capitulo generali de Windesheim colligavit - - - - Prior de Richenberg, & ego Joannes in Sulta Prior ultrà ſex annos viſitatores eorum exiſtentes* (ſcilicèt Boddecenſium) *invenimus ibi præſentes Fratres, Priorem & viginti ſex Conventuales, converſos, & Laicos, ſive familiares præſentes centum ſeptuaginta tres, & habent nunc foras in aliis monaſteriis. Ordinis noſtri fratres quinquaginta ſex, quorum alii ſunt Priores, alii Rectores, alii Con-Reformatores, & ſocii reformationis - - - - & hæc ſubjecta monaſteria per Priores & Fratres de Boddike præfatos novimus reformata, videlicet Molenbecke Mindenſis Diœc. Hirlzenhayen Moguntienſis Diœc. Fürſtengarten Wormatienſis Diœc. Hegenen Wormat. Diœc. in Inſula Trevirens. Diœc. Ebich. Colon. Diœc. Dalem Babenbergen. Diœc. Truttenhuſen Argentin. Diœc. Marbach. Baſilien. Diœc. Artogaſti Argentin. Diœc. Rebtorp. Eyſtetten. Diœc. Birlinghe Herbipolen. Diœc. Frankenthale Wormat. Diœc. Haidenfeld. Herbipol. Diœc. Zvvalenheim Mogunt. Diœc. Revenberch. Mogunt. Diœc. Volckrinckhuſen Paderborn. Diœc. Blonnenberk. Paderborn. Diœc. Mayen. Treviren. Diœc. ſimul computata viginti monaſteria.* Hæc Buſchius ex quibus colligimus, inter pauciſſimos (ſcilicèt ad ſummum triginta ſex) annos quibus cœnobium iſtud ſub nova Canonicorum Regularium reformatione refloruit, ingens, ac propè incredibile accrementum. Nam, ſi viginti duos Canonicos Domeſticos, quinquaginta ſex autem, qui paſſim alibi accommodabantur, ut audivimus, ac denique converſos & Laicos centum ſeptuaginta tres combinemus in unam ſummam, eveniet numerus trecentorum quinquaginta quinque hominum, quorum monaſterium iſtud ſuo in exordio tam vile, miſerum & egenum, Mater dein extitit, altrix & Conſervatrix verè feliciſſima, & à Deo mirè fœcundata. Reſpexit nempè quàm maximè divina bonitas Bodecenſium indefeſſum diſciplinæ regularis fervorem, qui nullis indigentiarum, laborum, aſperrimique victûs obſtaculis præpediri poterat; in ſuperioribus prætereà vitam exemplarem, in ſubditis obedientiam promptam. Dilaudantur verò præcipuè ſeptem illi primi Priores in ſolidanda charitate & pace, quietéque religioſa, quâ etiam in inſtituto Canonico nihil excellentius, nihilque ad id in ſuo robore conſervandum firmius poteſt deſiderari. Hæc certè feraciſſima charitas, quæ juxta *S. Auguſtinum* monaſteria peperit, iſtud quoque non ſolùm genuit primum, ùt audivimus, ſed & uberrimè impoſterum ad omnem abundantiam promovit. Præſtaret quidem hic, ut aliquantum ſingulariùs egregia Boddecenſium Canonicorum facta enumeraremus, monſtrando ſcilicet reipſa, quibus virtutibûs excelluerint, quàm magnis etiam viciſſim Deus illos beneficiis, imò & miraculis non modicis apud omnes vicinos honorare dignatus ſit; ſed nos iſta eò differimus, ubi ſpeciatim Prælatorum vitam, moréſque & virtutes nobiliſſimas explicare conſultò conabimur. Igitur hujus cœnobii eximium initium hoc modo enarrâſſe ſufficiat, nos autem ſperamus plura ad rem noſtram conducentia documenta à moderno Reverendiſſimo, ac Ampliſſimo Domino Præſule Laurentio Lünz eò certiùs aſſequi, quo minùs incompertum habemus, tum hujus præclariſſimi viri inſignem affectum promovendi ordinis noſtri honorem, atque Laudatiſſimam notitiam, tum ejusdem ſui Collegii nobiliſſimam, ac præprimis in antiquitatibus pretioſam Bibliothecam, de qua

vivum teſtem oculíſque propriis expertum novimus R. P. Edmundum Martene virum ſanè inter eruditos ſatìs decantatum : hic ergò de hoc cœnobio inter reliqua ſcribit loco à nobis ſuperiùs citato : *Numerus* , inquit , *Regularium in uno Monaſterio Boddecenſi intra breve temporis ſpatium auctus eſt ad centum quinquaginta: tantáque pietatis Fama dimanavit per inferiorem Germaniam, ut monaſterium præfatum viginti ſeptem aliorum monaſteriorum communem diſciplinam recipientium caput evaſerit. Etiamnum ibidem aſſervantur vitæ ſeptem Priorum ſeu Præpoſitorum, qui primi præfuerant, tantam ſpirantes ſanctitatem morum, ut vehementer admirer , tamdiu ſub modio relicta eſſe tam præclara lumina, quæ haud dubiè copioſas ederent fructus , ſi proferrentur in publicum. Prior, qui hodiedum præeſt* (ſcripſit Materne ſuum Itinerarium an. 1724. & Gallicè edidit) *jure meritò accenſeretur candelabrorum illorum, aureorum ſeptennario , habetur communiter pro ſancto , ac plerúmque totum antemeridianum tempus precationibus in Eccleſia conſumit , ac certè videbatur nobis vir ingentis meriti, nec ſine magna ædificatione exinde receſſimus. Retinuit nos per biduum, ac monſtravit nobis ſingulari humanitate ſuam Bibliothecam, quæ in illa provincia habetur pro ditiſſima in manuſcriptis codicibus, inter iſta manuſcripta eminent duodecim tomi in folio majoris formæ, quorum quilibet continet vitas ſanctorum pro uno menſe, hæc collectio eſt omnium ampliſſima, & completiſſima , quas unquam vidi.* Hueusque Martene. Ex cujus aſſertis diſcimus, prædictæ à nobis Boddecenſis Bibliothecæ prærogativam, ſed inſuper florentiſſimum adhuc ſtatum regularis diſciplinæ in hoc monaſterio ; ſufficit enim ex radice nôſſe totius arboris qualitatem , & ex capitis integritate totius corporis ſanitatem , quia non poſſunt eſſe membra in virtute lanquentia, ubi caput Sanctitate coronatur. Deus ter optimus hoc nobile collegium diù in ſuo virore conſervet , ad totius Ordinis Canonici honorem & accrementum.

Situs eſt hic Prioratus tribus milliaribus infra Badehrunam. Chron. Boddec. Chron. S. Agn. monum. Baderbornenſia. f. 204. Buſch. L. 1. de refor. monaſt. c. 6. Docum. communic.

Monaſterienſis S. Mariæ Cathed. [Fund. circa ſæc. 8. finem ſecular.] Hæc ab Altfrido totius Weſtphaliæ princeps Eccleſia dicitur , ex qua Saxonibus occidentalibus fidei lumen primum * [* vide, quæ in Eccleſia Oſnabrugenſi notavimus.] creditur affulſiſſe per præclariſſimum Evangelii præconem Ducem & Caput *S. Ludegerum* , qui Eccleſiæ hujus Fundator extitit , illámque decentiſſima Clericorum votivè viventium congregatione ornavit, quam uſque ad *Dodonis* decimi hujus loci Epiſcopi, hoc eſt, ad medium penè ſæculum decimum in ſancta converſatione perduráſſe Kranzius aſſerit , ſic loquens : [Krans L. 3. hiſt. Brem. c. 15.] *Williboldus nonus Epiſcopus primitùs fratribus fructum in temporalibus fecit , poſt quem Rodo* (Bucelinus eum Dodonem nuncupat) *decimus ſucceſſit, qui Canonicos Regulares ex veteri cathedrali Eccleſia cum libris & clenodiis tranſtulit, unde & tunc terræmotus factus fuit.* Hunc quidem textum ad verbum ex Pennoto retulimus. At paulò aliter eundem ipſo in fonte, locô citatô, reperimus , quem pariter juvabit referre : *Excepit illum* (nimirum *Rumoldum*) *Ordine IX. in Eccleſia Hildesboldus , cujus memorabile nomen inde eſt, quòd fratribus ſuis multa providens benefecerit. Admoneor hoc nomine, quod in annalibus ubique lego per Eccleſias vixiſſe fratres, ordine utique Canonico ſub regula Divi Auguſtini. Sed ubi abjectum eſt hoc nomen, ut erubeſcant deinde dici fratres, hoc retinentes, ut Canonici ſi-*

ne

ne regula (cùm Canon ſonet regulam) & Domini dici ament, fugit cum nomine fratris Charitas, illi nomini cognata, & ſuccedit amor excellentiæ propriæ, & contentio ſine fine. Hæc ad verbum Kranzius, cujus editionem poſteriorem cùm nos uſurpemus, accuratiorem eam quidem, fieri potuit, ut Pennotus in minùs emendatam incideret. Cæterùm *Auguſtini* regulam priſtinis Canonicis Kranzius adjudicat, cùm fratres dicebantur, quod neoterici critici in viro iſto cenſurâ notant, fortâſſe, ſi Kranzius viveret, id & jure & teſtimonio potiore contra omnes ſuos cenſores, utpote documentis ſufficientibus, in hac quæſtione inſtructus ammodo confirmaret. Sed nos fieri poteſt brevitate paulò ampliùs dilucidemus hanc Monaſtierenſium Canonicorum regularitatem.

Vixit S. Ludgerus vir omni virtute & ſanctitate ornatiſſimus tunc, dum regiam non minùs in pietate ſemitam progredi conabatur totius Germaniæ noſtræ excellentiſſimus Princeps Carolus Magnus, ſub iſto ergo Ludgerus ſuæ probitatis ſimúlque Apoſtolici fervoris ea ſpecimina edidit, ut ipſum præ reliquis idoneum haberet, quem noviter converſis erudiendíſque Saxonibus Occidentalibus præficeret. In pago igitur Sudergöe conſtituta Epiſcopali ſede, fortè circà annum 784. aut ſi certioribus conjecturis utamur, tardiùs; certè ad an. 795. videtur hujus originem ex *Alfrico* Chronici Belgici Auctor referre: cui ſuffragatur, Zeloſum hunc Principem haud equidem tanto tempore ſedem Mimigerfordienſem à ſe jam Epiſcopali honore ornatam vacuam reliquiſſe, cùm ante annum 802. *Ludgerus* non facilè monſtrari poſſit eandem ipſam in poſſeſſionem à ſæpedicto Principe accepiſſe. Addamus, nec ſatis conſultum fuiſſe, antequam plena pax in has occidentalis Saxoniæ partes devictis toties rebellibus induceretur, Epiſcopatum erigere, quod ante annum prædictum minimè factum, vel ipſi adhuc identidem emoti turbines remonſtrant, quos anni ſubſequi aliquatenùs, quamvis longè ſegniores minorúmque virium, ſuſtinere cogebantur, ut nos Annaliſta Lambecianus docet apud Pagium.

Conſtituta, inquam, ſede Epiſcopali in dicto pago Sudergoë in dicto loco Mimigerneford *Ludgerus* eidem monaſterium adjunxit; narrat id Altfridus vitæ *Ludgeri* Scriptor, ejúſque tertius in Epiſcopatu ſucceſſor. *Intereà*, inquiens, *per diſpoſitionem miſericordis Dei Saxones converſi ſunt ad Dominum, & Rex Carolus eundem virum Luidgerum Paſtorem in parte Occidentali Saxonum conſtituit, cujus parochiæ ſedes eſt principalis in pago ſudergoë, in loco cujus vocabulum eſt Mimigerneford. Ubi Domino ipſe honeſtum conſtruxit monaſterium, ſub regula Canonica Chriſto famulantium.* Habemus equidem ex his verbis, jam *Ludgeri* tempore, imò cum ſui Epiſcopatûs exordio (non enim diù Deus illum in hac ſede reliquit, cùm an. 809. aut, ùt Mabillio, annò 805. fatis ceſſerit) monaſterium Cathedrali Eccleſiæ fuiſſe adjunctum, & facili paſſu aſſequeremur finem enarrationis noſtræ, niſi conſueta & penè dixerim, nimis ſevera criſis, hæc ipſa Altfridi verba in diverſum traduceret. Quidam enim (dum Epiſcopatus Mimigardefordenſis ſucceſſu temporis nomen *Monaſterienſis* induit) tali fato hoc ipſi obtigiſſe putant, ut illius monaſterii à *S. Ludgero* conditi, quaſi penitùs obliti dicant nuncupatum fuiſſe ab illo, quod *Hermannus* decimus quartus ſub annum 1050. Epiſcopus monialibus exſtruxit: ſed hæc jam dudum ab eruditis explo-

explosa est opinio. Alii verò monaſterium illud *Ludgeri* Monachis traditum volunt, quòd crederent, *Ludgerum* monachum non alios in ſuo illo Mimigerfordenſi monaſterio niſi monachos inſtituere voluiſſe. Certè in hanc ſententiam Browerus videtur propendere, ideò fortaſſe Adami Bremenſis de Angsario Bremenſi Epiſcopo effatum, *quod congregationem ſanctorum virorum inſtituerit, qui habitu uſi Canonico, regula vivebant monaſtica*: ad monachilem inſtitutionem quandam retorquens, ut & Altfridum monachos intellexiſſe ſuaderet, de quibus dixit, quòd *ſub regula Canonica Chriſto fuerint* famulati. Verùm nos hac in re principiis noſtris inſiſtentes cenſemus in re clara magnâ pugnâ opus non eſſe. Quid namque apertius Altfridus dicere pro clericis voluiſſet, quàm dum eos ſub *regula Canonica* famulantes aſſeruit. Quamvis nec obeſſet, ſi idipſum iſte de ſuis Mimigerfordenſibus Clericis, quod Adamus de Brenenſibus, enunciaſſet: neque enim aliud eſt clerum ſub *regula Canonica*, aut *regula monaſtica* vivere, quàm votivæ vitæ eſſe adſtrictum, quod jam alibi ſatis probavimus. Porrò nobis ſufficit id apertiſſimè Werthinenſem monachum affirmare in vita *Ludgeri*: dum canit. *Et Epiſcopum, dictum monaſterium, clericis fundavit Vada Mimigardis.* Nullum ergò dubium, quin à *Ludgero* Canonici in Epiſcopali à ſe exſtructo monaſterio inſtituti ſint, & quidem probabilius, cùm necdum Epiſcopali tiara eſſet inſignitus, quamvis Abbas exiſteret; neque iſthìc decidam, cujus monaſterii? an Werthinenſis à ſe fundati, an alterius, non enim hujus compendii eſt, probare *Ludgerum* nunquam monachum fuiſſe, quod quidem extra aleam eſt illi, qui citatum Berthinenſem Scriptorem legit de *Ludgero* Caſſini apud Benedictinos commorante his verbis perorantem:

Sancto conſilio cum filiis habito
Permiſerunt eum conſervari ſecum,
Cucullam ſumere, non tamen promittere
Obſervationem ejus regularem.

Et de eadem cuculla paulò infra:

Quamvis ceſſaverit indui (quem induit)
Cucullæ veſtitu monachorum ritu.
Nam hoc indutus eſt, ſicut ante dictum eſt,
Pro experimento, tantùm veſtimento,
Nec hujus regulæ ullum obſervantiæ
Fecerat promiſſum, ut in hac eſt ſcriptum.

Nobis itàque ſtatutum, Ludgerum inter noſtros numerare, qualis ſuis Canonicis à ſe inſtitutis ipſe primùm Abbas, dein Epiſcopus præfuit, ſanctiſſimâ vitâ prælucens, & tales informans, ut ſibi æquales aut reperiret, aut faceret. Nam in his ſuis filiis tanta virtus emicuit, & perfectiſſima vitæ Apoſtolicæ æmulatio, ut quos ipſe primus in fide Chriſti novos Surculos plantaverat, in tota Diœceſi ſua diſcipuli ſolerte vigilantiâ rigaverint, usque hodie (ſi ſolùm aliqua hæreticorum inſperſa Zizania excipias) Catholicâ primi-

primigeniâ illa inſtitutione præclarè virentes.

Altfridus in vita Ludgeri apud Bol. die 26. Martii. Kranz. Metrop. Brem. L. 4. c. 14. Anon. Werth. in vita S. Ludg. Mir. L. de Can. Coll. c. 31. Pag. crit. Bar. ad an. 802. Belg. Mag. ad an. 795. Bucel. Germ. Sac. in Epiſcopis Monaſter. Schatten. hiſt. Weſtph. &c. Mab. Ann. Ben. L. 26. ad an. 796. & L. 27. an. 805.

Fund. ſæc. 7. jaciniar. Münſterbilſienſe S. Landradæ olim S. Mariæ Sacrarum Virginum Cœnobium. Vixerat ſæculò ſeptimò egregiæ virtutis Virgo (ùt inquit Theodoricus Abbas in vita) Francorum ſoboles, & eorum, quos majores domûs appellant, inclyta proles *beata Landrada*, hæc relictis mundi illecebris, & ſpe ampliſſimæ dotis deſpectâ, difficulter tamen obtento Parentum aſſenſu, in ſolitudinem pergit, tugurium modicum ſuis tenellis manibus erigit, ibíque Deo ſoli nota certâ ſanctitatis continuandæ ſecuritate perdurat, & ſæpiùs in oratione defixa animum lautiori voluptate demulcet, quàm corrivales illius corpora ſua inter regias lætitias. Erat tum puer quidam officialis ibidem, pecorum paſtor; nocte irruente dum medias excubias tenet, lumen ſuper *Landrada* locum videt cœleſte, cantúmque audit Angelicum; die redeunte viſionem Paſtor Virgini narrat, quâ ipſa quoque alterâ nocte (accerſito ad hoc quodam fideli ſibi Presbytero *Sigemaro* nomine) dignata eſt: quin & alia vice rursùm in eodem loco intentæ precibus, patentibûs cœlis inter fulgidiſſimos lucis angelicæ radios mirifici operis Crux delabitur ſuper contiguum lapidem, eidémque tanquam ceræ molli effigiem ſuam imprimit; vidit hanc in lapide figuram adhuc, qui *Landradæ* vitam ſcripſit, præfatus Theodoricus: Vox etiam fertur ad eam tunc facta cœlitùs: *accipe Landrada hoc ob immortali ſponſo charitatis pignus - - - - tali munimine hoc in loco deinceps non nocebunt ſpiritus immundi, fames, mortalitas &c.*

Mox ipſa hâc ſponſione animata tuguriolo ſuo Eccleſiam annectit, altare in H. B. Virginis propriis iterùm manibus conficit, accerſitque *S. Lambertum* tunc trajectenſem Epiſcopum ad hanc novam ſuam Eccleſiam conſecrandam; nec jam ſola Deo ſervitura in loco (quem tantis beneficiis affecturum ſe Deus promiſit) congregationem ſelectiſſimarum Virginum ſibi copulat dudum Divinis laudibus famulaturam. Locus autem ille cùm anteà à contubernio Belluarum *Bellua* diceretur, deinceps *Beliſia* eſt nuncupatus, quem ſcilicèt ferarum locò, jam Angelicæ mentes inhabitarent. Expletò ſuorum meritorum curriculò animam Landrada reddens Creatori, præcepit corpus ſuum non Beliſiæ, ſed Wintershovy (locus eſt Gandavi *S. Bavoni* tunc temporis mancipatus) tumulandum; at poſt obitum ejus, cùm *S. Lambertus* Plebis, ipſarúmque ſacrarum Virginum nimis perorantium votis cedendum crederet, *Landradæ* corpus Beliſiæ ſepelit; indictò autem triduanô jejuniô, finitóque rurſum tumbam Virginis aperiri jubet, at vacuam reperiunt, deprehendúntque (accelerato in Wintershovium itinere) Angelicis manibus illuc, quo ipſa petiêrat, corpus fuiſſe tranſlatum. Hæc conſtrictim ex citato Theodorico accepimus, ut faciliùs originem Beliſienſis Parthenonis proponeremus. Intereà tamen ex antiquis monumentis nihil elucet, quo edoceamur, cujus inſtituti fuerint Virgines ſub *B. Landrada* inſtitutæ. Sed quod eundem hunc Parthenonem inter noſtra cœnobia

 refe-

referamus, id ex ſæculo nono deducimus, quo tempore has Virgines juxtà regulam Aquisgranenſem vixiſſe obſervat Miræus: & nos pluribus docturi ſumus, *Imainam de Loz* Filiam Ludovici Comitis de Loz, uxorémque ſecundam Godefridi tertii Lotharingiæ, ac Brabantiæ Ducis, poſtquam hic è vivis abiit, ſæculô relictô in Beliſienſi monaſterio regularem vitam fuiſſe ſub Canonico inſtituto amplexam, atque ſub ſuo regimine utpote Abbatiſſam, Virgines quoque Canonicas, regularésque gubernâſſe. Nunc illud ſæculares poſſident.

Exiſtit in oppido hujus nominis ad fluv. Demeram in Hasbania inter urbes Tungrim & Maſtrichtum. Mir. L. de Can. Colleg. c. 34. & Cod. Dipl. c. 16. in annot. & notit. Eccl. Belg. c. 136. in notis. acta SS. ad diem 8. Julii vita S. Landradæ.

Fund. - 2. ſæcular. **Münſter-Eiffalienſe. SS. Chryſanthi, & Dariæ Præpoſitura.** Hanc in Juliacenſi Comitatu priſtinis temporibus exſtructam fuiſſe ex Wernhero Teſchenmachero colligimus, ſed eam primitùs Canonicos regulares incoluiſſe, qui temporis lapſu ad libertatem diſciplinæ tranſeuntes ſæculares effecti ſunt, idem his diſertis verbis enuntiat, dum ſcribit: *Hoc in collegio olim canonici ſub regula communiter vixerunt, qui hodierno tempore cum aliis ad libertatem irregularem & ſæcularem tranſierunt.*

Exiſtit in urbe dicta Monaſterium in Eiffalia. Annales Cliviæ &c. Auth. Wernhero Teſchenmacher. p. 371.

Oſnaburgenſis SS. Criſpini & Criſpinani Cathedralis Eccleſia. Primam Origine, forſan & dignitate in tota Saxonia enarrare aggredimur; ſi vera ſunt, quæ Carolum Magnum in quodam diplomate Cranzius teſtatum fuiſſe ſcribit ſequentis tenoris: *Notum ſit omnibus ſanctæ Eccleſiæ Fidelibus &c. quòd nos ob noſtræ mercedis augmentum, Wihoni Epiſcopo Oſnaburgenſi ſuæ Eccleſiæ (quam nos primam in omni ſaxonia, in honorem S. Petri Principis Apoſtolorum & Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani conſtruximus) quoddam nemus &c.* Erdwinus quoque Erdmanus in ſuo Chronico diſertè ait: *Quòd Sancta Eccleſia Oſnaburgenſis, quæ multis corporibus & reliquiis Sanctorum eſt ditata, atq; decorata, primatum habet in Saxonia ex ejus primæva fundatione & inſtitutione.*

Quæri jam meritò poſſet, cui primas dare cogamur, Oſnaburgenſi, an Monaſterienſi? primatum enim à Carolo illi non iſti aſſertum audivimus, at Aldfridus hæc de Monaſterienſi in vita S. Ludgeri, *intereà*, inquit, *per Diſpoſitionem Miſericordis Dei Saxones converſi ſunt ad Dominum, & Rex Carolus eundem virum Ludgerum Paſtorem in parte occidentali Saxonum conſtituit, cujus Parochia ſedes eſt principalis in pago Sudergoë in loco, cujus vocabulum eſt Mimigerneford.* Quod ſi iſtud? ergò cedat in principatu Eccleſiarum Saxoniæ ſaltem Occidentalis, Oſnaburgenſis cum aliis, neceſſe eſt: quod tamen apertè refragatur hactenús de Oſnaburgenſi allegatis teſtimoniis. Adde certiſſimum haberi Oſnaburgenſem fundationem eſſe Monaſterienſi antiquiorem, ſic Chronicon Mindenſe: *Prima*, inquit, *Eccleſia Saxoniæ & Weſtphaliæ Oſenbrugge anno Domino 776. fundatur.* Et iterum: *Carolus autem non ſolùm Saxoniam antiquam, ſed & novam ſive Orientalem, Chriſto Domino ſubdidit, & Epiſcopatus decem in ea fundavit, quarum prima Eccleſia eſt Oſnaburgenſis, quæ eſt primitiva Saxoniæ Eccleſia: quæ anno Chriſti 772.*

in

in honorem B. Petri Apoſtoli, & ſanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, quorum corpora ibidem venerabiliter unà cum corpore S. Reginæ ſunt locata, annô regni ſui ſexto fundavit. Regni Franciæ *Caroli* Epocha anno 768. affigenda eſt; nam ex præcepto pro Adalrico Saxone, cujus notas Chronologicas adfert Pagius ad an. Chr. 774. liquet, annô 813. *Carolum* Regni Franciæ annos numeràſſe 45. quô anno nempè *Carolus* cum Carolomanno fratre, ille in Noviomo, hic in Sueſſionis civitate elevati ſunt in regnum, ut inquit Annaliſta Bertinianus apud Pagium ad hunc annum n. 6. ſi ergò ſex annos addas, quo Chroniſta Mindenſis aſſerit Oſnaburgenſem Eccleſiam fundatam, apparebit annus non 776. nec 772. ſed 774. inde in utroque loco videmus Chroniſtam hunc oſcitâſſe, niſi error intervenerit in editione. Verùm his aliò miſſis patet Oſnaburgenſem Epiſcopatum jure antiquitatis totius Saxoniæ primitivam Eccleſiam dicendam, monaſterienſem verò, quòd Altfridus dicat occidentalium Saxonum principalem eſſe, id non ab Epiſcopatu ſed ab erectione Oratorii videtur aſſumpſiſſe, ùt patebit veterum hac de re narrationes conferenti.

Hanc igitur Eccleſiam, cùm primùm *Carolus* fundaſſet, Epiſcopum deſignavit *Guichonem* virum eximia ſanctitate, & dotibus Epiſcopale munus, omnimodè exornantibus, præditum (*Wichonem* alii, aut *Wiethonem* nuncupant) qui primas in fide Chriſtiana plantulas, doctrinâ ſuâ confortaret, atque promoveret. Hinc Chronici Oſnaburgenſis Author: *Summè*, inquit, *eſt attendum, quòd indubiè iſte Pater ſuis Neophytis dignè præfuit. Cùm enim ex tunc ipſa Saxonia noviter ad fidem Chriſtianam converſa, & ſæpè iteratò perverſa à fide Chriſtiana aſcripta nitebatur recedere, ſummè opus fuerit prædicationibus & doctrinis &c.* & paulò infra: *Hic*, ait, *Reverendus Guicho Epiſcopus ſuos ſubditos novellos in fide inſtruxit verbô prædicationis ac vitâ exemplari, hunc boni mores & virtutes ornaverunt &c.*

At hæc omnia quantò minùs ſcopum noſtri propoſiti elucidare videntur, tantò fortaſsè incautiùs nos egiſſe, quis arguet, dum Oſnaburgenſem Eccleſiam, ex origine, noſtri inſtituti fuiſſe propugnamus, ubi tamen nulla ſuperant documenta, ex quibus aut vitam votivam, aut Canonicam, aut qualemcúnque demum regularem ibi viguiſſe deduci poſſit. Reſpondeo me certè religioni habere, Oſnaburgenſem noſtri inſtituti Eccleſiis non annumerare, dum alias inter majores per Saxoniam à *Carolo* Magno fundatas juxta Canonicam votivam ſeu regularem normam fuiſſe, aperta monumenta conclamant, prout paſſim ex adductis, & adhuc adducendis liquet. De Paderbornenſi hæc in translatione *S. Liborii* ex Idone Presbytero ſæculi noni ſcriptore diſcimus: dum de *Badurado* ſecundo ejus loci Epiſcopo ait, *quòd illi cura prima imminebat, Eccleſias per omnem parochiam ſuam ſub celeritate conſtruere: principalem verò Baſilicam ingenti decore & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare clerum, diſciplinam monaſterialem inſtituere; pueros tam nobiles quàm inferioris conditionis, in ſcholam congregatos, in divinæ legis eruditione nutrire:* quibus ſi conferas ea, quæ mox inferiùs de hac Eccleſia conſultò ad firmandam in ea regularem vitam adferemus, certiſſimum occurret, Canonicos à fundationis exordio ibi votivè vixiſſe. Ut adeò de nullis Canonicorum Congregationibus evidentiùs, quàm in Saxonia tunc morantibus illud verificari potuerit,

rit, quod Aquisgranenſe Concilium affirmavit: *Canonicum ordinem pleniſſimè fuiſſe ſervatum*, ſub ipſo *Carolo* Magno; cujus incomparabilis Zelus reformandæ tum diſciplinæ Canonicæ, tum monaſticæ ex innumeris propemodùm præceptis, & ex conciliis, placitiſque ab ipſo demandatis, ut hunc in finem convocarentur, luculentiſſimè comprobari poſſet, luci lucem adferre neceſſe eſſet. Quodſi ergò tantus Canonicæ vitæ rigor viguit Padebruni, an dicemus defuiſſe Osnaburgi? dum pia & laudabili æmulatione decertabant maximè contermini Epiſcopi, nè quid in alterutro deſideraretur, quod ad ſpiritualem ædificationem, & ad augendum ſtimulum pietatis, Chriſtianique fervoris, ſeu in bono exemplo, ſeu in propriæ converſationis inculpatiſſima vita conferre poſſet. Habebant ſanè viri hi prudentiſſimi præfixum ſibi, ac omnimodis commendatum illud Iſidori veriſſimum oraculum, à nobis in Exegeſi noſtra adductum, nimirum, temerè ſe fructum in convertendis paganis per ſuas prædicationes præſtolaturum, ſi, dum iis ex doctrina Chriſti ſuaderent, imò inculcarent contemptum terrenorum, carnis abnegationem, mundi hujus qualitercúnque ad ſuas ineptias allicientis fugam, ipſi tamen divitias appeterent, & temporalibus inhiarent. His ergò in unum conglobatis rationibus, neſcio, an aliquis eruditus, ſolùm ideò, quòd de Osnaburgenſi Baſilica, Clericiſque in ea commorantibus diſerta verba (quemadmodùm de aliis) non proſtent, vitam illis regularem Canonicam ſeu monaſterialem abneget, dum interim certiſſima indicia adſunt, eandem ob æqualitatem rationis, ſicut in aliis omnibus, iiſque maximè conterminis Cathedralibus Eccleſiis, ita & in hac floruiſſe. Nos interim prudentiorum utentes conſiliô ſecurî hanc cathedralem dicemus cum reliquia ætate illa (quâ vita Canonica nobiliorem adhuc ſpartam poſſidere ſe credidit, dum Deo votivè ſerviérat in bonorum expropriatione) hac vivendi formâ fuiſſe veſtitam, & non minùs quàm alias excellentia Apoſtolicarum virtutum exempla æmulatam, quippe, quæ tam eximiæ ſanctitatis viros, ac Evangelii præcones, quàm quæcúnque altera Epiſcopalis Saxoniæ Eccleſia intra gremium ſuum conſervare promeruit.

Nunc (& quidem diù omninò à regularitate abſoluta) hæret hæc Eccleſia inter Catholicos, atque ſectarios, ut decedente legitimo Romanæ ſedi addictô Paſtore, mox ſub alio gemere cogatur, quem eò potiùs Mercenarium quàm paſtorem dixeris, quòd illam, non exemplô & verbô oves paſturus, ſed ad proprium quæſtum depaſturus, poſſideat.

Exiſtit inter Epiſcopatus Monaſterienſem & Mindenſem in Weſtphalia. Acta SS. Bol. die 30. Apr. in vita S. Suiberti & die 26. Martii in Comment. §. 1. n. 5. & die 23. Julii in tranſlat. actis de S. Liborio Aquisgr. Concil. in prof. Chronic. Osnabur. Erdmanni Edit. Meibon. c. 2. pag. 198. & Chron. Min. Tom. 1. p. 555. Kranziua Metrop. L. 1. cap. 2. & paſſim.

Paderbornenſis S. Salvatoris Eccleſia Cathedralis. *Fundatur an. 777. ſecular.*
Refertur hujus nobiliſſimæ Eccleſiæ exordium ad an. 777. de quo Author Chronici Divionenſis ſequentia ſcribit: *Annô 777. glorioſus Rex Carolus venit Saxoniam, loco, qui vocatur Patris Brunna; & ibi habuit placitum magnum, & ibi convenerunt Saxones ad Baptiſmum Catholicum, ædificaverúntque ibi Eccleſiam Franci, multáque millia populorum ibi Baptizata ſunt.* Confirmat

mat id ad eundem annum Chronicon S. Gallenſe: *annô* inquit, 777. *fuit Domnus Rex Carolus in Saxonia, & ibi ædificavit Eccleſiam in honorem S. Salvatoris.* Quamvis autem, ùt idem Chroniſta Divionenſis obſervat, *Carolus* in gratiam receperit præfatos debellatos Saxones, Eccleſiámque illam noviter converſis tradiderit *eâ conditione à ſe propoſitâ, & ab illis ſuſceptâ, ut abjecto Dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent.* Perfidorum hominum tamen fides non diù ſubſtitit, odiô enim in religionem Chriſtianam incitati rebelles Eccleſiam paulò poſt ſui erectionem igni tradunt, & quod amplius, iteratò reſtructam rurſum incendunt; ut adeò impietati tam effræni cedere piiſſimus Imperator ad tempus, transferréque ſacrum ædificium in alium locum *Heriſtallum* dictum, cogeretur. Cùm demum quatuor plus minùs peractis luſtris compreſſa pervicacium tyrannide Carolus in præfato Paderbornenſi ſolo reſtaurat ſtructuram Eccleſiæ magnificam planè, ſuóque nomine dignam: &, ùt ſcribit Gobellinus Perſona, primum ibi Epiſcopum conſtituit annô 795. *Hatemarum* nomine, virum per omnia probatum, & huic officio idoneum, de quo mox plura.

Refert verò Chronicon Moiſiacenſe ad annum 799. *Leo Papa III. quoddam altare conſecravit in Eccleſia tunc ibidem noviter conſtructa, tunc Rex Carolus ad Patrisbrunnam ædificavit Eccleſiam miræ magnitudinis, & fecit eam dedicari.* Hæc Eccleſia eadem ipſa eſt, de quâ agimus, paulò poſt cathedrâ Epiſcopali decorata. *Leo* verò Papa annô 799. Paderbornam ad Carolum Româ digreſſus eſt, cùm ſcilicet: ùt Analiſta Lambecianus narrat: *Romani, inſtigante Diabolico, comprehenderunt Domnum Apoſtolicum Leonem in ipſis Letaniis, quod eſt 7. Kal. Maji, & abſciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere &c. & Dominus Rex eodem annô introivit in Saxoniam, & reſedit ad Padresbrunna, & ibi venit ad eum Dominus Leo Apoſtolicus &c.* Tunc autem eandem Eccleſiam *Leo* conſecravit. Idem propè enunciat author vitæ *S. Liborii* dicens: *Quòd Leo in Eccleſia tunc ibidem noviter conſtructa quoddam altare conſecrans, adorandas in eo reliquias Protomartyris Stephani, quas ſecum Româ detulerat, collocavit, fiducialiter id Principi promittens, quòd Oratorium illud, tanti Martyris patrociniô munitum, non ulterius paſſurum foret injuriam, quam, ipſo referente, priùs ei contigiſſe cognovit, ut videlicet ob incolarum loci perfidiam, & odium in religionem Chriſtianam aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè cauſam eaſdem reliquias ibi, rogatu Imperatoris, recondidit, non ſine effectu congruo fiduciæ, ſponſioniſque ſuæ, cùm nihil tale poſtmodum illic perpetratum eſſe, certiſſimum ſit.* Videtur autem, ut reconciliemus dicta Moſiacenſis Chroniſtæ, Eccleſiam illam, in qua *Leo* altare *S. Stephani* conſecraverat, cum iſta, quam *Carolus* dedicari ab eodem *Leone* fecerat, unam eandémque fuiſſe: utpote, quòd per anticipationem loquendo, eam Eccleſiam, quam *Carolus miræ magnitudinis* exſtruxit, *Leo* dedicâſſe, & altare in ea *S. Stephani* conſecrâſſe intelligat, quod altare Anonymus Abdinghoffienſis dicit in Crypta ejuſdem Eccleſiæ fuiſſe conſtitutum. Itáque *Hathumerus* antea Canonicus Wirzburgenſis Eccleſiæ (cui Paderbrunnum hactenùs ex cauſa rebellantium, ùt ſupra diximus, Saxonum, ſecuritatis ergò in ſpiritualibus commiſſa erat) à *Carolo* an. 795. Paſtor Paderburnenſis conſtituitur, ut Epiſcopali dignitate inſignis noviter converſæ gentis curam

curam ſedulo, & vigilantiori ſtudio, quam hactenùs à Wirzburgenſibus actum fuerat, amplecteretur. Fecit id quoque ſine omni querela vir piiſſimus, usque ad nonum annum ſarcinam Epiſcopalem propè ſine honore geſtans, non quærens ſcilicèt, quæ ſua ſunt, ſed (quod unicè boni Paſtoris eſt) quæ Jeſu Chriſti. An verò inter hoc tempus Eccleſiæ Cathedrali monaſterium, & Congregatio Clericorum mox adjectum ſit, ſcriptores non ſatis declarant; quod tamen dilucidè de ejusdem Sancto ſucceſſore perhibetur, nam idem Anonymus Abdinghoffenſis ſic ſcribit: *Beato*, inquit, *Hathumaro nono Epiſcopatûs ſui anno, Domini* 804. *ex hac luce ſubtracto, ſucceſſit ei vir egregius nomine Baduardus: qui ex nobili Saxonum proſapia ortus, ex prædictæ Wirceburgenſis Eccleſiæ Clero fuerat electus, qui præclara morum nobilitatis, magnanimitatis &c. familiaritatem Karoli Regis intimè fuerat conſecutus, ut ei non minor facultas, quàm voluntas amplificandæ, provehendæ, atq; adordinandæ Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſuppeteret; unde nihil laboris ſubtraxit, ab aquirendis, ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad laudem divinam & utilitatem Chriſtiani populi pertinere agnovit, Eccleſias videlicet per omnem parochiam ſuam ſub celeritate conſtruere, principalem Baſilicam ingenti decore, & grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare Clerum, diſciplinam monaſterialem inſtituere, pueros tam nobiles, quàm inferioris conditionis, in ſcholam congregatos in divina legis eruditione nutrire &c.* Igitur *Baduradus* is certò fuit, ſi eum *Hathumarus*, in ſancta hac inſtitutione non præceſſit, qui in clerum ſuum *monaſterialem* invexit diſciplinam, *monaſterialem*, inquam, unde Gobellinus in vita *S. Meinulphi* apud Sur. 5. Oct. ſic de eodem hoc *S. Meinulpho* ſcribit, *cùmque & ætate & ſcientia proficeret, Baduradus Epiſcopus eum monaſterii Eccleſiæ Paderbornenſis Canonicis accuratè commendavit, ut ſub inſtituto regulari pietatis & bonorum morum acciperet incrementa.* Hæc ille. *Canonicis* autem commendavit *Baduradus Meinulphum*, non *monachis*; nam, quod hic notatum præcipuè cupimus, talis iſta fuit *monaſterialis diſciplina*, quæ pro certo (quod hactenus nondum in deſcriptis à nobis, quamvis multifariis Eccleſiis, ac monaſteriis audivimus) Canonicos commixtos monachis habuit; ſic *B. Meinvverci* vita teſtatur, dum legitur: *hic Meinvvercus primus omnium Congregationes, quæ antea quidem mixta ex monachis & Canonicis converſatione degebant, ad Canonicum regulam traxit.* Fateor me aliquamdiu, dum hæc legerem ſuſpendiſſe judicium, & quid hac in re genuina explicatione dicendum? fluctuaſſe. Etenim duo erant, quæ retrahebant, ut crederem, monachos verè convixiſſe in eodem clauſtro Canonicis: primum, quòd verba ſcriptoris vitæ *S. Meinvverci*, non ſe ita colligent, atque ſenſum coarctent, quin mixturam illam interpretari liceret pro vita mixta ex monachili & clericali. Secundum, idque maximum, quòd vitæ ſcriptor ſæculo 14. non ſit antiquior, quo tempore plurimùm laborabant Monachi pro ſuo honore decertare, ac penè evincere; aut ſuos commilitones principalibus Eccleſiis præfuiſſe, aut eas poſſediſſe; id apud eruditos adeò compertum eſt, ut probationibus non indigeat. Tale quid ergò, ſi & huic Abdinghoffenſi monacho accidiſſe diceremus, vix injurii audiremus. Verùm alia ſunt, quæ diverſum perſuadent, & fideliorem aliquatenùs hunc hiſtoricum falſem hoc in quæſito faciunt. Nam in aliquibus Collegiis monachos

Cano-

Canonicis commixtos vixiſſe, idque fortè à tempore, cùm *D. Gregorius M.* jam decreverat, ſic adunare utróſque, ut iſti Clericalibus, quæ curam animarum reſpicerent, illi econtra impeditorum locò, choro, precibus, reliquóque divino in Eccleſia officio deſervirent, negari non poteſt. Sic in Lateranenſi Romæ, in Metropolitana Mediolani, in cœlo aureo
(a) Pez. L. Papiæ (*a*) in Eccleſia Cantuarienſi
2. c. 15. n. in Anglia, in Salisburgenſi in
2. & 4. Bavaria, in Eichſtetenſi, in Fraconia &c. Clericis monachos convixiſſe compertum eſt, quod ipſum contigiſſe in hac Paderbornenſi Eccleſia non facilè abnuemus. Convivebant Canonici Monachis communi menſâ, communi oratione ſimul, & Lectione, *nullus ſe ſuper alterum inſolenter effe-*
(b) Vita S. *rebat* (*b*) ut inquit Author vitæ *S.*
Ful. c. 20. *Fulgentii* de Clericis, & monachis ab hoc in Sardinia coadunatis. Quodque faciebat jam olim, & longè ante *Gregorium M. Fulgentius*, hoc imitabatur hic ſanctiſſimus Pontifex, & ſucceſſivi diverſorum locorum Epiſcopi ſedulò
(c) Ep. 97. æmulabantur. Fecit id (*c*) Ultra-
Boniſac. jecti *S. Willibrordus*, Salisburgi *S.*
Ep. Mogunt. *Rupertus*, ergò & id facere potuit *S. Baduradus* Paderborni. Cauſam autem ſi quæris, refert unam Veranus Cabellicenſis Epiſcopus in
(d) Sigiſ- ſua Epiſtola (*d*) de caſtitate ſacer-
mundus in dotum: *ſub majorum*, inquit, *Pa-*
Act. Com. *trum diſciplina, monachorum congre-*
Valentiani *gationes ſunt non parvæ, unde ad ſup-*
ad an. 555 *plenda Clericorum officia in prompta*
apud Mab. *eſt bonos viros aſſumi.* Adde ſi lu-
L. 7. Ann. n. 51. bet & alteram, neque tamen Clericis regularibus injurioſam, quam *Meinvvercus* hujus ipſius Eccleſiæ (de qua agimus) decimus Epiſcopus adduxerat, cùm Abdinghofſenſe ipſe cœnobium fundaret pro monachis Cluniacenſibus. Quæſitus enim, cur id faceret? reſpon-
(e) Vita cit. dit (*e*) convenienter monachos ad-
Meinvverc. junctos eſſe Clericis, *ut in variis*
c. 16. 4. *lubrica vitæ exceſſibus & eventibus in*

divinis & humanis fraterna charitate, & unitate invicem ſuccurrerent &c. Hoc indubiè perſuaſerit, ut Clericis monachos conjungeret, tum, ut horum ſubſidiô relevarentur, tum ut ſtrictiſſimæ quaſi diſciplinæ exemplô identidem excitati conarentur pari virtutis curâ ſuæ quoque obſervantiæ jura, legéſque cautiùs cuſtodire. Hæc ſi obſervâſſet *B. Landulphi* Epiſcopi (f) Acta
Aſtenſis Biographus, haud equi- SS. die 7.
dem credam, tam liberè ſcriptu- Jun.
rum fuiſſe: *abhorrere à fide, quòd in eadem Abbatia* (cœli aurei Paviæ) *duplex, ac duplicis inſtituti Conventus, monachorum ſcilicet S. Benedicti & Clericorum Regularium S. Auguſtini ſimul extiterit.* Profectò, ſi à fide non abhorret dicere hoc ſæculis prioribus factum, & quidem octavo, Nono, decimóque, quo paſſim utcúnque Clerici liberiorem viam quærebant & faſtidiebant penè monachis aſſimilari in diſtrictione diſciplinæ, cur abhorreat à fide, id aſſerere pro ſæculo duodecimo (*g*) quô vixit Landul- (g) Ughel.
fus & inter clericos potiùs ad cœ- Ital. Sac. in
lum aureum, quàm monachos, Epiſc.
Aſtenſ. c. 4.
quamvis utríſque inibi conviven- novæ edit.
tibus educatus eſt, ac inſtitutus. Hinc Ughellus vitam *Landulphi* enarrans, hanc, quam mox diximus, diſputationem de impoſſibilitate convictûs monachorum cum Canonicis non intexuit, Sciens nimirum, id nec inconveniens fuiſſe, nec inſuetum. Quòd ſi verò exindefecerat, ut cauſis, (quæ monachos cum Canonicis convixiſſe præfato ſæculo clarè remonſtrant) ſuppreſſis, ſecuriùs dicere deinde poſſet Landulphum *educationis gratiâ ad S. Petrum in Cœlo-aureo Papienſi miſſum ſanctique Benedicti inſtitutum amplexum eſſe:* minùs fideliter egit, ſufficit enim, frequenter ſanè obtingere, ut ob hanc commixtam in uno cœnobio vitam, tantæ non rarò confuſiones lucem indagandæ veritatis obfuſcent, cui hic, illéve ſanctus

ctus genuinè adſcribendus ſit ordini? ut non opus ſit ea argumenta reticere, quæ dubium diſſolvant, & cuique ſuum tribuant, quod in hoc *B. Landulfo* fieri, ſuô tempore vitâ ſuperſtite monſtrare conabimur.

Porrò hæc communis monachorum cum Clericis vita duraverat, ùt vidimus, usque ad *Meinvverci* præſulatum, qui Paderbornenſem congregationem primus ad *Canonicam regulam traxit.* Fuerat autem hæc canonica regula, vita illa Clericalis, ad quam frequentiùs monachi transferebantur, prout in Exegeſi noſtra inſinuavimus. Quæ translatio non difficilis adeò fuerat, eò quòd non fieret remiſſione votorum, ſed ſolius monaſticæ regulæ, cujus locò poſthac ad Canones Clericales, & ut breviùs dicam, ad ea obſervanda obligabantur, quæ Auguſtinus Clericis ſuis præſcripſit, ſeu ejusdem ſermones intelligas, ſeu regulam formatam. Ex quo facilè reſolves, præſentia cum ſparſim dictis combinaturus, cur vitæ S. *Meinvverci* auctor de ejus deceſſore diſcurrens B. *Rathario*, dicat: quòd, *dum miſſis Romam nuntiis tam ſummo Pontifici, quàm Imperiali Majeſtati innoteſcere fecit, quæ ſuæ civitati per incendium amiſerit &c. ipſi intimè condolentes, & roganti benigniſſimè annuentes, omnia, quæ eidem Eccleſiæ eatenùs honori, vel uſui ſervierant, confirmaverunt. Atq; inter alia de proprietate Clericorum, ſi quis illorum ſine hærede obierit, eidem Eccleſiæ conceſſa.* Ob quam proprietatem, ne quis ſibi temerè imponat, ut Clericos cathedrales, ac in monaſterio viventes ideò ſæculares judicet, erant, ùt antea ſemper votis iſti ſimplicibus Auguſtiniano more inſtitutoque, addicti & juxta regulam Aquisgranenſem, ſeu Chrodegangi, quæ tum in his terrarum partibus, utraque virebat, inſtructi; quæque regula poſterior Cap. 31. in Edit. Iabbeana id diſertè præſcribit. Quamdiu verò Canonicorum regularium obſervantia perduraverit, hactenùs ex alio diſcere non licuit, niſi quòd Bruſchius in ſuo Epitome Epiſcopatuum de *Bernardo* vigeſimo primo diſcurrens, qui an. 1254. obiit, ſic ſcribat: *Bernardus quartus hujus nominis paſſus eſt, ut Canonici Paderbornenſes obſervantiam regularem, quæ hactenus viguerat, mutarent in ſæcularium Canonicorum ſtatum.* Aſſentitur Bruſchio Kranzius (ex quo fortaſis ille hanc ſententiam aſſumpſerit) dum ſic ait: *Wedekindus Comes de Zvalenberg, & de Waldegge alius, advocatias ſuas in manus Domini Bernardi Epiſcopi Paderbrunenſis conſtituerunt, in præſentia Prioris & totius Conventûs Paderbrunenſis Eccleſiæ adſtantibus fratribus - - - - - - attende, qui legis, quia annales commemorant priorem & Conventum Eccleſiæ Paderburnenſi., non Decanum & Capitulum, num fortè Eccleſia illa tum adhuc regularis extiterat?* hæc Kranzius. Regularis ſanè, & tamen non monachilis, utpote cùm alia documenta manifeſtè demonſtrent, hunc Conventum ex Canonicis, non monachis conſtituiſſe. Cæterùm multa nobis per quingentos hos & ampliùs annos materia ſuppetet de ſanctis & præclariſſimis viris eo temporum curriculo in Clericali Paderbornenſi Congregatione viventibus ipſo in opere diſſerendi. Monum. Paderborn. pag. 164. & 171. Kranz. Metrop. L. 7. pag. 184. Cap. 28. & cæteri Auth. paſſim per decurſum citati.

Paſſionis Chriſti & Beatæ V. in Tungris Prioratus Windeſim. Hujus quamvis hodie adhuc exiſtentis, & ùt non ambigimus ſub ſuo Reverendiſſimo Capite Martino Schoubben, præclarè florentis pauciſſima documen-

cumeota nobis ſuggerit Windeſemenſis Chroniſta his verbis: *Monaſterium novum paſſionis Chriſti, B. M. Virginis in Tungris Leodienſis Diœceſis eôdem annô* (id eſt 1412.) *eſt inchoatum, pro quo Viſitatoribus ejus per Capitulum fuit commiſſum, ut utique in loco apto conſtrueretur, & potiùs extra, quàm intra civitatem vel oppidum, de cujus diſpoſitione anno ſequenti Viſitatoribus adhuc fuit commiſſum. Tertio demum anno cùm omnia ad nutum Capituli eſſent diſpoſita, eidem eſt incorporatum.* Hinc forrè Bartholomæus Fiſen ad annum 1424. ſcripſerit: *Tungros*, id eſt, Tungrenſes, *in urbem ſuam Canonicos Regulares invitaſſe: Epiſcopo annuente, donarent, quódam urbis Xenodochiô, cum hac lege, ut hoſpitalitatem exercerent, acquieviſſe etiam regulares; ſub Kal. Nov. novam Coloniam deduxiſſe.* Quod ſi Fiſenius hoc (de quo loquimur) cœnobium intelligit, illius, ut mox ex ſynchrono ſcriptore vidimus initium non ad an. 1424. ſed 1414. referendum eſt, ſi aliud, optaremus ejuſdem contextum apertiorem, cùm nos Tungris non niſi iſtud, de quo agimus, notum habeamus.

Exiſtit autem in ipſa urbe Tungrenſi Chron. Wind. c. 43. Fiſ. hiſt. Leodien. parte 2. pag. 185.

S. S. Petri, & Andreæ Præpoſitura.

Fundat. circa an. 1032. ſæcul.

S. Meynvvercus Paderbornenſium decimus Epiſcopus, cùm finem vitæ ſuæ appropiare adverteret, ſepulchri ſui frequenti ſe meditatione recolligens ſtatuit innumeris penè, quos ædibus ſacris, monaſteriiſque ampla largitione diviſerat, ſumptibus, novæ fundatione Eccleſiæ quaſi metam cum morte ponere: hinc narrat vitæ ejuſdem Auctor: *anno 1032. Winonem Abbatem, quem de monachis ſuæ civitatis ibi præpoſuerat, Jeroſolymam miſit, ut menſuras ejuſdem Eccleſiæ & S. ſepulchri ſibi deferret, quô redeunte, & petitas menſuras referente, cæpit Epiſcopus ad ſimilitudinem Eccleſiæ Jeroſolymæ in honore S. Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, ac B. B. Apoſtolorum Petri & Andreæ extrà Patherburnenſem civitatem in orientali parte conſtruere, in qua Canonicos Deo ſervientes congregavit, quibus victum & veſtitum de bonis propriis miniſtravit. Celeriter autem conſtructâ Eccleſia ſentiens diem mortis ſibi imminere, Archiepiſcopos Pardonem Moguntinum, Herimannum Colonienſem, & Brunonem Epiſcopum Wirzeburgenſem aſcivit, eorúmque teſtimonio anno D. 1036. Ind. 4. octavo Kal. Junii eam dedicavit, in ipſa autem die ſanctificationis Eccleſiæ benedictione peracta, ante miſſarum ſolennia ſermone ad populum finito, more aliarum Eccleſiarum Deo ſacratarum eam dotavit &c.* Hæc præfatus ſcriptor. Fûere hi Canonici Regulæ S. Chrodegangi, ex S. Meynwerci præcepto, cultores, velut id alibi pluribus declarabitur: inde verò paulò poſt ad liberiores mores tranſeuntes ſæculares effecti ſunt, exiſtítque hodiedum hæc præpoſitura ſæcularium Canonicorum proximè contigua Civitati Paderbornenſi.

Acta SS. ad diem 5. Jun. in vita S. Meinwerci. Cranzius Metrop. L. 4. Cap. 4. &c.

S. Petri in Dalheim Prioratus Windeſemenſis.

Fundat. ..... Floret.

Hujus Cænobii memoriam refert auctor Chronici Bodecenſis, ponítque in Catalogo 69 monaſteriorum ad medium ſæculi decimi quinti eximiè, dudúmque florentium, *Domum S. Petri in Dalheim. diæc. Paderbornenſis*, quinquageſimum ſeptimum; quo tempore fundatum? incompertum nobis eſt. Certum autem, aotea illud Virgines ſacras incoluiſſe, & monaſterio Bodecenſi, à quo non niſi uno milliari diſtat, fuiſſe in-

corporatum; cùm verò Bodecenſes Canonici nollent conſcientiam ſuam poſſeſſione talis onerare cænobii, per ſeſe juſta dote proviſi, illud ſingulare poſthac ut eſſet, ſtatuerunt Presbyteris non minùs, ac Laicis ſufficienter ſubmiſſis. Egit id præclarâ operâ Prior Bodecenſis Henricus Von dem Stalle: de quo Chroniſta Bodecenſis diſcurrens: *Anno*, inquit: 1429. *de Conſenſu ſui Conventûs deſolatum monaſterium in Dalheim, ut pro divini cultûs augmento reformaretur, ab Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Colonienſi tum temporis Paderbornenſis Diœceſis Adminiſtratore ac àCapitulo dictæDiœceſis datis litteris humiliter acceptavit, illudq; reformare virili animo per ſuos fratres laborabat.* Narrat deinde, quâ arte omnis boni inimicus Sancto huic operi invidens quandam inſtruxerit impoſturam, at ſua in impietate deluſus fuerit atque fruſtratus. Et ſic, *fraude Diaboli* (concludit idem Author) *quam circa primordialem reformationem monaſterii B. Petri facere attentaverat, denudatâ, prædictus Prior jamjamq; reformationis opus dicti monaſterii, quod inceperat, continuare non neglexit.* Ex quo colligimus, reformationem illam plenè ſuum effectum obtinuiſſe. Fuerat autem hæc reformatio non alia, quàm ſecundùm leges Windeſemenſes, quibus ipſi quoque Bodecenſes ſubjecti erant. Narrat verò L. de reformatione monaſt. Buſchius, Priorem *Joannem Sousbeke*, Eccleſiam antebac exiguam cùm Dalhemenſes haberent, in eacumine montis novam de ſectis lapidibus, & bene conquadratis condidiſſe, longitudine centum 80. pedibus id eſt 30 orgiis, latitudine 35. hoc eſt 5. Orgiis, & 5. ped. extenſam, unà ad clauſtro, Laicis in convalle ſeu in veteri monaſterio remanentibus. Sic cæpta autem hujus loci reformatio Deo auſpice ſemper firmo religionis vinculo illigata permanſit, quæ ætate quoque noſtra laudatiſſimè conſervatur, præcipuè adnitente moderno Reverendiſſimo Domino Præſule *Bartholdo Schonlau*, cui Deus longos ad felix regimen annos impertiri dignetur, & à quo nos plura ad notitiam hiſtoriæ hujus cænobii facientia obtenturos ſperamus.

Exiſtit uno milliari ſupra montem Martis vulgò Stadtberg fluvio Dümel adjacentem, & tribus infrà urbem Paderbornam. Buſch. L. 1. Chron. Windeſ. c. 49. Chronic. Bod. Cap. 29. Buſch. de reform. Monaſt. L. 1. Cap. 8. Docum. Commun.

S. Petri in Hegen Prioratus Windeſemenſis. Agunt de hoc Buſchius & Chron. Bodecenſe, ajuntque per Arnoldum Priorem fuiſſe reformatum. At alioquin nihil documenti ad clariorem enarrationem formandam nobis ſupereſt. Nunc illud aut non exſtare ampliùs, aut certè aliis ſubeſſe, nobis ſuadet altum de eo his temporibûs inter noſtros ſilentium. Extitit in Comitatu Lingenſi non procul ab urbe Lingen. Buſch. Chron. Windeſ. L. I. C. 45. & de refor. Monaſt. C. 6. Chron. Bod. C. 50.

Rodenſe vulgò Rolduc ſeu Cloſterraad Abbatia *Fundat. 1104. Ferret.* percelebris in agro Limburgenſi. Cujus Author ſæculi 12. initiò 1104. exſtitit venerabilis, ac ſanctitate præclarus *Ailbertus* Canonicus Tornacenſis & ſcholaſticus, præcipuus Canonici Ordinis regulari obſervantiâ tunc conſpicui propagator, ac fautor, de quo jam in Abbatia S. *Nicolai* de pratis mentionem fecimus. Hanc à præfato *Ailberto* ſemel fundatam Rodenſem Eccleſiam plurimi, ex ſubſequo, Benefactores fovere, ac ampliſſimis dotibus locupletare dignati ſunt; ipſe verò *Ailbertus* cùm non ſolùm ob utriusque ſexûs ad hunc

locum confluentem copiam, duplex, id eſt, tam virorum, quam Virginum monaſterium conſtrueret, ſed & annò 1119 aliud Canonicorum Regularium in Gallia, in loco, qui *clarus fons* dicitur, diœceſis Laudunenſis, fundaret, inde ad ſuum Rodenſe monaſterium redux Febri correptus in pago Sechtem piâ morte ſanctiſſimam vitam clauſit anno 1121. in minori Eccleſia, ut teſtantur Sammarthani, ejusdem loci; (qui duas habet) tumulatus. Ampliſſimas verò dotationes hujus Abbatiæ enarrat *Henricus* Epiſcopus Leodienſis in ſuis confirmationis litteris eidem annò 1147. conceſſis: at quod obſervandum, in his dictum locum nec Abbatiam nominari, nec monaſterium, ſed aut Eccleſiam, aut hoſpitale; ex quo probabiliùs conficitur, velut in pluribus locis tum ſolitum erat, in dicto Rodenſi loco *Ailbertum* pauperum hoſpitale erexiſſe; conſtitutis in eo (ad charitatis chriſtianæ, ac religioſæ debita præſtanda obſequia) Canonicis Regularibus, adjuncto ſacrarum Virginum domicilio. Et quamvis à Sammarthanis primus Abbas numeretur *Richerus* ex Raittenbuchenſi Bavariæ cœnobio petitus, qui Abbatialem Benedictionem obtinere diſtulerit usque ad an. 1119. quò *Fridericus* (aut cedentibus aut defungentibus Oberto, ac Alexandro Simoniæ accuſatis Epiſcopis) ſedem Leodienſem dignum conſcenderat: certè iſta ex annalibus Rodenſibus Sammarthani habere potuerint; quibus contradicere neutiquam attentamus, necdum tamen indubitanter ob cauſas allatas aſſentimur. Id certum, ſeu cum ſui fundatione Abbatiæ titulus ſeu deinceps Rodæ acceſſerit; an. 1147 talem jam fuiſſe, ut ex ejusdem *Henrici* Leodienſis Epiſcopi privilegio tunc Sinnighenſi monaſterio datô liquet.

Hoc Rodenſe Cœnobium celebrem ſibi famam circà annum 1159 promeruit per B. *Gerlacum* Eremitam, & confeſſorem: hic enim (ùt ſuo tempore in ejus vita edenda prolixiùs legetur) cum pœnitentiæ eximiæ profitendæ causâ in Parochia Merſenſi (tum Monachorum S. *Rhemigii* Rhemenſium, nunc ordinis noſtri cœnobio) in proprio ſui juris fundo quercum veternoſam magna groſſitudine circà radices diſtentam, amplâ capacitate cavari, & in ea congeriem magnam lapidum comportari faceret, deſuper autem Mattam componi, & in hoc lectiſternio membra ſopori dare ſoleret, ad carnem cilicio indutus, & lorica ferrea coopertus. Præpoſitus & monachi ſimul ac Clerici cellæ Merſenſis rei novitate attoniti eum ab hoc propoſito revocare nitentes multò ſtudiò quæſierunt, ut ipſe ſe præfatis monachis obediendo ſubderet. Cùmque *Gerlacus* cœptam pœnitentiæ viam dimittere renueret, monachi cum clericis ſuis indignati apud Epiſcopum Leodienſem Norbertum nomine (Bucelinus Othbertum inter an. 1091. & 1119. ſtatuit Marchionem Brandeb. nec in hujus catalogo usque ad annum 1239. Norbertus ſed Robertus reperitur notatus, qui ab eo obiiſſe dicitur annò 1246. verum juxta Sammarthanos tempore, quo *Gerlacus* ſub cura Canonicorum Rhodenſium usque ad annum 1159. vixerat, quo obiit, Eccleſia Leodienſi præfuit *Henricus* II. magnus hujus Abbatiæ Patronus & amator virtutis, cui meritò hæc in Gerlacum pietas præ ejus Anteceſſore Alberone adſcribenda videtur) virum hunc de multis inconvenientiis inſimulaverant, qui credens delationibus eorum, locum, in quo B. *Gerlacus* latuerat, adiit, cùmque inter alia argueretur magnam pecuniæ ſummam ſub lapi-

tis

dum congerie in quercu abſcondiſſe, Epiſcopus iratus quercum ſuccidi mandavit: ſed ubi ſublatis quibusque repagulis nihil aliud niſi ſtrictiſſimæ vitæ apparerent indicia, de tali ac tanto viro ſibi ſubreptum fuiſſe vehementer indoluit, & quòd Innocentem adeò hominem contriſtaſſet, ingemuit, unde paterna mox pietatis ſuæ viſcera pandens eum benignè ſuſcepit, & repulſis à ſe tam injurioſis accuſatoribus, vice ſuâ dilecto poſthac *Gerlaco* Abbatem Rhodenſem, ejusque religioſos, quantum ad animæ curam ſpectat, præfecit, ab omniipſum obedientia monachorum Merſenſium abſolvens. *Indignum reputans* (verba ſunt ſcriptoris vitæ) *quòd homo cælitem vitam ducens, & Angelica in terra converſationis exiſtens, perſonis mundo huic deditis obedientiæ ſubderetur.* Ex quo colligere licet, quòd egregio ſanctitatis exemplo Rhodenſes præfulſerint, utpote qui digni habiti ſint curæ *Gerlaci* Spirituali providere. Fuit tunc temporis Abbas Rhodenſis *Bruno* nomine, vitæ innocentia, ac morum probitate nulli ſecundus, renitebantur huic, ut prætendebant, demembrationi parochiæ ſuæ Merſenſes Monachi, & cauſabantur injuriam; at reſpondit Præſul, *ſui Juris eſſe viros ſolitarios, ac incluſos ab eorum Jurisdictione eximere, qui minùs religioſè converſarentur.* Perduravit igitur ſub protectione & ſollicitâ curâ *Gerlacus* usque ad piiſſimum obitum ſuum: eidem à ſacris toto vitæ tempore Religioſiſſimè aſſiſtebat Rutgerus Rhodenſis Canonicus, cui trinis vicibus haud dubiè Gerlaci æquè, ac propriis meritis divina dignata eſt bonitas deficiente ad ſacrificandum vinô, limpham in illud mutare. Hanc Abbatiam hodie adhuc eximiè florere, & tria ſub ſua directione ſacrarum Virginum monaſteria ejusdem noſtri ordinis ha-

bere percepimus, quamvis nobis non, niſi duorum nomen innotuerit, de quibus inferiùs conſultò agemus.

Cæterùm quoque legimus hanc Canonicam tam eximiâ obſervantiæ regularis laude ſæculô duodecimô floruiſſe, ut, cùm *Conradus* Salisburg. Epiſcopus renovatam Canonicam ſecundùm D. *Auguſtini* inſtituta diſciplinam in ſuam Metropolitanam Eccleſiam inducere reſolviſſet, an. 1121. à *Richero* prænominato quatuor Rodenſes Canonicos Salisburgum depoſceret, quos obtentos ſuæ Metropoli adunavit, ac inſuper an. 1123. ſtatuit, ut omnia Bavariæ Can. Reg. Monaſteria cum Rodenſi unum Capitulum, ſeu Congregationem formarent: hæc ſi ſua fide conſtant, erunt fortaſſe, quibus videantur labefactari illa, quæ de inducta regulari per *Conradum* diſciplina in dictam Metropoliticam ex *Lateranenſi* Eccleſia in noſtra exegeſi aſſeruimus: verùm licèt id cum Rodenſibus factum ſit (de quo nolumus diſceptare, quamvis fortè argumenta in contrarium ſuppeterent) attamen fieri potuit, ut aut Lateranenſes Canonici, aut ſaltem eorum norma vivendi à *Conrado* expeteretur, quam ipſe, dum in Italia jam annô 1106. divertebat, & iterum ab anno 1111. fine, usque ad 1115. initium, ac maximè iſto tempore, ſibi familiarem feciſſe ambigi non poteſt. Hinc quidquid regularis operis in ſua aliorúmque Epiſcoporum Diœceſibus ad reformandam Canonicam vitam impenderat, factum id reperiemus poſt iter Italicum, redirúmque in Germaniam, nam novi operis Hallæ monaſterii hoc inſtitutô imbuendi ipſe *Aldagoto* Magdeb. Archiepiſcopo an. 1116. Author fuit, pariter & Reichersbergenſi, & Bertholgadenſi aliisque ad planiorem regularem viam reducendis. Quod dicimus, non quaſi

quaſi poſt reditum ex Italia *Conradus* diſciplinam Canonicam amare cœperit primùm, ſed quòd eâ apprimè ibidem eruditus tunc ſit, atque hâc plenè inſtructus, demum executus fuerit eventu felici, quod anteà efficere nequiverat. Nam ante ſecundum Italiæ aditum, *Conradum* profeſſioni Canonicæ ſe addixiſſe, ſatis patet ex Chronologico computu, quem haurire licet ex Chronographo Richerſpergenſi, quémque apertiùs exſerit doctiſſimus Hanſizius in ſua Metropoli Salisburg. p. 204. & in Coroll. 940. n. 54. annô enim jam 1110. reducere conabatur vir piiſſimus renovatam diſciplinam in Metropolim, atque ut id exemplô magis, quàm verbô in ſuis curaret, *ipſe cordetenùs compunctus regularem habitum devotiſſimè ſuſcepit*, ut inquit Anonymus in vita B. *Lamberti* Præpoſiti Hallens: ergò *Conradus* antè ultimum iter Romanum in vota Canonica juraverat, ſed ſuos Cathedrales non priùs quàm redux imitatores obtinuit; tunc ſcilicet, cùm longè firmiore, quàm antehac notitiâ proviſus, ac munitus (in ipſo Lateranenſi Patriarchio legem Canonicam edoctus) compàruerat, neque & id dubitandum, ſibi unum alterumve Canonicum Italum junxiſſe, ſed quòd Rodenſes quoque exinde poſtularet, non mirum, cùm multum intereſſet ei Eccleſiæ de optimis, pluribusque jam fundatis religioſis mox proſpicere, quæ Mater eſſet, atque Regina tot ſibi ſubditorum monaſteriorum.

Reliqua, quæ notatu digniſſima ſuperſunt (ne nimis prolixi ſimus) in ipſo opere referre non omittemus.

Sita eſt uno milliari Germanico ſupra Aquisgranum: Mir. Donat. Belg. L. 1. C. 47. Foppens. Parte 3. C. 126. Bol. ad 5tam Jan. Gall. Chriſt. T. 3. Col. 1001. &c.

Fund. ſæc. 11, Floret. S. Sepulchri, & S. Joannis Bap. Novum monaſterium dictum. Abbatia.

Cùm *Petrus* Eremita (ut ſæculi undecimi, ac duodecimi narrant hiſtoriæ) divina revelatione inſtructus ad expugnandam terram ſanctam Chriſtianos publicis exhortationibus animâſſet, ſummo Pontifice *Urbano* auctoritate ſua fideliter adjuvante; cùmque omnia proſpero eventu peracta vidiſſet, poſt quinque annos redux Jeroſolymâ in Belgium læta à Chriſtianis gratulatione exceptus eſt. Ipſe verò priſtinæ pietati inhærens, & ad Hujum urbem divertens, ibidem ſedem ſuam per reſiduæ vitæ ſpatium firmare propoſuit, præcipuè incolis deprecantibus, ut monaſterium conderet in memoriam ſepulchri Domini, cujus ipſe affectum complecti totis viſceribus noſcebatur. Igitur piiſſimo viro votis annuenti mox omnia ad illud conſtruendum ſuppeditata. Locus autem in ſuburbio Huyenſi deſignatus eſt, conferente requiſita ſubſidia cumprimis *Canone* Comite Montis acuti, & *Lamberto* Comite Clari-montis, qui cum in terræ ſanctæ ſubſidio naufragium paſſi monaſterium Deo ſe condituros voviſſent, mox ſerenitatem obtinuêre. Ejus ſacra memoria annuè in hoc cœnobio ſequentibus fermè verbis, ùt ſcribit Molanus in natalibus SS. Belgii proclamatur: *Octavo Idus Julii anno Domini 1115. obiit Dominus Petrus Venerabilis ſacerdos & Eremita, qui primus Prædicator ſanctæ Crucis à Domino meruit declarari, hic poſt aquiſitionem terræ ſanctæ, cùm reverſus fuit ad natale ſolum, ad petitionem quorundam virorum Nobilium, & ignobilium fundavit Eccleſiam iſtam in honorem S. Sepulchri, & S. Joannis Bap.ᵗ in qua idoneam ſibi elegit ſepulturam.* Hunc verò B. *Petrum*, primum non ſolùm hujus loci Priorem, verùm etiam Canonici inſtituti profeſſum extitiſſe vetera monumenta declarant. Unde Mabillio in ſuis Annalibus

L. 72. n. 115. *ad res*, inquit: *Belgicas & Germanicas quod attinet, Petrus Eremita ex Orientis partibus jam dudum reverſus hoc anno* (id eſt 1115.) *diem obiit* 8. *Id. Julii apud Hojum, ibidemq́ ſepultus eſt in Novo-monaſterio, quod in honorem S. Sepulchri & B. Joannis Bap. pro Canonicis Regularibus exſtruxerat, ad quorum fortè normam, cùm antea monachus eſſet, ſe ipſum demum compoſuerat.* Agit de hoc B. *Petrò* idem Mabillio L. 68. cit. annal. ad an. 1094. n. 86. demonaſtica ejus profeſſione nullum dubitandi locum eſſe affirmans, quod tamen nos ſuo tempore diligentiùs examinabimus ubi ſimul plura de illius vitæ ſanctitate acturi ſumus. Cæterùm Novum monaſterium primitùs per B. *Petrum* fundatum ſolùm Prioratus erat, *Hugo* de *Petra Ponte* Epiſcopus Leodienſis illud in Abbatiam erexit; quod, quo anno factum fuerit, diſertè non exprimitur, ſedit tamen *Hugo* in Cathedra Leodienſi ab annô 1200. ad 1219. unde inter hoa novendecim annos illud neceſſe eſt contigiſſe. Fiſcnius in ſua hiſt. Leod. ait, factum ſub Renero Priore ad an. 1208. quem virum à rerum naturalium cognitione, ſed magis integritate vitæ celebratum ſcribit. Hôc ergò ſuo muneri renunciante, præfatus *Hugo Alexandrum* totius religioſi cœtûs conſenſu electum, Abbatem juſſit, anno centeſimo poſt fundatum cœnobium feſto Virgini aſſumptæ ſacro hac dignitate inauguratum. Floret adhuc hæc Abbatia eximiô tam ſpiritualium, quàm temporalium rerum incrementô.

Exiſtit in ipſa, ùt diximus, urbe Hujo. Vide ampliùs Mir. de Orig. Can. Reg. C. 53. & 55. Fiſen. Hiſt. Eccl. Leod. t. 1. L. 9. num. 20. & L. 11. n. 29.

S. Sepulchri Virg. Canon. Viſeti in Urbe

Diœceſis Leodienſis 2 milliaribus diſſita à Trajecto Moſæ Abbatia eſt Virginum Canonicarum S. Sepulchri adhuc præclarè florentium. Sed de ea nobis alia omnia incognita.

S. Servatii Præpoſitura.

Fundat. ſec. 5to. Secular. Hæc ſuam probabiliùs originem S. Monulpho debet Trajectenſi Epiſcopo: Præpoſituram verò nominamus, non, quòd contra evidentiâ penè argumenta certare paremus, quibus à viris doctiſſimis conclamatum eſt, in Eccleſia (an *S. Mariæ*, an quæ dein à S. *Monulpho* S. *Servatii* per novam ſtructuram dicta eſt; non diſcepto) Trajectenſi ſedem Epiſcopalem à S. *Servatio* conſtitutam ab anno, ùt videtur, 450. perſtitiſſe usque ad an. 720. quô Hubertus 16. poſt *Servatium*, ſeu *Aravatium* Trajectenſis Epiſcopus eandem Leodium tranſtulit & primus Leodienſium eſſe voluit Antiſtes. Verùm hanc ei nomenclaturam attribuimus, quòd perſiſtente etiam cum Epiſcopatu præpoſiturâ iſtâ, illô quamvis ablatô, usque ad regularitatis ſuæ exſtinctionem continuò talis permanſerit: intereà neutiquam obſiſtentes illis, qui hanc Eccleſiam cathedralem atque Epiſcopalem dici malunt, quàm ſolam præpoſituram. præcipuè cùm Epiſcopis quoque ipſis hac in ſede dudum ſuâ virtute fulgentibus noſtra litteraria obſequia, eô paratiore aliquando calamô in vita eorum deſcribenda litare cupiamus, quô certiùs confidimus, noſtris argumentis eosdem ſacro ordini Canonico à nobis impunè vendicandos. Profectò enim dictam Eccleſiam, ut antiquiſſimam, ſic regularitatis Clericalis à ſui aut origine, aut certè per B. *Monulphum* ad ampliorem ſplendorem elevatione fuiſſe conſervatricem, ut ſolidè probemus, teſtimonia ponderoſa non deſunt: ex quibus nobis attigiſſe in præſentiarum ſuffecerit, quæ imprimis ex S. *Monulphi* vita conſtant, in quâ dicitur: hunc B. Virum *inter in- ſignia* *acta SS. 16. Jul.*

ſignia virtutum, in honore B. Servatii, quia minus erat ad tanti viri gloriam, aliud templum erexiſſe magnum, ornaviſſeq́ decore, corpus ejus in eo, dignâ reverentiâ tranſtuliſſe, & Clericos Deum timentes, atq́ in amore ſuperno ferventes addidiſſe non paucos, qui ſub ipſo militarent. Hinc meritò Sammarthani de eodem S. *Monulpho* ſcribentes ajunt: *dicitur Tungrim devaſtatam reparare voluiſſe, ſed ſtatim à cœpto deſtitiſſe, omnem curam ſuam in Trajectum impendiſſe, pios ibidem Clericos inſtituiſſe, quos ſecundùm Canones vivere hortatus eſt.* Deinde in aliis quoque ejusdem ſancti conſcriptis actis reperimus, ipſum *Clericos Deum timentes ad præfatam Eccleſiam collegiſſe, monuiſſeq́, illos ſemper, ſecundùm Canonica inſtituta in omnibus vivere.* Cùm verò inter Principes Canones illi habendi maximè pro iis temporibus fuerant, qui rerum terrenarum expropriationem, votivamque Apoſtolicæ vitæ normam ex Sanctorum Patrum præſcripto Clericis inculcaverant, dubitari vix poteſt hanc ſecundùm *canonica inſtituta in omnibus vitam* à S. *Monulpho* Clericis ſuis commendatam, etiam præcipuam Canonicæ inſtitutionis portionem (expropriationem nimirùm) habuiſſe annexam.

Ex his itaque habemus, Clericos Servatianæ Eccleſiæ, cùm primùm huic de divino cultu magnificentiùs à S. *Monulpho* provideretur, communi, Canonicæque (quia ſecundùm Canonum inſtituta) vitæ fuiſſe deputatos, neque ambigendum usque ad poſteriora ſæcula ibidem eosdem hanc normam vivendi continuaſſe, quamvis interdum nefandis intercurrentibus fatis diverſa, ac diſciplinæ Canonicæ adverſa non pauca cauſantibus. Nam, quæ ſæculi præcipuè ſeptimi mediô, ac deinceps (dum *Theodardus* & *Lambertus* Sanctiſſimi Epiſcopi per infeſta Principum odia, demumque violenter illatam mortem ſublati ſunt) diſpendia tam in proventibus, quàm in diſciplina regulari hæc afflictiſſima Eccleſia ſupportare debuerit, ex eorum temporum hiſtoricis colligimus. Quî ſe tamen poſtmodùm hujus loci Canonici habuerint, cùm ſede Epiſcopali per Hubertum Leodium tranſlata Eccleſia trajectenſis identidem aut ſæcularibus commendaretur, aut Trevirenſium Archiepiſcoporum juri, uſuique traderetur, non facilè oſtendi poteſt. Id certum, ſæculô nonô Abbatiam fuiſſe ſæpedictumServatianum monaſterium; quâ voce obſervata ſcribit Miræus in notis ad privilegium *Caroli* ſimplicis *Lutgero* Trevirenſi collatum ſequentia: *Sancti*, inquit: *Servatii collegium Canonicorum Trajecti ad Moſam, nuncupatur hic Abbatia, more & ſtylo illius ævi apud Leodicenſes & alios uſitato. Canonicis olim in communi viventibus præerant Abbates.* Hæc Miræus, in eo aliquantum offendens, dum ſubdit illos Abbates non niſi ſæculares fuiſſe: *præerant*, inquit, *Abbates, ſed Sæculares.* Præerant ſanè etiam quandoque ſæculares, maximè cùm precariæ eſſe Abbatiæ inciperent, ac commendatæ; non tamen id generaliter dicendum: cùm certum ſit, etiam regulares regularibus Clericis, ſeu Canonicis præſediſſe, ùt aliàs jam obſervavimus. Quodſi autem Miræi opinio, Canonicos in communi adhuc ſub Abbatibus vixiſſe, ſubſiſtat, certè regularem hanc vitam duràſſe usque ad an. 919. probabile eſt. Quamvìs tam certa argumenta pro his temporibus non adſint, quàm quæ *Monulpho* fuêre propiora, hinc quoque maluimus eam præpoſituram quàm Abbatiam nuncupare.

Exiſtit in ipſa urbe Trajecto ad Moſam. Mir. L. de Can. ſæc. & L. 2. dip. Belg c. 19. acta SS. 16. Julii vita S. Monulphi. Chapeavillus Piſen. part. 1. hiſt. Leod. ad an. 559.

559. Henſchen. Exegeſi hiſt. de Epiſc. tungr. &c. Gall. Chriſt. t. 3. col. 819. &c.

Fund. circa an. 1104. floret.

Sinighenſe Virginum Nobilium Canonic. Prioratus.

Cùm Eccleſia Rodenſis ad firmiores novæ ſuæ plantationis radices figendas ampliſſimis bonis undíque dotaretur, vir ingenuus, ac opulentus *Eppo* de *Lutsheim* vendidit eidem Eccleſiæ allodium, quod habebat in *Sinneche* aliàs *Sinnigh*, nimirum *quinq; manſos, ſingulos quatuordecim bonariorum juxtà uſum illius villæ in terra culta, & pratis & nemoribus, & dimidium inſuper molendinum.* Hac igitur terrâ à Rodenſibus obtentâ, cùm ſorores ipſis conjunctæ ibidem præ multitudine cohabitare non poſſent, Rutgerus Abbas clauſtrum in præfato Sinighe conſtruxit, virginéſque illuc transtulit unà ſimul (ùt narrat Henricus II. Leodienſis) cum illis ſororibus, quas ſextô hinc retroactô annô (hoc eſt 1145. ùt mox apparebit) apud *Scharnen* poſuerat, cùm ibidem à prætereuntibus & nocte civitatem intrare non valentibus nimiùm gravarentur. Dimiſſis autem hôc modô ſanctimonialibus, & ad proprium, quem diximus, locum, Eccleſiámque poſſidendam ordinatis, *Abbas ipſe quædam allodia, agros, & nemora contulit, non ut ea penitùs ſequeſtraret, ab Eccleſia Raëdenſi, cujus propria fuerunt, & poſſeſſiva, ſed ut illis pro tempore ſuppeditaret nutrimenta:* Neque etiam eædem Virgines ullô modô ab obedientia debitáque ſubmiſſione prædictæ Abbatiæ ſolvebantur, quod diſertè Henricus cautum voluit obteſtans, *juſtum videri, & competens, ut de reſpectu & obedientia, quam eadem ſorores Abbati & Eccleſiæ ſuæ Raëdenſi hactenùs exhibuerunt, quomodo in futurum exhibebunt, certa & rationabilis linea præſcribatur.* Moxque ſtatuta quædam à Virginibus hiſce ſervanda ſubjungit, inter alia præcipiens, *ut de univerſis allodiis, & bonis prænominatis nihil ipſa per ſe demere, mutare, aut aliquam auctoritatem audeant corroborare, ſed Abbas in ſua teneat poteſtate univerſa diſponere, & hac ipſa communi fratrum conſilio fieri debent, atq; conſenſu.*

Prætereà *nulla ſororum ſine licentia & conſilio ejus intromittatur, vel ſuſcipiatur, nullus Fratrum ad regimen, vel ſervitium earum præter eos, quos ipſe cum conſilio Fratrum admiſerit, admittantur. Quodſi aliqua intromiſſa vel aliquis admiſſus fuerit, irritum erit, & inſtabile, intromiſſa etiam communi conſenſu, tempore, quo Abbati viſum fuerit, ſecundùm morem Eccleſiæ & conſuetudinem, profeſſionem devotè faciant, & obedientiam promittant. Soror autem, quæ pro regimine ordinis præponi debet aliis ſororibus, idonea, & tali officio utilis per Abbatem cum conſilio Fratrum & ſororum, quas ipſe admittere voluerit, præponatur, & hac nullum officium, nullam obedientiam alicui ſororum præter Abbatis & Prioris ſui conſenſum injungere præſumat &c.*

Deníque conſtituitur, *ut aliquis ex gremio de conſilio Fratrum ex Congregatione eligatur, qui dictis Virginibus præſit tanquam Prior, qui tamen omnem ſubjectionem & integram obedientiam tam Abbati ſuo, quàm Eccleſiæ ſuæ cum omni humilitate exhibeat, ſe ſeq; in omnibus ad Eccleſiam, ut alium quemlibet Fratrem, in nullo diſſimiliter negotio pertinere cognoſcat. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnat. milleſimo centeſimo quinquageſimo primo decimo Kal. Octobris.* In hoc Prioratu non niſi Virgines nobiles recipiuntur, & hodierno adhuc tempore tam in ſpiritualibus quàm temporalibus Abbati Rodenſi idem eſt ſubjectus.

Situatur hic Prioratus ad fluvium Gulpe, diſtátque Rodâ Ducis duobus ac medio milliari Germanico. Foppenſ. nov. Collect. part.

part. 3. c. 127. & monum. Domeſt. Gall. Chr. t. 3. c. 1003.

Fund. - - - Ord. Ciſter.

Solierſenſe Virg. Can. Prioratus. Exſtitiſſe ex prima fundatione ordinis *S. Auguſtini* Canonicas Virgines in hoc cœnobio teſtantur Leodienſia Chronica, at quo tempore incompertum; id tamen extrà aleam annô 1230. easdem Virgines Ordinis Ciſtercienſis inſtitutum amore arctioris vitæ ſuſcepiſſe.

Exiſtit propè Hujum. Chron. Belg. Mag. f. 256. Fiſen. t. 1. p. 319. n. 13.

Fund. ſæc. 8. ſæcular.

Suſterenſe aliàs Sueſtre. Virginum Canonicarum Abbatia. Fundaverat hunc Parthenonem *S. Willibrordus*, ùt refert Miræus in notis ad Chartam diviſionis regni *Lotharii* Imperatoris, qui Sanctus huic initium dare potuit inter annum 690. quo in Friſiam venit, & 713. quô obiit. Sammarthani annum ſtatuunt 711, dicúntque primitùs cœnobium iſtud pro viris exſtructum, allegato teſtimonio ex diplomate *Pippini* Heriſtalli Signato 714. annô; in quo disertè Fratres nominantur, quibus jus conceditur, ut ipſi decedente *Willibrordo*, quem inter ſe elegerint, conſtituant Abbatem: quæ charta, cùm erroris aut falſitatis damnari non poſſit, manifeſtè Foppenſii ad hanc ipſam ſubſignatas notas incuſat, dum ait hoc monaſterium nomen *Sueſtra* traxiſſe à tribus Sororibus *Gertrude*, *Adelgunde*, *& Amelberga*, quæ in hoc loco collegium nobilium Canonicarum inſtituerunt. Sanè Amelbergam & primam Abbatiſſam numerat Miræus, & ex illo forſan Sammarthani ad annum 900. quamvìs autem *S. Gertrudis* atque *Aldegundis* ſæculum ſeptimum ſua ſanctitate illuſtraverint, nihil tamen de ſuſterenſi cœnobio in earum vita legitur; quin, quòd diù poſt utriúsque mortem conditum ſit, *Gertrude* annô 659. *Aldegunde* 684. obeunte, quo tempore *Willibrordus* terram Belgicam nè attigit quidem, & tamen *Pipinus* ipſum monaſterium, ſeu potiùs *oratorium ac cellulam Sueſtra* nuncupat, & ut omnem ambiguitatem demat, ſuper fluviolo ait *Sueſtra* conſtitutum. Igitur non à tribus Sororibus, ſed à fluvio hic locus vocabulum ſuum nactus videtur.

Fieri autem potuit, ut bellorum injuriâ cœnobium primitùs pro viris conditum devaſtaretur, unde ſæculo nono exeunte Diva *Amalberga* reſtituerit priſtino cultui, Virginum ſacrarum in eo conſtituens domicilium.

Sed quæ per Divam *Amelbergam* Virgines inſtitutæ ſint an Monachæ, an Canonicæ, controverti poteſt. Mabillonius & Dionyſius Sammarthanus extrà ambiguitatem ponunt, monachas ſibi *Amalbergam* ſociaſſe: pugnant pro iis non levia argumenta; quorum præcipuum, quòd *annô* 895. *Indict. XIII. Zventipoldus Lotharingiæ Rex hoc cœnobium monachis S. Bened. Prumienſibus, jam antea ab Arnulfo Parente ſuo delegatum confirmavit*: hanc ipſam confirmationem paulò poſt, id eſt annô 916. roboraverat *Carolus* Simplex Rex Francorum. Quo tempore aut *Amalberga*, aut certè ei ſuccedens Benedicta Zventipoldi filia clavum hujus Parthenonis rexit. Unde imperceptibile videtur, ut cœnobium, actu veſtalium religione informari cœptum, ſimúlque Benedictinis conceſſum, alia vivendi norma quàm S. Benedicti ornaretur. Hoc profectò non inermi argumento perpenſo, quamdiu non alis ſuppetant, nolim ego pro Benedictina familia à Zventipoldo in hunc locum introducta certantibus cæco Marte obſiſtere: cùm mihi ſufficiat, Suſterenſes Virgines regulam Benedictinam in Canonicam commutâſſe, quô tempore verò inter reliquas inſtituti noſtri Vir-

gines primùm comparuerint, neſcio, neque id omnino perſpectum, qui factum, ut tandem omninò diſciplinæ regularis dimiſſô jugô mallent Domicellæ, ſeu Canoniſſæ ſæculares eſſe, nuptiarúmque ad libitum ineundarum capaces reddi, quàm Virginali vinculo immortali ſponſo ſe devovere. Cæterùm quæ accuratiorem de hoc cœnobio criſim ſolidiúsque examen depoſcunt, conſultò ad ipſum opus deferimus, iſthic nihil pro hac illave parte decidentes.

Exiſtit in oppido Suſtria. Nov. collect. Foppenſ. part. 2. c. 11. Mir. Cod. Donat. Piar. Cap. 21. in Not. pag. 29. acta SS. ad 10. Julii &c.

Fundatur ſæc. 2. ſæcular.

Tungrenſis S. Mariæ Cathedralis. Eſt hæc Eccleſia antiquitate facilè inter omnes Belgicas nobiliſſima, de cujus exordio ex Chronico Belgico delibare ſequentia libuit: narratis enim, quæ paſſim nota de reſuſcitatione *B. Materni* refert antiquitas, hæc ſubjiciuntur. *Deinde Maternus aſcendit ad florentiſſimam tunc ſive nobiliſſimam civitatem Tungrenſem, plenam idololatriis, quæ à B. Materno recipit fidem Chriſti: damnatur cultura Jovis, Junonis, ac Veneris, & exſtruitur templum B. Virginis. Iſta dicitur prima Eccleſia in honore B. Mariæ conſecrata ex iſta parte alpium, poſtquam conſecravit altam B. Mariæ in Villa Hoja, quæ ob hoc dicitur altera Eccleſia. Fertur; quòd omnes Eccleſias, quas B. Maternus in illa Diæceſi conſecravit, B. Mariæ conſecravit, quamvis poſt aliter ob alios denominatæ ſint. In Tungris verò dedicantur Eccleſiæ ſanctorum usq; ad numerum ſeptuaginta duarum Congregationum, & tunc Beatus Maternus eligitur Tungrenſis Epiſcopus à populo anno Domini centeſimo primo (in quodam Chronico habetur centeſimo ſecundo.) Pontificatûs ſui Trevirenſis annô decimò; Colonienſis verò quinto, Clementis Papæ ultimo, trajani verò Imperatoris annô ſecundô.* Hæc ibidem. Perſtitit autem Tungris Epiſcopalis ſedes usque ad *S. Servatium* Epiſcopum decimum, ſub quo ea contigêre, quæ nos in Leodienſis & Trajectenſis Eccleſiæ deſcriptione meminimus, ad quarum utrámque eadem ſedes ſucceſſivè translata eſt, & demum in Leodienſi usque hodie perſtitit. Sed ut nos ad ſcopum noſtrum deveniamus, monſtrandum eſt, an Tungris unquam clericalis eáque votiva vita floruerit? Rem difficilem aggredimur, cùm penè omnia in tenebris deliteſcant. *S. Maternum* juxtà principia à nobis tradita, & ſolidiorem hiſtoriæ veteris veritatem Tungris communem vitam inſtituiſſe, dubitare nequit, & ſeptuaginta duæ illæ congregationes Eccleſiis adjunctæ aliæ niſi clericales eſſe non poterant. Sed cùm turbo perſecutionum maximè ſæculô 4tô. Selectiſſimos Eccleſiæ flores exureret, & paſſim templa cum habitaculis clericorum rabie tyrannorum devaſtarentur, Tungrenſem Eccleſiam æquali ſorti ſuccubuiſſe, ex *S. Servatii* actis docemur. Nam eôdem ad ſuperos ſublatô illam centum & octo annis, adeóque usque ad 512. Chriſti paſtore proprio vacâſſe, Chronicon Magnum Belgicum obſervat. Et quamvis annô mox dictô à Patribus Concilii Aurelianenſis conſtitutus ſit Epiſcopus Tungrenſis *S. Agricolaus*, non tamen hic Tungris, ſed Trajecti ſedem ſuam fixerat, cauſam addit idem Chronicon *deſtructionem Tungrorum Civitatis.* Usque dum demum ſe ſe aliquantùm hæc Eccleſiæ circa annum 600. recolligeret, quo fieri potuit, ut (cùm *S. Gondulphus* ad Epiſcopatum eôdem anno trajecti elevatus tungrenſem civitatem renovare pararet, prohiberetur autem divinitùs immiſſis lupis, quæ colonos diriperent,

& igne

& igne cœleſti, qui ædificia recentia depaſceret) ſaltem id ei Divini concederetur ſolatii, ut aliqua virorum religioſorum colonia ex tunc in eadem perduraret. Certè Ebvigiſum Epiſcopum Tungrenſem ac Trajectenſem ab annò 621. conſtitutum legimus, ex hac urbe natum; adeóque hoc tempore Tungri ſine incolis non fuêre. Clariorem de renovatà Tungris diſciplina Eccleſiaſtica, templóque cum habitaculo clericorum conſtructo Epocham nobis aperit vita *S. Landoaldi* circà annum Domini 650. in qua legitur apud Harigerum Cap. 1. eundem Archipresbyterum Tungrenſis Eccleſiæ fuiſſe factum, quòd ſanè innuit, tum & Eccleſiam Tungris fuiſſe, & Collegium Clericorum. Ex Bulla Clementis 8vi datà an. 1593. Eccleſiæ, capitulóque Tungrenſi diſcimus, integram ejus reſtitutionem tempore *Caroli* Magni contigiſſe, quò pars hujus Eccleſiæ dicitur circà annum Domini 804. per felicis recordationis *Leonem* tertium Pontificem Maximum conſecrata; *nec fuit* (addit mox ſummus Præſul) *ut accepimus in tota Belgica Provincia propter ejus magnitudinem & fabricam alia ſplendidior Eccleſia*. Hæc autem Eccleſia, ut narrant documenta Archivii Tungrenſis apud Foppenſium præcipuò Ogerii Ducis Daniæ beneficiò, ejuſdem *Caroli* Magni diebus, poſtquam ab Hunnis devaſtata fuerat, reædificata eſt: quod quidem de ejus plena perfectione intelligendum, cùm antea, ut aliis in locis pluribus contigit, modico ſumptu, viliſque compactura jam fortaſſe extiterit, ſed nos nullatenùs adeò huic ſententiæ inhæremus, ut abſolutè efflagitemus evincere Eccleſiam Tungrenſem ante ſæculi noni initium è ſuis cineribus ſurrexiſſe; nam has ſolas conjecturas, quibus hactenùs innitimur, non ſufficere ad plenam probationem novimus.

Quòdſi ergò ad Carolina tempora ejus eſt referenda reparatio, etiam inde certior nobis communis vitæ illucet notitia: eadem enim documenta ſuprà relatis ſubjiciunt, *Ogerum* ad illam Eccleſiam reſtaurandam à Deipara Virgine fuiſſe admonitum, ibique dein eum viginti Canonicos *conventualiter* viventes inſtituiſſe. Quæ vox quàm maniſeſtè in illis Canonicis *regularitatem* demonſtret, ulteriore probâ non eget. Deníque labentibus iterùm ſæculis, ſicut ſplendore ac majeſtate materialis ædificii, ſic & in regularitate morum, vitáque votiva labefactata eſt, ut nunc in ea utrúmque deſideretur.

Sita eſt urbs Tungrenſis ad fluv. Jecoram 3. milliaribus diſtans Leodio. Chron. Belg. in diverſ. locis ad annos citat. Hariger. cit. Foppenſ. nov. collect. Part. 2. c. 130.

Vallis Benedictæ Præpoſitura. *Fund. 1204. Ord. Ciſterc.* Fundavit eam an. 1204. Decanus Eccleſiæ *S. Pauli* Leodienſis, *Otto* nomine, & Canonicis Regularibus incolendam conceſſit. Cujus primus Prior exſtitit *Balinus* de Novo hoſpitali, vir prudens & circumſpectus. Quod iſtud hoſpitale? ſuperiùs (ubi de S. Matthæi Prioratu egimus) videri poteſt. Cùm graviſſimi bellorum motus infeſtarent Leodium, Virginéſque Robertimontanas eàdem procellæ in urbem jactarent, miſeratus vices, Canonicos Regulares Graverjam tranſtulit *Otto*, Vallè Benedictâ inſtituti ciſtercienſis Veſtalibus conceſſâ; à quibus etiam his noſtris tempotibus incolitur. Chron. Belg. f. 236. Bucel. Germ. ſac. Par. 2. Fiſen. t. 1. pag. 277. n. 26. & 317. n. 9.

Udenheimenſe S. Spiritus Prioratus Windesheimenſis. *Fundat. ... Floret.* *Henricus* Raeſius Trajectenſis *S. Mariæ* Eccleſiæ Præpoſitus, magnum ſibi vectigal ex pieta-

pietate facturus, duo in cultum Numinis Sacella conſtruxit, unum in villa Ganſuichiana Vallis gratiæ nuncupatum, alterum Udenheimii, quod uſui ſtudioſorum pauperum in domicilium deſtinavit: Verùm utrúmque poſtmodùm aſſentiente *Joanne* primo Cliviæ Duce Canonicorum Regularium effectum eſt monaſterium. Cùmque primùm in Udenheimenſe introducerentur, Windeſemenſis ſimul Congregationis membrum eſſe voluerunt, ſed interlapsò modico tempore tranſlati in alterum Vallis gratiæ locum, *Udenheimenſe* S. Sepulchri Canonicis de monte *S. Odiliæ* extradiderunt. Demùm Valle gratiæ annò 1590. per tumultus Belgicos vaſtata, Windeſemenſes noſtri Udenheimenſi reſtituti ſunt, quod uſque hodie ſua regulari ac inculpatâ vitâ illuſtrant, præſule Reverendiſſimo ac ampliſſimo Domino N. Claſens.

Exiſtit in ipſa urbe Udenheimio. Buſch. Chron. Wind. L. 1. c. 45. Teſchenm. Annal. Cliviæ &c. pag. 187.

Fund 1210. Ord. Ciſterc. Vinea noſtræ Dominæ Prioratus Virginum Canonicarum. Fundavit hunc de conſilio, & aſſenſu *Joannis* Epiſcopi Leodienſis anno D. 1230. Reynerus Belli Fageti Canonicorum Regularium tunc conſtitutus Prior: qui, ùt legitur in Chronicis Leodienſibus, *unam partem bonorum ſuorum Clero dedit, & alteram monialibus:* hæc Reyneri Prioris legatio ſatis inſinuat, adhuc ſæculo 13. Canonicis Regularibus ſolita fuiſſe vota ſimplicia, de quibus in Exegeſi noſtra plura tractavimus. Fuit autem tum Canonicorum noſtrorum, & Virginum ea vivendi ratio multis in locis, ut eôdem cum fœminis viri cœnobiô clauderentur, quamvis habitationibus disjunctis: hæc tamen cùm obtrectationibus non rarò obnoxia eſſet communio, *Apianus* Epiſcopus Leodienſis conſtituit, ut ſuo in Bello-fageto manerent Canonici, in vetus Vinetum transmearent Virgines Mathilde Antiſtitâ eis præſidente circà annum D. 1235. hæ dein omnes, ùt in vetuſtis documentis legitur, *ſtrictioris diſciplinæ deſiderio* Ordinem Ciſtercienſem ſuſceperunt. Ex relatis autem ſupplebis, quæ Galliæ Chriſt. noviſſimus Editor de incerto hujus cœnobii Auctore, ac tempore edixit. Chron. Belg. pag. 256. Fiſen. t. 1. pag. 322. n. 18. Gall Chriſt. tom. 3. coll. 1040.

Venninceſenſe. Prioratus Virg. Canonicarum. *Fund. i? Exſtinctum.* Originem hujus Parthenonis adhuc tum ignorare cogimur; dum de ejus non niſi reformatione, tempore & induſtria Joannis Buſchii facta, ab eodem edocemur: qui reſtaurationis hujus Cœnobii hiſtoriam per longum texens inſinuat, ingenti opera, ac labore opus fuiſſe puellas iſthìc commorantes & à via virtutis penitùs devias reducere. Præcipuè cùm ſuæ laxitatis Patronoa haberent ipſum tunc præſidentem Mindenſem Epiſcopum, fortè *Albertum*, proceréſque omnes terræ illius; ſi ſolum Willhelmum Seniorem Brunſvicenſem exciplas, pro reformatione Apoſtolica inducenda virum Zeloſiſſimum. Nos hanc hiſtoriam ad litteram hìc daremus, niſi ob majorem prolixitatem conſultiùs crederemus ad opus ipſum differendam. Aſſenſêre tándem Moniales reformationi, exceptô habitu, ùt notat Buſchius, verùm tempore ſectariorum invaleſcentium & hîc Parthenon periit.

Werthanum. Prioratus Windeſemenſis. Hujus nullam aliam notitiam nacti ſumus, niſi quam nobis communicatus Prioratuum Windeſemenſium Catalogus ſuppeditavit, ſolo ejus nomine indicatò, & quidem tanquam adhuc florentis.

Exiſtere propè Ruremundam alioquin edoctus ſum.

CIRCU-

CIRCULUS SAXONICUS. SUPERIOR, ET INFERIOR.

SI Saxonia, ùt fuerat Bellorum gloriâ, fidei implantandæ ſtudiô, magnorum, ac Sanctiſſimorum virorum numeroſitate, deníque Eccleſiarum, Monaſteriorúmque fertilitate atque magnificentiâ illuſtris; ſic amodò eſſet Religionis avitæ obſervandæ firmitate præclara, neutiquam dubitarem, eandem omnibus reliquis Germaniæ Provinciis præferendam. Verùm ubi Lutheri impii Evangeliſtæ nefanda dogmata paſſim utrumque Circulum Saxonicum infaſcinàrunt, atque hæreticis tenebris involverunt, pauciſſima ſunt, quæ cum præconio ſaltem pro moderno tempore proferamus. Novimus enim, quot eximios Epiſcopatus Principum cupiditas ſuis temporariis immolaverit emolumentis, exſtinctâ in eis omnino Pontificia religione: novimus quoque non abſimiles vices, imò adhuc longè infeliciores ſubiiſſe ingentem copiam nobiliſſimorum monaſteriorum, quæ ſi univerſim deleta & in uſus hæreticos converſa in unum numerum colligeremus, profectò facilè quingenteſimum exſuperatura miraremur: quippe quòd ex ſolo ordine noſtro in mappa, & annexo Elencho nonaginta unum annotaverimus, multis adhuc nobis incognitis, aliis verò editâ jam mappâ per amicos inſinuatis, atque ideò in appendice referendis. Tantam ſcilicet ſtragem pietati, ac virtuti infligere Hæreſis ſemper ſolet, *quæ non niſi damnis paſcitur alienis*, ut inquit Bernardus ſerm. 65. ſuper Cant. Sub ſpecie quidem Zeli, & Charitatis mutata ſunt multa Deo dicata Cœnobia in Gymnaſia puerorum, querentibus ipſis hæreticis, atque cauſantibus, quòd, cùm piæ intentiones Fundatorum ſubverſæ, ac ſuppreſſæ ſint negligentiâ, otióque monachorum, iidem quodam velut conſcientiæ armati ſtimulô reſtituerint clauſtra Originariæ fundationi. At quam illi aſſignent, docebit imprimis Vadianus, dum in præfatione ſua in farraginem Antiquitatum de Origine Monaſteriorum: poſtquam Satyricè ſatis primam cauſam monaſteriorum fundandorum traducendo dixiſſet ipſorum Benefactorum ſpem fuiſſe *obtinendæ exinde retributionis æternæ*,

ſi vita monaſtica vacuitati pro virili adeſſent, illique ceu offi ina juſtitiæ quidlibet largirentur, & quidquid horum libertati ad manum fuit, Virtuti, ac religioni datum eſſe, otio verò inertiæ luxui & voluptati nè hilum quidem. Poſtmodùm ſubjungit: *non hoc modò ſolùm antiqua monaſteria inſtituta, & condita fuiſſe: ſed illa etiam, ut, quoniam gentium Germanicarum eruptionibus, cultus omnis ſtudiorum, & litterarum elanguiſſet, ſcholarum vice cœno ia eſſent, in quibus edocti & inſtituti monachi & Clerici, non ſacris modò privatis, ſed publicis quoq; functionibus adhiberi, imprimis autem illis prodeſſe Eccleſiis poſſent, quarum cura & adminiſtrationi eſſent adhibiti.* Accedit Vadiano Meibomius dicens: *Canonicos inſtitutos fuiſſe non aliundè, niſi ut eſſent Canonicæ Scripturæ interpretes, & monaſteria, cùm eſſe inciperent Caroli Magni ac jam anteriori tempore, non alia fuiſſe, niſi Phrontiſteria, lauras & Aſceteria,* videlicet, ùt ipſe exponit *loca ſacra, in quibus præter continua pietatis exercitia, juventus veram de Deo doctrinam ſimúlque artes & linguas neceſſarias quotidie addiſceret.* Omitto ſubſequa, quæ in univerſum propè ſtatum Eccleſiaſticum ac regularem evomit Vir alioquin eruditus, at in rebus fidei nimis improvidus, præcépsque Calumniator Meibomius. Cùm igitur, ùt ipſi ajunt Heterodoxi, principalis illa fundationis ratio erudiendæ juventutis in monaſteriis Saxoniæ evanuerit, eveneritque verum eſſe, quod Hildebrandus ejuſdem farinæ cribrum enunciavit nempè:
De Religioſ. p. 34.
quòd monaſticam vitam neceſſitas invenerit, religio aluerit, ſuperſtitio ditaverit. Hinc abundantem cauſam noviſſimis Evangelicis Reformatoribus adfuiſſe, ut monaſteria in Gymnaſia mutarent. Quaſi verò ſi tanta Ratio pugnavit pro alenda, inſtruendáque juventute, non major pugnaverit pro laude Divina, quam impia hæreticorum turba ſuperſtitionem nuncupat, quod dignitas ſacerdotalis non obviè, ùt illis conſuetum eſt, cuíque opilioni, ad placitum Magiſtratûs deferatur. Obteſtantur ſanè hi ipſi nè fundationes in profanum uſum transferantur, nève monaſteria redigantur in acervum lapidum, at tota hæc obteſtatio non tendit niſi in eorum temporale emolumentum: quod an ipſi de monachis, religioſiſque tam generaliter effari poſſint, quemvis juſtum, ac æquitatis amantem in arbitrum voco. Nihil iſti unquam prætenderant dotis amplioris, niſi quod ſuffecerat ad eam ſuſtentationem, quâ ſecuriores, & expeditiores à cura corporis Deo ſervire poſſent liberiùs, quemadmodùm fortè ipſi moderni ſectarii monaſteriorum Poſſeſſores, ac Profeſſores dicent, augmentum annuæ penſionis ab ipſis depoſci, ut liberiùs ſtudiis ſuis vacare valeant: quodſi ergo hoc licet ob commodum terrenum, cur non expediat ob honorem Divinum? Religioſi piorum munificentiâ ſuos proventus obtinebant, ut orarent diù, noctúque pro incolumitate eorum; profeſſores iſti participant illorum bona, ut ſibi ſuíſque uxoribus, ac prolibus proſint: dumque illi vigilabant in choro, iſti dormitant in thoro, non foliorum Sacrorum, ſed doliorum magìs ſolliciti. Et ſiquidem monachi quandóque laborabant pro accremento bonorum, id induſtriæ tendebat pro conſervando in cœnobiis inſtituto ſacro ſemel inducto; at ſectariorum Prædicantes privato ſuo ſpiritu acti prolificam ſuam familiam ſuſtentandam quærunt, non rem ſacram, ideo cæremonialia, imagines, & quidquid ad extrinſecum gloriæ Divinæ apparatum dirigitur, tanquam ſuperſtitionem damnant, ut ſcilicet aſſignatæ pro

his

his piæ fundationes ampliori lucro cedant ad eorum replendum marſupium: Cœcus eſt, & Dux cœcorum, qui hæc non videt, aut videre ſe negat.

Non equidem is ſum, ut Religioſorum omnem converſationem excuſem, afferámque aut, defendam, nullam in his repertam unquam, vel deprehenſam fuiſſe deviationem à bono, aut improbitatem etiam ſummè cenſoriam. Novi enim contra me, tale quid propugnantem, omnes veteres æquè, ac recentiores Catholicos Scriprores peroraturos. At ſtantibûs etiam (ſæculô decimô quintô inclinante, ſubſequóque exordiente) tantis monaſteriorum diſſolutionibûs, an non dabatur alia via reducendi ea ad primæ fundationis normam, niſi, ut aut omnino diruerent illa ad infimum penè lapidem, aut fide Catholica contritâ, nova nuptialium hominum ſecta introduceretur? neque juvat prætexere illam juventutis inſtruendæ pietatem; non etenim latenr hæreticorum communes fraudes, ac ſimulationes, de quiquibus Gregorius M. ait, *quòd permiſcent recta perverſis, ut oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant, & exhibendo mala latenti eos peſte corrumpant.* Intereà quia certum, *nullam hæreſim*, reſte S. Hieronymo L. 1. ſuper Jerem. c. 3. *niſi propter gulam, ventrémque conſtrui.* Satis Lutheri reformatio ſe ipſam accuſat, damnátque, qualis ſit. Quodſi igitur ex parteFundatorum mens, ac voluntas in conſtruendis monaſteriis fuerir juventutis Inſtructio, eáque neglecta tum ſit, quando Lutherus hanc pulcherrimo ſuo gaſtrimargiæ dogmate primus cæpit informare, an non dabatur alia methodus recuperandi hanc laudatiſſimam voluntatem Fundatorum, niſi ut deficiente, aur labeſcente iſtâ parte, deſtrueretur & altera; ſicque in rorum

L. 5. Moral c. 10.

clauſtra exſecrarentur, ſponſæ Chriſti violarentur, vocifragi homines in cœlum uſque laudibus attollerentur, & his ſimilia, quæ non pauci etiam ex ipſis doctioribus Lutheri aſſeclis abominantur? profectò non eſt iſta Eccleſiæ reformatio, ſed deſolatio. Verùm quid nos hæc deploramus jam facta, nec emendanda? quid ingemiſcimus tot devaſtata Saxoniæ Cœnobia? cùm præſtet Sanguineis etiam lachrymis deflere illam inennarrabilem copiam pereuntium animarum hâc Sathanica Lutheri, Calvini, Melanthonis, & peſſimorum quorumcúnque hominum cauſatâ reformatione. Igitur cùm ex centum & ſex noſtri inſtituti monaſteriis non reperiamus niſi octo florere in tam ampliſſima duplicis hujus circuli Saxonici Provincia, ſatis eſſe debet, ut nos ſolemur, ſaltem tot aliquando in his rerris floruiſſe. Intereà ad eorum ſynopticam, ùt fieri poteſt, deſcriptionem progredimur.

S. Afræ Præpoſitura.

Fund. circ. 1060. extinctum.

Cùm multis perquiſitis antiquis documentis nihil peculiaris notitiæ occurrerit; ſolùm nobis ea, oportet, ſufficiant, quæ tum ex Chronico Sereni Montis, tum ex Bolandiſtis perpauca diſcimus, nempè: olim Canonicorum Regularium fuiſſe inſigne Cœnobium, erexiſſéque illud *Reinerum* Epiſcopum Miſnenſem, circa annum 1060. floruiſſe verò uſque ad annum 1541. quo diſſipatis, exactíſque cum Catholica religione Canonicis, in opimum juventutis Lutheranæ Seminarium ceſſit. Eminuit illud multis tum Præſulibus, rum aliis viris præclaris, quibus aliquot Canonicorum Regularium monaſteria in Saxonia ex eodem celeberrimo Collegio fuêre proviſa.

Exſtitit in urbe Miſnenſi. Chron. Mont. Seren. acta SS. ad 5. Aug.

in Comment. prævio c. 1. n. 8. Fabricius in Annalibus Miſn.

Fund. ſæc. 10. exſtinctum. Altenburgenſis S. Joannis Cathedralis. Cujus bodie vix ampliùs veſtigium reperitur, multis viciſſitudinibus, & fatis iniquis jam propè à ſui fundatione ſubjecta dicitur, Narrationem verò de ea præcipuè ex Helmoldo, aliiſque Septentrionalium rerum Scriptoribus colligemus. Originem ſuam hæc Epiſcopalis ſedes *Ottoni I.* debet Magno Imperatori, qui inter eos, quos hic piiſſimus Princeps in partibus Aquilonaribus conſtituerat Epiſcopatus, hunc jam ſeptimum numeravit, prout ex Helmoldo diſcimus, dum ait apud Kornerum: *Otto Imperator ſeptimum Epiſcopatum fundavit in terra Slavorum in Aldenburg, præficiens ei primum Epiſcopum Marconem.* Idem verò Helmoldus ſcribit, ereviſſe in hac diœceſi populum fidelium, nec defuiſſe aliquid, quod novellæ Eccleſiæ adverſaretur omni tempore Ottonum, quorum tres, ait, ſe comperiſſe: quod & verum eſt, qui omnes Imperium confecerunt ab annô 962. ad annum 1002. Quodſi computum à Regia Coronatione *Ottonis I.* ordiamur, ſtatuendus eſt annus 936. Danos autem, ſeu Slavos ſubegiſſe jugo Chriſti notatur *Otto* annô 949. inter hos annos quinquaginta duos (qui nempè ab annô 949. ad 1002. decurrerant) probabile eſt Epiſcopos Altenburgenſes, quos uſque ad excidium Altenburgenſis Eccleſiæ quatuor Helmoldus numerat, ſuæ Metropolitanæ Eccleſiæ quoddam junxiſſe Clericorum collegium, & profectò non aliud niſi regulare: audiendus hanc in rem Krantzius, dum de Magdeburgenſis Cathedralis inſtitutione diſcurrit. *Tum verò*, inquit *in Magdeburgo crediderim regulares fuiſſe Canonicos, ſicut ferè per omnes Eccleſias: donec degeneraret in eam, quæ nunc eſt, formam, quæ ſi Deo placita ſit, ipſe novit: Cæterùm ſcripturis & legibus &c.* & Krantzium per hos *Regulares* non intelligere tales, quos recentiorum quorundam ſcriptorum eommentum effinxit, id eſt, regulares ſine voto, de quibus antiqui nè quidem ſomniaverant; ſed eos, qui votivi exiſtebant, colligitur ex mox ſubjectis illius verbis, dum ait: *talibus cùm accederet regularibus, cum nova Regula Northertus, facilè obtinuit, ut novitati cederent, ſumentes habitum ejus, ut Northertini dicerentur.* At *Nortbertus* non acceſſit Regularibus ſæcularibus, ùt illi ſolent à quibusdam, velut dixi, nuncupari, ſed Regularibus votivis, quemadmodùm nullum eruditum vitam *S. Norberti* legentem Latet. Quodſi verò *ferè per omnes Eccleſias floruerunt Canonici Regulares*, certè, ac indubiè, in Eccleſia quoque Altenburgenſi id prudenti illatione arguere licet, eùm certiora alioquin pro hac ætate deſint documenta: firmátque opinionem noſtram, quod Helmoldus Cap. 16. ait: *Aldenburgi*, ſcilicèt an. 1001. *cùm Otto III. fatis ceſſiſſet, Slavos fide Chriſtiana deſertâ, & reaſſumpto gentili ritu crudeliſſimè in Chriſtianos, præſertim in ſacri ordinis homines deſæviiſſe: Narrant*, inquit, *ſeniores Slavorum, qui omnes Barbarorum geſtas res in memoria tenent, Aldenburg civitatem populatiſſimam de Chriſtianis inventam fuiſſe. Sexaginta ergò Presbyteri cæteris more pecudum obtruncatis, ibi ad ludibrium ſervati ſunt. Quorum major loci Præpoſitus Oddar nomen habuit.* Si ergo Præpoſitus Aldenburgi fuit, fuère & qui ſub eo vixerant Canonici, quod Præpoſiti nomen & officium neceſſariò depoſcit.

Ab eo verò tempore Altenburgenſes ſemper in deteriora prolapſi ſunt, Epiſcopatu adeò per Principes ipſos, qualis *Bernardus* Saxo-

Saxonum Dux fuerat, & impios homines expilatô, ut vix ſuſtentando ampliùs clero ſufficeret. Et quamvìs ſub *Godeſchalco* aliquantùm Chriſtiana religio proficeret, eô crudeliter occisô exciſa eſt ſors omnis Altenburgenſis Eccleſiæ. *Accidit autem*, inquit Helmoldus, *perturbatio hæc in Slavorum provincia, anno poſt Incarnationem Domini milleſimo ſexageſimo ſexto, anno Regni Henrici IV. octavo. Et vacavit ſedes Aldenburgenſis annis octoginta quatuor.* Neque ſolùm Altenburgenſi Eccleſiæ hæc fata acciderunt: ait enim idem Helmoldus, adeo cultum Divinum in univerſa Slavia defeciſſe, *ut non eſſet Eccleſia, nec ſacerdos niſi in urbe tantùm, quæ vetus Lubika dicitur.* Id eſt Lubeca. Tandem circà annum Domini 1148. reſpirare, & levare ſuppreſſum mærore caput incæpit religio Chriſtiana; cùm ſcilicet *Hartvvicus* Archiepiſcopus Hamburgenſis reductâ Principum temporalium concordiâ occaſionem nactus eſt deſolatos reparandi, quos ſibi ſubjectos habuit, tres Epiſcopatus, *Ratenburgenſem*, *Mecklebùrgenſem*, & hunc noſtrum, de quo agimus, *Altenburgenſem*, qui idem per *Adelbertum* Hamburgenſem in tres prænominatos Epiſcopatus diſſectus eſt, cùm antea unus hic univerſam terram, quam Polabii & Obotriti incolebant, à terminis Holzatorum uſque ad flumen *Panim* & Civitatem *Dimin* in ſuo diſtrictu Eccleſiaſtico contineret. Igitur *Hartvvicus* virum virtute non minùs, quàm prudentiâ probatum renovato Epiſcopatui Altenburgenſi impoſiturus *Vicelinum* advocat: de quo nos aliquando per ordinem plura daturi ſumus. Hæc interim iſthìc ſufficiant, ut breviter oſtendamus, eundem & vitam votivo-Canonicam fuiſſe profeſſum, & hanc ipſam, quantùm fieri poterat cum ſuis ùt Epiſcopum Altenburgenſem obſervâſſe. Dico, *quantum fieri poterat*: obſervo enim ex eodem ſæpè laudato Helmoldo Congregationem, ſeu Collegium Cathedrale tum Altenburgi non fuiſſe conſtitutum. De *Geroldo* enim Epiſcopo Altenburgenſi verba faciens, qui ad annum juxtà Helmoldi computum electus eſt 1154. & conſecratus à ſummo Pontifice annô ſequente, hæc ait. *Quia Congregatio Clericorum non habebatur in Aldenburgenſi Epiſcopatu præter eam, quæ erat Cuzelinæ, quæ alio nomine dicitur Hogereſtorph* (vide quæ dicimus in deſcriptione Hagerſtorpenſis Cœnobii) *annuente Duce fecit eos transmigrare Segeberns ad locum primæ fundationis, quatenùs in ſolennitatibus, quando Pontificem oportet eſſe in populo, haberet in Clero ſupplementum, quod licèt Ladolpho Præpoſito, & fratribus videretur incommodum, propter tumultus fori, ceſſerunt tamen conſilio majorum, cui refragari locus non erat, & fecit illuc domum Epiſcopus.* Itàque quamvìs *Geroldus* eſſet Epiſcopus Altenburgenſis, attamen reſidentiam ſuam obtinuit in principio, ùt audivimus, in Hagerſtorphenſi cœnobio: quod clariùs innuit Cap. 82. dum ait: *Ingreſſus Epiſcopatum* (Geroldus nimirum) *non invenit ſtipendia, quibus vel ad unum menſem ſuſtentari poſſet; ſiquidem Falderenſis domùs* (hæc tempore *Vicelini* erat quaſi Collegium Altenburgenſis Cathedralis) *poſt mortem B. memoriæ Vicelini Epiſcopi commodo ſimul & quieti conſulens ad Hammaburgenſem Eccleſiam ſeſe tranſtulerat. At Ludolfus Præpoſitus & fratres in Hagereſtorph ſatis ſibi eſſe judicabant, ut Epiſcopum ingredientem & egredientem hoſpitiò colligerent.* Ne verò Altenburgum ſpirituali proviſione omninò tunc careret, ex Falderenſi Monaſterio (non minùs Canonicorum Regularium) accerſivit *Brunonem*, & *transmiſit eum*, verba ſunt Helmoldi, *Aldenburg, ut cu-*

raret ſalutem populi illius: demúmque etiam Adelburgum hujus Brunonis ope monaſteriò providit, ùt infrà dicemus: patet igitur ex relatis Altenburgenſem Cathedralem verè Canonicis Regularibus conſtitiſſe.

Translatus dein eſt Epiſcopatus Altenburgenſis Lubeckam, quod habemus non ſolùm ex Helmoldo, ſed etiam, quo anno id factum ſit, ex Anonymo Auctore Chronicæ Slavicæ apud Lindebrogium: dum ait: *anno Chriſti* 1174. *ad preces Geroldi tranſtulit Henricus Epiſcopatum de Aldenburg ad Lubic, quia Aldenburg depauperabatur peccatis exigentibus, & Lubec locus commodiſior pro Epiſcopatu de die in diem ditabatur, & muniebatur.*

Translata verò hôc modô Cathedrali, attamen ſuo in vigore, ac virore præſtantiſſimis viris fæcunda permanſit longis temporibus Falderenſis Præpoſitura, promotis etiam ad infulas exteras non paucis eorum, ùt ſuo loco videbimus.

Cæterùm ſituabatur Altenburgum ad littus maris Baltici, quæ, dum jam tempore Alberti Krantzii exigua adhuc reſtarent veſtigia veteris gloriæ, multò in majorem ruinam dilapſa eſt urbs iſta ad noſtra uſque tempora, ita ut vix ampliùs oppidi nuncupationem ſua vilitate adæquet. Helmoldus in Chron. Slavorum. L. 1. cap. 12. 24. 35. & Krantz. Wandal. L. 2. c. 31. pag. 43. & alibi. item Metrop. L. 2. cap. 7. & L. 6. cap. 12. vita Vicelini. apud Leibn. t. 1. p. 778. & ſeq. Chronica Sclavorum Auth. Anon. apud Lindenbrog. Script. ſeptent. Cap. 29. pag. 200. Chronicon. Lubecens. Edit. Meibom. t. 2. p. 393.

Fundat. ---- *Exſtinctum.*

Altenburgenſe S. Mariæ Præpoſitura.

Hujus equidem nec originem nec Fundationis tempus neque alia fata indagare potuimus, fuiſſe tamen ordinis noſtri monaſterium, & quidem Præpoſituram, colligimus ex litteris, ſeu mandato Viſitationis inſinuatæ per Præpoſitos Monaſteriorum Novi Operis, & S. Mauritii propè Hallas Canonicorum Regularium, qui tum fuère Joannes *Buſchius*, & *Paulus*. In hoc mandato disertè inter virorum monaſteria nominatur *ad B. Virginem in Aldenburg*. Igitur non ambigendum, præclarum horum virorum Zelum etiam iſtud monaſterium reformâſſe circà annum 1451. Verùm quamdiu illud dein in ſanctâ converſatione, ac regulari diſciplina permanſerit, nobis ex defectu documenrorum non liquet, præcipuè cùm certum ſit, illud poſtmodùm cum pleriſque Saxoniæ cœnobiis hæreticorum infeſtatione periiſſe.

Buſch. L. 4. de refor. monaſt. cap. 6. apud Leibn. t. 2. p. 960. Schamelius in hiſt. Goſegk. Monaſt. p. 76.

Amenslovenſe SS. Petri & Pauli. Præpoſitnra.

Fund. 1120. *Exſtinctum.*

Exſtiterunt hujus Cœnobii Fundatores Comes *Thiedericus de Grieben* & Uxor ejus *Amelrada* circà annum Domini 1120. extraditum id primùm eſt Canonicis Regularibus *S. Auguſtini*, quod patet ex Bulla ab *Honorio II.* Pontifice Hamerslebienſi Monaſterio conceſſa, in qua unio octo monaſteriorum ordinis noſtri ab eodem ſtabilitur, inter quæ octo hoc ipſum, de quo agimus, Amenslovenſe diſertè nominatur: ait enim ad Thietmarum Hamerslevenſis Eccleſiæ Præpoſitum: *quia te dilecte in Domino Fili Thietmare Præpoſite, Divinis mancipatum obſequiis vivere religiosè accepimus., tuis rationabilibus poſtulationibus duximus annuendum. Loca igitur veſtra clauſtrum videlicet Hamerslevenſe, Clauſtrum S. Joannis Bap. in Halberſtad, Clauſtrum*

ſtrum S. Laurentii in Sceningen, Clauſtrum Caldenbrunen, Clauſtrum Reichenberg, Clauſtrum Amensleve &c. Moxque deinde ſtatuit, *ut Religioſus Ordo ſecundùm Deum, & B. Auguſtini Regulam in eisdem clauſtris inſtitutus, & ſacræ inſtitutiones ab ipſis ad Religionis obſervantiam ſtabilitæ futuris perpetuò temporibus inviolabiliter obſerventur.*

Porrò cùm paucis poſt annis moreretur tum Fundator *Thiedericus* tum Conjux illius, pia horum inſtitutio per *Hermannum* filium dictiFundatoris immutata eſt. Dum enim huic magis affectui eſſet Monaſtica, quàm clericalis vivendi forma, ſuis duobus Fratribus Ottone, ac Thiederico ad hoc inductis ipſe *D. Norbertum* Magdeburgenſem tum Archiepiſcopum adiit, & ſuo propoſito demum aſſentientem obtinuit: unde Canonicis aut dimiſſis, aut ipſis forte inſtitutum iſtud amplectentibus, idem Hermannus, ùt litteræ *Conradi* Archiepiſcopi Magdeb. & D. Norberti Succeſſoris referunt, *eandem Eccleſiam ex hæreditate Parentum ſuorum conſtructam in manus piæ memoriæ Deceſſoris ſui Norberti ----- libertate donavit, & ex Clericali Ordine, in monaſticam religionem per Dominum Arnoldum Abbatem ex Bergenſi Cœnobio transmutavit.* Quod ſub Conrado factum, ùt litterarum Chronologica ſubſcriptio exprimit: *anno Dominicæ Incarnationis* 1129. *Indictione* 7.

Hoc Cœnobium ſub Benedictino inſtituto in Abbatiam converſum unitum fuit Burſfeldenſi Congregationi, &, ùt obſervat Leukfeldius, adhuc ſubſiſtit, quod nos in Elencho noſtro exſtinctum notavimus, de quo Lectorem monere voluimus. Exiſtit propè Parthenopolin. Leuchfeld. in Antiq. Burſfeld. c. 3. p. 53. & ſeq. idem in Antiq. Kaltenbor. Meibom in Chronico Monaſt. Berg. pag. 299.

S. Auguſtini Præpoſitura. *Fundat. exſtinctum.* Antiquiorem eſſe, quàm, ut de ---- ejus origine quidquam ex documentis ſcribamus, indubium eſt, utpote, quòd nil, niſi ejusdem reformationem ex iis doceamur; hanc verò Buſchius in ſuo opere de reformatione monaſteriorum ſuggerit, nos tamen eandem referendam ad ipſum opus rejicimus, iſthìc ſolùm memorantes hujus loci Canonicos, adeò à regulari diſciplina ad medium ſæculi decimi quinti deviâſſe, ut ſcribat Buſchius inquiens: *in Viſitatione eorum* (id eſt, Canonicorum *S. Auguſtini* Herfordiæ) *invenimus omnes ſine reformatione, & ſine trium ſubſtantialium obſervatione, nec regulam ſuam, nec ſtatuta obſervantes. Sed conſtitutis ibidem duobus de Novo Opere fratribus*, *Hermanno de Arnheim*, *& Hinrico de Molenbecke*, *& ordinatis ad reaſſumendam religioſam diſciplinam omnibus*, monaſterium novam iterum, ac laudabilem formam Canonicæ religionis induit: neque dubitandum, in obtento ſpirituali decore, usque tum perdurâſſe, quando demum, neſcio, quibus fatis eſſe deſiit, certè eandem non ampliùs exiſtere vel ipſum omnium modernorum Scriptorum ſilentium indicat.

Situabatur in urbe Erfordienſi. Buſch. de reform. monaſt. apud Leibnit. t. 2. p. 830.

Backerodenſe. S. Mariæ Præpoſitura. *Fundat. ſæc. und ec. Ord. Ciſterc.* Prolixa nobis de hoc cœnobio ſuppeteret narratio, ſi omnia coacervaremus, quæ de eo cognita ſunt; at paucis eandem expediemus: utpote quòd non diù adeò illud ſub noſtro inſtituto exiſtens Ciſtercienſibus ceſſerit. Itáque fundatum dicitur (teſte Chroniſta domeſtico ſimul, ac Abbate *Hinrico de Bernten*) à *Bertholdo XIX.* Epiſcopo

copo Hildesheimenſi, vixit autem Bertoldus ab annô 1112. quo electus eſt, usq́ue ad annum 1130. ùt teſtatur Chronicon Stederburgenſe apud Meibomium, & colligitur ex Chronico Hildeshemenſi apud Leibnitium t, 1. p. 746. hinc origo fundationis hujus Monaſterii ſtatuenda erit inter hos prænotatos annos: Ideò laudatus Abbas Hinricus inquit: *Bertoldus de conſenſu Fratrum ſuorum Congregationem Clericorum ſecundù n regulam S. Auguſtini communiter i 1 Chriſto viventium in antiquiſſima Villa, quæ novale Backonis dicebatur, inter condenſa ſylvarum ſituata, ſub Patrocinio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ inſtituit, anno Incarnationis verbi Dei milleſimo centenſimo vigeſimo quinto.* Quibus poſtea ab aliis Epiſcopis additus eſſe dicitur Conventus Sanctimonialium, ùt in pluribus etiam aliis Eccleſiis olim conſuetum fuiſſe narratur, magis devotione Divinæ laudis, quàm periculò ſubſequente perpenſo. Anno itáque, ut audivimus, 1125. originem hæc eximia Præpoſitura ſub inſtituto Canonico ſumpſit, egregiéque aliquot annis floruit in regulari diſciplina. Quodſi ad chronicas notas acta rerum referamus, quæ Heineccius in ſuis antiquitatibus Goslarienſibus refert, non bene inter annum 1120. & 1121. conſtitutam ab eodem hujus noſtri cœnobii fundationem conſpiciemus. Quamvis & in hoc ſibi conſtare non poſſit, quòd *Joannem Henrici* Epiſcopi Hildeſemenſis ſucceſſorem factum dicat annò 1258. quodſi enim juxtà eundem, in Canonico inſtituto Backenrodenſe hoc monaſterium ad Ciſtercienſium jura poſt centum & viginti novem annos translatum eſt ſub eodem hoc *Joanne*, profectò chronicus computus combinari non poterit ab Heineccio poſitus: nam ab anno fundati juxtà ipſum hujus aſceterii 1121. usq́ue ad primum, quo cathedram Hildeſemenſem *Joannes* conſcendit, fluxêre anni 138. non 129. Prætereà Bulla à *Joanne* expedita eſt annô 1259. & *Joannem* habemus ad Epiſcopatum aſſumptum fuiſſe annô 1257. ùt notat Leuckfeldius in Antiquit. Poeldenſ. pag. 106. §. 5. aitq́ue ipſe, fundatam fuiſſe Backenrodam 1125. & hic quidem haud dubiè ex noſtro fonte: cur enim diſcedamus ab Epocha tam ſignatè notata per Chroniſtam noſtrum, cui, non facilè inficiari quis poterit, præ reliquis cognitam ipſam fuiſſe? Quodſi ergò fundatum eſt cœnobium Backenrodenſe annô 1125. permansítque ſub primo inſtituto ad usq́ue annum 1259. ſtabunt anni 134. quibûs in eodem noſtri commorati ſunt. Honoravimus autem hanc præpoſituram, diximúsque *eximiam* fuiſſe; neq́ue id immeritò, quod nos dubitare non ſinit, Joannes ibidem Præpoſitus intrà annos 1171. & 78. diplomatibus ſubſcriptus; ac præcipuè uni, quod annô 1178. Richenbergenſi monaſterio contulit *Adelbogus* Epiſcopus Hildeshemenſis: in eo ſiquidem præterquam quòd Joannes iſte Præpoſitus Backenrodenſis tanquam teſtis ſubinſertus legitur, inſuper in adjecta clauſula hæc habentur: *Data per manum Johannis Backenrodenſis Præpoſiti prænotato loco ac tempore in Chriſti nomine Amen.* Qua formula ſubſcripſiſſe videtur ùt Epiſcopi Cancellarius. Non tamen crediderim ſimplici notariatûs apud eum munere functum fuiſſe, ſed potiùs eô, cujus prærogativâ notarios ſibi ſubjectos habuerat, de quo Mabillon. in ſuo Cod. Diplom.

Demum infeliciſſimo inimici omnis boni aſtu, fatóque factum eſt, ut dilabente paulatim diſciplinâ, perverſi in Canonicos mores inducerentur: causáque hujus præci-

præcipua adſcribitur aſſociato fæmineo ſexui, quod quidem ex ipſis Chroniſtæ noſtri relatis verbis colligi datur. Ruebant autem ſemel aſſumpto caſu in tantam perverſitatis voraginem, ut nulla remedia adeò concitato præcipitio retinendo ſufficere poſſent, hinc tandem Joannes laudatus Hildeſemenſis Epiſcopus adactus ejectis Canonicis Ciſtercienſes ſubſtituit; quamvis quidem idem in ſuo diplomate Ciſtercienſibus tradito dicat: *Canonicos Backenrodenſes amotos culpis ſuis exigentibus, renuntiaſſe planè, & unanimiter coram ipſo, multitudine Clericorum & Laicorum adſtante.* Quò verò ipſi hi inſtituto ſuo adeò injurii emigrârint, comperire nequivimus.

Exiſtit porrò hoc cœnobium hodiedum ſub Ciſtercienſium Diſciplina. Chron. Marienrod. apud Leibnit. t. 2. p. 435. ſeq. Heinecc. Antiq. Goslar. L. 1. p. 117. & 177. Leuckfeld. in Antiq. Poeld. cap. 18. p. 106.

Fund. ... Exſtinctum.

Bardevicenſis S. Mariæ Cathedralis. Pauca, maximè quæ à falſi ſuſpicione libera, ſuperant, ut de hac Eccleſia diſcurtamus; antiquiſſimam omnium Germanicarum urbium Bardevicium fuiſſe, aliquot ſcriptores edixerunt, ùt refert Meibomius in ſua Bardevicenſi hiſtoria. Vetus Chroniſta apud Leibnit. ad an. 814. ſequentia ſcribit: *Civitas Bardevvick erat ante Romam 236. annis. Et in monte proximo Cæſar Julius auream ſtatuam erexerat in honorem Deæ Lunæ, quæ ab incolis colebatur, & adorabatur, usq; ad adventum Egiſtii, vel ſecundùm aliquos, usq; Epiſcopus Verdenſis Rupertus tale idolum fregiſſe dicitur, & ibidem Monaſterium in honorem Mariæ, & Michaëlis conſtruxit.* Paulò poſt ſubjungit de Verdenſi & hac Bardewicenſi urbe dicens: *fuerunt autem hæ duæ civitates primæ in tota Almania, quæ ædificatæ fuiſſe dicuntur ſeptimò annò Abrahæ ante Romam mille ducentis.* Mihi certè quædam hic præter fidem videntur, maximè quæ de antiquitate urbis proferuntur: verùm quia noſtrum hic non eſt urbium, ſed monaſteriorum, Collegiorúmve indagare originem, hinc quo tempore in eadem prima Eccleſia conſtructa? quærendum. Quodſi *Egiſtium* extra dubium foret, fidem tanquam primum Evangelii præconem Wardewici implantâſſe, ſanè non eſſet, cur cunctaremur & Eccleſiæ ab eo ibidem prima ſaltem fundamenta poſita fuiſſe aſſerere. At hujus *Egiſtii* acta, quin & nomen adeò nobis incognitum, ùt nec in Hieronymi, nec uſuardi, nec Romano Martyrologio, necdum apud Surium reperire liceat. Et quamvis hunc eundem *Egiſtium* Chronicon Bardewicenſe apud Sclopkium memoret, attamen Engelhuſius (cui vix dubitamus, Chronicon iſtud innotuiſſe) alium & quidem *Timotheum* nominat, hæc ejusdem ſunt verba: *Timotheus venit Bardevvic, ubi & multos Saxonum convertit.* Cui ergò hic fides, Anonymo illi, an Engelhuſio? certè ſi popularem auram ſequi malimus, inermis ſtabit Engelhuſius, quippe quòd pro Egiſtio vel Ægiſtio ſcribant Henricus Hervordienſis, Michaël Uranius, Petrus Albinus, Erpoldus Lindeprogius, aliique apud Meibomium: nemo tamen, ùt mihi quidem videtur, majore, quàm ex ſcriptoris authoritate, ex uno prædicto Chronico Bardevicenſi, vel ex illo Anonymo: quibus quæ fides ſit, necdum ſatis aſſecutus ſum. Profectò cùm aliunde præter unum ſeu *Egiſtii* ſeu *Timothei* nomen, ac Eccleſiam (in qua prioris per Martyrium ſublati corpus ad altare S. Petri in loco ignoto conditum adſtruitur) reliqua omnia celentur, præſtat ad ſuc-

Vide Calfors Saxoniam Infer. p. 121. L. 1. C. 2. §. 8.

ſuccedentia Magni *Caroli* tempora progredi, quibus certum eſt, Bardewici, ſi non primò implantatam, ſaltem reſuſcitatam fidem Catholicam fuiſſe, ab eodémque Principe Cathedralem Eccleſiam erectam, ut refert Chroniſta Mindenſis, dum Eccleſias Epiſcopales à *Carolo* Magno inſtitutas enumerans diſertis terminis Bardewicenſem ſtatuens *ſextam*, inquit, *Bardevvicenſem Beatæ Mariæ ſemper Virginis & S. Cæciliæ, quæ nunc eſt Verdenſis anno Chriſti* 786.

Porrò in hanc noviter erectam Cathedralem non minùs quemadmodùm in alias novem, quas *Carolus* fundaverat, inductos Clericos Canonicos, id eſt, *Regulares* ab eodem hoc piiſſimo Principe ne ambigimus quidem, utpote qui vel ex hoc ipſo, quòd conſociatos in quodam loco Canonicos ſciverat, alios nollet agnoſcere niſi regulariter viventes, velut alibi ex ejusdem verbis oſtendimus. Intereà tamen diffiteri non poſſumus, eò obſcuriora iterum Bardewicenſia fata poſt fundatum Epiſcopatum eſſe, quò celeriùs hæc ipſa dignitas *Verdam* translata eſt, annô ſcilicèt, ùt notat vetus Saxoniæ Eccleſiarum Chronicon. 814. ſic enim in eo loquitur, *annô* 814. *Eccleſia Verdenſis, quæ priùs fundata erat in Bardevvick.*

Ex quo fortaſſe facilè combinari poterit, quod plures Scriptores in diverſas partes ſejunxit, ut nempè negarent unquam Bardewici ſedem Epiſcopalem fuiſſe, certè id negabat Leibnitius, dum ex vicinia Locorum, & nominum factum fuiſſe ait, ut *Verdenſis* Epiſcopatus nonnunquam *Bardevicenſis*, ſit appellatus. At cenſeo omninò *Bardevicenſem* aliquando diſtinctum fuiſſe atque Priorem ipſo *Verdenſi*. Habemus enim ex Mindenſi Chronico Bardevicenſem fundatum fuiſſe annô 786. Ex chronico verò Saxoniæ, Verdenſem annô 814. adeóque 34. annis poſteriorem, atque hinc factum, ut qui hos annos cum Leibnitio non attenderent, Bardevicenſem Epiſcopatum unquam extitiſſe diſſentirent. Cæterùm crediderim eundem ipſum, qui primus factus eſt Epiſcopus Bardevicenſis, dein translatum fuiſſe cum cathedra *Verdam*, Sanctum ſcilicet *Suidbertum* Juniorem, qui colitur 30. Aprilis. Atque ideò, hanc Bardevicenſem, quamvìs brevi tempore cathedralem omittere iſthic non potuimus, utpote ex qua *S. Suidbertus* cum ſua Clericali Colonia Verdam tranſiens ibidem nobiliſſimam, & multo tempore floridiſſimam Eccleſiam conſtituit, multósque habuit viros Sanctiſſimos ſibi, ſuísque ſucceſſores.

An tamen Bardevici Collegium quoddam Canonicorum permanſerit Cathedralì ablatâ, ex chronicis, vetuſtíſque monumentis colligere nequivimus, quamvìs enim certum, ante exciſionem ipſius urbis, per Henricum Leonem factam, annô 1198. ibidem Canonicos fuiſſe; quia verò de iis nihil peculiare ut diſcurramus, ſuppetit, inſuper ipſum Bardevicum hanc ſibi ab Heterodoxis laudem promeruit, quòd inter primas fuerit Lutheri venenatum dogma amplectens, non eſt, quod ultrò de loco Eccleſiæ Catholicæ infeſto diſcurramus.

Exiſtit non procul Verda. Krantz. Metrop. L. 1. c. 1. & L. 7. c. 11. Chron. Eccleſiarum Saxon. apud Leibnit. t. 1. pag. 260. item apud eundem fragm. Chron. Bardevic. t. 3. p. 216. item Chron. Engelshuſii apud eund. tom. 2. p. 1021. Meibom. in hiſt. Bardevic. t. 3. p. 55. & ſeq. &c.

Barſingenhuſenſe. Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Fund. 1103. exſtin-ctum.

Fundatores hujus Parthe-

thenonis fuiſſe legimus *Wideckindum de Schwvalenberg*, *& Gotſcalcum de Permont* anno Domini 1203. Cætera nobis omninò ignota uſque ad an. 1455. quo tempore harum Monialium ſtatum nobis deſcriptum reliquit in ſuo libro de reformatione Monaſteriorum *Buſchius*, dum inquit, *easdem per multa tempora diſſolutam valdè vitam habuiſſe; in proprietate in incontinentia, & in inobedientia viventes, nullam penè clauſtralem ſervantes diſciplinam, niſi quòd Chorum ſuo tempore communiter viſitabant.* Has ergò adeò à meta regularis tramitis aberrantes cùm Dux Brunsvicenſis *Willelmus* dictus *Senior* ad frugem meliorem reducere nequiquam conatur, demum cura *Ludolpho de Barum* Plebano in Hanover demandata finem optatum eſt ſortita. Hic enim vir prudens, & circumſpectus in ſubſidium reformationis inſtituendæ advocans *Joannem Buſchium*, *& Rotgerum* Priorem de Wittenborg, quamvis initiò vix quacúnque demum attentata perſuaſione obſtinatos, & in malo jam quaſi rigentes animos puellarum ad meliora conſilia movere poſſet, intentatis partim minis per Ducem ipſum de ejectione omnium illarum è monaſterio, nì monitionibus obtemperarent, partim ſuavi, ac lenocinante ſermone per Buſchium ingeſto, denique adhortationibus aures accommodant, & ſaniora aggrediuntur. Emollitis hoc modò ad capeſſendam regularem obſervantiam animis, cùm tunc ex alieno Parthenone non ſtatim præſtò eſſent, quæ ignorantes erudirent, ipſe Joannes cum Rotgero *propriis in perſonis modum, & formam Sanctæ regularis obſervantiæ* (promo verba Buſchii) *in choro, refectorio, clauſtro & capitulo ad oculum eisdem demonſtrârunt. In Choro quomodo ſtare, ſedere, inclinare, & cantare deberent, oſtenderunt, in refectorio menſas duas, vel tres, ut ſingulariter comederent, diſpoſuerunt.* **Benedicite & gratias** *cum eis cantârunt, Capitulum culparum cum eis ſervaverunt: & cætera ordinis noſtri cæremonialia eis deſervientia prout opus habebant, verbis & rebus declaraverunt. Et quamvis* ſubjungit hic idem Scriptor, *graciles erant, ſtrictas albas tunicas & longas ſubtùs habentes de panno, deſuper autem veſtes nigras lineas quaſi transparentes, quas ſuperpellicea vocant, habentes, non cinctas ſed latas cum manicis, quas pro cappis deferrent, ſub quibus omnia membra ſua videre poterant* (intellige hoc in ſano ſenſu, quæ ſcilicet videri in homine honeſtè veſtito poſſunt) *quæ palàm ſubtus habebant: Capitulum tamen culparum cum eis ſervantes, ſe ad terram ſuper mappam in medio poſitam ſingulæ proſternebant, culpas ſuas coram nobis aut altero noſtrorum, ſicut informatæ à nobis fuerant, confitentes.* Hæc Buſchius. Obſervo verò (nec ùt ſpero inaniter) duo præcipuè in hoc monaſterio, quæ cenſeo non obiter à nobis eſſe dimittenda. Primum eſt, quantam ruinam cauſare poſſit præſcriptarum ſacrarum conſuetudinum in quodam monaſterio neglectus. Ecce puellas iſtas, quis dubitet, ab origine fundationis optimâ normâ fuiſſe imbutas, quæ tamen in eam degenerarunt ignorantiam, ut nec chori, nec Refectorii, nec Capituli ullum ampliùs regularem uſum nôſſent, quem certè vix autumo ſimul & communi aliquo ſtatuto, ac conſenſu, ſed ſenſim, & quadam ſolùm diſſimulatione, ac tanquam rei levis facilè negligendæ æſtimatione fuiſſe obſoletum; ſicque jam intermittebatur exempli cauſâ præſcripta in choro inclinatio, jam paulò poſt ſtatio, jam iterum quæ cantanda erant, ſumiſsâ voce orabantur &c. atque his disjunctivè ùt levibus conſideratis, omiſ-

omiſsíſque demum adeò oblivione ſepulta eſt etiam in gravioribus obligationibus diſciplina, ut nulla eſſet inter illas ampliùs, aut expropriatio, aut continentia, aut obedientia, ô quam veridicè dicebat ſapiens, *qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Et Apoſtolus Paulus: *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: hinc Damianus, *ſi tenuiſſima veneni ſtilla pando oleris aheno diffunditur, nonne totum, eſculentius licèt, edulium prorsùs abominabile judicatur? ſi ergò perexigua mala largiſſima ſæpiùs bona corrumpunt; quo pacto te de lenocinante conſcientia jactas, quia minimum eſt, quod contra profeſſionis tuæ propoſitum privata proprietate poſſideas? nam juxta Apoſtolum modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Et alibi: qui modica ſpernit, paulatim decidit.* Profectò certiſſimum eſſe opinor, quòd monaſterium aliquod, ut ſuperiores ac Prælati in ſtabili perfectione contineant, cum S. Gilberto teneantur priùs guttur ſecandum offerre, quàm admittere minimam profeſſionis, vel inſtituti legem, ordinationémque relaxandam. Quodque ultrà in iſtis malè moratis monialibus attendo, eſt optimè à Buſcio notatus ſuperfluus & irreligioſus veſtium ornatus, certè non exiliter adverſans regulari Diſciplinæ. Audiendus hic *D. Bernardus* Scribens ad Henricum Senonenſem Epiſcopum, eíque cultum externum improperans: *Honorificabitis autem non cultu veſtium, non equorum faſtu &c. ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis. Quàm multi aliter; cernitur in nonnullis ſacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus.* Hinc Horſtius in hunc Bernardi locum citat Concilii Carthag. quarti Canonem decimum quintum, ubi dicitur: *Epiſcopus vilem ſupellectilem, menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide 'ac vitæ meritis quærat.* Unde iterum *Bernardus* adversùs monachos veſtium luxum, ornatúmque quærentes disertè ait: *Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori; & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant. Non tantò curaretur corporis cultus, niſi priùs neglecta fuiſſet mens inculta virtutibùs.* Et infrà, *nunc*, inquit, *leva oculos tuos, & vide, ſi non æquè, ùt priùs pellicula diſcolor ſacrum ordinem diſcolorat; ſi non æquè, ut prius ſiſſura enormis penè inguina nudat. Solent dicere: num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus? at forma veſtium deformitatis mentium, & morum indicium eſt. Quid ſibi vult, quòd Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? id quidem minùs caſtum, minúſque ſincerum. Nempè habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ùt milites, neque ùt Clerici evangelizant. Cujus ordinis ſunt, cùm utriúſque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt. Unuſquiſque, inquit, in ſuo ordine conſurget, iſti in quo? an qui ſine ordine peccaverunt, ſine ordine peribunt? aut ſi ſapiens Deus veraciter creditur, à ſummo uſq; deorſum nihil inordinatum relinquere: vereor iſtos non alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, ſed ſemptinernus horror inhabitat.*

Eccl. 19.1.

Apolog. Cap. 7.

De Offic. Epiſ. Ep. 42. cap. 2.

Apol. ad Guih. Ab. cap. 10.

Cor. 15. 23.

Alterum eſt, quod ipſe præfatus Buſchius in hujus cœnobii reformatione contigiſſe ſcribit inquiens: *Moniales iſtæ ante adventum meum ad iſtas, coram Duce & Priore ſatis validè reformationi reſtiterant, ita, ut evectionem illarum de monaſterio ſuo ipſis minarentur, & etiam ad effectum perduxiſſent: ego tamen, cum benevolentia, prudentia, & manſuetudine perduxi eas ad omnia, quæ volebam, ad veram reformationem pertinentia, quantum tunc in principio fuerat factibile. Mihi*

etiam ſemper ſatis fuerunt obedientes, gaviſæ fuerunt in adventu meo, quando veni ad eas viſitandas, & uſq; hodie in ſanctâ vita, & regulari obſervantia per Abbatiſſam Ordinis noſtri in Visbeke informatæ, per annos plurimos permanſerunt. Quod igitur in his ad malum obduratis puellis ſeveritas evincere nequivit, fecit benevolentia, prudentia & manſuetudo, verè tria inevitabilia media ad reducendum religioſum ſubditum ad viam virtutis. Notum eſt, quàm graviter Spiritus S. in veteri adhuc licèt dura & aſpera lege damnaverit deſpoticum gubernandi modum in Principibus apud Ezechielem Prophetam dum dixit: *cum auſteritate imperabant gregi, & cum potentia*, unde Laurentius Juſtinianus, *ſi ipſe Dominus*, inquit, *cujus converſæ ſunt oves, compatitur delinquentibus, & ad ſe per pœnitentiam redeuntibus, nunquam miſericordiæ claudit viſcera, poteritne ſubſtitutus & ſervus, cum auſteritate, humanitate poſtpoſita, gregem ſibi creditum diſperdere, opprimere, dilaniare &c.* Cæterùm nil nobis ampliùs de hoc Cœnobio differendum occurrit, & haud dubiè non errabimus opinantes, quemadmodùm alia pleráque, ſic & hoc ſub manibus hæreticorum defeciſſe.

De inſt. Regim. P. Prælat. cap. 9.

Exſtitit propè Hildesheim. Buſch. L. 2. de refor. monaſt. cap. 4. Chron. Comit. Schawenburgicorum apud Meibom. t. 1. pag. 508. &c.

Berigerodenſe. Prioratus aut Præpoſitura. Initia ſua ex parte debet *Reinhardo* Epiſcopo Halberſtadenſi, de quo nos inferiùs in Hammerslebenſi Cœnobio ampliora dabimus. Hinc verò patet ſæculi undecimi fine, aut duodecimi initio ejus originem eſſe affigendam. Iſtud prætereà cœnobium cum reliquis ſeptem unionem illam injêrat, quam propriô Privilegiô ſummus Pontifex *Honorius* annô 1126. munivit, in quo diſertè Berigerothenſe iſtud monaſterium cum aliis ſeptem enumeratur. Cætera tamen omnia incomperta ſunt, & haud dubiè ipſum in profana Hæreticorum emolumenta tranſit.

Fund. ſeculi 11. fine Exſtinctum,

Exſtitit ſuprà Goslariam. Leuckfeld. in Antiq. Kaltenbornenſ. pag. 83. aa.

Bordesholmenſe Præpoſitura. An monaſterium iſtud eo tempore fundatum ſit, quô legimus Canonicos Regulares ab *Henrico* Swinebore decimo quinto Novi-Monaſterii ſeu Falderæ Præpoſito iſthuc translatos fuiſſe, divinare non poſſum, id tamen factum annô 1332. ex compendio vitæ *S. Vicelini* habemus: unde in Chronica Henricus Wolterus ſcribit: *anno Domini* 1124. (meliùs 1126.) *tunc fundata fuit in Holſatia Faldera (poſteà dicebatur Niemünſter) & jam jacet in Bardesholme per tranſlationem idem monaſterium & præpoſitura.* Quo verò poſtmodùm tempore Bordesholmi Canonici eſſe deſierint, necdum comperi, ſi non anteà, certè tunc, cùm tota urbs excluſâ Romanâ fide ſectarios excepit.

Fundat. an. 1332. Exſtinctum,

Exſtitit in ipſa urbe. Acta SS. ad 17. May in vita S. Thetmari. Chronica Walteri apud Meibom. tom. 2. p. 69. Compend. vitæ S. Vicelini Edit. Leibnit. tom. 1. p. 780.

Brandenburgenſis Cathedralis. *Ottonem* Magnum communi Calculô ſcriptores veteres hujus Eccleſiæ Cathedralis Authorem conſtituunt triginta annos ante Magdeburgenſem fundatæ, adeóque circà annum 900. ſi illis verſibus ſtat ſua fides.

Fund. circa an. 900. Exſtinctum.

Dum nongentenus terdenus ducitur annus,
Extitit à Chriſto, tunc Rex Magnus fuit Otto
Magdeborch anno fuit hujus ſtructura ſecundo.

Scilicet *ſtructura ſecundò*, eò quòd [Chronicon] Saxoniæ Eccleſiarum, primam fundationem dicat annô Domini 783. in Schidere, quæ eſt Dominium de Schwalenberge, & quidem à *Carolo* Magno factam. Verùm ingens differentia conſtitutæ Chronologiæ inter hunc aliosque Authores pro hujus Brandenburgenſis Eccleſiæ ſecunda origine. Paulus Langius enim ab *Ottone* factam fundationem Epiſcopatûs Brandenburgenſis ſic explicat, ut eam præceſſiſſe Magdeburgenſi dicat circa triginta annos, quodſi ergò juxta præſignatum Calculum condita eſt annô 930. Magdeburgenſis: ſequitur Brandenburgenſi aſſignandum fore annum 900. Certè Author Faſciculi temporum fundationem Magdeburgenſem affigit anno 974. igitur non *ſecundo Ottonis* Regis *anno*, *Otto* enim electus eſt Rex annô 936. at neque annô 938. dici poteſt fundata, utpote omnibus ſcriptoribus Magdeburgenſis originem inter 967. & 70. conſtituentibus: proſtatque *Joannis* ſummi Pontificis de erigendo Archiepiſcopatu Magdeburgenſi privilegium *Ottoni* Magno datum, Qui *Joannes* cùm annô 956. Romanam ſedem conſcenderit, ſederitque ad 972. præterea in comperto, privilegium pro ea condenda obtentum fuiſſe, cùm *Otto* Ravennæ moraretur, & quidem annô 967. plus minùs, ùt teſtatur vetus [Chroniſta ineditus apud Browerum, hinc non poteſt huic fundationi anterior calculus attribui, quàm ad ſummum dicti anni 967. & apparet ſi verſus illos à falſitate liberare cupimus, explicandos fore potiùs pro condita urbe Partenopolitana, quàm ipſo Archiepiſcopatu: quamvis ille diſertè hunc annum condito Epiſcopatui attribuat. Browerus namque affirmat ſe ex Saxonicarum rerum inſigni Chronico membranaceo compertum habere, annô Domini 948. *Ottonis* ſecundi inſtinctu, & piæ Conjugis ſuæ *Edith* Reginæ petitione prædictum Regem (Ottonem nempè primum) Abbatiam regalem intra urbem Magdeburg fundâſſe. His ſtantibus cùm ſatis colligi detur urbem jam ante conditum cœnobium ſtetiſſe, licèt pariter ab *Ottone* extructum (non diſcepto hìc de prima iſtius urbis origine, quam exſtitiſſe tempore Conſtantini M. Kranzius ſcribit) hinc facilè poterit aſſignari dictæ urbis origo ad annum 930. computaro nimirum numero rotundo à priſcis ſæpè in numerum verum ſubſtituto.

l. 2. Piſt. p. 535.

vide Chron. Mind. apud Meib. t. 1. p. 554.

Porrò quod Langius ex Dithmaro notat, Brandeburgenſem triginta annis Magdeburgenſi præceſſiſſe, intelligendum erit de ipſa Cathedrali, ſic, ut illa iſtam ſuô exordiô prævenerit; datô plus minus ejuſdem origini annô 937. aut (ſi ſtatuto à Dithmaro anno primi Archiepiſcopi *Adelberti* Magdeb. 985. pariter opinemur nectendum tempus fundationis ipſius Archiepiſcopatûs) an. 955. His obiter de initio Bradenburgenſis Cathedralis delibatis, pauca ultro dicenda reſtabunt, utpote antiquis deficientibus documentis. Intereà ne quis autumet gratis & de nihilo à nobis inter noſtra aſſumi hanc Cathedralem Brandenburgenſem, dico id eo me jure facere, quo diù jam compertum eſt Eccleſias Saxonicas majores omnes à prima ſui fundatione Regulares ſimul, ac Clericales exſtitiſſe; hinc cum clariſſimus Author diſquiſitionum de ordine Canonico probâſſet Magdeburgenſem regularem fuiſſe, ſequens Epiphonema ſubjicit. *Nec*, inquit, *alia Magdeburgenſis Eccleſiæ Diſciplina primùm fuit*, *alia Suffraganearum Canonicarum*, *ſiquidem Otto ille ipſe conſtructor harum*, *quas Archiepiſcopatui Magdeburgenſi ſubjecit*, *Epiſcopalium*

lium ſedium, *Merſeburgenſis nimirum*, *Misnenſis*, *Cyzenſis*, *Havelbergenſis*, *&* *Brandeburgenſis*, *eas omnes*, *ad unam regulam*, *&* *in una inſtitutione formavit.* Intereà ſi quid amplius ad elucidandam noſtram hiſtoriam de hac Cathedrali, quæ ab anno 1565. ſuppreſſa in Dominium temporale Electoris Saxoniæ verſa eſt, occurrerit, non omittemus, ipſo illud in opere memorare.

Krantzius Saxoniæ. L. 3. C. 8. & 9. & L. 4. C. 14. Dithmarus. L. 2. in med. Brow. Annal. Trevir. L. 9. N. 87. 96. 97. Chron. Magdeb. apud Meibom. t. 2. P. 271. Chron. Saxon. apud Leibn. t. 1. p. 260. Chron. Citiz. Langii apud Piſt. tom. 1. p. 1121. faſc. temp. apud eund. t. 2. p. 535. Diſquiſ. de Ordine Can. fol. 177.

Bremenſis S. Petri Cathedralis.

Quò obſcuriora in Brandeburgenſi Eccleſia reliquimus fermè, omnia, eò evidentiora apparent hæc, quæ nobis ſuggeruntur ſcribenda de Eccleſia Bremenſi; maximè cùm lucem ſcriptores illi proferant, qui tum auctoritate ſcribendi, tum prærogativâ antiquitatis facilè quibusque obvenientibus dubiis refellendis ſufficiunt, inter quos certè primum ſibi locum merentur *Helmoldus* & *Adamus* Bremenſis: quibus ſi alios non minùs probatæ fidei Authores junxerimus, rem confectam pro hac ſynopticaBremenſis Eccleſiæ deſcriptione merebimur.

t. 1. p. 556. Fundatam autem hanc Eccleſiam legimus in Chron. Mindenſi per Meibomium edito, annô 779. verùm noviſſimus Adami Bremenſ. apud Meib. t. 2. p. 19. Editor in notis ad diploma *Caroli*, annum aſſignat 788. ſanè ex ipſa diplomatis ſubſcriptione ibidem tradita, & ex Henrico Woltero, qui hunc eundem annum notat, cui tamen in ſuo Chronico quàm modica fides adhibenda, identidem veris fabuloſa, & hallucinationes immiſcenti, ante nos jam notavit Meibomius. Opinor ego cum Pagio, diploma illud clauſulam adjectam ab *Adamo* Bremenſi obtinuiſſe, & ſincerius à mox præfato Woltero relatam eſſe, ut eam ſuo Chronico inſeruerit, & ex iſto novæ editioni privilegioruum Hamburgenſium in auctorio adjunctum ſit, utrobique ſapienter clauſulâ illâ deſideratâ: non quòd Originali addita non fuerit, ſed quòd fortè ob antiquitatem obſoleta, aut penitùs reciſa ſit, quam Adamus ſuo arbitrio, ſed non cum accuratione Chronologica ſupplevit.

Ordinatum primum Epiſcopum Bremenſem *Willihadum* fuiſſe, omnes conveniunt, & juxtà Pagium annô 787. quod ipſe ſufficientibus argumentis demonſtrat. Septem verò præcedentibus annis in his terris Sanctus vir jam Apoſtolum egerat Epiſcopi munere & nomine (ùt tunc ſæpius contigiſſe idem Pagius oſtendit) fungens, quamvis necdum in talem ordinatus, quod, ùt diximus, anno primùm 787. contigit, quo tempore Eccleſiam Bremenſem exſtructam fuiſſe, ne dubitamus quidem, & diploma deſuper à *Carolo* conceſſum, aut anno ſequenti, id eſt juxta Adamum 788. aut poſteriori fuit. Neque hic audiendus inanis hæreticus Biatero *Calvörs*, qui nè jura clericalia propugnare, vetuſtiſſimis monumentis convictus, cogatur, diploma *Caroli* falſitatis damnat, examine in diverſas pericopes, ejusdem vaniſſimis commentis aſſumpto, quod nos Deo dante, ipſo in opere refutabimus.

Willihardus ergò primus ſua ſanctiſſima converſatione Eccleſiæ Bremenſi optatam originem ex munificentia Magni *Caroli* dedit, eandemque Eccleſiaſticâ œconomiâ apprimè imbuit, monaſterium

rium Cathedrali Eccleſiæ conjunxit, & Clericalem Societatem in ea congregavit, quæ omnia ex laudato diplomate facta colligere licet: in quo *Carolus* Bremenſem Eccleſiam ait ſe *Willehado* probabilis vitæ viro coram Deo & Sanctis ejus conceſſiſſe, *quem etiam* (proſequitur Princeps) *primum ejuſdem Eccleſiæ conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populis divini ſemina verbi ſecundùm datam ſibi ſapientiam fideliter diſpenſando, & novellam hanc Eccleſiam Canonico ordine & monaſteriali competentia, utiliter inſtruendo, interim plantet, & riget &c.* mox paulò inferiùs dicit ſe *contribuere ad ſuſtentacula, ſive ſtipendia Dei ſervorum, inibi militantium Deo, partem Freſiæ &c.*

Porrò haud dubiè ſub his verbis, *monaſterialicompetentia, & Dei ſervorum inibi militantium*, eò ſecuriùs fortè nonnemo aſſeret, non *Canonicos* in Bremenſi Cathedrali coadunatos fuiſſe, ut *Willihado* in prædicatione Evangelii ſubſervirent, quò evidentiùs conſtat ipſum *Willihadum* non minùs ſubſequos Bremenſes Epiſcopos *Willericum*, *Ludericum*, ac maximè *Anſgarium*, *Reimbertum*, *Adalgariumq́;* monachiſmum & quidem ordinis S. Benedicti tenuiſſe, de quibus poſterioribus legendæ maniſeſtæ extant in Actis SS. & in ſæculis Benedictinis Mabillonii.

Verùm etſi de inſtituto primorum uſque ad *Adalgarium* (qui ſextus præfedit) Epiſcoporum cum nemine litigem, ſuam cuique opinandi libertatem relinquens, cùm id hujus loci non ſit: intereà quamvis ipſos monachos adſtruam imò & monachos iis in Collegio Bremenſi ſociatos concedam, Canonicos ut excludam, nullum video ſuppetere argumentum Sic profectò ſe Bremenſes habuerant, quemadmodùm in multis aliis Eccleſiis initio converſæ alicujus generis: jungebantur monachi Clericis, & Sublevabant illi hoſce mutua charitate, aſſumebantur quoq́ue iidem, quos doctrina, virtusq́ue peculiariùs commendabat in Clerum: hæc omia quia jam alibi latè probavimus, neceſſe non eſt recoquere. Abducendos fuiſſe à monaſtica vita (ſtrictâ nimirùm illâ, quæ tum adhuc inter monachos S. Benedicti vigebat, & ſanctè cuſtodiebatur) apertè teſtatur vita S. *Remberti* apud Boland. die 4. Febr. n. 15. Porrò hic Sanctus monaſticum habitum primò poſt Epiſcopatum induiſſe dicitur, aſt quo modô, profectò non ut Epiſcopus monachus appareret, ſed ut monaſticæ perfectioni ſe ſtudere velle innueret, hinc vitæ hujus ſcriptor cautè ait: *Rembertum, veſtem quidem illius profeſſionis ex integro ſuſcepiſſe, converſationis autem illius profeſſionem ita feciſſe, ut converſationem ſuam & ſtabilitatem morum ſuorum, & obedientiam ſecundùm regulam S. Benedicti exhiberet* (notemus hoc verbum *exhiberet*, non *profiteretur* aut *votô firmaret*) *in quantum labor & occupatio ſuſcepti pontificatûs permitteret.* Igitur quamvis certum illis temporibus ſolam diuturniorem geſtationem habitûs ſufeciſſe ad firmandum & obligandum hominem ſtatui religioſo, at non devinciebat hoc ipſo ad ſtatum ſingulàrem & individuum maximè altiori profeſſioni non facilè componibilem. Hinc benè advertit Scriptor iſte S. *Rembertum* veſtem illius profeſſionis ex integro ſuſcepiſſe (ſicut id de S. quoq́ue *Ludgero* legimus) at profeſſionem non feciſſe, eam ſcilicet obligationem non contraxiſſe. quæ ipſum monachum ſtrictè talem perficeret, induebat ergo *Rembertus* ex devotione habitum monaſticum, ſed profeſſione illa, quâ ſtrictè monachus effici debuiſſet, non ſe ligavit. Quemadmodùm id multos Epiſcopos & Clericos

ricos feciſſe in comperto habemus, ita quidem, ut ideo in Regula Aquisgranenſi prohibitum fuerit: *ne Canonici, Clericive cucullam induant*, At nemo exinde inferet, illos ideò monachos effectos fuiſſe, aliud enim eſt geſtatione diuturna habitûs religioſi (de antiquis temporibus loquimur) obligari ad ſtatum religioſum, aliud eâdem adſtringi ad ſingularitatem ejusdem. Igitur *Rembertus* longè antea jam vinculaverat ſe votis Clericalibus, quibus ut quendam, ſua opinione, perfectionis ſtimulum adderet, habitu monaſtico ſe veſtivit. Neque crediderim eundem afforis geſtâſſe, ſed intra veſtitum Clericalem, non abſimiliter ab eo, quod Zacharias Pappa mandat, *ut Epiſcopus juxta dignitatem ſuam indumentis utatur ſimili modo & Presbyteri Cardinales, plebi quidem ſibi ſubjectæ præclariori veſte induti, debitum prædicationis perſolvant, & in ſecreto propoſitum ſervent cordis ſui.* Atque taliter veſtiti Epiſcopi ex ordine Clericali fuêre quàm plurimi; afforis habitum gerebant ſtatui ſuo conformem, intùs rigebant Ciliciô, & aſperrimâ tunicâ cincti. Cæterùm fuiſſe olim monachorum Ord. S. Benedicti habitum pœnitentiæ, ac mortificationis indumentum, qui aut ignorat, aut negat, vehementer dubito, an regulam S. hujus Patriarchæ ſufficienter apprehenderit.

Cap. 125.

Concil. Gall. t. 1. p. 563. & Baron. ad an. 744.

Itaque neutiquam dici poteſt, S. *Rembertum* monachum fuiſſe, & tamen nec ſub ipſo diſſentiam adhuc Canonicis monachos adjunctos, qualem ipſe ex Corbeja nova ſibi excerptum habebat *Adalgarium*. Demus ergò monachis ſuum, & non ſubripiamus, quæ vera & neceſſaria ſunt, ſua quoque Canonicis.

Quæ autem de Clericorum Societate in Bremenſi Eccleſia prioribus à fundatione ipſius annis memorantur, demum in *Anſgario* quarto Epiſcopo, qui Bremenſem ſedem Hamburgenſi junctam an. 847. obtinuit, aliquandò apertiùs proſtant: hunc enim ſanctum Epiſcopum, & monachum anteà, & Benedictinum in nova Corbeja, Zeloſiſſimum fuiſſe ſtabiliendi Bremenſis Cleri in ſua votiva ſanctitate teſtatur Adamus Bremenſis dum ait: *Quoniam totum ſtudium ejus erat pro ſalute animarum, ſi quando à prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum ſuarum curam egit, quarum primam, quæ ab Hammaburg, olim barbarica incurſione depulſa eſt, ipſe, ut prædiximus, transtulit ad Rainſolas. Secundam in Bremis habuit ſanctorum virorum, qui habitu quidem uſi Canonico, regula vivebant monaſtica, usq; ad noſtri ferè temporis ætatem.*

vide Bol. 4 Febr. in Comment. ad vit. S. Anſch. §. 8. n. 8.

Ergò ùt fatetur Adamus, hic ſtatus ſanctorum horum virorum conſtans duravit usque ad ſui ferè temporis ætatem, id eſt (ut minimùm dicamus) ad annum circiter 1050. nam Adamus ab annô 1077. Bremæ Canonicus fuit: quodſi ita? rem confectam habemus tempore D. *Anſcharii* non ſolum Canonicos Bremæ votivos fuiſſe, ſed & ſine monachis: extat enim imprimis *Ottonis* II. Imperatoris de annô 983. privilegium, ubi Otto ait. *Quia Adalgagus Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus per ſuum miſſum innotuit ſerenitati noſtræ, quòd duæ ſorores una Reyngard vocata, altera Bendila in Freſia in pago Aſtringa, in Comitatu Bernhardi Ducis tradidiſſent omnem Hæreditatem ſuam ad Eccleſiam Bremenſem cum ſuis Advocatis: ea ſcilicet conditione, ut eam diebus vitæ ſuæ poſſidere debuiſſent. Quô factô, una earum Reyngard divino juſſu obiit, quâ defunctâ, alia quæ ſupervixit Wendila divino amore compuncta, totum, quod habuit, præfatæ Bremenſi Eccleſiæ dimiſit, duas videlicet curtes* *Hre-*

vide Lindenbrogii Script. ſept. novæ Edit. privil. 12. in privil. Hamburg. p. 133.

Hrepesholt & More, cum omnibus ſuis pertinentiis, aliisq; omnibus rebus, in diverſis locis jacentibus, petens ab eodem Archiepiſcopo, ut in eadem hæreditate monaſterium conſtrueretur, & Congregatio Clericorum. Hoc libenter faciens ceſſit eidem monaſterio Hrepesholt nominato quandam partem decimarum, eo ſcilicet modo, ut Clerici, quos illic Divinus amor aggregâſſet, regulam & ordinem Clericorum in Bremenſi Eccleſia Deo ſervientium perpetua ſua in converſatione ſervarent &c. data 5. Idus Junii anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXIII. anno verò Regni II. Ottonis XXV. Imperii autem XV. Actum Veronæ feliciter. Hoc Monaſterium *Hrepesholt* Meibomius ſcribit olim fuiſſe Canonicorum Regularium, de quo nobis alioquin nihil innotuit. Porrò ex hoc privilegio certum, Canonicos Bremenſis Cathedralis genuinos, nec Monachos fuiſſe quales quidem ex adductis Adami Bremenſis verbis, *quòd regulâ vixerint monaſticâ*, formare inani commento nituntur, regula hæc monaſtica non alia eſt, quàm regularis vivendi modus, qualem tam Aquisgranenſem, quàm *Chrodegangi*, aut S. *Auguſtini* nuncupare poſſumus, & quid, ſi etiam Bremenſes Canonici regulam ſuo modo ſervâſſent S. *Benedicti?* diſponente ad id D. *Anſchario*, vel etiam *Adaldago*, an continuò iidem ex Canonicis tranſiiſſe æſtimandi erunt ad profeſſionem monachorum S. Benedicti? quis quæſo eruditorum hoc unquam concludet? tam parùm profectò, quàm quis nunc de Equitibus religioſis (qui ſub regula S. Benedicti militant Deo) dicere queat, eoſdem Ordinis eſſe S. Benedicti. Dudum dixeram, & cautè notaveram, nèquis è viris doctis eum in errorem impingat, ut arguat ex ſola regula, ab aliqua ſocietate obſervata, ſingularitatem inſtituti: aliàs vidimus, certò Canonicos ex regula S. Benedicti obſervantias ſibi conſtituiſſe, & Chrodegangi regulam plurima ex eadem decerpta continere. Ideò neque minimùm obſtabo dicenti, Canonicos ſæculo octavo, nono, decimo alicujus communitatis, exempli gratiâ fortaſſe Eiſtettenſes ſub S. *Willibaldo*, regulam S. Benedicti, quantùm Clericale inſtitutum admiſit, obſervâſſe intereà adeò abeſt, ut hæc particularis devotio illos ad profeſſionem monachorum demandaret, quantò certiùs conſtat, quamcunque regulam olim aſſumptam in ſingularitate inſtituti nihil immutâſſe, quod nos ad oculum probavimus ex Mabillonio, Holſtenio, aliiſque in noſtra Exegeſi.

Abſolvimus ergò Bremenſes noſtros Canonicos ab exiſtimato Benedictino monachiſmo, & votivæ clericali vindicavimus, in qua cum inculpatè viverent, ordinemque Canonicum *pleniſſimè* obſervarent cum vinculo votorum, meritò Adamus Bremenſis dixit eoſdem regulâ vixiſſe monaſticâ. Duravit verò hæc Bremenſium Canonicorum regularis vita uſque circiter, ùt ſupra diximus, annum 1050. ſub *Bezelino* Archiepiſcopo, ad annum 1042. præſidente, eam adhuc floruiſſe, ex hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium colligimus, in qua iſta leguntur: *Hic cùm omnibus eſſet talis, qualem ſinguli deſiderabant, ſingularem curam & amorem ſuper Clericos habuit, de quibus nec tolerare poterat, ut cuiq; malum diceretur verbum. Nam & clauſtrum renovavit, & Canonicis menſam primus inſtituit: priùs enim cùm præbenda ferè tenuis videretur, triginta convivia, quæ Libentius Epiſcopus per annum dari ſtatuit, adjectis ex ſua parte, quibusdam decimis, ita ordinavit, ut albus detur fra-*

pag. 78. habetur quoque paucissimis mutatis apud Adamum p. 30. L. 2. Cap. 52.

fratribus panis ultra ſolitam annonam cotidie &c. compoſitâ igitur menſâ, manum vertit ad clauſtrum, quod dum priùs ligneum eſſet, lapideum fecit: forma, ùt moš eſt, quadrata, vario cellarum ordine diſtinctum, & viſu delectabile. Hæc verò regularis vita diſſolvebatur primùm occaſione incendii, de quo Adamus Bremenſis ſequentia, *Annô*, inquit, *Archiepiſcopi penultimô domus S. Petri conflagravit, ejusq; flamma incendii clauſtrum cum officinis, urbem cum ædificiis totam conſumpſerunt, veterisq; habitaculi nullum remanſit veſtigium. Ibi ſacra Theſaurus Eccleſiæ, ibi libri & veſtes, ibi omnia ornamenta conſumpta ſunt, ex illo tempore fratribus, qui ante canonicè vixerant, extrà clauſtrum vagantibus, regula ſanctorum per multa priùs ſæcula ſtudiosè conſervata primò negligentiùs haberi cœpit: deinde funditùs abjecta conſenuit.* Ex tunc ergò in Bremenſi Eccleſia regularem vitam refloruiſſe quis reperiet‘ quippe quòd ſæculo duodecimo, ùt teſtatur cum Helmoldo Krantzius, nobiliſſimus vir *Thetmarus*, relicta præbenda, & Decania Bremenſi regularem vitam ſuſcepturus ſe devoverit Falderenſi Collegio, adeoque de hac in Bremenſi Eccleſia nihil reliqui ſuperfuiſſe apparet. Nos de S. *Thetmaro* in Falderenſis Cœnobii deſcriptione pluribûs agemus.

Nunc Bremenſis Eccleſia penitùs à miniſterio Eccleſiaſtico diſſoluta mutata eſt in Ducatum, exulante omnimodè ex tota illa quondam Archidiœceſi Catholica fide.

Adamus Brem. edit. noviſ. L. 1. c. 29. & L. 2. c. 6. & 51. Wolterus in Chron. Bremenſ. apud Meibom. t. 2. Chronica Sclavorum Helmoldi, edit. Leibnit. L. I. c. 73. Morer. Mag. Lex. verbo. Brema Meibom. Commentar dè pagis Saxon. verbô *Aſtringa*.

Fundat. an. 1200. Extinct.

Brenenſe Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Quam Hedwigis Conjux *Friderici* V. Filii *Conradi* Marchionis Miſnenſis (de quo nos plura, dum de Lauterbergenſi ſeu Sereni Montis monaſterio diſſeremus) relicta vidua circa annum 1200. fundavit, ùt habemus in monumentis à Ludewigio tomo nono Reliquiarum editis, ubi dicitur: *Hedvvigis Clauſtrum monialium de Brene, unà cum filiis ſuis fundavit, ubi in ſancta converſatione vitam finivit. Dedicatum fuit templum anno Domini* 1200. aut juxta Chron. Sereni Montis anno 1201. 18. Kal. ſept. intenderat quidem Hedwigis viro ſuo adhuc ſuperſtite cum Ekkehardo Præpoſito ſereni Montis notitiam aſſecuta, defuncto eodem ſuo Marito in parte aliqua præfati montis ædificium conſtruere, ut Religioſis proximior à tumultu ſæcularium remota quieſceret; verùm Canonicis cùm Præpoſito petitioni Hedwigis renitentibus, eò *quòd ipſa fama ſuæ negligens laſciviam ſectaretur;* nè cœptô propoſitô deſiſteret Brenenſe hoc in ſuo territorio monaſterium exorſa eſt, quod etiam tam felicibus fatis conſummavit, ut ipſa abjuratis mundi illecebris ſe Deo in eodem Parthenone dicaret, & quamvis durior ob illatam repulſam facta ſit Sereni montis Canonicis, Novi tamen Operis ejusdem inſtituti religioſos ſibi devinxit, & hinc primum Præpoſitum præfici ſuæ novellæ congregationi expetiit; fuit is *Meingottus* nomine, qui tamen nonniſi ad annum 1210. præſidens morte ſublatus Brenæ obtinuit ſepulturam. In diplomate, quo privilegia antiqua Monaſterii Novi Operis tranſſumuntur, memoratur *Nicolaus Præpoſitus ſanctimonialium in Brene*, at quia nulla ibi nota anni Characteriſtica ſuppetit, hujus, qua vixerat, ætatem augurari necdum licuit, nec quoque ulteriorem ipſius Parthenonis ſubſiſtentiam, quamvis cum

aliis tempore inductæ Lutheri ſectæ in hæc Saxoniæ loca, & ipſum periiſſe, nè quidem dubitare audeamus.

Exſtitit propè Hallas. Ludewig. Reliqv. M.SS. tom. 9. p. 183. & 227. item t. 5. p. 62. Chronic. Misnenſ. Tylichii & Montis ſereni.

Brunſuicenſe SS. Petri & Pauli Præpoſitura.

Monendus eſt Lector, per errorem hanc Eccleſiam tanquam Cathedralem tam in mappa, quàm Elencho fuiſſe notatam, utpotè cùm talem nulla ſufficientia documenta demonſtrent. Antiquiſſimam fuiſſe, & quidem *Caroli* Magni tempora diù præceſſiſſe, vix ambigere poſſumus, ac fortaſſe non diù poſt Apoſtolorum diviſionem in univerſum orbem iſthic quoque inſonuiſſe Evangelium Chriſti, ſunt, quæ perſuadeant: S. Suiwertum hic Chriſtum prædicaſſe ex Pſeudo-Marcellino habemus, quod an omninò rejiciendum ſit, non diſcepto. Eccleſiam tamen prædictam maximè ſub Brunone hujus urbis reſtauratore, ac ideò ab omnibus Scriptoribus Fundatoris prærogativâ honorato, collegio Canonicorum inſignitum fuiſſe, documenta vetuſta ibidem reperta oſtendunt, qui ad ſæculi noni decimique mores ſub Aquisgranenſis Regulæ inſtituto in communi ac votivè vivebant. Cæterùm quamvis abundantiſſima ſeges ſuperet, de Brunſuicenſibus diſcurrendi, attamen de hac Præpoſitura vix nomen in tot ſcriptoribus datur reperire, quibus propè nil magis curæ erat, quàm Ducum hujus loci proferre genealogiam, paucis omnino Brunſuicenſium Eccleſiarum hiſtoriam complectentibus. Nunc ipſa hæc Præpoſitura hæreticorum eſt.

Leibnit. in præf. ad tom. 2. ſcript. Brunſ. p. 23. Wern. Rolevinck, Edit. Leibn. t. 3. p. 622. ibid. de fundat. quarundam Eccl. ſax. T. 1. p. 261.

Citizenſis ſeu Cizenſis Cathedralis.

Fundator hujus Epiſcopii Magnus *Otto* extitit ad annum 968. ſic enim Langius poſtquam retuliſſet Magdeburgenſem Metropolim annô Pontificatûs *Joannis* Papæ tertiô, qui eſt ab Incarnatione divini verbi nongenteſimus ſexageſimus ſeptimus, *Ottonem* Imperatorem piiſſimum fundâſſe, ſubjicit hæc verba: *Anno itáque proximo ſequenti, poſt inſtitutionem Adelberti Archiepiſcopi Otto, uno & eodem tempore, prædictos tres, Merſeburgenſem videlicet, Miſnenſem, & Citzenſem condidit Epiſcopatus.*

Quamvis verò certitudinem hic Epochæ Langius vendicare non præſumat ob diverſitatem opinionum initium Imperii Ottonis non concordantium; cùm tamen idem in anno Coronati in Imperatorem *Ottonis* cum recentioribus omninò conveniat, annus quoque inſtituti Citizenſis Epiſcopatus à vero non aberrat.

Primus ad hujus Eccleſiæ regimen juſſus eſt in Præſulem Hugo: ampliſſimus eſt iſthic in aſſerendo Hugoni monachatu Langius, imò non ſoli Hugoni, ſed & pluribus aliis, aliarum Eccleſiarum Rectoribus: verùm ut prolixæ Langii hac in re diſceptationi refutandæ laborem, non fert animus, maximè cùm revocatis huc iis, quæ alioquin paſſim de temporibus ſæculi octavi, noni ac decimi locuti ſumus, abunde dicta Langii aut explicent, aut diſſolvant, nè quid nimis ab eodem dictum admittendum occurrat.

Porrò obſervandum, Eccleſiam Citzenſem diù ante *Ottonem*, & quidem jam à *Carolo* Magno fundatam apud Brotuffium legi, id ex annalibus Brunsvicenſibus ſub annô

annô 803. eruentem; videtúrque iſtud ſua probabilitate non carere, cùm certum ſit, hunc Zeloſiſſimum Principem paſſim per Saxoniam Eccleſias, monaſteriáque fundâſſe. Neque exiſtimaverim ſuam ſe liberalitatem reſtrinxiſſe ad ſolum numerum litterarum (ùt plures veteres Authores annotant) quin, poſtquam hunc eundem feliciter ſuis fundationibus compleverat, longè plura adhuc vitâ ſuperſtite adjunxerit. In Miſnenſi autem Chronica Petri Albini, titulo 22. hæc leguntur: *tertium Epiſcopatum in Miſnenſi provincia ad Elyſtrum æquè Otto primus Imperator & tempore præmemoratorum geminorum collegiorum* (Misnenſis ſcilicèt & Merſeburgenſis) *præcipuè pro Sorbis, Vandalis (velut ſtella ſcribit) erexit, & juxta Ditmari opinionem, quemadmodùm Miſnenſe, Merſeburgenſe, Brandeburgenſe, & Havelburgenſe, Metropoli Magdeburgenſi ſubjecit. Prius iſthic monaſterium Canonicorum Regularium à Carolo Magno, aut ſuis filiis conditum fuiſſe Brotuffius refert in Chronica Merſeburg. L. 1. cap. 18. & L. 2. cap. 3.* hæc Albinus. Itáque ex his colligi datur ipſam, quam antea Canonici jam Regulares incoluerant, Eccleſiam Citizenſem ab *Ottone* in Cathedralem elevatam fuiſſe, quod quia Brutoffio (dum eidem adverſandi ratio non occurrit) abnegandum non autumo, ſanè dicendum per illam Citizenſi Eccleſiæ adjectam Cathedralem dignitatem, neutiquam Canonicos debuiſſe aut potuiſſe regularitatem dimittere, maximè cùm eandem hoc ipſo tempore Metropolitana Magdeburgenſis, cum quibúſque aliis ſibi ſubjectis adhuc eximiè cuſtodiret, prout inferiùs in cujúſque deſcriptione cernemus. Verùm quo tempore ſæcularis hæc Citzenſis Cathedralis facta ſit, nè augurari licet; præcipuè, quòd diù jam ad Naumburgenſem dignitate Cathedrali translatâ, vix quidquam ſuperſit, quò ejus poſterum ſtatum dignoſcere valeamus, profectò à tempore introducti in Saxoniam Lutheraniſmi, Citizenſis civitas iſtud quoque dogma ſibi pro norma vivendi aſſumpſit.

Albinus cit. Dithmarus in Chron. Brotuffius &c.

S. Crucis Virginum Canonicarum Abbatia. De hac Abbatia fuſiore ſtylo, quàm præſens intenta à nobis ſynoptica deſcriptio exigit, Buſchius agit in ſuo de reformatione monaſteriorum tractatu, pauciſſima exinde delibamus: originem hujus Parthenonis, non annotavit Buſchius, ſed ſolam, quam ipſe mandante Cardinale de Cuſa ſuſcepit, reformationem. Notantur verò hæ Virgines tum ſpecialiter à proprietate, quam quærebant: cæterùm, ùt ex ejusdem narratione apparet, non adeò exorbitaverant à lege diſciplinæ, hinc facilis quoque reductio facta eſt vitæ regularis, cui reimplantandæ operam dedit præfatus Buſchius adjunctis ſibi coadjutoribus Abbate S. Petri Erfordienſis Ord. S. Benedicti, & Doctore Paulo ad S. Mauritium Hallis Præpoſito, & duobus decretorum Doctoribus, totius univerſitatis in ſua facultate ſenioribus, deníque Henricô Lodowici Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provinciali. Moniales penè triginta inventas eo tempore fuiſſe inquit Buſchius, quæ cùm omnia hactenùs ex proprietate retenta comportâſſent in refectorio, in communem uſum ordinata ſunt. Puellæ quoque ſæculares in ipſo cœnobio ſervabantur, non, ut religionem aſſumerent, ſed ut bonos ac diſciplinatos mores addiſcerent, has omnes poſthac abeſſe Viſitatores juſſerunt, nè (ùt ait ſæpè laudatus Buſchius) clauſtralem ſororum diſciplinam & de-

votionem impedirent. Deníque habitu quoque in eis reformato, ad ſtatum planè laudabilem totum iſtud cœnobium reſtitutum eſt. Utque adhuc firmiores radices noviter inſerta diſciplina obtineret, poſt aliquot annos poſtulante Conſulatu Erfordenſi duas Moniales Canonicas ex Heyningenſi, Parthenone Buſchius ad inſtantiam Epiſcopi Hildeſemenſis ſecum aſſumpſit, ut hæ in habitu, cantu, ſtatutis, & Ceremonialibus Erfordienſes Virgines informarent, quamvis idem Buſchius obſervet, eas non ex integro cantum Windeſemenſem aſſumpſiſſe.

Cæterùm videtur hæc reformatio cæpta fuiſſe circà annum 1460. anno verò 1470. cùm per prædictos Commiſſarios itorata viſitatio in hoc parthenone fieret, inventæ ſunt ipſæ ſacræ Virgines in bona pace & competenti bona reformatione ſicut & hodie ſunt, inquit Buſchius noſter verùm ut ut hunc Parthenonem ad Evangelicam profeſſionem reformatio illa induxit, ſic Lutheri impia ac Diabolica deformatio totum Parthenonem in poſtremam ruinam dejecit.

Exſtitit in urbe Erfordienſi. Buſch. L. 2. de reform. Monaſt. c. 20. & 21.

Dalbojenſis Cathedralis.

Si hujus Eccleſiæ fata peculiariùs deſcribendi animus eſſet, primò omnium ipſius Daniæ viciſſitudines, Danorúmque vacillantem fidem neceſſe haberemus enarrandam, verùm quia hæc ad generalem, magis hujus provinciæ ſeu regni, quàm unius Eccleſiæ hiſtoriam pertinent, hinc dilatis & ad poſterum laborem rejectis amplioribus, ſolùm notamus, quæ de Dalbojenſi Collegio Adamus Bremenſis ſcripſerat, dum de converſione gentium in Sconia agit. Sic autem Adamus: *in Regione, inquit, Sconia Nemo adhuc Epiſcopus fuit inordinatus, niſi quòd ab aliis partibus quidam venientes interdum illam procurabant Diœceſim. Deinde Gerbranus Selandenſis Epiſcopus, & poſt eum Avoco, ſimul utrámque gubernabaut Eccleſiam. Nuper verò mortuo Avocone Rex Suein parochiam Sconienſem in duos Epiſcopatus ſegregavit, unum, id eſt Lundenſem Henrico tribuens, alterum, id eſt Dalbojenſem Egnoni. Verùm iſtum ordinavit Archiepiſcopus. Henricus autem apud Orchadas fuit antè Epiſcopus, iſq; in Anglia Sacellarius Regis Knut fuiſſe narratur. Cujus theſauros in Daniam perferens, luxurioſè vitam exegit. De quo narratur etiam, quòd peſtifera conſuetudine delectatus inebriandi ventris, tandem ſuffocatus crepuit. Hoc & de Avocone factum eſſe comperimus, ſimilitérque de aliis. Egino verò cùm eſſet vir ſapiens & litteratus, ac caſtitate inſignis, nunc etiam totum ſtudium ejus exarſit iu converſione paganorum. Quapropter multos adhuc populos idolorum cultui deditos, vir ille Chriſto lucratus eſt, illos præſertim Barbaros, qui Pleichaui dicuntur, & qui in hulmo Inſula degunt. Qui omnes ad ejus prædicationem converſi in lacrymas, pœnitentiam ſuè erroris ita mouſtrarunt, ut confractis ſtatim Idolis ultrò certarent ad baptiſmum properare. Mox etiam theſauros & omnia, quæ habebant, ſternentes ad pedes Epiſcopi, flagitabant, ut hæc dignaretur accipere, quod renuens Epiſcopus docuit eos ex eadem pecunia fabricare Eccleſias, egenos alere, & redimere captivos, qui multi ſunt in illis partibus. Fertur idem vir Magnanimus, eo tempore, quo in ſuediam perſecutio magna Chriſtianitatis incanduit, Saracenenſem Eccleſiam, caterósque fideles, eò quòd Paſtore carebant, frequenter viſitaſſe, conſolationem miniſtrans his, qui in Chriſtum crediderant, incredulis verbum Dei conſtanter annuntians. Ibi etiam opinatiſſimum Fricconis*

conis ſimulachrum in fruſtra concidit. Pro quibus virtutum inſignibus, à Rege Danorum magno deinceps vir Dei honore habitus, defuncto mox pingui Henrico, utrámque Sconiæ parochiam, ſcilicet Lundenſem, & Dalboenſem Gubernandam recepit, Qui mox Lundæ ſedem Epiſcopalem conſtituens, apud Dalbojam Præpoſituram Fratrum regulariter viventium eſſe præcepit.

Porrò hæc Clericorum, ſeu Canonicorum regularis ab Eginone in Dalbojenſi Eccleſia inſtitutio circiter annum 1069. facta fuerat, cùm jam antea Epiſcopali dignitate ornaretur: neque opinandum, vitam quoque ipſam regularem ibidem antea non floruiſſe, quin, quod propè extra omnem ambiguitatem, illam injuriâ ſolùm, & negligentiâ Epiſcoporum *Eginonem* decedentium aut ſublatam fuiſſe, aut adeò obſcuratam, ut ab iſto de novo eſſe præciperetur. Quia verò perpauca ſunt, quæ nobis de hac Eccleſia referenda conſtant, nihil certius quoad recentiora tempora referre poſſumus, niſi hunc totum Epiſcopatum in temporale dominium tansmutatum cum integra Sconiæ Provincia Lutheri dogmata ſectari, & jam diù fidem inde Catholicam exulare.

Adamus Bremens. de ſitu. Dan. Cap. 215. & 216.

Dernburgenſe. Virg. Canonicarum Præpoſitura.

Fata, memoratu digniſſima huic olim percelebri parthenoni contigerunt, pauca delibabimus, plura in ipſo opere daturi. Fundatorem ſe eidem exhibuêre ex Illuſtriſſima familia *Wincenburgenſi Hermannus* cum Fratre *Henrico* anno Domini 1130. inductis Virginibus Canonicis ſub regula *S. Auguſtini*: cúmque aliquamdiù Deo religioſum exhiberent in abundantia virtutis famulatum, demum cum prolongatione annorum, abolita fuit diſciplinæ regularis conſtantia, & graviter adeò peſſumdata omnis religioſa pietas, ut Moniales ipſæ in proprietate, in vita diſſoluta, & incontinenter, ùt fama publica volabat, viverent, teſte Buſchio noſtro. Ubi obſervandum, Hallucinari vehementer Joannem Cruſium in ſuo tractatu, quem inſcripſit *Commenta Hayanna* dum tract. 2. t. 2. n. 289. ait: *Dernburgum Auguſtinianorum Regularium domicilium fuiſſe, quibus tandem propter irregularem vitam per Epiſcopum Hildeſemenſem Magnum ſub annum* 1447. *expulſis, illud ipſum Ciſtercienſibus eſſe traditum.* Habemus enim teſtimònium adeò apertum Cruſio contradicens Derneburgum, cum præcipuè, cùm laxatis habenis incolentium Ciſtercienſibus concederetur, *ſanctimoniales* non *viros* continuiſſe, ut niſi Buſchium ſcriptorem Synchronum falſum fuiſſe enunties, ſententiam certam pro hac veritate adſtruenda habeamus. Sic igitur Buſchius: *Monaſterium*, inquit, *Monialium in Derneborg Ordinis fuit Canònicorum Regularium, ād duo milliaria diſtans ab Hildeshem, in quo Moniales diù in proprietate, in vita diſſoluta, incontinenter, ùt fama publica volabat, vixerunt. Magnus igitur Hildeshemenſis Epiſcopus, & ejus venerabile Capitulum miſit me in fulta Patrem cum Domino Borchardo de Hardenberge, in ſummo ibidem Canonico, & Domino Rolando, Curiæ Epiſcopalis officiali, ut illud reformemus. Moniales iſtæ regulam olim Patris Auguſtini profeſſæ, eam non ſervabant; de monaſterio ſuo, quandò volebant, exibant, licentiâ tamen à Prioriſſa petitâ, longo tempore foras aliquando permanentes &c.* Narrat dein Buſchius ſeſe Virgines accommodâſſe cæptæ reformationi, ſed ſatis ſtivolè, utpotè, quòd non eſſet in eis ſpiritus efficax recipiendæ diſciplinæ, moram ſolùm protrahentes, quâ liberari iterum à Buſchio refor-

formatore poſſent, ſicque rursùs redire ad vomitum, quem ſpeciétenùs dimiſerant, cúmque triennio penderet hæc ſub Buſchio reformatio, virum hunc religioſum deníque pertæſæ repetitis precibus obtinuerunt, quod quæſiêrant. Itáque dimiſſò Buſchiò Epiſcopus Hildeſemenſis earum curam contradidit Henrico Abbati Marienrodenſi Ordinis Ciſtercienſis, quem prima ſtatim cura inceſſit, ut monaſterium iſtud ſuo ordini plenè appropriaret, ùnde ſuo propoſito feliciùs perficiendo Epiſcopum Hildeſemenſem lucrari ſtuduit, obtinuítque eâ induſtriâ, ut primò præficeret in Præpoſitam, Monialem ſui Ordinis, paulò poſt verò ipſe *Magnus* Epiſcopus cum Præpoſito, & Decano Hildeſemenſi dicto *Henrico* Monaſterium Dernborgenſe accederent, Virgines omnes è monaſterio tollerent, illúdque Cicercienſis inſtituti monialibus non obſtante ardentiſſima obteſtatione & emendationis promiſſo interpoſito, extraderent. Quæ omnia taliter facta Buſchius citatus ùt ocularis penè teſtis, certè ſaltem ſynchronus & ipſi loco tunc vicinus enarrat. Ex quo patet, quàm tralatitiè à Cruſio ſcriptum ſit, *Auguſtinianos*, id eſt, *Canonicos* ejectos fuiſſe, non *Canonicas* præterea neque video, cur idem Cruſius cenſores illos *Præpoſteros* nuncupet, qui dicebant Auguſtinianos potiùs reformandos fuiſſe, quàm expellendos, profectò hoc ſinceriſſima & candida mente ipſe ſentiebat Buſchius, nec approbare poterat hanc adeò præoccupatam immutationem, præcipuè cùm dubitare nequiret, fore, ut ſi Buſchio diutiùs concredita fuiſſet Dernborgenſis reformatio, eandem de laxitate inveterata reportaret victoriam, quam dudum jam de aliis, Deo ſolertiam ipſius adjuvante, conſecutus eſt: ut adeò potiùs Henricus Abbas, & qui eidem tam faciles aures præbuêrunt, præpoſteri audire deberent, quàm Buſchius aliíque cum eo hujus factæ immutationis cenſores. Certum enim eſt, ut doctè & eruditè obſervat Romanus Hay, non poſſe tam temerè & voluntate in rationem pugnante cujusvis ordinis in alium immutatio in aliquo monaſterio fieri, cùm magna deliberatione legantur Fundatores huic potiùs ordini quàm alteri ſua aſceteria condidiſſe, motivis certis, & ponderoſis ad id inducti.

Porrò hæc mutatio facta videtur circà annum 1447. citat Cruſius Chronicon Riddaghuſanum apud Meibomium. Nos ſanè totum iſtud disquiſivimus, ſed de Cœnobio Dernborgenſi, ſaltem ubi de Abbate Henrico agitur, nihil memoratur, ut adeò in editione noviſſima ab Juniore Meibomio curata, hanc pericopen deſiderare cogamur, quæ fortè eidem Chronico ſeorſim per Seniorem Meibomium edito adhuc inſerta legebatur, citata à Cruſio pag. 64. cùm nunc ipſum Chronicon initium ducat à pag. 343.

Deníque ut edocti hactenus ſumus, cœnobium iſtud ceſſiſſe dicitur Patribus ſocietatis, quod, quo tempore factum ſit, necdum experiri licuit, certè poſt annum 1653. tum enim diſertè docet Cruſius contra allegationes Hayanas Dernburgenſe monaſterium nunquam usque dum ſocietati unitum fuiſſe, imò nec uniri petitum. Nos ex allegata informatione, illud in Elencho ſocietati adſcripſimus, aliter verò edocti, lubentes ſuis ipſo in opere poſſeſſoribus vindicabimus.

Exiſtit propè Goslariam. Buſch. L. 2. de reform. Monaſt. cap. 14. & 15. Cruſius cit. Chron. Marienthalens. apud Meibomium tom. 3. p. 256.

Dor-

Dorſtadenſe SS. Trinitatis Virginum Canonicarum Prioratus. Fundatus eſt hic Parthenon ad annum 1189. à nobiliſſimo Dorſtadiano Dynaſta *Arnoldo*, *Varia Barba* nuncupato, hic cum, è conjuge ſua *Bina* nomine Æthiopiſſa natione, nullam virilis ſexûs ſobolem ſuſciperet, monaſterium, ſeu Gynæceum condidit, quod Virgines incolere voluit, quæ ſe Canonico *D. Auguſtini* inſtituto devoverent, neque ambigendum optimis fundamentis hanc virginalem congregationem primitùs informatam fuiſſe, quamvis à nobis non ſolùm litteræ fundationum, & donationum piarum, verùm & quæcúnque ſæculum decimum quintum præcedentia hujus cœnobii deſiderentur.

Porrò circa annum 1460. hujus pariter parthenonis aſſumpta eſt reformatio, quippe quòd teſte Buſchio *à multis retroactis temporibus, & annis ſteterit ſine reformatione, & regulari obſervantia. Quædam ejus Moniales caſtitatem non bene obſervaverint, omnes propria haberent, & quàſi ſine obedientia vixerint in Monaſterio. Unde ad extremam in multis bonis pervenerant paupertatem, de Præpoſitura parùm habebant, & ſingulæ de propriis victalitiis, & de puellarum ſæcularium doctrinis, & informationibus ſe nutriebant.* Sententiam Excommunicationis, ab Epiſcopo contra eas, quia ſe reformare noluerunt, latam & fulminatam quodam tempore incurriſſe idem Buſchius ait. Hinc ipſus hic eò miſſus eſt, ut ſpondentes ſe reformationem ſuſcepturas ab Excommunicationis vinculo ſolveret: cùmque Virgines eandem neutiquam renuerenr, ſolùm ſibi de temporalibus uberior proviſio fieret, hacque de cauſa Præpoſitus eis fidelis præficeretur, Buſchius petitis conſenſit, factúſque earum Præpoſitus eſt (à Domino Epiſcopo Hildeſemenſi nominatus) *Statius* Canonicus Hildeſemenſis. Verùm Statiò præpoſiti munus gerente reformatio ſuum finem aſſecuta non eſt; cùm enim Buſchius ex Decreto Epiſcopi reformare cuperet Dorſtadenſes ad normam Heiningenſium Virginum, ideóque habitus earum in quibuſdam immutandus eſſet, cui *Statius* ſe oppoſuerat, Buſchius ſe conſultò reformandis ultrò his virginibus ſubtraxit, unde & ipſe ait: *manſerunt, ſicut fuerunt, niſi quòd unam menſam haberent, & ſuo tempore chorum frequentarent, aliàs parùm ſcirent, & tenerent de reformatione.* Perduravit aliquamdiù hæc ſub Statio Præpoſito vivendi diſciplina Dorſtadienſium, nec vulgarem ſibi reconciliâſſe videntur famam apud populares: cùm etenim vicinæ regiones nôſſent, paſſim per Buſchium monaſteria Saxoniæ maximè in Diœceſi Hildeſemenſi ſub *Magno*, ejúſque ſucceſſore *Erneſto* Epiſcopo reformata fuiſſe, Conſulatus Stendalienſis novo à ſe conſtructo, in urbe hujus nominis Parthenoni è Dorſtadenſi aſceterio coloniam ſubmitti ab Epiſcopo *Erneſto* petiit, quod haud difficulter obtentum eſt, eò, quòd aliundè paulò antea Eccleſiam cum dormitorio flamma vorax conſumpſerit. Itáque *Statius* Præpoſitus tanto cum applauſu decem aut undecim Virgines *Stendaliam* adducens exceptus eſt, ut eidem advenienti, monialesque viſuri ad tria penè millia hominum in occurſum proceſſerint, & Præpoſitus Hildeſemenſis ipſe non ambigeret Buſchio in faciem edicere, quòd ſi ſolùm *Statio tanta Doctrina ineſſet, plus omnibus Reformatoribus feciſſe crederetur.* Verùm moderatiſſimus Buſchius noſter repoſuit Præpoſito: ut exſpectet pauliſper, finemque reſpiciat. Neque fefellit optimum virum

virum vaticinium ſuum: pauculis enim annis elapſis Dorſtadenſium illarum quædam relicto Stendalienſi Domicilio domum repedârunt, remanentes verò diſſidiis ac ſimultatibus maximè ex ſæcularium rumorum auditu (quos plenis aurihûs excipere conabantur) coortis ſe ſe invicem conſummantes, ab ipſo Conſulatu Stendalienſi reprehenſæ ſunt, dumque ex eis quærebatur, quî tam citò à ſancta reformatione ſua (quam Laudatus conſulatus ſupponebat intimo pectore Dorſtadii dictas virgines hauſiſſe) intepuerint, maximè in eo, quòd quotidie ſororem Laicam ad civitatem mitterent, quæ renunciare illis omnia debuerat ibidem contingentia; unde corda earum ad omnem ſæculi vanitatem, & diſſolutionem pertrahi neceſſe eſſet? reſpondit Prioriſſa, ſe cum ſororibus ſuis de vera reformatione nihil ſcire, niſi, quòd unam menſam pariter habeant, & tempore ſuo ad chorum, & dormitorium pariter tranſeant. Si igitur veram velint habere Stendalii reformationem, oportere, ut alias procurent moniales verum modum reformandi ſcientes. Quibûs perceptis conſulatus vehementer excanduit, ac ubi alioquin Everhardus Præpoſitus Præmonſtratenſis ex Cœnobio Magdeburgenſi B. Virginis tum Stendaliam advenerat, eum rogavit conſulatus de reformando ſuo novello monaſterio: verùm, cùm Everhardus renueret falcem in alienam meſſem mittere, ſuaſit, ut ad hoc opus potius aſſumerent Joannem de Sulta Præpoſitum, id eſt, ſæpe laudatum à nobis Buſcium: verùm vixdum hoc conſilium ſuſcipiendum monialibus ibidem innotuerat, omni niſu reſiſtebant ſe ſubmittere Buſchio, *Pro quocunque*, ajebant, *Patre Ordinis noſtri mittatis, ſed pro Patre de Sulta non mittatis, quia ipſe Pater eſt Monialium in Heyningem, & adverſarius monaſterii noſtri in Dorſtad.* Ut itáque Everhardus utrique Parti ſuccurreret poſtulandum dixit Priorem de Hammersleben Bernhardum nomine, cùm autem hic ejusdem omninò reformationis tramite, quô Buſchius incederet, & eâdem ipsâ, quæ in Dorſtadenſi cœnobio Buſchius, Bernardus prætenderet Stendaliæ; denique conſulatus tanquam Parthenonis Stendalienſis Fundator Bernhardo omnimodis adhærens mandaret monialibus, ut aut reformationem ſuſciperent, aut redirent Dorſtadium, laxiorem viam ipſæ (Præcipuè Præpoſito *Statio* hanc earum pertinaciam tuente) eligentes majori dedecore Stendaliâ deceſsêre, quàm ullô unquam honore antea illuc receptæ ſint.

Narrat quoque ultrò Buſchius, commotum graviter hoc facto *Statium* fuiſſe, & nonnulla attentâſſe incommoda Windeſemenſibus impingere, inter quæ illud ad præſentem tractatum: aſſeruiſſe nempè, ipſum monaſterium Dorſtadenſe neutiquam eſſe Canonicorum Regularium, ſed Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*. Verùm cùm ipſe hujus ordinis rum percelebris Erfordiæ S. Theologiæ Doctor *Henricus Lodevvici*, adeò candidè adſtrueret, ordinem ſuum nullum jam in mundo habere monaſterium Monialium, ut etiam dicere, & ſtare velit coram omnibus Doctoribus & Religioſis pro hac veritate, in modico iſtud *Statii* commentum eliſum eſt. Poſtmodùm idem *Statius* (haud dubiè ſubmetuens reformationem à Windeſemenſibus Patribus urgendam) novum ſtratagema excogitaverat, ut ſcilicèt iisdem Eremitanis Patribus hoc negotium demandaretur; ſed pariter ùt anteà deluſus eſt: utpotè quòd Provincialis eorum omninò renueret Monaſterium invadere talis ordinis

nis, *qui ex ſeipſo haberet bonos Patres* (ut inquit Buſchius) *& bene reformatos, ut noverat tota Saxonia.*

Porrò obſervo oſcitâſſe quoad iſtius Parthenonis reformati, aut potiùs reformandi Epocham Heineccium, dum ſcripſerat, *aliam hujus monaſterii faciem eſſe cæpiſſe, ex quo annô* 1479. *Virgines reformationem ſubjerunt, & Canoniſſarum S. Auguſtini ſuſceperunt inſtituta.* Imprimis enim patet ex narratis, & producto Buſchii teſtimonio has Virgines dudum regulam *S. Auguſtini* ſuſcepiſſe, neque reformationem capeſſitam fuiſſe talem, quâ ad novum ordinem, vel regulam adſtringebantur, ſed ſolummodò illam, quæ Windeſemenſem diſciplinam ſuperinduceret promiſſæ alioquin jam regulari obſervantiæ Auguſtinianæ. Quod ſi tum certum non fuiſſet, profectò *Statius*, qui quantum poterat, avertebat Windeſemenſem reformationem à Dorſtadenſibus iſtis, eáſque conabatur tueri in priſtina norma vivendi *; ſolùm quòd menſam in communi haberent, & ſtatis temporibus ſimul chorum, dormitoriúmque ingrederentur*, noviter inducta. Hic Statius inquam, pro primo, ac præcipuo ſuo Clypeo aſſumpſiſſet (ut eas ab ordine noſtro vindicaret) *regulam ipſas S. Auguſtini non fuiſſe profeſſas;* cui tamen potiùs contrarium videtur apertè ſuppoſuiſſe, utpotè, Eremitarum *S. Auguſtini* inſtitutum ſequentes prætendens.

Deinde neque mihi certum videtur, has noſtras Dorſtadenſes reformationem Windeſemenſem annô 1479. ſuſcepiſſe, ſanè, cùm id nullo alio uſque dum documento ſim aſſecutus; ut ſoli aſſertioni Heineccii adhæream, non convincor.

Cæterùm certum tamen eſt ſubſequo tempore ſe dictæ reformationi ſubjeciſſe, exiſtuntque hodiedum ſub congregatione Windeſemenſi. Neque, ut opinor, inter paſſim in vicinia obſervantes hæreticos, exiguâ morum, vitæque ſanctimoniâ. Neque audiendus Heineccius, dum ait: *Dorſtadianas Virgines olim nonniſi ejuſmodi preces uſurpaſſe, quibus ſolam ſanctiſſimam Triadem alloquebantur neglectis ſanctis.* Vult dicere, excluſum ab ipſis omnem cultum ſanctorum. Nos enim hanc Heineccii inſipidam controverſiam ſolidiùs ipſo in opere tractaturi, monſtrabimus non ſolùm adverſùm eundem, ſed & quosvis hujus erroris Sectarios, à viris ſanctiſſimis, ac cuique univerſim Heterodoxo dudum ſuſpiciendis atque honorandis diſerté pro cultu Sanctorum ſemper conclamatum eſſe, atque definitum. Et ſtupidiſſimi intellectûs, ac ingenii hominem imò perverſiſſimum potius arguendum, quàm illuminatum meritò cenſeo, qui cultum hunc aut ſugillat, aut velut ſuperſtitioſum, ac idolomanicum damnat.

Exiſtit autem hic Dorſtadienſis Parthenon propè Goſlariam. Buſch. L. 2. de refor. Monaſt. Cap. 33. & ſeq. Heinecc. Antiqv. Goslar. L. 2. p. 189. Meibom. in notis ad hiſt. de Henrico Leone. Docum. Communic. Leuckfeld. in Antiqv. Halberſtad. p. 374.

Drubeckenſe. Abbatia. *Fund. Sæc. 11. Exſtinctum.*

Hoc Collegium noſtris accenſet Clariſſimus Grueber in ſua Monaſteriologia M.SS. nobis amicè communicata, argumento ex Chronico Montis-ſereni deſumpto, quòd in eo legatur, *aſſumptum in Præpoſitum Drubeckenſem fuiſſe Canonicum Regularem S. Thomæ Lipſiæ Willehelmum annô* 1223. verùm Doctiſſimi viri ſententiæ aliquantò attentiùs à me perpenſæ cum collatione eorum, quæ de hoc ipſo cœnobio apud Leuckfeldium & Meibomium lego, utut hactenùs ſubſcripſeram, ultrò adhærere non poſſum, niſi

evideotioribûs documentis perſuadeat. Apud Leuckfeldium eoim in antiqu. Halberſtadenſ. diſco illud virginibus ordinis S. Benedicti ad ſæculi duodecimi initium à Lothario Imperatore fuiſſe concreditum, cùm jam diù anteà fortè fundatum eſſet. Certè apud Ludewigum in reliquiis M. SS. tom, 7. exſtat diploma Henrici quarti Cæſaris ſignatum 1058. in quo idem *Abbatiam Drubeke in Pago Hardego & in Comitatu Bernhardi Comitis ſitam, cum omnibus ſuis pertinentiis &c. ad altare in honore S. Stephani Prothomartyris Chriſti in loco Halberſtadenſe conſecrato pro curte Kismebrugga ſuisq; appenditiis in proprium dedit, atq; tradidit:* Et quidem ipſi Burchardo tunc Halberſtadenſi Epiſcopo. Tum ergò potiùs crediderim Abbatiam iſtam hominibûs Deo famulaotibûs vacuam exſtitiſſe, nulliq́ue certo ordini addictam; certè ut credam fuiſſe Canonicorum regularium nulla monumenta antiqua docent. Chronicon Halberſtadenſe apud Leibnitium de hac Drübeckenſi Abbatia diſcurrens nil aliud niſi mox relatam commutatiooem Epiſcopo Burchardo ab Henrico factam laudat, de ordinis inſtituto omoino ſilet.

Cùm itaq́ue primum, quod in Drübeckenſi Abbatia inſtitutum audit, Monialium Benedictinarum ad annum circiter 1130. occurrat, ſtandum pro his erit tamdiu, dum ſubſequa documenta doceanr novam inductam alterius ordinis, & quidem noſtri Coloniam, ſed de hac alteratione, quid aſſerere me oportet? dum ne umbram ejus usq́ue ad memoratum io Chronico Montis ſeteni Willhelmum Drubeckam translatum Præpoſitum lego. Porrò quid ſi Præpoſitus hic Virginibus Ord. S. Bened. conceſſus ſit, quamvis Canonicus Regularis? profectò ſæpiùs id factum fuiſſe, ut Canonici in Præpoſitos præficerentur Monialibus Benedictinis, nemo hiſtoriæ peritus ignorat. Igitur quod ultrò de hoc Drubickenſi, monaſterio ſcribam, ut noſtris poſthac viodicem, non habeo.

Exſtitit propè Halberſtadium: nunc Domicellarum ſectam Lutheraoam profitentium collegium eſt. Leuckfeld. in Antiqv. Halberſtad. p. 479. & 480. Meibom. in Chronico Bergenſi t. 3. p. 299. Chron. Halberſtad. apud Leibnit. t. 2. p. 125. Reliq. M. SS. apud Ludewig. t. 7. p. 476.

Egerſtorpenſe, quod mendoſè in mappæ noſtræ Eleocho ponitur *Eberstorffenſe S. Mariæ Præpoſitura*: cujus mentiooem facit in Chronico Epiſcoporum Miodenſium Lerbeccii Continuator: (ùt videtur Leibnitio) *Hinricus Tribbe*, dum ait: *Monaſterium in Egerstorpe ſub regula S. Auguſtini constructum & fundatum fuit, quod tempore ſuccedente Ludevvicus Epiſcopus* (Mindeoſis nimirum) *in honorem Virginis Benedictæ conſecravit.* De eodem hoc cœnobio ſcribit alter Chronici Miodenſis compilator apud Meibomium ſub Ludovico triceſimo nooo Epiſcopo poſt relatum ejusdem annô 1345. obitum ſequentia: *item*, inquit: *Monaſterium in Egerstorpe ſub regula S. Auguſtini conſtructum & fundatum eſt. Quod tempore ſuccedenti dictus Epiſcopus* Lodewicus, *qui ſuum totum officium, tam ordinationis, quàm conſecrationis, per ſeipſum facere conſuevit in honore Virginis Mariæ conſecravit.* Hoc Chronicon in multis videtur ex ſuperiore deſcriptum, ùt conferenti patebit.

Porrò ſunt alia adhuc ejusdem propè Nominis cœnobia in Saxonia inferiore, ſcilicèt *Eberstorffenſe*, quod pro Canonicis fundaſſe dicitur Fridericus ſecuodus Saxoniæ Dux cum Coojuge ſua in gratitudinis monumentum ob reſtitutos gemioos filios *Erneſtum* & *Alber-*

Albertum furtô ſublatos per Conradum Kauffungium, ùt meminit Albinus in Chronica Miſnenſi. Aliud verò Dictum *Ebeckstorffenſe*, celebratum à clade immani Chriſtianis circà finem ſæculi noni à Nortmannis illata, de qua Kranzius, aliiq́ue: in hoc Cœnobio pervetuſto primitùs religioſi viri morantes in albo habitu Domino Deo famulantes referuntur exſtitiſſe, ſed circa ſæculum decimum quartum (ùt prætendit Calvörs) Virginibus Benedictinis reſtructum eſt. Profectò multum laboris à me impenſum eſt; ut hujus *Ebeckstorffenſis* initia clariora obtinere poſſem, at incaſſum omnia. Exſtitiſſe laudatum cœnobium videtur inter Naumburgum & Mindam, quod haud dubiè nunc ſub manibus Hæreticorum exſtinctum jacet. Chron. Ep. Mind. apud Leibnit. tom. 2. p. 160. & 189. item apud Meibom. t. 1. p. 157. Calvors Saxon. Inf. p. 254. Kranzius in legenda de Martyribus Ebeckerstorffenſibus &c.

Fund. Sæc. duodec. Exſtinctum

Ebbelholtenſe *S.* Thomæ.

Aliàs quoq́ue *Paraclitus* dictum. Celebre olim à ſuo Fundatore cœnobium: cui ſcilicet exordium dediſſe *S. Wilbellmus* Roſchildenſis Abbas dicitur à Scriptore vitæ, quem ſibi ſanctus ſaltem per poſteriora ſuæ converſationis tempora ſynchronum habuit: hic igitur de S. *Thoma* Ebbelholtenſi monaſterio, hæc nobis inſinuat: *Monaſterium*, inquit: *S. Thomæ Apoſtoli in loco, qui Paraclitus vocatur, primus conſtruxit, & ordinem S. Auguſtini in eo transtulit, & obſervari inſtituit, ac privilegio Domini Alexandri Papæ ibi perpetuò confirmari fecit.* Sedit hic *Alexander* (tertius nimirum) ab annô 1159. ad usq́ue 1181, cùm verò D. *Willhelmus* juxtà veterem codicem Hasnienſem in Daniam pervenerit annô 1161. liquet inter hos decem annos noſtrum hoc monaſterium conditum fuiſſe, neq́ue ſtatim ab ingreſſu viri Sancti in Daniam, utpotè quòd indubiè aliquanto tempore rexerit alterum cœnobium, ad quod reſtaurandum advocabatur Eſchildenſe dictum, in quo pariter Abbas ab *Abſalone* Roſchildenſi Epiſcopo creatus eſt. Occurrit hìc immodica difficultas à Doctiſſimo Papebrochio agitata de adventu viri Beati in Daniam, cui profectò colliganda eſt reſtitutio dicti monaſterii; verùm quia nos mox inferiùs de eodem acturi ſumus, illuc (ſi quid ad ejus deſcriptionem expeti preſſiùs poteſt) potiora verò, cùm vitam S. noſtri *Willhelmi* ex conſtituto referemus, Lectorem remittimus.

Porrò tranſiiſſe S. *Willhelmum* ex primo illo *Eſchildenſi* Cœnobio ad iſtud *Ebbelholtenſe* à ſe conſtructum, ac in eo usq́ue ad vitæ ſuæ beatum terminum permanſiſſe, ſatis ex Biographo diſcimus, utpote qui num. 40. C. 4. mox ùt hujus fundationem meminit, quoddam miraculum narrat, ubi D. *Willhelmus Abbas* de *Paraclito* nuncupatur. Prætereà ejusdem Capitis n. 43. dicitur. *Cuidam monacho de Clauſtro Eſram raucitate pectoris affecto incidiſſe bonum conſilium, ut ad Azylum S. Thomæ de Paraclito declinaret. Veniſſe ergò, & patrem Monaſterii adeundo, querulo murmure expoſuiſſe &c.* Deniq́ue in eodem hoc cœnobio *Willhelmum* defunctum, & ante altare S. *Thomæ* Apoſtoli, quod ipſe conſtruxerat ſepultum fuiſſe Capite 5to vitæ diſertè habetur. Quæ verò cauſa *Willhelmo* fuerit, ut relicto priori, ob quod vocatus erat, monaſterio, iſtud condiderit, incolueritque, non ſatis conſtat, neq́ue nos divinare volumus. Certè lectiones de hoc Divo inſertæ Breviario ordinis noſtri, ſeu (ùt id nominamus) proprio, dicunt eundem monaſteriô *Eſchilli* reformatô, aliud ſub eadem B. *Auguſtini* regu-

la exſtruxiſſe *Paracletum* nuncupatum; fieri igitur potuit, ut Eſchildenſi in plenum reſtituto, eique de congruo Abbate proviſo, *Willhelmus* novum conderet, ordini Canonico ampliores hoc modo radices renovatæ diſciplinæ in Dania firmaturus, atque ſic in iſto, reliquo vitæ tempore ipſe Abbas præſideret. Hoc *Ebbelholtenſe* Cœnobium initiô pauperrimum fuerat atque exile, eò, quòd Eccleſia nonniſi ex lignis fabricata eſſet, & prætereà proventus annui in modicis ſubſiſterent; præſagiit verò ſæpiùs Beatus vir ſuis, cùm adhuc viveret, Canonicis (veluti ejus Biographus annotat.) de paupertate ſua conquerentibus dicens: *patientes eſtote, quoniam adhuc viſitabit vos Deus, in ſalutari ſuo, & replebuntur horrea veſtra ſaturitate, & erit locus iſte valdè glorioſus.* Vaticinium iſtud ſuum effectum ſortitum fuiſſe idem Biographus teſtatur, cùm ſcilicet per creberrima miracula, copioſiſſimus aſſiduò affluxus populi fieret, & oblationes innumeræ: ita quidem, ut *ſeptimo poſt ejus obitum anno ſanctuarium novæ & latioris Eccleſiæ & tegulis conſtructum conſummaretur, & Chorus fratrum in eo diſponeretur, ligneaque Eccleſia peregrinis & infirmis undequaque adventantibus ad orandum relinqueretur &c.* ut ait idem Biographus. Neque dubitandum hunc locum poſtmodùm viri iſtius Sancti meritis non ſolùm temporali, ſed vel maximè ſpirituali augmento in dies ultrò accreviſſe.

Cæterùm quodnam illud infelix tempus fuerit, quô iſtud tantâ curâ à D. *Willhelmo* conditum, tam paterno favore poſt ſuum ad ſuperos diſceſſum, curatum monaſterium cœperit labeſcere, ut tandem noſtra ætate nil niſi nuda vetuſtatis ſuperſit memoria, quis augurabitur? Hiſtoria gentis Danorum ad annum 1238. notat hæc verba: *Translatio S. Willhelmi Abbatis in Oppellut.* Verùm in quem locum eadem facta ſit, comperire usque dum nequivi: an fortaſſe ad Eccleſiam Cathedralem, an ad EſchildenſemAbbatiam, an denique ad citeriorem aliquem Germaniæ locum, omnino non latet.

Demum non immoramur refutandis Trithemii, Arnoldi, Wionis, & aſſeclarum commentis D. *Willhelmum* Benedictinum aſſerentium, utpote, quorum falcem toties meſſi alienæ immiſſam quemadmodùm alii viri Docti, ſic nos quoque inter eos quamvìs minimi adeò tum in Exegeſi, tum hinc inde in hoc ſecundo tomo excuſſimus, ut tam crebrò retuſa aliundè ſibi vix ampliùs conſtare poſſit.

Cœnobium iſtud ſub Hæreticorum Daniæ imperantium potentia omninò exſtinctum eſt. Vita S. Willhelmi apud Boland. 6. Apr. Hiſtoria gentis Danorum in ſcript. ſeptentr. apud Lindebrogium p. 273. Baron. ad annum 1161. n. 29. & ad an. 1224. n. 30. ſeq.

S. Epiphanii Præpoſitura. Objacebat principi Eccleſiæ Hildesheimenſi ad Orientalem plagam alia non ignobilis, quam clariorem adhuc fecêre reliquiæ S. *Epiphanii* annô 962. per *Ottvvinum* Epiſcopum ex Italia eò translatæ; quod, quî factum ſit, pluribûs enarrat Anonymus Hildesheimenſis illi tempori coævus, primùm à Browero, dein à Leibnitio typô manifeſtatus. Hanc translationem ſicut prior ſapienti diſcurſu excuſat, ſic poſterior conſuetâ hæreticis ſubſannatione cavillatur, ſuo tempore à nobis convellendus. *Fund. An. 1022. Soc Jeſu.*

Porrò hæc Eccleſia ab eo translationis tempore nomen *S. Epiphanii* obtinuit, cùm antea S. *Mariæ* tantummodò diceretur. Baptiſmalem fuiſſe Browerus ex vita S. *Godehardi* deſumit, qui præclarus Præſul eandem jam *ſeniô & negli-*

gen-

gentia delapſum diruit, & in eodem loco monaſterium honeſtum in prætitulato honore primo ſuæ ordinationis anno (igitur annô 1022.) *fundavit, quartò conſummavit, & ibidem Congregationem Canonicam, pluris ſanè honoris & utilitatis in Dei timore coadunavit; quam Concambii ſui aquiſitione ſufficienter veſtivit, & pavit, abundantemq́ illic in futurum ad talem ſufficientiam condonavit.* Ut inquit ejus vitæ [Scriptor. Non eſt autem ambigendum, hanc congregationem Canonicam regularem à ſancto viro fuiſſe inſtitutam, cui clericalis integritas, ac votiva inſtitutio, quantùm curæ fuerit, ſatìs laudatus vitæ Godhardinæ Biographus oſtendit.

Hæc Eccleſia nunc Patribus ſocietatis ceſſit, reliquiis tamen S. *Epiphanii* dudum, ùt videtur, antea ad majorem ſeu Cathedralem translatis. Cæterùm quo tempore, quôve modo dicti Patres hoc adepti ſint domícilium, ſcrutari haud opus eſt.

Browerus in ſideribus illuſtrium virorum &c. biſtoria translat. reliquiarum apud eundem & apud Leibnit. t. 1. à pag. 257. acta SS. Bollandi ad Diem 21. Jan. Pag. in crit. Baron. ad an. 1122.

Fundat. 752. ſæcul. **Erfordienſis S. Mariæ Præpoſitura.** Eccleſia hæc cum monaſterio vetuſtiſſima ſua incunabula D. *Bonifacio* debet Moguntiæ Epiſcopo, Germaniæq́ue Apoſtolo, quod diſcimus ex vita S. *Gregorii* Trajectenſis: ubi narratis præclaris fidei incrementis per D. *Bonifacium*, ſibiq́ue adhærentes Evangelicos operarios comparatis ſubjungitur: *& redierunt electi Dei iterum ad ſua, in cœpto opere ſine hæſitatione permanentes in Thuringis, & in Haſſis; ubi tunc temporis maximè opus erat doctrina illorum ob vicinitatem Paganorum, & indoctam plebem: ibiq́ cœperunt offerentibus propter amorem Dei, & ſalutem animarum ſuarum modica loca, territoriaq́ ſuſcipere, & in eis Eccleſias conſtruere, & in hoc quoq́ opere, ſicut & in prædicatione ſua, cum benedictione Dei multùm proficere. De quibus locis eſt unus in Turingia nomine Erpesford* (id eſt Erfurt.) *& alius in Haſſiis* Frideslahr *cum cæteris nonnullis, quos initiaverunt electi Dei, & excoluêre cultu divino. Tunc creverunt loca divitiis, crevitq́ numerus diſcipulorum, ac virtute operis proficiebat.* Hæc ibidem.

Obſervat autem Gudenus, hanc Eccleſiam Beatiſſimæ Dei Matri condidiſſe, ac ſacràſſe D. *Bonifacium* trienniô ante Martyrium ſuum, adeòque annô 752. cùm ad cœlos Athleta pro fide avolaverit 755.

Porrò ex prædicto vitæ contextu colligimus huic Eccleſiæ D. *Bonifacium* diſcipulos quoſdam ſuos addidiſſe, quos Clericos fuiſſe ſecundùm Apoſtolicam vivendi normam inſtitutos facilè aſſentietur, qui ea huc accommodaverit, quæ jam alibi de hoc ſancto viro obſervavimus, Clericos non minùs, ac monachos in ſubſidium propagandæ per univerſam Saxoniam, finitimaque loca fidei aſſumente. Hinc ut præcipuè iſtam Erfurdenſem S. *Mariæ* Eccleſiam annotarem, ex Largio noſtro commonebar, dum diſquiſit. primæ Cap. 2. art. 9. pag. 174. ſic ſcribit: *Cæterùm quidnam ſit, cur Religioſi Monachi Erpesfurtenſem unicì Epiſcopi ſedem - - - . - - ſibi quoq́ ordini ſumant; neq́ ipſi dicunt nec ego invenire potui, niſi fortè hactenùs exiſtimârunt ad ſua inſtituta ſatis eſſe, quòd eas ſedes Bonifacius Moguntinus conſtituerit in vicinia Monaſteriorum ſuorum, & quibusdam diſcipulis ſuis commiſerit.* Verùm etſi ſuis diſcipulis eam Eccleſiam commiſerit; neutiquam ſequitur, ipſos monachos fuiſſe; certiſſimum namq́ue eſſe, hunc Beatum virum monaſteria non ſolùm Monachorum,

rum, ſed & Clericorum conſtruxiſſe, patet irrefragabiliter ex ejusdem epiſtola 14. data ad Fulradum Regis Pippini Capellanum, in qua inter alia de ſuis in Evangelico labore comminiſtris ſic ſcribit: *quidam ſunt Presbyteri per multa loca ad miniſterium Eccleſiæ & populi conſtituti, quidam ſunt monachi, per cellulas noſtras; & infantes ad legendum litteras ordinati, & aliqui ſeniores &c.* Igitur ſicut Presbyteri hic disertè diſtinquuntur à monachis, ſic per eosdem non alii intelligi poſſunt, quàm Clerici in iis Eccleſiis, ac Monaſteriis poſiti, quæ S. *Bonifacius* conſultò erexerat, non pro Monachis, ſed pro illis, qui ad miniſterium Eccleſiæ, & populi, conſtituti fuerant, id eſt, pro Clericis, aut ex origine ralibus, aut ex monachiſmo ad clericatum translatis. Hinc Pippinus Rex, ùt habetur apud Willelmum Hedam hiſt. Epiſc. Traject. pag. 34. *concedit aliqua bona in ſtipendiis Monachorum, vel Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Chriſtianitatem convertunt &c. Monachorum* inquam vel *Canonicorum.* Quæ particula non eſt hic disjunctivè, ſed copulativè accipienda, quod frequentiſſimum apud veteres fuiſſe, aliunde conſtat.

Talis igitur hæc ipſa S. *Mariæ* Eccleſia cum adjuncto Monaſterio fuerat, id eſt *Clericalis*, cùm eadem non in alium finem erigeretur, niſi ut eſſet ſedes Epiſcopalis, adeòque habitaculum virorum prædicationi Evangelicæ ſervientium. Audivimus enim cellulas, quas *Bonifacius* pro Monachis extruxerat, longè alium finem ſuæ ſtructuræ habuiſſe, ſcilicèt: aut ut monachi in eis infantes inſtruerent in litteris, aut ut in eis viverent *ſub regula S. P. Benedicti, in ſtricta abſtinentia, absq; carne & vino, absq; ſicera & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contenti*, ùt inquit hic idem ſanctus in Epiſtola ad *Zachariam* PP. apud Serarium t. 1. p. 260. de ſuo Monaſterio Fuldenſi tanquam omnium cum Monaſteriorum ab ipſo pro monachis conditorum nobiliſſimo. Quodſi monachos voluiſſes etiam promiſcuè labori Apoſtolico deſervire, profectò id iſthic addidiſſet. Quippe quòd ſuperiùs notaverimus ipſum D. *Bonifacium* diſcrimen *Presbyterorum*, & *monachorum* feciſſe.

Erfurtenſis iſta Eccleſia an in re Epiſcopalis fuerit, nunc non diſcepto, quamvis omninò in ſententiam Henſchenii propendeam opinantis *Adalarium* Erfordiæ Epiſcopum quidem à S. *Bonifacio* ordinatum, id eſt, *deſtinatum*, non tamen *conſecratum*, utpote, quòd hic confirmationem ſui propoſiti, erigendi Erfordiæ Epiſcopatum, à *Zacharia* Papa expetens, iſto verò talem in villis, aut modicis civitatibus (inter quas tum Erfordia adhuc æſtimabatur velut recenter enata) conſtituendum diſſuadente, ab incepto deſtiterit. Accedit, etiam ab iis, qui Erfordiæ Epiſcopatum in re formatum aſſerunt, alium præter S. *Adalarium* non aſſignari Epiſcopum, aſt hunc nunquam Epiſcopum, ſed ſimpliciter aut *Presbyterum*, aut *ſacerdotem* ab antiquis Scriptoribus dici, ſolumque recentioribus calamis ùt talem honorari, idem ipſe Henſchenius clarè oſtendit. Hinc quoque eſt, quòd nos maluerimus Eccleſiam hanc Præpoſituram potiùs, quàm Cathedralem nuncupare.

Diù autem jam eſt, quòd eam Canonici ſæculares poſſideant. Serarius tom. 1. Rerum Mogunt. L. 3. Notat. 29. Gudenus in Hiſt. Erfurt. N. 3. ſeq. act. SS. in vita S. Bonifacii Ep. M. ad diem 5. Junii &c.

Esckildenſe: Abbatia. *Fund.* …
In Inſula propè Roſchildam (quam *Exſtinct.*
veteres *Eschil*, *Eskilzo*, noſtri verò ævi Scriptores haud dubiè *Iſel-Fiort* aut *Iſeſiord* dicunt) conditum exi-

exiſtebat Canonicorum Regularium cœnobium ſub Prioratûs titulo: Initium ejus apud nullum adhuc Daniæ Scriptorem reperire contigit. Annô tamen 1161. adeò à diſciplina regulari locus hic defeciſſe cernebatur, ut teſte Divi *Willhelmi* Roſchildenſis Abbatis Biographo, *rarus tunc illic daretur numerus fratrum commorantium, qui fruſtrà Regulares dicebantur, quia nullius religionis diſciplinâ adornabantur, nulliqua cenſura regulari caput ſubmittebant, inſtituta ordinis ſcripta habebant, ſed nihil eorum obſervabant. In ſummis feſtivitatibus anni, ſaculares, qui eis erant familiares, cum mulieribus ſuis domus eorum frequentabant cum ipſis feſta celebraturi, in domo refectorii cum viris & mulieribus epulabantur, & inebriabantur, ducebántque choreas, talitérque domus in eorum actibus confundebatur, atque ſubſtantia illius dilapidabatur: ſic denique impudenter viventes omnium religioſorum auribus deteſtandam infamiam infuderunt.* Præerat tum Roſchildenſi Eccleſiæ tanto munere digniſſimus Præſul & Epiſcopus *Abſalon D. Willhelmo* notiſſimus, quippè ad *D. Genovefæ*, àntequam in ſedem Roſchildenſem elevaretur, Canonicus. Inexcuſabilis videbatur huic integerrimo viro diutiùs diſſimulanda tam enormis dilapſio Eſckildenſium Canonicorum ab obſervantia regulari; de remedio igitur (vulnere aliunde jam propè deſperatô) cogitans rememorat, nullius ope, Deo manum ſuam cumprimis ſupponente, meliùs, quàm *Willhelmi* Canonici tum Genovefani, non ita pridem regularem vitam ſuſcipientis, proviſum iri. Ergò Præpoſitum ſuum *Saxonem* vulgò dictum *Grammaticum*, ùt obſervat Papebrochius, mittit Pariſios *Willhelmum* ſibi ab Abbate ſubmittendum depoſceret. Collatô igitur cum ſuis Canonicis conſiliô *Guarinus* Abbas poſtulatis aſſenſus, ad opus tam arduum quidem, periculiſque plenum, at tanti viri eximiæ virtuti haud nimis importabile *Willhelmum* delegat.

Verùm occurrit hìc controverſia quæpiam de viri Sancti miſſione in Daniam facta, arguendúsne (ùt vult Papebrochius) erroris Chronici Biographus, dum ait *D. Willhelmum* obiiſſe octavô idus Apr. annô ab Incarnat. D. 1202. poſtquàm curam Dominici gregis ſuſcepit quadrageſimô. Facta igitur ex annis 1202. ſubtractione annorum 40. apparebit Beatum *Willhelmum* in Daniam abiiſſe 1162. cui calculo videtur obſiſtere *Alexandri* Papæ III. Epiſtola ad Abbatem *Guarinum* in cauſa *D. Willhelmi* extradita ſub his notis: *data Senonis 15. Kal. Sept. id eſt, decima octava Auguſti:* Conſtat verò ex continuatore Chronici S. Petri vivi, Alexandrum annô primùm 1163. in feſto S. Hieronymi, quod eſt II. Kal. Octob. Senonis honorificè eſſe ſuſceptum, ibíque usque ad Paſcha ſecundi anni, id eſt, 1165. moram traxiſſe; hinc ſequitur epiſtolam Senonis ſignatam non niſi annô 1164. fuiſſe, cùm tunc ibidem exiſteret. Quodſi ita? patet dilucidè Biographum duobus annis à vera Chronologia aberraſſe, dum quadraginta annorum regimen *Willhelmo* adjudicat.

Verùm mihi quidem exigua videtur difficultas ab errore imputato ſcriptorem iſtum eliberandi, quippe quòd nullam planè inconvenienciam admittamus dicentes, quiviſſe diverti Senonis *Alexandrum* longè àntea, quàm II. Cal. Octob. aut fortè ipſo die hunc menſem iniciante in illis ſtabilem tandem ſedem ad annum, & medium firmaret. Quippe quòd propè verum mihi ſit, *Alexandrum* neque in *Dolenſi* ſeu urbe, ſeu Cœnobio, neque alibi omnino im-

motum hæſiſſe, ſed quandóque in diverſa profectum quæſiiſſe, ubi locorum Galliæ potiùs, quàm Italiæ, vel Angliæ ſtabilis demum quieſceret. *Alexander* ſummum Præſulatum an. 1159. 7. Septembris adiit, cúmque jam ab ipſo Electionis tempore Italiam ſibi minùs, ob *Friderici* Imperatoris inſidias, faventem haberet, parcè admodùm in ea ſe detinuiſſe credibile eſt, adeóque & Galliæ fines jam hoc ipſo anno, aut certè ſequenti attigiſſe, & Senones quoque viſitâſſe, non video, cur negari omnimodis poſſit: quodſi verò id ſubſiſtat, annô, de quo agimus vel ſuccedente 1160. Epiſtola illa à ſummo Pontifice emiſſa haud dubiè fuerit, ut ſic Biographi Chronologiam ſalvemus. Qui etſi fortè eorum, quæ *Willhelmus* in Gallia geſſit, minùs expertus ſcripſerat, non tamen cenſendus eſt, tam facili duorum annorum parachroniſmo adventum viri Sancti in Galliam ignorâſſe, aut ex oſcitantia malè notâſſe. Oſtenſa igitur hac convenientiâ jam hoc ipſo Biographum *Willhelmi* ab Halucinatione exiſtimata abſolvimus, ut litteris illis Senonibus annô, non 1163. ſed 1161. 15. Kal. Sept. extraditis (compoſitâ inter Abbatem *Guarinum* & Canonicum *Willhelmum* diſcordiâ) hic *Abſalonis* deſiderio concederetur, & anno ſequenti, ſcilicèt 1162. in Daniam abiret, poſt mediam Auguſti Zeelandiam intrans. Neque hic objicienda nimia per calculum hunc admittenda mora Saxonis Præpoſiti in Gallia, quippè qui jam annô 1161. illuc profectus traditur à Biographo: repono enim, hoc iter aſſumi potuiſſe ad finem hujus anni à Saxone, ſimúlque pluribus negotiis tum ab Epiſcopo, tum à Rege ſibi haud dubiè impoſitis neceſſe fuiſſe Pariſiis ſubſiſtere. Prætérquàm, quòd iter Daniam inter, & Pariſios non ſit unius, alteriúſve diei, ita ut abiens annô 1160. *Saxo* primùm appulerit ſequentis initiô, rediêrit autem cum *Willhelmo* ipſo menſe Julio, ut ad medium Auguſti Zeelandiam teneret. Cùm igitur *Willhelmus* cum ſociis *Ringſtudium* perveniens ſe Rege *Waldemaro*, & Epiſcopo Roſchildenſi *Abſaloni*, ibidem tunc commorantibus ſiſteret, magnâ lætitiâ & urbanitate ſuſceptus eſt, ibíque tribus diebus ab itineris labore ſolutus, omníque præſidio, ac opitulatione tum Regia, tum Epiſcopali ſuffultus Roſchildæ primùm, ac demum Inſulæ Eskildenſi applicuit. Porrò monaſterium ingreſſi non exiguam omninò deſolationis abominationem repererunt, ſex Canonicis in eo commorantibus quidem, ſed nullâ diſciplinâ, nulla Religionis pietate inſtructis, rebus collegii quoque tam enormiter peſſumdatis, ut cùm ab Epiſcopo *Abſalone* totius ſubſtantia monaſterii inquireretur, ex alimentis non niſi ſex Caſei, perna una, & dimidia ſupereſſet. Commotus hiſce *Abſalon Willhelmo*, quem paulò ante Abbatem juſſit hujus loci, priùs ſub ſolius Prioris titulo gubernari ſoliti, quinque libras Denariorum ad neceſſaria victualium comparanda liberaliter contulit: quibus tamen non obſtantibus tres, qui cum *Willhelmo* advenerant, Canonici paupertatis vix tolerandæ, frigoríſque ſævientis pertæſi remeârunt Pariſios. Cúmque à *Willhelmo* clavum hujus cœnobii ſuſcipiente duo è gremio Canonici reformationem abhorrentes dimiſſionem peterent, ac obtinerent, adeóque non niſi quatuor ſeniô graves, & inutiles remanerent, è quibus unus, ſolúſque Prior integer vitæ probatus eſt, ſceleríſque purus, reformationem ſuſcipiens, ac meliore fine vitam anteactam concludens; facilè liquet, quibus angu-

guſtiis preſſus fuerit in exordio ſui regiminis *Willhelmus*: ut ideò non mirum, quòd tanquam alienigena (ſi Epiſcopum, ut plurimùm ſibi abſentem, excipias) nullius favore, ac familiaritate relevatus, deníque & ipſe animum tanto negotio imparem ſubtrahere conſtituerit, propriósque Galliæ Lares adire. Verùm Dominus humilem, ſpeque deſtitutum *Willhelmum* confortaturus, per *Abſalonem* Epiſcopum tam efficaci cohortatione erexit, ut diſcuſsis aſſumptæ diffidentiæ tenebris, novo quodam ardore repletus piiſſimus Abbas ſe ipſum in victimam etiam extremam charitatis offerret. Hinc toleratis omnibus injuriis, quæ ſibi quomodocúnque cumulatim obvenerant, intérque acerbiſſimas malorum procellas ſemper firmior effluctuans, monaſterium inter quadraginta, quibús præerat annis, non ſolùm eximiæ diſciplinæ, ac flori reſtituit, verùm præter iſtud, aliud quoque piorum hominum impensîs erexit *Ebbelholtenſe* dictum, de quo nos pauló ante egimus, in quo etiam vitam ſuam beatiſſima cum æternitate commutavit.

Hoc Eſchildenſe Monaſterium quamdiù poſt *D. Willhelmum* in regulari obſervantiâ duraverit, nobis planè incognitum, quippè quod nè quidem ullius præter *D. Willhelmi* Abbatis nomen perſpectum habeamus, Danicîs (quotquot ad manus ſunt) ſcriptoribûs nihil penè de hoc utróque cœnobio memorantibûs. Nunc tamen in profanos uſus abiiſſe Secta Lutherana per totam Daniam dominans abundè docet.

Acta SS. die 5. April. Baron. Ann. ad an. 1161. Pagius in Crit. Bar. ad an. 1159.

Fund. ... *Exſtin-bum.* Ettersburgenſe S. Juliani Præpoſitura. Hanc exſtruxêre Nobiliſſimi Comites de *Glichen*, ùt teſtatur Buſchius in ſuo opere de reformatione Monaſteriorum, dum de hac Monaſterio Etterburgenſi impenſa diſcurrens ait: *Monaſterium in Ettersborb in Thuringia propè Wimariam ad duo milliaria ab Erfordia, Ordinis Canonicorum Regularium, Comites de Glichen Ludovicus, & Erneſtus mihi, & Doctori Paulo, in Novo Opere & ad S. Mauritium Hallis Præpoſitis, reformandum in temporalibus, & ſpiritualibus tradiderunt; quòd progenitores eorum illius Fundatores fuerunt.* Hi progenitores quo nomine notentur, Buſchius non edixit, certè *Erneſtum*, & *Ludovicum de Glichen* annô 1375. *Adolpho I.* Archiepiſcopo Moguntino adversùs *Ludovicum* Marchionem Myſnenſem ſuppetias militares tuliſſe legimus in annotationibus ad Serarium infra citandum. Ut adeò opinemur *Ludovico* de Glichen circà annum 1222. fundationem hujus Etterburgenſis Cœnobii tribuendam, qui eam fortâſſe conſtituerit, dum diù apud Saracenos conſtrictus vinculis, miſeréque habitus per Regis Filiam liberatus unácum ipſa occultâ ſe fugâ eripiens Erfordiam felici ſucceſſù pervenit. Virum fuiſſe hunc Comitem magnæ virtutis ac integritatis indubium eſt, ut adeò meritò eidem hujus Præpoſituræ erectæ beneficium adſcribere videamur, ſaltem tamdiù, dum non certior occurrat alterius de hac familia Fundatoris notitia, aut antiquioris, aut recentioris.

Aliàs de hujus fatis usque ad dictam reformationem omnia nos latent: videntur autem Canonici iſtius loci ad eandem proclives utcúnque, ac prompti fuiſſe, nihil enim ſiniſtri Buſchius meminit. Itáque *Hermanno de Arnheim* ex Monaſterio Novi Operis per Capitulum Windeſemenſe aſcito, ac Præpoſito iſthic delecto, mox iidem aſſumpſiſſe ſtatuta Capituli

Windeſemenſis laudantur, cantum quoque, habitum, Cæremonialia, ac Ordinarium. Intereà tamen non Windeſemenſi Congregationi, ſed Capitulo Provinciali Novi Operis ſubditi erant, quantum in ipſis fuerat, ùt inquit Buſchius, ſi nimirum conſenſus Domini Moguntini interveniret. Porrò an hic conſenſus unquam à Moguntinenſi, ſub cujus ditione hoc cœnobium tunc erectum erat, conceſſus ſit, non eſt compertum, præcipuè cùm nec Serarius, neque ejus illuſtrator Chriſtianus Joannes, nec deníque Gudenus in ſua hiſtoria Erfurtenſi ullam mentionem hujus faciant Etterborchenſis Monaſterii.

Nunc ipſa hæc Præpoſitura omninò evanuir. Buſch. L. 2. de reform. Monaſt. edir. Leibn. pag. 506. & 822. circa fin. Guden. in hiſt. Erfurt. novæ Edit. p. 152. n. 17. Serarius rer. Mogunt. t. 1. in Adolpho I. pag. 690. n. 6. in Annot.

Fundat. circa an. 1230. Exſtinctum.

Falckenburgenſe. Meliùs *Franckenbergenſe SS. Petri & Pauli Sanctimonialium Præpoſitura.* Hujus cœnobii noſtro Catalogo inſerendi Author fuit Clariſſimus Imperialis Collegii Wettenhuſani Decanus Bernardus Strelet, qui inter alia benevolè mihi communicata documenta hoc ipſum ſacrum Gynæceum inter Ordinis noſtri cœnobia notare voluit ſequentibûs: *Falckenberg fuit Canoniſſarum Regularium in Inferiori Saxonia propè Goslariam, à Conrado hujus nominis ſecundo Hildeſimenſium Epiſcopo fundatum circa annum* 1230. Verùm quod pace hujus cruditiſſimi viri ſcripſero, ſanè niſi mihi luculentiora hac de veritate documenta obvenerint, nunquam in eam ſententiam abibo, ur dicam cœnobium iſtud *Canoniſſarum Regularium* fuiſſe. Jam aliàs in Circulo Burgundico notatum de quodam *S. Magdalenæ* Monialium aſceterio, iſthìc ſic repeto, ut adjungam, certiſſimum eſſe, ordinem *S. Magdalenæ* pœnitentium omninò diſcriminatum eſſe à Virginibus Canonicis; illum ſcimus ſæculô decimô tertiô inſtitutum, & à *Gregorio IX.* confirmatum fuiſſe: ùt patet ex Chronica S. Ægidii apud Leibnitium: in qua hæc diſertè ad annum 1236. *Idem Papa etiam confirmavit ordinem Monialium pœnitentium, ſcilicèt S. Mariæ Magdalenæ.* Neque opinandum eſt, hoc vocabulo Ordinis venire *Congregationem*, atque hac ſola rationc à reliquis Virginibus Canonicis, quemadmodùm fortâſſe Foreriànam diſtinqui: quodſi enim per *Ordinem*, *Congregationem* intelligas, eam potiùs ſub Ordine Eremitarum (ùt vulgò dicuntur) *S. Auguſtini* numerandam habebis, quàm ullo modo ſub Ordine Canonico. Etenim refert Serarius, Moguntiæ inſtitutum fuiſſe rale Gynæceum pro ſororibus pœnitentibus, quarum ſi qua Dei, ſuíque oblita in priſtinum revolveretur lutum, agebatur in Rhenum præceps. Colligebantur enim in hoc domicilium non aliæ niſi, quæ à priſtinis vitæ laſcivè tranſactæ ſordibus ad meliorem frugem confugerent. Obſervat autem in Notis *Chriſtianus Joannis*, dum, ùt diximus, condebatur hoc cœnobium collata domo à quodam Cive Moguntino Joanne Heyl dicto, Bertholdum Archiepiſcopum hanc fundationem confirmâſſe annô 1493. at ſub regula Ordinis Fratrum Eremitarum D. Auguſtini.

Non tamen negavero etiam ſub alterius Ordinis inſtituto tales pœnitentes Virgines viguiſſe, quales in hac ipſa Moguntinenſi Metropoli exſtitêre ſub profeſſione Ciſtercienſi, ùt memorat laudatus Chriſtianus Joannis tomo ſecundo rerum Moguntiacarum pag. 866.

866. & ſeq. Hinc quoque pertinaciter non reſiſto etiam ſub ſchemate Canonico talem pœnitentium Congregationem conciliari potuiſſe. Verùm (ut ad rei Cardinem veniamus) Moniales Franchenbergenſes (quas certum eſt ordinem pœnitentium S. M. Magdalenæ profeſſas) ſimul quoque Canonicas fuiſſe, nullius veteris teſtimoniô edoceor: de his Heineccius in Antiquitatibus ſuis Goslarienſibus plusquàm vigeſies ſparſim, nec obiter mentionem ingerit, nunquam tamen ùt Canonicas vixiſſe aſtruit, neque in litteris conconfirmationis à *Gregorio IX.* datis, nec in aliis compluribus chartis à ſe productis, aliter quàm ſorores pœnitentes, aut Sorores S. Mariæ Magdalenæ, aut deníque ſimpliciter Sanctimoniales nuncupantur, nè memoratâ quidem ullibi *S. Auguſtini* regulâ, vel Canonica inſtitutione, unum ſi Buſchium excipias, hic verò licèt moniales haſce dicat *ſecundùm regulam B. Auguſtini vivere*, ſatis tamen innuere videtur diſcrimen inſtituti earum, à noſtro Canonico, dum non ſolùm (quod tamen in omnibus noſtri Ordinis Cœnobiis obſervat) easdem neutiquam de gremio noſtro adſtruit, verùm etiam diſertè ait, ſecundùm conſtitutiones ſuas à Sede Apoſtolica approbatas monaſterium earum eſſe fundatum, & conſtitutus ad illas reformandas nequaquam affirmet, hanc reformationem juxtà noſtram, ſed ipſarum normam vivendi fuiſſe cæptam, ac confectam. Quòd ſi tamen cuidam documenta ſuppetant, hoc à me propoſitum dubium diſſolventia, pronus ero, ut hiſtoriam iſtius Monaſterii latius operi futuro intexam.

Nunc ibidem Lutherano dogmati adhærentes domicellæ aluntur. Heineccius Antiqu. Goslar. L. 3. à pag. 238. Cranzius Metrop. L. 3. c. 36. pag. 189. chron. S. Ægidii Edit. Leibnit. Tom. 3. p. 588. Buſch. de reform. Monaſt. L. 2. cap. 19. edit. Leibnit. p. 886.

Fredesloënſe Virginum Prioratus. *Fundat. an. . . . Exſtinctum.* Breviſſimam memoriam hujus Parthenonis ſuggerit ex Hoffmanno Leuckfeldius in ſuis Antiquitatibus Poeldenſibus pag. 78. dum ait, laudatum Hoffmannum in Catalogo operum hiſtoricorum M. S. ſub. Num. 5. hunc indicare titulum: *Monaſteriologia Tranſilvanica, hoc eſt, Chronica monaſteriorum S. Blaſii Nordhemii.* Mox ſecundò locô: *Hildevvardeshuſani & Fredeslohani Auguſtinianarum.*

Nunc periiſſe hoc cœnobium aut ſaltem Lutheranæ ſectæ ceſſiſſe, quod aliàs non longè Gandersheimiô diſſitum erat, non immeritò cenſemus.

Gandersheimenſe SS. Innocentii, & Anaſtaſii Virginum Canonicarum Abbatia. *Fundat. anno 856. Exſtinctum.* Tria Præcipuè ſunt, quæ hìc loci agere conſtituimus de Gandersheimenſi olim celeberrima Abbatia: nempè *fundationis* modum, atque originem, *viciſſitudines quasdam* ipſum ſacrarum Virginum inſtitutum attingentes, ac demum nonnullas, quibus excelluit, *prærogativas* usque ad infeliciſſima hæreſis introductæ in ſacerrimum hoc Gynæceum tempora.

Fundatorem huic cœnobio liberaliſſimum ſe ſe exhibuit *Ludolphus* Saxoniæ Dux inclytus ex *Windeckindi* ſtirpe prodiens ſurculus, cum uxore ſua Ducis *Billingi*, aut *Billungi* filia. Occaſionem ſuppeditâſſe traditur quædam viſio Matri hujus Ludolfianæ conjugis aliquando facta à *D. Joanne* Baptiſta, quâ hic revelaverit eidem ſibi devotiſſimæ Dominæ, fore, ut ex

ejus progenie ſoboles naſcerentur, quæ non ſolùm in Reges, ac Imperatores evaſuræ, verùm & in Deum liberales cœnobium Virginibus ſacris larga opitulatione conſtructuræ ſint. Hæc ut ad verbum proferamus, apponendus eſt Hroswitæ Gandersheimenſis Poëtriæ genuinus textus: ſic ergò illa loquentem ipſi *Odæ D. Joannem*, ſeſéque, eidem viſibilem præbentem inducens canit:

Cognoſce gravis pulſo terrore timoris,
Quis ſim? magna tibi portans ſolamina veni:
Nam ſum Johannes, liquidis qui tinguere lymphis
Chriſtum promerui, quia nos crebro coluiſti,
Nuntio: Virginibus ſacris tua clara propago
Inſtituet clauſtrum, pacem Regnique triumphum
Dum ſua relligio ſtudio ſteterit bene, Regum
Hinc tua progenies ſeclis quandóque futuris
Culmine pollentis tanto clareſcet honoris,
Ut terrenorum nullus tunc tempore Regum
Jure Potentatûs illi valeat ſimilari &c.

Hac igitur revelatione freta *Billingi* Conjux & *Odæ* piiſſima Mater identidem repetebat auribus præcipuè ingerens dilectæ filiæ ſuæ verba oraculi de condendo Parthenone, quæ etiam in *Odæ* tantam memoriam fixerant, ut, cùm ipſa *Ludolphi* Contoralis fieret, inſtantiſſimis marito precibus ſupplicaret, ſe ſe illius vaticinii participem faceret, quod uni ſuæ familiæ ceſſurum ex Matre didiciſſe affirmabat. Itáque cùm *Ludolfus* aliunde ad virtutem à Juventute proniſſimus eſſet, facilè *Odæ* deprecanti conſenſit; moxque ubi de loco deliberatum eſt, occurrit *Bruniſtashuſen*, quod nos recentiori uſuri vocabulô impoſterum *Brunshuſium* dicemus: porrò an iſthic jam antea Eccleſia quædam ſteterit condita, ut quidam volunt, & à *Brunone* primò nomenclaturam hanc obtinuerit, haud ſatis perſpectum; neque libet dubia iſta tam abſolutè (ùt Bucelino paſſim in ſua Germania ſacra edicere placuit) decidere, monumentis certis non exſtantibûs. Unde ſolùm in eo ſumus, ut *Ludolfo*, ejúsque Conjugi *Odæ* fundationem Monaſterii, ſeu Parthenonis Brunshuſiani ſecurè adſcribere valeamus. Exſtat de hac fundatione Charta ab ipſo *Ludolfo*, confecta, quam ſuo tempore referemus, cujúsque fidem paſſim ſcriptores recipiunt, an verò ex ea originem fundati Brunshuſiani hujus cœnobii diſcere liceat, examine non exiguo opus eſt: ait enim in ea *Ludolfus* ſe in reditu Romano gratanter à ſanĉto collegio, ſeu cætu virginum receptum, cùm videret locum pro eis nimis anguſtum, aliam Eccleſiam in quadam ſylvâ hæreditatis ſuæ, juxtà fluvium *Gande* celebriori ædificiô conſtruxiſſe, & quidem annô ab Incarnatione Domini 856. cùm verò hunc ipſum fundatorem *Ludolfum* ad *Sergium* ſecundum Papam veniſſe Romam, & ab eodem confirmationem Brunshuſiani Parthenonis obtinuiſſe liqueat ex laudata fundationis Charta, inſuper certum ſit *Sergium* non niſi ab anni 844. die 10. Febr. ad anni 847. diem 27. Jan. ſediſſe; demum ex eadem charta habeamus *Ludolfum* Romam annô 853. indictione prima abiiſſe: patet quan-

quanta notarum chronicarum, temporúmque in bac charta concurrat confuſio. Lego in Magno Chronico Belgico annô 16. *Caroli Calvi* Imperatoris *Leodulphum* Ducem Saxonum Patrem *Brunonis*, & *Ottonis* Ducum, Avum *Henrici* Regis primi Romanorum, corpus *S. Innocentii* primi Papæ Româ in Saxoniam transtuliſſe. Annus autem decimus ſextus *Caroli* concurrit cum annô 861. juxtà hujus Authoris Calculum. Prætereà in vita *S. Bervvardi* Epiſcopi Hildeſienſis legimus temporibûs *Altfridi Epiſcopi Hildeſienſis: Luidolphum Saxoniæ Ducem cum religioſa contectrice ſua Oda conſiliô Domini Altfridi Hildeſienſis quarti Epiſcopi cœnobium Virginum Deo primò Bruneſthuſen adunâſſe.* Quod ipſum affirmat Catalogus Epiſcoporum Hildeſienſium ex Chronicis Eggehardi, additúrque annus 852. ſic enim in eo ſcribitur: *Altfridus annô Domini 852. cum Ludolfo primo Duce in Brunethesbuſen, & quarto poſt hac anno in Gandersheim Virginum cœnobium inchoavit.* Omnia itáque teſtimonia vetera conclamant, & inchoationem monaſterii Brunshuſiani & iter Romanum à *Ludolfo* aſſumptum fuiſſe poſt annum ſaltem quinquageſimum: econtra quotquot documenta Pontificem, quem *Ludolfus* adiit, nominant, *Sergium* indigitant, quod præprimis *Ludolfus* ipſe in charta ſua diſertè enunciat, quæ profectò convenire nunquam poſſunt, cùm perſpicuum ſit, jam annô 847. die 11. Apr. *Leonem IV.* ſucceſſiſſe *Sergio.* Adde, quòd Altfridus mox dictô annô Hildeſienſis creatus ſit Epiſcopus; qui ad conſilium à *Ludolfo* rogatus eſt, de condendo hoc Parthenone, idque omninò ante iter Romanum *Ludolfi*, ùt paſſim hiſtorici hujus Parthenonis Scriptores innuunt: igitur imperceptibile, ut *Ludolfus* cum *Sergio* ageret, jam priùs defuncto. Neque dicas Sphalma in numero annorum irrepſiſſe, ut locò anni quinquageſimi tertii legendum ſit quadrageſimi, etenim addita Indictio prima nonniſi anno quinquageſimo tertio congruit, anno verò quadrageſimo tertio Indictio ſexta.

Exſtat & aliud *Ludolfi* inſtrumentum, quod confeciſſe traditur obiturus, verùm & hoc ipſum errorum immune non eſt: quare pro certo cenſendum, utrámque chartam utpotè neutiquam autographam, ſed apogrypham, & aliquot labentibus à traditione originali utriúsque hujus privilegii ſæculis ex primigenio charactere multis in locis obeſo, & oculum fugiente, inſuper per hominem quendam Sciolum lacunas ſuo ingenio infaricentem fuiſſe deſcriptam. Tot enim obſervantur in gemino hoc diplomate menda contrà chronologiam & ſynchronum medio ſæculo nono ſtylum Scribendi inſperſa, ut non ſolùm luculenter appareat, has chartas, quibûs aut Henricus Bodo, aut ſuccedentes Scriptores uſi ſunt, originarias non eſſe, ſed pluribus in locis certiſſimè adulteratas, quæ quia nos alibi ex conſtituto accuratiùs indagabimus, non eſt, cur hic pluribus inhæreamus; hoc intereà notantes, anno 853. certò certius ſubſtituendum eſſe annum aliquem inter 843. & 48. quippè quòd ab annô 844 ad initium usque 847. *Sergius* præſederit, reliqua intereà dimittimus. Porrò Paulò ante iter Romanum à *Ludolfo* ſuſceptum exordium ſuum obtinuiſſe Brunshuſianum Parthenonem omninò credibile eſt, cùm *Ludolfus* dicat ſe illud inchoâſſe non perfeciſſe, poſt reditum ſuum autem reliquiſſe imperfectum illum locum, & novum condidiſſe, *Gandershemenſe* nimirum, ex eadem *Ludolfi* charta

charta habemus. Atque hæc de origine Brunſhuſiani cœnobii obſervaſſe intereà ſuffecerit. Vide interim Hiſt. Gandersheim. *Ludolfus* itàque cùm redux è Romano itinere adveniret, cernerétque Brunſhuſium nimis anguſtum pro virgineo cœtu inibi conſtituto occaſionem nactus eſt hoc, de quo conſultò tractamus, Gandersheimenſe condendi. In eodem verò ſæpè laudato diplomate occurrit rurſum numerus, ſeu conditi Gandersheimenſis cœnobii ſignata Epocha: dum *Ludolfus* ſic loquitur: *eundem locum*, (id eſt Brunshuſium) *ſacro collegii puellarum cætui videntes nimis anguſtum in quadam ſylva hæreditatis noſtræ juxta fluvium Gande, qui alio nomine Etscherna nuncupatur, anno ab Incarnatione Domini* 856. *indictione* 4. *Eccleſiam in honore prædictorum Confeſſorum* ſcilicèt *Anaſtaſii & Innocentii*, quorum corpora *Ludolfus* à *Sergio* ſuo pro monaſterio ornando obtinuit, cùm Romæ eſſet) *non longè à loco priori celebriori ædificio conſtruximus*. Hunc numerum crediderim ego veriorem longè priori, ita tamen, ut Monaſterii, ac Eccleſiæ aliqualem perfectionem hoc anno factam eſſe intelligas, non inchoationem; unde ait in ſuo privilegio *Ludolfus* Eccleſiam *conſtruximus*, non, *inchoavimus*, prout id de Bruneshuſio idem conſultò videtur annotâſſe. Dico verò *aliqualem perfectionem*, id eſt, talem, ut moniales habitare in novo hoc domicilio valuerint; quamvis nec monaſterium, nec Eccleſia ad apicem omninò fuerit deducta, quod diù inde factum eſſe Leuckfeldio aſſerenti non abnego. At id in eo miror, dum in ſuis Antiquitatibus Halberſtadenſibus adeò prolixus inſiſtit Ludolfianæ chartæ mendis referendis, eadem neglexerit in Antiquitatibus Gandersheimenſibus, ut inhæſitanter pag. 39. litteras illas pro regula aſſumens dicat omnium probabiliſſimum eſſe Brunshuſanum cœnobium incæptum eſſe annô 850. & annô 853. fundatorem cum ſuâ conjuge Romam ad *Sergium* Papam abiiſſe, moxque reducem exſtruxiſſe an. 845. Gandershaimium, planè incautè; nimirum, circumſtancias in charta cum eo errore connectit, quem tamen ipſe manifeſtum deprehendit: præſtitiſſet omninò magis huic incurrendo præcavere, quàm inutiliſſimis calumniis adversùs ſummum Pontificem & Clerum, Eccleſiæque ſacros ritus integram paginam infarcire.

Sic ergo conſtituto ad annum 856. Gandersheimio, & in illud ſacris virginibus ex Brunshuſio translatis, dotes ampliſſimæ à *Ludolfo* iisdem in Dei ſervitio conſervandis collatæ ſunt: verùm ædificium *Ludolphus* omnimodis perficiendem filiis ſuis fertur reliquiſſe, unàcum conjuge ſua *Oda* morte præventus circà annum 859. aut ùt alii 869.

Primam Abbatiſſam *Ludolfus* induxit propriam filiam *Hathumodam* nomine, virginem duodecim annorum, ùt refert Tangmarus in vita *S. Bervvardi* Ep. Hildeſch. *filiam meam*, inquit Ludolfus in ſua donationis charta: *Hathumodam nomine ſacro velamine ibidem conſecrari faciens, tam Imperiali authoritate, quàm ſidis Apoſtolicæ litteris, & Epiſcopali benedictione muniri curavi.*

Occurrit jam ſecunda propoſiti noſtri, in hac Gandersheimenſi deſcriptione Quæſtio elucidanda, cujusnam inſtituti Virgines iſtæ ex origine, ac deinceps fuerint? Leuckfeldius pro Canoniſſis ſtat; hæc ejus ſunt verba: *vivebant autem in hoc Brunshuſanum Collegium inducta Domicellæ ùt Regulares Canoniſſæ, prout tunc ſolitum erat.* Ergò dum annô 856. in Gandersheimio

heimenſe educebantur, pariter in eodem ſic vixiſſe eas non facilè negabit Leuckfeldius: verùm utut ſit, nobis ad firmius id aſſerendi robur amplioribus argumentis opus eſt, quàm ut hujus unius authoritati innitamur. Regulares ab origine has Veſtales nobiliſſimas fuiſſe multis evincere Bodo conatur, inter alia hæc ſcribens: *Nihil - - - veri continet, quod de Eccleſia Gandeſiana, & illius ſimilibus, & quidem plurimis vel dicitur, vel ſcriptum invenitur, quòd ſcilicet fæminulis fuerint conſtructa ſub tamen quadam cœnobiali cenſura ad pudicitiæ tantummodò cuſtodiam, unde quando libuiſſet, nubere illis viris liceret, Id ut verum comprobetur, fundationis litteræ, & locis conceſſa privilegia in vulgum exponantur, & quæ à populo dicuntur, fore nulla, omninò deprehendentur. Verùm vulpeculæ doloſæ, vel concupiſcentia carnalis, vel faſtûs, ambitionisve ſæcularis Domini vineam demolientes, cœnobialis vitæ radices abruperunt, & exortis vepribus & ſpinis, quadam priſcorum labruſca remanſit, quæ enim dum cœnobialis perfectio floruerat, vitia fuiſſent, hic modò habentur mores &c.* Vixit Bodo ad ſæculi decimi ſexti initium circà annum 1531. quo tempore collegium iſtud jam diù ſæculares mores induit, & primos, ut ita dicam, gradus, ad deplorandum, in quo nunc ſiſtit, ſtatum locavit.

Regularibus igitur primas hujus Parthenonis plantulas diſciplinis fuiſſe imbutas, & religioſis voris Deo ſacratas, inficiari nemo poterit, qui intentionem Fundatoris, aliasque ejusdem fundandi circumſtantias impenſiùs perſpexerit, hanc verò regularem vivendi normam ab ipſo fundationis exordio ſemper fuiſſe Canonicam, imprimis inde deducitur, quòd nullum documenrum vetuſtum aſſignari valeat, ex quo inſtitutum ibi viguiſſe monaſticum, aut Benedictinum eruatur. Novi equidem Bucelinum in ſua Germania ſacra liberrimè ſcribere: *Gandersheim Regium omninò Virginum Benedictinarum cœnobium.* At velut cuique erudito pateſcit, tam inconditè, quàm ſine ullo pondere rationum Gaudersheimenſe à Ludolfo conditum regium monaſterium cum altero æquè dicto Gaudersheimenſi Parthenone à Gerberge ſecunda Abbatiſſa noſtræ Regalis Abbatiæ exſtructo & ordini D. Benedicti conradito confundit; quod quia adeò temerè in compluribus aliorum cœnobiorum deſcriptione præſumit, ipſe ſe ſuâ quæque aſſerendi inconſiderantiâ jugulat. Neque refutationem mereri videtur.

Annô profectò 1206. ex *Innocentii* Papæ tertii Brevi Abbatiſſæ *Mathildi*, ejusque ſororibus regulariter ſubſtituendis conceſſo liquidè patet, non ſolùm in hoc Gandersheimenſi Parthenone regulares, ſed propriè Canonicas fuiſſe Virgines: ait enim Pontifex: *In primis ſiquidem ſtatuentes, ut Canonicus ordo, qui hactenus eſt obſervatus, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter obſervetur.* Deinde ne dubium de votiva vita ſubrepat poſt pauca ſubjungit idem ſummus Præſul: *Nulli quoq; poſt factam profeſſionem ibidem fas ſit absq; Abbatiſſæ licentia de eodem loco diſcedere, niſi arctioris religionis obtentu.* Atque nè ultro hæreamus, qualisnam ibidem regula obſervata? declarat id Bonifacius Octavus in Bulla data 1295. dum eam mittit *dilectis in Chriſto filiabus - - - Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Ganderſemenſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis ordinis S. Auguſtini Hildeſemenſis diœceſis.* Hanc Bullam *Bonifacius Margarethæ* primæ conceſſit, quæ quinquaginta annis præſidens annô 1307. dicitur à Bodone obiiſſe. Succeſſit *Margarethæ Mathildis*, ut

ùt eam Bodo nuncupat: quam 1318. *Sophia* excepit, clavum regiminis per ſui deceſſum *Juditha* relinquens, annô, ùt ſignat Leuckfeldius 1332. de hac verò Juditha ſequentia ediſſerit Bodo: *Exemptâ*, inquit: *è vita & officio per mortem Dominâ Sophiâ, illius in locum Jutta ex Comitibus de Schvvalenberch promovetur, neſcio, ſi quâ memoriâ digna.* Non *enim jam cœnobii Matrem illa ſe agnoſcit, ſed, quod aures horrent, quod Deum offendit, Abbatiſſam ſe prima ſcribit ſæcularis Eccleſiæ Gandenbemenſis &c.* Per longum deinde narrat ſtatûs ſuſcepti infelicitatem, quo relictâ regulari vita hæ Virgines ſæculares effectæ ſunt. Atque ab hoc tempore res monaſterii immodicè peſſumdatæ, religionis fervor labefactatus, clauſtralis cuſtodia neglecta, facilè demum effecerunt, ut annô 1593. ſub *Anna Erica* Acatholica Abbatiſſâ, totum collegium in Barathrum Lutherani dogmatis diffluerer. Intereà tamen nolim præterire, Abbatiſſas expreſſè adhuc obligatas fuiſſe votivæ vitæ ſub regula, ac ordine noſtro, quod diſcimus ex bulla *Innocentii* Octavi data annô 1485. in qua inter alia ſic ait: *ad audientiam noſtram pervenit, quòd nonnullæ Abbatiſſæ, quæ dilectam in Chriſto filiam Agnetam de Anhalt Abbatiſſam ſæcularis & collegiatæ Eccleſiæ ſanctorum Innocentii & Anaſtaſii Ganderſem Hildeſemenſis Diœceſis. In qua ſola Abbatiſſa ordinem S. Auguſtini expreſſè profiteri conſuevit &c.* Quapropter etſi gremium Gandersheimenſe jugum votorum, ſeu ſummi Pontificis aſſenſu, ſeu proprio auſu excuſſerit, Capiti tamen id adhuc annô mox dictô illicitum erat. Porrò an Eccleſia hæc à regulari ad ſæcularem ſtatum tranſierit ſupremi Eccleſiæ Judicis arbitriô (ſaltem cùm primò id fieret) non auſim aſſerere; *Bonifacius* enim nonus *Sophia* noviter per compromiſſum *Lutgardi* ſubſtitutæ, electionem per Archiepiſcopum Bremenſem inquiſitione Canonica de ejuſdem valore præmiſſâ confirmarurus in fine ſuæ Bullæ ſequentia annectit. *Per hoc autem dictum capituli, & perſonarum ejusdem Eccleſiæ Ganderſem: ſtatum, ordinem, ſeu regulam nolumus nec intendimus approbare.* Quæ verba ex Capitulo *Indemnitatibus* in Clem. de elect. deſumpta ſufficienter oſtendunt, dilapſas fuiſſe has Virgines à ſtatu regulari ad ſæcularem, taleque inſtitutum aſſumpſiſſe, quod Eccleſia toleravit ad ſummum, neutiquam approbavit. Itaque à tempore Judithæ, id eſt, ab anno circiter 1334. Eccleſiam hanc ſolâ hujus Abbatiſſæ temeritate ſæcularem fuiſſe aſſertam indubium eſt, qualem deinceps *Clemens* Sextus ſua in Bulla nominavit data Pontificatûs ſui annô ſextô, hoc eſt, 1348. verùm utut nominaret talem Pontifex aſſumptis juxtà Curiæ Romanæ ſtylum terminis ſupplici libello inſertis, certum eſt, Bullam nullam ſuppetere, ex qua haberi poſſit, hanc ſæcularitatem ſummum Pontificem abſolutè admiſiſſe, adeoque ad ſummum conniventiæ adſcribendum, quod Juditha præſumpſit, atque ideò *Bonifacius* de ſtatu Ganderſemenſium luculentiùs informatus, cùm monſtroſam illam ex Capite regulari membriſque ſæcularibus coacervatam congregationem perciperet, talem aut ordinem, aut regulam, tum temporis neutiquam approbare voluit, vel intendit.

Cæterùm fuit hæc Abbatia nobiliſſima & quoddam quaſi illicium quibuſque ſummis Principibus, quod clarè nobis probant tot ampliſſima privilegia ſummorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum, quibus non ſolum ipſas Abbatiſſas maximis voluère gaudere prærogativis, & immunitatibus; ſed etiam exemptum to-

tum cœnobium cum omnibus appendiriis juſſerunt ab Epiſcopis æquè, ac ſæcularibus quantiscunque Dominis, ſolumque ſub tutella decreverunt eſſe ipſius Imperatoris, & immediatè ſubjectum Romano Pontifici. Præthereà fuerunt in hoc Gynæceo Virgines virtutibûs, ac doctrinâ eximiæ, inter quas præprimis eminuit *Hathamuda* prima Abbatiſſa vitæ ſanctitate ſpectabilis. Dein *Gerberga Ottonis* Imperatoris Neptis, *Hrosvvitha* denique in octavam Abbatiſſam decedente *Gerbergâ* aſſumpta, Virgo clariſſima aliquot editis & propria eruditione confectis operibûs clara, quæ Bodo articulatim enumerat, & de quibus nos ſuo tempore plura referemus.

Exiſtit in Principatu Guelpherbytano ipſa in urbe Gandershemio. Leuckfeldius in Antiquit. Gandershemenſibus per tot. Magn. Chron. Belgicum edit. Piſtor. nova pag. 63. Bodo in ſyntagm. Gandershem. edit. Leibn. t. 2. à pag. 319. & edit. Meibom. t. 2. à pag. 479. Meibom. rerum German. t. 1. pag. 727. Harenberg. Hiſt. Gandersh. p. 46. ſeq.

Fund. an. 909. Exſtinctum.

Gerbſtadenſe S. Joannis Baptiſtæ. Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Fxſtitit hujus cœnobii Fundator *Ricdagus* Mysnenſis Marchio, de quo ad annum 985. Annaliſta Saxonicus apud Eccardum, *Theodoricus* inquit, *& Ricdagus cum ſorore ſua nomine Eisvilt conſtruxit, & fundavit cænobium quod Gerbizſtidi dicitur, ubi eadem ſoror illius Sanctimonialibus præfuit, ibiq; ſepultus eſt:* annum fundationis auctor Thuringiæ ſacræ cum reliquis Scriptoribus refert ad annum 969. Botho in Chronico ſuo picturato ad an. 986. iſta ſubnectit: *obiit quoq; Riddachus Marchio: hic relinquebat ſororem Alvvich dictam, quæ fundavit monaſterium Gerbſtedii, eademq;* *iſthic Abbatiſſa fuerat.* Atque hæc de origine fundati Gerbſtedenſis Parthenonis. Junctum erat his ſacris virginibus, ùt alias plerumque monaſterium virorum, qui providere in ſpiritualibus poſſent iisdem. At jam de utroque quærendum, cujusnam id primitùs inſtituti fuerit, cùm certum ſit hujus loci vices temporum ſolidiùs inquirentibus, non unum, idemque in eo (usque dum in totum defecerat) perſtitiſſe. Bucelinus generaliter illud ordini ſuo adſcribit, Leuckfeldius ab origine Benedictinis Veſtalibus conditum tradit. Auctor Thuringiæ ſacræ penè ſibì ipſi non conſtat, nam cùm num. 5. ſcribit: quòd *Ricdagus* Gerbſtadii monaſterium monialium condiderit, ſubjungit; paucis ante obitum Ricdagi annis ædificium monaſticum in honore S. *Joannis* Baptiſtæ conſtructum fuiſſe, & ſororem Fundatoris prædictam habito conventu ordinis S. Benedicti ſub Diœceſi Halberſtadenſi eò fuiſſe transmiſſam virginum ſacrarum Antiſtitem acturam. At n. 20. in quo de monialibus Gerbſtadenſibus agit, ſic loquitur: *Quamvis ordo monaſticus B. Benedicti regulis conformis in plurimis quondam monaſteriis introductus reperiatur, tantaq; ejus antiquiori tempore fuerit auctoritas, ut præcipiente Carolo Magno Francorum Rege in Capitularibus - - - - monaſteria aliter, quàm ad piiſſimi iſtius Patris non fuerint judicata; in multis tamen Monialium cœtibus perinde, ac in* Gerbſtetenſi *primum fæminas in monaſterio hoc recens condito degentes, non ordini Benedictino fuiſſe addictas, ſed Canonicorum Regularium, quibus laxius paulò vivendi genus indultum erat, norma pro temporis conſuetudine uſas eſſe legi, teſtatur id Tamburinus de jure Abbatum. Tandem illis libertate abutentibus, Reinhardus Epiſcopus Halberſtadenſis, regulas Benedictinas præſcripſit.* Hæc ille & pro-

fectò hanc poſteriorem ſententiam præ prima eò ſecuriùs Author iſte tueri potuiſſet, quò uberiùs liquet ex Chronico Halberſtadenſi, prædictum *Reinhardum* in quatuor Collegiis, *Geberſtet*, *Hadmersleve*, *Trubecke*, *Stuterlingeburg* ſanctimonialium inordinatè viventium, & ordinem, & habitum commutaſſe, eisque ſub certa cuſtodia recluſis ut ſub regula B. Benedicti viverent ſagaciter, ordinâſſe. Electus fuit *Reinhardus* an. 1107. obiitque 1122. uti ex Chronico citato Leuckfeldius notat, itaque id corrigiſſe videtur huic Scriptori circà annum 1119. at certè impingit, dum ſcribit hujus cœnobii Benedictini ſolùm factam fuiſſe reformationem: cùm ex citato ab ipſo Halberſtadenſi Chronico manifeſtè appareat ordinem, & habitum horum quatuor Parthenonum fuiſſe *commutatum*: usque ad hæc igitur tempora Canonicas Gerbſtadenſe collegium inſediſſe indubium eſt. An verò Canonici quoque ſanctimonialibus juncti monachismum induerint, haud aſſequor, videturque aut priſtinum in viris religioſis inſtitutum diutiùs permanſiſſe, aut ſaltem Præpoſitos ex Canonicis aſſumptos. Nam *Herbminoldum* Gerſtetenſem Præpoſitum ad primitùs regendum neo-erectum Cœnobium Montis ſereni ordinis Canonicorum Regularium (ineluctabiliter ab origine talem) adlectum nemo negaverit Canonicum Regularem fuiſſe, cui inſtituti hujus rationem ſedulò invehendam (ſiquidem alterius ordinis alumno) nunquam commiſiſſet *Conradus*; præcipuè cùm illo tempore in Saxonia hic ordo noſter opera *Reinhardi* nobiliſſimè floreret; etiam in adjacentibus locis, ac ditionibus. Pariter *Ottonem* Montis ſereni Canonicum Regularem annô 1180. Præpoſitum Gerbſtetenſem fuiſſe teſtatur ipſum Lauterburgenſe Chronicon pag. 52. Agnetem Virginem ſacram, quæ ad annum 1184. Quedlinburgenſis Abbatiſſa fuerat, ex Gerbſtetenſi Cœnobio poſtulatam Author à nobis ſæpe laudatus Thuringiæ ſacræ affirmat. At Kettnerus in ſua hiſtoria Quedlinburgenſi nihil omninò hac de re promit, quod tamen Chronicon quoque Bigaugienſe reſtari præfatus Thuringiæ ſacræ Scriptor obſervat: verùm an ex hoc concludi queat ſtatus Canonicus Virginum Gerbſtetenſium annô 1184. velut quidam eruditiſſimus Scriptor mecum contulit, multùm ambigo, nam Halberſtadenſe Chronicon diſertè ait, Gerbſtetenſe Cœnobium ad initium ſæculi 12. ordinem & habitum commutâſſe, ut ſub regula Moniales illic B. Benedicti viverent.

Nunc hoc totum monaſterium ad profanos hæreticorum uſus translatum manet. Thuringia ſacra, p. 1. & ſeq. Leuckfeld. in Antiqv. Halberſtad. p. 284. & 600. Chron. Halberſt. Edit. Leibn. tom. 2. p. 130.

Gerenrodenſe *S.* Mariæ, & B. Cyriaci. Virginum Canonicarum Abbatia.

Fund. an. 961. Exſtinctum.

Ampliſſima de hoc Parthenone monumenta exſtant apud Meibomium, quæ ſub Annalium Gernrodenſium titulo *Andreas Pappenrodus*, aut ùt apud ipſum: *Happenrodius* Novator conſcripſit, paſſim ſui veneni micas inſpergens, & ea, quæ ad puram hiſtoriam conferrent plurimùm, improvidè dimittens. Fundatorem ſe hujus Parthenonis *Gero* celeberrimus ille, ſub *Ottone*, Marchio exhibuit, de cujus præclariſſimis in ſago, & toga factis nos alibi plura tractabimus. Exordium verò tribuiſſe videtur huic cœnobio annô 961. primam in eo Abbatiſſam conſtituens nobiliſſimam Principem *Hatvi*, ſeu *Hadvvigem*, quæ fuerat

rat ex *Sigefrido* filio *Geronis*, Nurus, quidam verò cum Pappenrodio filiam faciunt, ſed inſolidè: neque enim *Gero* in ſuis fundationis litteris dum *Hatvvigem* filiam ſuam dicit, aliud intenderat, quàm deſignare nurum ſuam quæ communi vocabulò à ſoceris filia nuncupatur, etiam noſtro ævo.

Inſtitutas verò has Virgines fuiſſe ad normam Canonicam, non autumno quempiam diſſenſurum, ſi ſolum Bucelinum excipias, de cujus judicio, ſtyloque ſcribendi mox ſuperiùs effati ſumus. Leuckfeldius ait hoc Virginale Collegium *Geronem* pro Regularibus Canoniſſis conſtituiſſe, quod vix crediderim eundem ſine perſpectis documentis ſcripſiſſe. Ad ſæculares mores Gerenrodenſes videntur jam ſæculò decimò quartò deſciviſſe, tum enim & Bullæ Pontificium, & chartæ aliæ ſæcularem Eccleſiam nuncupant: abſque dubio eò modò, quô, non ſummi Pontificis veniâ, ſed propriâ libertate abjecerunt hujus loci incolæ fibulam conſtringentium votorum.

Nunc hoc totum cœnobium profanatum eſt uſibus hæreticorum. Dithmarus apud Leibn. t. 1. p. 334. Annales Gerenrod. Happenrodii apud Meibom. t. 2. p. 415. ſeq. Leuckfeld. in Antiqv. Halberſtad. ſub Bernardo Ep. pag. 210. &c. Calvörs in Inf. Sax. p. 504.

S. Georgii Præpoſitura.

Fundat. Extinctum.

Monitus, ut hanc Præpoſituram inter noſtra Collegia referam, parui, quamvìs documenta ſuppeditata vix aliquid producant. *Albini* in Chronica ſua Miſnenſi dicit, Collegium iſthoc à *Willhelmo* ſecundo Marchione Miſniæ fundatum, qui annô 1025. obiit ibidem ſepultus. Verùm cùm hæc ipſa fundatio aliquantò illis temporibùs recentior ſit, quibus necdum claro adeò diſcrimine, veluttunc contigit, Canonici Regulares per adjectam S. *Auguſtini* regulam notabantur, & Albini hanc Præpoſituram nonniſi Collegium nominet, quemadmodùm lubens aſſentior, id à *Willhelmo* pro Canonicis fuiſſe conditum, ſic nolim omninò contendere hos ipſos quoque regulares fuiſſe, niſi evidentioribus ad id poſteà aſſerendum argumentis perſuadear.

Exſtitit in Arce urbis Altenburgenſis in Miſnia. Albini Chronica Miſn. tit. 22. pag. 287. ſeq.

Goslarienſe SS. Simonis, & Judæ Præpoſitura.

Fund. circa annum 1040. Sæculare.

Hæc eſt illa nobilis, ac præclara Eccleſia, quam tanquam pretioſum Cimelium ſemper ſummo ſibi in pretio *Henricus* 3tius ſervavit, poſtquam eam maximis impenſis, & ſtructurâ Regio conditore dignâ à fundamentis inſtituit. Imò non ſolus *Henricus*, ſed & ſucceſſores (qui eam, *gloriam Coronæ ſuæ*, & *ſpecialem capellam ſuam* nuncupabant) maximis honoribus affecerunt.

Henricus igitur, ut Goslarienſi à ſe cœptæ Eccleſiæ provideret ex aſſe, Canonicos, qui hactenus Hartzburgi reſederant, iſthuc tranſtulit, firmam poſthac ſedem Goslariæ habituros, quod factum circa annum 1040. videtur, ùt teſtimonium perhibet Goslarienſe Chronicon, & ampliùs adhuc ſcriptura vetus Imagini *Henrici* in feneſtra ſummi chori conſpicuæ appoſita, ùt inquit Heineccius. Diſquirit verò iſte, cur tantos exſtruedæ huic Baſilicæ ſumptus Imperator impenderit, & more hæreticis ſolito aculeis in Clerum defixis, *hujus perſuaſionibus actum* (inquit) *id feciſſe ſpe bonorum operum, quâ blandè tenebatur Princeps, ut maximè iſtis æternam ſalutem ſint merituri*, & profectò minùs fruſtrandos fore illos hac ſpe ad tantam liberalitatem inductos, quàm im-

impios Lutheri aſſeclas, tam ſancta intentione fundatas Eccleſias in ſuæ avaritiæ emolumentum profanantes, qui non credit, agnoſcítque, utrùm inter viros eruditos cenſendus ſit, aliis judicium eſto: non vacat rem tot argumentis doctiſſimorum Catholicorum ad ruborem Heterodoxorum contritam, iterata crambe convellere.

Quamvìs autem plurima eſſent, quæ de hac Eccleſia enarranda ſuppeterent, præcipuis ad opus ipſum delatis, ſolùm de Canonicorum inſtituto per *Henricum* inductorum lubet pauca effari.

Si ergò Canonicos iſtos primitùs ex Hartesborch huc translatos regulares ſeu noſtri inſtituti dixerimus, continuò adverſantem reperiemus Theodoricum Engelhoſium, teſtem vel eò graviorem, quod ipſe (unus ex donatis Presbyteris Canonicorum Regularium in Wittenborch (ſi quis alius diſcrimen aſſerere noverit inter utriusque inſtitutum. Hic verò diſertè ſequentia: *Fundavit* (Conradus) *Eccleſiam iſtam Canonicorum ſæcularium in Caſtro Hartesborch anno Imperii ſui quinto, in honorem S. Valerii, quod monaſterium transtulit Henricus 3tius Imperator poſteà in Coslar, ubi fundavit Eccleſiam, quam per Beatiſſimum Papam Leonem cooperantibus ſibi ſeptuaginta tribus Epiſcopis fecit conſecrari in honorem B. Virginis & SS. Simonis & Judæ, ùt ſcribitur in Chronico Goslarienſi.* Hæc Engelhuſius, quibûs nihil apertius, Canonicos Goslariam translatos ſæculares fuiſſe. Verùm neutiquam me iſta morantur, quò minùs movear, ut dicam *Henricum* non alios niſi Canonicos Regulares Goslariæ conſtituiſſe, & quamvìs parum ſollicitus agam, quod, qualéve inſtitutum ſæculare, an regulare Canonici Hartzburgenſes æmulati ſint? id mihi certum, cùm Goslariam transmigrârunt aut ſecum regularitatem transportâſſe, aut eò venientes hanc ordinante ſic piiſſimo Imperatore ſuſcepiſſe. Idem namque Engelhuſius, dum *Theodori* Eimbecenſis verſus de fundata ab *Henrico* Goslarienſi Eccleſia protulit, mox ſubjunxit: *Monaſterium inſtituit ibidem ſecundùm regulam S. Auguſtini,* non lego aliud Goslariæ inſtitutum Monaſterium niſi Grauhoffienſe, ſeu S. Georgii in Monte. At iſtud Engelhuſius noviſſe debuit inſtitutum fuiſſe à Conrado non ab Henrico, ergo aliud, niſi quod aderat Principali Eccleſiæ, intelligere nequivit. Citat ipſe Chronicon Goslarienſe, at iſtud ne verbum de ſæcularitate Canonicorum meminit, ùt legenti patebit, quinimò ſuperiùs relata verba de translatione propè ad verbum eruit ex dicto Chronico Engelhuſius, illúdque de ſæcularibus ipſe adjecit. En Chronici Goslarienſis verba: *iſte* (id eſt *Henricus*) *transtulit monaſterium S. Valerii de Hartesborch ad locum iſtum, & iſtam Eccleſiam fundavit, & dotavit &c.* alioquin Engelhuſius, dum dicit Eccleſiam Canonicorum ſæcularium in Hartesborch, accommodat ſe ſtylo ſcribendi ſui temporis, tum enim omnes illi Canonici, imò & monachi cenſebantur ſæculares, qui vixerant aliquantùm liberiores, aut qui nulli certæ regulæ ex approbatis legebantur fuiſſe adſtricti, vel ſæculares dicebat Engelhuſius Canonicos, non Goslarienſes, ſed Hartzburgenſes. *Fundavit*, inquit, *Conradus Eccleſiam iſtam ſæcularium Canonicorum in Caſtro Hartesborch.* Hi, pace mea, ſæculares, ùt dixi, fuerint, mihi certum, Goslariæ eosdem ex inſtituto Henrici regulariter vixiſſe; certum, inquam mihi, quod imprimis eruo ex Monacho Hamerslebienſi, hujus ideò expedit integram narrationem de Baſilica Goslarienſi proferre: *Hinricus Cæſar, Rex tertius,*

Filius

Filius, vel ſocer Conradi, Eccleſiam Goslarienſem, cujus jam Conradus fundamenta jecerat deceſſor, Regio cultu abſolutam dedicari fecit per manus Sanctiſſimi Pontificis Leonis Noni, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus ſeptuaginta tribus, quam Eccleſiam idem Imperator voluit appellari Imperii Capellam, & Canonicos ipſius Capellanos regios. Operam ergo dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem Eccleſiæ præficeret, ſiquidem etiam Regni illic ſedem conſtituerat. Electi igitur ſunt ex omni ferè Germania viri doctiſſimi, ac Religioſiſſimi *inter quos & Venerabilis* Benno *maximis Imperatoris precibus, jubente præfato Leone Papa, vix tandem à monaſterio ſuo extractus, ac dictæ Goslarienſi Eccleſiæ, novæq; Congregationi Spiritualis Dux ut eſſet, in Magiſtrum & Canonicum præfectus eſt. Quàm laudabilem vitam olim duxerit hæc Goslarienſis Canonicorum Congregatio, ex hoc patet, quòd eorum plures Sanctorum numero adſcripti ſunt: idq; quòd, cùm in poteſtate Imperatorum adhuc eſſet Epiſcoporum deſignatio, pauci aliundè, quàm ex eadem regia, ùt dicebatur, Capella, tam ſub prædicto Hinrico tertio, quàm ſub filio ejus quarto, ac Nepote Hinrico quinto ad quæcunq; etiam Epiſcopia aſcenderunt.* Hæc ibi: patet igitur, quantâ religione inſtituta fuerit primitùs Goslarienſis Eccleſia, ad quam ex omni ferè Germania electi ſunt viri Religioſiſſimi: aſſumptus verò eſt D. *Benno* in Præpoſituram Goslarienſem annô 1049. Cùm enim Monachus Hamerslebienſis dicat Bennonem annô 1066. ad Epiſcopatum Miſnenſem fuiſſe promotum, & vita S. afferat eundem ſeptendecim annis Goslariæ præfuiſſe, ſequitur, præpoſituræ primum annum cum anno Domini 1066. computandum. Quæ verò Canonici inſtituti facies & recentiſſima hoc tempore reformatio per totam Italiam, Galliam, & Germaniam aſſumpta ſit, adducta ſufficienter teſtimonia in Exegeſis noſtræ parte prima Cap. ultimo comprobabunt.

Sanè ut vel minima ſolummodo attingamus: *Unvvanum* ſcimus Bremenſem Archiepiſcopum teſtante Adamo Bremenſi, quam regularem & Apoſtolicam Congregationem ipſe Hammaburgi collegerit. *Bernvvardus* autem Hildesheimenſis Epiſcopus factus *Cænobii Cathedralis religionem ùt rationabiliter jam conſervatam agnovit, omni eam devotionis ſtudio ampliare ſategit, & quos in omni Canonicæ regulæ obſervatione laudabiles invenit, impenſiùs etiam dilexit.* Ut inquit Volfherus vitæ ſcriptor. Exſeruit ſe nimirum hoc tempore quàm maximè *Petri Damiani* & *Hildebrandi* viri religioſiſſimi quæſita Canonicæ vitæ reformatio, quæ non minùs in Germaniam ſuos palmites extendit, horum virorum Germanis præcipuè Epiſcopis tum Zelo diſciplinæ ardentibus notiſſimorum induſtriâ. Fuerat Beatus *Benno* ùt in ejus vita legitur, hujus ipſius Divi *Bernvvardi* conſanguineus & à teneris dilectus, viventique eidem ſemper à latere, usque dum, ipſo ad ſuperos abeunte, hic ad S. Michaelis Hildeshemii cœnobium S. Benedicti cucullam induerit, utriusque ſtatum Canonicum ſcilicet & monaſticum, ſic edoctus, ut utrobique Magiſtrum agere ex merito poſſet. Hinc, cùm annô 1042. Abbas ibidem juberetur, ſarcinâ poſt tres menſes depoſitâ privatæque vitæ religioſæ ſe ſe ipſum in libertate Spiritûs plenè contradens invitus ex monachili ſtatu, ordinante ſic ſummo Pontifice, ad Canonicum Goslarienſis neo-inſtructæ Eccleſiæ magiſterium, vitamque annô, ùt diximus 1049. transponitur: idque, non, quòd per ſummum Eccleſiæ præſulem à votis relig:oſis diſpenſaretur, ſed quòd ejus interventu

opus

opus eſſet, renitentem *Bennonem* ad hanc provinciam ſuſcipiendam compellere: Ex monacho igitur effectus Canonicus *Benno*, dum quoque religioſiſſimos ope Imperatoris collectos habebat, dumque paſſim cernebat Canonicum inſtitutum, quaſi renaſcentem quendam ſolem è tenebris obſcuratæ diſciplinæ novam regularitatis animam, Spiritúmque induere, an opinabimur, hos viros votivæ relicto Studio, ſolam communitatem corporum in maximo quæſitæ vitæ Spiritualis pretio habuiſſe, & docuiſſe, ut ideo *religioſiſſimi* dicerentur? Quapropter ubi *Leo IX.* eodem ipſo anno confirmationis Bullam extradidit, ſequentia verba inſeruit: *Quia*, inquit: *Filius noſter chariſſimus Secundus Henricus* (nos tertium dicimus) *Imperator Auguſtus quamdam Eccleſiam à ſe funditùs conſtructam in honore S. Dei Genitricis Dominæ noſtra Virginis Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Simonis, & Judæ poſitam loco Goslaria, ubi fratres ſunt ſub Canonica degentes regula, quibus Præpoſuit quendam Presbyterum nomine Rumaldum &c.* Ex quibus patet, primos hujus loci Canonicos non qualitercunque, ſed ſpeciatim ſub *Canonica*, id eſt, *Apoſtolica* votivam vitam amplectente *regula* vixiſſe. Quam vivendi normam *Benno* quoque totis viribûs conſervavit.

Porrò ut id ipſum quoque Fundator *Henricus* apertiùs demonſtraret, in privilegio anno eodem 1049. dato disertè inquit, mandatque ut enarrata paulò prævià bona poſſideantur, eâ conditione, *ut ejuſdem monaſterii Præpoſitus, qui cætera Cleri providet bona ſimiliter provideat & iſta, & redditus eorum ad communem uſum* (quod notari cupimus) *juxta noſtram inſtitutionem & votum in prædicto monaſterio Goslare Deo famulantium conferat Canonicorum.* Ad *communem*, inquam, *uſum*, & quidem juxta Imperatoris inſtitutionem, & votum, nempè quod erat huic piiſſimo Principi, ut Canonici ſui Goslarienſes abſque dubio Aquisgranenſi regulæ devincti, viverent communiter, & ſecundùm inſtitutionem SS. Patrum, in eadem regula tum ſat apertè adhuc (ſi modò non jam depravata haberetur) exſtantem.

Cæterùm licèt gemini illi Præpoſitorum Catalogi quodam parachroniſmo ſcatere omninò videantur, ut acriori illos volſella Heineccius vellicat. Intereà tamen negari nequit, hanc Eccleſiam primis maximè ſuæ fundationis ſæculis eximios viros intra ſinum ſuum continuiſſe, aliiſque Eccleſiis in regimen conceſſiſſe, præterquàm, quòd aliquos eorum glorioſam Apotheoſim novimus obtinuiſſe. De quibus omnibus ſat prolixum nobis in opere noſtro tractatum reſervamus.

Accedit quoque huic eidem loco non exigua hæc prærogativa, quòd, licèt regularem illam, ſtrictioremque votivam Canonicam vitam ſæculis jam diù prioribùs dimiſerit, attamen uſque hodie inter paſſim prædominantes Lutheri aſſeclas hujates Canonici fidei catholicæ puritatem ſtrenuè propugnent, & illibatè cuſtodiant.

Exiſtit hæc Eccleſia in ipſa urbe Goslarienſi. Heinecc. in ſuis Antiqv. Goslarienſ. paſſim, Leuckfeld. in Append. 4. Antiqv. Pöldenſ. Acta SS. tomo 3. Junii in vita S. Benonis. Chron. Hamerſl. apud Leib. t. 2. p. 506. Engelhuſ. in Chron. edic. Leibn. t. 2. p. 1021. Chron. parvum Eccl. SS. Simon. &c. Goslar. edit. ead. t. 2. p. 533. Bodon. ſyntagm. Gandersh. Edit. ead. tom. 3. p. 721. &c. Brow. t. 1. p. 495. &c.

Grauhoffenſe S. Georgii Prioratus. *Fund. Sæc. 11. Flor.* Antiquitate ſua, ſi primordia hujus ſpectamus, inter

Gos-

Goſlarienſia ſacra loca velut ſtella quædam major elucet, ab urbe enim condita poſt centum octo annos jam huic venerando aſceterio initium dedit *Conradus* Imperator. De quo Chronicon antiquum apud Leibnit. Saxonica dialecto conſcriptum inferiùs citandum hæc effatur: *Poſt verbum incarnatum* 1025. *Conradus ſecundus hujus nominis Filius Henrici Ducis Sueviæ incœpit Romanum Imperium, & regnavit quindecim annis - - - - hic fundavit montem S. Georgii.* Porrò, quo propriè anno hoc monaſterium fundatum ſit haurire ex monumentis Antiquis nondum licuit, Heineccius tamen ad annum 1031. aut 32. circiter alligat. Quidquid horum ſubſiſtat, certum eſt, tempori *Conradi* Imperatoris, qui uſque ad annum 1039. præfuit, affigendum eſſe. Illud autem mox ab ipſo hoc religioſiſſimo Principe Canonicis Regularibus contraditum Heineccius non obſcurè inſinuat, cùm ad annum notatum ſic diſcurrit: *Inclareſcere per hæc tempora in Saxonia noſtra cœperant Canonici Regulares S. Auguſtini, qui poſteaquam Benedictini à rigore regulæ ſuæ deflexerant, multis coloniis è monaſterio Bavariæ Raitenbuchenſi deductis cœnobia recens condita his regionibus occupabant. Jam anno* 1024. *huic ordini ceſſit monaſterium Sultæ propè Gildeſiam, à S. Godehardo conditum, cui ſuccedebat Mons S. Georgii ejuſdem ordinis religioſis frequentatus, donec tandem inſequenti tempore ſequerentur Hamerslebia annò* 1108. *Novum Opus prope Halam Saxonum* 1116. *&c.* Porrò id extra aleam eſt, hunc locum ex ſui fundatione Clericos obtinuiſſe, an illi mox regulæ ſe S. *Auguſtini* mancipaverint, nobis ex documentis diſcere non licuit, quibus etiam uſque dum nullæ planè Pontificum ſummorumBullæ uſque ad unicam *Clementis V.* annô primùm 1310. extraditam ſub oculos venerunt, quin nec donationum aut privilegiorum chartæ uſque ad ſæculum 13. quas Heineccius ſparſim de hoc cœnobio prodit ſeu ab Imperatoribus, ſeu Epiſcopis datas, quæ Canonicos in eo reſidentes indigitant quidem, at ſi Willhelmi Romanorum Regis diploma an. 1252. conceſſum excipias, nullibi, aliàs me legiſſe memini Canonicos S. *Auguſtini*, aut regulares. Verùm, ùt jam alibi cavi, nihil iſtud obeſſe veritati poteſt, alioquin potenti. Cùm certum ſit, neutiquam Canonicos noſtrates tanta cautione illis diſcretivis vocibus in Bullis, ac chartis depingi olim conſueviſſe, ut dignoſcerentur.

Fata ſiniſtra non minùs hoc S. Georgianum cœnobium, quàm proſpera alternis identidem vicibus ſubiit; illa quidem, cùm in bello propè biennali Epiſcopum inter Hildesheimenſem & Cives Goſlariâ dirè vexatâ S. Georgianum quoque collegium poſtremum exitium pateretur. In tantam enim, enarrat Heineccius, Goſlarienſem, vicináſque regiones ſolitudinem fuiſſe redactas, ut cadavera potiùs pagorum, quàm pagi viderentur ſupereſſe, præcipuéque id fatum ſubiiſſe Monaſteria Montis *S. Georgii* noſtrum ſcilicet, & *Ringelheimenſe* Benedictinum. Vixdum verò è cineribus operâ præclariſſimi Hildesheimenſis Epiſcopi *Bertholdi* an. 1486, revixerat, cùm an. 1527. monſtroſa illa Eccleſiæ per Lutherum reformatio, etiam Goſlariam attentabat, dementabátque plebem ad quæque nova amplectenda facilè præcipitem. Civibus enim cum Henrico Brunsvicenſi Duce ob certas poſtulationes in ſimultatem primùm, ac denique apertum odium abeuntibus, atrox bellum exarſit. Princeps urbem Cingere cœpit validiſſima obſidione, cúmque jam in eo pericu-

lum ingraveſceret, ut oſtenſa ſæpius acie minaretur quaſi monaſterium *S. Georgii* urbis mœnibus proximum occupare, cives ſupremum diſcrimen non exſpectaturi hoc noſtrum cœnobium cum nonnullis aliis Eccleſiis delendum ſtatuerunt. Reſtitit tam præfracto conſilio ſenatus, mitiora ſubſtituens, at dum utrinque litigatur, veſana fex urbis, pro eo, quòd operi reparandorum mœnium manus ſupponeret, monaſterium Georgianum aggrediens crudeli inſultu divexat, feneſtras confringit, aliáque perpetrat, quæ quamvis ultimum exitium non cauſaverint, at paulò poſt eventurum præſagiebant: nam pauco temporis intervallo elapſo Cives ipſi monaſterium invadunt, illúdque armis occupatum in nihilum redigunt. Quodque omnium funeſtiſſimum, verba admetior Heineccii: *templum*, inquit, *quo nullum fermè per viciniam Auguſtius ſplendidiúsque celebratur, funditùs delent.* Hæc Scriptor iſte ſilere non potuit, quamvis alioquin in ſuæ ſectæ contribulos benignus adeò, ut vel bujus ipſius monaſterii demolitionem neceſſitati attribueret, non petulantiæ Hæreticorum, atque ideo *Nicolaum Ruckerum*, ſuæ urbi iniquum arguat, quod furori Anabaptiſtarum adſcribat bujus cœnobii ruinam; de qua re nos ſuo loco apertiùs explanabimus veritatem. Translatis Canonicis, ſopitò bellò, in curiam *Griſonum*, quam ipſi tanquam villam jam diù poſſederant, hacque in novam cœnobii ſpeciem erectâ, dum vix ex priſtino damno reſpirare aliquantum dabatur, novas turmas per omnes portas dudum ſuſcepta Lutheri doctrina huic loco concivit. *Henrico* enim Duce Brunsvicenſi piiſſimo, veritatiſque Catholicæ ad vitæ ſupremum aſſertore fideliſſimo morte ſublato, *Julius* filius degener ſuccedens, ac dogma venenatum Lutheri diù jam ſuo ſinu recoonditum toto auſu exeruit, moxque Præpoſituram *Sanct-Georgianam* hujus Pſeudo Apoſtoli placita ſuſcipere cogit, Canonicis & Præpoſito religionis quidem libertate relictâ, ſed quod deplorandum, iſto (*Eraſmo Stapenbachio* nuncupato) Deo animam in illibata fide reddente, ſucceſſor *Juſtus Brakmannus*, quamvis è gremio Religioſus, calcatis votis, Luthero jurat, & hic, ut inquit, Heineccius, cùm monaſterium jam ſub Eraſmo in ſcholam novarorum converſum eſſet, tam *luculentam*, *lutulentam* dixiſſet veriùs, *ſcholam aluit*, ut vix fuerit in vicinia talis. Atque hæc magis præcipua ſunt infauſtæ ſortis fata noſtro Georgiano monaſterio inflicta. Verùm nec defuêre & proſpera, quibus benigniſſimum Numen ſæpiùs diſpulſis adverſis nubibus mitiorem Phœbum eidem affulgere voluit. Nam, ùt erant illa acerbiſſima vulnera in bello ſub *Bertholdo* illata monaſterio huic, omninóque letbalia, ſic idem *Bertholdus* eximium ſe tam miſerè decumbenti medicatorem exhibuit. Teſte enim Heineccio laudato, & Reutelio, incredibili illud cura ac liberalitate priſtino ſplendori reſtituit, Herculeóque labore teſtauravit, correctis ſimul eorum inſtitutis, ſi qua in re à priſtina diſciplina deflexerant. Prætereà jam anteà annó 1228. ingentem benefactorem nactus eſt hic ſacer locus *Conradum* Epiſcopum Hildeſemenſem: *Wilhelmum* quoque Imperatorem, *Henricum* etiam quintum, alióſque præeminentes perſonas complures, quorum tutella, & præſidio ſemper adhuc ipſis in ruinis poterat ſperare remedium. Quodque præcipuum; reformatione illa deformi dogmatis Lutherani plenè jam in iſtud monaſterium inducta,

totá-

tatáque fundationis ſumma in puerorum inſtruendorum ſuſtentationem converſa, vi ſcilicet, ac potentia Ducis BrunsvicenſisHæretici Julii, Deo tamen vices tam ſacræ ad gloriam ſuam inſtitutionis per piiſſimum Imperatorem Conradum factæ miſerente, accidit, ut, Hildeſienſi Diœceſi primò per ſententiam Cameralem, deinde armis, demum per tranſactionem ſuo Epiſcopo reſtituta, Prædicantium quoque (qui Grauhoffianum cœnobium ſub ſpecie pietatis inſtruendæ juventuti impenſæ, ad medullam usque hirudinum more exſugebant) ſuppreſsâ petulantiâ, priſtinis poſſeſſoribus redderetur. Tumque effectum, quod ante cauſatum à Luthero communem propè monaſteriorum Cataclismum, neque Buſchius ille Magnus Ordinum per Saxoniam reſtaurator, neque Epiſcopi vicini evincere à Georgianis, ſeu Grauhoffienſibus poterant, ſcilicèt ut ſe totum cœnobium ſubderet Windeſemenſium Congregationi, ſub qua ab eo tempore usque ad noſtram ætatem egregiè floret.

Exiſtit propè Goslariam. Heineccius in Antiq. Goslarienſ. paſſim. Buſch. de reform. Monaſt. L. 1. c. 10. edit. Leibn. t. 2. p. 488. Chron. Breve Duc. Brunſvic. Edit. ead. t. 1. p. 426.

Fund. Sæc. 12. Exſtinctum.

Hagerſtorpenſe. Præpoſitura. Vir ſanctiſſimus *Vicelinus* & digniſſimus Nordalbingenſium, reliquorúmque Slavorum Apoſtolus, cùm primùm hoc prædicationis Evangelicæ munus à Deo ſibi impoſitum exequi conſtituit, de conſtruendo ibidem uno, alteróve monaſterio ſollicitus egit. Primum, quod ab ipſo condebatur *Falderenſe* fuit, ſecundum *S. Joannis propè Sigeberg*, tertium demùm iſtud, de quo agimus, *Hagelſtorfenſe*, olim *Hagerſtorpenſe*, aut ùt id Helmoldus nuncupat, *Hagereſtorpenſe*: Cauſam fundandi hujus cœnobii ſuppeditârunt *Vicelino*, ſuisque Canonicis fori incommoda, tumultúsque Caſtrenſes, qui aſſiduò *Falderenſe* æquè, ac *Sigebergenſe* Collegium divexabant. Præfecit autem huic novellæ ſtructuræ virum religioſiſſimum *Thethmarum*, ab aliis etiam *Dithmarum* nominatum, ſuum quondam diſcipulum, ùt ſcribit Helmoldus, & in ſtudio apud Franciam ſocium, qui relictâ præbendâ & Decania Bremenſi devovit ſe Falderenſi monaſterio, vir contemptor hujus ſæculi, ſectator voluntariæ paupertatis, & in ſpirituali converſatione ſummæ perfectionis. Hæc intereà ex Helmoldo de *Thetmaro* delorâſſe ſufficiat, dum nos alibi vitam ejus ſanctitatis gloriâ præeminentem & Canonico ordini noſtro eximium decus adjicientem daturi ſumus.

Porrò hìc *S. Thethmarus* deſtinatus in *Hagereſtorph* cum aliis fratribus, *hominibus novæ peregrinationis*, id eſt, neò-converſis magno ſolatio fuit. Providit quoque novo huic cœnobio *Vicelinus* tam de ſacerdotibus, quàm de reliquis Altaris utenſilibus, & omni niſus eſt ſtudiô, ut Eccleſia iſta opportunè ædificaretur: ipſum verò ædificium ut debitis clauſtralibus officiis, ac oratorio ſurrigeretur, *Volckvvardum*, ſacerdotem Venerabilem præfecit, illúcque ex Falderenſi ſuo archiſterio deſtinavit. Adjunxit vicelinus ipſi monaſterio peculiarem Eccleſiam publicam, ſeu forenſem, quam etiam parochialem eſſe voluit, ad radicem montis ſitam, cùm cœnobium Hagerſtorffenſe ſuprà eundem collocaretur, quietis ſcilicèt religioſæ meliùs capeſſendæ causâ.

Hujus fundati Collègii Originem cui ſpeciatim anno affigere oporteat, ex Helmoldo non diſci-

mus, factum tamen initium ejus intrà annum 1144. & 46. probabiliùs colligendum datur: utpotè quòd hujus fundationem Sigebergenſis conſtructio certò præceſſerit, ipſéque Helmoldus hanc præponat anno 1146.

Quod præ reliquis nobis de hoc ſacro loco notabile occurrit, illud ipſum ſuppetitur ex ſæpe laudato Helmoldo: dum nempè *Niclotus* cum ingente Slavorum caterva totam Wagriam tantùm non omninò devaſtaverat, populúmque fidelem, maximè qui in *Faldera* & *Cuzelina*, hoc eſt, in Hagerſtorffenſi territorio reperiebatur, ad ſupremam inopiam redegerat; tanto cunctis miſeris alendis & conſervandis emolumento fuit utrumque, ac præcipuè hoc *Hagerſtorffenſe* cœnobium, ut depauperatæ plebis quoddam quaſi ærarium cenſeri, atque promptuarium potuerit; adeò nimirùm liberaliſſima manu *Thethmarus* cunctis indigentibus neceſſaria ſubminiſtravit. Teſtatur enim Helmoldus, tam profuſum in pauperes tum fuiſſe *Thethmarum*, ut, cùm locus ille ob nimiam largitatem hujus viri ad inopiam redigendus videretur, obſerarentur à procuratoribus domûs oſtia domeſticæ rei, nè curia ſubjaceret detrimento. At non ferens miſericordiâ motus clamores pauperum explorare cæpit occultè aditum in horrea, quæ reperiens, *egit* (inquit Helmoldus) *in modum furantis, dans quotidiè pauperibus juxtà opportunitatem. Ferebatur autem à fidiſſimis nobis, quòd iiſdem diebus exinanitæ frumentariæ penus, divinitùs recuperatæ ſint.* Paucula hìc mihi cum Novatoribus, ùt ſe vocant, reformatoribus fidei noſtræ. Damnant illi, & ad Orci caſtra amplianda relegant monaſteria: ut paſſim ac maximè in iis legere licet, qui antiquatorum, ac profanatorum ab ipſis monaſteriorum deſcriptiones his noſtris temporibus edere curant; damnant, inquam, monaſteria, religioſos, Fundatores, Epiſcopos, ac quoſcúnque demum partem in iis exſtruendis ac conſervandis ſumentes, tanquam iis omni otio, ac pigritiæ pro inertiſſimo hominum ſtatu peſſulum aperuiſſent. Atque ideò ſuo reformationis opere penè, nihil putant ſe præſtabilius egiſſe, quàm quod hæc loca ſacra in uſum profanum, in popinas, in armamentaria, in caſtella, & ſiquidem adhuc modeſtiſſimè loqui oporteat, in Gymnaſia puerorum inſtruendorum converterint, nè ſcilicèt (ùt ipſi argumentantur) loca tanto Principum à monachis dementatorum affectu & ære condita, fruſtra tot ſæculis, ac ſine omni reipublicæ fructu, maneant ignavorum vulgi oculis neſcio quod glaucoma ſimulatæ virtutis objicientium domicilia. Sic nimirum placet ignavis Sectariis de ignavia calumnioſè monachis impacta arguere, quibus abſque dubio proventus monaſteriorum vaporem cient. Verùm nullus dubito, monaſterium hoc noſtrum Hagelſtorppenſe Sanctum etiam apud Sectarios audire, lectis Helmoldi verbis, quòd id tam liberale penuarium exſtiterit indigentium. Tum nimirum pretioſa æſtimantur, & chara cœnobia, ſi velut ager fertilis quibúsque frumenta miniſtrant. Scio aliquandò Principem quendam ſummum æquè,ac religioſiſſimum, cùm eidem bellis, aliiſque neceſſitatibus publicis impedito ſuaderetur, à monaſteriis exactiones, tributáque exigeret, moderatiſſimè reſpondiſſe: neutiquam; hæc noſtra enim, ajebat, Gazophylacia ſunt, & non niſi in anguſtiſſimis rebus appetenda. Sanè multâ id experientiâ comprobari ad oculum poſſet, quanta emolumenta conferant ſæcularibus quibúsque

búſque monaſteria, & verè in his depoſita eſſe victualia viduarum, & pupillorum: porrò non niſi impio Simoni conformes habendos hos monacho-maſtyges, qui dum pietatem, cultúmque Dei averſantur, odióque habent Dei miniſtros, exinde otioſos arguunt; dumque deglutitis per Laſciviam & gulam propriis bonis, inhiant alienis, aut neceſſitate extrema adacti ad operas compelluntur, invident religioſis, quòd ſine manuum labore, ac onere precibus, atque ſacrificiis alimenta reperiant: At de hoc ſatis. Nos regrediamur ad *Hagelſtorppenſe* cœnobium, quod tamen dum aliquantum hoc decurſu dimiſimus, à ſe ipſo planè diverſum reperimus: *Thethmaro* enim viro Sanctiſſimo, ipſóque Beato *Vicelino* defuncto Geroldus Altenburgenſi Epiſcopatui præficitur, reperit hìc Falderenſes Canonicos (qui hactenùs Altenburgenſi ad cathedram ſervierant) ſe ſubmiſiſſe Archiepiſcopo Hammaburgenſi, unde propè compulſus, ut ſuæ Altenburgenſi Eccleſiæ deſolatæ provideret, Hagelſtorpenſes revocavit Sigebergam. Sic enim Helmoldus: *quia autem Congregatio Clericorum non habebatur in Aldenburgenſi Epiſcopatu præter eam, quæ erat Cuzelinæ, quæ alio nomine dicitur Hagereſtorph, annuente Duce fecit eos transmigrare Segeberg ad locum primæ fundationis, quatenùs in ſolennitatibus, quando Pontificem oportet eſſe in populo, haberet in Clero ſupplementum.* Nimirum, ùt ego quidem intelligo, Altenburgenſe monaſterium carebat omninò Congregatione Clericali, qualis tenuis utcúnque illo tempore dabatur quoque in Segebergenſi, hinc advocata in ſubſidium altera in Hagersſtorpb, ut in ſolennitatibus, quando Pontificem oportebat eſſe in populo, ſuóſque ex clero Comites habere, in ipſa intereà Eccleſia per ſufficientem adhuc ſuperſtitem numerum divina perficerentur. Porrò an hæc transmigratio omnimoda fuerit, an ſolùm diurna, ita ut finita ſolennitate rediretur in Hagerſtorph, ex hoc Helmoldi contextu non eruo, quamvìs illud probabilius factum credam, quàm iſtud, eò, quòd Helmoldus aſſerat, ex tunc feciſſe illic, ìd eſt, Aldenburgi, domum, ſeu monaſterium cathedrale Geroldum; in quo credibile eſt, Brunonem illum ex Falderenſi cœnobio accitum cum quibusdam Sigebergenſibus fratribus ſubſtitiſſe. Certè de Hagelſtorpbenſi cœnobio ab hoc tempore in Helmoldo nihil ultrò memoratur; ideò cenſendum, præcipuè, cùm Geroldus anno (ùt prodit Chronicon Lubecenſe apud Meibomium) 1162. Altenburgenſem Epiſcopatum transtulerit Lubecam, exſpirâſſe Hagelſtorfium, utcúnque urbi Lubecenſi contiguum.

Helmoldus Chron. Slavorum Edit. Leibnit. t. 2. p. 586. & ſeq. acta SS. 17. May in vita S. Thetbmari Chron. Lubec. apud Meibom. &c.

Halberſtadenſis S. Stephani Cathedralis. *Fundat. an. 781. Exſtinct.* Cogimur ſi unquam aliàs certè in deſcriptione hujus Eccleſiæ breviores eſſe, quàm fæcundiſſimæ de eadem materiæ tractatus alioquin admittere videatur, prætérquam enim, quòd plurima exſtent tum de origine, fundatione, Fundatoréque illius monimenta, non minimæ quoque ſeſe offerunt quæſtiones, à viris alioquin doctis moveri ſolitæ, accuratiore criſi ad trutinam veritatis explorandæ de loco, de ortu, de fundatore: præterquam quòd conſtitutæ harum diſſolvendarum quæſtionum epochæ viam ſternant ad inveſtiganda longè prolixiora, igitur ex tanta meſſe ſcribendi pauculas iſthìc ſpicas excudemus, potiora ad

ipſum opus (ubi hiſtoria generalis Circuli Saxonici plurimum lucis ad particularia diſcutienda ſuggeret) differentes.

Itáque originem Halberſtadenſis Eccleſiæ legimus in ejusdem Chronico à Leibnitio edito contigiſſe annô 781. verba illius ſunt, *Anno igitur Dominicæ Incarnationis 781. indictione quarta annô verò regni ipſius* (*Caroli* nimirùm magni poſtquam fratre Carolomanno defuncto ſolus regnavit) *decimô, primùm in loco, Selengeſtadt nuncupato, nunc autem vulgò Oſtervvick dicto, Monaſterium conſtruxit, atq; in honorem Dei omnipotentis, & S. Protomartyris Stephani, qui eſt bonus ſignifer Regis, omniúmque Martyrum norma, primô Martii dedicavit. Quò cùm aliquamdiù longè, latéque fidelem, ac providentem diſpenſatorem quæreret, quem conſtitueret ſuper familiam Dei, ut illi in tempore cibum daret, S. Hildegrinum Catelaunenſem à SS. Parentibus Patre ſcilicèt Thiatgrino, Matre verò Liafburga editum, fratrem quoq; S. Ludegeri primi Mimmigardevordenſis Epiſcopi, Adriano S. Romano jubente, in hoc opus Epiſcopum deſtinavit. Sanctus verò Hildegrinus ſtatim eodem anno Divina gratia diſponente, ſedem Epiſcopalem de Selengeſtett in oppidum, quod Halberſtadt dicitur, transmutavit &c.* Plurima in hac narratione dubia occurrunt, cenſuræque accurratiori ſubjicienda, præcipuè obſervat Leuckfeldius fundationem hujus Epiſcopatûs neceſſariò ad ſæculum nonum differendum, alioquin reclamare, ac obſiſtere pleráque alia hôc ipsô Chronicô longè certiora, ac vetuſtiora documenta. Certè *Hildegrinum* ante annum 797. Epiſcopum fuiſſe, vix probari poterit; Epiſcopum, inquam, non Halberſtadenſem, ſed nec Cataluunenſem. Chartæ enim traditionis Oodhelmi apud Leibnitium t. 1. p. 116. quæ præfefert annum 797. ſe ſubſcribit *Hildigrinus indignus Diaconus*. Ergò diù poſt annum 781. nondum Epiſcopus. Nobis novæ Editionis Galliæ Chriſtianæ Archiepiſcopatus Pariſienſis necdum ſub oculos venit, ut ex eo liceat forſan diſcere, quod prior editio non oſtendit, quo anno Catalaunenſis Epiſcopus juſſus ſit *Hildegrinus*. At id certum, Halberſtadenſem Eccleſiam regendam, ſaltem ùt ejus Epiſcopum, non ſuſcepiſſe ante annum 809. prout patet ex ipſa *S. Ludgeri* vita, in qua hæc leguntur de ſepultura ejusdem, cujus Sacrum corpus Monachi Werthiniani ſuo in monaſterio condere volebant, at reſiſtebat populus. *Inito igitur conſilio*, inquit Altfridus, *ad monaſterium - - - - - vocabulo Mimmigerneford - - - - - perduxerunt illud, atq; in Eccleſia S. Mariæ inhumatum reliquerunt, donec Venerabilis Epiſcopus Eccleſiæ Cadalonenſis, Hildgrimus nomine, Germanus ejusdem Viri Dei, atq; eruditus ab eo, ageret cum glorioſo Rege Carolo &c.* Addit verò mortem ejus ſequentibûs: *defunctus eſt itáque anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo nono, ſeptima Kalendas Apr. & triceſimo ſecundo die ſui ſancti obitûs, hoc eſt, ſexto Kalendas May - - - - - in eodem loco ſepultus eſt.* Dum verò Dithmarus ſcribit, quòd *Hildegrinus Catelaunenſis Epiſcopus, Sanctaq; Halberſtadenſis Rector primus, quam tenuit quadraginta & ſeptem annos, diſceſſerit ab hoc ſæculo regnante tunc Ludovico Imperatore Pio, Dominicæ Incarnationis octingenteſimô vigeſimô ſeptimô annô*: intelligendus mihi videtur de Halberſtadenſi Eccleſia latiùs ſumpta, non verò ùt Epiſcopali, quam regendam ſuſceperit anno 780. aut, dicamus 781. ita ut Dithmarus annum primum & ultimum pro duobus diſtinctim acciperet, quod plures ſcriptores feciſſe ſatis novimus. Igitur concurret hic calculus accuratè cum Chronico

nica Halberſtadenſi. Tunc verò Epiſcopatu necdum eminebat ullo, aut Halberſtadium, aut Seligenſtadium, ſed erat à *Carolo* ſolùm conſtructa Eccleſia adjectô monaſteriô: perſtitit igitur ſub hoc titulo usque ad annum fortâſſe 809. atque tum Epiſcopatu primùm locus hic decoratus eſt. Quodſi Kranzio fides, dicendum erit Epiſcopatum iſthic inductum fuiſſe annô 820. cùm dicat Hildegrinum Halberſtadii Epiſcopum ſediſſe ſeptem tantummodò annis. Neque obeſt Kranzio, *Hildegrinum* in quibusdam chartis dici *Epiſcopum*, annum 820. præcedentibus; reponi enim poteſt, in his chartis, ùt legenti patebit, nunquam dici Epiſcopum Halberſtadenſem, ſed tantummodò *Epiſcopum*, qui ergò adhuc erat Epiſcopus Catalaunenſis, eſſe ſimul potuit Rector Halberſtadenſis Monaſterii. Neque etiam obſiſtit Diploma *Ludovici* datum annô 814. in quo nominatur *Hildegrinus Catholanenſis Eccleſiæ Halberſtadenſis Epiſcopus Venerabilis*. Videtur ſanè in hoc enuntiato aliqua aperta vocum confuſio, quamvìs enim ſciamus *Hildegrinum* fuiſſe Epiſcopum Catalaunenſem, ac vix credo ullum aſſerturum, eundem ſimul duos Epiſcopatus poſſediſſe, qui Conciliorum ſæculi octavi, ac noni hac ſuper re graviſſimas conſtitutiones unquam perſpexit, de quibus conſulendus Thomaſſinus t. 2. l. 3. c. 3. n. 7. &c. Ubi clarè oſtendit, nè quidem Epiſcopis Abbatias concreditas tunc fuiſſe, niſi ſolùm diſciplinæ inducendæ, aut fidei propagandæ, neutiquam verò Beneficii potiendi causâ. Dum ergò *Catholanenſis & Halberſtadenſis* Eccleſiæ Epiſcopus dicitur *Hildegrinus*, aut id per aliquam anticipationem dictum eſt, nempè, qui eſt *Catalaunenſis*, ſed futurus Halberſtadenſis, quippè quòd actu laboraret *Ludovicus* in erigendo iſthic Epiſcopatu Aut potiùs, quòd hæc vox *Epiſcopus* ac commodè ſit intelligenda, ut, dum *Hildegrinus* Epiſcopus erat Catalaunenſis, Rector verò Halberſtadenſis, utriúsque loci diceretur Epiſcopus. Illuſtrabo hanc opinionem meam ex veteri quadam charta, data à *Sigihardo* Eccleſiæ, ac Monaſterio Monachorum Wertinenſi, à *S. Ludgero*, fundato: *tradidi*, inquit Sigihardus, *ad reliquias S. Salvatoris, quæ collocatæ ſunt in loco, qui dicitur Werthina, in pago Ruricgoa, in Ducatu Ripariorum, ubi Hildigrinus & Gerfridus Epiſcopi Rectores praeſſe videntur*. Hoc cœnobium nunquam eminebat dignitate Epiſcopali, & tamen Rectores ejus dicuntur Epiſcopi, *Hildigrinus* erat tum *Catalaunenſis*, *Gerfridus Monaſterienſis*: Sic itáque, cùm *Hildigrinus* Epiſcopus dudum eſſet, dici per extenſionem potuit *Halberſtadenſis* Eccleſiæ Epiſcopus, id eſt, *qui* Epiſcopus Catalaunenſis, ſimul erat Rector Eccleſiæ Halberſtadenſis.

Verùm Chronicon Halberſtadenſe ob errore vindicare non poſſumus, dum inquit, illô annô, quo Selengenſtad monaſterium conſtructum eſt, ſedem Epiſcopalem, eidem adjunctam, translatam fuiſſe à *Carolo* Magno Suadente *Hildegrimo* in oppidum Halberſtad. Etenim, ùt jam obſervavimus, oſtendi non poteſt, *Hildegrinum* annô 797. Epiſcopum fuiſſe, cùm diſertè ſe ſubſcribat in charta Donationis hoc anno Eccleſiæ Werthinenſi facta *Diaconum*: neque etiam ſubſiſtit, Selengenſtadenſem Eccleſiam eodem anno translatam fuiſſe in Halberſtad, nempè annô 781. ſuadente *Hildegrino*: Chronicon enim hoc dicens, quaſi ſibimetipſi adverſatur. En ejusdem verba: *Qui* (*Carolus* nempè) *cùm aliquamdiù longè, latéque fidelem, ac providentem diſpen-*

ſato-

ſatorem quæreret, quem conſtitueret ſuper familiam Dei, ut illi in tempore cibum daret, S. Hildegrinum Catelaunenſem à SS. Parentibus, Patre ſcilicèt Thiatgrino, Matre verò Liafburga editum, fratrem quoq; S. Ludgeri primi Mimmigardefordenſis Epiſcopi, Adriano S. Romano jubente, in hoc opus Epiſcopum deſtinavit. S. verò Hildegrinus etiam ſtatim eodem anno, divina gratia diſponente, ſedem Epiſcopalem de Selengenſtedt in oppidum, quod Halberſtadt dicitur, transmutavit.

Carolus ergò aliquamdiù longè, latéque fidelem, ac providentem Diſpenſatorem quærens certè ſupponitur talem in locis vicinis obvium non habuiſſe, maximè id diù agere oportuit, cùm *Hildegrinus*, Papâ *Hadriano* jubente, in hoc opus Epiſcopus deſtinatus ſit. At hæc verba manifeſtè adverſantur ſubſequis, & præcedentibus, dum dicitur Selengenſtadt fundatum annô 781. & eodem anno translatum ipſo *Hildegrino* ſuadente, hic namque inaniſſimè aliquamdiù longè latéque quærendus pro fideli Diſpenſatore futuro iſtius loci fuiſſet, eò, quòd cum *Ludgerô* Carolo ad manus fuerit:, erat enim ſub Diſciplina *Ludgeri* tum necdum fortè Diaconus, qualem ſe annô 793. & 797. ſubſcripſit; quamvìs id non obſtiterit, ut Rector conſtitueretur. Verùm *Hildegrinum* tunc Epiſcopum dici poſſe adverſatur profectò toti Chronologiæ ipſius hujus Chronici, quod videtur ſupponere *Hildegrinum* Catalauno accerſitum & Epiſcopum Selingenſtadenſem factum: eò enim ſe referunt verba illa, quòd *aliquamdiù longè, latéque Carolus diſpenſatorem quaſiërit.* Et illa: *Hildegrinum Catelaunenſem Adriano Romano jubente Epiſcopum deſtinatum.* Sed hæc, ùt dixi, cum altero convenire neutiquam poſſunt, quo id factum dicitur annô 781. Igitur omnimodis in hoc chronicon corrigendum, & ſtandum verbis Kranzii, dum ait: *Carolus Rex invictus exſtruxit in loco Salingſtede inſignem Eccleſiam, quam in honorem S. Stephani juſſit conſecrari, præpoſuitque primùm ei Epiſcopum Hildegrinum Fratrem Germanum Ludgeri: ſed is Epiſcopatus poſterioribus ſæculis de hoc loco, quem tum Salingſtede, nunc vocant Oſterwick, in Halberſtadium eſt translatus.* Paucis dein interjectis ſubdit: *Hildegrinus Pontifex cùm diù præfuiſſet Eccleſiæ auctus rebùs & populò illuſtrius Deò templum cogitavit erigere, hac dum cogitatione torqueretur, monitus eſt ab Angelo, alium eſſe Deo placidiorem locum, quo novum templum erigeret & conſecraret; monſtravitque Halberſtadium, populò frequentiorem locum. Ibi tum Pontifex, conſtituto templo & conſecrato, ſedem eſſe ſuam conſtituit; ibique præfuit annis ſeptem, cùm priore loco totos exegiſſet quadraginta &c.* Diſplicent Henſchenio viro Clariſſimo quadraginta anni à Kranzio aſſerti *Hildegrino* in Salingſtade, at plus mihi infeſtum, quòd ſibi inter paucas lineas non conſtet, dum enim paulò antè dixerat, Epiſcopatum (Salingſtedenſem nimirum) translatum *poſterioribus ſæculis* in Halberſtadium, poſtmodùm id factum fuiſſe dicit poſt quadraginta annos, certè quadraginta annorum decurſus diù necdum facit calculum ad poſteriora ſæcula, niſi ergò dicas per poſteriora ſæcula Kranzium intellexiſſe poſterius ſæculum, id eſt nonum, quo Epiſcopatus translatus eſt, cùm ſæculò octavò fundatus eſt, vix reperio eundem ab oſcitantia abſolvendum fore. At in reliquis ſic ipſum explicandum cenſeo, ut redundantibus illis vocibus, *poſterioribus ſæculis* expunctis, *Carolus* Rex in Salingſtede Eccleſiam cum monaſterio fundaverit, (quod Kranzius, per anticipationem, Epiſcopatum nuncupat, uti & ipſum *Hildegrinum* Epiſco-

Epiſcopum) hunc ut Rectorem an. 781. præpoſuerit novellæ Eccleſiæ, in qua perſtiterit uſque ad annum 785. quo bellis urgentibus cum *Ladgero* fratre ſuo perexerit Romam, inde fortè conſtitutus aut poſtulatus ad inſulam Catalaunenſem, non tamen dimiſerit Rectoriam Salingſtedenſem. Erecto dein per Ludovicum Salingenſtadio in Epiſcopatum, neceſſe fuit Hildegrino aut dimittere Catalaunenſem, aut iſtum, ſed cùm in hoc potiorem ſe confideret collecturum meſſem meritorum ob populum adhuc in fide rudem, & doctrinæ pabulo indigum, relicto illo, iſtum adiit. Ut igitur meritò dici poſſit quadraginta annis præfuiſſe Salingenſtadio, id eſt, ab annô 781. uſque 821. non completum Huic verò ab annô 821. quantùm reſtabat ad annum 827. An verò ſeu Salingenſtadium, ſeu Halberſtadium ante annum 821. Epiſcopatus fuerit, vehementer ambigo: Ludovici enim Imperatoris diploma (quod primùm Eccleſiæ Halberſtadenſi datum exſtat, nullum verò Salingenſtedenſi) annum 814. præſeferens, quo modô Hildegrinum Epiſcopum nuncupet, jam adnimadverſum eſt. Cæterùm *Eccleſia Halberſtadenſis* dicitur non *Epiſcopium* aut *Epiſcopatus*, ut adeò liberum ſit ſentire hanc Eccleſiam Epiſcopatum necdum fuiſſe, aliis documentis diverſum non teſtantibus. Quo verò anno hanc dignitatem aut hic aut ille obtinuerit locus, an inſuper Salingſtadii Epiſcopatus fuerit (qui translatus ſit Halberſtadium) ante annum 821. necdum aliquid ut definiam, comperi. Exſtant apud Leuckfeldium aliquot diplomata ac chartæ, at nullum eorum quidquam elucidat pro hac diſcutienda difficultate.

Hildegrinum igitur quem jam ab annô 781. Præpoſituram, ac regimen hujus Eccleſiæ obtinuiſſe ſuperiùs diximus, volente *Carolo*, Clericos ibidem conſtituiſſe, certum mihi eſt, maximè ex eo, quòd rariſſimi, imò nulli monachi, præcipuè Benedictini in tota latè patente Saxonia, ac nè in viciniis quidem partibus reperirentur. Hinc Altfridus in vita *S. Ludgeri*, cùm annô 785. Widechindus Freſones à via Dei avertiſſet, combuſſiſſet Eccleſias, & expuliſſet Dei famulos &c. *Tunc*, inquit, *Liudgerus neceſſitate compulſus deſeruit partes illas, & diſpoſitâ turbâ diſcipulorum duos ex eis aſſumens Hildegrinum ſcilicèt, Germanum ejus, & Gerbertum, qui cognominabatur Caſtus, perrexit Romam; & indè progrediens pervenit ad monaſterium S. Benedicti in regno Beneventino, & illic in ſancta converſatione conſiſtens, didicit regulam ejusdem S. Patris Benedicti. Erat enim cupiens in hæreditate ſua cœnobium conſtruere monachorum, quod ita poſteà Domino opitulante factum eſt in loco, qui vocatur Werthina.* Patet ex his Altfridi verbis, ſi bene conferantur, monaſterium Benedictinum, imò & Monachorum longè, latéque non fuiſſe, cùm diſciplinam, *Benedictinam*, ſeu *Monachorum* diſcere cogeretur Caſini; Ex quo pariter habemus, quanti momenti habenda ſit aſſertio, quâ *S. Bonifacium* quidam ſcripsêre, multa monaſteria S. Benedicti fundâſſe in Saxonia: quaſi non ſciretur, quo partium ſtudio, qui vitam illius exegiticè deduxit Othlonus, hoc ipſum vitæ Willibaldianæ addiderit, tribus ſæculis *S. Bonifacio* poſterior.

Porrò cùm dubitari non poſſit, primos illos *S. Ludgeri* æquè, ac *Hildigrini* diſcipulos Clericos fuiſſe, ſanè & apoſtolicam vivendi normam tenuiſſe votorum obſervantiâ ipſâ illa perſuadent tempora, tum *Caroli M.* tum *Ludovici*, quos ambos piiſſimos Principes, dum

dum diſciplinam Eccleſiaſticam omni conamine ſartam, tectámque voluêre, profectò nil minùs admiſiſſe, quàm ut alii niſi votivi Clerici in Eccleſias neo-conſtructas maximè inter neophytos Chriſtianos inducerentur, ratio ipſa perſuadet. *S. Ludgerum* votis Apoſtolicis fuiſſe devinctum, ex Aldfrido ejusdem Biographo facilè diſcemus, & probabimus luculenter, dum dante Deo vitam hujus ſancti elucidabimus, monachum autem nunquam extitiſſe ex irrefragabili teſtimonio hauriemus, dum de monaſterienſi Eccleſia loquemur.

Ipſa itáque congruentia oſtendit *Ludgerum* alios diſcipulos Clericos non habuiſſe, niſi ſui inſtituti æmulatores, atque inter hos præprimis *S. Hildegrinum*, quem à puero omni virtute, ac religione imbuere conatus eſt. Cœterùm ſi alia nobis documenta non ſupPeterent, quibus perſuaderemur, Halberſtadenſem Eccleſiam Canonicos regulariter viventes ab origine, id eſt, à ſæculi octavi fine per longa tempora poſſediſſe, vel una ſufficeret in omnes Eccleſias, quas *Carolus M.* ſeu Epiſcopales fecit, ſeu facere cœpit, inſtituti clericalis inducti æqualitas: ſicut ergo *Ludgerus in principali ſede occidentalis Saxoniæ, id eſt, in loco, cujus eſt vocabulum Mimigerneford, Domino ipſe honeſtum conſtruxit cœnobium ſub regula Canonica Chriſto famulantium.* Ut inquit Altfridus: ſic & alios ſub eadem regula Domino ſervientes Clericos obtinuiſſe, quis abnuat? quippè quòd, ſicut in Mimigerneford, ſic & ubicúnque neceſſe erat populo de apoſtolicis viris providere. Ideò *Hildegrinum* non minùs Canonicum dedit poſtulanti *Carolo* pro Eccleſia Selingſtadenſi, hicque ipſe *Hildigrinus* non alterius profeſſionis homines, niſi quam ipſe obſervaverat, ſecum & in iſta, & in Halberſtadenſi habuit, velut convenientia ipſa evincit.

Floruiſſe hanc vitam votivo-Canonicam usque ad tempora *Arnulphi*, annò 996. ſedem Halberſtadenſem obtinentis, colligimus ex hujus loci Chronico; *hic enim Epiſcopus circà annum* 1005. *infrà ambitum muri quoddam Collegium Canonicorum in honorem B. Virginis conſtruens, quia mente provida intuebatur, quòd bonum & jucundum eſſet, ſub religionis Catholicæ unitate habitare fratres in unum, duas has fraternitates, fraternitatem nimirum B. Stephani Protomartyris & S. Mariæ Virginis ſub una regula diſciplinæ Eccleſiaſticæ adunavit, nec minùs ſimili conſuetudinis lege in exterioribus colligavit.* Porrò quamdiù ſub hac vivendi forma perduraverint Canonici, decerni non poteſt, id omninò certum, regulam *S. Auguſtini* neutiquam in hanc Eccleſiam fuiſſe inductam. *Reinhardus* enim decimus quintus Halberſtadenſis Epiſcopus, quantumcúnque Ordinis Canonici ſub ſua nova reformatione de ſæculo undecimo refloreſcentis amator integerrimus fuerit, ac propagator, non tamen, cùm annô 1107. ad hujus Eccleſiæ Infulam aſſumeretur, hanc reformationem ſuis Cathedralibus perſuaſiſſe legitur, quamvis disertè meminerit Chroniſta Halberſtadenſis, quòd *hic in Saxonia primus auctor fuerit communis vitæ ſecundùm regulam S. Auguſtini inſtitutæ, & quatuor Canonicorum Regularium inſtituerit Congregationes, duas verò ex Hamersleben, & in Kaltenborn à fundamentis erexerit, & pro poſſe ditaverit. In civitate verò Eccleſiæ B. Joannis Baptiſtæ Canonicis non Canonicè viventibus, & in Scheninge Sanctimonialibus non ſanctè viventibus cum diſcretione remotis, Canonicos Regulares ordinaverit.* Unde crediderim jam tum Canonicos Cathedrales per-

pertinaciùs propriis per diſtributiones Canonicas habendis inhæſiſſe, cui inſiſtere Reinhardus incaſſum judicaret.

Demum dum Eccleſiam Halberſtadenſem ſua initia Seelingſtadenſi debere percepimus, hancque poſteà *Oſterwick* dictam fuiſſe, ex relatis habeamus, de hac ipſa Oſterwickenſi deceret quidem peculiari titulô meminiſſe. Verùm quia tanta eſt hujus ad alteram connexio, prætereà iſtam æquè novimus deplorando acatholicorum furori immolatam, quidquid religioſæ prærogativæ continuerat, amiſiſſe; hinc in hac epithome noſtra ſolùm obſervamus, Oſterwickenſem Eccleſiam hanc ſuo quoque Clericali cœtu proviſam ſemper fuiſſe, eôque non minori ratione regulari, usque dum per laudatum à nobis piiſſimum Epiſcopum *Reinhardum*, hæc ipſa qualiscunque demum regularitas reducta eſt annô 1108. ad celeberrimam regulam S. *Auguſtini*. Exſtat pro hac veritate diploma ejusdem *Reinhardi* apud Leuckfeldium, ubi idem huic Eccleſiæ quædam beneficia in fundis, reliquisque donariis præſtat, Præpoſito tunc exiſtente Gerhardo nomine: *hoc autem ecce*, inquit, *coram Deo facimus eâ conditione, ut Canonici in eodem loco Deo militantes ſub regula S. Auguſtini Canonicè, & relegiosè vivant, & omnia, quæ in eadem regula ſcripta, & inſtituta ſunt, quantum Dominus dederit, diligenter & omni contradictione remotâ adimplere ſtudeant.* Porrò cùm nos in ipſo opere hujus præclari, & de ordine noſtro Canonico tam eximiè meriti Epiſcopi acta elucidabimus, ſimul occaſionem nanciſcemur plura de hac Oſterwickenſi Eccleſia diſſerendi, & promendi diploma ipſum, cujus hic fragmentum produximus.

Ex Halberſtadenſi Eccleſia Cathedrali ejusque ampliſſimis proventibus Heterodoxi fecerunt opulentiſſimum Principatum; qui Electori Brandeburgico ceſſit: in ea adhuc quosdam Canonicos, ſed Lutheri ſectarios, alii, ejusdem ſectæ ſcriptores referunt.

Leuckfeld. in Antiqv. Halberſt. Chron. Halberſt. apud Leibnit. t. 2. à pag. 110. vita S. Ludgeri à S. Altfrido ſcripta apud eundem Leibnit. t. 1. à pag. 85. & apud Bolland. in act. SS. 26. Martii. item vita S. Hildegr. ibid. 19. Junii.

Hamburgenſis S. Mariæ Cathedralis. Non minorem documentorum faſciculum hiſtoria nobis Hamburgenſis, quàm mox deſcriptæ Eccleſiæ Halberſtadenſis ſubminiſtrat, quorum præcipuam notitiam aperuit vir clariſſimus *Petrus Lambecius* Bibliothecæ Cæſareæ olim præfectus. Ex hinc igitur, nec non quibusdam aliis ſelectiora proferemus, prolixioribus ad rem ipſam dilatis. Fundata eſt ipſa, quæ ſub *Ludovico* Pio Archiepiſcopali dignitate ſublimata eſt, Eccleſia Hamburgenſis à Divo *Carolo* Magno annô, ùt probat; & pluribus oſtendit Lambecius, 811. contra Chronicon Mindenſe apud Meibomium eandem fundationem anno 789. affigens; hoc enim anno, id eſt 811. debellavit, & ad plenam ſubmiſſionem Sclavos adegit *Carolus*, quô factô, demum de mediis firmandæ fidei noſtræ in his locis ſeriò cogitatum eſt. Hinc Wolterus in ſuo Chronico Bremenſi: *hoc in tempore*, inquit, *Karolus pergit in Slavos, qui dicuntur Wilri, & victoria in brevi potitus conſtrui fecit Eccleſiam Hamburgenſem pro Danis & Slavis & Nordalbingis, ut & ipſi doceri poſſent in fide Chriſti: ſed occupatio Regni impedivit eum, quòd non factus fuit in tam cito Epiſcopatus, ſed Eccleſiam conſtructam commiſit duobus Epiſcopis, puta, Willerico Bremenſi, & Helingando Verdenſi.* Quod ipſum ſolidiùs Adamus Bremenſis notavit ſequentibus: *tempore cùm Sclavorum quoq; gentes Francorum Imperio*

Fundat. an 811. Exſtinct.

vio ſubjicerentur, Carolus Hammaburg Civitatem Nordalbingorum, exſtructâ ibidem Eccleſiâ, Heridago cuidam ſancto viro, quem loci Epiſcopum deſignavit, ad regendum commiſit. ---- Diſponens eandem Hamaburgenſem Eccleſiam cunctis Sclavorum, Danorumq́; gentibus Metropolim ſtatuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heridagi Presbyteri, & occupatio Regni Carolum Imperatorem, nè deſiderata compleret, impedivit, Legimus in libro Donationum Bremenſis Eccleſiæ *Willericum*, Bremenſem Epiſcopum Transalbianis etiam antè *Ansgarium* prædicaſſe &c. Quem igitur Wolterus Verdenſem Epiſcopum *Helingaudum* dixit, profectò pro certiori Adamus *Heridagum* nuncupat, de quo Kranzius ait: *Transalbianam regionem (quam Karolus pater) nimirum *Ludovici*, de quo paulò antè egerat *Eridago Sacerdoti in urbe Hamburgo commendaverat, quemq́; loci Epiſcopum facere diſponebat, ſed interventus Danici belli, & feſtinata mors Eridagi, votum Caroli ne impleretur averterunt) Ludovicus Bremenſi & Verdenſi Pontificibus initiô regni commendavit:* quamvìs enim inficiari fortaſſe non poſſimus, commendatam poſt mortem *Heridagi* fuiſſe Hamburgenſem Eccleſiam, aut potiùs totam transalbianam regionem geminis Epiſcopis *Willerico*, Bremenſi & *Helingaudo* Verdenſi, id tamen ex Adamo & Kranzio certum, primitùs eidem Eccleſiæ *Heridagum* Presbyterum & ad ſummum regionarii ſolùm Epiſcopi munere decoratum â *Carolo* Magno fuiſſe præſtitutum. Ad annum usq́ue 833. Hamburgenſis Eccleſia nullâ peculiari Eccleſiaſticæ dignitatis prærogativâ eminebat, tum enim primùm *Ludovicus Pius*, ut cogitata Patris religioſiſſimè perficeret, eandem Archiepiſcopalem eſſe voluit, impetravitq́ue à ſummo tunc præſidente Eccleſiæ Romanæ Præſule *Gregorio* quarto. Igitur ut genuini ſtatûs hujus Hamburgenſis, olim nobiliſſimæ Baſilicæ, conditio à nobis jam accuratiùs examinetur quoad cœtum Eccleſiaſticum, accingimur.

Monaſterium mox ab origine junctum fuiſſe Eccleſiæ ſatis aliundè, ac per ſe eorum temporum neceſſitas oſtendit, quippè quòd tales ſacræ ædes non aliam ob cauſam niſi ad convertendas gentes erigerentur. Hinc omninò opus erat, easdem de viris Apoſtolicis mox providere, quibus nè domicilium requiſitum deeſſet, clauſtra Eccleſiis illis contigua conſtituebantur: hinc Gualdo Corbejenſis monachus in verſibus ſuis de *Anſchario*, memorans primam Eccleſiæ Hamburgenſis everſionem apud Lambecium inquit:

Hôc domus Eccleſiæ Clauſtrumq́ue flagravit ab igne.

Agnovit ergò Gualdo ante primam everſionem, primæ Eccleſiæ à *Carolo* fundata clauſtrum adjunctum fuiſſe.

Verùm hìc jam quæſtio agitur, quinam hoc cœnobium cœtus primitùs incoluerit, Clericalis, an monachilis. Stabunt fortè, pro monachis illi, qui paſſim dicunt omnes Eccleſias Germaniæ Evangelii diſſeminandi causâ conditas, monachis commiſſas fuiſſe, poſtmodùm verò iſtorum mores, ac converſationem in Canonicam vitam deſciviſſe. De Hamburgenſi Eccleſia, profectò Lambecium hanc ipſam ſententiam tueri ſatis perſpicio, dum inquit: *antiquas monachorum congregationes in Canonicorum, ſive ſacerdotum Regularium Collegia Unvvanum Archiepiſcopum convertiſſe.* Rexit *Unvvanus* Archiepiſcopatum Hamburgenſem ab annò 1013. ùt ex Adamo Bremenſi conſtat; itaq́ue juxta Lambecium ad hunc usq́ue annum, aut adhuc

ulterà

ultrà Eccleſiam Hamburgenſem monachi incoluiſſent: confirmare id adhuc aliô argumentô videtur ex Adamo Bremenſi, dum inquit: *id porrò autem apud eundem Auctorem maximè obſervatu dignum eſt, quod ait: Unvvanum Archiepiſcopum primum omnium congregationes ad Canonicam traxiſſe regulam, quæ anteà quidem mixtâ ex monachis & Canonicis converſatione degebant: hinc enim diſcimus quæ antiquiſſima Canonicorum Hamburgenſium Eccleſiæ vita fuerit. Nempè inſtituerat olim S. Anſcharius Hamburgi congregationem virorum, qui inſtar monachorum Corbejenſium S. Benedicti regulam ſequebantur. Hic uſq; ad annum* 845. *quo Hamburgum à Normannis vaſtatum eſt, in cænobio ſive clauſtro quod inibi S. Anſcharius juxta Eccleſiam B. Virginis Mariæ exſtrui curaverat, ſolitariam egerunt vitam, prædicationi tantùm vacantes, & inſtitutioni juventutis, atq; aliis ejuſmodi ſacris miniſteriis. Poſt illud verò, cujus modò memini, Hamburgi excidium, translata eſt hæc congregatio trans Albim, in locum nuncupatum Rameſlo, ubi S. Anſchario cænobii ædificandi conceſſa fuit venia.* In hujus rurſus aſſerti probam addit Bremenſis verba dicentis: *ſi quandò S. Anſcharius à prædicatione gentilium fortè liber erat, Domi congregationum ſuarum curam egit. Quarum prima, quæ ab Hammaburg, olim barbarica incurſione depulſa eſt, ipſe, ut prædiximus, transtulit ad Ramſolas.* Deniqùe cùm Bremenſis L. I. C. 29. de ſua Eccleſia dixiſſet: quòd *ſecundam congregationem S. Anſcharius Bremæ habuit ſanctorum virorum, qui habitu quidem uſi Canonico, regula vivebant monaſticâ, uſq; ad noſtri ferè temporis ætatem*: ſubjungit Lambecius: *Mihi ſanè id videtur velle dicere, Canonicos Bremenſes habitu quidem eodem uſos fuiſſe, quo omnes alii id temporis utebantur Canonici: Cæterò uti monachos ad S. Benedicti vixiſſe regulam. Atq; hinc ſocii, atq; conſortes illarum congregationum uſq; ad Archiepiſcopi Unvvani tempora, qui primus eis obſervationem regulæ monaſticæ remiſit, fratres plerumq; vocantur.* Verùm non bene inſtitutum veterum Canonicorum perluſtraſſe Lambecius videtur, alioquin indubiè aliter ſcripſiſſet, neque ideò è Canonicis monachos feciſſet, quòd *ſecundùm regulam monaſticam* eos vixiſſe legerit, quæ Canonicos neutiquam trajecit ad ſtatum monachorum.

Nos quidem hac de re multa in Exegeſi noſtra tractavimus, & hunc ipſum Adami Bremenſis locum ſolidè explanavimus, diximus quoque jam aliqua, ubi de Bremenſi Eccleſia egimus, aſt quia Lectori ſervire aliquantum ad commodum cupimus, nè hinc inde diverſa confuſè pervolvere cogatur, huic Lambecii opinioni reſpondendum ſequentibûs cenſemus.

Itaque, ut jam aliàs diximus, confirmamus explicata Adami Bremenſis verba, nullatenùs nempè ipſum, dum ſcripſerat S. *Anſcharium, duplicem congregationem unam Hamburgi translatam poſt barbaricam incurſionem ad Ramſolas, alteram Bremis habuiſſe* (nullatenùs inquam ipſum intellexiſſe, quod vult Lambecius, utramque hanc congregationem ſolorum Monachorum fuiſſe S. Benedicti, aut inſtar monachorum Corbejenſium vixiſſe, ſi per utramque hanc Congregationem tam Bremæ quàm Hamburgi Cathedralem ſupponit. Imprimis enim, ut de Bremenſi hîc nil recoquamus, Hamburgenſi, ùt dictum, præfectus eſt omnium primò *Heridagus*, hujus mentionem, dum & Adamus Bremenſis & Helmoldus & Kranzius facit, nullúsque eorum aliter niſi ſimpliciter Presbyterum nuncupat, certiſſimum eſt, eundem verum Clericum, non monachum fuiſſe: tum enim temporis, qui ex monachis

presbyterio inſigniti erant, paſſim gemino hoc nomine notabantur, ut exempla apud Dacherium manifeſta proſtant. Neque deſunt pro genuino *Heridagi*, ac præcipuè ejusdem congregationis clericatu alia argumenta; legimus enim in vita S. *Anſcharii* à Remberto Rhemenſi conſcripta: *Amalharium* Epiſcopum hanc Eccleſiam primùm conſecrâſſe, *Amalharius* verò iſte alius eſſe non potuit, niſi tunc præſidens Trevirenſi Eccleſiæ, ut in additionibus Chronici Hamburg. apud Lambecium legimus: dum inquit: *in eo conſecrationis Eccleſiæ actu vicinus aliquis Epiſcopus jus aliquod in novam iſtam Hamburgenſem Eccleſiam ſibi arrogabat, ſed ut eatanquam peculiaris Archiepiſcopatûs, poſtea ibi inſtituendi ſedes, libera permaneret, hac potiſſimùm de cauſa Imperator* Amalarium *Epiſcopum Trevirenſem ex longè diſſita regione, nempè ex Germania Ciſrhenana antiqua, Galliæ Belgicæ parte, Hamburgum revocavit*. Quæri verò hic poteſt, unde *Carolus Heridagum* acceperit? crediderim ego *Heridagum* non alium fuiſſe niſi *Amalarii* Clericum optimè tunc in Cathedrali Eccleſia Trevirenſi inſtitutum, omnia enim ad hoc aſſertum convenire videntur: Amalarii ipſius credita commendatio, cui ſcilicèt ſub ſuo ſinu educati chariores fuerint, ut *Carolo* commendarentur; notitiâ etiam virtutis erant potiores, ut accommodarentur, ita haud dubiè præ reliquis iſtos Evangelicæ prædicationi enutritos laboraverit promovere: dein ipſius tum Eccleſiæ Trevirenſis ſub Chorepiſcopo *Thegano* optima inſtitutio atque diſciplina; præterea, illo tempore non adeo in his Galliæ partibus floreus regularis Monachorum obſervantia, quam usque ad ſupremum vitæ ſuæ, quantùm ſuſpicaverit Princeps Sanctiſſimus *Carolus*, patet ex diverſis Capitularibus ad initium ſæculi noni ſuo juſſu vulgatis; denique exemplum ipſum paulò antè è monaſterienſi Eccleſia elucens, quod clarè oſtendit *Ludgerus*, Clericos non monachos Eccleſiis Cathedralibus inducendos eſſe. Quodſi tamen minùs arrideat hæc opinio *Heridagum* Canonicum Trevirenſem adſtruens, poterat idem ex aliis vicinis Clericorum in Saxonia jam florentibus monaſteriis, aut collegiis accerſiri: *Ludgerum* novimus, dum annô 809. obiit, quos in monaſterienſi ſua Cathedrali præclariſſimos viros canonicos veros, ac genuinos reliquerit, prout inferius adhuc ampliùs videbimus. Certè ut monachatum *Heridago* omnimodis abnegem, & illud eſt, tunc in Saxonia vix monachilis inſtituti quidpiam comparuiſſe, ſi ad ſummum nuper exſtructum Ludgerianum, ſeu Werthinenſe monaſterium excipias; quod, quam immaturum tum adhuc fuerit ad viros apoſtolicos emittendos, ſatis oſtendit annus 822. quo Corbejæ novæ jacta ſunt fundamenta, de cujus origine Auctor libelli translat. S. Viti; apud Meibomium ſic ſcribit: *Factum eſt autem eodem tempore, ut ſereniſſimus Imperator Ludovvicus haberet placitum in Saxonia, in loco, qui dicitur Patherbrunna, in ſecundo anno regni ſui, Incarnationis verò Domini octingenteſimo decimo quinto.* (Igitur intelligendus Auctor de prima fundatione facta in loco, qui dicitur *Hetti*, ſed non proficientibus in hoc, alterum elegerunt Corbejam nuncupantes, cujus exſtructio facta eſt anno præfinito 822.) *tunc acceſſit præfatus Abba* (Adalhardus nimirum ſecundus veteris Corbejæ revocatus jam ab exilio) *ad eum, & locutus eſt ei, cum conſilio ſuadens, ut ad profectum Chriſtianæ Religionis, in eadem provincia Monaſterium monachorum conſtruere juberet*. Scire autem cupimus, unde *Adalhardo* animo inſederit,

derit, *Ludovico* ſuadere, ut in Saxonia Monaſterium monachorum conſtruere juberet: en ejuſdem auctoris verba de *Carolo* Magno loquentis: *Quùm autem*, inquit, *requiem præſtitiſſet ei Dominus à compluribus inimicis ſuis, convocavit omnes, qui ſub ditione ſua erant, Majores, Sacerdotes, & Principes, atq; ſtudioſiſſimè quæſivit, quomodò veram fidem, veramq; religionem in univerſo Regno ſuo firmaret &c. ſed cùm omnem ordinem Eccleſiaſticum in illa regione tradidiſſet, qualiter ibidem monaſticam religionem inſtituere potuiſſet, invenire nequivit:* & poſt aliqua, cùm narraſſet *Adalhardum* Abbatem Corbejæ veteris inter primores palatii & Conſiliarios *Caroli* locatum hanc intentionem Regis ad effectum deducere conatum fuiſſe, non tamen eò id vivente potuiſſe perficere, ſubjungit, hinc demum Adalhardum alterum hoc tamdiu dilatum expediviſſe negotium, ut
pag. eadem ſuprà diximus. Ex quo teſtimonio patet imprimis evidenter, qui ſtatus tempore *Caroli* in Saxonia fuerit Monachorum: deinde & alterum, nimirum à *Carolo omnem ordinem Eccleſiaſticum* in illa regione traditum fuiſſe, at monaſticam religionem omninò deſideratam. Ergò jam extra dubium eſt, ſi etiam ad plenum deficientibus dudum teſtimoniis, *Heridagum* è monachis vindicare non poſſumus, poterimus tamen totum cœtum Eccleſiaſticum primitùs ſub Heridago Hamburgi conſtitutum, quia ex Authore laudato de translatione S. Viti ſcribente habemus, tempore *Caroli* omnem ordinem Eccleſiaſticum ab hoc in Saxonia *traditum*, id eſt, *diſpoſitum fuiſſe*, at neutiquam monaſticam religionem, quippe quam idem princeps qualiter ibidem inſtituere potuiſſet, invenire nequivit, Patet quoque Wertinenſe monaſterium quàm egenè, quàmque ſolitariè ſubſtiterit, cùm ejuſdem ne meminerit quidem aut *Carolus*, aut *Ludovicus*, aut *Adalhardus*, ad Coloniam aliquam, in novam Corbejam inde transferendam.

Igitur Clericalis aggregatio primùm per *Heridagum*, eò verò decedente per laudatos Epiſcopos *Willericum* Bremenſem & *Helingaudum* Verdenſem ordinata, ac ſtabilita duravit usque ad *S. Anſcharii* tempora, Hamburgenſis Eccleſiæ gubernium cum jure Archiepiſcopali annô 833. juxtà Lambecii chronologiam, ſuſcipientis; hic verò ſanctus Præſul aſſumptus eſt ex Corbeja Nova, quam annis abhinc decem incoluerat, cum aliquanta Colonia ex veteri miſſus annô 823. erat ille, omni dubitatione remotâ, *S. Benedicti* monachus, nec minùs ipſe *Aubertus* ab Anſchario in opus Evangelicæ prædicationis ſecum aſſumptus, atque hos duos egregios viros, ac monachos Cathedralem Eccleſiam Hammaburgenſem primùm omnium occupantes dico tamen neutiquam monachicam, ſed Clericalem Congregationem ibidem coadunaſſe; Ratio in promptu eſt: *Anſcharius* ex nova Corbeja aſſumptus non alium ſibi conſodalem niſi ſolum Aubertum obtinuit, atque hunc non tunc, cùm Archipræſul ſalutaretur, ſed cùm ex Corbeja ad opus Evangelicum perficiendum eſt avocatus, annô nimirum 828. ſeu duobus & medio, ut in vita S. Anſcharii legitur, ante conſtitutum Archipræſulatum Hamburgenſem annô 831. quod ineluctabiliter Lambecius demonſtrat: at Auberto per infirmitatem Corbejam reducto, ibidémque defuncto, ejus vices alii duo ſupplevêre monachi, *Witmarus & Giſlemarus* tunc, dum novum Apoſtolatum ſuſciperet *Anſcharius* in Sueciam. Demùm ubi vir ſanctiſſimus ex ordinatione *Ludovici* Imperatoris ſede Archiepiſcopali inauguratus eſt, nullum monacho-

cho-

chorum ſecum habuiſſe legitur, niſi hos ſibi in Sueciam eunti geminos adjunctos ſocios. Certè hi congregationem Cathedralis Eccleſiæ ſoli conſtituere non poterant, unde ergò accerſiti alii? non ex Corbeja, quod Rembertus vitæ Auctor nunquam tacuiſſet, ergò dicendum reliquos congregationem conſtituentes jam aliundè illic reſediſſe, eosque Clericos, ùt notavimus. Hinc ubi excidium ſecundum ſub *Anſchario* annô 845. juxtà Lambecium contigit, diſperſi dicuntur ſacri incolæ Cathedralis Eccleſiæ, neutiquam autem monachi nominati, ſed *Clerici*, *ipſe*, inquit Rembertus, *id eſt*, *S. Anſcharius cum Clericis ſuis huc illùcque fugâ diſperſis etiam ſine cappa ſua vix evaſit.* Atque hi Clerici tam genuini fuêrunt, & ab omni monachatu ſtrictè ſumpto alieni, quàm certum eſt, ſæculo nono, nullum monachum niſi ad Clericalem ac Canonicam vitam translatum fieri potuiſſe membrum Eccleſiæ Cathedralis, prout id jam aliquandò ex fundatione Eccleſiæ Magdeburgenſis oſtendimus, & ultrò, dum de ea agetur, oſtendemus.

Primum excidium factum an. 810. exin. an. 811. à Carolo M. Eccleſia exſtructa & Heridago tradita eſt.

Cæterùm cùm religioſi monachi, qualis hic ipſe Anſcharius fuerat, ad inſulam promoverentur, concedebatur eis plerúmque à Principibus quædam ſeparata cella exſtruenda, qualem huic ſancto viro in ejus vita legimus *Turnholtum* ac poſtmodùm *Ramſolam* fuiſſe, atque has cellas, nulli obſiſtimus, quamvìs ab exordio Hamburgenſi Eccleſiæ in ſubſidium Dotationis datas, ipsíſque Clericis conceſſas (quod præcipuè de Ramſola factum, ex Bulla *Nicolai I.* diſcimus) poſtmodùm tamen monachos incoluiſſe.

Hæc de Hamburgenſi Eccleſia aliquantò prolixiùs enodare oportuit, ut quemadmodùm aliàs, ſic & in iſta luculenter origini ejus clericalem ac Canonicam vitam ibidem floreſcentem, diutiúsque perdurantem adjudicandam habeamus. Diutiùs, inquam, etſi tempus, quo fortâſſe in ſæcularem deſcivit, antequam Heterodoxorum juri cedens in principatum mutaretur, decerni non poſſit; eò quòd graviſſimis frequentiùs ſubacta excidiis, annô quoque milleſimô ſeptuageſimô ſecundô bis à paganis incenſa tota Hamburgenſi urbe ipſa quoque Eccleſia ad extremas incitas redigeretur. Neque facilè ab illo tempore documenta ſuppetunt, ex quibus ſtatus, ac conditio Cleri Hamburgenſis Cathedralis dignoſci poſſit, ſi ad ſummum Helmoldi Cap. 82. excipias, ex quo fortè aliquid propugnari poſſet, cùm Falderenſes Canonici Regulares obeunte *Vicelino* ſe ſe tranſtulerint ad Hammenburgenſem Eccleſiam. Porrò quia necdum ſatìs edoctus ſum, an hæc translatio fuerit quædam unio cum Cathedrali Hamburgenſi, an potiùs ſubmiſſio tanquam totius Archidiœceſis Capiti, ex hoc uno inferre non datur, annô 1154. quo hæc facta ſunt, Hamburgenſem ideo regularem fuiſſe. Quodſi tamen intereà ſub manus quædam occurrerint, quibus ad ulteriora tempora regularitatem hujus ſubſtitiſſe liceat comprobare, ut notatu digniſſimam ejusdem hiſtoriam ultrò in ipſo opere hac quoque occaſione extendamus, nulli labori parcemus.

Lambecius rerum Hamburg. L. 1. & 2. paſſim, item vita S. Anſcharii apud eundem. & in Act. SS. ad 3. Febr. Adam. Bremenſ. hiſt. Eccleſ. præcipuè L. 3. Helmold. Chron. Sclav. L. L. c. 3. 4. & 5. & 82.

Hammerslebenſe S. Pancratii. Præpoſitura, nunc Prioratus Windeſemenſis. *Fund. an. 1112. Floret.*

Tan-

Tandem inter aſpera hæreticarum veprium ſenticeta reperire licet, ex tot ſuffocatis ſacri ordinis noſtri in religioſiſſima olim, & huic inſtituto affectiſſima Saxonia Collegiis hodiedum florens percelebre Aſceterium; hoc ipſum nempè, quod intitulavimus *Hammerslebianum*; eò quidem perpetuò præconiò dignius, quo fundatione antiquius, & tot inter ſubverſionis pericula ſubſiſtentiâ ſuâ glorioſius, de quo tamen quantocúnque etiam deſideriò geſtiamus proferre ampliſſima, notâ cunctatione prohibiti, ea ſolùm tum iſthic, tum ipſo in opere prodemus, quæ ex diverſorum ſcriptorum editis venari licuit.

Itáque fundatum eſt Hammerslebium à Piiſſimo Halberſtadenſi Epiſcopo *Reinhardo de Blanckenberg*, qui aliquando Pariſiis commorans, contractâ cum Canonicis *S. Victoris* ibidem amicitiâ, tanto affectu in eorum inſtitutum exarſit, ut cùm primùm Epiſcopali Halberſtadenſi ſedi præficeretur, de introducendo Canonicorum Regularium ordine ſuam in Diœceſim cogitaret. An verò *Reinhardus* ipſe Canonicum inſtitutum Pariſiis aſſumpſerit, necdum ſatis firmatus ſum, ut aſſeram. Id certum, non exigua argumenta proſtare, quibus Leuckfeldius perſuaſus omninò ſcripſerat, ordinem hunc fuiſſe ingreſſum *Reinhardum*. Porrò quo tempore Hammerslebium fundatum ſit, ex litteris ipſius Reinhardi diſcimus, quas an. 1108. edidit, Eccleſiam in Oſterwick (quæ ad hoc uſque tempus Clericos aut omninò votis liberos, aut certè necdum ſecundùm recentiſſimè efflorentem per Galliam, Germaniámque Auguſtinianam reformationem viventes habuit) ad regulam hanc, normámque vivendi reducens, unde dilertè, dum Oſterwickenſem Eccleſiam novis prædiis, ac bonis donat: *Hoc autem*, inquit, *ecce coram Deo facimus ea conditione, ut Canonici in eodem loco Deo militantes ſub regula S. Auguſtini Canonicè, ac religioſè vivant, & omnia, quæ in eadem regula ſcripta, & inſtituta ſunt, quantùm Dominus dederit, diligenter, & omni contradictione remota adimplere ſtudeant.* Hunc locum eum ipſum eſſe, jam ſuperiùs obſervavimus, qui primitùs, ut Epiſcopali ſede decoraretur, electus eſt à *Carolo* Magno, ſed hac (annitente primo Epiſcopo *Hildegrimo*) per *Ludovicum Caroli* ſucceſſorem in Imperio, Halberſtadii firmatâ, Oſterwickum commune permanſit Collegium Clericorum. Quamvis verò cum virtute, tum neceſſariis vitæ ſubſidiis in dies augmentaretur *Oſterwickenſe* hoc neoinſtitutum *Collegium*, factum tamen, ut vix effluentibus quinque annis ad preces Thietburgis Nobilis Matronæ eximiæ pro hac ſua intentione promovenda benefactricis Metropolitanæ Eccleſiæ Halberſtadenſi tota inde congregatio transponeretur. Ipſa enim, cùm omnia bona ſua *S. Stephano* primariæ Eccleſiæ Patrono hac conditione transſcriberet, ut id vitæ inſtitutum, quod Canonici in *Oſterwick* ſanctè agebant, in *Hamersleven* (conditô iſthic cœnobiô) induceret, *Reinhardus* liberalitatem *Theutburgis* concurrente cum filia *Mathilde*, cum hujus Marito *Friderico* de Somerſchenburg Saxoniæ Palatino gratanter ſuſcipiens, ipſos Canonicos ex Oſterwick Hammerslevium tranſtulit, datâ deſuper annô 1112. confirmationis Chartâ, in qua, miſſis pro nunc amplioribûs, hæc notanda ad rem noſtram occurrunt de *Thietburge* Canonicum inſtitutum ſuſcipiente, & de tranſlatione Monaſterii ex Oſterwick Hammerslevium: *Quadam*, inquit *Reinhardus*, *Matrona nomine Thietburgis Religionis habitum profeſſa pro ſalute*

In Antiq. Halberſt.

ſalute animæ ſuæ, & parentum ſuorum, Mathilda filia ſua, B. Stephano in Halberſtad ſub hac conditione ſe tradituram promiſit, ſi - - - - - vitam, quam in Oſtervvick inchoaveramus, in villam, quæ dicitur Hamersleb transferremus. Cujus ſalubre votum, ut oportuit, intendentes, nec minùs incommoditates forenſium cauſarum, quæ in Oſtervvick præfatam vitam plurimùm inquietare poterant, declinare cupientes, acceptô fidelium Eccleſiæ noſtræ conſiliô cum præmemoratæ perſona datis jam ſuis, ut promiſerat prædiis, pacti præfiniti ſententiam confirmavimus, & fratres, quos in Oſtervvick Deo ſervire diſpoſueramus, nunc mutatâ vivendi regulâ in Hammersleve transtulimus. Hæc *Reinhardus*. Porrò beneficentiam Matris filia *Mathildis* imitata, non minùs cum cnnſenſu filii ſui *Widdeckindi* ſuperaddidiſſe complura prædia, in iisdem *Reinhardi* litteris legitur: ita quidem, ut à quibusdam ideò fundatrix Hammerslevienſis Cœnobii aſſeratur, qui honnr fnrtaſſe ideò in filiam à Matre tranſire potuit, quòd *Mathildis* ſepulchrum hodiedum conſpicuum in Eccleſia Hamerslevienſi cernatur, *Theutburga* tam die emortuali, quàm loco ſepulturæ incognitn. Aviam in ſanctitate vitæ amplectenda ſecutus eſt ex filia Nepos *Wideckindus*, Cannnicum & ipſe inſtitutum Hammerslevii amplectens; cujus, ac Theutburgæ laudabilem converſatinnem ſi HammerlevienſesCanonici (ſuppetentibus antiquis monumentis) nnrint, nobisque communicaverint, impigro labnre operi noſtrn inſerendam curabimus.

Confirmavit hanc nobilem fundationem annô 1116. *Paſchalis II.* benedixit quoque ipſi Cœnobio multiplici fœnnre divina Clementia, ac præter alios eximins viros, quos ipſum recepit, aluítque, dignum habitum eſt, ut ſuo quoque ſinu exciperet, primisque religioſæ vitæ fundamentis muniret Magnum illum, totoque orbe hodiedum celeberrimum *Hugonem* à ſanctô Victore, ſic dictum, quòd Hamersleviô Pariſios translatus, in Victorino cœnnbio reliquum vitæ Spatium Canonicus transigeret.

Quæri hic plerumque ſnlet de *Hugonis* Patria, quam quæſtionem multi viri dnctiſſimi dignam ſuis commentariis cenſuêre, quibusdam *Hugonem* Gallum, aliis Germanum, & quidem Saxonem cnmprnbantibus. Id enim plurimùm referre ad orbis litterarii gloriam dudum dncti, ac eruditi crediderunt, ſi ſcientia, virtuteque clarns ſuos gentiles demonſtrare pnſſent, pro qun hnnnre, ſi ulli, certè Galli decertant. Nos in quam ſententiam firminribus argumentis perſuaſi propendeamus, tum prodemus, cùm vitam Hugnnis ipſo in opere dabimus.

Iſtud autem Hammerslevienſe cœnobium ob laudabilem diſciplinæ obſervantiam tantam ſibi undique laudem, gloriámque accivit, ut octo Cannnicnrum mnnaſteria cum eodem quoddam vinculum ſocietatis inirent, quô arctiùs, ac ſanctiùs in regulari vita cnnſervarentur, & adversùm immndicas ſæcularium hominum inſidias cuſtodirentur. útque hæc unio eò ſolidiùs perennaret, cnnfirmationem illius ab ipſo ſummo Pnntifice *Honorio* obtinuêre, quæ privilegii Charta *Thietmaro* Præpoſito Hammerslevienſi immediatè transmiſſa eſt, in eo *Honorius* Clauſtrum *Hammerslevenſe*, Clauſtrum *S. Joannis Bap. in Halberſtad*, Clauſtrum *S. Laurentii in Seeninge*, Clauſtrum *Caldenburnen*, Clauſtrum *Richenberg*, Clauſtrum *S. Georgii in Berck*, Clauſtrum *Becigeroth*, Clauſtrum *Amensleve* &c. tutela & protectione Sedis Apoſtolicæ communit, ſtatuens, ut *Religioſus Ordo ſecundùm Deum & Sanctos Apoſtolos & B. Auguſtini regulam in eis-*

dem

dem Clauſtris inſtitutus & ſacra inſtitutiones ab ipſis ad religionis obſervantiam ſtabilita futuris perpetuò temporibus inviolabiliter obſerventur &c.

Exin hanc ipſam unionem an. 1138. ampliùs ſtabilivit *Innocentius II.* præcipuè ordinans, ut Præpoſiti horum Monaſteriorum (ſeu ùt ab ipſo dicuntur) Congregationum in exaltatione S. *Crucis* conveniant ſingulis annis, ut, ſi quid inibi de ordine corrigendum, communi conſilio ibidem auxiliante Domino ſtatuatur. Relinquitur verò ipſis convenientibus liberum, quem eligere in Caput hujus Congregationis vellent, qui poſtmodùm eosdem ad annuum hunc Conventum celebrandum convocandi jus habeat. Exſtant prætereà complura diplomata, quibus Hammerslevienſi monaſterio gratiæ, bona, ac privilegia conceduntur.

Deniq̀ue, quò ſibi hoc inclytum Cœnobium eximiam laudem conciliavit, eſt, quòd inter graviſſimos ab hæreticis, his præcipuè in partibus, cauſatos motus, atq̀ue turbines, illud, Deo indubiè intemeratam Canonicorum fidem, ac inviolatam regularem diſciplinam tuente, feliciſſimè ad quietiorem portum reſtitutæ, ſuò modò, pacis emerſerit, & hac noſtra adhuc ætate eximiè tanquam membrum Congregationis Windeſemenſis jam olim aſſumptum, utpote Catalogo ſecundo Chronici Buſchiani inſertum, floreat. Quod nunquam fermè majori ſubverſionis periculo, quàm annò 1719. expoſitum fuiſſe videtur, cùm enim Elector Palatinus *Carolus Philippus* Princeps fidei Catholicæ tutandæ non minùs, quàm propagandæ Zeloſiſſimus Catechiſmum Heidelbergenſem, graviſſimè Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium calumniantem, inſuperq̀ue Electoris privilegiò gloriantem, confiſcari fineret, paulò etiam poſt *Eccleſiam S. Spiritûs* Heidelbergæ à proteſtantibus uſurpatam Catholicis reſtitueret, Rex Bruſſiæ non ſolùm, viâ facti, nec exſpectata *ab Auguſtiſſimo* decretâ inquiſitionis morâ Mindæ Eccleſiam Catholicis eripuit, verùm etiam Halberſtadii præter alia duo monaſteria hoc quoq̀ue Hammerslevienſe intercluſit, omnesq̀ue ejusdem proventus ſequeſtravit, durante hac ſeveriſſima in viros innocuos executione plus integrò luſtrò: cùm demum Auguſtiſſimus Imperator pro innato ſuo in avitam religionem catholicam fervore, ac amore publicò edictò id effecerat, ut religioſi Hammerslevienſes ſuo modo relaxarentur. An verò bona à Rege Bruſſiæ ſequeſtrata ex integro reſtituta ſint, necdum nobis compertum eſt: nam, ùt ſæpiùs jam cauſati ſumus, illiberalis documentorum Windeſemenſium nobis facta denegatio, nihil omnino, quæ recentiora ſunt, experiri de hujus Congregationis Monaſteriis admittit.

Exiſtit Hammerslevienſe hoc Cœnobium propè Halberſtadium. Leuckfeld. in ſuis Antiqv. Halberſtad. p. 175. & ſeq. item in diplom. pag. 700. & ſeq. idem in Antiqv. Kaltenbornenſ. p. 83. & 85. Chronicon Halberſtad. apud Leibnit. t. 2. p. 130. Chronicon Riddagshuſenſe apud Meibomium t. 3. p. 352. Chronicon Marienthalenſe. ibid. p. 254. Meibom. Jun. in Diſſertat. de Hug. Victor. Patria. t. 3. p. 431.

Haſſenfeldenſe aliàs quoq̀ue Hertzfeldenſe aùt Haſſefeldenſe. Præpoſitura. *Fundat. ſæc. decimo exſtinctum.* Diſtincta omnino ab *Hirsfeldenſi*, quæ ſub Benedictino inſtituto Bursfeldenſi Congregationi unita, nunc ſub manibus Hæreticorum exiſtit. Hanc verò Haſſenfeldenſem Abbatiam à tribus fra-

fratribus fundatam ſcribit Wolterus, *Dudone*, *Adekone* & *Ricberto* annô Domini 1142. verùm Bucelinus originem ejus innectit ſæculo 10. & quidem temporibus *Joannis* Decimi quinti Papæ (qui Eccleſiæ Romanæ profuit ab annô 985. ad annum 996. in hanc Eccleſiam inductos fuiſſe Clericos ſeu Canonicos, qui ſecundùm regulam Bremenſis Eccleſiæ vixerant, ex Alberto Stadenſi colligitur.

Porrò idem Bucelinus ait à ſucceſſoribus prædictorum fratrum Marchionum Stadienſium mutatam fuiſſe in Abbatiam Ordinis S. Benedicti (quæ omnia à Leuckfeldio annotantur) idque annô 1101. Idem tamen Bucelinus aſſerit Clericos illos non *regulares*, ſed *ſæculares* fuiſſe, at nos principiis noſtris inhærentes, ac præcipuè temporis illius, quo Haſſenfeldium fundatum eſt, attendentes mores tum in Eccleſia Bremenſi, tum Rippesholti Canonicorum ſecundùm regulam ordinatiſſimè viventium, aliud aſſerere non poſſumus, niſi hos ipſos Haſſenfeldenſes Canonicos regulares fuiſſe.

Nunc hæc Abbatia Regi Succiæ ſubdita, ac Catholicis erepta eſt.

Bucelinus Germ. ſacr. Part. 2. p. 188. Albertus Stad. Chron. p. 272. Wolter. Chron. edit. Meibom. tom. 2. p. 50. Leuckfeld.

Fundat ſæculo fortè decimo. exſtinct.

Havelbergenſis S. Mariæ Cathedralis. Necdum certò indagare potuimus, quo tempore primùm Eccleſia hæc ſuam originem ſit adepta, minùs, quæ inſtituti ratio primitùs in ea fuerit obſervata, an ſolùm ad normam Oratorii uni, alterive regionario Sacerdoti in ſubſidium ſuæ prædicationis Evangelicæ deſerviêrit, an junctô monaſteriô jam ab exordio ſui ſocietatem aliquam in ſinu ſuo foverit Clericalem. Eſt nobis ad manus Catalogus Havelbergenſium Epiſcoporum ab anno 946. ad annum 1548. id eſt, uſque ad ultimum Epiſcopum Catholicum Buſſonem dictum, reliquos enim Lutheri ſectæ addictos, quos hujus Catalogi Auctor haud dubiè Heterodoxus uſque ad *Joannem Fridericum* Marchionem Brandeburgicum enarrat, quia noſtri non ſunt, nec computamus quidem. Porrò hic Auctor Epiſcopatum fundatum ait annô 946. ab *Ottone* Primo, cui conſentit Chronicon Magdeburgenſe apud Meibomium. Tum verò inductos cum Oudone primo Epiſcopo Canonicos votivos fuiſſe, ratio æqualitatis perſuadet aliorum tunc Exſtructorum Epiſcopatuum, accedente prætereà causâ alterâ, tum quòd illo tempore maximè à Cathedralibus Eccleſiis arcerentur monachi, ùt patet hoc eodem tempore in Eccleſia Magdeburgenſi, de qua Chronicon antiquiſſimum Saxonicum apud Browerum diſertè teſtatur, cùm in Eccleſiam Cathedralem elevaretur, monachos, eam antea incolentes, Canonicis pleno jure ceſſiſſe, aſſignatô illis templô S. Joannis in monte: tum, quòd ſtante certitudine inducti in eam Clericalis inſtituti, ùt diximus, aliud eſſe nequiêrit, niſi quod Principes, Reges, Epiſcopi, ac quique Eccleſiæ proceres in Clero maximè inducere tunc quæſierant, nimirum ſaltem ſub votis ſimplicibus regulare.

Idem Author adducit verſus quoſdam veteres, quibûs diſcimus à S. *Norberto* Clerum Havelbergenſem fuiſſe ad arctiorem reformationem reductum, totúmque Capitulum Cathedrale aſſumpſiſſe normam à S. *Norberto* ſuis Canonicis traditam; ſic enim inter alia:

Havel-

Havelbergenſis urbs nobilis & ſacra gaude!
Pro Donis variis divina fungere laude &c.
Te Rex convertit *Carolus*, & magnificavit,
Otto fundavit, dotavit, Pontificavit.
Sanctus *Northvvertus* te fecit Religioſam.
Albis veſtitam tanquam Sponſam ſpecioſam. &c.

Hi Rythmi etſi peculiarem vetuſtatem non præſeferant, videntur tamen intimare vetuſtius quoddam documentum, quo Author horum Rythmorum uſus eſt.

Norbertinam inſtitutionem adhuc ſæculi decimi ſexti initiô in hac metropolitana Eccleſia viguiſſe, non obſcurè colligitur ex litteris ab Epiſcopis, Præpoſitis, & Prioribus, confectis, ſic annô 1505. *Joannes* cum conventu, ſeu Capitulo Metropolitano donavit ſenatui, & ſacelli Mariani Antiſtitibus quasdam tabernas in area templi primarii ſitas; litteræ donationis legendos dant *Joannem* Epiſcopum Eccleſiæ Havelbergenſis, Præpoſitum *Chriſtianum:* Priorem *Joannem*, ſeniorem & in communi Dominos Capituli Eccleſiæ Havelbergenſis. Priorem nominant litteræ, quòd Sæcularibus Cathedralibus tum inſolitum, ſolis Religioſis ac præcipuè Præmonſtratenſibus in uſu erat.

Crediderim verò probabiliùs unácum fide Catholica præmonſtratenſem quoque inſtitutionem annô circiter 1548. è Cathedrali Havelbergenſi emigrâſſe.

Cæterùm non incongruum quamvis aliquantò jam ab inſtituto noſtro remotius foret, meminiſſe Miraculoſi Sacramenti SSmi Corporis Dominici annô 1283. comparentis Vilſenaci in oppido Diæceſis Havelbergenſis: idque maximè ad impudentiſſimam audaciam, & malevolam calumniam redarguendam noti illius præſtigiatoris Matthæi Ludeci Lutherani, qui non ſolùm auſus eſt totam hanc hiſtoriam, quamvis à viris doctiſſimis apprimè examinatam, & ab ipſis ſummis Pontificibus approbatam inter commenta, & ſuperſtitiones cenſere, verùm etiam ſacrarum hoſtiarum deſtructionem, ac ſacrilegam annihilationem approbare, & libellô editô defendere. At, quia id commodiùs nos facturos in ipſo opere ſperamus, hoc labore iſthic intereà ſuperſedendum exiſtimavimus.

Ludewig. Reliq. M. SS. tom. 8. à p. 263. Chron. Magdeb. apud Meibom. t. 2. pag. 271. Chron. Citiz. edit. Piſt. t. 1. p. 1123. Brower. Annal. Trevir. t. 1. p. 474.

Heilingenſtadienſe S. Martini Præpoſitura. In hanc à ſui fundatione Canonicos inductos fuiſſe malo cum pleriſque melioris notæ hiſtoricis aſſerere, quàm cum aliis, partium ſtudio, nec veritati innixis certare pro Monachis: à *Dagoberto* hujus loci Monaſterium principale & quidem primitùs in honorem *SS. Aurei & ſociorum* fuiſſe fundatum traditur: à *Dagoberto*, inquam, Primô, an ſecundô, nec Papebrochius decernit, nec ego me judicem ſiſto, at id ſæculi ſeptimi fortè primis luſtris factum credibile eſt. *Fund. Sæc. 7. Sæcular.*

Vixêre in hoc cœnobio Canonici *monaſterialiter*, id eſt, *votivè*, ſaltem adusque ſæculum decimum tertium certè annô 1022. hanc normam vivendi innuit in ſuo Diplomate *Henricus* Sanctus Imperator, dum quædam tribuens huic Eccleſiæ bona, inter alia ſcri-

 bit:

bit: ſe *pro remedio animæ ſuæ, atq; Parentum ſuorum, nec non pro interventu Dilectiſſimæ Contectricis ſuæ Chunigundæ videlicet Imperatricis Auguſtæ, atq; Aribonis Moguntiacenſis Eccleſiæ Venerabilis Epiſcopi, cuidam ejus monaſterio Heilingenſtad dicto, ubi pretioſa Martyrum Aurei atq; Juſtini corpora requieſcunt, ad uſum Fratrum ibidem Deo ſervientium manſum unum & duo curtilia &c.* conceſſiſſe. *Monaſterium* ergò & *Fratres Deo ſervientes* iſthìc nominati ſatìs indicant communem inibi, ac Apoſtolicam adhuc Canonicorum vitam viguiſſe, quâ tamen dein exſtinctâ, ſaltem honoratum in hac Eccleſia Martyrum Patrocinium id effeciſſe videtur, ut noſtra ætate inter graſſantes undique hæreticos, illa cum tota civitate fidelis adhuc Romanæ Eccleſiæ filia perſiſtat.

Eſſent plura in hujus deſcriptione Eccleſiæ examinanda, ſed quia pauciſſima documenta ad rem noſtram facientia ſuppetunt, etiam remotiora dimittimus. Exiſtit in Eisfeldia. Acta SS. ad diem 16. Junii.

Fundat. an 1000. Floret.

Heiningenſe SS. Petri & Pauli. Prioratus.

Annô Chriſti milleſimô initium ſuum habuiſſe refertur ab Heineccio ex Leznero, fundatum illud ab *Hildesvvinda Alfredi* Regis filia an Conjuge, ſub judice eſt. Opulentiſſima dote munitum à Fundatrice, privilegiis etiam ampliſſimis donatum fuiſſe Leznerus tradit, eò quidem, ut Abbatiſſa monetæ cudendæ prærogativam haberet. Sæcularibus Virginibus primitùs conceſſam Heineccius aſtruit, ſed ſine teſte: niſi ſæculares ideò dicas, quòd aliquantò liberiùs viverent ſub Aquisgranenſi, & ea paupertate (qua monachæ) non vincirentur. Sæculares fœminas, id eſt, ſine omni voto novimus nulla fundatione, nulla Eccleſiæ authoritate parthenones invaſiſſe. Hinc *Bonifacius* Octavus (cui quaſi è ſummis Pontificibus primo videtur Sanctimonialium (nomine non re) talium genus quodam velut fundationis titulo innotuiſſe) hinc inquam, *Bonifacius* 8vus de quodam quaſi noviter apparente monſtro admirans diſertè in Capitulo *Indemnitatibus*: proteſtatur, *ſe talium perſonarum ſtatum, ordinem, ac regulam non intendere approbare*, ſicut ergò Principum monaſteria fundantium, mores, intentioque longè aberat ab iis, quos quidam ſubſequi induerant, quippè quòd illi non intenderent, quærerèntque per fundationes ſuas aliud, niſi cultum Dei & eximiam hominum, monaſteria ingredientium ſanctitatem: ſic nè dubitari quidem poteſt, Parthenones Canonicos ideò ab ipſis conditos fuiſſe, ut, cùm nôſſent ſequioris quoque ſexûs oportere eſſe tum ſeverioris tum liberioris, neutiquam autem omni votiva vita exuti inſtituti cœnobia, ſuppeditarent teneriores complexionis virginibus Deo votivè ſerviendi occaſionem, imò conſervarent antiquiſſimum canonicâ normâ vivendi morem in Virginibus, ſicut eundem piiſſimè ſemper foverunt in viris.

Quamvis igitur diplomata fundationum à Leznero citata, ſed non prodita, nobis quoque deſint, cenſeo tamen indubitatè regulariter viventibus Virginibus Canonicis *Heiningenſe* Cœnobium fuiſſe conceſſum, Refert exinde Heineccius adeò gravia damna hunc Parthenonem fuiſſe perpeſſum, ut penè ad incitas redigeretur, at Aſſeburgiorum Comitum munificentiâ tanto fœnore reſtitutum, ut in priſtinam dignitatem evectum, hodiedum & opibus & fortuna excelſè floreat. An in priſtinam dignitatem plenè redierit, neſcio, florere tamen illud hac noſtra ætate aliundè quoque edoctus ſum, quamvis nullis inde mihi uſque dum

dum contradictis documentis. Prioratum in Mappa noſtra hunc Parthenonem inticulaveram, quòd aliunde didicerim eundem Windeſemenſi Congregationi ſubeſſe.

Cùm annô 1424. & deinceps celebris illa per Saxoniam reformatio monaſteriorum originem ſuam ſortiretur, hoc ipſum Cœnobium *Heyningenſe* tanti quoque boni conſors eſt factum annô 1451. narrat reductionem ejus ad priſtinam regularem diſciplinam in ſuo de reformatione monaſteriorum libro *Joannes Buſchius*: quam, ut iſthic nos promamus, non fert propoſitæ brevitatis meta, ideò conſultiùs in ipſo opere referenda erit.

Cæterùm floret adhuc Parthenon iſte, quamvis penè omni ex parte heterodoxis circumvallatus. Olim, ſæculô nempè 15tô, ùt refert Buſchius, in temporalibus æquè, ac ſpiritualibus poſt Epiſcopum ſibi nullum alium agnoſcebat Præpoſitum, niſi *Priorem Sultanum* ſeu ex *Sulta*, an verò nunc *Grauhoffenſis* eandem in ipſas virgines juriſdictionem obtineat, ùt nupernus quidam Author ſcripſerat, meliori opus habeo informatione.

Heineccius Antiqv Goslar. L. 1. p. 24. Buſch de refor. Monaſt. L. 1. Cap. 18. Chron. Stederburg. apud Leibnit. tom. 1. p. 855.

Fund. Sec. 9. Secular. Hildesheimenſis S. Mariæ Cathedralis. Exordium hujus celeberrimi, ac laudatiſſimi Epiſcopatûs non minùs glorioſiſſimo Imperatori *Magno Carolo* paſſim ab hiſtoricis tribuitur, quamvis ejusdem perfectio, ac abſoluta inſtitutio, hujus Magni Principis Præclariſſimo filio *Ludovico* Pio adſcribatur: unde Chronicon Hildesheimenſe apud Leibnit. *Hildesheimenſis*, inquit, *Epiſcopatus in Saxonibus fundatus, ac conſtitutus eſt primùm à Carolo Magno Galliarum Rege, ac Imperatore Romano, cùm devicto Saxonum Magno Duce Widekindo primus religionem Chriſtianam per totam Saxoniam plantaret, & ab idololatricis eam erroribus, ac cultibus ad veri Dei cognitionem reduceret.* Cœpit verò Epiſcopatus ille non Hildeſiæ, ſed apud *Elzium* vel *Regiam Aulam*, amœniſſimum quendam pagum, in concurſu Salæ, ac Leinii piſculentiſſimorum fluviorum ſitum. Ibi prima Cathedralis Baſilica futuro Epiſcopatui conſtructa eſt à Divo *Carolo* Magno in honorem *Principis Apoſtolorum S. Petri, à qua primùm Aulicenſis Epiſcopatus dictus eſt. Translatus eſt autem tandem à Ludovico Pio Imperatore, Caroli Magni filio ex Regia iſta aula trans flumen Leinenſe in locum, quem à cœlitùs miſſa nive Hildeſchne olim, nunc verò parùm immutatâ voce Hildesheim appellamus. Ibi conditum eſt ab eodem optimo Imperatore primum templum D. Virgini ſacrum, & hic cœpit Epiſcopus Guntharius, à Carolo Magno antea electus, primus Hildesheimenſis appellari, qui antea Aulicenſis dictus erat, factúmq; ideſt annô Dominicæ Incarnationis* 814. & hæc exordientis Hildesheimenſis Eccleſiæ origo ab aliis quoque ſcriptoribus paſſim adſtruitur, ùt videre eſt, in Catalogo Hilds: Epiſcoporum Chronici Eggehardi Vragienſis, in Chronico Epiſc. Hildeſch. apud Leibnit. ex Codice Authentico ipſius Eccleſiæ in Recenſione fundationum quarundam Saxoniæ Eccleſiarum &c. in hoc fortè ad ſummum diſcrepantia reperienda, quòd quidam eorum ſcriptorum originem alligent anno 814. alii 18. ùt mox relata relata recenſio, item & compilatio Chronologica apud Leibnitium c. 2. p. 62. Botho autem in ſuo Chronico picturato, anno 816. verùm horum ſententiam aut combinare, aut diſquirere non ducimus tanti, cùm nobis ſufficiat certum habe-

habere & Fundatorem & ſaltem luſtrum fundationis ſignatum.

Porrò refert mox citatum Chronicon ex codice authenthico ipſius Eccleſiæ Hildesheimenſis *Altfridum* quartum fuiſſe primum, qui monaſterium Cathedrale in timore Domini inchoavit, & *anno Incarnationis Domini* 872. *ſuæ verò ordinationis* 26. *inchoatum Hildeneſchem monaſterinm Deo gratias conſnmmavit, & divinæ Majeſtati in honore S. Mariæ ſub titnlo SS. Coſmæ & Damiani, Tyburtii & Valeriani & S. Cæciliæ devotiſſimè dedicavit Kal. Nov.* Hic igitur *Altfridus* vir utiqueSanctitate eximius, velut ejus acta teſtantur, primus quidem fuiſſe videtur, qui regularem diſciplinam ſuis Canonicis contradidit, quamvìs jam ante votivè eosdem vixiſſe nullum dubium ſit, ſolùm clauſtralem cuſtodiam, necdum ſuppeditante loco ſeu domicilio congruo, primùm omnium *Altfridus* conſtruxit.

Occurrit tamen hìc non exiguum dubium ex Chronico duplici, Epiſcoporum nimirum Hildesheimenſium, nec non Abbatum Monaſt. S. *Michaelis*, quem Wion legiſſe, & plenis velis ſecutus fuiſſe videtur tom. 1. ligni vitæ p. 321. Ex hoc ſequentia digna ſunt, ut referantur: primò ad annum 848. iſta: *S. Alefridus Monachns Corbejenſis Benedictini inſtitnti, ſapientiſſimus, ac Doctiſſimus, ex Colonienſi Archiepiſcopatu ſublimi loco natns, ſucceſſit Epiſcopo Ebboni anno Domini* 848. *præfuit laudabiliter annis* 28. *conſtruxit novam Baſilicam Cathedralem magnificam, ac nobiliſſimam in honorem Dei optimi Maximi, ac D. Virginis: qnam in forma monaſterii exſtructam viginti ſex annôrnm ſpatiô abſolvit, in eo ordinavit, ac conſtituit, nt Canonici ſui omnes ſub profeſſione, ac regula Benedictina viventes, Deo acerrimô ſtudiô ſervirent, non ſecùs ac monachi, omnia habentes communia.* Deinde ad *Walbertum* ſequentia; *Is primus Præpoſitum ſummæ Baſilicæ conſtituit, ac Canonicis in veſte monachica ſub Benedictina adhuc profeſſione conjnnctim victitantibus, certos etiam reditus annuos aſſignavit, quibus & libros ſibi & veſtes, & alia neceſſaria comparare poſſent.* Dein ad annum 993. ſub *Bernardo* hæc leguntur: *his temporibns, & ſacnlaribus, & ſequentibns usq; ad tempus Dethmari, qni decimus quintus in ordine fuit, Hildenshemenſis Clerus tam diſtricta religione, & religioſa diſtrictione Deo obſequiô ſe mancipavit, nt in profeſſione Canonica diſtrictione gauderet monachica: nam nt taceam, qnàm ſeverè animadvertebatnr, ſi quis Choro, menſæ, dormitorio, non dico, deeſſe, ſed tardiùs adeſſe, non autem gravì neceſſitate retentus, aut licentiâ animatus præſumſerat. Scholaris diſciplinæ jugo abſoluti arctiori habena in Clauſtro ſervabantur, & quotidianam ſcripturam Decano præſentare, Evangelium cum lectione, cantnm quoq;, ipſos tum etiam pſalmos reddere cogebantur &c.* Denique ad annum 1039. ubi de laudato *Thietmaro* ſermo eſt, habentur iſta: *ſub ejus gubernatione periit graviſſimô, ac miſerrimô incendiô ſummum templum Hildeſianum, in quo hactenùs omnes Canonici ſub regnla Benedictina conjunctim vixerant; qui jam propriis uti, ac abjectâ D. Benedicti profeſſione liberè vivere, ac ſeorſum habitare, hnjns incendii occaſione cœperunt; Aſelino ſucceſſore ad omnia iſta non gravatè connivente.* Quæ ſummatim tam manifeſtè produnt Canonicos Cathedrales Benedictinæ inſtitutionis fuiſſe monachos, ut huic tam aperto teſtimonio obſiſtere nemo eruditorum facilè valeat. Adeoque non temerè quoque quidam nupernus pro monachatu S. *Ruperti* decertans Scriptor videtur dixiſſe: *propriè, atq; genuinè Canonicorum nomen monachis Benedictinis congruere.*

Verùm huic tam ſevero argumento

mento elidendo opus eſt ſolida non minùs, ac luculenta declaratione. Primò igitur obſervandus eſt Author, qui hoc ipſum ſcripſerat, fueritne omni partium ſtudio expeditus, ac inſuper aut ſynchronus adeò, aut tam ponderoſis documentis proviſus, ut hæc ſufficerent ad noſtræ ætatis viros eruditos, doctiſſimosque perſuadendos. Secundò: minimè negligendi, ſed accuratè conferendi huic Chroniſtæ Scriptores alii, an in hujus ſententiam ipſi abeant, an diſſimulent, an potiùs refragentur. Tertiò conſideranda ſunt tempora, ac maximè illud, quo primùm Canonici Hildesheimenſes dicuntur Regulam Benedictinam profeſſi. Atque hæc examinanda ad obtinendam veritatem ſuſcipiamus.

Primò itaque, qui hæc aſſerit, non eſt Author hujus Chronici, obſervat enim Leibnitius in præf. ad tom. 2. ſuæ collectionis ea, quæ incluſa ſunt ſimplici parentheos ſigno, ſe addidiſſe huic Chronico ex Franciſco *Borſen* monacho, ac ſeniore Ciſtercienſis Cœnobii Marienrodenſis, qui ad medium ſæculi 16ti. vixiſſe obſervatur ab eodem Leibnitio in præf. citata pag. 38. & colligitur ex ipſo Chronico Marienrodenſi. Porro, quàm liberè eô ſæculô monachi pro gloria ſua ſcripſerint, & nullius velut Auctoritatis ſolliciti è tripode definiêrint, quæ ſibi uberiùs favere videbantur, non eſt opus multis declarare, proſtant enim aliundè hac de re probæ paſſim in talium ſcriptorum lucubrationibus manifeſtæ. Ut autem aſſertioni adeò vacuæ validas, ac nervoſas rationes opponamus, En, inquirimus cumprimis an Borſemius, quia longè recentior Author, quàm ut cum Scriptoribus ſæculo nono, decimo, undecimo æquævis conferri valeat; inquirimus, inquam, an Borſemius, hæc ex quodam vetuſto iis temporibus Synchrono ac authentico ſcripto hauſerit, quale eſt Chronicon Epiſcoporum Hildeſemenſium ex authentico ipſius Eccleſiæ; Chronicon Eggebardi Uragienſis Abbatis, Annales Hildeſemenſes ab annô 714. ad 1138. vita S. *Bernvardi* XIII. Epiſcopi Hildesheim. item S. *Godehardi* ejusdem Succeſſoris. Omnium horum monimentorum Scriptores ſæculum duodecimum non exceſſerant, ſi continuatores quospiam demas, qui ad hanc quæſtionem noſtram nihil conferunt: atqui in nullo horum vel verbum legitur, quod Borſemii aſſertionem aut cauſare potuiſſet, aut ſtabilire. Nam in Alefrido, ſeu Altfrido nemo horum Authorum vel muſſitat de profeſſione Canonicorum Hildesheménſium ſub regula S. Benedicti. In Chronico ex authentico codice Eccleſiæ Hildesb. hæc habentur: *Annô deinde* 847. *Incarnat. Domini Altfridus quartus Epiſcopus ordinatur. Qui Eccleſiam regulariter regendo quidquid Anteceſſor ſuus de ſacris ordinibus temerè uſurpavit, decreto Canonum laudabiliter annullavit. Idem Præſul monaſterium noſtrum in timore Domini inchoavit, & ſub ipſo inchoationis exordio criptam Orientalem in honorem S. Mariæ Virginis conſecravit, qui & curtes ſuæ proprietatis Saleghenſtad & Aſnede noſtræ Eccleſiæ condonavit. In quibus Abbatias Salegenſtad monachorum, & Aſnede Virginum coadunavit. Ipſe Epiſcopus* 852. *prædicta Incarnationis Domini Anno cum Ludolfo Gandeshemenſe Cœnobium primo in Bruneſteshuſen & quarto poſt hæc anno in Gandesheim, ut pranotatum eſt, inchoavit. Qui & Eccleſiam ibidem ædificare cœpit, & Hathamodam ejus Ducis filiam primam Abbatiſſam ibidem ordinavit. Decimas etiam ex proprietate ſua Eccleſiæ ibidem pro exhibendo ſibi ſervimine & cenſu in beneficium præſtitit, & cætera ibi Chriſto famulantibus profutura*

apud Leibnit. t. 1. p. 742.

ibid p. 718.

tura ex ſuo, paterna pietate providit. Qui decimo octavo pòſt anno Hathamodâ defunctâ Gerbergam ſororem ejus Abbatiſſam ordinavit. Ipſe etiam anno Incar. D. 872. ſuæ verò ordinationis 26to inchoatum Hildenesbem monaſterium, Deo gratias conſummavit, & Divinæ Majeſtati in honore S. Mariæ ſub titulo Sanctorum Coſmæ & Damiani, Tiburtii & Valeriani & S. Virginis Cæciliæ devotiſſimè dedicavit Kal. Nov. qui & tertio pòſt anno ſuæ ordinationis 29no plenus dierum, & verè plenus bonorum operum 18. Kal. Sept. ſcilicet in Aſſumptione S. Mariæ in conſortium ſanctorum veraciter aſſumptus migravit &c. hæc laudatum Chronicon. Quodſi ex iſtis venari Canonicorum Hildeſemenſium *ab Altfrido* ordinatum Benedictinum inſtitutum liceat, ſanè jam non erit in toto mundo Monaſterium, quod ab origine non fuerit Ordinis S. Benedicti, maximè, ſi adeò liberè eum verbis ludere fas ſit, ut ſæculis medii ævi quæcunque Eccleſiæ dictæ monaſteria intelligi debeant *monachica*, aut omninò *Benedictina*: verùm nos nolumus ludere, ſed veritatem perquirere ſeriis argumentis. Sicut igitur in *Altfrido* nè umbra profeſſionis ab eo inductæ Benedictinæ in præfato Chronico apparet, ſic nec in *Walberto*: verba de eo ſubjicio *huic* (id eſt abeunte *Marquardo*) *Walbertus ſeptimus Epiſcopus ſucceſſit, qui Præpoſituram & præbendam, fratrum (ut Anteceſſor ſuus prætitulavit) fideliter inſtituit, & ambobus æternæ retributionis præmium coram Deo aquiſivit.* Annè hoc eſt Præpoſitum conſtituere, & Canonicis in *veſte monachica ſub Benedictina profeſſione* certos reditus annuos aſſignare, ùt Borſemius effingit? id ipſum legendum & ſentiendum de *Bernvardo*, & quæ de laxatione Benedictinæ diſciplinæ in *Thietmaro* commentatur Borſemius: certè ut ſub *Bernvvardo* conſervatam, ſub *Thietmaro* eandem exſtinctam ſufficienter probet, neceſsè eſt hanc ab *Altfrido*, ùt ipſe aſſerit, inductam demonſtrare, quod tamen adeò abeſt à vero, ut Mabillonius ſæculo quarto Benedictino parte prima à pag. 259. *Altfridum* ſuo ordini annumerans (etſi nulli pepercifſet labori ad autboritatem ſolidiorem coacervandam, ſi inveniſſet) abſtinuerit adeo ab hoc Borſemiano phantaſmate, ut ejusdem ne à longè quidem meminerit. Legat enim, cui vacat, totum Mabillonii de S. *Altfrido* Commentarium, reperietque certiſſima eſſe, quæ diximus: quippe qui Hildesheimenſis Epiſcopatûs originem Cbronographi Saxonici diſtinctis verbis enarrat, & præcipuè hæc ad rem noſtram ex eodem profert, dum inquit: *Sacellum autem Hildinisheimenſe à Rege Ludovvico conſtructum, & S. Mariæ dicatum perduravit in ſibi digno religionis cultu, non adjuncto ſibi alio opere usq; ad Alfridum quartum Præſulem ipſius Eccleſiæ. Guntarius enim primus Ejus Epiſcopus, Epiſcopalem Eccleſiam, in qua principalis fratrum Clerus Deo ſerviret, cum duabus altiſſimis turribus remotiùs à dicto Sacello, in meridiano ejus latere conſtruxit, & principaliter in honore S. Cæciliæ Virginis dedicavit. Sed hanc Eccleſiam fratrum celebritas, & Canonicalis religio non incoluère, niſi præſidentibus tribus Epiſcopis, Guntario & Remberto, qui per 20. annos illi Eccleſiæ præfuerunt, tertio Ebbone, priùs Remenſi Archiepiſcopo, pòſt Hildesheimenſi Epiſcopo.* Ex quo patet quidnam pro regula ac profeſſione Benedictina toto hoc in diſcurſu elici poſſit, niſi ineptiſſimè dicas, *principalem fratrum Clerum, fratrum celebritatem, Canonicalem religionem*, idem antonomaſticè dicere, quod profeſſio Benedictinæ regulæ.

Præterea quemadmodùm hunc Chroniſtam Saxonicum potiùs refragari Borſemio cernimus, ſic eundem

eundem ipſum ſenſum verba Chronici ex codice ipſius Eccleſiæ pro Canonicis genuinis, & neutiquam regulam Benedictinam profeſſis produnt. Deindè dum ea omninò deſiderantur in hoc antiquiſſimo Chronico, quæ Borſemius in *Thietmaro*, & *Aſelino* de abjecta D. Benedicti profeſſione ſomniat, in *Ethylone*, (qui erat *Azelini* ſucceſſor) hæc narrantur: *Ipſe prabendas fratrum determinato non comprehenſas numero, ſapienti conſilio ad certum numerum quinquaginta ſcilicet redegit, & ut ſecundùm regularem inſtitutionem aqua omnibus portio daretur, quod uſq; ad id tempus conſuetudo noſtra non habuit, banni ſui authoritate firmavit. Fuit quoq; ſtudioſus in honorando nomine Clericalis, diligentiſſimus in promovendis ad ſpiritualia arma Clericalis militia pueris &c. habet tamen in eo Divina ſententia, ùt veremur, quid feriat, quia inſtitutionem noſtri ordinis in abbreviatione divini officii, in ſuperfluitate veſtium, in relaxando regularis vita diſtrictionem non dico mutavit, ſed mutantibus non contradixit &c.* hæc ibi. Fuiſſe authorem hujus Chronici Canonicum, nec monachum, abunde ex toto contextu patet, vixiſſe eum ſæculô duodecimô, & exſtitiſſe *Adelogo*, qui annô 1190. obiit, Epiſcopo Hildesheimenſi ſynchronum notat Leibnizius: neq́ue ergò iſte quamvìs illis temporibus Borſemiô longè propinquior pro Benedictinis, ſed pro Canonicis perorat, longè diſtinctis à profeſſione Benedictina; utpote, qui relaxationem inſtituti tam diſertis, & peculiaribus coloribus depingit, ut nequiviſſet ſilere illam benedictinam inſtitutionem, ſi ab ea tunc Canonici deflexiſſent, *abbreviationem officii* allegat, *ſuperfluitatem veſtium*, *relaxatam regularis vita diſtrictionem*, nunquam vel obviè, aut in apice memorat abjectionem regulæ Benedictinæ. Hunc autem præter Chronographum Saxonicum inducit quoq́ue Mabillonius, quippe ſolidæ veritatis Scriptorem. Cùm itaq́ue manifeſtum ſit vetera de Hildesheimenſi Eccleſia monimenta nulla quidpiam enuntiare de profeſſione hac Benedictina, corruit tanquam inane commentum nuperi, ut ita dicam, aut ſaltem recentioris Scriptoris Borſemii fabella de hac Canonicorum Hildesheimenſium profeſſione Benedictina. Adeoq́ue ſimul liquet illam aſſertionem (tanquam Canonici Benedictini in Cathedralem Hildesheimenſem inducti fuiſſent) neq́ue ſtare authoritate Scriptoris alicujus ſynchroni, neq́ue documentorum pondere, inſuper omni veritate eandem exui ob aliorum longè antiquiorum ſcriptorum non ſolùm hac de re altum ſilentium, verùm etiam pellucidam contradictionem: utpote, qui ſemper Cathedrales Hildesheimenſes nuncupant *Clericos*, *Canonicos*, *Ordinem Clericalem*, *Congregationem Clericalem*; dumq́ue eorum habitatio monaſterium, ipſi verò, *fratres* & *ſub regularis vita diſtrictione* vivere dicuntur, id apprimè facit ad oſtendendam vitam Canonicorum illorum votivam ac religioſam, minimè verò Canonico-Benedictinam.

Quod ut luculentiùs demonſtremus, obſervanda ſunt, ùt diximus, ac conſideranda tempora illa, pro quibus Borſemius aſtruit Canonicos regulam Benedictinam fuiſſe profeſſos, id eſt, ſæculum nonum, decimum, & undecimum. *Altfridus* enim, qui ab eo dicitur regulam Benedictinam in Cathedralem induxiſſe, cæpit præeſſe annô, non. 847. ùt ſignavit Chronicon Eccleſiæ Hildes: ſed 851. notante Mabillonio. *Thetmarus* autem, ſeu *Tiatmarus* aut *Thitmarus* juxta Chronologiam Heineccii obiit annô 1044. inter pag. 41.
hos ergo annos induci, florere, ac Col. 1.
ſimul abjici debuit, ſi quæ aſſum-

pta apud Canonicos Hildesheimenſes eſt profeſſio Benedictina; at hac ipſa ætate adeò abeſt, maximè tempore *Altfridi* Benedictinam profeſſionem cum Cathedralibus Canonicis componi valuiſſe, ut potiùs reluctaretur eidem. Exemplum manifeſtum jam dudum adduximus in Eccleſia Magdeburgenſi, de qua Chronographus antiquus apud Browerum teſtatur, quòd, cùm in ea conſtituti eſſent monachi Benedictini, erecta per *Ottonem* Imperatorem ibidem Cathedrali, abire, licèt mærentes, ac reluctantes, cogerentur: non enim Canonica Cathedralis vita cum profeſſione Benedictinæ regulæ concordari poterat, & patebit ſanè ad oculum homini, vel modicam lucem habenti, verè regulam Benedictinam incompatibilem quodammodo eſſe, aut ſaltem iis temporius fuiſſe cum Cathedralitate: præſcindo enim de moribus hodiernis. Falli igitur omnes eos jure exiſtimo, qui medio ævo monachos Cathedralis Eccleſiæ corpus conſtituiſſe dicunt, & quidem maximè ea de cauſa, quòd inſtituti rationem, finemque non attendentes, mox, ac legerunt ex quodam antiquo documento in aliqua Cathedrali fuiſſe monachos, eos quoque ipſos Cathedrales cenſeant: cùm intereà certum ſit, frequentiſſimè monachos genuinos convixiſſe Canonicis genuinis, & quidem ſub eodem forſan tecto, quamvis non in eodem clauſtro. Oſtendet id nobis *Wolfherus* Canonicus Hildesheimenſis, & diſcipulus S. *Godehardi* Epiſcopi: narrat is, ſe aliquando audiviſſe Guntherum Monachum Altahenſem concionantem, verùm addit hæc cautè: *aſſedit*, inquit, *ibidem* (id eſt in Capitulo) *Venerabilis Abbas Altahenſis Rathmundus cum pluribus ui Cœnobii fratribus, & aliis multis inſuper hoſpitibus* (haud dubiè ejuſdem inſtituti, nimirum monachis) *præter nos, quos in Canonico habitu illuc ingredi religio vetuit.* Simile quid legimus apud Ekkehardum Juniorem L. de caſibus Monaſt. S. Galli Cap. 1. de *Salamone Canonico, qui dum clauſtrum ſubinde intraret monachorum, pro monſtro, ab ipſis, & magna confuſione habebatur.* Scilicèt ſic vita Canonica monachili, ſic linea veſtis laneæ, ſic cucullæ quaſi obſiſtebat profeſſio clericalis, ut nè quidem intrare liceret Canonicis Clauſtrum monachorum. Quodſi iſtud? quis ergò opinetur tam liberè Canonicos potuiſſe Benedictinam profeſſionem ſuſcipere, & quaſi Canonico-Benedictinos effectos eſſe. Porrò jungebantur Canonicis Cathedralibus frequenter monachi, at tanto diſcrimine, quantum ipſa utrinque profeſſio exigebat: Canonici occupabantur iis functionibus, quæ publicum Eccleſiæ concernebant miniſterium, monachi privatis ſtudiis, & orationibus fundendis inſiſtebant. Dumque aliquantò opulentiora evadebant monaſteria Cathedralia Canonicorum, aſſumebantur ſæpè monachi in locum Canonicorum, ad quaſdam functiones obeundas ipſis Canonicis (non nihil jam delicatioribus) moleſtiores: ut ſunt, quæ reſpiciebant ſcholas, ac informandos cum in litteris cum in cantu Eccleſiaſtico pueros, item cura cuſtodiendæ Eccleſiæ, aliaque minora munia. Quamvis indubiè certum, vice verſa quoque Cœnobiis ditioribus monachorum junctos nonnunquam eadem de cauſa Canonicos fuiſſe: velut id factum in monaſterio Corbejenſi, S. Galli &c. ubique ergò dum monachos Canonicis, iſtos illis junctos legimus, debita diſcrepantia obſervanda eſt, neque in unum miſcendi inſtitutum ſunt homines diverſæ profeſſionis, fortè in eodem Cœnobio, ſed non ſub eadem Clauſura, ùt dixeram, commorantes. Atque hoc

in vita n. 14.

hoc ipſum fieri potuiſſe Hildeshemii (quamvìs id necdum in aliquo probato ſcriptore repererim) nolo omninò abnuere; at Canonicos Cathedrales profeſſionem Benedictinam feciſſe, id penitùs abnego, ac rejicio. Dico, *profeſſionem Benedictinam feciſſe*, id me negare, nè videar memoria labente peccâſſe; cùm ſciam me alicubi nec inconſultò dixiſſe Canonicos aliquando etiam regulam ſuô modô obſervâſſe S. Benedicti: nempè quemadmodùm *Chrodegangus* multa in ſuam ex ea transtulit pro Canonicis ſuis, & *Arno* noſter non minùs factum fuiſſe concedit in ſuo Scuto Canonicorum. Quia verò longè aliud eſt, obſervare aliquam regulam, aliud facere profeſſionem v. g. Benedictinam, ideò, quamvis id admiſero, iſtud, nunquam inducar, ut aſtruam.

Ergo vindicatô Canonicô genuinô, ac purô, nec monaſtico-benedictina profeſſione, commixtô inſtitutô, breviter adhuc notamus, juxta Chronicon ſæpè à nobis laudatum Eccleſiæ Hildesheimenſis, & aliud, dictum Saxonicum, à Mabillonio memoratum, Clerus jam ſub *Gunthario* collectus, & haud dubiè ſicut in aliis Saxoniæ Epiſcopalibus Eccleſiis regulariter inſtitutus, præcipuè ſub *Altfrido* clauſtralis diſtrictionis in exſtructo ab eodem monaſterio optata obtinuit incrementa; donec ſub *Aſelino* igne periret. Quo tempore idem Chronicon Hildeſienſe deplorat, quòd hic Epiſcopus monaſterium igne conſumtum inconſultè dejecerit. Atque tum fors factum, ut Canonici largiorem vivendi rationem nanciſcerentur, quod incautus, nè dicam fabuloſus, Borſemius de abjecta Benedictinâ profeſſione interpretatus eſt. Dico *virum hunc fabuloſum*, nec ùt opinor immeritò, quippe quem ob inſertum apertiſſimum commentum, ubi de *Bernardo* Epiſcopo agit, jam ante nos Leibnitius, atque Solerius ex merito notârunt. Cæterùm non adeò diſciplinam regularem inter Canonicos Cathedrales dirutam fuiſſe, quin ſecundùm Aquisgranenſem regulam rurſum ſub *Ethilone*, ſeu *Ezilone* colligeretur, ac conſervaretur ſubſequorum Epiſcoporum induſtriâ, patet tum ex citato identidem noſtro Chronico Eccleſiæ Hildeſienſis, tum ex alio ipſorum hujus Eccleſiæ Epiſcoporum, unde adhuc de S. *Bernardo* Epiſcopo hujate in vita legitur, quòd *ipſe Eccleſiam ſuam principalem paſtorali cura ſapientiſſimè gubernavit, & fratres ſuos ad honeſtæ vitæ, ſacraq; religionis obſervantiam, & arguendo, & obſecrando, aliisq; modis informando conduxit.* Obiit autem *Bernardus* annô 1154. & quamvìs hoc tempore paſſim jam effloruerit inter Canonicos regula Auguſtiniana, ita quidem, ut hæc ad quandam diſtinctionem nomen regularitatis alteri nuncupationi *Canonicæ* jungeret; ut *Canonici*, vel *Clerici regulares* dicerentur, præprimis illi, qui eam amplectebantur, prout jam ſub *Bertholdo*, *Bernardi* deceſſore meminit Chronicon Epiſc. Hildesh. *quòd ipſe Clericos, quos regulares vocant, introduxit.* Neque tamen inde concludendum, hoc ipſo reliquos regulam S. *Auguſtini* non habentes, ſed viventes adhuc ſecundùm inſtituta Aquisgranenſia ſine voto paupertatis ſaltem ſimplici ſubſtitiſſe. Quodſi enim aſſignari pro certo poſſunt quædam Canonicorum Collegia fundata ſub hac expreſſè cautione, ut ſecundùm *Apoſtolicum morem*, aut, ut ſine proprietate, aut ut ſecundùm *inſtituta SS. Patrum* viverent, nullâ licèt memoriâ habitâ regulæ *S. Auguſtini*, conſimiliter ideò pro certo habeatur horum Collegiorum Clericos fuiſſe exinde votivos, ut paſſim patet in deſcriptionibus noſtris, certè idipſum aſſerere ſine Scrupulo licebit

cebit de Canonicis Hildeſemenſibus: quamvis,ùt ſæpiſſimè monui, cùm demum regula S. *Auguſtini* una, ac ſola eſſe inciperet ſæculo decimo tertio, quæ Canonicos votivos, ac expropriatos diſcerneret, multis Cathedralibus hanc ſtrictiorem paupertatis votivæ diſciplinam recipere, diverſas ob cauſas aut nequeuntibus, aut nolentibus, ipſi quoque Hildeshemenſes credendi ſint ſeſe ab omnietiam ſimplici voto expropriationis exemiſſe.

Hic Epiſcopatus ſolus eſt, ac unicus inter tot nobiliſſimos à *Carolo* Magno, ac piiſſimo ejusdem filio *Ludovico* fundatos, qui conſtanter Epiſcopum Catholicum habere conſuevit.

Chronicon Eccleſ. Hildesheim. Edit. Leibnit. t. 1. N. 46. p. 742. Chron.Epiſc.Hildes. ead. edit.Tom. 2. n. 48. p. 784. vita S.Bernardi, Ep. Hildes. in act. SS. die 20. Jul. vita S. Altfridi Ep. Hildes. ib. die 15. Aug. Heineccius Antiqv. Goslar. pag. 36. &c.

Fund. an. 1000. Extinctum.

Hildevvardhuſanum Virginum Canonicarum. Præpoſitura.

Hoc cœnobium fundatum pro Virginibus ſacris fuiſſe indubitatum eſt, Fundatorem illius Leibnitius *Ekkehardum* Comitem ſtatuit ad annum 1000. quod ipſum ſuo modo confirmat Leuckfeldius. Porrò cùm nihil nobis de primarum Virginum in hoc neo-conditum Cœnobium inductarum inſtituto conſtet, nihil quoque ſtatuere præſumimus. Id tamen annô 1141. dudum ſub regula S. *Auguſtini* Canonicè conſtitiſſe, apparet ex litteris *Conradi* Imperatoris, quibus *Ditmaro Regularium B. Auguſtini profeſſo* regimen, & reformationem hujus confert: quippe quòd *à regularis diſciplinæ tenore penitùs deciderit.* Cùm verò hoc Cœnobium fuerit Imperialis juris, pariter conjicio, fuiſſe nobile, ac inter primos Saxoniæ parthenones computatum. Hoc ipſum Cœnobium nunc ſæculare factum Dynaſtia eſt principum Brunsvicenſium.

Leibnit. in præf. ad tom. primum pag. f. 2. Reliq. M- SS. Ludewig. tom. 2. p. 400. Leuckfeld. Antiqv. Halberſt. p. 392. & Antiqv. Poeld. p. 78. Meibom. t. 3. rerum Germ. pag. 103.

Fund. circa ann 1030. Floret.

S. Joannis Baptiſtæ Præpoſitura.

Hoc præclarum Canonicorum Collegium mox, ùt Regularibus Canonicis datum eſt Præpoſituræ titulô inſignitum videtur, utpote, quòd ejus primi Præſules ſeſe *Præpoſitos* dicerent, quemadmodùm *Gerhardum* in confirmatione Monaſterii Schöningenſios ſubſcriptum reperimus, ac dictum *Præpoſitum S. Joannis in Civitate.*

Fundationis origo cuinam affigenda ſit anno, ignoramus, eò quòd omnia nos hujus Cœnobii vetera documenta deficiant, antè annum tamen 1120. conditum fuiſſe monet Leuckfeldius, aitque primitùs idem Canonicos incoluiſſe, ſed liberiùs viventes à *Reinhardo* EpiſcopoHalberſtadenſi amotos ſucceſſores obtinuiſſe regulares ſecundùm S. *Auguſtini* inſtituta. Itaque primum Fundatorem Collegii iſtius idem Leuckfeldius ex Reimanno ſtatuit *Branthonem* decimum, Halberſtadenſem Epiſcopum, ad annum 1030. aut 1031. quod ipſum Chronicon Halberſtadenſe apud Leibnitium confirmat, ſed dilatâ ejusdem origine ultrà decimum hujus *Branthonis* ſeu *Branthogii* regiminis annum.

Inter alios præclaros hujus loci Canonicos, ipſosque Præpoſitos eximiam ſibi memoriam promeruit *Rudolphus*, qui præterquam poſt laudabile aliquot annorum regimen, aſſumptus eſt pari voto ad ſedem Halberſtadenſem annô 1137. Dominica Lætare. 6. Non. Martii, ob egregiam ſuam, qua emi-

eminebat virtutem, inſuper inter doctiſſimos illius ætatis meritò cenſebatur, ſcripſitque Epiſtolas, & Commentarios complures, quos ſe Winningenſtadius vidiſſe teſtatur. Laudat hunc quoque præcipuè à modeſtia, & humilitate, quâ litteras à ſe lectas abundare aſſerit Meibomius. Ego nè ambigo quidem, pecularia pro hujus ſancti, ac præclariſſimi viri ampliori obtinenda notitia, Windeſemenſibus ad manus eſſe documenta. quorum favore, ſi liberaliorem affectum in laborem noſtrum litterarium poſthac experiri dabitur, ſperamus quoque fore, ut vitam hujus *Rudolfi* ipſo in opere promere valeamus.

Exiſtit, floretque amodò hæc Præpoſitura, quam nos Prioratum in Elencho noſtro notavimus, opinantes ſub Congregatione illam Windeſemenſi exiſtere, verùm, cùm in quatuor Catalogis, iiſque diverſo tempori illigatis, quin nè in Buſchiano quidem reperiamus, haud dubiè inferendum, Præpoſituram nulli Congregationi unitam eſſe. Leuckfeld. Antiqv. Halberſt. p. 389. & 606. Reiman. Idea Hiſt. Halberſt. ad an. 1030. Chron. Halberſt. Edit. Leibn. tom. 2. p. 175. Docum. commun.

Fund. . . . .
Exſtinctum.

S. Joannis Præpoſitura.

Monitus, ut hanc Eccleſiam Parthenopoli ſitam noſtris adſcriberem, quemadmodùm, ut id facere, fluctuaveram, ſic ammodo in eo ſum, ut dum de illa pauciſſima iſthic referre non tam intendo, quàm cogor, ipſo in opere omnino ſileam. Etenim ſi ea intelligatur, quæ in monte ſita Monachos ex S. *Mauritii* emigrantes exceperat, dicaturque, antequam Magdeburgenſis Abbatia in Metropolitanam eveheretur, jam exſtitiſſe, & honori S. *Joannis* Baptiſtæ ſacrata Clericos continuiſſe illos, qui Magdeburgum tranſlati exinde Cathedrales effecti ſunt, commutatione veluti facta, ut eorum locò monachi in hanc D. *Joannis* recederent: nulla alioquin veterum ſcriptorum authoritate edoctus, id rudi adeò Minerva aſſerere nunquam tentabo, ſcio Chronicon Magdeburgenſe apud Meibomium diſertè effari, quòd *transmutata eſt Parthenopolitana Abbatia in montem ſuburbio ejusdem Civitatis adjacentem, deputaturá Sancto Joanni Baptiſtæ.* Nec minùs juxtà idem Chronicon certum, receptumque, monachis in ipſa Parthenopolitana Eccleſia Clericos ſucceſſiſſe, *eo*, *quòd*, ùt ait Kranzius, *cùm eſſet hac Eccleſia futura Metropolitica, non erat fratribus Divi Benedicti locus, propter Ceremonias multas fratribus alienas* (dixiſſet verbô ob inſtitutum monaſticum Clericali obſiſtens) verùm an non potiùs hoc S. *Joannis* Cœnobium in monte aut noviter conditum, aut ſaltem deſolatum hactenùs refectum ſit ab Imperatore *Ottone*, quàm ut inde Clerici in Metropolitanam avocati ſint, non facilè reſolvo: præcipuè cùm illud longè certiùs ex verbis tum Chronici, tum ipſius quoque Kranzii, qui hujus Chronici authoritate nixus hæc ſcribit, eruatur. Quòdſi verò habenda ratio alterius S. *Joannis* Præpoſituræ, à *Gerone* 5*to* Archiepiſcopo inter annum 1012. & 1022. conditæ, & *Canonicis ibidem Deo ſervientibus donatæ*, ùt ait idem Chronicon, ſanè id facilè admiſero, at, ut de hac eadem pluribus diſſeram, nihil invenio. Aut denique ſi credenda ſit illà, quam S. *Mariæ* dictam S. *Norbertus* ſuis ad an. 1129. obtinuit, in qua viginti erant Canonici tum ſæculares (haud dubiè ſic dicti, quòd, ùt inquit in ſua confirmationis Bulla Honorius, *minùs religioſè vivebant*) ſub Præpoſito antiquitùs con-

conſtituti: eò minùs quidem diſſentirer, quò cautiùs arguere poſſum, hanc fortè Eccleſiam eam ipſam fuiſſe, quam Chronicon Magdeburgenſe à *Carolo M.* conditam dixit, & ab *Hildegrino* Halberſtadenſi Epiſcopo S. *Stephano* dedicatam: quippè quòd ſciam, pientiſſimum hunc Monarcham *Carolum*, etſi diverſimodis ſanctis Eccleſias à ſe conditas dicaſſet, primarium tamen ſemper inter eos ſe reſpectum habuiſſe ad Reginam ipſorum Virginem nimirum ac Dei Matrem. Verùm etſi hæc omnia ſtarent, quia ex iſtis Eccleſiam S. *Joannis* conficere nequeo, gratìs propoſitum urgerem, cùm de hac una quæſtio volvatur. Atq́ue hæc obſervâſſe de loco iſto abundè ſufficiet.

Kranzius Metropoli L. 6. c. 12. Chron. Magdeb. apud Meibom. tom. 2. p. 273. & 286. Browerus Annal. Trevir. t. 1. L. 10. p. 473. acta SS. in vita S. Notberti Cap. 15. n. 94.

Fundat. — Extinctum.

S. Joannis Evang. juxtà Segenberg. Prioratus Windeſemenſis. Cùm hujus Cœnobii acta ſolidiùs ex ipſo fonte Authoris Synchroni, quam è noſtræ pennæ rivulis haberi poſſint, gratiùs nos facturos benevolo Lectori ſperamus, ſi eadem hîc eô modô, quô deſcripta repetimus, recenſeamus. Agit igitur de illius exordio, atq́ue progreſſu Joannes Buſchius noſter, ſcribítque ſequentia: *Monaſterium*, inquit, *in Segeberge Ordinis Canonicorum Regularium Diœc. Lubicenſ. in Holſatia ſitum, ſatis eſt antiquum, Eccleſiam habens parochialem, cum Archidiaconatu quatuor milliarium annexo: imò & ipſum monaſterium eſt Eccleſia parochialis oppidi Zegebergenſis, quæ per unum de fratribus qui plebanus eorum dicitur, regi ſolet cum Capellano fratre ſibi adjuncto. Dux autem Holſatiæ in alto Caſtro ſuper oppidum habitans cum omni familia ſua ſexûs utriusq́, & omnes cives ejusdem oppidi, ſolent ibi audire divina, & ſumere Eccleſiæ ſacramenta, & intrà divina feſtis diebus audire ſermones. Conventus verò tunc propter temporis brevitatem, & ſermonum prolixitatem, tertiam de tempore, & de Beata Virgine non Cantare, ſed legere ſolent in ſacriſtia, ita, ut ſtatim poſt ſermonem aſpergens Conventum cantetur, & populus aſpergatur. Si non fuerit dies Dominicalis tunc ſtatim ſermone finito, ſumma miſſa incipitur, & decantatur. Monaſterium præfatum ultra 30. annos fuit in reformatione, notabiles valdè habens Priores Capituli noſtri Generalis, & fratres, primos reformatores. Primò fratrem Hermannum de Ludinkerka partium Friſiæ, ſub quo nomen Præpoſiti in nomen Prioris fuit commutatum, qui bene converſari ſcivit cum hominibus, & certas parabolas, & ænigmata jucundè ſatis enarrare. Unde quàm plures traxit ad ſuam amicitiam, quòd bonus & prudens ſatìs erat; fratres ſuos per multos annos in bona conſervans ordinis diſciplina. Sed quia ſubverſores & mendaces ſecum habuit fratres antiquos, qui Duci & familiæ ſua (ad monaſterium ſæpè venientibus, cùm intrarent Eccleſiam) falſa & mendoſa de ipſo loquebantur: quod per Epiſcopum Lubicenſem examinans* (Dux nimirum) *invenit falſum eſſe, & mentitum. Prior ergò id cognoſcens invitis quàm plurimis prioratum reſignavit. Qui poſt factus eſt Confeſſor monialium in Campis in Bronopia, ac denuò Prior electus in ſuo monaſterio Ludinkerka, ubi & diem clauſit extremum in bona pace & regimine. Poſt eum habuerunt in Priorem fratrem Joannem Ludinchuſen in Northorn conventualem, qui ſecum adduxit Johannem Clavenkorn de Northorn in Procuratorem ibidem. Prior iſte vir fuit multum notabilis, diſertus in ſermonibus divinis, bonus ſermoci-*

mocinator; certas & veras ſæpiùs habuit vigilantes viſiones, & revelationes, quando celebravit, & quando oravit, his, qui orationes ab eo petierunt, futura prædicens in abſentia, quæ eis evenire deberent, à quibus perſonis, facies, ſtaturas, diſpoſitiones eorum deſcribens. Prior in Wittenborch Rotgherus, ejus tunc viſitator rogavit eum, ut in miſſa, pro eo intercederet in rebus ſibi occurrendis; cui in memoria virorum viſio apparuit, quæ tota poſtmodùm ita fuit completa: Miſſâ finitâ dixit ſibi, feci, quod deſideraſtis. Vos competenter bene ſtate cum Domino Deo: Vidi vos conſiſtentem operto capite cappâ & inclinatô, at unum armatum contra vos ſtantem, qui manibus, ac dentibus ſic in vos infremuit, ac ſi vos vorare vellet, qui duos de fratribus veſtris aſſiſtentes habuit, & totus conventus conſentiendo circumſedit. Hoc audiens Rothgerus dixit: Ille armatus fuit Diabolus, qui propter reformationem monialium contra me inflamatus eſt, cui reſpondit, non fuit Diabolus, ſed homo, non fuit pinguis, ſed acutam & tenuem habens faciem. Cùm Rothgerus interim miraretur, quis eſſet, reſpondit: Procurator veſter eſt, & ſi jam in Conventu veſtro eſſem, vobis ipſum demonſtrarem; qui tunc fuit frater Conventûs illius, quem ipſe nunquam viderat. Reſpondit Rothgerus, nos in bona pace ſtamus, non poteſt eſſe ſic: ſed alius quidam, nominando Johannem illum, Reſpondit: procurator veſter eſt, etſi jam in Conventu veſtro eſſem, vobis ipſum demonſtrarem, ita ipſum in viſione novi, & miratus fuit, quòd hæc corporaliter ſic vidit. Cùm ipſe demum rediiſſet, viſitatoribus advenientibus hæc vera ſunt oſtenſa. Nam ipſe & duo alii Conventum in ſuam traxerunt conſpirationem, & totis viribus contra ipſum ſe animantes, ipſum deponere nitebantur ab officio, ſed non potuerunt. Sic ille veniam petivit, & de cætero fidem dedit, & promiſit. Hæc idcircò ſcripſi, ut tanti Patris fidem & devotionem apud Deum conſiderare valeatis. Et quòd nullus eſt ſuper terram, quin ſpecialem habeat à Deo gratiam: ſic nullus eſt, quin aliquem habeat in ſe defectum. Ita Prior iſte aliquando in ſuo ſenſu abundavit: Eccleſiam & monaſterium in Zegeberge in alium volens locum Archidiaconatûs transferre: cui fratres contradixerunt. Cùm igitur ad Capitulum generale perrexiſſet, miſerunt converſum cum litteris poſt eum ad Capitulum, abſolutionem ejus ab officio poſtulantes, quod & factum eſt. Fratres autem unanimiter omnes, in Zegeberge Conventuales in electionem alterius Prioris compromiſerunt, in Priorem de Windeſem, & ſuum Conventum, ut ſecundùm Deum & conſcientias ſuas eligerent eis Priorem, vitâ ſuâ, & ætate idoneum, ſecundùm formam ſtatutorum noſtrorum. Prior ergo, & Conventus in Windeſem concorditer nullo diſſentiente elegerunt ibidem in Priorem fratrem Joannem Buſch (qui tunc habitavit in Bronopia, apud Moniales ad duo milliaria in Windeſem) in Windeſem conventualem; decretum electionis ſibi transmittentes, & ejus deſuper conſenſum requirentes; Qui conſiderans, Dominum Ducem (tunc ſcilicèt Philippum ſecundum) ibidem velle regere monaſterium ad inſtitutum fratrum antiquorum, ſicut ſub duobus iſtis Patribus fecerat, noluit conſentire, niſi Dux ſibi monaſterium ex toto regendum committeret. Ipſe voluit ſecum de Windeſem aſſumere ſuppriorem: ſi alicui aliquid in ſuo regimine diſpliceret, hoc ſibi aut ſuppriori ſuo ut diceret & revelaret, & ſi non ſequeretur emendatio, quæ verè erant emendanda, tunc dicerent, cui vellent. Si Duci aut ſuis (id eſt miniſtris & familiaribus ipſius Ducis) *primò dicere vellent, antequam ſibi, vel ſuo ſuppriori (ut ſoliti erant) tunc nollet eorum eſſe Prior. Miſerunt ergò ad Conventum illum, qui non reſpondit niſi per ambages, quod putabant, non deſervire pro Duce & Lubecenſibus, cum quibus habebat ante actiones, & impetitiones. Tantum intellexit, quòd ei in ſuam propoſitionem conſentire nole-*

nolebant. Similem expertus fuerat cum Frederico Magdeburgenſi Archiepiſcopo, ideò noluit in ſimilem coarctationem prælaturæ ſuæ introduci. Et quia ante triceſimum diem cognitionis electionis ſuæ oportebat eum conſentire, aliàs caſſa fuiſſet electio: idcircò conditionaliter conſenſit, videlicèt ſi reſponſum eorum ſibi placeret. Quô habitô Prior de Windeſem poſuit in ejus arbitrio, ſi vellet conſentire, vel non. Tunc Capitulum reſpondit (nomine ſcilicet Joannis Buſchii) *coram conventu ſuo. Ego N. electus & confirmatus in Priorem monaſterii in Zegeberge reſigno officium Prioratûs ibidem in manus Conventûs ejus, & ita Prior de Windeſem conſenſit in meam reſignationem. Commiſit tamen fratribus ibi præſentibus, & promiſerunt ita ſervaturos, quòd pro eo deberent, & vellent exequias ejus facere poſt mortem ejus, ac ſi decem annis ibi Prior fuiſſet: ſimiliter promiſit & Conventus. Poſtquam in ſulta prope Hildeſem electus fuit in Priorem, ordinatus eſt per venerabile capitulum noſtrum generale ibidem cum* **Joanne Clovekorn** *Priore in Richenberg viſitator dicti Monaſterii ad aliquot annos, ubi tunc Priorem habuerunt de Bodicken fratrem* **Joannem Valparch**, *à quo tunc libenter fuiſſent exonerati. Rogaverunt autem me unà cum Priore de Richenperge Conviſitatore meo, quatenùs adhuc eorum prior eſſe debuiſſem: quibus poſt multas preces reſpondi, ſi à Conventu meo de ſulta id impetrare poteſtis, tunc ego faciam ſub iſta conditione; ſi id facere non poteſtis, & ego à Conventu in Richenperge impetrare potuero, ut Conventus ille conſentiat, quatenùs Prior in Richenperge hic Prior ſit, in hoc velitis conſentire, tunc dabo vobis conſenſum, & ſum Prior Zegeberge, quia mihi idem eſt, ubicunq́ aliquid boni facere potuero ad honorem Dei & animarum ſalutem. Negabant illi dare conſenſum, & ita uterq́ manſit, ubi fuit. Anno ſequenti cùm eos viſitaremus, Priorem ſuum* **Joannem Walberch** *retinere voluerunt, & tamen in tertio anno abſolutus eſt. Deinde Priores habuerunt de propriis fratribus ad tempus. Modò habent in Priorem fratrem* **Albertum Bocoldie** *in Windeſem Conventualem, & eſt ſatis dives monaſterium.* Hæc Buſchius. Ex quibus ſanè colligimus, quanto diſcordiarum ac diſunionum turbine agitari ſoleant monaſteria, quæ ſe temporalium Dominorum aut imperio ſubmittunt, aut nimis concredunt ſubſidio: nam hæ continuæ inter Priores, & ſubditos Canonicos viciſſitudines, ac odia, his ſolis fulcris innitebantur, quò minùs intentam pacem, diſciplinamq́ue religioſam inducere Buſchius valuerit. Nec advertitur imminens ex tali dominatione periculum, ſicut dixit Propheta: *Comederunt alieni robur ejus, & ipſe neſcivit.* Ofe. 7. 9. Videtur autem iſtud monaſterium non diù in ſuſceptâ reformatione perduraſſe: teſtante enim Buſchio ultra triginta annos in actu, ſeu proceſſu reformationis fuerat. Statuamus ergò incœptam fuiſſe illam annô 1430. nam *Ludinkerkanum* monaſterium reformatum eſt annô 1428. & ex hoc primus reformationis Prior nomine *Hermannus* Sigebergam receptus eſt; parum igitur dixerimus, ſi duobus poſt Ludinkerkanam reſtaurationem annis ſecutam fuiſſe Sigebergenſem aſſeramus. Triginta autem annis duravit ipſe ſæpè fatæ reformationis proceſſus & ultrà, hinc ad ſexageſimum 15. ſæculi annum: at, ùt habemus ex notiſſimis rerum Holſaticarum, ac Epiſcoporum Lubecenſium hiſtoriis per *Detlerum* Epiſcopum 28vum annô 1535. adeò hæreſis reformatorum invaluit, ut jam undiq́ue abolita haberetur fides Catholica. Adeoq́ue nè ambigendum quidem, etiam mona-

monaſterium Sigebergenſe hac lue infectum, aut omnino hæreticorum Spolium evaſiſſe, aut certè priorem diſciplinæ legem amiſiſſe: adeoq́ue perdurantis vitæ Canonicæ tempus vix annos in omnibus centum adæquabit. Sed hæc de introducta Windeſemenſi reformatione ſicut à nemine iſtorum monumentorum perito negari poſſunt, ita ex adverſo de ſtatu hujus Cœnobii priſtino, & annum 1430. aliquantùm antecedente à quibusdam multùm controvertitur, cujusnam inſtituti homines illud incoluerint; præcipuè verò diſceptatur de illius Fundationis principiis. Bucelinus in ſua Germania ſacra Parte altera monaſteriologiæ diſertè decernit Benedictini Ordinis fuiſſe, in quo *S. Volcherus* cum aliquot fratribus monachis, à *Pribislao* Gentili Sclavorum Principe pro fide Chriſti Martyrio coronatus eſt, citátque in teſtimonium *Helmoldum*, *Abbatem Stadenſem*, *Crantzium*, & *Mainardum*: at infideliter. Neq́ue enim aut *Albertus Stadenſis*, qui *Helmoldum* ad verbum penè, de hoc *S. Volckbero* agens, transſcripſit, neq́ue *Crantzius* monaſterium unquam illud vel ejus religioſos incolas, Ordinis S. Benedicti dixit. Sed *Arnoldus Wion*, ùt bene obſervat Bollandus, primus inter monachos (quem *Philippus Ferrarius* ſecutus eſt) repoſuit. Nos itaq́ue, ut monaſterium hoc ab origine ſui inſtituti demonſtremus Canonicos habuiſſe regulares, neceſſe eſt, ut ſeriem hiſtoriæ aliquantò planiùs exhibeamus. Pro quo.

Sciendum, *Sclavoniam* olim ampliſſimam fuiſſe regionem, quæ juxtà *Jornandem* L. de reb. Ger. diſperticbatnr in orientalem, & ſeptentrionalem: illa complectebatur, quam nunc dicimus, *Moraviam* & *Bohemiam Albi*, ac *Muldâ* inclusâ (quorum incolæ *Dalemincii* dicebantur) deniq́ue ea, quæ *Albi* adjacent, aut inter eandem, *Salamq;* continebantur. Septentrionalis verò locabatur cis, & trans *Oderam*, nec non ad mare *Balthicum*: Sclavonia autem, hæc utraq́ue regio nuncupabatur à populis, qui ex ſtrictè ſic dicta Sclavonia ſeſe effundebant per ſuas prædationes in loca exteriora, ac demum quaſi reditûs, patriæq́ue ſuæ obliti, deveniebant ad prædictos terminos, quos, cùm à Vandalis deſertos reperirent, tanquam legitimi eorum occupabant ſucceſſores, dicti ex hinc diverſis vocabulis, *Venedi* tamen communiter audiebant, *Sorbbi Wilzi*, *Lini*, ac *Abotriti*. Erat hæc tota gens brutalis, & idolorum cultrix, avitæq́ue ſuperſtitionis ſuæ tenaciſſima, eòq́ue difficiliùs jugo Chriſti ſubigenda, quò armis ferocior, & regionis à ſe poſſeſſæ latitudine æquè, ac naturali quaſi munimine fortior videbatur. Penetravit tamen in hæc obſcuriſſima idolorum latibula lux Evangelica adeò, ut *Haroldus* Rex Danorum, poſtquam *Ludovico* Imperatore adnitente (ùt ſcribit Marianus Scotus in Chron. ad an. 828. & Sigebertus ad an. 825.) circà hæc tempora cum Uxore ſua ſacro fonte renatus eſt, religione ac fortitudine (teſtante *Adamo Bremenſi* hiſt. Scl. L. 2. C. 15.) inſignis, Chriſtianitatem in regno ſuo jam dudum benignè ſuſceptam usq́ue in finem conſtanter retinuerit. Vixit autem eodem tempore (quô tam egregiè ſuccreſcere cernebatur fides Orthodoxa in patentiſſimo illo *Daniæ* & *Venedorum* regno) *Adaldagus* Archiepiſcopus Bremenſis, bic ut adjutricem, quâ poſſet induſtriâ, manum ſupponeret, ad obtinendos ſelectiores quotidiè fidei fructus ordinavit in Daniam plures Epiſcopos, ùt rurſum ſcribit citatus Bremenſis C. 16. aitq́ue ſe eorum quidem nomina reperiſſe, ad

quas verò ſedes ſpecialiter inthronizati ſint, non facile potuiſſe invenire; credit autem id factum, quòd pro rara Chriſtianitate nulli Epiſcoporum adhuc certa ſedes deſignata fuerit. *Verùm*, inquit: *ſtudio plantandæ Chriſtianitatis quisq́ in ulteriora progreſſus, verbum Dei tam ſuis, quàm alienis communiter prædicare certabant.* Exinde refert Adamus quædam loca, in quæ ſignatè transmiſſi ſunt ab *Adaldago* Epiſcopo, Evangelium Chriſti adeò opportuno tempore nuntiaturi; profecitq́ue tam felici fœcunditate Divini verbi ſemen, ut ipſo eodem teſtante *Eccleſiæ in Sclavonia ubiq́ erectæ ſint: monaſteria etiam virorum, ac mulierum Deo ſervientium conſtructa ſint plurima. Teſtis eſt Rex Danorum, qui adhuc hodie ſupereſt, ſvein* (Sveno hujus nominis tertius Daniam rexit ab annô 1049. ad 1074.) *cum recitaret, Sclavoniam in duos & viginti pagos eſſe diſpertitam, affirmavit nobis, absq́ tribus, ad Chriſtianitatem omnes fuiſſe converſos, adjiciens etiam Principes ejus temporis Miſizza, Naccon, & Sederich, ſub quibus inquit pax continua fuit, Slavi ſub tributo ſervierunt.* Verùm non diù floruit hæc fœcunda fidei ſoboles: *Noviſſimis enim ejusdem* (quem ſuperiùs diximus *Adaldagi* Bremenſis Archiepiſcopi) *temporibus*, proſequitur Adamus, *res noſtræ inter Barbaros fractæ, Chriſtianitas in Dania turbata eſt, pulchrisq́ Divinæ religionis initiis inimicus invidens homo, ſuperſeminare Zizania conatus eſt. Nam tunc Svenoto* (aliàs & accuratiùs Sven-Ottho, utpotè quod nomini ſuo Sveno ſuperadderet nomen Cæſaris, à quo ſuperatus & ad fidem adactus eſt, *Otthonis* Magni, regnans multis viciſſitudinibus ab annô 980. ad an. 1012.) *filius Magni Haroldi Regis Danorum multas in patriam molitus inſidias, quomodò eum jam longævum, & minùs validum regnô privaret, conſilium habuit, & cum his, quos ad Chriſtianitatem pater ejus invitos coëgit. Subitò igitur facta conſpiratione, Dani Chriſtianitatem abdicantes Svein Regem conſtituunt, bellumq́ Haroldo indicunt &c.* Hæc pluraque alia Adamus. Quæ ſolùm referre libuit, ut pateat, quibus fatis fides iterum in his partibus ſit extincta, omnesq́ue Eccleſiæ hactenùs magna ſpe perſeverantis in verum Deum fidelitatis erectæ, ſolitariæ factæ ſint, atq́ue deſertæ, populo univerſo ad priſtinæ impietatis dogmata redeunte, & perdurante in pervicacia ſua, usq́ue dum *Sveno* ad ſe ipſum reverſus agnoſceret commiſſæ impietatis gravitatem, & toties à Deo percuſſus poſt quatuordecim annorum inedias, exiliaq́ue tolerata ad Dominum reverteretur, quem fœdifragus fidei deſertor, & parricida reliquerat non ſolùm, ſed & in membris ſuis nefanda crudelitate inſectabatur. Narrat verò Adamus à nobis hactenùs citatus, eodem penè tempore contigiſſe, ut Slavi rebelles Deo, & hominibus *totam Nordalbingiam ferro, & igne depopularentur, omnes Eccleſias incenderent, & ad ſolum usq́ diruerent. Sacerdotes autem, reliquosq́ Eccleſiarum miniſtros variis enecantes ſuppliciis nullum trans Albiam Chriſtianitatis veſtigium relinquerent.* Trans Albiam, inquam, ubi ſcilicet nunc Holſatiam, Sleswicum, & finitima loca conſpicimus. Narrat præterea ſibi ab ipſo *Sveone* præfato Danorum Rege fuiſſe relatum: *Aldinburgum civitatem populoſiſſimam tunc de Chriſtianis inventam fuiſſe*, ſed, præcipuè *in ſacratiorem Chriſti partem, Sacerdotes nimirum, horrendâ rabie barbaros deſæviiſſe: Sexaginta*, inquit: *Presbyteri, cæteris pecudum more obtruncatis, ibi ad ludibrium ſer-*

ſervati ſunt, quorum major loci Præpoſitus Oddar *nomen habuit, noſter conſanguineus, ille igitur cum cæteris tali martyrio conſummatus eſt, ut cute capitis in modum Crucis inciſa, ferrô cerebrum ſingulis aperiretur, deinde ligatis poſt terga manibus profeſſores Dei per ſingulas Slavorum tracti ſunt civitates, aut verbere, aut alio modo vexati, quousq; deficerent. Ita illi ſpectaculum facti & angelis, & hominibus in Stadii medio* 4. *Non. Junii victorem exhalaverunt Spiritum.* Hæc Sveno Rex. Reverſus autem annô, ùt notat Pagius, 994. pœnitens ad arma pietatis, & recuperans *Olavi* Regis Sueciæ Chriſtianiſſimi ope regnum ſuum, magnâ induſtriâ ad reimplantandam Chriſtianam religionem incubuiſſe dicitur, ſed ſtudiô fortè impotenti, urpote quòd viribus aſſequi non poſſet Ducum Saxoniæ tum his locis dominantium potentiam maximè curâ illum ſimul urgente oppugnandæ Angliæ. Quamvìs enim Dux Saxoniæ *Benno*, ùt refert ex Helmodo Lambecius L. 1. Orig. Hamburg. n. 41. vir eſſet, omni probitate conſpicuus, & ſtrenuus Eccleſiarum defenſator, attamen eidem annô 1010. mortem obeunti ſuccedens filius ejus *Bernardus*, bomo avarus, ferox, atque ſuperbus, adeò ſubditos Wandalos, Saxonum tributarios, iniquis pecuniarum exactionibus irritavit, ut, cùm iidem ſub *Bennone* recenter Chriſtianam religionem ſuſceperint necdum radices firmas in eorum cordibus capeſſentem, facili auſu abjecerint, & aſſumptis armis libertatem ſuam ingenti fidei Catholicæ damno ſibi vindicare quæsjêrint. Igitur dum Adamus videtur ex Svenone narraſſe eam cladem ſibi, dum adhuc rebellis erat Numini, contigiſſe, veriùs, certiúsque ex Helmoldo Lambecius citatus ſcribit, illam ſub hoc Bernardo, adeòque Svenone jam diù ad Chriſtum reverſo patratam. Ut igitur propriè totius Saxoniæ Transalbinæ à fide defectio Bernardi temporibus ſit affigenda, binc & altera crudelitatis in Chriſtianos ab Adamo deſcriptio. Duravit autem afflictio hæc Chriſtianorum usque ad tempus, quo Bernardus dexteritate *Unvvani* Archiepiſcopi annô 1013. Imperatori *Henrico* reconciliatus eſt, & transalbinæ Saxoniæ pax reſtituta (videndus ſæpè cit. Lambec. n. 43.) reprimebatur tamen fidei propagatio, ubi Obotriti annô 1066. ſuô interfectô Principe *Gotſcalcô* Chriſtianæ religionis fervido propagatore ad ſuperſtitionem toties ejuratam relapſi omnem mox nominatam transalbinam Saxoniam devaſtârunt. Adjicienda hic ſunt, ut randem ad metam noſtri propoſiti perveniamus, quæ de hac depopulatione Helmoldus ſcribit L. 1. C. 4. *Slavi quidem*, inquit: *victoriâ potiti totam Hamburgenſem provinciam ferro, & igne demoliti ſunt, Sturmarii & Holſati ferè omnes aut occiſi, aut in captivitatem ducti. Caſtrum Hammenburg funditùs exciſum, & in deriſionem Salvatoris noſtri, etiam cruces à paganis truncatæ ſunt.* Notat autem Anonymus hiſtoriæ Epiſcoporum Bremenſ. in *Alberto I.* ad an. 1067. hanc eſſe Slavorum tertiam negationem, ſeu defectionem à fide, *illos enim primò* (Verba ſunt hujus Chroniſtæ) *Carolus convertit, ſecundò Otto tertius, tertio verò tunc Princeps Gotſchalcus.* Fuit porrò hæc defectio tam crimino ſa, ut non tam oblitterata fides Catholica in Saxonia transalbina videretur, quàm nunquam inibi exſtitiſſe. Certè tempore *Lotharii* Coronam Imperii per manus *Innocentii PP.* capeſſentis, hoc eſt annô 1131. adeò ipſa exulabat, *ut non eſſet Eccleſia, vel ſacerdos in univerſa gente Luticiorum, Obodritorum, & Wagirorum*, reſte Alberto Sta-

Mmm 3 denſi

denſi in Chron. ad an. 1133. & tunc demum exortum eſt in tenebris feliciſſimum lumen, magnus ille totius Saxoniæ transalbinæ Apoſtolus *Vicelinus*, qui nobis, ut hæc diſſeramus, occaſionem ſuppeditavit. Neq́ue credimus minùs accepta Lectori hâc nos narratione tradidiſſe, quantum enim notitia eorum, tum ad præſentem, tum ad alias de Eccleſiis Hamburgenſi, Bremenſi, Aldenburgenſi, Ferdenſi &c. deſcriptiones conferre debeant, tunc, ubi de quavis ſpeciatim agemus, edocebimur.

Sanctus igitur hic Vir *Vicelinus*, ùt narrat hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, anno D. 1133. (fallit hic Calculus, ſubſtituendusque eſt annô 1124.) *Surrexit, & venit ad Regem Slavorum Lubeke, rogavitq́ dari ſibi facultatem prædicandi verbum Dei infra terminos ditionis ſuæ, dedit autem Dominus illi intellectum, & cor docibile: Orationi etiam ſæpiùs vacans, omnium Sanctorum ſuffragia efflagitabat, præcipuè verò Beati Nicolai, cui ſpecialiùs ſe mancipaverat: unde etiam contigit, ut vice quadam ejusdem natalitia celebraturus, in Oratorio S. Brigidæ ſocios convocârit, ubi veſpertino & matutino officio ſolenniter expleto, angelicæ voces à quibusdam auditæ ſunt, pſallentes juxta morem Cleri reſponſorium: Beatus Nicolaus jam triumpho potitus &c. Iſte* Vicelinus *ſub* Friderico *Archiepiſcopo vocatus Bremam, ibiq́ ſcholas ſtrenuè rexit, poſteà cum quodam juvene* Thietmaro *perrexit in Franciam & ſtuduit ſub Magiſtris Rodolpho & Anſelmo. Tribus igitur annis in ſtudio transactis, reverſi ſunt.* Thietmarus *in Bremis fit Canonicus, Vicelinus Magdeburg ad Norbertum veniens fit ſacerdos, deinde venit Bremam ad Archiepiſcopum* Alberonem *à quo legationem accepit ad gentes Slavanicas, cum Rodolpho Hildenſemenſi & Ludolpho Verdenſi Canonicis. Hi Hinricum Regem repertum in Lubeke convenerunt, rogantes dari ſibi facultatem prædicandi verbum Dei. Qui nihil titubans viros digniſſimos coram gente ſua magnis honoribus extulit, deditq́ eis Eccleſiam Lubeke, ubi tutâ ſecum ſtatione poſſent conſiſtere, & agere, quæ Dei ſunt. Redeunt in Saxoniam ordinaturi de rebus ſuis, & præparaturi ſe ad iter Slavicum. Eo tempore Archiepiſcopus Adalbero pertranſiit Albiam, venitq́* Meltorp, *&* Vicelinus *cum eo --- venerunt ad eum cives de* Faldera, *rogantes dari ſibi ſacerdotem. Archiepiſcopus acceptum per manus Vicelinum, commiſit eum cuidam Marchrado præpotenti viro, ſicq́ abiit cum ipſis. Dedit autem ei Dominus gratiam in conſpectu gentis illius, ſtatimq́ ùt prædicare cœpit, multa populi caterva ad pœnitentiam confugit.* Atq́ue hæc ſunt *Vicelini* Apoſtolatûs, ſuæq́ue vitæ primordia, in quibus an prudens quisque Arbiter monachiſmum, & quidem S. Benedicti reperire poſſit, quem *Vicelino* adjudicet, non reperio. Neq́uè etiam viciſſim, fateor, ex his confici poteſt, eum Canonicum regularem fuiſſe, quamvìs magis *Canonicum*, quàm *monachum*. Nam quæ de *Vicelini* ſtudiis, instructione Scholari, ordinatione ſacerdotali narrantur, omnia aut *Clericum* probant, aut *Canonicum*, nunquam *monachum*. Quamvìs enim cum *Thietmaro Vicelinus* in Francia ſub *Rudolpho*, & *Anſelino* Magiſtris ſtuduiſſe dicatur, neutrius tamen ſtatus, conditióque exprimitur: *Thietmarum* ſcimus in Bremis factum (poſt triennale illud ſtudium) Canonicum, ſed quis *Vicelinus?* hiſtoricus noſter omninò reticet, verùm hoc ſilentium facilè ex Helmoldo ſolvitur (qui Vicelino ſynchronus vixerat) ait enim, ſe *multorum adhuc,*

qui

qui ſuo tempore ſuperfuerant, habere notitiam, quis, quantæq́ opinionis Vicelinus fuerit. Imò Cap. 42. Chron. dicit, *ſe, ipſum Vicelinum audiviſſe, dicentem, quia ad verbum illius Sacerdotis* (qui nimirum eum adhuc ſcholarem de ignorantia inculpaverat) *reſpexit eum miſericordia divina.* Hic igitur Cap. 45. de ſtatu *Vicelini* ſic loquitur, *cùm in Franciâ ſacris litteris aſcitô ſibi ſociô Thetmarô navaret operam. Quæſtiones,* inquit: *ſupervacuas, pugnas verborum, quæ non ædificant, ſed magìs ſubvertunt, omninò devitans ad ea ſolùm eniſus eſt, quæ ſobrio intellectui & moribus inſtruendis ſufficerent. Deniq́ accepto ſemine verbi Dei, eousq́ convaluit, ut jam tunc propoſuerit propter Deum auſteriores vitæ vias aggredi, abdicare ſcilicet carnis eſum, cilicio ad carnem operiri, cultui Divino arctiùs applicari, adhuc enim Acolitus exiſtens, altiori gradu abſtinuerat, timens lubricum ætatis. Ubi ergò maturior ætas, & diuturnum continentiæ experimentum viro firmitatem addiderant, tranſactis in ſtudio tribus annis, ſtatuit patriam reviſere, & ad ſacros ordines promoveri - - - - poſt hæc recepti* in patriam (Vicelinus nempè cum Thetmaro) *diviſi ſunt ab invicem; & quidem Venerabilis Thetmarus Canonicâ Bremenſis Eccleſiæ inveſtitus eſt: at Magiſter Vicelinus oblatam recuſavit, ordinatione Dei ad opus aliud deſtinandus.* Hæc Helmoldus, ex quo clariſſimè *Vicelini* ſtatum cognoſcimus clericalem fuiſſe, nihilque minùs quàm monaſticum; nè dicam Benedictinum. Neque etiam, cùm per B. *Nordbertum* in ſacerdotem ordinaretur, aliquid aſſignari poteſt, quo *Vicelinus* monaſtici alicujus inſtituti Cultor probari poſſit. *Statim enim,* inquit idem Helmoldus, *ac ad Sacerdotii gradum promoveri meruit, ferventiſſimo Zelo æſtuans, quibusnam ſedibus locandus, aut cui operi mancipandus foret? in quo Eccleſiæ fructuoſus exiſteret; audivit famam Henrici Principis Slavorum, & qualiter idem domitis Barbaris gentibus, ad ampliandum cultum Domûs Dei pronam geſſerit voluntatem. Ratus ergò ad opus Evangelii ſe divinitus vocari, adiit venerabilem Adalberonem &c.* Narrat dein Helmoldus prima à *Vicelino* inter Barbaros divini verbi jacta ſemina, & ejus ab *Adalberone* allegationem in Falderenſem Eccleſiam: velut hæc omnia jam ex hiſtorico Archiepiſcoporum Bremenſium retulimus, ipſius indubiè Helmoldi compendiatore. Dein verò in ipſa Falderenſi Eccleſia primam reperimus memoriam coadunatæ cujusdam congregationis, & aſſociantium ſe *Vicelino* hominum ad religioſam ſervitutem: nam *poſtquam vir Sanctus ſuis prædicationibus corda audientium Barbarorum quôdam quaſi grandi miraculo perculit, inſonuitq́ vox prædicationis ejus in omni Nordalbingorum provincia,* ùt inquit citarus Helmoldus: *tunc Vicelinus ipſe cœpit piâ ſollicitudine circumjacentes viſitare Eccleſias, præbens populis monita ſalutis - - - - & comperta ſanctitatis ejus fama multi tam de Clero, quàm de Laicali ordine convenerunt ad ipſum, inter quos primi, & præcipui fuerunt Venerabiles ſacerdotes Ludolphus, Eppo, Luthmundus, Volkvvardus, cæteriq́, quàm plures ex quibus aliqui dormiunt, quidam verò adhuc ſuperſtites ſunt. Hi ergo ſacris connexi fœderibus ſtatuerunt amplecti cœlibatum vitæ, perdurare in oratione, & jejunio, exerceri in opera pietatis, viſitare infirmos, alere egentes, tam propriam quàm proximorum ſalutem curare. Super omnia verò pro Slavorum vocatione ſolliciti orabant, Dominum, oſtium fidei quantocyus aperiri.* Hiſcè Helmoldus explicat *Vicelinum* cum ſuis, ſtatum religioſum fuiſſe amplexum, at in bivio relinquit, quem illum? igitur ad alia recurrendum documenta. Atque ut ea breviter,

ter, nervoſeque adducamus, refert in actis SS. Henſchenius ad diem 7. Martii in vita S. *Volkeri* Martyris extitiſſe Bordesholmii tabellam veterem certâ, & requiſita authoritate dignam parieti templi appenſam, in qua, dum vita S. *Vicelini* continebatur, hæc diſertis verbis legebantur: *ibidem* (id eſt Faldaræ) *monaſterium Canonicorum Regularium inſtituit:* ſcilicet S. *Vicelinus*. Hinc non commentitiis innixus opinionibus Continuator Helmoldi, Scriptorque ſæculi decimi quinti ait: apud eundem Henſchen: in vita S. *Thetmari* die 17. May. *Hic Sanctus Vicelinus veſtem religioſam, quam Canonici Bremenſes cum regula S. Auguſtini abjecerant, derelinquere nolens cum ſancto viro Thetmaro Cantore Bremenſis Eccleſiæ partes Holſatiæ adiit &c.* Ergò apertè habemus, *Vicelinum* Canonicum Regularem fuiſſe, regulam S. *Auguſtini* profitentem. Sed dubium jam in eo verſatur, ubi, ac quo tempore? cùm Helmoldus à nobis ſuprà relatus penè omnem ſuccidat ſupputandi occaſionem temporis, quo tale inſtitutum profeſſus fuerit *Vicelinus*, ùt colligitur ex adductis, & ante ejus apud Gallos ſtudia, quia tunc primò propoſuit propter Deum arctioris vitæ vias aggredi, ùt inquit Helmoldus, præcipuè ubi addit, quòd adhuc acolytus exiſtens arctiori gradu abſtinuerat, timens lubricum ætatis, non videtur id cum homine religioſo componi poſſe. At repono maximè hæc verba Helmoldi inſinuare *Vicelini* eam vitam religioſam, quæ tunc paſſim apud Canonicos Regulares agebatur, ut identidem jam obſervavimus; quâ ſcilicèt ſe ſimplicibus ſolùm votis obſtringebant tum, ubi necdum majoribus ordinibus erant inſigniti: vide, quæ hac de re in Exegeſi noſtra declaravimus. Quod igitur Helmoldus ait, *Vicelinum* accepto ſemine verbi Dei, convaluiſſe, ut jam tunc propoſuerit propter Deum auſteriotis vitæ vias aggredi, clarè indicat has vias non fuiſſe, quibus ducebatur ad aliquod inſtitutum eligendum, ſed ad novam magis exercendæ virtutis methodum in jam anteà aſſumpto religioſo ſtatu amplectendam. Quique juxtà communem Canonicorum frugalitatem carnibus veſcebatur, lineis interulis induebatur, ex tunc proponebat majori mortificationi ſe dare, quod ipſum, haud dubium eſt, ſe ab *Anſelmo* Canonico viro religioſiſſimo & Magiſtro ſuo didiciſſe. Porrò Eccleſiam Bremenſem non diù in illa relaxatione perſtitiſſe, perſuadent Scriptores ea tempora enarrantes: nam imprimis condemnare falſitatis non ſtatim poſſumus Helmoldi apud Henſchenium Continuatorem, qui diſertis verbis ait, *Vicelinum veſtem religioſam, quam Canonici Bremenſes cum regula S. Auguſtini abjecerant, derelinquere noluiſſe*, ergo & *Vicelinus* & Canonici Bremenſes regulares tum fuêre, & quidem ſub regula S. *Auguſtini:* at iſti eam tunc deſeruerant, dum *Vicelinus* retinuit, hanc verò non tum primò profeſſus erat, quando redux ex Francia Bremam venerat, ſed antea, cùm adhuc Bremenſes ipſi pro regularibus ſe habebant. An verò ſtrictè loquendo Bremenſis profeſſus fuerit, non facilè definiêro, quin potiùs credam eum vitam Canonicam in Eccleſia Paderbornenſi induiſſe, quæ tum pleniſſimè regularis erat, ùt alibi notamus. Movet ad hoc aſſerendum Helmoldus, hic enim Cap. 42. poſtquam primævam ejus inſtitutionem, in patriis laribus præhabitam deſcripſit, narrat dein duram increpationem à ſuo moderatore eidem ignorantiùs reſpondenti impactam. Deniqúe ad rem noſtram ſequentia ſubjicit, ac deducit: *tantæ*, inquit, *Cavillationis verbum modeſtia juvenis extimuit*,

muit, ſtatimq; Caſtello ſeſe proripiens, etiam ſine valedictione diſceſſit tantis lachrymis inundans, & verecundiæ punctiones ſuſtinens, ut vix cuipiam opinable ſit. Audivi eum ſæpènumerò dicentem, quia ad verbum illius ſacerdotis reſpexerit eum miſericordia Divina. Abiit ergo Patherburnen, ubi tunc fortè ſtudia litterarum florebant ſub nobili Magiſtro Hartmanno, cujus etiam menſa, & contubernio uſus, quàm plurimis annis tanto fervore, tantâ deniq; inſtantiâ ſtuduit, ut non facilè explicari poſſit. Chori præterea diligentiſſimus curator exſtitit, inter primitias adoleſcentis religionis deſervire Deo ſuave, piumq; putans, - - - dedit autem Dominus viro illi intellectum, & cor docile, ſupercreſcensq; ſocios in brevi factus eſt in ſcholis regendis Magiſtro adjutor. Præerat ergò ſociis in ſolicitudine, inſtituens tam doctrina, quàm
p. 44. *exemplo.* Ait dein idem Helmoldus *Vicelinum* in Patherburnenſi Eccleſia tamdiu perſtitiſſe, quousque vocatus Bremam, curandis ſcholis Magiſter ibidem præfectus eſt. *Fuitq; in regendis ſcholis vir valdè idoneus curator Chori, eruditor juvenum, forma boneſtatis &c. Quamobrem diligebat eum Antiſtes Fridericus, cæteriq;, quos aut dignitas, aut honeſtas in Eccleſia fecerat editiores. Illis ſolùm oneroſus videbatur, quibus conſuetudini fuerat, deſerto cultu Eccleſiæ, & diſciplina Clericali bibere in tabernis, ſpatiari per domos &c.* Erat ſanè tunc jam clericalibus, vitâque Canonicâ *Vicelinus* initiatus, quamvis enim expreſſis verbis Helmoldus id non enuntiet. At Cap. 2. ſeq. cùm ejus in Franciam abitum relictis ſcholis Bremenſibus narrat, Acolythum fuiſſe aſſerit, qualis ſupponendus eſt potiùs Paderbruni, quàm Bremæ factus, utpote, quòd ibi primùm ſcholis præfectus illam de B. *Nicolao* apparationem habuit, dum ab eo orationi vacante, *veſpertino & matutino officio ſolenniter expleto Angelicæ voces auditæ ſunt, ipſiq; Vicelino acceſſit gaudium de miraculo, & de gaudio cumulata devotio.* Cæterùm non pervicaciter pro Canonicatu Paderbornenſi S. *Vicelino* adſcribendo decerto, dum aliunde non licet hac in re niſi conjecturis uti, quæ mihi ex adducto teſtimonio, pro illo, quàm pro Bremenſi probabiliores. Utrobique demum ſe Deo devoverit in minoribus conſtitutus, nihil obeſt, quò minùs Canonicus, isque regularis fuerit, ſi Paderburnæ è rem confectam habemus; utpote quæ tunc regularis, ſæculô 13. teſte Buſchio ſæcularitatem amplexa eſt, ſi verò Bremæ? ſufficit nobis adductum Henſchenii teſtimonium ex Helmoldi continuatore: nam omiſſà ſub *Bezelino*, ejusque ſucceſſore *Alberto* regularitas potuit perfacilè rurſus, meliorique fœnore cum regula S. *Auguſtini* introduci ſub *Liemaro* viro alioquin religioſiſſimo, ſi propenſionem minùs laudabilem in *Henricum* Imperatorem excipias: aut ſub *Friderico* non minùs Eccleſiaſticæ diſciplinæ Zelatore eximio, quamvis & eadem, ùt ex citato Continuatore colligimus, non diù duraverit. Vel denique locus continuatoris ſic explicari poſſet, *Vicelinum* Canonicum Paderbrunenſem regulam S. *Auguſtini* ibidem profeſſum cum *Tethmaro* Bremam veniſſe, ubi hic nulli adhuc religionis innexus ſtatui præbendam ſuſceperit, quæ etiam *Vicelino* ab antiquis noto, atque Bremenſibus dilaudato potuit offerri, neque enim tales præbendæ ſunt incompatibiles cum votis, ùt patet experientiâ, ac noluiſſe eum perfectionis religioſæ non ſolùm conſervandæ, ſed & augendæ deſiderio ardentem ſuſcipere, maximè inter actu relaxatos &c. & hæc de *Vicelini* Canonicatu ante apoſtolatum ſuum Slavicum dicta, jam ſatis, ùt opinor, declarant,

quàm inſolidè à Wione inter monachos ſui ordinis ſit adſcriptus. Neque etiam crediderim, ſat firmis fundamentis eam perſtare ſententiam, quæ Sanctum hunc noſtrum præmonſtratenſibus vindicat (de quo tamen refutando non multùm laboramus, utpote quòd tunc ejusdem nobiscum rationis atque inſtituti Præmonſtratenſes fuiſſe, jam alibi probaverimus) nam Vicelinus non poterat niſi naſcenti primùm Norbertinæ reformationi (quam ſcimus annum 1120. non præceſſiſſe) addici; at incredibile eſt, vitam S. *Norberti* accuratiſſimè deſcribenti Hugoni, & alios ejusdem Sancti viri ſocios tam diſertè enumeranti ſolùm è memoria & calamo *Vicelinum* excidiſſe, quem alii Scriptores ejusdem temporis plerique tam ſedulò, & honorificè nominant. Prætérquam, quòd tempus aſſignari vix poſſit, quô *Norberto* per ſui inſtituti ſuſceptionem convixerit, ſi pauxillum illud excipias, quò ab Helmoldo dicitur Sancto innoteſcere, & tum ad ſacerdotii gradum Magdeburgi promoveri meruiſſe à *Norberto*, qui Magdeburgenſem Cathedralem annô 1126. obtinuit.

Nunc itaque, quia, quantum fieri Potuit, *Vicelinum* Canonicorum Regularium inſtituto vindicavimus, de ipſo quoque *Sigebergenſi* monaſterio agamus, in quo longè faciliùs inſtituti Canonici rationem à prima origine floruiſſe demonſtrabimus: Rem ſequentibûs accipe. *Vicelinus* oblatam ſibi ab *Adalberone* provinciam paratô animô ſuſcipiens primùm cum ſociis *Rudolpho* Hildenſemenſi, & *Ludolfo* Verdenſi Canonico, qui ſe devoverant in opus miniſterii hujus, terram Slavorum, & quidem Lubekam adit, ſed propoſitum iſtud morte *Henrici* Principis piiſſimi præpeditum paulò pòſt ab eodem *Adalberone* per Falderenſes Cives expetitur, quibus etiam verbum Dei cum ſociis ſuis tanto fructu prædicavit *Vicelinus*, ut ſicut jam ſuperiùs ex hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium, & Helmoldo retulimus, *ejus compertâ Sanctitatis famâ multi tam de Clero, quàm de laicali ordine convenerint ad ipſum &c.* Primum igitur Cœnobium, quod inhabitabat *Vicelinus*, Falderenſe fuiſſe, ac in eo Canonicos ab ipſo regulares inſtitutos, jam in hujus deſcriptione probavimus. Perſtitiſſe in hoc ſuo apoſtolico munere videtur Vir ſanctus usque ad annum 1134. velut id Cap. 53. Chron. Helmoldi notatur. Tunc ergò Cœnobium Sigebergenſe ſuum ſumpſit exordium; nam perſuadente *Lotharium Vicelino* ad caſtrum in monte præalto adversùs Barbarorum inſultus conſtruendum in provincia Wagirenſi idem *Lotharius* Imperator Chriſtianiſſimus in pede ejusdem montis pariter cœnobium adjecit (ùt teſtatur in Helmoldi Chronico Korneri lectio) cooperante principe *Adolpho*, *Vicelino* verò Sacerdoti Falderenſi commiſſum eſt ad perficiendum, *deputavitq́*, ſicut Helmoldus ſcribit, *in ſubſidium divini cultûs, & ſtipendia fratrum illic adunandorum, ſex vel eò ampliùs oppida, juxtà morem privilegiis conſtabilita.* Adlaboravit autem Zelator hic Evangelicus, ſuamque operam omnimodis contulit tantæ pietati Principis: *legationis enim* (narrante Helmoldo) *ſibi credita ſolens curator, idoneas Evangelii perſonas ad opus miniſterii conſcivit, ex quibus venerabiles ſacerdotes Ludolfum, Hermannum, Brunonem in Lubeke conſtituit, Luthmundum cum cæteris Sigeberus eſſe mandavit, factumq́ eſt miſericordiâ Dei, & virtute Lotharii Cæſaris ſeminarium novellæ plantationis in Slavia.* Quæris ergo, quæ iſta fuerit

rit novella plantatio? certè non alia, quàm Regularium Canonicorum, eosdem enim, quos in Neomonaſterio conſtituit Canonicos, dum per diverſa Wagriæ loca ad exſtruenda, & firmanda monaſteria dimiſerat, ad hoc ipſum Sigebergenſe delegâſſe audivimus, quorum primus fuerat *Luthmundus* paulò poſt ad Præpoſituram *Kevenenſem* à *Vicelino* ordinatus, Præpoſitus vero Sigebergenſis Ludolphus, aut ille, qui paulò ante Lubekam miſſus, aut alius nomine æquivocus. Unde metra illa de S. Vicelino.

Deque monaſterio proprio ſibi collocat iſto
(Hoc eſt de neo-monaſterio Falderenſi)
Natu majores in clauſtrum Sigeberg omnes
Illic Præpoſitus Ludolf. Thietmarque Decanus
De Brema raptus, Rachel complexibus aptus,
Presbyter & Flandrus, ibi Volkar claviger aptus,
Et reliqui fratres ibi, cum pueris ſeniores.
Ceſſit & in Kavena Lindmundo Præpoſitura.
Presbyter aptus et Manbrandus, ſit Comes illi.

Quotquot verò præfatorum virorum nomina audivimus, non alios cenſere oportet, quàm Sanctitate eximios, verosque Wagrienſis terræ, & circumjacentium locorum Apoſtolos, quorum labores, ingentiaque in Eccleſiam merita ſuô tempore diſtinctè dabimus.

Porrò Eccleſia Sigebergenſis vix dum in origine ſua *Lotharii* Imperatoris munita patrociniô neoconverſis Wagrienſibus Holſatiſque apparuit, jam penè iterum in ſuis incunabulis ſuffocata eſt: nam piiſſimo *Lothario*, duodecimô poſt ejus fundationem annô, fatis functô, *Pribislaus* ſolâ *Lotharii* auctoritate à tyrannide, odióque adverſus Chriſtianos internè retentâ cohibitus, mox, ùt Imperatorem obiiſſe audiit, eum, quem ſe dudum profeſſus eſt, inimicum, hoſtemque Chriſtianitatis probavit, qualem in nullo tyranno, & perſecutore Eccleſiæ crudeliorem mundus viderat, aut expertus eſt. Nibil nos de hac ejus immanitate referemus; nè nimii ſimus, id ſufficiat, quòd Helmoldus Cap. 55. ſcribit Pribizlaum ſcilicèt *aſſumpta latronum manu, ſuburbium Sigeberg, & omnia circumjacentia, quæ Saxonum erant contubernia penitùs eſſe demolitum. Ibi oratorium novum, & monaſterii recentem ſtructuram igne pariter fuiſſe conſumptam. Volkerum autem fratrem magnæ ſimplicitatis ictu gladii percuſſum. Cæteros fratres, qui evaſerant, ad Falderenſem portum refugiſſe. Sydo* autem neomonaſterii Falderenſis hiſtoricus ait: *Lundmundum*, ſeu Linthmundum, *qui tunc Rectorem Sigebergenſis cœnobii egerat, cum ſuis declinantem ſævitiam perſecutionum de Sigheberge in Bisbort receptum fuiſſe.* Verùm tantis inundantibus malis non poterat non mereri meliora tempora *Vicelini*, ſuorumque Canonicorum pietas, factum itaque diſponente Dei Clementiſſima bonitate, ut Principum tunc inter ſe continuis armis concertantium corda demum pacifica conventione unirentur, inter quos *Adolphus* 2dus ad annum 1138. totius Wagriæ effectus Dominus Sigebergam recondidit, cœnobium pariter diſſipatum mirâ liberalitate reſtruxit, reſtituens prædia illa, quæ *Lotharius* cœnobio Sigebergenſi legaverat. Sed neque hæc ſecunda reparatio diù ſe tenuit, ſi *Sydoni* credimus, & de quo Helmoldus quoque Cap. 63. quod tamen annô

annô 1138. fieri non potuit, ùt Henſchenius computat, nam eo annô caſtrum cum monaſterio reſtructum eſt, ùt diximus, & *Adolphus* aliquantâ pace fuerat potitus. Denique perſtitiſſe Caſtrum Sigebergenſe unâ cum monaſterio usque ad an. 1148. infrà patebit, atque tunc indubiè contigerit à *Sydone* narratus novus Slavorum incurſus, novaque Sigebergenſium afflictio, dum ait: quòd *una die tribus in locis Lackelſe, ſuſſe, Sigheberge terram latrocinio invaſerunt, & villas multas incendio vaſtantes inopinato impetu multos cæperunt, plures occiderunt, ipſo die Elvercius ſic occiſus eſt ad Travennam, delatus, in novo-monaſterio ſepultus eſt &c.* Hanc ſecundam invaſionem Slavorum reponit Henſchenius ad tempora *Lotharii*, quæ reponenda eſt ad tempora *Conradi*: nam prima, per quam *Volkerus* coronatus eſt, non poteſt arcis Sigebergenſis conſtructionem præcedere, cùm expreſſè legatur in Korneri editione: *monaſterium, quod ſubter Caſtrum ſituatum eſt, pro eodem tempore fundatum eſt ab eodem principe cooperante Adolſo Comite.* Obiit *Lotharius*, ùt advertimus ex communi calculo hiſtoricorum annô 1137. ad initium Menſis Decembris, quo tempore indubitatum eſt, *Pribizlaum* regnum obotritorum poſſediſſe cum fratre *Nicloto*, quod ipſum Henſchenius aſſerit in vita S. Volkeri 7. Martii n. 4. adeoque ſub hoc tempore debuit prima invaſio Barbarorum adnitente *Pribizlao* contingere; aut ſcilicet ſtatim inaudita *Lotharii* morte ipſo menſe Decembri annô 1137. aut ad initium anni ſequentis, de qua Clade Helmoldus Cap. 55. Poſtmodùm pace ab *Adolpho* 2do obtentà reſtructum eſt caſtrum Sigebergenſe cum cœnobio teſte Helmoldo Cap. 56. quod mallem aſſerere circà annum 1140. quàm citiùs contigiſſe, ſed annum, quia nobis nullus veterum deſignat, in ſuſpenſo relinquimus. Alteram verò Sigebergenſem devaſtationem ſeu *Nicloto* adſcribamus, ſeu *Svvein*, ùt colligitur ex Chronica Slavica apud Lindenbroggium cit. Quamvìs non contigerit odio fidei, attamen religioſis ibi commorantibus in eam perniciem ceſſit, ut ultrò non cenſuerint ibidem commorari: unde huc referendum, quod citatus Chroniſta Cap. 20. narrat, *Adolphum* ſcilicèt Comitem amicitias cum *Nicloto* iniiſſe, atque monaſterium infrà montem *Zegeberg* ſitum transtuliſſe ad locum Slaviæ dictum *Cuzalina*, Teutonicè *Hojerstorp* (de quo ſuperiùs egimus) & Eccleſiam ſub monte factam eſſe parochialem. Quod juxta hunc auctorem contigit circà annum 1148. paulò ſcilicet antè, quàm S. *Vicelinus* in Epiſcopatum Aldenburgenſem eſt aſſumptus. Nam dum ea, quæ hìc protulimus de translatione monaſterii Sigeberg: Author præfatus deſcripſit, mox addit: *circà hæc tempora Bernardus Clarevallenſis Abbas claruit, Eugenio exiſtente Papa.* Scilicèt annô 1148. ſubjicitur mox nova Sigebergenſis Caſtri ſubverſio, ſed quæ absque dubio ſubſecuta eſt translationem poſiti ibidem monaſterii.

Ex his patet tunc monaſterium Sigebergenſe in ſolam parochiam aliquam fuiſſe converſum, donec ſenſim eliminatis omnibus gentis illius ſuperſtitionibus, paceque inter ipſos quoque Principes terræ ſtabili firmatâ fœdere, plurimùm ſe Chriſtiana religio dilatavit, & cum ea pariter non pauca ordinis noſtri monaſteria tam per Principes, quàm Epiſcopos, quorum magnus numerus è noſtris præſederat, complura conſtructa ſint, atque eximia liberalitate fundata, tumque non improbabile eſt rurſum Sigebergenſem

ſem Parochiam monaſterii jura legesque reſumpſiſſe, quas cùm usque ad annum plus minùs 1428. ſub *Auguſtini* vexillo nec ſine notabili jam labefactatione primævi fervoris tantùm non omninò abjeciſſet, Windeſemenſi ſe demum reformationi ſubdiderat eo eventu, quem ſupra ex Buſchii narratione dedimus, quemque ſæculo decimo Sexto contigiſſe non ſine fundamento, gravique pondere rationum inſinuavimus.

Exſtitit autem ipſum Sigebergenſe cœnobium ibidem, ubi eſt Segebergum urbs in Wagria. Authorum quia paſſim per decurſum citationem adjecimus, non vacat hic rurſum repetere.

Fundat. circa an. 1181. Exſtin-ctum.

Kaltenbornenſe S. Joannis Evangeliſtæ Præpoſitura.

Celeberrimum hoc, ac antiquiſſimum collegium originem ſuam circà annum 1181. obtinens Fundatorem habuit *Wigmannum* Comitem vulgò de Saxonia dictum, unde monachus Reinhardsbornenſis in ſua hiſtoria Landgraviorum Tburingiæ de *Cunigunde* filia *Ludovici* Saltatoris Thuringiæ Comitis ait: *Cunigunda nupſit Wigmanno Comiti de Saxonia, qui Eccleſiæ Kaldenbornenſis fundator exſtitit.* Sunt, qui fundationem hanc potiùs *Cunigundæ* adſcribunt, quod non rejecerim, utpote quæ totum Kaltenbornenſem diſtrictum in dotem dicitur Marito attuliſſe. Quia tamen *Wigmannus* in litteris hanc fundationem confirmantibus & ab *Honorio* Papa datis ſolus ſine *Cunegundis* adjecta memoria legitur, principalem certè fundatorem *Wigmannum* agnoſcimus, & exindè ſecundas facilè deferimus *Cunegundi*.

Inducti ab origine in hoc clauſtrum fuère Canonici regulares, undè *Honorius* diſertè in ſua Bulla: *Dilectis*, inquit: *filiis Godescalco Præpoſito, & ejus fratribus in Eccleſia Sancti Evangeliſtæ* (Joannis) *de Caldenbruna Canonicam vitam profeſſis tam præſentibus, quàm futuris &c.* & infrà *nos itaq; veſtris poſtulationibus clementius annuentes - - - - Canonicæ vitæ ordinem, quem profeſſi eſtis apoſtolica auctoritate firmamus.* Signata eſt Bulla annô 1126. Meminit jam confirmationis à *Calixto* Papa Deceſſore ſuo factæ: igitur diù ante fundatum, & quidem, ùt nos notavimus, circà annum 1118. credibilius eſt, præcipuè ſi *Cunegundem* con-fundatricem in effectu aſſeramus, quippe, quòd hæc teſte præfato monacho Reinhardsbrunnenſi jam anno eodem 1118. obierit.

Fuit porrò hoc collegium inter præcipua totius Saxoniæ: præterquam enim, quòd ampliſſimis fundis, & dote abundantiſſimâ donatum exiſteret; eminebat per ſpatioſum planè diſtrictum Archidiaconatûs honore, & in ſinu ſuo alebat viros doctrinâ non minùs, quàm virtute conſpicuos: hinc locus ipſe à ſummis Principibus, Eccleſiaſticis æquè, ac ſæcularibus in honore habebatur, concertabantque veluti hi, in conferendis privilegiis, & immunitatibus plurimis, prout ea ſuo tempore vulgabimus, cumprimis Odelrici Halberſtadenſis Epiſcopi referentis ſimul largiſſimam munificentiam à *Lothario* Imperatore huic Eccleſiæ exhibitam.

In hoc pariter cœnobio nobiliſſimus tum Juvenis *Gardolphus* adolevit, & ea doctrinæ pro utroque homine principia hauſit, ut iis inſtitutus dignus ab Halberſtadenſibus Electoribus habitus ſit, qui in defuncti *Theodorici* locum unanimi voto aſſumeretur. Eo verò affectu hic dein piiſſimus Epiſcopus in Caldebornenſe ferebatur cœnobium, ut Epiſcopales curas aliquantâ moderaturus quiete illud ſibi ad tranquillum Spiritûs otium capeſſendum ſæpiùs accedens

cedens eligeret, útque verè, ubi in vita Theſaurus ejus erat, eſſet poſt illam & cor ejus, rectè, cùm in hoc ſuo monaſterio aliquando ob graviſſimas Eccleſiæ ſuæ imminentes afflictiones diverteret, febre correptus, paucisq́ue diebus ægrotatis ibidem obiit, corpore illius Halberſtadium translato, corde verò cum inteſtinis in Eccleſia B. *Joannis* in Caldenborn, antè altare B. *Stephani* ſepulto, ùt teſtatur Chronicon Halberſtadenſe ad an. 1201. Cùm ſæculo 1510 paſſim per Saxoniam Collegia Canonicorum regularium ad novam reformationem urgerentur, huic quoq́ue noſtræ Caldebornenſi Præpoſituræ ſuos tum manes ob relaxatam diſciplinam paſſæ delata eſt. Verùm, ùt notat Buſchius, irrito effectu, hæc ejusdem verba: *Anno Domini* 1482. *Erneſtus Epiſcopus Halberſtadienſis volebat reformare juxtà Hallenſium ritum monaſteria Schöningen, Halberſtad, & Caldeborn. Petit Johannes Batendal præpoſitus Scheningenſis Bullam Eugenii, quam vocant auream, à monaſterio Jürgenbergha ad ſui defenſionem contra habitum & ſtatuta &c.* & paulò antè, Hermannum Præpoſitum Kaldenburnenſem ait, *cum nonnullis aliis canſpirâſſe ad ſe defendendos privilegio Papæ Eugenii contrà Windeſemenſes, & contrà ordinationes Concilii Baſileenſis de reformatione.*

Verùm quamvis Kaldenbornenſes tunc huic ſe reformationi ſubtraherent, non tamen æſtimandum exinde illos penitùs à religioſæ vitæ tramite defluxiſſe: colligo enim ex litteris *Alberti* Magdeburgenſis Archiepiſcopi, annô 1517. ad Canonicos hos noſtros datis, ipſum Kaldebornenſe monaſterium aliam unionem habuiſſe, & quidem adhuc illam, quâ octo monaſteria ordinis noſtri in Saxonia ſe copulaverunt tempore *Honorii* Papæ, qui ſpeciali privilegio initam octo monaſteriorum congregationem ſtabilivit, *Innocentio II.* annô 1138. eandem amplioribus adhuc gratiis confirmante. Hæc omni anno Capitulum generale celebrabant, ùt patet in L. I. de reform. Monaſt. apud Buſchium Cap. 15. hinc verba illa *Alberti* non levi oculo percurrenda, dum in litteris præfatis, præmiſſo ſacri ſtatûs religioſi præconiô ſic ait: *Harum verô religionum facilè caput & princeps eſt Canonicorum Regularium ordo ſaluberrimus ſub divo Aurelio Auguſtino militans, excellens omnes antiquitate, Clericali dignitate, doctrina, regimine, numeroſaq́ Sanctorum, ac infulatorum ubertate. Quatenùs igitur idem in Domino proficiat: in diésve in immenſum ſuccreſceret, ſolerti nobis incumbit ſtudio invigilare; Annuimus idcircò, & volumus venerabile Capitulum generale ejusdem religionis ac ordinis in Cœnobio Caldenbornen noſtris ab Anteceſſoribus fundato, atq́ ſummo opifice per portentum ſelecto ſolitum apoſtolica auctem* (fortè *auctoritate) annuè celebrari pia ad opera exercenda, indulgentiarum muneribus animare &c.*

Senſus obſcurus eſt, ut videtur aut amanuenſis, aut typographi incuria confuſus; quid enim illud? *portentum?*

Verùm vix ab hujus gratioſi privilegii emanati tempore anni octo imò necdum effluxerant, cùm (infernali illo Lutheri Evangelio per Saxoniam undiq́ue perſtrepente) Kaldenbronenſis hæc celeberrima Præpoſitura annô 1525. ad incitas eſt redacta, injuriâ præcipuè quæq́ue audentis vulgi. De hac ſubverſione Author Thuringiæ ſacræ ingenuè fatetur: quòd, doctrinâ Lutheri in omnes terrarum partes diffusâ, tanta plebis in monachos, eorumq́ue ſúſtentacula orta eſt indignatio, ut ne quidem ædificiis ſacris parceret, quæ cremabat, ſpoliabat, vaſtabat, iisq́ue deſtructis acerbiſſimum interitum parabat. Tam inſolens autem tamq́ue temeraria gens illa erat, ut contra Principes, Dominos-

minoſque ſuos arma ferret, bellumque concitaret miſerrimum, quò brevi tempore innumerabilis hominum multitudo periit. In hac inteſtina pernicie conventus etiam Clericorum, religioſorumque Kaltenbornæ cum viventium miſerè diſſipatus, annò 1525. aliò ſe conferre coactus eſt, ædes verò ſacra dirò incendiò in cineres collapſa eſt.

Atque hic finis fuit tam nobilis diuque egregiè florentis cœnobii, quod avita Principum religio fundavit, regularis diſciplina multis ſæculis conſervavit, veſana demum Lutheri impietas ſubvertit.

Exſtitit haud procul oppido Sangerhuſen ad fluv. Korge. Thuringia ſacra pag. 301. Leuckfeld. Antiqv. Kaltenbor. Buſch. de reform. Monaſt. L. 1. Cap. 10. hiſt. Landgrav. Thur. edit. Piſtor. pag. 1368. & ſeq.

Fundat. circa ann. 1104. Extinctum.

Katelenburgenſe S. Joannis Evangeliſtæ Præpoſitura.

Multa de origine, Fundatoribus, loco ac tempore diſputat Leuckfeldius, ubi Antiquitates hujus monaſterii recenſet, quæ tamen nos vel ideò attingere dimittimus, ſolùm certiora referentes. Itaque Fundator hujus Cœnobii fuit *Theodoricus* Junior Comes de *Katelnburg*, qui hanc gentilitiam arcem ſuam, cùm ex *Adila* Conjuge nullum ampliùs hæredem ſperare poſſet, Deo devovit circa annum 1104.

Inducti in hunc neoſacratum à *Rothardo* Archiepiſcopo Moguntino annò 1105. (ùt ejus litteræ produnt) locum Canonici regulares: ſic enim ipſe teſtatur, quòd *Comes Theodoricus Filius Comitis Theodorici, & Comitiſſa Gertrudis in Caſtro ſuo, quod Catelenburc dicebatur, monaſterium in honorem S. Joannis Apoſtoli tam pro remedio animæ ſuæ, quàm parentum ſuorum, cunctorumque ad ſe pertinentium fieri instituit - - - - - quatenùs deſtructis ibidem muris, & omnibus bellicis munitionibus, totus ille locus ſemotus ſæcularibus negotiis & tumultibus fratribus ibi Domino famulantibus in neceſſarios uſus pateſieret.* Fuiſſe aliquo dilapſo tempore cœnobio virorum junctum Virginum ſacrarum parthenonem, docent monumenta antiqua, at primitùs illud pro veſtalibus inſtitutum, ut vult Bucelinus in ſua Germania ſacra, nulla veritas exſtat. Primam Prioriſſam quidam repererunt *Margaretham* annò 1207. defunctam. Alii *Mariam* ſtatuunt, quæ hanc deceſſerit, fueritque *Theodorici* Fundatoris germana ſoror, quod profectò mihi credibilius, quippe Fundatore ipſo pro hac ſorore ſua parthenonem potiori jure, auctoritateque monaſterio Virorum paulò ante inſtitutorum jungente.

Hoc cœnobium, quibus neſcio fatis, jam ſub ſecundo Præpoſito ad ea penuriæ fata decidit, ut illo defuncto, ab Abbate Northeimenſi Ord. S. Benedicti adminiſtraretur, fatetur hic ſuis in litteris: quòd Comes *Theodoricus Eccleſiam in Katelenborch pio affectu Deo & S. Joanni Evangeliſtæ fundavit, & divinis ſervitiis, & monaſtico ordini potiſſimùm mancipavit, quo defuncto Duci Henrico hæreditario jure ceſſit, & cuidam Præpoſito Heillikmanno nomine regendam commiſit, qui propter infirmitatem corporis debitè adminiſtrare non potuit, ſed prædiis penè omnibus expoſitis Eccleſiam reſignavit. Sed quia prompta ſervitute, ac fidelitate, me ſibi ſubjectum eſſe cognovit, ideo Eccleſiam in juventutis flore mihi regendam commiſit, ſed officii profectum paupertatis denegavit detrimentum, quòd non niſi* 30. *Maldera frumenti, &* 16. *oves ad illius anni ſubſidium inveni &c.* Ex his *Hermanni* verbis non obſcurè elicio jam ſæculi

decimi

decimi tertii initiò Virgines Canonicas ipſis viris prævaluiſſe, ita, ut (cùm Præpoſitum ſibi eædem haberent; facili negotio fieret, iſto viribus impotente) cura Abbati monachorum committeretur, quod contingere potuiſſe vix tunc admiſerim, ſi adhuc pleno jure cœnobium Katelenburgenſe Virorum fuiſſet præcipuè; quòd tum potiùs ab ejusdem ordinis inſtituti Præpoſito aliundè, & ex propioribus monaſteriis petito curandum fuiſſet, maximè cùm iis temporibus ſummorum Pontificum Confirmatioois litteræ non minùs, quàm Epiſcoporum eò reſplcerent; ut Præpoſitus ex eodem clauſtro, aut certè ex eodem propoſito eligeretur. Hinc quòdſi etiam defuiſſet Katelenburgenſibus ex proprio gremio, quem in Prælatum aſſumerent, profectò aderant tum alia ejusdem inſtituti cœnobia eximiis viris referta, quale erat Hammerlebenſe, Kaltenbornenſe, Richenbergenſe, Georgimontanum &c. quæ tanto firmiori brachio ſuccurrere labenti huic Eccleſiæ potuiſſent, quanto arctiori ſocietatis vinculo ab ipſis ſummis Pontificibus colligato muniti erant.

Hermannus hic egenti monaſterio aliquantum ſuccurriſſe ex proprio teſtimonio colligitur, ait enim citato loco: *In quo verò per nos poſtea profecerit Eccleſia præſens denotabit pagina &c.*

Succedentes Præpoſiti, quotquot reperimus, talem videntur habuiſſe præſulatûs prærogativam, qualem illi, qui monialibus, non, qui religioſis Canonicè electi præſunt: ut legenti ac conferenti patebit. Hinc procerto opinamur, lapſu temporis Katelenburgum plenè Parthenonem evaſiſſe, nec niſi eos ſibi junctos habuiſſe Canonicos, qui neceſſariò ad miniſteria in eodem loco, ipſisque Virginibus exhibenda requirebantur.

Cæterùm deſipit Leuckfeldius, dum ſcribit, *Canonicos Katelenburgenſes ad medium* 12. *ſæculi libertatem habuiſſe cum nobilibus perſonis matrimonium contrahendi:* paucis hoc commentum refellam. Quem in teſtem vocat Henricum Bawariæ, & Saxoniæ Ducem, audiamus: *Notum ſit omnibus tam futuris quàm præſentibus; quòd Catelenburgenſis Eccleſia à progenitoribus meis fundata id hactenùs privilegii habuerit: -- ut, quicunque de ejusdem Eccleſiæ familia delegiſſent, per legitimi matrimonii copulam in noſtram familiam absque ulla contradictione tranſirent &c. de Eccleſiæ familia* inquam, quæ non erant ipſi religioſi, ſed homines laici monaſterio per certum cenſum ſubjecti, quod nemini rerum veterum perito ignotum eſſe poteſt. De quo videndus Cangius verbo *familia*. Hinc charta *Caroli Craſſi* pro Tornutienſi monaſterio: Et *Truneinum villam, cum familia utriusque Sexûs, & omni re ad ſe pertinente &c.*

Demum ſub *Bernardo Wolf.* Præpoſito & *Eliſabetha de Minningerode* Prioriſſa, hic ſacer locus profanatus, ac Lutheri ſectæ adjudicatus eſt, Præpoſito Canonicatum ad S. Alexandri in Einbeck obtinente, Prioriſsâ, neſcio, quibus fatis ſubjectâ, cùm de ea ultrò nil reperiamus. Vide Leuckfeld.

Lauterburgenſe ſeu Sereni Montis S. Petri Præpoſitura.

Fund. an. 1125. Ex ſtatim.

Inter præcipua Saxoniæ ſuperioris monaſteria inclytum ac venerabile erat Serenomontanum; ſeu, ut vulgò nuncupabatur, Lauterburgenſe. Condidit illud *Conradus* nobiliſſimus Comes Wetinenſis & Miſniæ Marchio, annô 1125. Quamvis enim primam illius originem *Dedo* Comes filius *Thiemonis*, dictique *Chonradi* frater anno priori jam jecerit, huic tamen præcipuum beneficium fundationis adſcribitur, quòd non

ſolùm

ſolùm à fratre *Dedone* in terram ſanctam abeunte omne jus curámque ad complendum ædificium ſuſceperit, verùm etiam maximâ dote hic idem novellam Coloniam foverit, atque provideric.

Hæc præpoſitura ipſius Fundatoris *Conradi* precibûs ſummo Pontifici *Honorio* factis exemptionem obtinuit, ſolique ſummo Præſuli immediatè ſubjecta eſt: unde paſſim in litteris dicebantur: *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Præpoſiti, hujus monaſterii S. Petri Lauterbergenſis ſacræ Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecti.* Erant præterea viri planè nobiles, & inclyti hujus loci Canonici, qui aſſumebantur, inter quos tanquam primus lapis implantandæ virtutis, & pellucida gemma ingentis exempli ad ſtuporem totius Saxoniæ tunc emiſſi fuerat ipſe *Conradus*, utpotè qui ampliſſimis bonis opulentus, & Myſniæ nobiliſſimæ Regionis Marchio, hæredibus præclaris fœcundus admiranda planè reſolutione pompis ſæculi relictis in eodem hoc monaſterio habitum Canonicorum ſuſcepit, prout id in Chronico Montis ſereni notatur, & apud Ludewigum in ſuis reliquiis M. SS. legitur his verbis: *Conradus Marchio Eccleſiam à fratre ſuo inchoatam in honore Beati Petri in monte ſereno à fundamentis erexit, largiſq; ſuis proprietatibus, prædiis ditatam in jus & proprietatem Eccleſiæ tradidit, & Clerum Canonicorum regularium inibi Deo famulaturum inſtituit, quibus & ipſe omnibus mundi pompis ex integro renuntians pauper pauperibus pro veris divitiis aſſociatur ſecundo Kal. Decemb. converſus, & ipſo anno* (quem Author iſte à die Annunt. id eſt 25. Martii incipit) *Nonas Febr. defunctus. Moritur autem an. Dom. M. C. LVI.* (ſeu juxta ceram vulgarem 1157.) *& à Wichmanno Magdeburgenſi Archiepiſcopo & Wallone Halberſtadenſi Epiſcopo preſentibus filiis ſuis, & Alberto Marchione de Brandenburg, ac aliis Vaſallis ibidem ſepelitur.*

Refert prætereà *Albini* in ſua Miſnenſi Chronica, tanti Eccleſiam hanc Lauterburgenſem à ſummis Saxoniæ principibus habitam fuiſſe, ut in ea potiſſimùm ſepulturam ſuam eligerent. Hinc idem à tempore fundationis ad annum uſque 1217. duodecim principes, decem nimirum ex ſexu maſculino, duas ex ſequiori enumerat ibidem reconditas.

Præpoſiti quoque in eodem hoc cœnobio viri erant tanto munere digni uſque ad obitum *Waltheri* an. 1205. defuncti, ſeu ad uſque *Tedericum* hominem omnis malitiæ, ac improbitatis proſtibulum, qui quidem (dum electio novi Præſulis inſtituebatur, reliquis omnibus in fratrem demortui Waltheri, *Joannem* nomine, pium ac anteceſſori ſuo non ſanguine ſolùm, ſed vel maximè morum integritate apprimè conjunctum concordantibus) à quinque ejuſdem genii, ac impietatis aſſertoribus electus eſt; cùmque Patronos haberet potentes, & plures è nobilitate ſibi propinquos, factionis enormis, & exitialis author fuit, atque promotor. Certè rem penè omnem domeſticam, ac præcipuè diſciplinam regularem ejus causâ peſſumdatam fuiſſe, ita quidem, ut huic reſarciendæ vix ſubſequi Præpoſiti omnes ſufficere cenſerentur, teſtatur Author Chronici hujus Collegii. Porrò quo tempore hic *Tidericus* regimen poſuerit, & pax, dudum à piis ſuſpirata, reſtituta per electionem novi, meliorisque Præſulis fuerit, necdum comperi. Buſchius L. I. de reform. Monaſt. hujus Collegii mentionem faciens ait: *ipſos illinc fratres Buſchium in Viſitatorem quatuor annos ſuſcepiſſe.* Quod contigiſſe videtur circà annum 1440. unde certum habeo, ab hoc tempore ſi non antea, revaluiſſe viribus

bus religioſam obſervantiam. Verùm, utut prior collegii hujus jactura reparata eſt per nova remedia, illud tamen ſæculo priore cum multis aliis Saxoniæ monaſteriis periiſſe hæreticorum maleſanâ invidiâ, indubitatum habemus.

Exſtitit propè Hallas Chron. Montis ſereni. Buſch. L. 1. de reform. Mon. C. 14. Albin. Chron. pag. 289. ſeq. Ludew. reliq. M. SS. tom. 8. pag. 179.

Fundat. --- *Exſtinctum,*

Lubecenſis S. Joannis Cathedralis. Lubica urbs pervetuſta *Vicelini* præclariſſimi Slavorum Apoſtoli operâ fidem ſuſcepit Chriſtianam, qui ibidem adnitente præcipuè *Henrico* Slavorum Principe trophæum Chriſti fixit, dum, ùt ait Helmoldus, *in hanc ipſam urbem miſit venerabiles Sacerdotes Ludolfum & Volcvvardum, qui ſalutem populi curarent.* Receptique ſunt benignè à mercatoribus, quorum non parvam coloniam *Henrici* Principis fides, & pietas ibidem conſciverat; habitaverúntque in Eccleſia ſita in colle, quæ eſt è regione urbis trans flumen. Helmoldi narrationem aliquantò deducit luculentiùs Arnoldus Lubecenſis, dum inquit: *Anno 1135. Vicelinus Presbyter ------ veniens in urbem Lubicinam terra Wagriorum ad Henricum regulum Slavorum, rogavit ipſum, ut ſibi daret facultatem prædicandi verbum Dei infrà terminos ſui principatûs: iis enim diebus non erat Eccleſia, neq; Sacerdos in univerſa gente Luticiorum, Obotritorum, & Wagirorum, niſi tantùm in urbe Lubeke, eò quòd illic eſſet Henrici prædicti Reguli familiare contubernium; & manſio principalis, quia ipſe eam jam per Trutanem fundatam valdè ampliaverat, & emendaverat, & ſimiliter Caſtrum ejus. Eccleſiam autem Henricus in hac urbe ædificaverat, ſitam in monte ſuper Trabenam aquam, quæ modò Sancti Joannis in Harena nominatur; quam poſteà Kanutus Obotritorum Regulus dedicari fecit in honorem Sancti Joannis Baptiſtæ. Prædictus ergò Vicelinus Sacerdos per Norbertum Archiepiſcopum Magdeburgenſem ordinatus & ab Henrico Regulo Slavorum, ad ſeminandum verbum Dei in populo Slavorum, unà cum aliis duobus ſacerdotibus, Rudolfo ſcilicet Hildeshemenſi, & Ludolfo Verdenſi Canonicis opus Dei aggreſſus eſt, & magnum fructum in populo inculto, & rudi divinô adjutus auxiliô operatus eſt.* Quamvis quid jam per Godeſcalcum circà annum 1043. *per univerſam Wagirorum provinciam, nec non Polaborum, Obotritorumq; Eccleſiæ quondam deſtructæ, ſacerdotibus ac miniſtris Dei repletæ, ac reædificatæ ſint: præterea per ſingulas urbes, ut idem ſcribit Helmoldus, Cœnobia fierent Sanctorum virorum canonicè viventium, item monachorum atq; Sanctimonialium, ſicut teſtantur ii, qui in Lubecke, Aldeuburg, Racesburg, Leontio, & in aliis civitatibus ſingulas viderunt.* Certum tamen, quòd iterum trucidatis Dei miniſtris exulare diù, & usque ad *Vicelinum* noſtrum debuerit fides Chriſtiana, prout idem ipſe Helmoldus enarrat. Per hunc igitur ſanctum virum reducta Evangelii in has terras veritate, dedicata pariter eſt, ordinante *Kanuto* Rege, Lubecenſis Eccleſia, & ex tunc inducta Canonicorum æqualis cum *Vicelino* profeſſionis Colonia, quippe quòd diſertè Helmoldus dicat: *Veniens* (Kanutus) *Lubeke, dedicacari fecit Eccleſiam, quam conſtruxerat Henricus aſtante venerabili Sacerdote Ludolpho, & cæteris, qui de Faldera eidem loco mancipati erant.* Quod factum eſt decimô annô *Lotharii* Imperatoris, qui eſt Domini 1137. cùm verò, ùt ex Kornero diſcimus, cœnobium Falderenſe fundatum ſit ab *Adolfo* Comite de Schowenburg tertiò annô *Henrici 5ti* Imperat. hoc eſt

1115. & indubitatum ſit *Vicelinum* in hoc cœnobium Canonicos regulares S. *Auguſtini* induxiſſe, ùt probavimus ex Henſchenio, dum de hoc cœnobio locuti ſumus, ſequitur neceſſariò ex Falderenſi Collegio ad Lubecenſe accerſitos Canonicos ejusdem, cujus Falderenſes, inſtituti fuiſſe.

ide etiam agn t. 4. 520.

Verùm non diù ſubſiſtere potuit per *Vicelinum* cœpta hæc ſacra colonia Lubecenſis, utpote ipſa urbe anno inſequenti graviſſimè à Rugianis obſeſſa & unà cum caſtro everſa, ſacerdotibus verò (Barbaris in unam Eccleſiæ Januam irruentibus) per aliam elapſis, ac beneficio vicini nemoris ſalvatis, habentibusque refugium ſuum iterum ad Falderenſem pagum atque cœnobium ſuum, ùt ex Helmoldo & Arnoldo patet. Porrò dubitari vix poteſt, cùm multis temporibus Falderenſe cœnobium per totam provinciam Holzatorum quoddam ſeminarium eſſet, ex quo ad quasvis Eccleſias ſubſidiarii religioſi aſſumebantur, in reſtitutam Lubecenſem civitatem Canonicos quoque reinductos fuiſſe Falderenſes: colligo id luculenter ex Helmoldo, qui referens *Aldenburgum* à *Vicelino* in fide inſtitutum obtinuiſſe Eccleſiam, ait, mox in eam vocatos fuiſſe primò ex Falderenſi cœnobio *Brunonem*, dein quoque ex Hagerſtorpenſi alios ejusdem inſtituti Canonicos. Non minùs conditis Eccleſiis in *Zuſele*, *Luttikenburg* & *Radekovve*, præfectus eſt *Deilanus* ex eodem Falderenſi monaſterio, quod quia contigit circà annum 1156. multò magis id in Lubecenſi Eccleſia factum eſſe videtur, quippè non diù antea lumini fidei reſtituta per eosdem viros, ſcilicèt *Vicelinum*, ſibique cooperantes in propaganda ſalute populi terræ illius. Imò idem Helmoldus disertè ait: quòd *Lothario Imperatore mandante Vicelinus Venerabiles Sacerdotes Ludolfum Hermannum, Brunonem in Lubeke conſtituit, Luthmundum cum cæteris Sigeberg eſſe mandavit.* Omnes ex Falderenſi Cœnobio Regulares Canonici.

Cùm verò reſtituta eſſet, quæ perverſorum hominum ſævitiâ aliquamdiu extorris agebat, fides Catholica, tum decedenti *Vicelino* ſuccedens *Geroldus* Canonicus Brunſvicenſis, Ducisque *Henrici Leonis* Capellanus, obtinuit, ut Aldenburgô Lubecam Epiſcopatus transferretur, primò iſthic Præpoſitô *Ethilone*, aut, ùt eum Helmoldus Cap. 86. nuncupat, Athelone inſtituto: *& deſignavit dux locum* (verba ſæpè laudati Helmoldi profero) *in quo fundari deberet Oratorium in titulum Matricularis Eccleſiæ, & areas clauſtrales, & ſtatuerunt illic præbendas duodecim Clericorum Canonicè viventium.* Quæ verò Clericorum Canonicè viventium regula tum Lubecæ fuerit, *Aquisgranenſis*, an *Auguſtiniana?* quia antiqua documenta non exhibent, nec meum eſt decidere, quamvìs cenſeam aliquantò ſaltem tempore hos ipſos Canonicos exemplo Falderenſium provocatos, ſecundùm poſteriorem, votivè vixiſſe, usque dum denique omnis communiter vivendi ratio dimiſſa eſt, quod, quo tempore factum ſit, penitùs latet. Nunc hic Epiſcopatus recento inani nomine ab heterodoxis poſſidetur, eligiturque hodiedum Epiſcopus, ſed quem nulla Eccleſiaſtica legitimaque Canonica Authoritas aut conſecrat, aut confirmat, ſolo Cæſare poſſeſſionem temporalem eidem tribuente.

Helmoldus Chron. Sclav. paſſim per decurſum. Arnol. Lubic. ex Edit. Corneri. apud Leibn. t. 2. à pag. 394. Kranz. Wandaliæ L. 4. Cap. 23. & ſeq. Chron. Slavica apud Lindenbrog. pag. 202. ſeq.

Fundat. Sec. XI. Exſtinct.

Lundenſis S. Laurentii Cathedralis. Pauca ſunt, quæ de hac Ecc leſia dicenda occurrunt; Eam peni tùs negligere noluimus, quòd ex Adamo Bremenſi habeamus; *Eginonem* (de quo jam in Dalbojenſis Eccleſiæ deſcriptione egimus) virum Sanctiſſimum *Lundæ* ſedem Epiſcopalem conſtituiſſe, qui idem ipſe *apud Dalbojam Præpoſituram fratrum regulariter viventium eſſe præcepit*. Quod quia contigit inter ea tempora, quibus *Adalbertus* Hamburgenſi, & Bremenſi Eccleſiæ Archipræſul præfuit, hoc eſt, inter annum 1053. & 1072. ſanè tunc crediderim Lundenſem non minùs, Congregationem votivorum Clericorum, ſicut Dalbojenſem aluiſſe: verùm quia de Suecia, cui *Scandinavia* jam diu conjuncta eſt, pauciſſima ſuppetunt, rem noſtram declarantia, prout cuique perquirenti ſeu Adamum Bremenſem, ſeu hiſtorias Danicas apud Lindenbrogium in ſuis ſcriptoribus ſeptem: & Ludewig. in reliquiis M. SS. t. 9. exſtantes, patebit, hinc ſicut de Lundenſi, ſic & de aliis pauciſſima nobis memorantibus benignus Lector non ſuccenſebit.

Adamus Brem. de ſitu Daniæ Cap. 215. & hiſtor. Eccl. L. 4. C. 206. Wolterus in Chron. apud Meibom. p. 25.

Fundat. ... Exſtinct.

Luneburgenſis Cathedralis. Conſtruxerat *Carolus M.* atteſtante Chronico Mind. M. SS. *Schidræ* Eccleſiam, eamque Epiſcopalem eſſe juſſit an. 784. verùm inde Vallerslebam per *Brunonem*, & *Tanquardum* Saxoniæ Principes, ultrò ab *Henrico* Aucupe *Fraſam*, demum ab *Ottone Parthenopolim* translatum eſt. Tot mutationes hujus Eccleſiæ cauſaverunt, cùm *Valersleba* in Ducatu Luneburgenſi ſituaretur, ut hanc Eccleſiam Epiſcopalem à notiore nomine Luneburgenſem diceremus. Porrò quamvis Leuckfeldius inficietur hanc translationem, & inter fabulas hanc Vallerslebæ Epiſcopalem ſedem reponat, nos quibusdam veterioribus Scriptoribus penitùs in hoc fidem noluimus abrogare.

Meibom. in notis ad Witichindi Annal. t. 1. p. 683. Chron. Pictur. Botbon. Edit. Leibnit. tom. 3. p. 305. de fundat. Saxon. Eccleſ. Anonymi apud Leibn. t. 1. p. 260. &c. Leuckfeld. Antiq. Halberſt. p. 142.

Fundat. ... Exſtinct.

Luppoldisbergenſe. Virg. Canon. Præpoſitura. Hanc, ut noſtro Catalogo insererem, monitus ſum, & quidèm ea de cauſa, quòd ibidem Præpoſitus an. 1151. dicatur fuiſſe *Arnoldus Canonicus Regularis Sereni montis.* Verùm cùm obvium ſit ſæpiùs Virginibus ſacris in Præpoſitum datos fuiſſe alterius profeſſionis viros tum religioſos, tum quandoque etiam ſolos Eccleſiaſticos, id eſt, nulli voto adſtrictos hac unica ratione moveri non poſſum, ut hanc Præpoſituram tanquam noſtri inſtituti in opere meo producam, niſi potiora fundamenta proferantur.

Exſtitit prope Burſfeldam. Documenta communicata.

Fundat. ... Exſtinct.

Luſenicenſe. Præpoſitura. Hæc pariter documentis mihi communicatis inſerta Præpoſitura, tanquam ſub inſtituto noſtrò aliquando floruiſſet, his verbis: *Luſenitz monaſterium, in quo depoſito Alberone Præpoſito ſucceſſit an. 1200. Marcquardus Regularis ſereni montis Canonicus. Ex Chronico Montis ſereni.* Quæ quidem verba ſufficere haud videntur ad probandum aut oſtendendum, quod, qualeve hoc cœnobium fuerit, quippe quòd ſæpè monuerim, Præpoſitos quandoque regulares alterius inſtituti Societati præfeciſſe. Neque ex relatis diſcere licet, hæc Præpoſitura fueritne Virgi-

Virginum, an Virorum cœnobium? ſcio complura loca hoc æquivoco nomine appellari, aut non multùm abſimili, hinc apud Meibomium in Commentariolo de pagis Saxoniæ legimus *Lubenizum*, tractum fuiſſe circà urbem Wurcenſem: apud *Dithmarum* exſtat *Luibanizium*. At *Luſici* apud eundem Dithmarum, tractus circa *Dobrelucum* monaſterium fuit, & à pago *Luſici* ſuperare nomen *Lausniz* ſeu *Luſatiæ* Marchiæ dicit idem Meibomius, forte *Lausnizenſis*, ille eſt, qui ſubſcriptus legitur privilegio Dobirlucenſi Cœnobio dato annô 1231. *Everhardus Archidiaconus Luſicenſis*. In Donationibus Monaſterio *Reinhardsbornenſi* Ord. S. Benedicti factis legitur Charta, qua teſtatum reliquit *Erneſtus* ejus loci Abbas an. 1116. *Cunradum de Wittin tradidiſſe Eccleſiæ ſacræ Dei Genitricis Mariæ in loco Reinherisbrunn conſtructæ quendam locum Luſinici dictum*. Memorat & Schamelius quendam Parthenonem *Lauſnizenſem*, ejusdemque ad annum 1334. Præpoſitum *Joannem Purzium*, aitque, Eiſenbergenſi urbi confinem. Singula hæc loca ſorte obtinere potuerunt aliquod ſuis temporibus Canonicorum Regularium collegium, verùm quia de hoc notitia nulla ſuccurrit, ſolis Chronici Montis ſereni allegatis verbis ſtare nequeo, ut dicam, quod qualève fuerit *Luſinicenſe* iſtud Monaſterium. Intereà mappæ illud inſeruimus, prout certiore conjectura divinare potuimus, locando id propè Altenburgum.

Meibom. opere cit. pag. 104. Ludewig. Rel. M. SS. t. 1. N. 26. Thuring. ſacra pag. 75. Schamel. in hiſt. Goſeck. Cœnobii. p. 77. item in hiſt. Boſavienſ. Monaſt. pag. 25. & 26. item in Miſcellan. Sckölens. p. 40.

Lutterenſe S. Petri. Præpoſitura. Fundatorem hujus ſe præbuit *Lotharius* Saxoniæ Dux, ac annô 1125. Henrici in Imperio ſucceſſor. fundationis verò originem affigit Cornerus in ſua novella Chronica anno 1121. quotquot hujus Cœnobii mentionem veteres ſcriptores faciunt, *Lotharium* ejusdem conditorem conſtituunt, ſi ſolum inter hos, quos evolvimus, Chronicon Ducum Brunsvicenſium excipias, quippe quod ait, fundatum id fuiſſe à duobus *Bernardis* filiis fortaſſè *Gertrudis*; at quique eorum, annum originis reticent; unde Cornero tamdiu fidem dandam cenſemus, dum in antiquioribus contrarium non legimus. Ait verò citatum Chronicon, Ducum Brunsvicenſium, *Luderium*, id eſt, *Lotharium anno Domini* 1135. *hunc locum, in quo primò Conventus Canonicorum fundatus eſt, in monachos S. Benedicti mutáſſe*. Hos Canonicos Chronicon Epiſcoporum Hildeſemenſium diſertè ait regulares fuiſſe, ſic enim illud in Burchardo Abbate S. Michaelis: *ſub eo*, inquit, *Monaſterium Regale Lutter datur ordini S. Benedicti, qui priùs Canonici Regulares erant*. Hic *Burchardus* annô 1141. *Theodorico* defuncto ſucceſſit, ex quo diſcimus ante hunc annum translationem hujus *Lutterenſis* Cœnobii in D. Benedicti diſciplinam factam non fuiſſe, quia verò *Lotharius* annô 1137. fatis ceſſit juxta hunc calculum mutatio inſtituti in hoc cœnobio à *Lothario* fieri non potuit. Novi equidem Chronicon illud Ducum Brunsvicenſium auctoritate Antiquitatis præcellere ipſum Chronicon. Epiſc. Hildeshem. at quia Leibnitius profitetur codicem illius Chronici paſſim vitioſè deſcriptum, & teſte Mollero multis erroribus ſcatere; profectò fieri potuit, ut ſicut error manifeſtus eſt in fundatione, dum *Lotharii* locò notatur pro Fundatore *Bernardus*, ſic non obſcurè apparet in

mutatione æquale Sphalma, dum *Lotharium* immutâſſe inſtitutum dicit illius Cœnobii, penè eô tempore, quo illud condiderat: neque tam ſubitæ mutationis cauſam allegat, porrò *Lotharium* Fundatorem, non veró *Bernardos*, fuiſſe, alii quiq́ue Scriprores conclamant: Erphesfordenſis monachus in additionibus Lamberti Schaffnab. Dodechinus in appendice ad Mar. Schoti Chronicon. Sifridus Presbyter in Epitome L. 1. ad ann. 1135. Paulus Langius in Chron. Citiz. Browerus in Annal. Trev. L. 14. n. 14. ut ideò tam Rythmicum illud Chronicon Saxonicum, quàm Botho 'in ſuo Chronico Picturato hujus Chronici Duc. Brunſuic. verba de immutatione ordinis aſſumens, inſuper & Virgines ibidem antea fundatas comminiſcens æqualis erroris arguatur, quod ipſum ex parte ſecutus eſt ex Hermanno Cornero Egghardus in ſui Corporis hiſtor. tom. 2. quem facili labore per præfatos authores refutaveris.

Hoc Regale Cœnobium nunc à Lutheranis inſidetur. Chron. Duc. Brunſuic. Edit. Leibn. t. 2. p. 16. Chron. Rythmicum Principum Brunſvic. ead. edit. tom. 3. p. 44. n. 65. ſeq. Bothonis Chron. Pictur. ibid. pag. 340. &c.

Fundat. — Floret.

S. Magdalenæ Virginum Canonicarum. Abbatia.

Diximus cautionem noſtram, cùm de ordine Monialium pœnitentium in circulo Burgundico ageremus, nè improvidè videremur alterius inſtituti monaſteria, aut Parthenones noſtris accenſere: id ipſum iſthìc repetimus. Hunc Parthenonem, qui Hildeshemii hodiedum floret inter Canonicorum Regularium monaſteria nupernus Author in ſuo Nucleo collegiorum Regularium numerat, aitq́ue Virgines in eo ſacras linea affloris veſte non indui, neq́ue geſtare ſolita alioquin cingula; Jejunia, Clauſuram, lectiſternia omninò aſpera eſſe: Cæterùm eluxiſſe in eis fortitudinem plusquam fœmineam, dum Lutheri dogmate imbuti conabantur has pias Chriſti ſponſas minis non minùs, quàm blandimentis ad ſacrilegam votorum ſuorum deſertionem urgere: ipſas enim tam magnanimè omnibus inſultibus reſtitiſſe, ut cum dedecore impugnatores diſcedere cogerentur.

Exiſtit in ipſa, ùt diximus, urbe Hildesheimenſi.

Magdeburgenſis S. Mauritii &c. Cathedralis.

Fund. Sec. 10. Exſtitum,

Jam ante *Ottonis* Magni tempora extiтiſſe, Magdeburgum, & in ea à *Carolo M.* Eccleſiam fuiſſe conditam in honorem S. *Stephani*, & ab *Hildegrino* primo Halberſtadienſis Eccleſiæ Epiſcopo dedicatam, diſertis verbis enunciat Croniſta Magdeburgenſis apud Meibomium. Quænam verò hæc Eccleſia fuerit, quové in ſtatu, dum *Otto* primus Imperator Abbatiam *SS. Petro, Mauritio & Innocentio* exſtruxerat, nec conjicere licet, quippe quòd hiſtoriæ Magdeburgenſis Scriptores vix ad alia tempora originis ejus epocham ſtatuant, quàm *Ottonis*, & fundatæ S. Mauritianæ ab eo Abbatiæ, cujus initium Meibomius cenſet an. 936. ſaltem aliquo conatu factum, ſed perfectum circa annum 956. Ungaris hactenùs Saxoniam turbantibus, ac demum hoc, vel ſubſequo anno devictis. Exſtitiſſe longè antea ipſam urbem, patet ex *Anſegiſo* apud eundem Meibomium, ubi *Magdedeburg* expreſsè nominatur L. 3. C. 6. Conſtit. *Caroli M.* adeòque hujus Principis ætate jam ſuum exordium *Magdeburg* habuerat, & quidni Eccleſiam quoq́ue ſuam; cùm Religioſiſſimus hic Imperator nullam urbem ſuæ ditioni ſubditam Divino cultu vacuam relin-

in Chron. Berg.

linqueret, quod multis teſtimoniis (ſi opus eſſet) probari poſſet: In cujus rei gratiam ſufficiet ſolùm vitam *Caroli* percurriſſe. Atque hinc nolim ſuprà laudato Chronico Magdeburgenſi refragari, aſſerenti, ab ipſo *Carolo* primam Parthenopoli conſtructam fuiſſe Eccleſiam, quæ ſanè ſuos quoque Eccleſiaſticos miniſtros habuerit ad divina perficienda. Unde ſi augurari liceret, crediderim quoque aut illam fuiſſe, quam *Hugo* vitæ S. *Norberti* ſcriptor *S. Mariæ* nuncupat, in qua viginti erant Canonici antiquitùs ſub Præpoſito conſtituti, de qua nos jam alibi egimus: aut illam S. *Joannis* in Monte ſucceſſivis temporibus erectam, Clericisque conceſſam, dum demum inducta in hanc urbem dignitate Metropolitica Canonici Montani ceſſerint monachis Mauritianis monaſterium ſuum cum Eccleſia, recepturi pro eo borum Abbatiam, ideò illis præ his aptiorem, quòd congruentiùs eſſet Cathedralem reſidere in ſinu urbis, econtra monachos in ſolitudine, vel ſaltem in loco ab urbe aliquantùm remoto, qualis erat Mons S. *Joannis*. Quidquid autem ſit horum, verba Chronici antiquiſſimi à Browero in ſuis Annalibus prodita, & à Meibomio *t.* 2. ſcript. rerum Germanicarum typis vulgati adducere oportet, ut ex iis genuinam liceat haurire originem *Magdeburgenſis Cathedralis Eccleſiæ*: pro quo breviter noto *Ottonem* Imperatorem dudum optâſſe urbem iſtam hac dignitate ſublimare, cùm verò in Spiritualibus ſubjecta eſſet Halberſtadenſi Epiſcopo, hicque omnimodis reniteretur abſtrahendæ ſuo Juri Epiſcopali cuicunque demum parti: voti ſui Imperator compos factus eſt, eùm *Bernardo* tunc præſidenti paulò poſt *Hildevvardus* ſuccederet: Hic enim facilè petitis *Ottonis* annuit, dum ad vicem & utilitatem Eccleſiæ ſuæ omnem decimationem in *Hosgouve*, ùt terminatur in fluviis Sala, *Willerbeke* & *Wippera* cum omni poſſeſſione de Abbatia B. Wicberti in territorio *Herolvesfeld* conſtructa aquiſierat. Igitur propoſitum Imperaror aggreſſus cumprimis confirmando huic Concambio ipſique Metropoli erigendæ aſſenſum expetiit, obtinuitque à *Joanne* Papa annô 962. extraditâ bullâ. *His ita peractis*, inquit Chronicon. *Cæſar admodùm lætatus, nec minùs pro adhuc peragendis ſecundùm Deum ſolicitus, accerſito Richario Magdeburgenſis Cœnobii Abbate tertio, coram Annone Wormatienſi, & Othuino Hildesheimenſi Epiſcopis ſecum tunc fortè commorantibus, volebat illum officiô Epiſcopatûs fungi, in ipſa mutatione ſedis ſuæ; ſed impedierunt quidam occultô conſiliô & Imperatori pro ſecreto hoc delata littera. Qui dum ſe tanto honore privatum intelligens, minùs æquô animô ferret, ac impediendo tam ſancto propoſito Imperatorî quoquo pacto obviare proponeret, nè malitia mutaret ipſius intellectum, brevi pulſatus valetudine, terrena mutavit cæleſtibus, ſucceſſitq; in ipſa ſedis mutatione Herdiggus in eadem Congregatione nutritus & electus. Transmutata itaq; eſt Abbatia in montem ſuburbio ejusdem civitatis adjacentem, deputaturq; S. Joanni Baptiſtæ & adhuc habetur, & utinam diù feliciterq; habeatur, famulatura: Monachi quoq; ſucedentibus ſibi Clericis, reliquerunt in libris, & aliis rebus plurima ornamenta, quæ ibidem imperiali munere, & propria induſtria fuerunt congregata. Cumq; illorum corda de hac migratione non immeritò gravaret triſtitia, Cæſar eis pro conſolatione prædiorum ſuæ hæreditatis non parva dona adjecit, & quocunq; in loco cum Canonicis in una ſtatione conveniant, ipſi in dextra parte locum ſupremum obtineant, conſtituit. ſtatuit etiam de familia utrarumq; Eccleſiarum, quas tunc partitus fuit,*

quòd

quòd ſi quis de ordine miniſterialium Archiepiſcopalium uxorem duceret, de miniſterialibus Abbatiæ matrem cum pueris poſt patrem Archiepiſcopo attinere debere, eodemq́ ordine, ſi miniſterialis Abbatiæ uxorem duxerit monaſterialem Epiſcopalem &c. ſed & prætereà, ut recurrente annuatim translationis hujus die, quæ eſt 5. idus Auguſti, id eſt, in vigilia Victoris ignium Levitæ Laurentii pedibus nudis proceſſione lugubri, ſedem ſuam viſitantes miſſam celebrent, quo tam apud Canonicos, quàm & apud Monachos ſæculi hujus perpetim ſtaret inviolabilis memoria &c. protulimus autem hæc genuina Chronici verba, ut appareat imprimis, certum eſſe, à tempore inducti in Eccleſiam S. *Mauritii* jure ac dignitate Metropolitana, recedentibus monachis Canonicos mox ſucceſſiſſe, hosq́ue neutiquam monacho-Canonicos, ſed Clericos genuinos fuiſſe. Prætereà certiſſimum eſſe, ſæculo decimo monachos in Cathedralibus Eccleſiis necdum fuiſſe, quippe cauſam allegante Kranzio jam ſuperiùs ubi de monaſterio S. Joannis actum, à nobis relato, quòd *non erat in Eccleſia futura metropolitana fratribus Divi Benedicti locus propter Ceremonias multas fratribus alienas.* Nempè quia accuratior,& ſtrictior regulæ Benedictinæ obſervantia componi neutiquam potuerit cum Cathedrali Jure, ac muniis Clericalibus.

Cæterùm nulla dubitandi ratiò ſuppetit de votivo inſtituto inter hos neòinductos Canonicos Parthenopolitanos, ſi ſolùm Dithmarum in Chronico ſuo penitiùs diſcutiamus. Unus, quem ipſe ad exemplum reliquorum Canonicorum adducit, *Eidus* eſt primò Magdeburgenſis Canonicus, deìn Epiſcopus Miſnenſis: de hoc ſcribit idem. *Erat vir Nobilis genere, & Dives in prædiis, ſed paupertate Spiritûs hæc nihil ducens, ante benedictionem in Magdeburg cum cæteris confratribus regulariter, ac multùm laudabiliter vivens & poſt in Divinis gregibus lucrandis altiùs inſurgens, pro poſſibilitate ſua apoſtolicam initiatus eſt vitam.* Qualis verò *Eidus* talis erat *Walterdus* ex Canonico Magdeburgenſis Præpoſitus: talis *Conradus*, talis *Otricus*, talis deniq́ue ipſe hic *Dithmarus* omnes ex eodem votivo Magdeburgenſi gremio præclàri Canonici.

Neq́ue refert in hac ipſa Dithmari hiſtoria ſæpiùs occurrere Canonicos Magdeburgenſes *peculiatos*, non enim alii, complures ex ipſis, erant, quàm quales Aquisgranenſis regula inter Canonicos votivos plerumq́ue diſſimulabat, quos diù antè *Pomerius* infirmos vocavit: attamen tales quoq́ue fuiſſe, qui ad exemplum primævi, ac præcipuè Auguſtiniani Cleri ſic ſua per paupertatis votum dimiſerant, ut tamen quoddam jus ex voluntate ſuperiorum dependens ſibi reſervarent diſponendi, indubitatum eſt ex iis, quæ nos multis argumentis oſtendimus in Exegeſi noſtra.

Fuit autem Clericalis hæc in Magdeburgenſi Eccleſia ſocietas eximia atq́ue per univerſam Saxoniam laudata, multiq́ue ex ea ad inſignes Epiſcopales infulas aſſumebantur, prout id ſuo tempore comprobabimus. Cæterùm quamdiu in regularitate votiva hi Canonici perſtiterint, non eſt perſpectum, & vehementer dubito etiam ſub regula Aquisgranenſi viventes, vel aliquos à D. *Norberto* (cùm ſedem Archiepiſcopalem Magdeburgenſem annò 1126. conſcenderet) adhuc fuiſſe repertos.

Hæc nobiliſſima Eccleſia annò 1647. ejectâ Catholicâ fide jugo Lutheranorum ſubmiſſa eſt, ac mox ſequenti, omni Eccleſiaſtico ſuppreſſo Jure tota Metropolis in Ducatum converſa.

Porrò unum notâſſe non incongruum erit; ea quæ ex citato Chro-

Chronico Magdeburgenſi deprompſimus neutiquam cœcâ nos fide amplecti, ſed ſubſcribere omninò doctiſſimæ Papebrochii obſervationi, multa interpolata, modicum, quin aliqua penitùs nullum mereri aſſenſum, quale cum primis illud eſt, quod de Monachorum ſtatione, ac præcedentia cum Canonicis interpolator finxit.

Chronicon Magdeb. apud Meibom. tom. 2. à pag. 270. Brow. in Annal. Trevir. L. 10. à n. 11. Dithmarus in Chronico apud Leibnit. tom. 2. à pag. 414. & 392. acta SS. in Corolar. 1, vitæ S. Norbert. 6. Junii & in vita S. Adalberti 20. Junii. Leuckfeld. in Antiquit. Numariis Magdeburg.

Fund. an. 1190. extinct.

Mariæbornenſe S. Mariæ. Virginum Canonicarum Præpoſitura. Originem huic Cœnobio quædam anno Domini 1190. facta cœleſtis viſio dediſſe aſſeritur: hiſtoriam in Scriptoribus Brunſvicenſibus à Leibnitio editam reperimus. Verùm an omnia in ea relata certa, atque inconvulſa ſint, non diſcepto; dum intereà negari nequit, Deum cultûs ſui augmentum diverſis modis, mediiſque curare, nec non & Matris ſuæ ſanctiſſimæ: neque ego is ſum, qui univerſim omnibus revelationibus, etiam antiquitùs magis piè, quèm doctè conſcriptis aurem præbeo; novique à nonnullis adeò hac in re liberrimè proceſſum fuiſſe, maximè ſæculi decimi 3tii, ac 4ti Scriptoribus, ut monaſteriorum origines vel modicè obſcuras, minùsque patentes ob defectum ſynchronorum monumentorum, mox excogitatis à ſe prodigiis, apparitionibus, ac revelationibus adſcriberent, deſumptis ex nominum quandoque planè inepta, ac inſipida interpretatione: quale profectò mihi dudum illa videbatur vocis *Hildesheim*, quem Epiſcopatum Chroniſta Hildesheimenſis ideò hoc vocabulo nuncupatum dicit, quòd ibi locorum cœlitùs miſsâ nive *Carolo* Magno indicatum ſit primum templum conſtruendum, atque inde olim *Hildeſchne* nunc paululùm immutatum appellari *Hildesheim*. Cùm intereà longè certior ſit conjectura, hunc locum dictum *Hildesheim* à ſaltu vicino, *Hilles* appellato: videatur Meibom. tom. 3. p. 18. & 228. verùm quidquid horum ſit, neutiquam repudiare cum Hæreticis noſtri temporis omnes revelationes intendimus, & quæ per doctiorem Criſin Catholicam veræ agnoſcuntur, irrefragabili aſſenſu nos quoque complectimur. Hinc ut de iſta narratione aliquantùm mentem noſtram aperiamus, cenſeo ſanè hiſtoriam ipſam contigiſſe, ac ab ejus ſcriptore multa inutili proſopopejâ inſerta fuiſſe, quis non videt? ſed nos de his ſimilibuſque apparitionibus &c. (ab heterodoxis, tanquam fabulæ ac ſomnia eſſent, explodi ſolitis) in noſtro opere conſultò agemus.

Chron. Ep. Hild. To. 2. pag. 78.

Porrò quemadmodùm in hac hiſtoria refertur, *quaſdam religioſas Virgines prædictum locum adeuntes, & voto regulari ſe ſubdentes cum omni patrimonio ſuo ſe ibidem collocâſſe, ac ipſum cœnobium ædificantes fundatrices exſtitiſſe non ſolùm in temporalibus, ſed etiam in Spiritualibus, & Eccleſiaſticis Diſciplinis, quod uſq; in hodiernum diem perficitur.* Patet, Authorem hujus hiſtoriæ diù poſt annum 1190. ſcripſiſſe, adeoque promere per rumorem audita, aut fortè lecta, non viſa.

Virgines verò illas diſciplinam amplexas fuiſſe Canonicam ſub regula S. *Auguſtini*, arguo ex Buſchio noſtro, cujus ætate hanc normam vivendi, ſed reformationis indigam tenuiſſe idem aſſeverat, ſic etenim ille: *Monaſterium*, inquit, *Monialium in Fonte B. Mariæ Ordinis noſtri, Halberſtadenſis Diœceſis*

ad unum milliare de Helmſtede, per Patrem Bernardum Priorem de Hamersleve jam nuper conſtat reformatum, in quo ſtatuta, ordinarium, Cantum, habitum, & omnia ceremonialia Monialium ordinis noſtri, per Moniales B. Mariæ in monte - - - - earum informatrices, perfectè aſſumſerunt. Depoſuerunt nigrum habitum ſuum priſtinum cum manicis, & incedunt in ſubtilibus albis ſicut & nos, nigra vela magna, quæ priùs non habuerant, ſuper omnia pepla ſua in capitibus deferentes. Una ibi fuit Monialis, mihi ante multos annos benè nota, quæ reformationi valde fuit contraria, dicens: cùm Prior de Hamersleve ad nos venerit, tunc in feneſtra ſolarii ſtabo, & cùm ego eum in Monaſterium noſtrum ingredi aſpexero, altiſſima voce tunc exclamabo. Joduyt, Joduyt: id eſt Wopen, quod verbum eſt diffidationis (Leibnitius interpretatur *Waffen* ſeu arma) *ut ſic tota familia Monaſterii pro earum defenſione concurreret. Cùm ergò Prior tempore ſibi conveniente adveniret, ſoror Monialis in feneſtra ſtetit ſolarii cum aliis ſororibus, quæ dum os aperiret ad exclamandum, claudere os ſuum non potuit, ſed aperto ore hians ſic ſtabat. Cui aliæ ſorores circumſtantes dixerunt: quare jam non clamas, ſicut facturam te jactaſti? quæ ſignum dedit, quod non potuit. Tandem ceſſavit ab intentione clamandi, & tunc loquelam recepit. Eadem Monialis, quia cor ſuum non erat rectum cum Deo, nec ad ſanctam reformationem inclinatum, cùm ſemel antè cœnam circà menſam cum aliis ſtaret ſororibus in hyeme ad cantandum benedicite, & candelæ in medio menſæ ardentes locatæ eſſent ſupra candelabro: tunc velum, pepla & corona hujus monialis in capite ejus fuerunt omnia de igne candelæ illius incenſa, & clarè cum crine capitis, ut flamma ardentia. Unde Prioriſſa, & omnes Moniales fuerunt territæ, & intermittentes benedicite accurrerunt ſubitò ad rapienda omnia de capite ejus ne cum peplis, & crinibus caput etiam ejus & totum corpus ejus concremarentur. Sed nec ipſa territa etiam adjuvit ad deponendum omnia de ſuo capite tegmina ardentia; unde pro magno id reputabant miraculo, quia ipſa tam remotè ſtans à menſa & candelis, ſcamno intermedio, ſic potuit incendi. Unde factum eſt, ut præfata Monialis poſt hoc ad perfectam ſe daret reformationem. Cùmq; ego cum Prioribus de Hammersleve, & Richenberg dictas Moniales ibidem viſitarem, hæc mihi narraverunt de ipſa Moniali, quæ à me ex hoc multùm de obſtinatia ſua increpata, fidelem ſe reformationi ulteriùs fore conſtanter promiſit. Et quia omnes iſtæ moniales juxta reformationem Monialium Montis B. Mariæ Virginis prope Helmſtede omninò ſe regunt, & ſervant regulam & ſtatuta Monialium noſtrarum: etiam eis in pluribus ſuccurri, libros cantuales concedendo, & quædam eis fieri procurando. Quod Monaſterium uſq; in præſens in bona permanet reformatione, habens converſas, & Donatas de Weſtphalia, per nos Patres ibidem adductas.* Hæc Buſchius.

Per Archiepiſcopum Magdeburgenſem in neò-conditum cœnobium non Moniales Virgines, ſed viros annô, ùt prætactum eſt, 1191. inductos fuiſſe Meibomius contendit. *Hoſpitale*, inquit, *in loco Morthal id eſt valle Prædonum Epiſcopus Magdeburgenſis incœpit, quod aliquot devoti viri, incoluerunt Deo Omnipotenti oratione & jejunio ſervituri. & tranſeuntibus peregrinis pro viribus obſequia præſtituri.* Hæc quia ex libera Meibomii & omninò ſuſpecta pena videntur fluxiſſe, quippè, quòd ideò viris primatum tribuat, ut hiſtoriam à nobis adductam faciliùs convellat; inſuper nullam antiquitatis Authoritatem pro ſua aſſertione proferat, nos nunquam eidem ſubſcribemus. Profectò ipſe Meibomius primum, quod adducit, inſtrumentum eſt *Ottonis* Quarti de anno 1204. at in iſto nihil penitus pro utrovis

ſeu

ſeu virginum, ſeu virorum in hoc cœnobio tum exiſtentium parte reperitur, neque ullum vetus documentum deprehendi, quod aſſereret ibidem primitùs hoſpitale fuiſſe erectum.

Litteras *Hugonis* Cardinalis an. 1253. ſignatas utinam produxiſſet Meibomius, aut ejus Scholiaſtes Leuckfeldius, ex quibus ſincerius diſcere licuiſſet opinionem hujus, quaſi ad certum ordinem, ſeu numerum reſtrictis ſanctimonialibus Montis S. Mariæ propè Helmſtede (ùt docet breve chronicon ejusdem Parthenonis apud Leibnitium) reliquæ ad fontem S. Mariæ demandatæ primæ fuerint, quæ iſthicGynæceum ſacrum conſtituerent. Mihi certèeæ narrationes, quæ ſemel admiſſæ vel indirectè præjudicia non exigua generare poſſunt dogmatibus in Eccleſia catholica communiter receptis, maximè ab Heterodoxis obtruſæ, tamdiu nullius authoritatis erunt, donec rationum pondera in genuinè productis documentis antiquis firmata ediderint: atque ideò totam Meibomii Chronicam de Parthenone fontis S. Mariæ vulgatam in iis, quæ fidei controverſiam quomodolibet attingunt, omnimodis rejicio, & certus teneo, hoc cœnobium primitùs, quemadmodùm hiſtoria apud Leibnitium enuntiat, à Virginibus cultum, propagatúmque fuiſſe, adjunctis quibusdam viris religioſis ſacra, ac divina miniſtrantibus.

Quamdiu fides Catholica & immaculata religio in hoc cœnobio floruerit, non ſatis conſtat, quamvis certum ſit, eandem adhuc annò 1550. firmam perſtitiſſe. Annò verò 1580. ſacris Virginibus, aut eliminatis, aut quibusdam earum dogma Lutheri amplectentibus, cœnobium ipſum catholicum, ac religioſum eſſe ampliùs nequivit. Exiſtit, Domicellas Luteranas úsque dum obtinens, propè Guelpherbitum. Breve Chronicon hujus cœnobii apud Leibnit. t. 2. p. 425. diplomata Ottonis 4. apud Meibom. t. 3. p. 159. Chron. Meib. de Monaſt. Mariebornensi. Leuckfeld. de Ordine Ciſterc. in Kelbra. p. 121. Buſch. de reform. Monaſt. L. 2. cap. 27. Meib. in Chron. Marienſthal. tom. 3. p. 270.

Marienburgenſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Fundat. an. 1176. Ex ſimilium.

Fundatorem hujus Parthenonis ex ejusdem Chronico (ſeu mavis dicere) hiſtoria percipimus, fuiſſe *Wulframum* Abbatem Werdinenſem & Helmeſtedenſem ex familia de *Kirburg*: ùt habet Henningius in ſuo ſyllabo Abbatum Werttinenſium, fortè idem ac *Kirchberg*, ſic enim eum nominat Meibomius in Origin. Helmeſtad. Fuerat hic Abbas geminorum monaſteriorum Ordinis S. Benedicti, an & ipſe? non definio. Hic ergo 1176. cœnobium iſtud pro Virginibus ſacris Helmſtadii ad latus occidentale in colliculo urbi ferè contiguo in honorem Divæ Virginis condidit, quod ideò poſtmodum *Mons S. Mariæ* nuncupatum. Chronicon à nobis memoratum occaſionem fundationi huic dediſſe narrat quandam prodigioſam B. Virginis apparitionem: author neutiquam primis annis incæpti hujus cœnobii ſynchronus eſt, ſed iis temporibus, quibus magis piè, quàm criticè à permultis ſcriptoribus confarcinari hiſtoriæ ſolebant. Certè ſtylus ipſe tam ineptis florum Rhetoricorum quisquiliis refertus eſt, ut eandem primigenia phraſi referre faſtidiat calamus, proinde ſolùm quæ certiora cenſemus, ac lectu, ſcitúque digniora, ex ea decerpimus.

Igitur in prædicto monte apparuiſſe crebriùs quoddam cælitùs lumen à diverſi ſtatûs hominibus viſum aſſeritur, ſignis his excitati cives

cives quamdam B. Virginis imaginem ex altari (author locum, in quo illud ſitum, reticet) ſumunt, ad locum ſæpè notatum currunt, menſam lineamento tectam ponunt, imaginem inferunt, ſolenniter offerentes. Innovant feſtum, ligneam in *Wormſtedde* emunt capellam, ac opere incepto duos humiles juſtos proviſores devotos inſtituunt, inquit idem Author. Hóſque, ait, ſanctæ *Mariæ* primos fuiſſe proviſores, ut per hos veniretur ad procuratores doctiores.

Exſtat verò in ipſa hujus monaſterii Eccleſia Pictura quædam cum inſcriptionibus denotans ejuſdem tum fundationem, tum quædam prodigia. Atque cumprimis legitur annô 1170. illud fundatum fuiſſe. At in quodam diplomate (ait Leibnitius) ſive privilegio Wertinenſi leguntur iſta: *Anno Domini* 1176. *Wulfranus Abbas monaſteriorum Werdinenſis, & Helmſtedenſis fundator fuit & conſtructor S. Mariæ in Monte propè Helmſtede pro regulari vita Canonicarum S. Auguſtini Epiſcopi.* Concordari autem hæc facilè poſſunt; ſi dicatur, picturam illam ſignare originem per miraculum factam hujus loci primùm à duobus illis Laicis, quos pictura *Ottonem*, & *Fridericum Faber* nominat, exculti: econtra diploma denotare ipſam fundationem cœnobii. Ibidem dicitur annô Domini 1256. Dominica *Miſericordias Domini Wolradum* Epiſcopum Halberſtadenſem monaſterium perſonaliter confirmâſſe; annô quoque 1255. Regem Romanorum *Wilhelmum* monaſterium viſitâſſe, & ſublimiter privilegiâſſe: denique Pontifices ſummos *Gregorium* ac *Cæleſtinum*, *Hugonem* quoque Cardinalem, & cumplures alios ordinem ipſius Monaſterii confirmâſſe, privilegiâſſe, & maximis indulgentiis dotâſſe. Subſequitur exhinc nova narratio cujusdam Beatiſſimæ Dei Matris Imaginis per prævium revelationem in locum *Cubbelinus* dictum an. 1291. deportatæ, & ab *Alberto* Duce libertate donatum, in quo dein erectum ſacellum ipſa ſanctiſſima Virgo multis miraculis ſe beneficam præbuiſſe refertur. Cùm demum annô 1330. *Otto* Dux Brunsvicenſis de conſenſu omnium hæredum ſuorum dedit, & tranſtulit Eccleſiam cum capella in *Cubbelinus* cum omnibus earum juribus, & appenditiis conventui monſterii S. Mariæ propè muros Helmſtad. Denique inducuntur Præpoſiti hujus Parthenonis, qui Virginum curam gerebant, ac annô Domini 1181. ad annum usque 1710. verùm cùm nuda ſolùm à Leibnitio, qui hunc catalogum præfatæ hiſtoriæ ſubjunxit, nomina proferantur, inſuper ex his nulla conjectura haberi poſſit, quo tempore in manus Novatorum devenerit, hæc, quæ retulimus, de monaſterio laudato ſufficiant.

Hiſt. Montis S. Mariæ apud Leibnit: tom. 2. p. 426. ſeq. Meibom. in oratione de Orig. Helmeſtadii. tom. 3. p. 229. Henningus Hagen. ſyllab. Werthin. Edit. Leibnit. tom. 3. p. 601.

S. Mariæ Propoſitura.

[illegible]

Meminit hujus chronicon Halberſtadenſe, dum *Arnolfi* ſeu *Arnolphi* Noni Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopi acta enarrans ſequentia ediſſerit: *Venerabilis Dominus Arnolphus Epiſcopus intus ad ſe reverſus, Zelo charitatis, & devotionis accenſus, ut perpetuam ſibi benedictionis memoriam compararet: infra ambitum muri Eccleſiam in honorem Dei omnipotentis, & glorioſæ ſuæ Genetricis ſemper Virginis Mariæ conſtruxit, Præpoſituram, & Canonicorum vitam ordinans in eadem: & quia mente provida intuebatur, quòd bonum, & jucundum eſſet, ſub religionis Catholicæ unitate habitare fratres in unum,*

duas has fraternitates, fraternitatem inquam, B. Stephani Protomartyris, & S. Mariæ Virginis ſub una regula diſciplinæ Eccleſiaſticæ adunavit, nec minùs ſimili conſuetudinis lege in exterioribus collegiavit. Quemadmodùm ergo regulari obſervantia obſtricti vixerant cum Canonici cathedrales Halberſtadii, ſic eandem æmulabantur æquali fervore Canonici Mariani.

Quò verò tempore *Arnolfus* hanc Præpoſituram conſtruxerit, incertum manet, aliquibùs ejus originem anno 1005, aliis 1020. alligantibùs, pro quo non diſcepto.

Hæc Eccleſia unà cum principali matre ſua profanata decumbit. Chron. Halberſt. apud Leibnit. t. 2. p. 121. Leuckfeld. in Antiq. Halberſt. in actis Arnolfi pag. 329. Winigenſtad. in Chron. M. SS. Calvoërs in ſaxonia Infer. p. 387.

Fundat. Exſtinct.

S. Mariæ Præpoſitura propè fluvium Jaſonii.

De hac nil niſi brevis memoria occurrit in Catalogo Monaſteriorum Congreg. Windeſemenſis apud Miræum, quæ tamen nec in Catalogo Būſchii, nec altero Bodecenſi reperitur, eam penitùs negligere noluimus. Hoc cænobium, olim non ignobile, nunc in Urbem per Heterodoxos converſum eſt.

Exiſtit propé fluvium Jaſonem. Miræ. I. de orig. Can. Reg. pag. 68. Geograpb. recent.

Fundat. 1117. Floret.

S. Mariæ in Richenberg. Prioratus.

Pertingimus iterum ad aliquod Ordinis noſtri cænobium, quod è funeſtiſſima tot in Saxonia celeberrimorum monaſteriorum clade feliciter emerſit, & hodie adhuc præclarè floret, eò quidem laudabilius, quò antiquitate nobilius. Fundavit illud ſanguinis non minùs, quàm virtutis claritate eximius *Petrus de Richenberg* Canonicus cum Eccleſiæ S.S. Simonis & Judæ Goslariæ. Annum hujus fundationis conſtituit Heineccius diplomatum authoritate, ùt ipſe inquit, ſic edoctus, 1117. conſentit Chronicon Stederburgenſe, quod inquit: *Ad annum 1117. Eccleſia in Richenberg primùm incepta eſt.* Unde non audiendum Chronicon breve ſaxonica dialecto ſcriptum apud Leibnitium quod ait: *Anno decimo Regni Lotharii Petrum Canonicum fundaſſe monaſterium in Rirchenberge.* Annus decimus Lotharii convenit cum anno 1134.

Dotavit hoc cænobium idem *Petrus* præclarâ liberalitate, totum nimirum Richenbergenſe prædium eidem ex integro conſignans: initio ſtatim fundationis in præpoſituram illud erectum Præpoſitum pariter obtiniuit & advocatum, quamvis modica religioſorum ſocietate proviſum. Heineccius obſervat annô primùm 1131. hujus loci clericos regulam *S. Auguſtini* obtinuiſſe adnitente *Bernardo* Hildeſienſi Epiſcopo; cui tamen aliquantùm diſſentire videtur Chronicon Stederburgenſe: in hoc enim legitur *Geradum priùs Goslarienſis Eccleſiæ Canonicum Deo inſpirante, arctioris vitæ* (nam Goslarienſes ſecundùm regulam Aquisgranenſem, ùt notum, vivebant majori expropriationis libertate) *& diſtrictioris regulæ tramitem concupiviſſe & Patre ac Matre, & cognatis omnibus & concupiſcentiis mundi poſtpoſitis ad Eccleſiam Dei Genitricis Mariæ in Richenberge cum omnibus ad ſe pertinentibus confugiſſe, & opus bonum (quod ab ingreſſu ætatis inceperat) liberè Deo vacantem, & ab omnibus ſe abſtinentem irreprehenſibiliter adimpleviſſe, & in brevi eidem Eccleſiæ ſuæ Patrem* (id eſt Præpoſitum) *præfectum fuiſſe.* Hoc neceſſe eſt contigiſſe ante annum 1131. cum enim aſſump-

tus eſt ad Eccleſiam *S. Georgii* in monte aliàs *Grauhoff* dictam, ùt eam informet, & *quaſi de nihilo in bonum ſtatum laudabiliter* levaret, prout idem Chronicon ait: & ipſe Heineccius hunc *Gerardum* ad annum 1130. conſtituit Præpoſitum montis *S. Georgii*. Quia igitur jam paſtoris fungebatur officiô in Eccleſia Richerbergenſi, inſuper *ipſum hoc cænobium idem in ædificiorum ſtructuris, & diſciplinæ, & utilitatis non modicæ aſſecutione promovit:* Certè ad hoc diutius tempus requirebatur, quô ipſe antequam promoveretur ad Montem *S. Georgii*, Præpoſitus Richerbergæ præſidebat. Cúmque ex eodem hoc Chronico pateat, *Gerardum* non mox ad clavum veniſſe, ſed anteà ùt privatum religioſum ſaltem per modicum aliquod ſpatium vixiſſe: ùt religioſum inquam, & quidem *ſecundùm arctioris vitæ ac diſtrictioris regulæ tramitem*, ſequitur omninò tunc *S. Augustini* regulam Richerbergæ jam floruiſſe, ſed eô fortè modô, quô in exordio eam Raittenbuchenſes obſervabant, de quibus Chroniſta Reichersbergenſis. Et quod ſi hoc noſtrum cænobium jam à ſui fundatione præpoſitura erat, Præpoſitúmque habebat, ut clarè innuit Heineccius: *Præpoſito*, inquit, *& Advocato ſtatim cæpit ſubeſſe*, inſuper ſi, ùt idem aſſeverat, *Gerardus* primus Præpoſitus erat, ſed non ante annum 1142. Richenberga neceſſariò perſtitit à fundatione viginti duobus annis ſinè Præpoſito, quod profectò non eſſet *ſtatim* eidem ſubjici. *Gerardus* igitur aliquot annis antequam Præpoſituram Montis *S. Georgii* accepit, religioſum Richenbergæ egerat, atque ideò nullus ambigo, *Petrum Richenbergenſem* mox Canonicæ reformationi ſuum neô-conditum cænobium ſubjeciſſe, in quo abſque dubio *Gerardus* non primum, ſed ſecundum Præpoſitum egerit: niſi dicas uno, alteróve anno *Petrum Fundatorem* Præpoſiti vices egiſſe, uſque dum *Gerardus* primus regularis præficeretur. Hic *Gerardus*, quem aliàs Chroniſtæ ſeniorem nominant, Vir erat notiſſima pietate non minùs, quàm prudentiâ ſummis Principibus Charus, ipsíque *Lothario* Imperatori amiciſſimus. Nos ipſius geſta aliquando inter acta Præpoſitorum hujus monaſterii luculentiùs dabimus.

Porrò quemadmodùm hoc nobile cænobium à compluribus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus Principibus copioſis beneficiis dotabatur, ipséque ſummus Pontifex *Innocentius* peculiari confirmationis bulla ejus fundationem anno 1138. confirmabat, ſic ex adverſo indentidem ſuperandas habebat calamitates immodicas. Nimii in præfixa noſtra brevitate eſſemus, ſi utrínque vel pauca produceremus: hinc conſultiùs illa ad futuram in ipſo opere deſcriptionem differrimus.

Circà annum 1429. aliquot temporalium rerum perpeſſum incommoda, nè etiam in ſpiritualibus dilaberetur, provida circumſpectione à præſidente tum Præpoſito *Joanne Clovekorn* unitum eſt Windeſemenſi Congregationi, quam unionem *Magnus* Epiſcopus Hildesheimenſis datô deſuper privilegiô communivit anno eodem 1429. in vigilia Natæ Virginis: à quo tempore Præpoſiti titulô in Priorem mutatô uſque ad hanc ætatem noſtram egregiè floret.

Exiſtit propè Goslariam Buſch. Libr. de reform. Monaſt. & Chron. Wind. L. 1. c. 45. Heineccius antiqu Goslar. pag. 114. ac deinceps Chron. Stederburgenſe edit. Leibnit. tom. 1. pag. 855.

S. Mau-

Fundat. circa an. 1180. Exſtinctum.

S. Mauritii Præpoſitura.

Hujus cænobii originem, ùt narrat ſereni Montis Chronicon, circà annum 1180. *Wichmannus* conſtituit Magdeburgenſis Epiſcopus, perſuaſus à quibusdam Hallenſis Urbis civibus, quos ad id expetendum concitârunt nonnulli eorum filii, hi etenim ad novi operis ſcholam frequentantes à *Rudolfo* ſuo Gymnaſiarcha duriùs aliquantùm habiti eò dementiæ proceſſerant, ut ipſum gravi fuſtigatione impeterent, vindicaturi tractandi ſeveritatem, cùmque hujus temeritatis mox juſtas pœnas luere cogerentur, nec nova ultioni alia via pateret, ſimulata pietate parentibus novi in ipſa urbe conſtruendi cænobii authores eſſe voluerunt, hac arte credentes Novi operis Canonicis non ſolùm auferendum conſuetum inſtruendi jus, verùm ſubtrahenda quoque immodica bona, quibus ſperabant neceſſariò neo-erigendum monaſterium fore dotandum; verùm hanc invidioſam intentionem Deus in augmentum gloriæ ſuæ vertit, & in emolumentum Novi operis Canonicorum: aſſentiens enim poſtulationi civium *Wichmanus* monaſterium erigi conceſſit in ipſa urbe Hallenſi ad *S. Mauritii* honorem, ſed evocatâ ex dicti Novi operis præclaro archiſterio coloniâ hoc ipſum neo-conditum ſacrô Canonicorum Regularium inſtitutô informavit. Quódque præcipuum, hunc, cujus cauſâ odii fomitem dicti civium filii nutrierant, *Rudolfum* primum Præpoſitum juſſit; hæc ex chronico ſereni Montis accepimus. Aliàs nobis vix quidquam usque ad ſæculi 13. finem occurrit, præter Litteras apud Ludewigium de quadam permutatione trium Manſorum in *Canene* ſignatas annô 1286. à Præpoſito *Siffrido*, *Johanne Priore*, *totoq; Conventu S. Mauritii in Hallis*. Apparet cæteroquin ex diverſis Chartis contractuum, venditioum, ac permutationum celebrem omninò hanc fuiſſe præpoſituram, de qua tamen nobis usque ad annum 1442. vix quidquam conſtat. Pro hoc ſiquidem tempore quædam memoratu digna prodidit præclarus Congregationis Windeſemenſis hiſtoricus Joannes Buſchius. Hic enim dictô annô ait monaſterium S. *Mauritii* Ordinis Canonicorum Hallis cæpiſſe reformari. Ut verò ex relatione ab eodem Buſchio (quippè oculari teſte) facta liquet, reformatio hæc quemadmodùm loco iſti ac commorantibus ibidem Canonicis ſummè neceſſaria fuerat, ſic difficulter primitùs acceptata; hiſtoriam latè more ſuo deducit Buſchius, cui in hoc opere immorari non expedit, non videtur autem Congregationi penitùs fuiſſe unitum.

Porrò fuerat ipſo reformationis tempore inter Canonicos vir quidam eximius *Paulus* nomine Doctor Decretorum, qui tum reſignante propoſituram *Teylone* ſeu *Teylmanno*, unanimi Calculo aſſumptus eſt, & egregius deinde in reformandis compluribus monaſteriis adjutor exſtitit.

Ipſo in opere, quod prælaudatus Buſchius conſcripſerat, reperitur recentior manus huic capitulo, in quo de reformatione cænobii S. *Mauritii* Hallenſis agitur, addidiſſe ſequentia: *Albertus Archiepiſcopus annô 1529. de conſenſu fratrum S. Mauritii exuit eis habitum, & fecit eos Canonicos ſaculares in novo Collegio Hallis, Eccleſiam permutans cum prædicatoribus.* Deinceps nulla hujus loci memoria occurrit.

Exſtitit Hallis in ipſa urbe. Buſch. L. 1. de reform. monaſt. Cap. 15. Reliq. M. SS. Ludewig. Tom. 5.

S. Mau-

Fundat. — Exſtinctum.

S. Mauritii Præpoſitura.

Aliam S. *Mauritio* ſacram Eccleſiam Naumburgi exſtitiſſe legimus, fundatam à *Rivvino* (aliis *Richvvino*) Epiſcopo Naumburgenſi, de quo tamen dubitat Schamelius, quippè quòd nulla vetus pro hac re exſtet authoritas, niſi *Rivvini* in hac Eccleſia ſepulti Epitaphium: ſed in quo dum hæc ſolummodò verba leguntur: *Annô Incarnationis Dominicæ M. CXXV. Ind. III. Id. Ap. obiit piæ memoriæ Rivvinus Numburg: Epus.* Dumque ex hoc tantummodo *Groitſchius* videtur *Rivvinum* pro fundatore aſſeruiſſe, neſcio an huic nudæ opinioni ſubſcribendum ſit. Quin ego ad ſummum arguam Riwinum inter benefactores, non verò fundatores numerandum. Atque ex his tàm fundator, quàm fundationis origo ignota manent; maximè ſi urgeamus, Epitaphium illud, prout Schamelius conjicit, recentis manûs opus, eſſe tum enim nè quidem augurari licet, quo tempore humatum ſit corpus *Rivvini*, in hac Eccleſia. Nunquid enim, quia prætactis chronicis notis obiit, ideò tunc iſte hic ſepultus eſt? exſtant plura Cenodaphia aut inſcriptiones obitûs cujusdam viri honorati, neque inde ſequitur, ſub tali jacere corpus defuncti. Hæc de fundatione usquequaque latente.

Parvum collegium intitulat Schamelius hunc locum, aitque Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* traditum. Parvum inquam, quamvìs fateatur ædificia per ſe ſatis egregia fuiſſe, circuitu loci, & amplitudine idipſum teſtantibus. Annô 1140. primus, qui innotuit, Præpoſitus *S. Mauritii* Naumburgenſis comparet ſubſcriptus litteris Concambii *Udonis* primi Epiſcopi cum Monaſterio Portenſi facti, ùt notat Juſtinus Pertuchius in ſuo chronico Portenſi, hinc meritò concludimus antiquitatem ſatis firmam hujus collegii.

Notabilis quoque occurrit *Joannes Tylichius*, qui an. 1420. præfuerat: Hic enim vir Doctiſſimus integrum Chronicon Miſnenſe ab an. 785. ad usque mox inſinuatum deduxit. Quod jam tertiò editum ſuo Authori vindicavit in ſuis vindemiis litterariis Joan. Fridericus Schannat parte 2da à pag. 74. fuitque idem ipſe tum Præpoſitus noſtri, de quo agimus, monaſterii, ſimúlque Decretorum Doctor, & in ſtudio Lipſienſi an. 1413. Lector Ordinarius, velut ipſe teſtatur. Nec minùs memoria digniſſimus *Nithardus Langenberg*, qui cœnobium defectui, lapſuſque proximum mira ſagacitate erexit. Veterem in hujus rei teſtimonium ſcripturam Schamelius producit laminæ ex Aurichalco primùm Antecidi (euidam verſus ſeptentrionale templi latus, nunc ſupra ſacrarium muro appenſæ) inſculptam his verbis: *Nithardus Langenbergk Ekersbergenſis, S. Auguſtini ordinis Canonicus regularis, cùm olim ruinis monaſterii hujus præpoſitus foret, Chorum, Eccleſiámque cum refectorio à fundamentis reparavit, oppignorata redemit, ab aliis occupata vindicavit, monaſterio ſuo omnia reſtituens, adverſantibus tamen capuciatis Hallenſibus, adminiſtratione ſummotus, Romæ impetrata reſtitutione, perpetuum adverſariis ſilentium impoſuit. Annô Domini 1510. Menſe (Non) April.* qui ſe tum diſciplina regularis habuerit, non ſatis comperi, id certum, ante annos circiter ſexaginta illud à Windeſmenſibus Viſitatoribus inquiſitum enormiter à regula primæva deviaſſe repertum. Nam, teſte Buſchio, *nulla ibidem inveniebatur reformatio; ædificia eorum penè omnia præter Eccleſiam minabantur ruinam, & fratres ut ruſtici, propter penuriam, & labores continuos incedebant.* Ob-

ſer-

ſervat quidem Buſchius ſe Numburgenſibus his Canonicis mandâſſe, ut juxta mandatum Domini Cardinalis *Nicolai de Cuſa* ſucceſſivè ad debitam reformationem, ad vivendum in communi ſinè omni proprietate ſe præpararent &c. ſubſecutum effectum tamen ex eodem Buſchio non diſco, cenſeoque iſtud non minùs inter illa fuiſſe, quæ ſe huic reformationi oppoſuerant; quippè, quòd tale quid in hujus ipſius monaſterii à ſe viſitati deſcriptione commemoret. quidquid porrò ſit, certum habemus congregationi Windeſemenſi Canonicos iſtos S. *Mauritii* Numburgenſes, ſe non ſubdidiſſe. Hinc etſi *Nithardus* quoad temporalia bona optimam ſibi famam meruerit, an ædificium, & jacturam ſpiritualem pari ſedulitate curaverit, non lego: cùm intereà ex dicto Schamelio habeamus, non diù poſt Nithardi obitum (qui annô 1521. contigit) id eſt, 1537. *Johannem Wolckenſtein* Lutheri errores ùt præconem ac parochum è Cathedra hujus cænobii propoſuiſſe, monaſteriô paulò pôſt, id eſt, 1544. penitùs demolitô. Schamelius Hiſtor. deſcript. Monaſterii S. Mauritii extra Numburgum. Thuringia ſacra pag. 625. ſeq. Buſch. L. 2. de reform. monaſt. pag. 832. edit. Leibnit.

Fund. circa an. 968. Ex ſtiktum.

Merſeburgenſis S. Laurentii Cathedralis.

Jam à *Carolo Magno* primam Merſeburgi Eccleſiam in honorem *S. Joannis Evangeliſtæ* conſtructam pro Canonicis Regularibus, ac poſteà novis prædiis, bonisque ab *Ottone* primo dotatam annô 968. disertè tradit *Petrus Albini* ex Brotuffio, ſequentibus: *Merſeburgum poſtquam ab Imperatore Heinrico Aucupe captum, poſtmodum eodem annô, quô Miſnia ab Ottone primo pro Oſtlandis, ſeu Libonothanis, velut ſtella meminit, at veriùs pro tunc adhuc iſthic habitantibus ſorabis fundatum eſt; nempe poſt Chriſtum natum annô 968. nam illô annô idem vetus monaſterium Canonicorum Regularium Eccleſiæ S. Joannis Evangeliſtæ in Merſeburg (quod Imperator Carolus Magnus iſthic antea fundavit) cenſibus & proventibus meliorâſſe, aliquot pagos, manſos, decimas, vicum quoq; Zwenckavv, plurimùm de ſuo matrimonio tradidiſſe dicitur.* Et ùt Brotuffius ſcribit, id, ipſum ad Froſam propè Magdeburgum factum fuiſſe. Idem Albini tit. 11. pag. 142. *peculiariter*, inquit, *legimus in Merſeburgenſi Chronica, Carolum, dum urbem Merſeburg ad fidem Chriſtianam convertit ... idem in loco, in quo nunc curia nova arcis Epiſcopalis eſt, primam Eccleſiam S. Joannis Evangel. condidiſſe, & Canonicos regulares in ea conſtituiſſe, qui etiam ab illis temporibus usq; ad Ottonem I. illic permanſerunt ad annum nimirum 968. quo Epiſcopatus fundatus eſt, quod etiam eſſe poteſt, cum Sala interjacente Wandali facilè illuc pervenire nequiverint.*

Quàmvis verò hæc Albini, aut Brotuffii opinio minor eſſet, quàm cui ſubſcriberetur, negari tamen haud poterit in Merſeburgenſi Eccleſia ejus inſtitutionis Canonicos fuiſſe, quales paſſim *Ottonis* primi tempore ſaxonicas Eccleſias Cathedrales incoluêre, ſcilicèt regulares. Neque enim Merſeburgum alios habuiſſe facilè ab adverſantibus probabitur, quàm quales habuit Eccleſia Magdeburgenſis; de qua ſuô locô egimus, & quò ob rationis æqualitatem Lectorem remittimus. Atque hinc quoque exiſtimo Albinum quoad hanc Canonicorum Regularium aſſertionem cum Brotuffio non obiter fore rejiciendum; maximè dum legenti Chronicon Dit-

Dithmari Epiſcopi Merſeburgenſis paſſim occurret Saxonicarum, ac præcipuè *Magdeburgenſis*, nec non & *Merſeburgenſis*, *Cizenſis &c.* Eccleſiarum regularitas obſervata ejusdem piiſſimi Epiſcopi tempore, qui *vita Clericali deſignatus*, *& tener adhuc in annis S. Mauritio in Magdeburg ſervus*, *ac ſpiritualis frater dicatus eſt.*

Habuit hæc Merſeburgenſis Eccleſia fata quàm plurima ſubeunda, de quibus nos ſuo loco. Regularitatem quo tempore amiſerit, non ſatis compertum eſt: ſæculi decimi ſexti mediô annô 1544. per Auguſtum Saxoniæ Ducem eliminata catholica veritate, introductum Lutheri dogma eſt, Epiſcopi Coadjutore Georgio: Epiſcopi enim authoritatem ſibi Duces Saxoniæ vendicabant, quæ qualis fuerit, norint omnes, quibus Eccleſiaſtica jura perſpecta ſunt.

Albini in Chronicâ Miſnenſi Tit. 22. p. 281. Chronicon Merſeburg. apud Ludewig. Reliq. M. SS. T. 4. pag. 329. Dithmar reſtit: apud Leibnit. Script. Brunſvic. Tom. 1. à pag. 323.

Fundat. Exſtinct. Medingenſe Virginum Præpoſitura, an Canonicarum? profectò rationes, quæ ſuppeditatæ nobis fuerant, ut inter noſtra monaſteria hoc ipſum numeraremus, vix ſufficientes invenio; negligere autem omninò, nolui in hoc prodromo ejus memoriam, nè monitus videar aliquid pertinaciùs omiſiſſe.

Exſtitit in Ducatu Luneburgenſi, nunc Collegium eſt Domicellarum Lutheri dogma ſectantium. Documenta communicata. Kultzingi de fundat. Monaſt. Hilgenthal. n. 8. Chron. Burdew. &c. Docum. Commun.

Miſnenſis SS. Joannis, & Donati Eccleſia Cathedralis. Exordium *Henrico Aucupi*, perfectionem *Ottoni Magno* debet ad annum 939. quò diploma extraditum eſt. Hæc metropolitana Eccleſia nulli Archiepiſcopo, ſed ſoli ſummo Eccleſiæ Præſuli ſubdita nomen inde *ſedis Pontificalis liberæ* obtinuit. Obſervat autem Petrus Albinì in ſua Chronica ſolummodò hanc Cathedralem Monaſterium tum in diplomatibus cæſareis, tum in Bullis Pontificum dici; eò, quòd collecti ſub primo ſancto Epiſcopo *Burchardo* Canonici *regulariter* in Communi, vereque monaſterialiter vixerint: quod nobis doctè confirmat Hieronymus *Emſerus* in vita S. Bennonis undecimi Miſnenſis Epiſcopi Scripta, typisque edita annô 1512. dum in ipſo hujus vitæ prologo de Eccleſiæ Miſnenſis exordiis ab *Henrico Aucupe* ſtatutis, ab *Ottone* filio firmatis diſcurrens ſic demum n. 6. infit. *Eccleſia hôc modô conſtituta Imperator Burckardum quemdam primum deſtinavit Epiſcopum, virum venerabilem, & multa religione inſignem, à Joanne prædicto (ſcilicèt decimô tertiô, ſummo Pontifice) ſimul cum Epiſcopo ipſo confirmatum: Collegium inſtituit Canonicorum, & ſacerdotum Chriſti, qui inſtar temporum ſuorum, primò omnia habere communia, ſimúlque unâ veſci menſa, & in uno condormire loco, Canonicas horas & divina omnia pariter, & cum multa celebrare dignitate ac reverentia &c.* *Bull. Th. Junii. de 16.* Quæ omnia potiore veritate probantur, quòd hic ipſe *Burchardus* eo tempore Miſnenſem Eccleſiam ſuſceperit regendam, cùm *Magdeburgenſis*, *Cizenſis*, *Merſeburgenſis*, *Havelbergenſis*, *Brandeburgenſis &c.* ſuum initium obtinuerunt, & hæ omnes Cathedrales unâ diſciplinâ Eccleſiaſticâ fuerunt imbutæ, ùt à *Dithmaro* ſufficienter in ſuo Chronico docemur: atque ad id recidit,

dit, quod Chroniſta Lubecenſis in Bennone ſeptimo Epiſcopo ſcribit: *Quòd illis temporibus, qui nunc Canonici dicuntur, pro tunc Fratres in omnibus Eccleſiis Cathedralibus Saxonum, & Slavorum nuncupabantur, ſecundùm Helmoldum.* Nempè Fratres non ob aliam cauſam, niſi votivam rerum communionem, de qua nos ſatis, ac abundè alibi egimus. *Bennonis* tempore, qui ad annum usque 1106. præfuit, hanc Eccleſiam, & fortè aliquot annis deſuper regularem à prima ſui fundatione perſtitiſſe, ob tanti viri ſanctitatem & regularis vitæ, qua à teneris inſtitutus erat, amorem, nè dubitamus quidem. Verùm paulò poſt eandem quoque exſtinctam, alia documenta perſuadent. Nunc totus cum Eccleſia Cathedrali Epiſcopatus ſub manibus hæret Hæreticorum.

Acta SS. Tom, 3. Junii die 16. Albini Chronica Miſnenſis Tit. 20 Chronic. Lubec. apud Meibom. Rex Germ. Tom. 2. p. 394.

Mollenbeck S. Dionyſii Prioratus Windenſem; Refertur hujus Cœnobii initium ad tempora Drogonis Epiſcopi Mindenſis, annô 896. regimen ſuſcipientis; quem Præſulem improvidè Bucelinus anno 660. affixit, quo tempore Mindenſis Epicopalis necdum exſtitit, ùt aliàs notavimus. Licèt verò Drogonis obitus ſit incompertus, certum tamen, annô 908. jam Adelbertum præfediſſe, ùt ex Chron. Mindenſi liquet. Unde hoc Mollenbeckenſe monaſterium exordium ſuum inter annum 896. & 908. obtinuiſſe oportet. Fundatum primitùs dicitur pro Virginibus ſacris: cùm enim quædam mulier *Hiltiborch* (Hildeburgis) *Uffonis* nobilis militis uxor ſpe omnis maſculinæ prolis deſtituta, Maritô ſuô terram ſanctam adeunte, ex conſilio *Folchardi* pii Presbiteri, novem in propriis fundis Eccleſias inſtituiſſet, atque inter illas, hanc quoque S. Dionyſio Sacrandam; reduci *Uffoni* hilari gratulata eſt animô, ſe intereà novem filias, ſed necdum in Chriſto generatas, peperiſſe; primùm admiratus *Uffo* demum myſterium edoctus, liberalitate munifica omnes has ſpirituales filias ſuas de bonis paternis dotavit, & per *Drogonem* Epiſcopum conſecrari fecit. Exſtant de anno Fundationis Verſus ſequentes:

Annis Nongentis Molnbeck duo bis minùs annis
Folckart & Hiltborg ſimul exſtruxêre Drogone.

Cujus verò inſtituti hæ veſtales fuerint, ex *Buſchio* noſtro diſcimus, dum inquit *Monaſterium in Molenbecke ..... priùs fuit magnarum Dominarum, Dom Vrouvven, in quo unam duntaxat Dominam invenimus, & quatuor Sacerdotes Præbendarios;* recitato dein miſero hujus Parthenonis Statu, reformationem factam dicit per Arnoldum *Huls*, cùm Prior Bodeccenſibus ab annô 1432. ad an. 1450. præfuiſſet, Ambigi vix poteſt hujus reformationis Suppetiis reſumpſiſſe meliorem Spiritum; utpote cùm idem *Buſchius* teſtetur, in perſonis Choralibus, converſis, & laicis ſuo tempore numeratos fuiſſe centum & ultrà, clauſtralem diſciplinam ſingulis in ſuo genere ſatis ſtrictè ſervantibus. Narrat quoque Chronicon Mindenſe Henricum de *Schovvenburg* annô 1470. in monaſterio Canonicorum Regularium S. Dionyſii in Mollenbeck in Epiſcopum Mindenſem fuiſſe conſecratum, de eo quoque meminit *Fürſtenbergius*

gius in ſuis Monumentis Paderbor: cùm verò ſubſequa ejus facta omnino nos lateant, Credibilius eſt manibûs hæreticorum fuiſſe ſuppreſſum. Exſtitit 4. milliar. infrà urbem Mindenſem. Chron. Windes. L. 1. C. 45. Bodec. C. 50, Mindenſium Epiſc. apud Piſt. Tom. 3. §. 5. Buſcb. de refor. monaſt. L. 1. C. 7. Cbron. Mind. apud Meibom. Tom. 1. p. 558.

Naumburgenſis Cathedralis: à ſui origine Præpoſitura erat Canonicorum fundata ab *Eckhardo*, ſecundùm quosdam, *primô*, ſecundùm alios ab *Henrico Aucupe*, vel planè à *Carolo Magno*, de quo non diſcepto deficientibus utrobique ponderoſis documentis. Id propè certum, circà annum 1013. Epiſcopatum Cizenſem, Naumburgum translatum, de quo conſuli Paulus Langius poteſt. Neque alia, aut potiora ſunt, quæ de hac ſeu Præpoſitura, ſeu Cathedrali referenda occurrunt. Cùm pleraque potiùs Citzenſem Eccleſiam reſpiciant.

Albini Cbron. Miſn. Tit. 9. pag. 115. ſeq. Paulus Langius Chron. Citz. pag. 1138. ſeq. Chron. Bothon. Edit. Leibn. T. 3. p. 293. Meibom. in Not. ad Nortbov. orig. Marcb. Tom. 1. rerum Germ. pag 414. Calvör. Saxon. Inf. part. 2. L. 1, C. 10. pag. 179.

Fundat. an. 1129. Exſtinctum.

Novi Monaſterii ſeu Falderenſe S. Mariæ Præpoſitura. Nobiliſſima hæc Præpoſitura, & totius meritò Holſatiæ Gloria, ac ſanctitatis domicilium nominanda, utpotè cujus Fundatorem novimus ſanctiſſimum illum virum *Vicelinum* fuiſſe cujúsque incolas pleroſque ſanctitatis opinione claros, quin & martyrii palmâ decoros (qualis *Volckerus* fuerat ex hac Falderenſi virtutum paleſtra aſſumptus Sigebergam, ubi ictu gladii à Barbaris percuſſus eſt, ùt narrat Helmoldus) dudum Saxonia in honore habuit. Hoc ergò Falderenſe cænobium exordium ſuum S. *Vicelino* debet, quod ad annum Domini 1124. exſtructum fuiſſe Wolterus tradit, dum inquit *annô Domini* 1124. *fundata fuit in Holſatia Faldera (poſteà dicebatur Niemünſter) & ibi Canonicatus regularis Eccleſiæ Bremenſis fuit introductus.* Porrò ſicut nihil jam difficultatis ſupereſt, quod viros eruditos moretur, tum *Falderenſe* hoc monaſterium, tum *Vicelinum* ipſum unà cum Corona ſuorum Venerabilium fratrum ordini noſtro adjudicare, poſtquàm privilegia Epiſcoporum, ac diplomata Imperatorum id clariſſimè oſtenderunt, prout jam à Papebrochio obſervatum, & nos, ubi de Sigebergenſi Præpoſitura egimus, pluribus oſtendimus: ſic ſubſiſtere eorum aſſertiones haud exiſtimabimus, qui cum Wione ſcripſerunt, tum monaſterium, tum religioſos in eo commorantes ordinis fuiſſe S. Benedicti, adductis pro confirmatione hujus effati Helmoldo & Kranzio. Nam ùt ùt *Helmoldum* ſæpiùs de *Falderenſi* Eccleſia de *S. Vicelino*, aliisque cum eo viris ſanctis degentibus agentem legeris, nè ſimile quid monachiſmi Benedictini, illic vigentis unquam, deprehendes: id ipſum reperire erit in *Kranzio*, quod planum facere non difficulter adductis utriusque ſcriptoris locis de *Vicelino*, aut hoc noſtro Monaſterio tractantibus poſſemus, niſi actum agere nos incomparabilis induſtria Bolandiſtarum argueret. At privilegia & diplomata ſuprà laudata, cùm ſolùm iidem viri doctiſſimi nominarent, operæ pretium duximus ſaltem ex iis aliquid, quò noſtra ſententia firmetur, adducere.

cere. *Lotharius* Imperator enim dato diplomate Novo Monaſterio diſertè ait. *Noverit tam futurorum quàm præſentium induſtria, qualiter ſanctæ converſationis frater Vicelinus ex Legatione Athelberonis Venerabilis Archiepiſcopi Hammaburgenſis per totam Slaviam, quæ in ipſius ſita eſt parochia curam, & vicem ſuſceperit prædicandi verbum Domini. Qui cupiens in vice legationis ſuæ permanentibus, ſicut novellæ plantationis agricola fructum adferre, Eccleſiam in eadem ſlavia, quæ novum monaſterium vocatur, inchoavit, & fratres in ea ſecundùm ſancti Auguſtini regulam ſatis devotè circà religionem inſtituit &c. Adalbero* autem in uno ſuo privilegio, eundem *Vicelinum* hujus cœnobii totiusque parochiæ Præpoſitum conſtituit, ſic inquiens: *Quapropter Venerabilis frater Viceline, ſuſceptâ à nobis obedientia (gratias Deo) obſervator ſolertiſſime, ad laudem Dei, & honorem tuum, & Eccleſiæ in pago Holtſatiæ, in villa quondam Wipentorph dicta, tibi commiſſæ, ampliare cupientes, nomen prælationis tibi, & poſt te ſucceſſoribus tuis, ejusdem Eccleſiæ Congregationi canonicè præficiendis, perpetuò conferimus, & confirmamus, quatenùs in antea nomine & dignitate Præpoſitus de Novo Monaſterio dicaris, atque inter reliquos noſtri honoris fidos & idoneos Conſultores, ſcilicèt Hammenburgenſis ſeu Bremenſis Eccleſiæ Priores habearis &c.* Addit dein idem *Adalbero* libertatem ipſius Congregationis fratribus eligendi Præpoſitum *Vicelino*, & quocúnque poſtmodùm legitimo ſucceſſore decedente. Hoc duplici conjuncto teſtimonio liquidò apparet Canonicos Regulares *S. Auguſtini* primitùs in hoc cœnobio fuiſſe inſtitutos, ipſumque *Vicelinum* ejusdem Præpoſitum æqualis inſtituti fuiſſe. Quodipſum vetuſtiſſimi illi verſus declarant à Lindenbrogio priùs, dein à Leibnitio editi:

Wipenthorp venit, ibi ſedem ponere cœpit;
Clerum collegit, fratres ſub jura redegit,
Religio crevit, quam diſciplina ſubegit,
Eccleſiæque locum mutavit, nomen & ipſum
Quam modicam reperit, in majorem reparavit
Nomen adoptavit de jurè, Novumque *vocavit,*
Idque Monaſterium *bene convenientibus aptum*
Chriſto devovit fieri, cui vivere novit.
Auguſtinus erat, hos qui per ſcripta regebat
Nam normam vitæ Clero determinat ipſe.

Confirmatur *hoc ultrò* Compendiò vitæ, quod tanquam certum habet Vicelinum *venientem in oppidum, quod olim* Faldera, *nunc verò* Nygemünſter *vocamus, ibidem monaſterium Canonicorum Regularium inſtituiſſe annô Dominî* 1125. in quo quidem à vero aberratur, utpote quòd *Vicelinus* ante ſuſceptum ſacerdotium non legatur Falderenſe monaſterium inſtituiſſe, ſed poſt illud, ut ex Helmoldo manifeſtè patet. Cùm verò certum ſit, S. Norbertum annum 1126. Archiepiſcopum conſecratum non fuiſſe, pariter certum eſſe Vicelinum ante annum hunc à Norberto ordinari non potuiſſe. Aliàs ex hoc ipſo

compendio vitæ colligimus quoque *S. Vicelini* inſtitutum, qui quamvis *intùs mon:chus* dicatur, nequiquam hanc vocem torqueri ad monachiſmum ſtrictè talem, ſed aſſumi ſolùm ad vitam votivam ſignandam aliundè liquet. Denique cùm hoc ipſum compendium vitæ S. Vicelini ſcripſiſſe certum ſit quendam hujus Eccleſiæ Canonicum regularem, & quidem non ante annum milleſimum quingenteſimum nonum, ad hoc usque tempus indubitatum eſt illic noſtrum inſtitutum perduràſſe; quamvis ex eodem compendio habeamus, monaſterium iſtud in Inſulam *Bordesholm* unà cum reliquiis *S. Vicelini* fuiſſe translatum annô Domini 1332. cur hæc tanslatio cænobii Falderenſis facta ſit, non ſatis conſtat. Nunc neque in *Novo-Monaſterio*, neque *Bordesholmii* geminis Holſatiæ civitatibus, ſed Luthero præfractè addictis, quidquam ampliùs inſtituti religioſi apparet.

Helmoldus Chron. Slav. L. 1. Cap.47.& 55.privil.Archiep Hamburg. apud Lindenbrogium ſcrip. ſeptent. à pag. 125. Verſus antiqui de Epiſc. Vicelino apud eund. pag. 118.& apud Leibn.T.1. pag.774. Compend. vitæ S. Vicecelini ibid. pag. 780.

Fund. circa an. 1116. Exſtinct.

Novi Operis S. Mariæ & Alexandri Præpoſitura.

Conditor hujus fuerat *Aldegotus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis ad an. 1116. tam copioſa autem de hoc celeberrimo olim cænobio per totàm Saxoniam dilaudato ab ejus exordio usque ad deplorandam ejus exſtinctionem ſuppetunt documenta, ut ſi vel medietatem eorum produceremus, longè metas noſtræ propoſitæ brevitatis tranſilire cogeremur; vix namque aliquem ex antiquioribus de Saxonia ſcriptoribus eſt reperire, qui non de hoc inclyto cænobio, aut quædam ad rem facientia monumenta produxerit, aut alioquin honorificè meminerit. Hinc nos eâ, quâ fieri poterit reſtrictione, originis, ſuccedentiúmque eventuum notabiliora proferentes, reliqua ampliora ad ipſum opus rejicimus. Ipſius igitur antetactæ ab *Aldegoto* Fundationis origo & occaſio hæc fuit: conſtituit vir integerrimus, ac unicè religioni promovendæ intentus, quoddam monaſterium intra Diæceſis ſuæ ambitum conſtruere, *idque* (ùt author vitæ Lamberti primi in hoc monaſterio Præpoſiti ſcribit) *de regula B. Auguſtini, cúmque hæſitans ſollicitaretur* (pergit præfatus ſcriptor) *unde viros ad hoc opus idoneos congregare poſſet, nutu Dei, Venerabilis Cunradus Salſeburgenſis Archi-Epiſcopus advenit: ..... cùmq; dulcia inter ſe volverent colloquia, Magdeburgenſis Salſeburgenſi voluntatem ſuam de ædificando monſterio prædicto aperuit, ſed ſe nimiùm ſollicitari dixit, unde viros ad ambulandum in via Dei aptos poſſit colligere: Dominus Salſeburgenſis devotionem Religioſi viri approbans; Domine, inquit, veſtrûm eſt, bonum opus incipere, Dei autem perficere, qui bonam veſtram voluntatem magis penſat, quàm operis quantitatem, cùm ſit utrúmque neceſſarium, cooperatores quoq; veſtri erimus in labore, quatinùs conſortes fieri mereamur in retributione, viros enim tales vobis transmittemus, qui aſſiduitate tam orationum, quàm bonorum operum, & ſemetipſos & alios ſciant ædificare: Archiepiſcopus noſter ad hæc verba exhilaratus eſt valdè, eòq; magis intendit operi prædicto inſiſtere, quò ſe tantum ac talem cooperatorem ſciret habere.*

Narrat exinde præfatus anonymus ſcriptor, cùm de loci ipſius deſignatione (ubi exſtruendum cænobium) deliberaret *Aldegotus*, hunc per viſionem cœleſtem, factam civi cuidam Hallenſi *Hazechoni*

choni dicto, fuiſſe demonſtratum; utpote quòd, cùm in crepuſculo veſpertino *Hazecho* ab Archiepiſcopo (cui ea de re colloquebatur) dimiſſus domum rediret, Dentale* (veriùs Occam) quoddam viderat intra caſtrum & civitatem, in ſpecie ignis de cœlo paulatim deſcendere, & in loco, ubi dein ſummum altare erectum fuit, ſubſiſtere: locum illum Chirothecâ depoſitâ notans, feſtinè redux intimavit Arhiepiſcopo, & prodigium propriis oculis conſpiciendum perſuaſit; unde *Aldegotus*, dictum locum adiens (an tamen Dentale Archiepiſcopus quoque viderit, aſſerere ex dicto ſcriptore non poſſum, utpote cùm dicat, illud ſublevatum è terra rediiſſe in cœlum: dubium ergò, an redierit ante adventum Epiſcopi, an illo cernente) *heu*, inquit, *ô Hazecho, quia locum amiſimus, ſed Chirotheca relicta metum ſuſtulit Archiepiſcopi:* dum ergò vir pientiſſimus jam à cœlo ſibi præſignatum locum exſtruendi monaſterii dignovit, mox manum impendit operi, ipſis Hallenſibus civibus (ſanctioribus certè, & religioſioribus quàm qui ſubſecuti ſunt eos poſteri, ex Zelo ſuæ deformatæ reformationis, quæque pia loca devaſtantes, & annihilantes, de quo ſceleſtiſſimo Zelo nos alibi plura agemus) conſummationem intenti operis ſummo deſiderio urgentibus non ſolùm, verùm & ſuis impenſis, ac ſtudiis mulùm poſtmodum augmentantibus, ut idem ſcriptor dilaudat.

* Ut explicat ſcriptor, hoc apparens inſtrumentum non propriè dicitur *Dentale*, ſed *occa*, *Dentale* enim lignum illud dicitur in aratro, cui ferrum, ſeu Dens aratri affigitur, ſed *occa* illud eſt inſtrumentum, qua frumentum ſeminatum terra obruitur. Virgilius ab hoc ſcriptore: duum aitL. 1. Georg. ver. 172. binæ aures, duplici aptantur dentalia dorſo, non deſcribit *occam ſed aratrum*, ut patet ex antecedentibus; *cui formam accipit ulmus aratri, hinc à ſtirpe pedes, temo protentus in octo. binæ aures &c.*

Reverſus in ſuam Archidiæceſim *Conradus* mox fidem *Adelgoto* datam liberaturus viros omnino religioſos Hallam ſubmittit, ſcilicèt: *Præpoſitum Berevvigum de Redenbach* (nunc Raittenbuch Cœnobium Canonicorum Regularium in Bavaria) *Everhelmum ejusdem Eccleſiæ Decanum*, *Wichmannum de Frenkenſe cum aliis viris æquè Catholicis* (inquit ſæpè laudatus ſcriptor, ut diſcerneret hos ab illis, qui tunc Henritiano ſchismate implexi fuerant, & ab Eccleſia proſcripti) *tam Clericis, quàm laicis, cumque iſtis & memorabilem illum noſtræ congregationis futurum Patrem Dominum Lambertum, virum, cum omni reverentia nominandum.*

Porrò ſic inchoatum monaſterium nomen *Novi operis* obtinuit, & conſecratum eſt annô 1135. à *Conrado* Archiepiſcopo Magdeb. Salvatori noſtro, nec non & honori dicatum ejus intemeratæ Genitricis, & *proſperabatur*, inquit iterùm dictus Biographus, *etiam opus exteriùs, quia vigebat fratrum religio interiùs.* Narrat verò Chronicon Montis Sereni, quòd cùm *Berevvigus* inter breve planè tempus, & nec quidem adhuc confirmatus ab ipſo Archipræſule, ætate ac virtute conſummatus fatis ſuccubuerit: omnium votis in Præpoſitum ſalutatus *Lamberus* ſit, atque hinc illum quoque Catalogi præpoſitorum Novi operis generaliter primum ſtatuunt. Sub hoc igitur digniſſimo Præſule dictum mox Chronicon inſinuat adeò monaſterium iſtud profeciſſe, ut *in paucis annis plurimi, quorum plerique erant nobiles, & ex delicatis moribus, bonæ opinionis odore tracti ad locum illum tanquam ad portum poſt naufragium, converſationis gratiâ feſtinarent. Ex qua re factum eſt, ut illa Eccleſia inter ipſa ferè ſuæ inchoationis primordia numeroſitate perſonarum venerabilium multis veteribus Eccleſiis præſtantior haberetur.*

Decorabatur quoque hoc celeberrimum, & per totam Saxoniam dilaudatum cœnobium gratiis, ac privilegiis quàm plurimis tum à ſummis Pontificibus, Archiepiſcopis, atque Epiſcopis, tum à ſæcularibus potentiſſimis æquè ac opulentiſſimis perſonis. *Wichmannus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis illud ab exactione telonei declara- An. 1158. & 1181.

claravit immnune. Idem ab omni expeditionis, & exactionis ſervitio liberum Præpoſitum pro perpetuis temporibus ſtatuit, *Albertus* Item Archiepiſcopus Magdeburg. Jus Scholarium in Forenſi Eccleſia civitatis Hallenſis ſic gratiosè contulit, ut per ſolius Præpoſiti inſtitutionem Scholæ ibidem regerentur, jusque iſtud in perpetuum monaſterio Novi operis annexum eſſet. *Udo* Archiepiſcopus parem ab aliis Teloneis exemptionem in *Zypha*, *Nuenberg*, & *Tuchrim* locis latiſſimo vectigali alioquin expoſitis attribuit. Præterea cùm jam primis fundationis annis (ùt videtur; documenta enim certæ Epochæ notandæ non ſuppetunt) ob præclara Canonicorum Novi operis merita, & inſignem eorum virorum ſcientiam ampliſſimô Archidiaconatûs diſtrictu per quatuor ſcilicèt ſedes *Hallenſem*, *Colmenſem*, *Sorbekenſem*, & *Brachſtedenſem* Præpoſitus in perpetuum inaugurarerur, acceſſerunt hac jurisdictione ohrentâ, plurima alia privilegia, & immunitates. Ipſis quoque Archiepiſcopis illud cænob ium tanto pretio erat & affectui, ut eundem expreſſis litteris teſtarentur, hinc *Wilbrandus* Magdeb. Archiepiſcopus ait in privilegio annô 1252. dato, ſe *Eccleſiam Novi operis in Hallis ſingulari favore meritò* cæteris *ſpecialiùs amplexari*. *Fridericus* autem ejus ſucceſſor annô 1453. confirmans monaſterii bona, profitetur, *dictum monaſterium, ac fratres ob regularis, & vitæ ſuæ ſanctæ votivam obſervantiam uti animam ſuam ex intimis diligere*, ut prætereaem alia complura hanc in rem conferencia teſtimonia.

Ultrò quis enarret maximam poſſeſſionum copiam, quæ ex Litteriis donationum, Cambiorum, emptionum &c. doceri poſſunt? exſtat adhuc *Cæleſtini* ſummi Pontificis Confirmationis bulla annô 1193. data, in ea numeratur ipſa *Parochia Hallenſis*, *Eccleſia S. Gertrudis*, *Capella S. Georgii*, *S. Pauli*, *S. Lamberti*, *S. Nicolai*, *S. Ægidii*, *Capella in Gevekenſtein*, *Eccleſia Trote* & *Motzelitz*, *Eccleſia Dugavv* & *Cormbecke*, *Eccleſia Stuvenis* cum omnibus ſuis pertinentiis & cum Archidiaconatu Hallenſi, qui protendebatur, ùt jam diximus, per quatuor integras ſedes, & complectebatur circà medium ſæculi 15ti viginti penè millia animarum, & hæ omnes Eccleſiæ, atque Parochiæ pleno jure ſubjiciebantur monaſterio Novi Operis: acceſſêre autem annuatim ſemper plura bona tam ſpiritualia, quàm temporalia. Exſtabat propè Hallas Curia opulentiſſima fratrum Ordinis Theutonici, inter ea, quæ hi fratres huic Curiæ annexa poſſidebant, erat Domus *S. Kunegundis* unà cum Hoſpitali, quæ initio quidem nempè circà annum 1200. curtâ ſupplectile potiebatur, at ſucceſſu Temporis, non modicum adepta profectum, facta eſt abundantis Parochiæ, & affluentium bonorum latè patentium mater; verùm, neſcio quô fatô, deficientibus Theutonicis tota Curia cum omnihus honis pro 3650. aureis Rhenanis monaſterio Novi operis eſt extradita annô 1511. quamvis autem eodem annô pacifica transactione factum ſit, ut Novioperenſes Canonici ipſam curiam cum adjacentibus ædificiis, ac hortis urbi Hallenſi 1075. aureis Rhenanis venderent, eô pactô, ut ædificia omnia, ſolô ſalvô Cæmetriô demolirentur, neque fas eſſet in perpetuum eo in loco aliam quamcunque fabricam machinandi; remanſerunt tamen integræ omnes reliquæ poſſeſſiones huic Domui *S. Cunegundis* propriæ, eæque non exiles.

Ve-

Verùm proderit ad ante hac dictorum uberiorem confirmationem audire, quæ de cœnobio iſto ad ſtuporem planè edifferit Petrus de Ludewig, homo quidem alioquin Heterodoxus, & cui in rebus fidei fides nulla, at cui non exiſtimem hac in re quidquam derogandum, qui vel modicam alioquin de cœnobio iſto notitiam hauſerit, attenderiſque ſcribentem, ſic igitur ille; *Condidit*, inquit, *hoc ſacrum collegium annô* 1116. *Archiepiſcopus Adelgotus, ingenti ſtatim adparatu opum, ac Reliquiarum, habent hoc non ſolùm ſcriptores complures, Montis ſereni Chronicon ad an.* 1144. *Chronicon Bigangienſe an.* 1146. *Sifridus Miſnenſis ad an.* 1146. *ſed etiam teſtatiſſimum id in plurimis codicis noſtri diplomatibus. Ferunt enim Ottonem, Comitem de Reblingen, quæ Dynaſtia eſt in Mansfeldenſi tractu, viciniaq́ Seeburgi, tædio rerum humanarum, ſacro ſe otio dediſſe, & novo collegio huic omnia bona ſua dicaviſſe. Imò etiam ejus factum eſſe collegam. Cùm igitur cœnobium hoc non, ut alia pleráque, provenerit, creveritque ex tenuibus initiis, ſed ſtatim acceperit perfectionem, ac complementum: ad ſtuporem excitandum ejus ſpectatori, illud dictum fuiſſe arbitror, Novum opus, tempore quidem, ſed non re, ac divitiis, in quibus illud poſſet certare cum antiquiſſimis.*

Inſtituit Conditor anno 1116. *hoc collegium juxta regulam B. Auguſtini, & inſtitutorum cœnobii Raidenbug in Bojoaria: narrant enim metu hos cœnobitas contuſſos eſſe ab Henrico V. Imperatore, fugâque ita delatos Magdeburgum ad Antiſtitem Adelgotum, qui Advenas intereà aluerit in palatio ſuo Givikenſtein, uſque dum ædificatum fuerit * Cœnobium Novi operis, quod illis poſt aſſignaverit cum omni inſtituto, ac ritu, quem illi habuerint in Bajoaria. Ordinem ipſum conſtat fuiſſe B. Auguſtini Canonicos Regulares; & ſæculares* (de his nihil adhuc in vetuſtis documentis reperimus) *ſocios collegii primò Præpoſitum, qui formulâ uſus Dei Gratiâ, electum majori ſuffragantium collegarum parte; deinde Priorem; porrò officiales, Camerarium; Cuſtodem; ſcholaſticum & reliquos, Advocatum eundem, qui Burggravius, & advocatus urbis Magdeburgi. Qui tamen fuit deſtitutus jure ſubadvocatum ſubſtituendi. Alia privilegia Pontificis: quòd intrà fines ſuæ Diæceſeos nefas ſit inſtitui oratorium, quòd in excommunicatione terræ generali, nihilominùs eis liceat ſacra officia celebrare, preſſâ voce; Chriſma eis largiatur Epiſcopus gratis; quilibet eligat ſepulturam, & quæ ſunt ejusmodi. His adnumeranda privilegia Archiepiſcopi Magdeburgici. In quibus ſunt: Quòd novi operis Cœnobii Parochiæ ſint Eccleſiæ in Hallis, Givikenſtein, Trotha, Tauchen, lociſq́ aliis. Deinde Archidiaconatus Hallenſis & viciniæ univerſæ intrà Salam, Elſteram, & Vonam eisdem adſignatus. Pòſt data immunitas ob oneribus & ſervitiis. Præterea ſuffragii jus in ſynodis Provinciæ. Porrò Archiepiſcopus in electione Præpoſiti non intercedat, niſi diſſentiente invicem capitulo: & ſi quæ alia. Dici verò non poteſt, quàm latè patuerunt hujus cœnobii fundi, villæ, agri, prata, cenſus per Magdeburgicum Ducatum univerſum. Ut ſi quis calculum inierit omnium eorum, quæ Novioperis, is facilè intelligat, hoc cœnobium amplitudinem habuiſſe magnæ in Germania Dynaſtiæ & Comitatûs. Cùm plures fuerint, qui velnti contenderunt de hoc cœnobio ditando & augendo &c. Neq́ enim unus Adelgotus in hoc cœnobium beneficus fuit, ſed etiam ejus ſucceſſores Archiepiſcopi alii: Rogerus, S. Norbertus, Cunradus, Fridericus, Wichmannus. Quorum omnium munificentiam annô* 1453. *ſingulari diplomate confirmat Fridericus C. de Beichlingen Archiepiſcopus, ut alios nunc prætereamus.*

[Margin: enarratione uſcitae Ludevvigus, horret enim ut ſectarius cœleſtium viſionum veritatem.]

[Margin: *Adventum Raitenbuchenſium veriorem, jam ex ſcriptore planè ſynchrono ſuperiùs diximus, unde in hujus]

In tantum igitur demum ſurrexit omnium rerum, ac opum maximarum

adparatum, ut porrò non pauperum aliquod contubernium videretur, ſed magni Principis vaſtiſſimum Palatium. Fuerat enim in ardua rupe ſitum. Uno latere prolatum in pulcherimam planitiem, alterum Salla fluvius alluit, qui præterfluit; quandóque autem ſe extra alveum transfundit, irrigátque latiſſimè patentes campos ſpectaculo omni tempore adparatiſſimo. Proſpectat inter hæc cultiſſima Halla versùs occidentem, inſtar Hemicycli aut Amphitheatri hujúsque urbis grandia palatia, Mauritiburgum, contubernium Paulinum, Metropolitanum templum (der Dom) *curia & Palatium Archiepiſcopi, aliáque, paſcentia oculos intuentium &c. in ædificiorum numeris fuerant Novo operi quatuor turres, arduæ & excelſæ; in quarum una ſuſpenſa pendebat campana, poſt Erfurdenſem maxima per univerſam Germaniam. De altera campana multa narrantur in annalibus noſtris &c. dicunt eam ſacro fonte tinctam; vim habuiſſe eandem diſpellendi morbos; educendi, ac liberandi animas è purgatorio, nubes ac tempeſtates diſſolvendi, & quæ alia ejusmodi. Quare illius reditus annuos crediderunt ſuperare proventus nobilis Dynaſtiæ, nunquam enim mota eſt ſine honorario ac præmio. ut operæ pretium habuerit, quamvis conſtiterit maximi. Hanc campanam cum reliquo theſauro annô 1533. Eccleſiæ Metropoli deſtinavit Albertus Cardinalis Novo operè deſtructo. Poſteà mutavit conſilium, eámque Moguntiam vehere inſtituit cum multis quadrigis. Verùm ordines & ſacri collegæ ſpolium interceperunt, & campanam in templi cathedralis turri ſuſpenderunt, pendentem ibi adhuc. Taceo domus cœnobii alias, templa, collegia, oratoria, refectoria, valetudinaria, cellas, aliáque, quarum compages magnitudinem habuit non adeò parvi opiduli.*

Sed illud egomet olim in imaginibus, ante ſeptennium verò Moguntiæ re ipſa ſtupui attonitus, poſtquam cimelia & reliquias ſacras hujus olim cœnobii oculis meis uſurparem. Dicitur ibi (vulgi etiam ſermone) is Theſaurus Alberti noſtri Archiepiſcopi, qui metu ingruentium Evangelicorum ſacrorum in noſtra urbe, eundem hinc abſtulit, tranſtulitque Moguntiam in Metropolim. Porta, per quam vectores intrarunt urbem, ſtatim cæmento clauſa, inſtar ſymboli, ne quod ille intulerit, ullo unquam tempore iterum efferretur.

Non erro, ſi dixerim, imagines, Brachia, pedes, capita, ciſtas, calices, arbores, cruces, vexilla, tabulas, vela, gladios, codices, baculos, res diverſas me trecentas nnmeráſſe argenteas, aureas, unionibus, ac gemmis diſtinctas, ornatásque, ut pretium, judicio etiam ſordidi emtoris fortè non procul abſit à ſumma aliquot, ùt nos numeramus, auri Tonnarum. omnem hunc ſacrarum reliquiarum adparatum Albertus Cardinalis exhibuit in imaginibus, ligno à perita manu inciſis atq; impreſſis papyro, editisque cùm deſcriptione Halæ 1520. in quarto. Hæc Ludewigius, è cujus diſcurſu, ſi pauca demas, quæ notæ hæreticæ libidinis venena inſperſit, à nobis præterita, certam colligere licet hujus cœnobii amplitudinem, atque magnificentiam.

Eſſet jam, ut (miſſis, quæ prioribus accreſcentis hujus monaſterii temporibus acta ſunt) in enarranda reformatione ſub ſæculi 15ti medium illuc introducta occuparemur, verùm quia & iſtius circumſtantiæ, ac ſe immiſcentes viciſſitudines longiſſimi fili ſunt, iterùm perpauca tantummodò libare conſtituimus, tota hiſtoriæ vaſtitate ad opus ipſum dilatâ.

Quemadmodùm Moyſes dicebat: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit:* Sic profectò dicto ſæculo 15to factum legimus huic alioquin celeberrimo Collegio. Ubi tantarum opum affluentia fuerat, mox ibidem diſparere cœperunt virtutes, diſciplina regularis defecit, & penè nil religioſæ vitæ inter Deut. 32. 15.

inter canonicos obſervabatur. Audi, quid hoc tempore de illis Buſchius commemoret Lib. I. de reform. Monaſt. cap. 14. *viſitantes*, inquit, *monaſterium Novi operis invenimus omnes proprietarios, communiter incoutineutes, & inobedientes, vulgare enim ibi erat proverbium: nullum ibi fieri poſſe Præpoſitum, niſi bis, vel ter ibi ſediſſet iu carcere.* Inſuper notabile, quod idem narrat, ſibi Marcgravium Brandenburgenſem propoſuiſſe, dicebat enim: *Domine Pater, vos vultis Dominos iſtos reformare. Quis ſcit an Pater veſter S. Auguſtinus habitum veſtrum portaverit, au iſtorum Dominorum? reſpondit Præpoſitus ſummæ Eccleſiæ Halberſtadenſis Frater Archiepiſcopi Magdeburgenſis, iu habitu iſto incedit Dominus eorum Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & nou in habitu ipſorum* (ideſt Windeſemenſium) *oportet ergo, ut ſint ſibi conformes.* Buſchius verò repoſuit: *Omnes reformati terræ hujus in iſto incedunt habitu, & non in habitu ipſorum. Reſpondit* (Marchio Brandeburgenſis) *Pater meus juxta Nürenbergam iuſtituit monaſterium hujus ordinis iu habitu ipſorum* (ſcilicèt Windeſemenſium) *ſed Præpoſitus quandóque dormit cum mulieribus, & non eſt diù, quaudo hoc facere cæpit.* Sed intulit prudenterBuſchius: *ergo non ſunt reformati, ut dixi: & ita quievit.* Patet verò quantæ remiſſionis homines tunc in Novo opere commorati ſint, ut nec moribus, nec babitu quidquam regulare præſeferrent. Quamvìs quidem in habitu & illa diſtinctiò haberetur, ut, cùm collegium iſtud inter omnia totius Archidiæceſis Mageburgenſis, primarium ac celeberrimum honoraretur, tanquam prærogativa ſpecialis obveniret Canonicis hujus loci, ut nobiliùs & ad ſimilitudinem quandam atq́ue conformitatem ipſius Archiepiſcopi veſtirentur, attamen conſtitutis certis limitibus religioſam modeſtiam non excedentibus. Hinc, cùm Archiepiſcopus *Joannes*, qui *Friderico* ſucceſſerat, inſtaret pro incorporandis monaſteriis noſtri ordinis ſuæ Archidiœceſis Congregationi Windeſemenſi, hujus generale capitulum aſſentiri renuit, ob quasdam liberiori vitæ expoſitas conſuetudines in his monaſteriis ſic receptas, ut abrogari non poſſent: quales nominatim erant, quòd monaſterium Novi operis Archidiaconatum haberet latiſſimum, Præpoſitus eſſet magnæ dignitatis, multas haberet Eccleſias parochiales ſibi unitas, veſtitum quoq́ue diſtinctum gererent. *Ideò ad hoc conventum, ut ſuis conſuetudinibus inviolatis, alioquin ſervarent ſtatuta Windeſemeuſia, Viſitatores haberent ex Cougregatione Windeſemenſi, ſed capitulum diſtinctum conſtituerent ab hac, nomen de cætero Præpoſiti, (ùt ſolitum hactenus) retinerent, orgaua pariter & magnas campanas; præterea Birretis uterentur & itinerantes cappis ſive Mautellis, almutium geſtarent varium ſicut Archiepiſcopus & Canonici Cathedralis &c.* Atque in his diſcernebantur omninò à Windeſemenſibus. Cùm itáque Buſchius ex mandato primùm *Guntheri*, dein *Friderici* tum ſucceſſoris ſui *Joannis* reformationem Novi operis ſic promoviſſet, ut non ſolùm ipſum monaſterium, ſed totum Archidiaconatum mirâ ſolertiâ & hinc inde uſurpatà ſagacitate ad novam formam optatiſſimo effectu in tantum reduceret, ut, cùm aliquando Buſchius à Præpoſito *S. Mauritii* rogaretur, quid in terra illa facere intenderet, reſpondiſsétque ſe novum mundum intendere facere: id quoq́ue ab illo præſtitum fuiſſe paulò poſt Præpoſitus ſereni Montis conteſtatus ſit dicens: *Verè novum mundum hic in patria feciſtis, ſicut prædixiſtis.* Cùm, inquam, adeò felices vires ſumeret reformatio iſta, ſimul quoq́ue fama hujus cœnobii novo ſplendore ubíque innotuit, neq́ue defuêre iterum viri præclari, qui

qui omni cum laude huic Canoniæ præſederant. Sic legimus an. 1504. *Joannem Gethinck* electum Præpoſitum (Divini, & Pontificii Juris egregium Doctorem) penè ab omnibus fratribus. Adduci quoque in teſtimonium dilaudandi hujus collegii poterit meritò *Matthæus Langius* Monachus Benedictinus Boſavienſis, ſcriptor ſui temporis eximius, quem noſtra quoque ætas eruditum ſimul, ac cordatum (ſi quasdam pro ordine ſuo Hyperboles, & cum Luthero amicitiam demas) hiſtoricum dilaudat: hic igitur de Novi operis monaſterio ſic diſcurrit. *Iſte Memorabilis Pater (Aldegotum* Archiepiscopum intelligit) *fundavit monaſterium Novi Operis, Canonicorum Regularium Hallis, quod noſtra hac ætate* (ſcripſit Langius Chronicon Citizenſe annô 1517.) *quoq; inſigne & opulentiſſimum habetur. Cujus Præpoſitus Dominus Joannes Pals, Doctor Juris Canonici, vir religioſus, facundus, & conſultiſſimus, ob ſingularem ſuam prudentiam & dexteritatem, in magno tenetur honore, & diligitur à ſummis etiam viris, maximè ab Alberto Moguntinenſis & Magdeburgenſis Eccleſiarum Archiepiſcopo, veneratur & colitur. Cujus & ego haud modicè libetalitatem, & humanitatem in meis expertus ſum neceſſitatibus. Prior quoque dicti monaſterii, Nomine Lucas vir valde honorandus, & apprimè Doctus, & ipſe Decretorum Doctor habetur celeberrimus, cujus eruditionis fama & juris peritia noſtro ævo plurimùm dictum illuſtrat monaſterium.* Hæc Langius: quæ iſthìc appoſuimus, ut appareat, quos, quantóſque viros ordinis noſtri paſſim Germania tulerit (etiam illis temporibus, quibus aliàs raros reperit Aonia Pallas, ut eis ramos ſuæ olivæ insereret) de quibus per decurſum hujus operis paſſim proſtant exempla.

Ut demum ad hujus cœnobii occaſum, interitúmque deveniamus, libet ſubnectere, quæ ſuperiùs citatus Ludewigius ſcribit: *Sed poſt tantos*, inquit, *& portenti ſimiles actus, quo demum fato, ac ſidere infauſto factum ſit, Albertum, gloriæ avidiſſimum Præſulem, auguſtiſſimo cœnobio huic finem, mortémque attuliſſe, illud ego quidem non adſequi potui ſenſu, ac idoneis conjecturis. Illud certum eſt, annô 1530. Albertum Archiepiſcopum Novi operis reditus non ſolùm ſibi aſſeruiſſe, ſed etiam annô 1533. juſſu ejusdem demum hoc cœnobium deſtructum ac funditùs deletum eſſe, idq; ex Pontificis Romani* (hæc Ludewigius heterodoxus aſſerit quidem, non probat, dum interim credam deletionem iſtam Magiſtratûs potiùs hæretici authoritate fuiſſe cauſatam) *indulgentia prorſùs ſingulari. Poſtquam illud annos 404. inſtar ſideris in Magdeburgico Archiepiſcopatu floruiſſet. Illud eſt teſtatiſſimum, quòd Albertus trium licèt Germaniæ optimorum Præſulatuum Dominus, nihilominùs æris alieni contraxerit magnam vim, ut imminuerit creditorum ſuorum concurſus, fueritque ei opus, provocare multoties ad beneficium competentiæ. Quo rerum ſtatu, mallem credere, fiſci adaugendi cauſâ, Novum Opus Cardinalem deleviſſe, atque reditus ſacro patrimonio ac præfecturæ ſuæ Gibichenſteinenſi innexuiſſe.* Hæc ille.

In Libro de reform. Monaſt. poſt relatum novi operis Prælatorum catalogum hæc recentiori manu exarata leguntur: *Annô D. 1533. fratribus Novi operis partim per peſtem mortuis, & multis factis Lutheranis ſeptem forſan relictis cum ſimone: Albertus Archiepiſcopus providit Simoni in Gevekenſtorp, & Ertershavv ad vitam. Totum monaſterium cum regali Eccleſia deſtruxit, ducens lapides ad novum caſtrum S. Mauritii.*

Exſtitit ad fluvium Salam proximè contiguè urbi Hallenſi Lang. in Chron. Citiz. ad an. 1107. Chron. Boden. C. 63. Heinecc. Antiq. Goslar. p. 34. Buſch. de refor. Monaſt.

naſt. L. 1. c. 13. & 14. &c. Ludewig. Reliq. M. SS. Tom. 5. in præf. & L. 1. per tot.

S. Ottonis Præpoſitura.

Fundat. 1189. Exſtinctum. Chronicon Sereni Montis videtur hanc Eccleſiam ordini noſtro vendicare, dum in eo legitur: *Siffridum* Pigavienſem Abbatem è tranſlato (annô 1186. vel potiùs 1189. ùt habetur in fine vitæ apud Ludew. Script. rerum Germ) *S. Ottonis* Epiſcopi Babenbergenſis ſacro Corpore quaſdam reliquias obtinuiſſe, earúmque honori Oratorium primum ligneum juxtà urbem Pigavienſem ſtruxiſſe, ad quod verò cùm tantus populi concurſus contingeret, ut 800. Marcæ de ſacrificio primi anni computarentur, idem Abbas dictum oratorium à Duobus Cardinalibus conſecrari fecit, tunc Apoſtolica legatione in Germania fungentibus, mox paludem operoſà arte exſiccans, quæ dicto oratorio ſpatium coarctabat, novam huic ex coctis lateribus Eccleſiam junxit, ac deníque *de quotidiana devotione in ea procuranda ſollicitus, redditus, quantos poterat, tempore opportuno ipſi loco acquirens regulares in eo Canonicas inſtituere intendebat:* ait Chronicon Sereni Montis. *Canonicas* inquam, id eſt Virgines: Porrò an hæ reverà illinc inductæ ſint, non ſatis penetro. *Siffridus* iſte *Henricum de Rekkin* Canonicum Regularem Montis Sereni (qui *Tiderico* Præpoſito juſtus æmulus exſtitit víríque fuit eximius virtute) Præpoſitum hujus Otthonianæ Eccleſiæ voluit, atque adeò votum ſuum morte præoccupatus, tribus antequam obiret diebus, fratribus ſuis enixè commendavit. Verùm in Abbatem Pigavienſem quodam Henrico, homine prælationis ambitioſo, & diſciplinæ inimico, ad infulas petito, adeò omnia tam ſanctè conſtituta evanuêre, ut *Henricum* noſtrum hic novus Abbas poſſeſſione ſua ejiceret. Diu lis tenuit, dum demum malè exturbatus *Henricus* ad *Honorium* confugeret ſummum Pontificem, cujus auxiliaribus munitus litteris redux reſtitutus dicitur, verùm quibusnam Præpoſitus fuerit Virginibus ſacris, iiſque Canonicis, an Monachis, ex dicti chronici narratione non eruo, atque ideò interim in medio relinquo. Nunc eſt Hæreticorum.

Exſtitit juxtà Pigavium in Myſnia. Chronic. Mont. Sereni. Docum. Communic.

Overenkerkenſe S. Mariæ. Præpoſitura.

Fund. ... Exſtinctum. Originis hujus quemadmodum diverſi ſunt ſenſus, ſic ejusdem nulla certa definienda eſt Epocha: niſi quam ex Lerbeccio habemus, cujus fidei interea inniti nos oportet, dum certiora documenta aliquando fortáſſe ſequantur.

Fundatam igitur fuiſſe tempore *Ludovici* Pii Imperatoris, id eſt, ſæculo nono, mox citatus chroniſta affirmat; verùm & ipſi cum annus, tum Author ſeu fundator ignotus, quem tamen fuiſſe autumat aliquem Epiſcopum Mindenſem, at hunc magis crediderim reſtauratorem, quàm fundatorem; utpote, cùm, quæ idem Lerbeccius ad fundationis tempus reſtringit, Chroniſta Mindenſis tum apud Meibomium, tum Piſtorium affigat reſtaurationi; utróque Seribente: *Moniales monaſterio Overenkerken per Comites de Wunſtorpe & Leuvvendrode ipſo die S. Catharinæ adductas eſſe:* Factum id abſque dubio adnitente *Sigevvardo* Epiſcopo mindenſi, ut monaſterium iſtud, utcúnque deſolatum, optatâ rurſùs diſciplinâ refloreret, & haud multò poſt, veſtales ejusdem ipſam *S. Auguſtini* regulam amplecterentur, anno nimirum 1170.

Ambo à nobis citati hactenùs Chroniſtæ aſſerunt, initio fundati hujus Parthenonis Canoniſſas in eo ſæculares exſtitiſſe; quod, an de non votivis, an ſolùm de ob-

ſtrictis regulæ aquisgranenſi cenſendum ſit? non quidem definivi, prudenter tamen conjici poteſt. Profectò ſi is *Ludovici* tempore conditus eſt, penè nec ambigendum, informatum fuiſſe regula aquisgranenſi. neque obeſt prædicata de Virginibus in eo commorantibus Secularitas Lerbeccii tempore, quô regulares non dicebantur niſi ſolenniter profeſſæ, & regulam quidem *S. Auguſtini*, Sanctimoniales Canonicæ. Vixêre in hoc Gynæceo Virgines æquè, ac iisdem in Eccleſiaſticis deſervientes Canonici Sanctitate notabiles, quæ omnes annô 937. ab Hunnis mindenſe ſolum devaſtantibus martyrio ſublatæ dicuntur, de quo nos alibi.

Ducenti triginta tres anni effluxerant ab hac deſolatione, cùm rurſum ex Cineribus revixit *Overnkerkenſe* iſtud cœnobium, circà annum nempe 1170. aut potiùs, juxtà factum computum annô 1168. tempore *Werneri* Mindenſis Epiſcopi, Teſte Lerbeccio. Quo etiam regulam *S. Auguſtini* ſumpſiſſe, idem cum Kranzio teſtatur.

Reſtauratam hac feliciore ſorte Eccleſiam mox complexa ſunt piorum hominum beneficia. *Wernerus* ipſe Capellam & Caſtrum veteris montis *Bückoborg* cum omnibus attinentiis monaſterio attribuit annô 1170, ut ejusdem Cœnobii moniales habentes vitæ neceſſaria, ſe in monaſterio continerent Domino fideliter ſervientes. Præterea cùm idem *Wernerus* ſecuriùs cœptæ reformationi proviſurus Præpoſitum non de gremio mindenſis Capituli (ùt hactenùs fiebat) ſed *Overkerkenſium* Canonicorum aſſumendum conſtituiſſet, aſt morte præventus exſequi ſtatutum nequiret, *Anno* Succeſſor ejus non tantummodò obſecundavit *Werneri* conſtitutioni, ſed præpoſitum Mindam venientem voluit veſtitu & amictu indui ipſis Cathedralibus propriô, ut ſic tanquam unus è gremio Cathedrali honoraretur.

Aliam huic Cœnobio Originem aſſerere videtur Lerbeccius, operâ cujuſdam devotæ puellæ *Mervvynda* dictæ, quæ juſſa à Dei Matre ſibi apparente &c. partibus Rheni ultrà Weſeram in Saxoniam abire, de proprio patrimonio dictum monaſterium conſtruxerit. Poſtmodum transactis ducentis & quatuordecim annis flamma devorante conſumptum, iterum reſtauratum dicit laudatus Lerbeccius viri cujusdam venerandi *Engelberti* operâ.

Quidquid verò de hujus Parthenonis exodio ſentiamus, id certum, ipſum ſub peculiari Dei parentis tutella ſemper perſtitiſſe: eminuit ibidem quædam prodigioſa imago, quæ in *Wunſtorpe* ex vetuſtate projecta caſu *Overkerkam* translata plurimis beneficiis cæpit eſſe glorioſa. Quâ famâ percrebreſcente, cum Wunſtorpienſes iconem ſuam iterum repeterent, imò & reducerent, novo prodigio contigit, ut denuò *Overenkirka* reperta nulla ampliùs vi inde poſſet dimoveri.

Cum annô Domini 1325. circà Lubeceuſem urbem peſtilentia diriſſimè graſſaretur, iſthuc convolantes afflicti incolæ, deſiderata ope ſolatiosè ſunt donati, hinc mos inoleviſſe dicitur, ut ex compluribus locis annuas illuc peregrinationes copioſiſſimi homines inſtituerint. Mindenſes quoque ipſi ad majorem huic gratiarum ædi conciliandam reverentiam perpetuum lumen ſoliti ſunt conferre. ex Parochia nimirum Beatæ Virginis in ponte tribuebatur unum ex civitate alterum, tertium denique contribuebant piſcatores. accedebant his adhuc adjacentes villæ, quæ largè ſua quoque donaria congerebant. Tempore Lerbecii, id eſt ſæculo decimo quinto eximiè florebat hic Parthenon, ejus teſtimonium audia-

diamus: *eſt Monaſterium*, inquit, *pulchrè jacens in pede Montis habens campum undique*, *& eſt dives in bonis, in molendinis, in ædificiis*. Chronicon tamen mindenſe memorat, hoc ipſum Cœnobium annô 1473. magna libertate laxatum, petente Adolpho Holſatiæ Comite reformâſſe *Henricum* tertium Mindenſem Epiſcopum. Nunc ſub manibus Hæreticorum omnis ibidem religio evanuit.

Exſtitit ad urbem Mindenſem. Chron. Ep. Mind. Ferbec. Edit. Leibn. t. 2. à p. 164. & ejuſdem Chron. Schawenberg. edit. Meib. tom. 1. p. 507. Chron. aliud Mind. apud Piſt. tom. 3. p. 813. & apud Meib. t. 1. p. 562. & 572. Cranz. metrop. L. 3. c. 24.

Fund. - - - *Exſtinct.* Ovvenſenſe ſeu Ovva-Clauſtrum. Præpoſitura. Fundata *ab Ottone* Marchione Miſnenſi Conradi Filio, collatâ Eccleſiâ huic pio propoſito congrua ab Epiſcopo Nuenburgenſi, junxit fundationi firmandæ Privilegium Imperator *Fridericus*, demum Præpoſituræ S. *Mauritii* Numburgenſis contradita eſt. Hæc ex Chronico Miſniæ Marchionum; ſed ſine notis Chronicis omnia, quamvìs ſe Privilegium extraditionis, & vidiſſe, & principibus modernis (id eſt, ſui temporis) produxiſſe affirmet Author, qui alius non eſt, niſi Tylichius, quem in ſuis vindemiis edidit Schanattius, quod Ludewigo ignotum eſſe non potuit.

Exſtitit circà littus fluvii Mildavi propè Leſſeniz. Chron. March. Miſnery. apud Ludewig. in Reliq. M. SS. t. 8. p. 206. & 207. Schannat. Vindem. t. 2. p. 78. Schamel. hiſt. Monaſt. S. Mauritii propè Naumburg. p. 14. ſeq.

Oſtervvickenſe. Præpoſitura. Egimus de hac dum Halberſtadenſis Cathedralis deſcriptionem expedivimus. Quò Lectorem curioſum remittimus.

Pallidenſe SS. Joannis & Servatii Præpoſitura. *Fund.* 970 *Exſtinct.* Fundata à *Matthilde* Regina, & conjuge *Henrici* Regis (aucupis dicti) Principis ſanè piiſſimi, cujus benevolentiâ cùm *Matthildis* totum *Pöldenſe* municipium tanquam præcipuum Regiæ dignitatis domicilium obtineret, mox ipſa tertiam partem fundationi impendit, extructo ampliſſimo, ac nobiliſſimo Monaſterio, illic congregans tria millia Clericorum: ait vetuſtiſſimus vitæ Mathildianæ ſcriptor, ùt habent omnes codices, quorum tamen nullum autographum nominant ii, quibus illi ſuppetebant, hinc crediderim errorem irrepſiſſe, & amanuenſis deſcribentis vitio fortè factum, ut dum ibi per abbreviaturam binæ litteræ M. M. cum interjectis intelligibilibus figuris ponerentur ad ſignandam vocem *multitudinem*, ille legeret pro prima littera *M.* tria jota, & pro ſecunda, numerum millenarium. Quidquid verò ſit hujus conjecturæ, alia longè ponderoſior quæſtio nobis ſe offert in eo, dum dicitur *Mathildem* clericos fundâſſe, de quibus hæc Mabillonius in Annalibus: *certè*, inquit, *Clericorum nomine Monachos eſſe intelligendos probat Ottonis Magni diploma apud Maderum p.* 208. *hoc anno* (id eſt 952.) *editum*, qui *Otto in quodam loco Palithi nominato*, *Abbatiam Monachorum in honorem S. Joannis Bapt. & S. Servatii conſtructam*, *conceſſu ac voluntate Venerabilis Hattonis Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi fieri conceſſit &c.* Hoc ſanè diploma, nullus dubito, non minùs cauſam Meibonio & Leuckfeldio fuiſſe, quòd uterque Monaſterium iſtud non ſolùm Monachis, ſed & ipſis adſcripſerit Benedictinis, nulla alioquin adducta ratione nullo prodito documento: ille quidem his ver-

verbis : *Poleda Monaſterium Ordinis S. Benedicti Diœceſis Moguntinæ*, hic verò : *Benedictinus Ordo à Fundatrice in ſuum Monaſterium Poelde inductus eſt.* Et verò neque ex alio id teſtimonio veteri aſſerere potuiſſent, quippe quòd alioquin, ſi hoc unum *Ottonis* diploma, & *Hattonis* donationem excipias, de Monachatu altum ubique ſit ſilentium, ut adeò cum nullum veritate & antiquitate præſtantius monimentum proſtet, ipſâ vitâ B. *Matthildis*, utpote non diù poſt hujus S. Reginæ mortem ſub S. *Henrico* Imperatore ſcriptâ; illáque diſertè *Clericos*, non Monachos fundatos aſſerat, profectò oſtendendum tam diploma *Ottonis*, quàm donationem *Hattonis*, tantis, totque erroribus laborare, ut aut fictitium credendum ſit, aut in hac ſaltem voce *Monachorum* loeò *Clericorum*, depravatum à partium ſtudioſo deſcriptore.

Itáque diploma *Ottonis* fallit eumprimis in ſubſignatis Chronicis notis, ſignatur annus Dominicæ incarnat. 952. concurrente annô, regni *Ottonis* 19. eum certum ſit *Ottonem* numerâſſe hoc annô, regni ſui annum 16. quippe qui in Regem Coronatus eſt annô 936. deinde inſolita eſt, & nè in ullo legitimo diplomate reperibilis illa ſubſcriptio: *Annô Regni Ottonis Magni.* Nuſpiam enim ante adeptum
T. 1. Rer. Ger. Tom. 2. à pag. 739. Imperium, quod annô 962. factum, reperitur hoc adjectum *Ottoni* encomium, profert Ottinianarum Cartharum Meibomius tredecidi ſubſcriptio ubique aut : *Annô Regni Sereniſſimi Ottonis* aut ſimpliciter : *Annò Regni Ottonis Regis*, aut *regnante] pio Ottone Rege*, aut *regnante Sereniſſimo Rege Ottone.* Aſt
Pag. in Critic. Baron. ad an. 936. nunquam *Ottoni* titulus *Magni* jungitur, niſi Imperiô adeptô, idque forſan, quòd is *primus ex Germanis fuerit Sacris Imperii inſignibus & infulis exornatus* : ùt ait pagius : itaque hujus diplomatis aut Impoſtor aut Depravator miſcens poſteriora Prioribus, præconium *Ottoni* affinxit, quod nondum tunc habuiſſe in comperto eſt. Verùm ais : hoc diploma ab *Ottone* ùt Imperatore editum ; nam ſubiicitur ſignum *Domini Ottonis Invictiſſimi Imperatoris.* At repono, ex hoc ipſo pateſcere falſitatem, quippè quòd *Otto* neutiquam annô 952. Imperator extiterit, ſed annô 962. porrò oecurrit, in hoc diplomate legi : *Ottonem ob amorem Regni æterni - - - - in quodam loco Palithi* (id eſt Polde aut Poledi, aut Polede &c. diverſimodè enim nuncupabatur) *nominato, Abbatiam Monachorum in honorem S. Joannis Bapt. ſanctique Confeſſoris Servatii conſtructam, conſenſu ac voluntate Venerabilis Hattonis, Moguntinenſis Eccleſiæ videlicet Archiepiſcopi fieri* curaviſſe. Cui inſuper aſſertioni conformis producitur charta ipſius *Hattonis, data* 18. *Kal. May* 953. At his temporibus nullus *Hatto* extitit Moguntinenſis Archiepiſeopus, duo enim *Hattones* præfuiſſe Moguntinæ Metropolitanæ leguntur, primus ab annô 891. ad 912. alter ab annô 968. ad annum fortè 970. ille annos *Ottonis*, ùt Regis (nè dicam Imperatoris) diu præceſſit, iſte Imperii ſolùm penè ſupremos aſſecutus eſt. Obiit enim *Otto* annô 973. qui ergò ſeeuriori fueô ſuum diploma obducturus nominare debuiſſet *Willhelmum*, aut meliùs *Fridericum*, improvidè effinxit *Hattonem*, ſicque meritò undequáque ſuſpectum utrúmque hoc Inſtrumentum expoſuit, dum liberè adeò in *Ottiniano* pro Monachis, in *Archiepiſcopali* pro Cœnobitis peroravit. Ut ſileam, quæ per decurſum diplomatis Imperialis ambigua immiſcentur. Hinc ſapienter Mabillonius notavit : *Mendum irrepſiſſe in nomen Hattonis Moguntini, nè quid*, inquit, *de aliis dicam.*

Itaque nullam planè fidem maximè illis verbis, quibus dicitur Pœl-

Pœldenſis Abbatia *Monachorum*, dico eſſe tribuendam, veritate Anonymum vitam S. *Mathildis* deſcribentem tuente: cenſendum igitur hanc Eccleſiam conditam, ac traditam fuiſſe ab hac ſancta Regina Congregationi Clericorum, & cùm nè deinceps quidem, ſi ſolùm nomen *Abbatiæ* excipias (quod quàm ineptum pro Monachiſmo adſtruendo argumentum ſuppeditet, jam alibi pluribus oſtendimus) ullum Monachi veſtigium exſtet, haud dubiè ſub incepta Clericali vivendi norma perduraverit hæc Congregatio uſque ad *D. Norberti* tempora, ſub quo nova illa Præmonſtratenſis reformatio undequaque dilaudata, iſthìc quoque recepta eſt, neque aſſentiri poſſum calumniatoribus hæreticis *Leuckfeldio*, *Calvörs*, *Vadiano*, *Goldaſto*, *Meibomio*, & reliquis penè omnibus, qui, quemadmodùm venenatis ſuis adverſus Catholicos, ac maximè religioſos, ne unquam abſtinere poſſunt obtrectationibus, ac commentis, ſic cumprimis de hac Paludenſi Eccleſia Leuckfeldius & Calvörs diſcurrentes, impias, quas poſſunt, falſitates evomunt, dum dicunt: ad initium ſæculi 12. Monachos in hoc Pœldenſi Cœnobio ad extrema ſuæ perverſæ converſationis perveniſſe, atque ideò his expulſis illud circà annum 1131. à *Norberto* Magdeburgenſi cum Archiepiſcopo ſui inſtituti religioſis contraditum fuiſſe. Scilicet ex proprii laſcivientis ingenii fabellis hæc, ac plura alia Leuckfeldius, dum jam antea effutjêrat hoc tempore Antichriſtum apertè veniſſe, & abominationem cleri in plurimis locis Chriſtiani orbis adeo accreviſſe, ut nemo eandem approbare poſſet. Atque huic ſuæ aſſertioni pondus additurus vernaculo ſermone inducit *D. Bernardum* & *Joannem Sarisburienſem*, ipſúmque *Baronium* cum *Honorio* Auguſtodinenſi. Verùm ſi horum virorum dicta ſcrutabimur, Spiritu ſedato, neque hæretico, & in ſolas contumelias proclivi, facilè advertemus, quò Zelô inflammati hæc ipſa edixerint: non ut Lutheranæ, ac impiæ reformationi locum darent, cauſámque ſubſcriberent; ſed ut vulnera detegerent, morbúmque aperirent, quo neutiquam immaculata, ſempérque innocens Chriſti Eccleſia, ſed quædam ejus membra laborabant. Et profectò cùm tam in capite, quàm in membris graviſſimè pia, ac ſancta hæc Mater impeteretur, quis quæſo his malis fomitem ſubjecit an alii, niſi anteſignani hæreticorum? atque hi ipſi, à quibus cum Lutherus, cum Calvinus, cum tota horum progenies radicem ducunt. Hi nimirùm cum Ario veſtem Chriſti inconſutilem dilacerant, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ bella movent. Nunquam cæteroquin negabimus in Eccleſia noſtra fuiſſe & *Chriſtianos malos, & Monachos malos, & Clericos malos*, veluti id ipſum pridem Profeſſus eſt Auguſtinus. Verùm an ideò fidem arguemus Catholicam? quæ dum vera docet, mala tolerat, & quæ emendare uno conflictu nequit, differt, juxta Domini præceptum, qui non vult ante tempus eradicare Zizania, nè ſimul eradicetur & triticum. Quodſi ideo Eccleſia noſtra impia, ſuperſtitioſa, & falſa eſſet, quòd ea doceat, quæ docuêre quique viri Sanctiſſimi, qualis ergo erit Eccleſia Lutheri? quæ præterquam quòd plura doceat impia ac ſcandaloſa, inſupet, quinam illi? qui hanc ipſam condiderant, ùt plurimùm certè homines ſacrilegi, votifragi, atque unum ventrem pro Deo habentes, qualis Pater ille Patrum impiiſſimus Martinus Lutherus &c. Sed nos ad propoſitum redeamus, dúmque annô 1131 vidimus collegium iſtud Diſciplinam *D. Norberti* ſuſcepiſſe, etiam hoc tempore illud inter noſtra numerare non recuſamus. Perſtitit autem ſub Præ-

monſtratenſi inſtituto usque ad lamentabilem ereptionem ab iniquis hæreticis annô circiter 1530. factam, quo tempore Præpoſitus *Wernerus* cum conventu ejectus Monaſterium ſuum cedere debuit manibus illud diripientium.

Extitit in Ducatu Brunsvicenſi. Vita S. Mathildis in Actis SS. 14. Martii & edit Leibn. t. 1. p. 200. Leuckfeld. in antiq. Pöldens. Calvörs in Saxon. Inf. P. 4. L. 2. C. 13. Mabill. Annal. Ben. L. 45. n. 61. Serar. rerum Mogunt. t. 1. L. 4. Gall. Chriſt. tom. 5. in Metrop. Mogunt. Heinecc. Antiq. Goslar. p. 13. 14. &c.

Fundat. circa annum 937. Extinct. Quedlinburgenſe S. Servatii Virginum Canonicarum Abbatia. Prolixam ſanè diſcurrendi de hoc nobiliſſimo quondam Parthenone hiſtoriam nobis veteres æquè, ac recentiores ſcriptores ſuggerunt, nec non paſſim exiſtentia adhuc præclara documenta, quæ ejusdem diverſum ſtatum, facta memorabilia, vicésque manifeſtant, non facilè de alio quodam Parthenone referendas. Verùm quia nos, quantum fieri poteſt, brevitatem intendimus, ejusdem ſolùm originem, & vigens aliquandò illic Canonicum inſtitutum enarrabimus.

Fundavit hanc Abbatiam *Henricus* Auceps cum *Mathilde* conjuge ſua piiſſima, illo quidem initium ædificii ponente, at dum mors vitæ filum abrumperet, iſta totum opus conſummante. Virgines, quæ hunc Parthènonem primò incolerent, evocatas fuiſſe ex Winitehuſano cœnobio teſtatur Anonymus vitæ *S. Mathildis* Scriptor: dum ait: *Cùm autem perſiſterent (Henricus* nimirùm & *Mathildis) magna proſperitate pacis, omnipotentis Dei inſpiratione deſiderabant monaſteria conſtruere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenùs ſui ſuorúmque Patrum, vel Nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmiſſima. Igitur tractantibus, tanti operis fundamentum quonam ponerent loco, Principibus populi in unum convocatis, poſtulabant, ſibi conſilium dari, in qua parte religionis hæc decenter poſſent adimpleri. Ad hæc Principes reſponderunt dicentes: intra Winitehuſum exiſtere ſanctimoniales regulari diſciplina carentes, quæ non poſſent illic diutiùs demorari, ni ſuſtentarentur adjuvamine Regali: & conſilium dabant in Quitilingeburc tranſferri. Ergo ambobus hoc placuit conſilium, & inter ſe conſpirabant implendum. Poſt hæc Rex Henricus adiit Bathfelthum, quo ſepiſſimè exercuit venatum, ibi paucis diebus interpoſitis languore correptus vi febrium nimiùm laboravit, ſed parumper ſedato infirmitatis dolore inde ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos Principes Regni convenire præcepit, ut ſe invicem coadunarent, quem ſuorum filiorum regale ſolium poſſidere eligerent. Venit & Dietmat Abbatiſſa Winneſtehuſinnenſis evocata præcepto Regis, & prioris haud immemor deſiderii, poſtulabat, ut ſibi ſubditas Sanctimoniales in Quintilingeburc conſentiret transponi: quæ petitionem Regis gratanter accipiens, libenter id annuit.* Verùm non facta eſt hæc translatio vivente *Henrico:* idem enim author narrato Regis obitu ait: *poſt hæc ritè paratis omnibus, quæ neceſſaria erant ad funus, maximo cum honore corpus Quintilingeburc transportabant, ubi ipſe requieſcere decreverat, ibique honorificè tradiderunt ſepulturæ. Tunc Regina Venerabilis ſupra memoratam Abbatiſſam monaſterii Winithehuſinenſis ad ſe iterum vocavit & congregationem ſibi ſubditam illuc transferri admonuit; quod Abbatiſſa primò renuit, ſed poſtmodum Imperante ejus filio Ottone conſenſit.*

Itáque Virgines non niſi ſub *Ottone*, & quidem ad annum 937. introductæ ſunt, quod ex privilegio,

gio, eo annò datô, apparet, dum idem *Otto* inquit, *Noverint omnes fideles noſtri tam præſentes quàm etiam futuri, qualiter Nos ob amorem Dei, omnium ſanctorum, & pro remedio animæ noſtræ atq; Parentum, ſucceſſorúmque noſtrorum, congregationem Sanctimonialium in Quindilingeburg ſtatuere curavimus.*

Porrò antequam hæ Virgines introducerentur, jam ibidem Congregationem Clericorum exſtitiſſe, atque ideò quoque Eccleſiam, ipſum hoc Privilegium oſtendit: dum in eo prælaudatus Otto: *ut idem conventus illic captum famulatum obtineat, urbem in Quedlingoburg ſupra montem conſtructam cum curtilibus & cunctis ædificiis inibi conſtructis, & quidquid Clericis in eodem loco Domino ſervientibus priùs conceſſum habuimus, & novam partem ex omni collaboratu ejusdem Curtis.* Hæc verò Eccleſia *D. Petro* ſacra ab *Henrico* clericis contradita dicitur in compilatione chronologica apud Leibnitium his verbis: *annò* 936. *Henricus Imperator obiit anno vitæ ſuæ ſexageſimo, Regni verò decimo nono ſepultus in Eccleſia S. Petri in Quedelinborch. Iſte conſtruxit Eccleſias in Quedelinborch, id eſt hanc S. Petri, quam conſummaſſe videtur pro clericis, alteram pro Virginibus, cujus ipſe, prout jam diximus, poſuit fundamentum.* Hi itáque Clerici, qui in privilegio *Ottonis* annô 961. dato haud minùs, quàm duodecim eſſe jubentur, in altero ejusdem *Ottonis* annô 964. conceſſo Canonici dicuntur, in ſuburbio Caſtelli Quidelingiburg manentes, & in eodem privilegio confirmatur donatio prædiorum, *quæ*, inquit Imperator, *prænominata Venerabilis Regina Mathildis, noſtra videlicet Avia pro ſalute animæ ſuæ vel parentum noſtrorum ad uſum Canonicorum ibi Domino deſervientium eidem loco conceſſit.* Hi verò Canonici inſtituti erant, ut ex iisdem privilegiis patet, ſub ſpirituali non minùs quàm temporali Jurisdictione, in quantum fieri poterat, Virginum Quedlingenbergenſium.

Verùm jam quæſtio volvitur, cujusnam ipſæ hæ nobiliſſimæ Veſtales inſtituti fuerint? dum *Calvörs* non dubitat accenſere eas inſtituto S. Benedicti: at Leuckfeldius in ſuis Antiquit. Halberſtad. disertè pro Canoniſſis regularibus ſtat, inquiens: *hoc igitur alterum erat Virginum monaſterium in Halberſtadenſi Diœceſi ad hanc normam, verùm & primum collegium pro Regularibus Canoniſſis Ordinis S. Auguſtini, quod ad ſtatum Imperii evectum, & ex quo Canoniſſæ ad libitum nubere poterant, attamen hujus exempla pauca produci poterunt.* Hæc ille: nunquam nimirum ſine hæretica bile libertatem illam nubendi colligens ex Engelhuſio noſtrò dicente: *Henricus* (nimirum Auceps) *inter cætera bona fundavit in Almania ultra viginti Eccleſias, quas & abundanter dotavit, pro Dominabus ſæcularibus, quæ Canonicæ nominantur. Utentes habitu Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, nullam tamen profitentes religionem, nubunt in Domino, quandò volunt:* advertis Lector Engelhuſium loqui de Canoniſſis, quæ dum aliquandò regulares exſtiterant abjecta votiva vita nil reliquum ſibi niſi veſtitum ſervârunt. De quibus nos alibi. Igitur proſtant documenta certiſſima, quibus probari poteſt Quedlingeburgenſes Virgines regulam *S. Auguſtini* obſervâſſe, adſunt autem & alia, quæ oſtendunt abjecta regularitate ſæculares evaſiſſe, ineptiſſimè igitur Leuckfeldius affingit virginibus votivis nubendi libertatem ex Engelhuſio, qui hanc illis adſtruit in ſæculares mutatis, & ſolum, unúmque habitum regularem adhuc geſtantibus.

Quemadmodum ergò, ubi Leuckfeldius ab Origine has Virgines Canoniſſas Regulares dixit, eò minùs deſipuit, quo ſecuriùs diu antea

antea ſcriptum legerat in Chronico Quedlinburgenſi ſequentia: *Annô 937. Henricus Rex obiit 6. Non. Julij, cujus Filius Otto pacificus, Saxoniæ Decus, jure hæreditario paternis eligitur ſuccedere regnis, Mechtild inclita Regina obeunte conjuge ſuo, præfato ſcilicet Rege Henrico, Cœnobium in Monte Quedelingenſi, ùt ipſe priùs decreverat, ſanctâ devotione conſtruere cœpit. Hinc regnum gentibus eſſe voluit: hoc, totis viribus fovet. Ibi, quia bene nata rarò ac difficillimè, degenerare noverat, non vilis Perſonæ ſed ſummæ ingenuitatis tyrunculas Canonicæ Religioni ritè deſervituras collegit &c.* Erant itaque Virgines hæ ab Origine, ùt dixeram, Canonicæ, ſed neutiquam tales, quibus nubendi libertas relinquebatur, quamvis fortè tanquam votis uſque ad ſæculum 12. ſimplicibus adſtrictæ, ſolita Eccleſiæ antecedente relaxatione id cum una, alterâve obtingere potuerit, qualem *Mechtildem* tertiam allegat Ketnerus dicens: eam modico tempore huic Cœnobio præſidentem poſtmodùm, *Ezeno* Comiti Palatino Rheni matrimonio fuiſſe copulatam, quod tamen ipſum examinandum reſtat.

Porrò an hæ Virgines aliquando ſe Regulæ S. Benedicti ſubmiſerint, nec definio, nec diſcepto, id mihi certum, ad uſque ſæculum 12. non ſuppetere pro hoc ſacro inſtituto teſtimonium: nam annô milleſimô ex eodem ſupra laudato Chronico adhuc Canonicam Diſciplinam viguiſſe habemus; dum ſic ediſſerit: *In Patriam revertitur* (nimirum *Otto* tertius Imperator) *ac Quedlingenſi civitate Sanctum Paſcha celebraturus in ipſo monte, ubi ſanctimoniales fœminæ ritu Canonico regulariter Chriſto deſerviunt per mortem dilectæ ſuæ ſororis Adelheidæ Abbatiſſæ, cœnam Domini, Paraſceven quoq;, & Sabbatum Sanctum, nec non Dominicam noctem Reſurrectionis - - - - - debitæ venerationis obſequiis feſtivè peregit.*

Annô dein 1206. data eſt Virginibus Quedlingeburgenſibus Bulla confirmationis ab *Innocentio III.* in hac Pontifex apertè ait: *Eapropter dilectæ in Chriſto filiæ veſtris juſtis poſtulationibus, Clementer annuimus, & præfatum Quidelingburgenſe Monaſterium, quod B. Petri juris exiſtit, & ab illuſtris memoriæ Henrico Rege fundatum eſt, & ſub annuo cenſu unius libræ argenti Eccleſiæ Romanæ oblato ad exemplar felicis recordationis Agapiti &c. ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam in eodem monaſterio noſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur.* Porrò ex hac *Innocentii* de dicto annô 1206. contradita Bulla colligo, Virgines dudum Canonicas exſtitiſſe, longéque anteà recepiſſe *S. Auguſtini* regulam (cùm aliàs fortè Aquiſgranenſem unà cum eadem jam profiterentur) quàm ab hoc ſummo Pontifice in Conſilio lateranenſi annô 1215. decretum ſit, religioſi omnes, ut aſſumant, regulam unam ex appobatis. Annô 1249. *Innocentius IV.* in Bulla Indulgentiarum feſti coronæ his Virginibus collatarum, eas apertè nuncupat *Ordinis S. Auguſtini*, ut adeò de inſtituto noſtro in hoc parthenone præclarè florente dubitari non poſſit. Quo verò tempore abjecta regularitate ſæcularitas inducta ſit, non ſatis liquet: quamvis enim de annô 1252. exſtent litteræ *Hugonis* Cardinalis, ſcriptæ *Abbatiſſæ ſæculari in Quitilingaburg*, non tamen ideò cenſendum monaſterium iſtud ſæculare. Velatio enim monialium in aliquo loco, propriè illas adhuc denotat eſſe regulares; non enim velantur Virgines, niſi votivæ: atqui annô 1254. privilegium *Alexandri IV.* concedit Quedlinburgenſibus Canoniſſis, *quod*

quod velari poſſint à quocúnque Epiſcopo, igitur tum adhuc erant votivæ, ſed ipſa fortaſſe Abbatiſſa Gertrudes ſæcularis. Unde nec obſtat eam dici aſſumptam ex alio gremio Canoniſſarum ſæcularium, & dignitate Abbatiali obtenta ſine velo manſiſſe.

Quamvis certum ſit, annò 1434. totum collegium Quedelingeburgenſe ſæculare fuiſſe, ùt patet ex quodam conſervatorio Eccleſiæ S. Servatii dato, de anno prædicto à Concilio Baſileenſi: Nunc verò ab annò 1585. aut fortè jam antea heterodoxum eſt.

Kettnerus in hiſtoria Quedlingeb. Leuckfeld. in Antiq. Halberſt. paſſim. vita S Mathildis apud Leibnit. tom. 1. Chronicon. Quedlingeb. ibid. tom. 2. p. 279. compilatio Chronol. ibid. p. 64.

Fundat. an. 845. Exſtinctum. **Rameſloanum ſeu Ramſolenſe SS. Sixti, & Sinicii Præpoſitura.** Huic exordium *S. Anſcharius* Hamburgenſis annò 845. aut, ùt habet Chron. Saxon. apud Leibnit. annò 846. dedit, dum idem urbe Hamburgenſi per Pyratas vaſtata illuc locorum cum ſuis Clericis fugerat: ùt inquit vitæ *Anſcharii* Scriptor, & *Nicolaus* PP. in ſuo privilegio. Illic ergo aliquamdiu commorans, & reliquias *SS. Sixti* & *Sinicii* colloeans, etſi ſecuritate recuperatâ vir Sanctus Bremam adiret, Ramſolenſem tamen Præpoſituram ſæpiùs inviſere non intermiſit, conſtituta ſimul ibidem ampliſſima parochia; pro qua, cùm aliquando *Bernarius* Epiſcopus Verdenſis, in cujus Diœceſi locata erat, cum *Libentio* Archiepiſcopo litem moveret, causâ ad ſummum Pontificem *Sergium IV.* delatâ, annò 863. ob honorem, quem *S. Anſchario* tanquam Authori hujus monaſterii deferebat, adjudicavit *Libentio* ſententiam.

Dixi autem *Anscharium* Clericis ſuis Ramſolam, ſeu Rameſloanum ſtruxiſſe cœnobium: qui Clerici, cùm tunc in Congregatione conſtituti ùt plurimùm votivi exiſterent, haud (quin imò neutiquam) iſtos hanc converſationem tenuiſſe dubitandum eſt, ob ſanctitatem tum *Anſcharii*, tum ipſius Cleri ab eodem collecti. Porrò reliqua hujus Præpoſituræ fata penè pleraque memoriæ ſunt ſubtracta, nunc verò eum aliis profanatum eſſe ſatis ex documentis colligimus.

Exſtitit non longè à vico Bardorum. Adam. Brem Hiſt. Eccl. L. 2. Chron. rer. Hamburg. Lamb. p. 147. item orig. Hamburg. p. 21. priv. Eccl. Ham. pag. 128. Kranzius Metrop. &c.

Razeburgenſis Cathedralis. *Fundat. circa an. 1139. Exſtinct.* Eſt hæc Eccleſia ab origine illarum una, quæ ſub *Godeſchalco* præclariſſimo Slavorum Principe proviſa eſt viris Canonicè viventibus ad medium ſæculi undecimi. Multis dein viciſſitudinibus ſubjecta deníque ab *Henrico Leone* circà annum (ni fallat Luneburgicum chronicon) 1139. Epiſcopatûs dignitate ſublimatur, cùm paulò ante Bardewicum pœnas ſolvere ſuæ temeritatis coëgiſſet, inde Epiſcopatum transferendi occaſionem nactus. In his præcipuè terris Evangelii ſementem ſoli penè ſparſerant Canonici Falderenſes, & eorum monaſteriorum Clerus, quæ inde dependebant, aut ejusdem inſtituti viros Apoſtolicos continebant, inter quos nominati exſtiterant *Bruno & Deylanus*, cujus ſpiritus, teſte Helmoldo, ſitiebat labores, & pericula in prædicationem Evangelii. Hi abſque dubio in omnibus Eccleſiis, quæ ad curam animarum paratæ erant, ſuis canonicis inſtituebantur: cùm ex eodem Helmoldo habeamus, peculiaria cœnobia

nobia pro monachis quoque fuiſſe conſtructa. Dum igitur *Henricus* cathedram conſtituebat Raceburgi aliorum, in jam ſtructa Eccleſia, congregatione inducenda opus non erat, quàm eorum, qui dudum ibidem exſtiterant ad normam Falderenſem formati Canonici Regulares: atque hi dum felici ſerie usque ad *D. Norberti* tempora duraſſe videntur, non mirum, quòd tam proclives fuerint ad ejusdem Sancti viri inſtituta amplectenda, ut exinde temporibus adhuc Windeſemenſis Chroniſtæ Buſchii, Præmonſtratenſis diſciplina Razeburgi floreret. Nam diſcurrens de præpoſito Magdeburgenſis *S. Mariæ* Eccleſiæ ſub Norbertina reformatione tum conſtitutæ, *habet*, inquit: *ſub ſe quindecim ordinis ſui monaſteria, quorum tria cathedrales ſunt Eccleſiæ, Epiſcopos habentes ex ſe ipſis ſinguli eligere, videlicet: Brandeburgenſis, Havelburgenſis, & Ratisburgenſis Eccleſiæ.* Intereà non ſatis patet, quo tempore hæc Præmonſtratenſis reformatio à cathedralibus Razeburgenſibus ſit admiſſa. *Iſfridum* Succeſ-
anno 1178. ſorem *Evermodi* novimus ex Canonico Regulari *Jerechovenſis Monaſterii* ad hanc Raceburgenſem inſulam fuiſſe aſſumptum, qui ſi tales necdum reperit, fortè effecit: quod tamen non definimus. Nunc hæc Eccleſia decore omnis Eccleſiaſticæ dignitatis amiſsô ſqualet ſub hæreticis.

Helmoldus in Chron. Edit. Leibnit. L. 1. c. 69. p. 594. & L. 2. C. 11. p. 736. Buſch. de reform. Monaſt. L. 2. C. 38. Chron. Luneb. Edit. Leib. t. 3. p. 173.

Riddagshuſanum. Abbatia.

Hoc monaſterium cùm mihi inter ordinis noſtri olim florentia ſolo nomine intimaretur in ſaxonia floruiſſe, dimittere nolui, nullis intereà usque dum aliis documentis ad clariorem ejus notitiam hauriendam edoctus. Novi alioquin floruiſſe *Riddageshuſanum*, ſeu *Riddershuſanum* nobilem Abbatiam propè Brunsvicum à *Ludolfo* Dynaſta conditam annô 1122. ſed neutiquam auſim celeberrimo Ordini Ciſtercienſium ſurripere, ab origine eidem dicatam: ut refert Meibomius, aliique paſſim Authores. Undè quodnam Riddagshuſanum Cœnobium Canonicos Regulares tenuerit, dum necdum didici, aut documentis certioribus imbuar, aut tanquam alicujus boni ſuo poſſeſſori reſtituendi, nè meminiſſe quidem ipſo in opere præſumam.

Meibomius in Chron. Riddageshuſano Tom. 2. Germ. Script. p. 341. Chron. Raſted. apud eund. Tom. 1. p. 111. Compill. Chronol. apud Leibnit. T. 1. p. 66. &c.

Roſchildenſis Cathedralis.

Fund. ...
Exſtinctum.

Quamvìs complura Chronica, nec pauciores ſcriptores numerentur, de rebus Danicis tractantes, quos tum inter Septentrionales apud Lindenbrogium, tum in Reliquiis M. SS. Ludewigi licet reperire, neutiquam tamen ſunt, ut propoſito noſtro conveniant, quippè quòd pauciſſima ad dilucidandam qualitercúnque hiſtoriam à nobis intentam conferant. Unde quæ velut modica Sarmenta de Roſchildenſi Eccleſia colligere licuit, breviter damus. A *D. Anſchario* fundatam fuiſſe adeóque ſæculi noni propè medium, Henricus Wolterus ait: ac ab *Haraldo* Daniæ Rege conſtructam in honorem *SSmæ. Trinitatis* L. 1. rerum Daniarum Legimus in Reliquiis Ludewig M. SS. Nos rationem temporum conſiderantes in Roſchildenſem Eccleſiam certè aliam congregationem Ab *Anſchario* inductam fuiſſe non opinamur, niſi votivo- clericalem, qualem nimirum tum collegia habuiſſe quàm plurima abundanter jam oſten-

oſtendimus. Verùm quamdiù hæc regularitas in ea viguerit aſſiduis Barbarorum incurſionibus cum afflicta, rum vaſtata, quis augurabitur? tempore *D. Wilhelmi Roſchildenſis* (cùm jam paſſim regula *S. Auguſtini* apud Canonicos votivos vigeret) an *Abſalon* Epiſcopus adhuc Canonicos ſuos ſaltem juxtà Aquisgranenſem inſtitutionem votivos habuerit, ex monumentis antiquis, altè ſimilia tacentibus, nihil erui poteſt, atque hinc nec plura, quæ de hac Eccleſia cdiſſeram, occurrunt. Nunc & ipſa jugo ſupprimitur hæreticorum.

Reliq M. SS. Ludewig. Tom. 9. p. 12. Chron. Sclav. Edit. Lindenbr. Adamus Bremenſ. de ſitu Daniæ p. 56.

Fund circa an. 1142. Extinct.

Roslebienſe S. Petri Virginum Canonicarum Abbatia. Hanc antiquitate non minùs, quàm religione eximiam fundâſſe dicitur *Ludovicus de Wipera* cum *Mathilde* conjuge ſua circà annum 1142. quo jam bulla confirmationis ab *Innocentio* ſecundo ſummo Pontifice conceſſa fuerat: *Prapoſito & Fratribus Eccleſiæ B. Petri in Roſtenleve ut in dicta Eccleſia Ordo Canonicus ſecundùm B. Auguſtini regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conſervetur.* In hac bulla nulla Virginum ſanctimonialium memoria; quódque ſub oculos venit primum casdem Virgines memorans teſtimonium eſt charta donationis *Heinrici Senioris* militis, *Heinrici Junioris militis & Ludolphi* Fratrum ſignata annô 1263. forraſſis quòd ſucceſſu temporis ſenſim diſcedentibus Canonicis, aut ſubintrârint Virgines, aut jam olim ibi conſtitutæ fuerint. Atque hæ Virgines ſibi Abbatiſſam habuiſſe Præpoſitam (ob quod nos hoc Cœnobium Abbatiam nominavimus) teſtatur altera charta emtionis inter *Joannem de Gatenz* Præpoſitum *Catharinam Volels* Abbatiſſam &c. de annô 1471. exindè autem plura *Abbatiæ* occurrunt teſtimonia, inter quæ præcipuum illud Epitaphium eſt, quod Abbatiſſam habitu ſolenni, dexteram cum Bacillo, caput mitra tectum præſentat. additur annus 1514.

Quatuor ſæculis eximiè floruiſſe ſub Diſciplina Canonica hunc locum produnt documenta vetera, cùm demum deformiſſima Lutheri reformatio huic quoque Parthenoni ſupremum exitium cauſavit, ubi Ruſticorum tumultuantium protervia eundem ſubvertit, ac indè quamvìs è ruina locus reſurgeret, nunquam tamen ultrà Catholicis ceſſit, ſed ab hæreticis in publicam ſcholam quinquaginta aut ſexaginta juvenum erudiendorum eſt mutatus.

Exſtitit propè Fluv. Uneſtrudam. Schamelius in deſcriptione hiſtor. hujus Cœnobii, Thuringia Sacr. pag 737. ſeq.

Fundat. circa 96 Extinct.

Scarenſe Præpoſitura. Ad extremas Germaniæ versùs polum arcticum partes pervenimus, ubi hanc in Suecia Præpoſituram deſcribendam ſuſcipimus, *Præpoſituram*, inquam, an potiùs Eccleſiam Cathedralem, quippe quòd talem exſtitiſſe apud Adamum Bremenſem legamus. Sed Præpoſituram maluimus dicere, cùm talis à principio ſuæ Fundationis eſſet, & diu ſine Cathedræ Epiſcopalis honore aut ſubſiſteret, aut certè ob nefandas paganorum incurſiones ſuo capite orbaretur. *Poppo* fortaſſe circà annum 966, primus fuerat, qui Danis & Suecis, quos Sveones vocavit antiquitas, lumen fidei quaſi primus adduxit in Weſtgothiam, Eccleſiáſque Clericales conſtruxit, aut certè *Egino* Vir ſanctiſſimus. Nam teſte Adamo Bremenſi: *Fertur idem Vir magnanimus eo tempore, quo in Suediam perſecutio magna Chriſtianitatis incanduit, ſcaranenſem Eccleſiam, caterósque* *Adam Brem. p. 12. c. 16.*

que fideles, eò quòd paſtore carebant, frequenter viſitaſſe &c. Quamvìs verò primam fidei inplantationem in Sueciam dicat *Olaus S. Anſgario* tribuendam, certè hanc ſæpiùs vacillâſſe in regionibus ſeptentrionalibus nemo negaverit, qui earum hiſtoriam Eccleſiaſticam percurrerit. Ut ideò ſi non primas profectò reſtitutionem fidei Suecia non ſolùm *Popponi*, ſed & deinceps *Eginoni*, *Vicelino* aliìſque compluribus viris Apoſtolicis debeat. Cæterùm quia ſterilis eſt omnis, quæ ſaltem nobis ſub manibus, hiſtoria de Eccleſia Scarenſi, néque ſuppetit *Olai magni* tractatus de Metropoli Upſalenſi, hinc interea hæc modica exarâſſe ſufficiet.

Exiſtit Scara (nunc Epiſcopatus Sectariorum) in Weſtrogothia. Adam. Brem. de ſitu Daniæ Cap. 216. p. 57. Appendix in Olaum Mag. p. 848.

Fundat. ſæc. 11. Exſtinct.

Schöningenſe S. Laurentii Prioratus.

Néque veterum documentorum notitia ſupereſt, neque multùm refert, quo tempore Schöningenſe hoc Cœnobium à quadam comitiſſa *Oda* nomine pro Monialibus S. Benedicti fundatum fuerit, cùm nobis ſufficiat ea noſſe, quæ preſſiùs noſtram hiſtoriam illuſtrant. Certum autem, cùm ipſæ veſtales hæ longiùs à ſanctiſſimo ſui Fundatoris tramite aberrarent, & *Reinhardus* Halberſtadenſis perpetua bonorum memoria digniſſimus Epiſcopus cerneret, *eandem monialium harum Congregationem apud villam Schöningen inſtitutam, ſed inutiliter ac ſine fructu ſanctæ religionis, omnisque honeſtatis dies ſuos deducentem communicato fidelium Eccleſiæ ſuæ Conſilio ipſam removiſſe, & Fratres juxta traditionem Regulæ B. Auguſtini vitam ducentes illis ſubſtituiſſe*, vocatâ primâ coloniâ ex amantiſſimo ſibi, & non diu antea à ſe inſtituto Hamerslebienſi collegio.

At cùm locus idem, in quo ſitum hactenùs Monaſterium fuerat, minùs commodus Canonicis eſſet, idem *Reinhardus* in curiam ſuam, quæ in ſuperiori parte Schöningenſis Oppidi exiſtebat, illud tranſtulit, attributis tamen omnibus prioris Cœnobii bonis, prædiis, atque Privilegiis. Quod factum eſſe annô 1120. ejuſdem litteræ docent à Leuckfeldio editæ.

Porrò Schöningenſe hoc Monaſterium floruiſſe usque ad annum 1542. in comperto habemus, at eguiſſe ſæculô decimô quintô reformatione illa, cui pleráque Saxoniæ Monaſteria ſubjecta fuerant, diſcimus ex diplomate *Nicolai Cuſani* Cardinalis, per Alemanniam aliáque loca ſedis Apoſtolicæ legati, in quo ad Priorem Richerbergenſem *Joannem S. Auguſtini* Canonicum Regularem miſſo ſic ait: *Cùm per Illuſtriſſimum Principem Dominum* Henricum *Brunsvicenſem, & Luneburgenſem Ducem requiſitus fueris, Monaſterium in Schöninge dicti Ordinis Halberſtadenſis Diœceſis, nec non Monaſterium Sanctimonialium in Stederborg ejuſdem Ordinis in Dominio præfati Domini Ducis ſita, in quibus, uti dolenter percepimus regularis non viget obſervantia, tam in capitibus, quàm in ſingulis eorum membris, uſque ad ultimam perſonam deſcendendo diligenter & ſollicitè dicta authoritate viſites, & quæ inibi à regula & ſtatutis Ordinis prædicti, & Capituli de Windesheim devia inveneris, emendarè procures, & tam ſuperiores, Rectores ſive Rectrices, quàm cæteras religioſas perſonas monaſterium hujusmodi ad regularis vitæ obſervantiam juxta ordinationes & ſtatuta præfati Capituli de Windesheim incipiendam & fideliter continuandam etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſi opus fuerit, cum auxilio Brachii ſæcularis compellas &c.* Incæpta atque probata hæc reformatio jam fuerat à Joanne Bu-

Buſchio annô 1435. ſed, ùt apparet, ex ejuſdem teſtimonio, petræ loquebatur vir alioquin Zeloſiſſimus: *Conſpiraverunt enim tunc*, ùt ait idem, *Præpoſiti Joannes Scheningenſis, Joannes Hammerslebienſis, Hermannus Kaldenburnenſis, Hermannus Jergenbergenſis, Joannes Sultenſis defendere ſe Privilegiô Papæ Eugenii 4ti contra Windeſemenſes, & contra ordinationes Concilii Baſileenſis de reformatione.* Unde exiſtimaverim, quod Buſchius fruſtrato labore quæſierat, *Nicolaum* demum effeciſſe, ut hanc tam optabilem reformationem amplecterentur, quemadmodùm eidem ſe alia quoque ſubindè accomodârunt. Quamvis, ut credam Schöningenſe Cœnobium aliquando membrum Congregationis Windeſemenſis effectum eſſe, tres apud me vetuſti ſatis catalogi de hoc altùm ſilentes vix admittant. Quemadmodùm autem negari nequit, Schöningenſes ſeu reformationem Windeſemenſem aſſumpſerint, ſeu diſſimilata illa, alioquin mores ſuos ad inculpatæ vitæ viam reduxerint, usque ad præfatum annum 1542. laudabiliter perdurâſſe, ſic infauſto hoc tempore ejectis unà cum veritate Catholica Religioſis, ipſum Cœnobium à ſectariis in puerorum ſcholam fuiſſe mutatum, eorum teſtimonia docent.

Exſtitit propè urbem Schöningenſem. Leuckfeld. in Antiqu. Halberſt. pag. 604. ſeq. Heinnecc. in Antiqu. Goslar. pag. 399. Buſch. de reform. Monaſt. L. 1. Edit. Leibn. tom. 2. p. 488. & p. 960.

Fundat.— Exſtinct. **Sigebergshuſanum S. Ægidii Virginum Canonicarum Præpoſitura Lubecæ.** Hæc nobis verba in documentis communicatis inſinuata ſunt, cæterùm de iſto Parthenone ignota omnia.

Spiritûs Sancti Præpoſitura. Fundat.— Exſtinct. Cujus initium vetera monimenta non produnt, eam tamen Canonicorum Regularium fuiſſe ipſa annô 1470. hujus loci reformatio manifeſtat, de qua Buſchius: *Illuſtris*, inquit, *Princeps Fridericus Marchio Brandeburgenſis, Elector Imperii, Archi-Camerarius Imperii, Stettinenſis & Pomerenſis Dux, & Borchgravius Nurenbergenſis ſcripſit Principibus Saxoniæ unà cum Epiſcopo Verdenſi, aut ejus locum tenenti, quatenùs dictum Monaſterium vellent reformare. Ad inſtantiam ergò & preces Dominorum præfatorum nos in Richenberg, in ſulta, in Hamersleve Priores ad præfatum monaſterium pariter acceſſimus. Epiſcopus autem Verdenſis miſit in occurſum ad viginti milliaria Canonicum Eccleſiæ ſuæ Magiſtrum Joannem Preen quondam officialem, & ſuum Protonotarium, Dominum Johannem Oletevvaghen ſigillum Epiſcopi ſecum habentem, qui in Mandatis habuerunt, ut quidquid nobis tribus Patribus viſum fuerit ſigillandum, id nomine ſuo ſigillarent. Marchio etiam Brandeburgenſis ſuos nobis in adjutorium miſit Ambaſiatores Principum, & conſulatûs utriusque civitatis nobiscum Monaſterium S. Spiritûs ingreſſi ſunt, requirentes Conventum & Præpoſitum monaſterii, ut nos in viſitatores auctoritate Apoſtolica reciperent, qui deliberatione accepta, Epiſcopi mandata in ſcriptis requirebant. Ego autem veſpere tria edidi mandata, unum ad ſuos ibi miſſos, quod plenæ eſſent poteſtatis; aliud ad nos patres, quibus idem Monaſterium aſſignavit reformandum, & generali Capitulo incorporandum: tertium ad Præpoſitum & Conventum, ut ſub pœnaexcommunicationis latæ ſententiæ nos in viſitatores reciperent, & informationibus noſtris aquieſcerent & obedirent. Tribus iſtis mandatis ſigillò Epiſcopi ſigillatis, & in communi lectis, recepper-*

perunt nos in Viſitatores &c. His poſitis narrat Buſchius maximam horum virorum in Diſciplina violationem, & obfirmatum diù reformationi animum, adeò ut excepto Præpoſito, Priore, ſeu Decano, & duobus Diaconibus, reliqui omnes Monaſterio relicto aliò emigrarent. Illi verò ſubmittentes ſe Ceremoniis, ac ritibus Windeſemenſium eo veſtitu, quo hi, ſolenniter induti ſunt, & de novo vota ſua præcipuè obedientiam ſecundùm Regulam B. *Auguſtini* nuncupârunt, quæ omnia dum memoratu dignis circumſtantiis prolixiùs Buſchius refert, nos, nè nimii ſimus, ad ipſum opus differimus.

Cæterùm ubi optimo ſucceſſu tunc reimplantata eſt Diſciplina Canonica, poſtmodùm tamen hanc Præpoſituram ſub Capitulo Provinciali novi operis diu florentem tumultibus, ac impietate Heterodoxorum novimus periiſſe.

Exſtitit in urbe Soltaquella. Buſch. L. 1. de reform. Monaſt. Cap. 15.

Fund. circa an. 1470. Exſtinſt.

Stendelenſe: Virginum Canonicarum Prioratus:

Fundatum hunc Parthenonem à conſulatu Stendelenſi fuiſſe Buſchius notat, & quidem, ùt videtur, circà annum 1470. petita ex Dorſtadenſi Cœnobio prima colonia; verùm cùm ex ipſæ Virgines reformationis titulô ſolùm vano vulgi rumore, ac maximè *Statii* earum Præpoſiti inani jactantiâ dilaudarentur, peſſimè huic exurgenti monaſterio proviſum eſt, quod, quia nos prolixè ſatis in deſcriptione Dorſtadenſis monaſterii memoravimus, eandem incudem tundere non fert animus.

Intereà cùm aliquanto tempore de reformatione hujus Cœnobii lis hæreret, tandem Priori in Hamersleben *Bernardo* cura demandata eſt, qui cùm Dorſtadenſes usque ad id tempus Stendelæ commorantes ad viam Regularis obſervantiæ reducere nequiret, omnes, quotquot erant, remiſit Dorſtadium, exceptis Stendelæ inveſtitis, quibus alias ad hoc noviter inductas adjungens, interdicto priori habitu, Windeſemenſem publicè ac ſolenni ritu contradidit: nempè nigrâ togâ in albam, peplô verò albô in nigrum converſô; dein ex ſororibus unâ in Priorillam electâ, à Stendelenſi Decano, omnem poteſtatem, & Jurisdictionem hujus urbis cum habente confirmatâ, aſſumpta ſuns Windeſemenſia ſtatuta, hocque felici remediò plena reformatio introducta in exemplum & ædificationem omnium in Marchia Brandenburgenſi Monialium cujuscúnque Ordinis Monaſteriorum, ùt ait Buſchius. Et quamvis non levi æmulatione *Statius* Præpoſitus Dorſtadenſis tangeretur, nec deeſſent ei variæ præſtigiæ, quibus tum Priori *Bernardo*, tum Virginibus innocuis inſidiabatur, incaſsùm ceſsêre omnia, nec nocere unquam potuit doloſa impietas germanæ virtuti, donec demum id hæreſis effecit, qua Monaſterium ejectis Virginibûs profanis uſibus applicitum eſt.

Exſtitit Stendaliæ. Buſch. L. 1. de refor. monaſt. C. 34. & 35. edit. Leibn. tom. 2. pag. 906. ſeq.

Fund. an. 1000. Exſtinſt.

Stederbergenſe SS. Jacobi & Chriſtophori Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Fundata, ùt Author Chronici Stederburgenſis ait, annô poſt partum Virginis milleſimô per Venerabilem Dominam *Frede-*

run-

rundam Sereniſſimi *Altmanni* Comitis, & Felicis uxoris ejus *Hatbevvigis* Comitis de Olesburch filiam. Caſtrum ſuum hæc piiſſima matrona *in Monaſterium mutavit, ac Virginibus Deo ſervituris deputavit, & Collegium ſanctimonialium Canonicarum, ùt vulgò dicitur, ſæcularium prout de patrimonio eodem ſuſtentari poterant, coadunavit.* Inquit idem Chroniſta. Porrò neque ego huic voci *ſæcularium Canonicarum* indagandæ immoror, quippe ad rem iſthìc, atque in hujus Cœnobii deſcriptione parum conducens, neque traditioni illi, quâ aſſeritur *S. Chriſtophorum Frederundæ* in ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe de hoc fundando Monaſterio, hæ, ſimiléſque revelationes néque cum hæterodoxis ridendæ omnes, neque cum ignara plebecula omnes pro certis habendæ. ſcio refragari omnimodis non poſſe Dodwello, Witſio, Leuckfeldio, Meibomio &c. quoſdam prioris ævi ſcriptores omnia penè decorſiſſe in revelationes & apparitiones, & præprimis cenſuiſſe, aut ſaltem vulgâſſe, vix ullum Monaſterium ſine miraculo, vel revelatione fundatum; verùm quemadmodum minimè negamus, quædam Cœnobia ex ſola pietate ac propenſione in bonum divinô inſtinctu ſine ulla ulteriore externa apparitione, vel revelatione ab hominibus Deo devotis fuiſſe fundata; ſic econtra certiſſimum, aliquibus condendis tales revelationes cauſam præſtitiſſe, quod nos alibi luculentiùs probabimus. Intereà huc revocari fors poſſet illa ipſa Duciſſæ Brunsvicenſis *Henrici* Junioris uxoris pertinacia, quæ adeò apparitionis alicui ſanctimoniali in hoc noſtro monaſterio factæ aſſertionem contempſerat, ut diceret à Diabolo oſtenſam, & Joannem Buſchium, quòd eam crederet, rogo adjudicaret; quam verò non inerter retudit Buſchius, ùt legere eſt in ejus reformationis libro. His igitur, ùt diximus, leviter dimiſſis, præcipuè dum ſuperiùs jam hæc ipſa attigimus. Sciendum

Confirmatum eſſe monaſterium iſtud ab *Henrico ſancto*, annô Incarnationis milleſimô ſeptimô, extraditô Privilegiô, in quo Congregatio illa Virginum nuncupatur *catervula puellarum quantulacunque, & ancillulæ Chriſto famulantes.* Ex quibus verbis colligo exiguum numerum Virginum primùm illic fuiſſe, & curtam dotem, intereà tamen Monaſterium Abbatiale idem Privilegium nominat. Annô 1126. ac deinceps ad extremam inopiam tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus hunc Parthenonem decidiſſe, dicti Chronici ſcriptor aſſeverat, qui tandem operâ, ac induſtriâ Venerabilis Gerardi (de quo in deſcriptione Richerbergenſis Cœnobii egimus) Præpoſiti reductus, indies poſtmodùm meliora obtinuit incrementa; videntúrque tum quoque, id eſt, circà annum 1163. ad regularem vitam Virgines fuiſſe aut reſtitutæ, aut inſtitutæ, quamvìs velatio earum non niſi an. 1166. initiata, ùt notat Chroniſta ſæpè laudatus, ipſa Prioriſsâ Gertrude primum exemplum præbente. Cæterùm ſicut ex documentis proſtantibus non innoteſcit, quo tempore regula S. Auguſtini ab his *Virginibus* primùm ſuſcepta ſit, ſic certum eſt, eaſdem ad annum 1453. cum monaſterio virorum Schöningenſi ad inſtituta Windeſemenſia fuiſſe reformatas: ùt patet ex litteris *Nicolai* Cuſani apud Heinneccium datis annô 1452. hoc monaſterium ſuas Deo ſacratas Virgines ſordidâ Lutheri reformatione amiſit, quod nunc ejuſdem malevoli Hæreſiarchæ infelices Filiæ incolunt.

Exiſtit propè Guelpherbitum. Chron. Stederb. apud Leibnit. tom. 1. à pag. 850. Meibom. in notis ad hiſtor. Henrici Leon. t. 1. rer. Germ. p. 444. Leuckfeld. in Antiq. Halberſtad. p. 333. Buſcb. L. 1. de refor. Monaſt. Cap. 4. Edit. Leibn. t. 2. p. 940.

Fundat. ſec. duodecimo Extinct.

Sverinenſis S. Joannis Cathedralis. *Magnopolis* aliàs *Meckleburgum* Nobilis, ac præclara quondam civitas jam *à Carolo* Magno teſte Paulo Langio decorata Epiſcopatu; Cathedralis Eccleſia dicitur; quod tamen majori probatione indiget, ut apud nos fidem mereatur. *Helmoldus*, cui aſſentiri malumus ab *Adalberto* Archiepiſcopo Hamburgenſi, ait, circà annum 1058. Aldenburgenſem Epiſcopatum in tres diviſum fuiſſe, nempè in dictum Altenburgenſem, in Razeburgenſem, & in Mecklenburgenſem, huic præfediſſe refertur in Chronico Lubecenſi *Joannes* homo ſenex, qui poſtmodum manibus, pedibúsque truncatus à Slavis idololatris in platea projectus eſt, cujus caput Slavi Deo ſuo *Radegaſt* immolaverunt. Vacavit exinde Epiſcopatus iſte ſuo capite indigus (ſi Kranzio credimus) uſque ad *Hartvici* Archiepiſcopi Hamburgenſis tempora; is enim annô 1149. in terra obotritorum ordinavit Meckelenburgenſi Eccleſiæ Epiſcopum *Everhardum*, cùm antea habuiſſet ſolùm *Joannem* martyrio coronatum ante annos octoginta quatuor. De hoc verò ſancto Epiſcopo ſubjungit idem Kranzius: *Apoſtolicam* inquit, *& vitam & converſationem inter gentes habuit hic Pontifex, non palatiis gloriatus; aut ſublimibus caballis vectus, ſed pedes ipſe, & peditibus peragrabat: Modeſtia, Manſuetudine & humilitate plures lucratus, quàm alius potuiſſet armatus gladio.*

Cæterùm non dubito qualem ſeu *Joannes* jam ante 83. annos, ſeu *Everardus* annô 1149. apoſtolicam vitam duxêre, talem & vixiſſe eorum, quos ſibi junctos in cathedra habebant Canonicos: unde Kranzius, dum *Hildeboldum* Epiſcopum Monaſterienſem legit *fratribus* ſuis multa benefeciſſe, infert dicens: *admoneor hoc nomine, quòd in annalibus ubique lego, per Eccleſias vixiſſe fratres, Ordine utique Canonico ſub regula Divi Auguſtini.*

Demum *Everhardo* defuncto *Bernonem* (quem alii *Brunonem*, Kranzius *Bennonem* nominat) *Henricus Leo* præfecit, ſub quo Epiſcopo dignitas Epiſcopalis *Magnopoli Sverinum* translata eſt annô 1170. *Bernonem* virum fuiſſe virtute eximium, & nulli deceſſorum ſuorum ſecundum diſcimus ex Helmoldo; neque dubitare poſſumus hunc quoque diſciplinam regularem ſecum *Sverinum* ad novam ſedem ſuam detuliſſe, præcipuè cùm *Vicelinum* ſciamus ſtuduiſſe magnoperè reformando Clero ad mores regulares: hic ergò, qui Sverinum in Eccleſiaſticis ſua directione (quippè Aldenburgenſis Epiſcopus) habuit, cenſendus omninò eſt eandem ibidem diſciplinam in Sverinenſi Eccleſia necdum cathedrali, aut conſtituiſſe, aut conſervâſſe, cujus Zelo nemo ambiget ſecundâſſe *Bernonem*, & (quos cathedrales ipſe adnitente *Henrico Leone* receperat primus ibidem Epiſcopus) à regulari obſervantia neutiquam abſolviſſe, utpote quibus hæc vita convertendis cum paganis circumquáque locum illum ambientibus longè aptior erat, & opportunior, quam altera, quæ votis ſe liberam aſſerit.

Chron. Sclav. p. 70.

Nunc hæc Eccleſia pariter eliminatis ſacris in ſæcularem ſectariorum Principatum mutata eſt.

Kranz.

Kranz. Metrop. L. 6. C. 39. & L. 3. C. 15. Helmold. Chron. Sclavor. Cap. 87. & L. 4. c. 24. Privil. Hamb. apud Lindenbrog. Script. ſept. p. 165. Chron. Lubec. apud Meibom. Rer. Germ. Tom. 2. p. 394.

Fund. . . . Exſtinct. **Verdenſis S. Mariæ Cathedralis.** Multa eſſent in hujus Eccleſiæ deſcriptione referenda, quæ præcipuè criſim hiſtoricam mererentur, cui cumprimis eruditiſſimus Papebrochius in duobus *Suibertis* ad 1. Martii, & 30. Aprilis egregiam operam impendit, & eò quidem doctiorem, atque laudabiliorem, quò *Verdenſe* illud *Caroli M.* diploma relatum in ſcriptoribus Septentrion: à Lindenbrogio, ac à Caſpare Calvörs, longè gravioribus argumentis ſuſpectum oſtendit, quàm hæreticus iſte, qui omne pondus exinde addidiſſe autumat, quòd ſtatum Eccleſiaſticum, ejuſque antiquiſſima jura ſugillet, ùt patebit legenti. Nos autem huic labori vel exindè manum liberiùs ſubtrahimus, quòd opus non ſit doctiſſimis dicti Papebrochii commentariis non tam alia, quàm fortaſsè ad ſummum aliter jam producta adjungere. Solùm quod ad rem noſtram eſt, breviter advertimus, Verdenſem Eccleſiam, quemadmodùm & mox ſubſequam Vexinenſem, nos inter Collegia noſtra numerare, quòd eadem ratio pro inſtituto Clericorum has Eccleſias primùm ac aliquantis temporibus ſubſequis incolentium regulari, atque votivo decertet, quæ dudum aliàs hactenùs in Germania Cathedrales enarratas eidem vindicavit. Quamvis enim neque *Suibertum*, neque aliquos ſuorum ſucceſſorum inficiemur è monachatu ad ſedem hanc Epiſcopalem vocatos fuiſſe, certum tamen ex adductis principiis manet, Congregationem, cui ipſi præerant, ſemper clericalem, non monachilem fuiſſe, quippe quorum inſtituto Cathedralitas primis adverſabatur, ut in Magdeburgenſi ad oculum probatum eſt.

Acta SS. 1. Martii & 30. Aprilis. Chron. Verdenſe Edit. Leibn. T. 2. à p. 211. Kranzii Metropolis L. 1. Cap. 29. Calvörs Saxonia Infer. pag. 219. & 223.

Vexinenſis. Cathedralis. Fundat. . . Exſtinct. Huic præclaræ Eccleſiæ initia *S. Sigefridus* dederat, cùm *Olaus* Sueciæ Rex fidem Chriſtianam malorum hominum conſilió multis annis ex hoc regno eliminatam reſtitui ſummò deſideriò laboravit, atque hunc in finem Angliæ Regem *Mildredum* legatione adiit, ut viros ſibi Evangelii præcones ſubmitteret. Suſcepit negotium Eboracenſis tum Archiepiſcopus *Sigfridus*, *&*, ùt inquit *Joannes Magnus*: *ſuperatis longiſſimi & periculoſi maris itineribus, pervenit ad Gothiam meridionalem, ubi nunc cernitur Eccleſia Cathedralis Vexionenſis, quam tunc Angelica viſione in ſomnis præmonitus erigendam curavit.* Vixdum verò ejus ac ſociorum adventus Regi innotuit, non diù diſtulit ſe ad veræ fidei ſacramenta conferre, ipſámque illam Eccleſiam magnis diſpendiis erigens cathedralem eſſe collatis plurimis donationibus juſſit. Reliqua, quæ hic *S. Sigefridi* egregia geſta, cruentúmque ſuorum trium Nepotum martyrium explanare poſſent, aliò differimus, ſatíſque ſit hæc pauca de illa Eccleſia memoraſſe; quæ nunc unà cum toto Suecico Regno (dum pridem Chriſto glorioſè famulabatur) ſub funeſto Lutheri dogmate ſqualida jacet. Epiſcopatûs tamen nomen; ſed ſub miſera Heterodoxorum ſervitute, dimiſſa omni Eccleſiaſtica libertate præfefert.

Olaus Magnus de Nat. rer. Septent. L. 2. p. 66. Joan. Mag. hiſt. Septent. L. 17.

Fund. - . Extinct.

Walckenriedtenſe. Abbatia.

Hærebam aliquantùm, quid demum de hoc cœnobio ſcriberem, quippe quòd aliam ejus tanquam noſtri inſtituti memoriam non reperiam, niſi apud Bucelinum, cujus verba admetior: *Walckenriedt*, inquit, *Canonicorum Regularium celebre collegium ex præpoſitura in Abbatiam converſum*, *cujus inter Abbatias Imperii meminit in Catalogo Ordinum Imperii Fridericus tertius Imp.* Walckenriedenſem hanc, ut non vanè auguror, Abbatiam, *Zeilerus* quoque in ſua Geographia Imperii indigitare videtur, dum ſcribit illam *ad ſylvam Hercyniam propè fontes Zorge annô* 1127. *fundatam nunc domui Brunsvicenſi hæreditariam* (nimirùm omnis religioſi inſtituti extorrem) eſſe. Walkenredenſis monaſterii fundati circa hunc annum meminit quoque Chronicon S. Michaël. Hildesheim. & ad ipſum hunc annum compilatio chronologica apud Leibnitium, ſed hoc cœnobium id, de quo nos agimus, non eſſe, ſatis indicat Engelhuſius in ſuo Chronico: dum ait, *ad annum* 1127. *Walckenrede*, *ſolenne monaſterium Ciſtercienſis Ordinis fundatur.* Hoc igitur Ciſtercienſe cœnobium non videtur cum noſtro unum eſſe; iſtud enim idem Zeilerus *Volckerodenſe* nuncupat, atque poſſideri à Vimarienſi familia. Certè quid his in dubiis decidam, non invenio, donec pro noſtra hac *Walckenriedtenſi* Abbatia ampliora lumina ſuppeditentur.

BucelinusGerm. Sacr. Part. 2. pag. 91. compil. Chronol. Edic. Leibn. Tom. 2. ſcript. Brunsvic. p. 66. Chron. Engelhuſii ibid. pag. 1099. Chron. S. Mich. Hildes. ib. p. 400. Zeilerus Geographia Imper. p. 637. & 636.

Fundat. circa an. 1124. Extinct.

Werdenſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Prioratus.

Olim atque ab antiquiſſimis temporibus hoc cœnobium fundatum fuiſſe, Canonicisque regularibus ſi non conditum, certè jam pridem attributum, manifeſtum nobis facit Chronicon Epiſcoporum Mindenſium apud Piſtorium, in quo, dum de vigeſimo tertio Mindenſi Epiſcopo Sigewardo Sermo, hæc leguntur: *tempore iſtius* (inauguratus autem *Sigewvardus* eſt annô 1124.) *Moniales Ordinis S. Auguſtini locum*, *qui dicitur Werder*, *propè oppidum Hannover intraverunt*, *antequam enim prædictæ moniales locum prædictum adierunt*, *inhabitabant quidam Canonici regulares*, *qui propter vitam & commemorationem* (fortè converſationem) *eorum nimis ſingularem ejecti fuerunt*, *& moniales Monaſterio Overenkerken per Comites de Wunſtorpe*, *& Leuvvenrode*, *ipſo die S. Catharinæ*, *annô Domini* 1124. *prædictum monaſterium intraverunt.* Quis verò hujus extiterit fundator Lerbeccius in ſuo Chronico indicat: *Monaſterium*, inquit: *in Werder apud Honnover à Comitibus de Wunſtorpe ſive Levvenrode fundatum.* Et ſiquidem iidem Comites ſeu Dynaſtæ Wunſtorpienſes in hoc cœnobium moniales annô 1124. induxêre, certè conditorem illius annô 1114. viventem *Conradum* fuiſſe notat Meibomius in notis ad Henrici Leonis hiſtor. Quamvis hanc ipſam rem obſcuram reddat Kranzius, dum ait, *annô milleſimo centeſimo decimo quarto* (non vigeſimo quarto) *virgines à dictis Comitibus inductas eſſe*, & de Canonicis priùs ibidem degentibus omninò ſilet.

Hic

Hic Parthenon illam toti Saxoniæ notam ſæculo decimo quinto reformationem ad priſtinam regularem diſciplinam pariter felici ſucceſſu ſubire debuit, prout narrat Buſchius: obtinéntque Virgines ab hoc integerrimo viro laudem, benignas illas fuiſſe, ac tractabiles, virgineum quoque habentes aſpectum, & converſationem de bona communiter progenie, & ideò citiùs in reformationem conſenſiſſe. Refert autem ipſum actum reformationis enarrans ſequentia non indigna memoratu: *ad iſtas*, inquit, *reformandas Prior Rutgerus & ego cum Duce Brunsvicenſi Wilhelmo Seniori & ejus Conſiliario Domino Ludolpho acceſſimus; & precibus primò, minis etiam adjunctis inſtitimus, ut ſe reformari permitterent. Quæ propter Ordinis rigorem ſe nimiùm gravari poſſe metuentes, cùm eſſent pro majori parte juvenculæ, pro primò nobis conſentire trepidabant; malitioſè tamen nobis non reſponderunt, ſed magis orando, & ſupplicando, nè nimis gravarentur. Nomen enim reformationis ante ejus aſſumtionem omnibus videbatur importabile pondus. Poſtquam autem in Sancta reformatione ad brevè tempus perſtitiſſent, & eam continuare incepiſſent, paulatim multùm dulceſcere capit, & eas in non parvum mentis gaudium & bonæ conſcientia pacem perduxit. Conſenſerunt tandem nobis ſupplicantes, ut cum pietate benignè cum eis procederemus: quod etiam libenter fecimus, quia non perverſè & rebelliter, ſe contra nos erexerunt. Una tamen earum alta voce, in choro cum ipſis ſtans, contra Ducem & nos exclamavit dicens: nos nolumus reformari, nec morem noſtrum antiquum relinquere, & aliam novam vitam aſſumere. Cui Dux reſpondit: cur tu tam frontoſa es, ut audeas, omnibus aliis nobis conſentientibus ità perverſè reſpondere? aut debes te cum aliis reformare, aut de monaſterio tuo expelli invita. Quæ æquè perverſa permanſit, verbis & moribus contradicens, quantum potuit. Tandem ipſum Monaſterium clanculum egreſſa, publicè apoſtatavit. Cujus Soror Carnalis bona fuit, & permanſit, in Prioriſſam ibidem poſtmodum ordinata. Habito igitur conſenſu permanentium, Chorum cum ipſis intravimus, inclinationes, ſtationes, & cætera ordinis noſtri Ceremonialia, regularémque obſervantiam ex toto eas informavimus, menſas in eorum refectorio more noſtro compoſuimus, capitulum culparum ipſis tenuimus, cum ipſis cantavimus, & more noſtro cantare docuimus. Ex tunc usq; in præſentem diem in competenti permanſerunt reformatione, regulam & ordinis conſtitutiones, & cætera ad id requiſita, diligenter obſervando.* Hæc Buſcbius.

Porrò communem demum hic Parthenon poſtmodùm ſubverſionis ſortem tempore Lutheranæ in Saxoniam invectæ ſectæ expertus nunc ſub manibus eſt Sectariorum.

Exſtitit. propè Hannoveram. Lerbecc. Chron. Mind. apud Leib. T. 2. Script. Brunsvic. p. 174. Meibom. in notis ad hiſt. Henrici Leonis: Tom. 1. rerum Germ. p. 441. Kranz. Metrop. L. 6. C. 33. Chron. Mind. apud Piſt, Tom. 3. p. 811. Buſch. de reform. Mon. L. 2. cap. 4.

Wiburgenſis Cathedralis. *Fund. . . . Exſtinct.*
Hanc Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* Clericos ad medium ſæculi duodecimi babuiſſe, ſuffecerit pro evidenti argumento adduxiſſe, quæ de *S. Ketilo* Canonico Regulari, & ejusdem Eccleſiæ tum profeſſo lectio quarta, & quinta in ejus feſto recitari ſolita ex Breviario Sleswicenſi annô 1512. impreſſo disertè enuntiat: *Cre-*

Crebreſcente glorioſa ejus (nempè *S. Ketilli*) *famâ Sanctitatis, quæ univerſo populo jam innotuit; ad aures Venerabilis Epiſcopi Wybergenſis Eskilli pervenit, cujus ſanctis exhortationibus dilectus Deo amicus, quod priùs mente conceperat, ad effectum citiùs perducere diſponebat; placita enim erat Deo anima illius, propterea properabat de medio iniquitatum illum educere, atq; inter religioſos & ſanctos viros collocare, unde factum eſt, ut idem venerabilis Pontifex Spiritu Sancto mediante illum ſibi alliceret, & in Eccleſia majori fratribus ſociaret, qui ibidem ſub regula B. Auguſtini ſumma charitate congregati erant.* De *S. Ketillo* nos ſuo tempore plura, dum intereà oſtendimus, hoc teſtimonio, Wiburgenſem cathedralem ſæculo duodecimo fuiſſe regularem. Nunc pariter cum aliis, Heterodoxis paret.

Pootanus rerum Danic. Hiſt. L. 6. p. 281. Acta SS. die undecima Julii p. 241.

Fundat. circa an. 849 Exſtinct. S. Wigeberti Præpoſitura. Fundationem hujus clauſtri adſcribit Kettnerus *Heymoni* Halberſtadenſi quondam Epiſcopo, factam circà annum 849. quem ibidem conſtituiſſe monachos *S. Benedicti*, idem aſſeverat: quæ ſuo in loco relinquimus. Annô 1139. fuiſſe iſthic Canonicos ſecundùm inſtituta *S. Auguſtini* patet ex Bulla *Innocentii II.* Abbatiſſæ Quintileburgenſis Monaſterii *Beatrici* data, in qua diſertè ait: *Simili quoq; modo decernimus, ut - - - - - clauſtrum Sancti Wiperti in præfato loco Quintiliburg, nec non Clauſtrum S. Winethuſen juxta B. Auguſtini regulam ordinentur.* Confirmat id ipſum *Innocentius III.* de annô 1206. cæterùm quamvis probabilius videatur hoc cænobium usque ad tempora Lutheri ſub inſtituto regulari Canonico perduràſſe, cùm tamen nihil, quod memoriâ dignum, occurrat, hæc retuliſſe ſufficiet.

Exſtitit in urbe Quedlinburgenſi. Kettnerus in Hiſtoria Imperialis collegii Quedling. p. 114. & id Add. pag. 9. & 11. In antiq. Halb. p. 59.

Wimarienſe: Præpoſitura. *Fund. ... Exſtinct.* Meminit Buſchius in ſuo præclaro, quod de reformatione monaſteriorum ſui temporis ſcripſit, opere, præter Windeſemeuſe Capitulum per totum Belgium, & adjacentia loca celebratiſſimum, etiam aliud ipſorum Canonicorum cum floruiſſe provinciale Novi operis, nempè à monaſterio hujus nominis propè Hallas ſic nuncupatum, cui viginti noſtri Ordinis collegia ſuberant. Dum autem eorum nomina non exprimit, inter duodecim tamen, quæ enumerata nobis communicavit vir humaniſſimus & ſtudiis noſtris multùm favens Dominus Bernardus Streler Imperialis Collegii Wettenhuſani nunc Decanus digniſſimus, hoc Wimarienſe notavit, haud dubiè quòd in urbe ampliſſima, ac notiſſima Ducatûs hujus nominis Thuringia exſtiterit. Hæc ad non levem ſaltem memoriam iſtius monaſterii conſervandam oportuit memorare.

Buſch. L. 1. de refor. Monaſt. pag. 12. &c. Documenta communicata.

Winnathuſenſe S. Puſinnæ Virginum Canonicarum Præpoſitura. Sic conjecturandum putamus: certè dum Parthenon Quedlinburgenſis ab *Henrico* aucupe fundaretur, inibi moniales exſtitiſſe, prodit vita *S. Mathildis* Reginæ; quippè quòd inde

inde *Abbatiſſa Diemot evocata præceptô Regis, qui poſtulabat, ut ſibi ſubditas ſanctimoniales in Quintelingeburc conſentiret transponi, quæ petitionem Regis gratanter accipiens libenter annuit.* Quamvis verò in eadem vita legatur Abbatiſſam poſt mortem Regis paulò inde ſecutam fluctuâſſe, ut ſtaret promiſſis: attamen id demum perfeciſſe certum eſt. An autem remanſerint Winnedbuſii quædam Virgines, an ſucceſſerint viri religioſi, definire ob documentorum defectum non datur: id omninò novimus, annô 1139. Canonicum ſub Regula D. Auguſtini inſtitutum obſervatum fuiſſe. Nam in Bulla *Innocentii ſecundi*, prout mox in *S. Wigberti* oſtendimus, planè præcipitur, *ut clauſtrum S. Wiperti in præfato loco Quintiliburg, nec non clauſtrum S. Nicolai in Winnethuſen juxta B. Auguſtini regulam ordinentur.* Porrò quod nos hîc *S. Nicolai* (mox adductæ Bullæ auctoritate perſuaſi) diximus, chronicon Quedlinburgenſe ſanctæ Puſinnæ nominat: cur? omninò latet. Corpus hujus Virginis Catalaunenſis à *Carolo* Calvo *Hadvvidi* Abbatiſſæ primæ Herfordienſis cœnobii donatum eſt: an inde aliquando Winnedbuſium tranſlatum, alii noverint. Nunc Windeſemenſium pariter reformationem cum fide dimiſit.

Exſtitit propè Quedlinburgum. Chron. Quedlinb. apud Leibnit. ſcript. Brunsvic. t. 2. p. 284. Leuckfeld. Antiqv. Michaëlſtad. p. 22. Kettnerus ſuprâ cit. vita S. Mathild. apud cit. Leibn. tom. 1. p. 196.

Wittenburgenſe Prioratus.

De quo nil nobis, niſi nomen ſupereſt, in Metropoli hujus nominis aliquando exſtitiſſe.

Documenta communicata.

Wulffinkhuſianum Virginum Canonicarum Præpoſitura.

Fundat. circa an. 1240. Exſtinct.

Fundata eſt à *Conrado* vigeſimo octavo Epiſcopo Hildesheimenſi inter annum 1221. & 1247. quibûs ſedi huic præfuit; ſic enim Borſemius in ſuo Catalogo Epiſc. Hildes. *fundavit*, inquit, *unâcum Henrici Palatini Uxore Winhuſenſe Cœnobium monialium ad Alram Fluvium. Duo item alia Virginum Cœnobia, Wulfinckhuſenſe & Franckenbergenſe ad Goslariam ſitum.* (Leibn. t. 2. p. 795.) Chronicon item Hildesheimenſe: *In eodem, clauſtra etiam Wlvinghuſen, & Franckenberg ſuo tempore ſunt conſtructa.* (ibid. t. 1. p. 751) Botbo in ſuo Chron. Pictur. *Hildesheimiis poſitus erat vigeſimus octavus Epiſcopus, qui dictus eſt Coradus, & rexit 24. annis* (in Chronico altero Hildes: apud Leibnit. tom. 2. p. 794. dicitur ſediſſe viginti uno, at ab annô 1221. usque ad annum 1247. quô abdicavit teſte Heineccio, effluxere 27. anni ultimô incompletè acceptô) *& conſtruxit ſex Monaſteria unum in Franckenberg propè Goslariam, & dicebatur Wulffinckhuſen &c.* Huic autem Parthenoni præter Prioriſſam præſidebat Præpoſitus (ideò Præpoſituram potiùs, quàm Prioratum diximus) tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus earum Rector exiſtens. Laudat Buſchius Virgines haſce à bona converſatione, & quæ ad reformationem non adeò reperiebantur difficiles: quamvis non innuat, ſe ſe ex integro huic ſubmiſiſſe. Præter alia (ſuo tempore fortaſſe referenda) in fine ſequentia profert: *Præpoſitus*, inquit: *Earum, qui bonus meus eſt amicus, & fuit continuò per triginta annos, & ego, ſæpiùs conſulimus, ut conveniremus in ſulta pariter, ad cogitandum de uniformitate Monialium Ordinis noſtri, quia ſi ipſe & ego concordaremus, tunc Moniales ejus nobiſcum*

bircum eſſent concordes, ſæpiùs promiſit venire, ſed nondum venit. Quid inde factum, nulla monimenta declarant; id extra dubium, eam infelicitatem hoc Wulffinkhuſanum, quam Franckenbergenſe ſæculô decimô quintô ſuſtinuiſſe, ut cum illo fidem Catholicam amitteret profanorum hominum factum domicilium.

Exſtitit ſuprà Hildeshemium. Buſch. de reform. Monaſt. L. 2. C. 31. Chron. Ep. Hildesh. in ſupplem. Borſemii apud Leibn. tom. 2. p. 795. Chron. Hildeſch. apud eundem t. 1. p. 751. Chron. Bothonis picturat. apud eund. t. 3. p. 357. Heinecc. Antiqv. Goslar. p. 229. & p. 267.

CIR-

CIRCULUS RHENANUS. SUPERIOR, ET INFERIOR.

CUm Circulorum Imperialium Auctor Maximilianus Primus Imperator Auguſtus annô 1500. in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis ſex ſolùm eorum ſtatuiſſet, nempè *Franconicum*, *Bavaricum*, *Suevicum*, *Rhenanum*, quem nunc Superiorem dicimus, *Weſtphalicum* & *Saxonicum* hodie *inferiorem* intitulatum; poſtmodùm tamen annô 1512. Coloniæ quandam ſubdiviſionem ordinavit, ut ſcilicèt Rhenanus diſpeſceretur in ſuperiorem, & Inferiorem: pariter & *Saxonicus*, deníque *Burgundicus* & *Auſtriacus* jungeretur: quam partitionem *Carolus* quintus tanti Principis digniſſimus Nepos, ac Succeſſor, annô 1522. Norimbergæ in publicis iterum Comitiis confirmavit omnium ſtatuum Imperialium aſſenſu. Ordo verò, ùt jam aliàs obſervavimus, horum Circulorum adeò diverſâ ſerie aſſumebatur, ut ab his *Auſtriacus*, ab aliis *Franconicus*, primus conſtitueretur, Rhenani à quibuſdam ſepararentur, quemadmodùm ab Homanno, Becmano, Zeillero, factum; ab aliis econtra jungerentur, ut ab Arnoldo, Groſſero, Abeville, Schotto &c. Id ipſum reſpectivè de Saxonico eſto judicium. Hinc prout jam monuimus alibi, non adeò curæ nobis erat, certi Ordinis in conſtituenda ſerie horum Circulorum nos eſſe ſolicitos, ſed expeditiorem potiùs ſcribendi Methodum attendimus. Ideóque & iſthic obſervamus, Circulos Rhenanos nos conjunxiſſe, ut una ſerie hiſtoriam Monaſteriornm his inſertorum panderemus.

Fuit autem hic geminus Circulus Ordine noſtrô ſacrô propagandô fertiliſſimus, quemadmodùm & Eccleſiaſticis poſſeſſionibus opulentus. Sic etenim novimus à tribus Eccleſiaſticis Electoribus Circulum Rhenanum Inferiorem decorari, *Moguntino*, ſcilicet *Trevirenſi* & *Colonienſi*, qui omnes præcipuis prærogativis ornantur. Hinc Lebemanus notavit, Moguntinenſem haberi digniſſimum, Trevirenſem antiquiſſimum, Colonienſem ditiſſimum. Pariter & Rhena-

nanum Superiorem ſcimus non minùs præclariſſimos Epiſcopatus continere, ſcilicet: *Veſontionenſem* (quem tamen nos Circulo Burgundico adjunximus, quemadmodùm id & à Zeillero factum reperimus) *Argentoratenſem*, *Wormatienſem*, & *Spirenſem*, quorum Præſules ſanctiſſimi æquè, ac potentes quantùm olim Religioſis viris fovendis, eorúmque Monaſteriis tum exſtruendis, tum dorandis ſtuduerint, præcipuè verò operam contulerint penè omnem vitæ Canonicæ ſtabiliendæ, atque in primæva ſua inſtitutione conſervandæ, ſatis tum ab eorum biographis inſtruimur, tum etiam mox ex deſcriptione ſubjecta Monaſteriorum noſtrorum diſcemus.

Floret de cætero in hoc gemino Circulo ùt plurimùm fides ſincera, quamvis quibusdam in locis Zizania hæretica inſperſa, nec eradicanda doleamus: quod inter reliqua accidiſſe non ſine mærore recolimus *Frankenthalenſi* olim celeberrimo, & venuſtiſſimo Ordinis noſtri Cœnobio, dum illud ejectis Canonicis (quorundam certè invidorum hominum, & tantùm non ſua omnia eſſe cupientium avaritiâ) in heterodoxorum manum devolutum, demum in urbem munitiſſimam, velut nunc conſpicitur, eſt converſum. Plura quidem alia exſtincta, aut à primævo Canonico inſtituto immutata in hoc Circulo notantur, ſunt tamen non modica ad hodiernum diem in eximium Canonici Ordinis decus inſigniter florentia. Utriusque ſortis Catalogum ſequentibus damus.

Fund. ... Ord. S. Ben

S. Agathæ Virginum Canonicarum Prioratus. Primum hoc Cœnobium, quod deſcribere paramus, ſterilitate occurrentium documentorum calamum ſuô officiô prohibet, nihil enim de hoc ſuggerere poſſumus, niſi quod ex Sammarthanis decerpere licuit ſequentia referentibus: *S. Agathæ Parthenon*, inquiunt, *poſitus eſt in media urbe Colonienſi, ad quam ex Dodonis vulgò Dittirchen Collegio, quod erat propè Bonnam, translatus eſt an.* 1313. *ejus incerti cum Fundatores, tum annus Fundationis: exſtabat tamen jam annô circiter* 1030. *quo tempore ſub regula S. Benedicti militabat. Poſteà verò, ſed non ante annum* 1208. *tranſiit ad Ordinem S. Auguſtini, ſub quo reformatus legitur annô* 1455. *ac poſt tres annos primævo reſtitutus Ordini, qui hactenùs ibidem ſervatur.* Hæc illi: quæ an nullo fuco illita ſint verba, in medio relinquimus, usque dum aut certiora, aut ampliora nanciſcamur, de moderno Benedictino ſtatu in eo florente neutiquam dubitandum.

Gal. Chr. tom. 3. col. 781. Mir. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 93. Winheim. ſacrarium Agrippinæ pag. 267.

Fundatum an. 1290. Floret.

Agnetis. Virginum Canonicarum Prioratus. Fuit hoc in ipſa Moguntinenſi Metropoli exiſtens, & annô 1290. à *Conrado* Zum Korb. (fortè ob ædem hoc nomine intitulatam ſibi propriam ſic dicto) aliàs verò è nobili, ac Patricia gente *Landekerorum* progenito fundatum Cœnobium, jam ab Origine Virgineo ſodalitio contraditum ſub Ciſtercienſium inſtituto, in quo perſeveravit ad annum circiter 1568. tum verò Virginibus Canonicis conceſſum dimiſſis Ciſtercienſibus, à Serario docemur.

Etenim, cùm hæretici urbem Crucenacum dirâ clade circà annum 1567. depopularentur, in eadem urbe Parthenon Virginum Canonicarum exſtiterat ſub S. *Auguſtini* Regula Bubencapellenſe dictum, de quo mox inferiùs agemus. Eandem ergò cum urbe funeſtam ſortem ſubeuntes Virgines exu-

exules migravêre ad Cœnobium D. Petri urbi vicinum; quibus paulò poſt Elector Moguntinus *Daniel* magno favore ſuccurrens, primùm in urbe metropoli in Cluſa *D. Margarethæ* divertentibus, dein Cœnobium incolendum aſſignabat Eibigenſe propè Rüdishemium in Rhingavia ſitum, & D. *Giſelberto* ſacratum. Verùm, ut videtur, mox iisdem rurſus de loco ſecuriore proviſum eſt: nam ſuprà laudatis Virginibus Ciſtercienſis inſtituti in dies rerum temporalium neceſſitate deficientibus, deníque hæ ipſæ Canonicæ veſtales ſubſtituuntur. Id profectò per *Danielem* factum fuiſſe vix ambiget, illam, quæ apud hunc Parthenonem hodiedum legitur, perpendens ſcripturam effigiei *Danielis* appoſitam: *Daniel Brendel* Churfürſt zu Maynz *fundirte* das Jungfrauen-Cloſter *S. Agnetis* Auguſtiner-Ordens / als ſie von denen Ketzeren vertriben worden *annô* 1568. Hinc non aſſequor, dum à Serario notatur *Wolffgangus Danielis* ſucceſſor his verbis: *à Wolffgango ex Eybingenſi aſceterio huc tranſlatas dubitare nos non ſinit cautio Archiepiſcopi Adami &c.* Non, inquam, aſſequor, noviſſimum Galliæ Chriſtianæ editorem adeò ſuprà memoratam ſcripturam in nova Serarii editione neglexiſſe, ut impunè aſſereret *Wolffgangum rebus* Virginum Ciſtercienſium, *haud parum attritis, medelam allaturum litteris, datis* 1572. *die* 28. *Aug. Abbatiſſæ, & Congregationi facultatem conceſſiſſe, cenſum Altarium B. M. V. & S. Michaëlis tum temporis vacantium ad ſex annos proximè ſequentes, ſua ad alimenta convertendi. At verò cùm nè ſic quidem ex anguſtiis, quibus premebantur, emergeret, his tandem Ciſtercienſibus, ejuſdem Wolffgangi Archiepiſcopi auſpiciis, ſubrogatas eſſe moniales ex S. Auguſtini norma viventes.* Quamvis igitur à vero priora aberrent minimè: at maximè poſteriora, utpote dum ex adducta ſcriptura liquet, *Danielem* ab his Virginibus Fundatorem habendum, non *Wolffgangum*. Cæterùm & hunc magnam ſe iisdem benefactorem exhibuiſſe haud inficiabor, præcipuè dum conſtat Privilegium ab eodem datum, quo omnia Parthenonis iſtius bona, jura, cenſus &c. Neo-inductis in perpetuum conferuntur, ac confirmantur: quod ipſum Succeſſores clementiſſimè ſtabilire dignati ſunt.

Magnum autem ad futurum accrementum vectigal ſuppeditaverat Virginibus iſtis Pietas cum ſufficientia in temporalibus non minùs, quàm ſpiritualibus, adeò quidem, ut annô 1615. 16 & 17. totum clauſtrum auguſtius exurgeret, ipsâ etiam Virginum habitatione, veteri dejectâ, à fundamentis, venuſtè conſtructâ. Cui paulò poſt novâ induſtriâ Eccleſia prior & ampliata, & nobiliore formâ inſtructa acceſſit, ut & ipſa quaſi ex integro nova appareat.

Deníque Abbatialis, qui Ciſtercienſibus ſolitus erat, titulus apud has neò-inductas in Prioratum mutatus eſt, fortè, quòd ſe Windeſemenſi Congregationi univerint, de quo tamen necdum aliquid certi nobis innotuit.

Exiſtit in urbe, ùt diximus, Moguntina. Serarius rer. Mogunt. T. 2. pag. 875. & ſeq. Gall. Chriſt. Tom. 5. col. 600.

Agnetis Virginum Canonicarum Prioratus. *Fund. 1255. Floret.* Fundavit hunc Parthenonem *Arnoldus* Trevirenſis Archiepiſcopus annô 1255. Divóque *Gervaſio* dicatum voluit, inſtitutum quale in eo poſuerit, ſi de antiquis quæramus, nec reperiemus monaſticum propriè illud fuiſſe, neq; omninò Canonicum, utpote cum de nulla ex approbatis regula, cui ſe his temporibus quæcúnque demum religiones ſubmittere jam obligaban-

 tur,

tur, memoria fiat: privatas tamen à fundatore conſtitutiones præſcriptas Browerus meminit, etiam diplomate Archiepiſcopali in perpetuum firmatas. Præcipua earum legum fuerat, omnia inter ſe habere communia, quod omninò videtur ex regula *S. Auguſtini* piiſſimus hic fundator mutuâſſe. Charitatis vinculo exinde ſe ſe invicem arctiſſimo adſtringere juſſit; caverent quoque maximè, nè litibus, diſcordiis, vel quibuscúnque aliis offenſis hujus dilectionis ſanctitatem diſſolverent. Quæ ipſa præclarè dictam Auguſtinianam regulam ſpirant; ut hinc facilè aſſerere daretur, ex origine ſua has Virgines in Canonicum *S. Auguſtini* inſtitutum jurâſſe, niſi unus nobis qui hactenùs, quæ diſſeruimus, ſuppeditavit, laudatus Browerus obniteretur, dum inquit: *hoc monaſterium à diverſis poſt id temporis Trevirorum Epiſcopis, opibus, ac poſſeſſionibus auctum, & ob neglectam veterem diſciplinam, de ſtatu quoq́ ſuo dejectum ceſſit denique Virginibus Canonicis, quæ Divi Auguſtini regulam emendatiorem profitentur.* Quid verò Browerus per hanc *emendatiorem* regulam indicet? ad annum 1461. n. 112. oſtendit, cujus verba ultrò admetior: *ineunte*, inquit, *Autumno, Parthenona B. Virginis Agnetis annis abhinc ampliùs ducentis ab Arnoldo Trevirorum Præſule in urbe conſtitutum, & à Deceſſoribus præclarè fundatum Joannes inſigni adverſum religionem edito documento, ad omnem honeſtæ vitæ ſanctimoniam conformavit. Cùm namq́ in eo monaſterio maximam eſſe factam cerneret veteris pietatis inclinationem, & ſanctimoniales laxatâ ad omne decus cupiditate, volutari in nequitia, vineam hanc induſtriis, & frugi magìs agricolis elocandam putavit; nempè qui redderent ei fructum temporibus ſuis. Itáque cùm in ordine Canonicorum, quos diximus regularium, viros florere comperiſſet religione, ac virtute præſtantes, & fæminarum, quæ monaſterium incolebant, effrenem & immedicabilem vitæ licentiam: his repudiatis atq́ abjectis novam ex Divi Auguſtini præſcripto, & Windesheimenſis Cœnobii uſu ſanciendam diſciplinam, cum ipſo monaſterio, fortunis omnibus, atq́ poſſeſſionibus tradidit, atq́ ut bene moratum iſtic ſacrarum Virginum collegium inſtituerent, formarēntque, decrevit. Utq́ impoſterum monaſterium ipſum S. Agnetis in monte Angelorum nuncuparetur, eſſetque in fide, ac poteſtate Cœnobitarum Everardi-Cluſæ* (de quo Collegio nos inferiùs augemus) *luculento teſtimonio ſancivit, dato in Caſtro Erenbictſteinio prima menſis Sept. annô* 1460. *atq́ ad hunc modum accenſo, & inflammato Joannis Archiepiſcopi ſtudio, operâ & diligentiâ Canonicorum Regularium, lectiſſimæ Virgines evocatæ Bonnâ, & ad hanc perpetuæ Caſtitatis officinam traductæ: Quibus fuit nono Kal. Sept. Agnes Melenheimia Collegii Vallis Angelorum Bonnenſis Alumna, ſpectata religione ac pudicitia virgo præfecta.* Hæc Browerus. An verò Virgines iſtæ adhuc ſub Windeſemenſium Præſulatu Canonici inſtituti ſui normam tueantur, an ab eodem jam emancipatæ, dubitari poteſt, ſanè, cùm nobis geminus omnium monaſteriorum, ſeu virorum, ſeu Virginum Windeſemenſis Congregationis ſubmiſſus ſit Calculus, harum in eo memoriam non reperimus, unde quid ultrò de iiſdem nos in ipſo opere referre ad pleniorem hiſtoriam oporteat, ex ſubmittendis inde documentis diſcemus.

Exiſtit in urbe Trevirenſi. Brow. L. 16. n. 38. & L. 19. n. 112.

Agnus Dei S. Jacobi Majoris Virginum Canonicarum Prioratus. Fund. 1502. Floret. Hujus originem ad annum 1502. figit Ægidius Gelenius, cujus verba ſunt, *In muro Caſtrenſi ad agnum appellatum* 1502. meminit quoque harum Vir-

Virginum Miræus ſequentibus: *S. Jacobi Majoris ad Agnellum in Muro Caſtrenſi Auguſtinianarum.* Eccleſiam hujus cœnobii eleganter conſtructam, & ornatam liberalitate familiæ Rinck notat Winhemius. Illas hodiedum florere edocti ſumus, quamvìs alioquin reliqua omnia, quæ referamus, adhuc lateant.

Ægid. Gelen. de Admir. ſacra & civili magnit. Coloniæ ſynt. 38. §. 4. Mir. L. de orig. Can. Reg. Cap. 93. p. 193. ſacrar. Agrip. p. 272.

Fund. … Floret.

Albarum Dominarum S. M. Magdalenæ Virginum Canonicarum Abbatia: Haud dubiè nobilis, atque illuſtris, verùm de qua nobis dicenda perpauca ſuppetunt. Præterquam enim, quòd de ea Gelenius breviſſima hæc verba notet: *B. M. Magdalenæ ad Albas Dominas habet Abbatiſſam Reformatam* 1230. *&* 1446. eâdem reſtrictione (in ſuis ſat alioquin effuſus) Dionyſius Sammarthanus ſibi conſuluit: dum ſcribit: *Eccleſia B. Mariæ Magdalenæ ad Albas Dominas Abbatia Virginum Regularium Ord. S. Auguſtini propè rivum urbis Coloniæ, vulgò auff der bach, à candore veſtium ad Albas Dominas nuncupatarum, in qua bis redintegrata eſt diſciplina, primùm ſub Henrico de Molenarck Archiepiſcopo Colonienſi circa an.* 1230. *deinde ſub Theodorico Morſa an.* 1446. hæc ille. Winhemius hujus loci egregiam diſciplinam commendat, & ait: aliquando dilapſam, ac ab unica adhuc veſtali peculari in Chriſtum patientem devotione continuatam, miraculô firmatam fuiſſe, de quo nos alibi. Florere autem hunc adhuc Parthenonem ex certa informatione habemus.

Exiſtit in urbe Colonienſi. Gelen. cit. Gall. Chriſt. T. 3. Col. 783. Winhemius ſacr. Agrip. p. 270.

Fund. circa ann. 667. Ord. Præmonſt.

Altitonenſe S. Othiliæ Virginum Abbatia. *S. Othiliæ* hunc Parthenonem dicimus non tam jure conſecrationis; quàm fundationis; Nam, ùt erat ſeptem oratoriis inclytus, ſic ſeptemfariàm quoque intitulatum fuiſſe ex antiquis monumentis diſcimus, principaliter tamen, idque non longè à morte magnæ hujus Thaumaturgæ Alſaticæ, *S. Othiliæ* nomen (à qua fundationis prærogativam obtigiſſe, compertum eſt omnibus) huic loco hodiedum perennat. Fuerat enim quatuor ab Argentino milliaribus mons præaltus, conſcenſu difficilis, tanto autem oculorum illicio ob latè patentem aſpectum amabilis, ut quaſi Libanum ſuâ amænitate æquaret. In hoc arcem eleganter inſtructam poſſederat *Adelricus Ethico* (Childerici Regis Francorum Conſanguineus, & ejusdem in Alſatia Præfectus) vulgarî vocabulô *Hochenburgum* nuncupatam. Filia ei feliciſſimo Conjugis partu obtigit *Othila* nomine, quæ, cùm divino prodigio nativâ cœcitate liberaretur, per illuſtriſſimam gratiam in baptiſmo jam grandioris ætatis virgo acceptam ope *D. Joannis* Bap. à ſe impensè honorati, hunc obtenti luminis Theſaurum nè mundi conſpectu macularet, renunciare ſæculo ex tunc firma reſolutione conſtituit, & ſe totam divino ſponſo ſacrare. Annuit promptiſſimus ad pietatem Genitor, & *Othiliæ* ſuæ hanc ob cauſam prædictam arcem in monaſterium ſubſtituit. Ampliſſimâ hic locus eminebat ſtructurâ, ita, ut facillimo uſu duplici cœnobio deſerviret. Nihil igitur morata Virgo piiſſima geminum ſibi habere decernit, unum, quod ipſa cum Virginibus, alterum, quod miniſtri altaris, illiſque in ſacramentis adminiſtrandis deſervituri incolerent. Et ſanè opportuno profectu *Othiliæ*

lia tantùm de aliena, quantùm de propria ſalute ſollicita corrivales colligit, omnes ſoli Chriſto, in Thalamo immaculati cordis adhæſuras. Congeſta autem ſelectiſſima ſocietate tum demum conſilium initum, quod flammeum Virginale eligerent, monachicum illud, an Canonicum. En Authoris vitæ Othilianæ verba, nè diutiùs hæreamus, *erat autem* (inquit idem) *ei Conſuetudo, peregrinas ad Sanctam converſationem ſuſcipere fœminas tam de Scotia, quàm & de Brittania, nec non & viros religioſiſſimos ex diverſis provinciis venientes cum gaudio ſuſcipiebat, & ex eis ſibi Presbyteros ordinari rogavit. Et conſummavit utráque monaſteria, & collocavit in eis ſanctimoniales; & poſt hæc convocavit omnes ſorores, & rogavit eas, ut ſibi indicarent, utrum Canonicam, an regularem vitam ducere vellent, tunc omnes unanimiter reſponderunt, ſe regularem vitam velle ducere, & converſationem habere. Illa autem cum humilitate & manſuetudine reſpondit dicens: Scio meæ chariſſimæ ſorores & matres, vos promptiſſimas eſſe ad omnia aſpera & dura pro Chriſti nomine toleranda, ſed timeo, nos, ſi regularem vitam elegerimus, maledictionem à ſucceſſoribus noſtris incurrere, quia iſte, ut ſcitis, locus valde incompetens eſt, & laborioſus regulari vitæ, adeò, ut nec aqua niſi cum magno labore adipiſci poteſt hìc, unde mihi videtur, ſi veſtræ placuerit almitati, melius eſſe, ut Canonico habitu conſiſtatis. Tunc omnes ſecundùm illius verba elegerunt Canonicam regulam, in qua usq; hodie in ſupradictis monaſteriis degentes præcedentium normam ſequentes perſeverant.* Hæc Othiliani Biographi verba omne nobis ſuſtuliſſent negotium inquirentibus, quodnam vitæ ſpiritualis genus *Othilia* ſuſceperit? cùm dilucidè enunciet vitam Canonicam prætuliſſe monaſticæ, omnésque ſacras conſenſiſſe ſorores. Verùm Author Annal. Benedict. ad

Apud Mab. Sæc. Bened. 3. p. 2.

ann. 667. de *S. Othilia* diſcurrens ejúsque inſtituto, ait: *monaſticæ vitæ Canonicam prætuliſſe dicitur ab Authore Anonymo, qui id ſcripſiſſe videtur habita ratione ſui temporis, quô Sanctimoniales Hoëmburgenſes ad inſtitutum Canonicum defecerant, ſanè hoc inſtitutum ante principatum Caroli Magni necdum adinventum erat. Sed etſi inventum fuiſſet, non aliam, quàm S. Benedicti regulam illæ Canonicæ ſectatæ fuiſſent.* Igitur juxtà Mabillonium *Othilia* monaſterium ſuum Benedictinum eſſe conſtituit, & totum Authoris præfatum hiſtoriæ fragmentum inter figmenta reponitur. Sequitur Mabillonii opinionem Dionyſius Sammarthanus dum ait: *Hohenburgum olim Altitona - - - - primitùs fuit Benedictinarum Virginum cœnobium, tum verò Canonicarum &c. ipsúmque ab initio ſub regimine Abbatis Apri monaſterii - - - - inſtitutum fuiſſe docent nos vetera monumenta tum Aprimonaſterii, tum Archivi Argentoratenſis Epiſcopi, ex quo maximè liquet, non aliam illic ab origine, quàm regularem ſeu monaſticam vitam fuiſſe in uſu.* At pace utriúsque viri doctiſſimi licebit penitiùs Scrutari veritatem. Imprimis, quod Biographi fidelitatem concernit, totam ab ipſo de *S. Othilia* deſcriptam vitam recipit Mabillonius *ſatisque ſinceram* amplectitur; ſingula alioquin relata non carpit: ſolùm quæ de inſtituto electo diſſeruntur faſtidit, improbátque, profectò vix iſtud judicium eruditus quisque arbiter à partium ſtudio vindicabit. Ultrò, authorem, dicit, id ſcripſiſſe videri habita ſui temporis ratione. Sed quonam tempore putamus eundem ſcripſiſſe? aliquam at ſatis obſcuram Epocham, ipſe innuit in eadem hac vita, ſed qua antiquiorem temporibus Caroli aut Ludovici vix quispiam faciet. Verùm etſi eum Othiliâ faciamus tribus, quatuórve ſæculis juniorem, annè,

qui

qui aliàs rerum fuerat tam candidus exarator, rectè in hoc adeò injurius veritati extiterit, ut acta *S. Othiliæ* non niſi ad ſua tempora metiretur, cùm tamen alia omnia tam ſedulus attenderit. Concedamus autem hunc Biographum ipſis Caroli Magni temporibus imò integris duobus ab Othilia ſæculis (quæ circà annum 667. hoc cœnobium fundâſſe creditur) poſteriorem, nil tamen minùs, quàm ſui temporis moribus facta Othiliana accommodâſſe eundem, reperiemus: imprimis enim ſcribit *Othiliam* dixiſſe: *timeo, ſi regularem vitam elegerimus, maledictionem à ſucceſſoribus noſtris incurrere, quia iſte, ut ſcitis, locus valde incompetens eſt, & laborioſus regulari vitæ, adeò ut nec aqua &c.* per regularem vitam intellexerat hic Author vitam monaſticam, diſtinctam à Canonica, at hic mos loquendi, ſæculo nono non erat, quin vocem hanc, *regularis*, jam tempore *Caroli* tam Canonicis, quàm monachis conſueviſſe aptari, alibi probavimus, ergò vetuſtioribus, in uſu hujus vocis, temporibus, non ſuis accommodè Author locutus eſt. Ultrò: ſæculò nonò paſſim in urbibus monachæ ſuos conſtruebat Parthenones, nec adeò abhorrebant à ſæcularium conſortio (quod niſi ambo præfati Authores admiſerint, videant, quot Gynecæa eliminaturi ſint hoc pacto ex Albo Benedictino) quin illo ipſo tempore adeò monachæ multis in locis ad mores Canonicos deſciverunt, ut ædipo non rarò opus habeas diſcriminaturus tum cœnobium monaſticum à Canonico: omnia iſta hiſtoriarum perito manifeſta, nec opus, ut teſtimoniis tam claram, ac tritam veritatem probemus. At magna tempore *S. Othiliæ* Canonicarum, monacharúmque diverſitas, quam ejus Biographus accuratè adductis verbis attingit: itáque non ſuis, ſed *S. Othiliæ* moribus deſcriptione aptatâ.

Quodſi ergò in his, pluribúſque aliis, imò alioquin omnibus Author priſtinis temporibus ſuam narrationem affigere conatus eſt, annè in hoc unico (ut vita Canonica cum dictis ambobus Authoribus S. Othiliæ, ejúſque conſortibus non ſine partium ſtudio abnegetur, & aſtruatur monachiſmus) infidelitatis damnabimus, & tam ſupinæ incuriæ?

Neque jam juvat ad Canonicarum inſtitutum ante Caroli ætatem nondum inventum recurrere, utpote dum id effugium jam alibi disjecimus. Nec denique ad regulam S. Benedicti, tunc in monte S. Othiliæ obſervatam; ſicut enim iſtud aſſerere cuíque liberum eſt, ſic aſſertum admittere noſtris fundamentis minimè adverſum. Quid námque intereſt ad inſtitutum Canonicum, has Othilianas Virgines illam regulam obſervâſſe, cùm Metenſibus Canonicis nè quidquam à Canonicatu genuino derogaverit regula Chrodegangi, Benedictinæ regulæ integra non raró capita complectens; neque enim regula obſervata *S. Benedicti* ex Canonico quemquam Benedictinum fecerat, ùt probavimus ex Arnonis Scriptoris undecimi ſæculi diſertis verbis; quamvis alioquin neutiquam affirmare valeamus, regulam Benedictinam ab *Othilia*, ejúſque ſequacibus fuiſſe receptam. Nam, ut id affirmemus, alia magis ponderoſa teſtimonia, quàm mox laudatorum ſcriptorum non ſuppetunt: Chroniſtæ etiam Senonenſis, utpote hominis tum poſterioris ævi, cum affectu non vacui authoritas, levioris eſt momenti; quàm ut perſuaderè poſſimus.

Non ergò injurii in ſacri Benedictini Ordinis Præcones geminos erimus, ſi *Othiliam* ſacram Virginem cum fundato à ſe Altitonenſi Cœ-

Cœnobio noſtris vindicemus, *noſtris* inquam; quippè, quòd *votivam negantibus* penè jam locus omnibus præcluſus ſit. Ex eo enim concertandi origo inter ſacros ordines ùt plurimùm emergit, quòd, cùm in quodam aut loco, aut homine votivam vitam certam babeamus, tum primum fluctuandi facultas exurgat, cui è votivis inſtitutis adſcribamus, quia ergò in *Othiliæ*, ejúſque cœnobio omnia religioſum inſtitutum viguiſſe comprobant, nempè ſocialis vita, cuſtodia clauſtri, rerum communitas, quidquid demum expeti poteſt ad perfectam neque dimidiatam Chriſti ſponſam ſtabiliendam, hanc cum ſodalibus ſuis tum Canonicam, tum votivam fuiſſe, quis dubitet?

Rexiſſe boc cœnobium dicitur *Othilia* ad annum uſque 720. à Mabillonio, quæ numerum ſuarum Virginum Vivens adhuc cernebat quaſi ad centum triginta excreviſſe; defunctæ autem Sacrum corpus ad altare *S. Joannis* tumulatum perhibetur. Succeſſère Abbatiſſæ aliquot virtutum *S. Othiliæ* præſtantes æmulæ, quales erant *Eugenia* & *Werentrudis Othiliæ* convictrices, poſt quas *Adala*, *Berta*, & *Odilia* ſecunda memorantur: *Bertæ* tempore *Leo* Papa Nonus Eccleſiam Altitonenſem conſecraverat, editâ à ſe confirmationis Bullâ, quam in Galliæ Chriſtianæ Inſtrumentis babemus. Factum id, ùt ex illa conjicimus, annô 1050. Bulla verò ſignata eſt XVI. Cal. Januarii - - - - annô Domini *Leonis* Noni Papæ ſecundo, Indictione quarta. Quæ notæ convenire nequeunt, cùm *Leo* creatus ſit Papa annô 1049. 12. Febr. hinc annus 2dus ſui Præſulatûs incipit annô 1050. dictæ diei menſis, cùm verò ſignatæ ſint XVI. Cal. Jan. patet præfatô annô id eſt 17. Decembr. Bullam extraditam fuiſſe, quo anno non erat indictio quarta, ſed tertia. Niſi dicas, Indictionem aſſumptam eſſe priſtinô Romanorum more à Cal. Septemb. quod intereà dimittimus.

In hac Bulla ne verbum de monachatu vel regula *S. Benedicti* exſtat, cœnobium iſtud tum afficiente, ùt legenti patebit. Hinc, ut quadantenùs Virgines Altitonenſes ſæculo undecimo ad monachiſmum arctentur, dicitur tempore Odiliæ ſecundæ, ſanctimonialibus ſucceſſiſſe Canonicas, aut potiùs illas in Canonicas degeneràſſe, retentâ nihilominus regulâ S. Benedicti. Multum aſſertor tali cautione profecerat, neglectâ ſcilicet, aut ignoratâ hujus degenerationis Epochâ, præcipuè cùm ſibi, *ſanctimonialium* diſcrimine ſemel poſito à *Canonicabus*, tunc Bullam Leonis (illam vocem ſæpiùs uſurpantis, *Canonicarum* nunquam) faciliùs pro monachiſmo evincendo ſervire nôſſet.

Verùm quemadmodùm ſanctimonialium (ſi de nomine quæramus) vocabulum Canonicabus potiùs, quàm monachabus proprium probavimus alibi, ſic languent omnia in adducto contextu aſſerta, ùt enim ab adverſa parte demonſtrari nunquam poterit *Sanctimoniales* diſtinctas à *Canonicabus* ſæculo undecimo fuiſſe, ſic deficient bene fundata argumenta, quæ fidem faciant regulæ S. Benedicti tunc adhuc retentæ. Certè primam, cujus mentionem in actis hujus Parthenonis reperimus, regulam babemus Auguſtinianam; cùm enim Relindis, ſeu Rechlindis è Cœnobio Bergenſi Diœceſis Eiſtettenſis ſub medium ſæculi duodecimi poſtulata collapſam diſciplinam reſtituiſſet, prout id conſtituiſſe, atque curâſſe *Fridericum* Barbaroſſam (qui ab annô 1152. imperii habenas adeptus eſt) Bruſchius narrat, non videtur ad aliam, niſi hanc regulam reformationem ordinâſſe; ſic comprobante

bante *Lucii* Papæ tertii Bullâ datâ ejuſdem Richlindis confectatrici Herrardi annô 1185. in qua hæc diſerta verba: *Audientiæ noſtræ veridicâ aſſertione relatum eſt, qualiter Fridericus Dux Pater Friderici Imperatoris, Eccleſiam, quæ dicitur* **Hochenburg** *in honore S. Dei Genitricis Mariæ fundatam, in qua requieſcit corpus S. Odiliæ Virginis per indiſcretam rerum invaſionem diſturbaverit, & uſq; ad tempus filii ſui Friderici Imperatoris penè deſtructam reliquerit, ipſe verò Fridericus Romanorum Imperator divinâ gratiâ inſtinctus pro tam miſerabili Patris delicto graviter doluit, & æterni Regis gratiam reconciliare volens, præfatam Eccleſiam conſilio ſpiritualium perſonarum reſtaurare elaboravit, & ſicut ab eis didicit, religioſam & idoneam perſonam, nomine Relint, eidem Eccleſiæ præfecit. Hæc enim dum regimen Eccleſiæ feliciter ſuſcepit, pro Dei amore deſtructa diligenter readificans, diſſipata ſtrenuè plantans, auxilio, & conſilio Burkardi Argentinenſis Epiſcopi, aliorúmque ſpiritualium, ipſam Eccleſiam ad honorem Dei prudenter, & honorificè reformavit, omnémque divinæ legis religionem, ac canonicæ diſciplinæ rigorem ſecundùm regulam B. Auguſtini inibi pleniter informavit &c.* Patet ergo primam, quam novimus regulam ex authenticis teſtimoniis ipſius ſummi oraculi *Auguſtinianam Canonicam* fuiſſe. Ut hinc mirari ſubeat, quomodo, cùm juxta Dionyſium Sammarthanum tempore Odiliæ ſecundæ degeneraverint ab inſtituto Benedictino ad Canonicum Altitoneníes Virgines recentâ tamen regulâ *S. Benedicti*, ubi poſtmodùm à Recblinde reformabantur, quomodo, inquam, hanc illa abjecerit, & Auguſtinianam induxerit, quin potiùs inſtitutum Benedictinum revocaret, animâ hujus, nempè regulâ *S. Benedicti* ſiquidem adhuc ibi vivente? præcipuè cùm Richlindis ipſa è cœnobio tunc Benedictino ejuſdem normæ regularis profeſſa credatur evocata. Verùm utut ſit, ideò pro Altitonenſibus nunquam ùt Benedictinis fidem præſtabo; nam quis facilè credat, cùm Richlindis aliquantis annis Bergenſi monaſterio laudabiliſſimè præſidens ad Altitonenſe transferretur, hanc diſciplinæ Benedictinæ Zeloſiſſimam Virginem admittere potuiſſe, ut regula *S. Benedicti* in Auguſtinianam mutaretur, & non magìs reſtitueretur in priſtinam formam? niſi deprehendiſſet Altitonenſes ſemper ex inſtituto ſuo fuiſſe Canonicas, ut adeò mallet ipſa è Benedictino ad Canonicum caſtrum tranſire, quàm antiquiſſimam inſtitutionem ad ſui privati affectûs commodum immutare.

Demùm cum ab annô 1539. ſenſim iterum deficeret Diſciplinæ non minùs, quàm temporalium rerum ſollicitudo, Virginibus quoque decedentibus, & Monaſterio iteratis vicibus conflagrante locus Præmonſtratenſibus ceſſit, qui jam ab annô 1178. aut ultra, iiſdem Divina miniſtrabant, ùt patet ex Charta *Friderici* Imperatoris 1183. conceſſâ: quamvìs aliquo tempore hoc proviſionis munus etiam Canonicis Regularibus Trudenhuſanis obtigerit, velut iterum ex citata *Lucii* Papæ Bulla docemur; ſive autem Præmonſtratenſes continuaverint illam in Divinis peragendis adminiſtrationem, ſeu Canonicis Trutenhuſanis ſupervenientibus, illi hanc ex parte compleverint, ſeu deníque omninò defierent, id certum, non diù poſt annum 1622. cùm Altitonum jam adò in cineres per Mansfeldicum exercitum redigeretur, & aliundè dudum ejus proventus Menſæ Epiſcopali Argentoratenſi uniti fuiſſent, Præmonſtratenſes præfatum locum obtinuiſſe, in quo hodiedum ſubſiſtunt.

Erat ibidem Monaſterium Virgi-

neum aliud, quod inferius dicebatur in honore S. *Martini* conſtructum (ùt refertur) à S. *Othilia*, haud dubiè ejuſdem Canonici, ùt ſuperius inſtituti: obtinuit id poſt Laudatam ſanctam proprias Abbatiſſas, quas perpaucas Buſchius recitat, deníque annô 1541. omninò ſolo æquatum fuiſſe univerſis provencibus ad Canonicos pariter Argentinenſes devolutis ſcribit Laquille.

Exiſtit quatuor milliaribus ab urbe Argentina. Buſchius Chron. f. 555. & ſeq. Mab. Annal. Bened. L. 15. n. 62. Brow. Annal. Trevir. L. 7. n. 194. Gall. Chr. tom. 5. col. 841. & ſeq. & in Inſtrum. col. 484. & ſeq.

Andernacenſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Prioratus.

Erat jam ab annis propè ducentis locus intrà Andernacenſia mænia Deo, Virginíque Matri dicatus, ſed adeò omni cultu, atque religione expers, ut in extremam ſolitudinem tam turpiter ſeu temporum, ſeu hominum injuriâ redacti vices immodicè doleret vir quidam terræ illius, illuſtris, ac opulentus *Lupoldus* nomine. Hinc *Meginero* Trevirenſi Archi-Epiſcopo Auctor ſuppeditatis mediis exſtitit, ut tandem adeò dilapſam Eccleſiam in novum Parthenonem erigeret, & ſacris Virginibûs Deo Angelica ſua miniſteria exhibituris animaret, has verò non niſi nobiles *Meginerus* aſſumi voluit, quas ipſe Canonicis legibus inſtituit ſecundùm dogma Magni *Auguſtini*.

Hinc ut tam pio propoſito adderet firmitatem, Abbatem Monaſterii Springerpacenſis per totum Rheni tractum, ob Diſciplinæ regularis immaculatam cuſtodiam celeberrimi, in auxilium vocans ex ſubjecto eidem Parthenone Virgines nactus eſt præſtanti religione non minùs, quàm ſanguine illuſtres. Inde Eccleſiâ ab eodem Archi-Epiſcopo cultui, ac honori intemeratæ Dei Genitricis dicatâ Kal. Auguſti annô 1129. totum Cœnobium dicto Abbati *Richardo* (quem ſolo audito nomine noviſſe eſt, de cujus præclariſſima converſatione nos pluribus inferiùs agemus) ſubjecit, Teuwidem autem Sororem ſuam nota virtute Virginem, nec minùs ſacrarum literarum peritiâ claram in Præpoſitam iisdem veſtalibus juſſit: deníque *Richardus* Iſibertum virum ſanctiſſimum eis ſui locò præfecit, qui, ùt moris eſt, curam earum in ſpiritualibus obſervaret. Tantâ verò ſanctitatis famâ excelluiſſe hunc virum innotuit, ut ad hodiernum diem opem cæleſtem ejus meritis præcipuè parentes in illis prolibus experiantur, quæ morbis banc ætatem afficientibus gravatæ ad ejus tumulum deferuntur.

Cœnobium iſtud hodiedum florere percepimus, quod tamen, an primævo decori (quem Heterodoxorum impietas penè ad ſupremam egeſtatem ſurripuit) reſtitutum ſit, necdum ſcimus: circâ annum 1660. compertum habetur, præcipuum ornatum Eccleſiæ (quô abundabat) Colonienſis belli injuriâ deſideratum fuiſſe. In Veſtibulo bujusimago Virginis glorioſæ conſpicitur, ad cujus latus unum Iſebertus genuflexus cum inſcriptione: *Aſpice me gratis, rogo te, flos Virginitatis*, ad alterum provoluta Tenwidis. cum Epigraphe.

Tenvvidis veniam petit hic proſtrata Mariam.

Exiſtit Andernaci in urbe. Brow. Annal. Trevit. L. 13. N. 93.

Apolloniæ vulgò in Momersloch. Virginum Canonicarum Prioratus.

Hunc Parthenonem Gelenius ait annô 1476. fuiſſe fundatum, meminit quoque ejuſdem Miræus. Hoc ſacrum Gynecæum florere intelleximus. Fundatorem ejus fuiſſe *Hartenfauſtium* unum

unum ex quemdecim familiis Nobilium Colonienſium Scabinorum, qui domum ſuam utcúnque dotatam his Virginibus ſub Regula S. *Auguſtini* Chriſto militantibus dedit, Winhemius ſcribit. Nobis reliqua incomperta.

Exiſtit in Urbe Colonienſi in Momersloch. Gelen. citat. Miræus. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 93. ſacr. Agrip. p. 281.

Arbogaſti, aliàs quoque S. Michaëlis Abbatia.

Vetuſtiſſimæ hujus Cœnobii Origines ipſi S. *Arbogaſto* Epiſcopo Argentoratenſi in acceptis referuntur, utpote qui non lapides, ſtructurámque primus poſuit, ſed ipſe lapis fundamentalis, ut ita dicam, factus eſt, ſuper quem nobiliſſimè ædes hæc ſacra poſita ſpirituali, temporalíque emolumento dives ſurrexit. Vir enim ſanctiſſimus, & profundiſſimæ humilitati addictus, cùm annó 671. juxta Bollandiſtas animam Deo redderet, teſtamento cavit, ut ſuum Corpus non alio in loco, niſi in colle S. *Michaëlis*, qui tum temporis patibulò malefactorum infamis fuerat, ſepeliretur. Obtemperantes igitur Teſtamenti executores, ſui ſancti Epiſcopi funere locum illum honeſtârunt, inde pluribus prodigiis Deo ſanctum ſuum ibidem mirificante, ſacra lipſana ſolenni ritu elevata ſunt, móxque in eodem loco Cœnobium pro viris religioſis conſtructum, parte ſacrarum reliquiarum huic aſceterio relictâ, parte autem ad Eccleſiam Collegiatam Suraburgenſem translatâ. Itáque in hoc loco infami *Arbogaſtus* ſua præſentia corporali Author exſtruendo monaſterio, totíque colli poſtbac ſanctificando occaſio fuit.

Verùm, quo demum tempore id factum, nulla documenta oſtendunt; id tamen certum, *Hezelum* & *Burchardum* Epiſcopos Argentoratenſes illum 43tium, hunc quinquageſimum tertium an. 1143. Eccleſiam hanc cum cœnobio reſtaurâſſe, qui Regularem *S. Auguſtini* normam obſervare jubebantur: profectò *Burchardi* litteræ initiatos ibi Canonicos iſtos quidem memorant, verùm clericalem communem & votivam vitam jam ab *Hezelo* inductam fuiſſe & ipſæ oſtendunt: hinc probabilius eſt ſæculi undecimi medio, quo *Hezelius* præfuit, Canonicos votivos inſtitutos, & per *Burchardum* (cùm intereà in mores ſæculares iidem Canonici declinâſſent) reſtitutos, & ob inductam Regulam *S. Auguſtini* ſuò modò initiatos eſſe. Sic verò in dictis litteris piiſſimus hic Innovator: *Ad honorem*, inquit, *Summi Regis, totius boni fontis, ortûs, & finis ego Burchardus, ipſius gratiâ S. Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopus tum præſentis, quàm futuri temporis fidelibus innoteſcere diſpoſui, qualiter in Eccleſia Beatiſſimi Pontificis Arbogaſti præfatæ civitati contigua, Canonicæ vitæ religionem ſecundùm regulam & auctoritatem Magiſtri Doctoris Auguſtini præcedente, & ſubſequente nos juvamine S. Spiritus initiaverimus. S. Memoriæ Heſel Epiſcopus, qui me non parvo tempore in Epiſcopatu præceſſerat, inſtinctu Divino ſucceuſus, quin & ipſo B. Arbogaſto, ſeu Veridico majorum relatu cognovimus, revelante, ſecum diu cæpit tractare, quomodo locum illum, in quo nunc Eccleſia memorati S Præſulis honori dicata cernitur, continuò famulatu Dei decorare potuiſſet, noverat etiam ſine cauſa non fuiſſe, ſanctum Arbogaſtum quondam ſacratis orationibus ſuis ſpecialiter ipſum locum delegiſſe; cujus ſanctitatis excellentia ne poſteros omninò lateret, miranda Dei virtute aliquando abſente navigio præmiſſo S. Crucis ſignaculo, flumen præterfluens ſicco tranſiit veſtigio: convocato ergo Seniorum Conſilio, tam Clericorum, quàm Laicorum, quod jam diù mente conceperat, coram omnibus exponebat, ut videlicet; quod ſolus minimè præſumeret,*

ret, ipſorum conſenſu, & favore perficere valeret: quod cùm omnibus placeret, omnes una voce fieri perficique concorditer acclamârunt. Præſul venerandus locum cum primoribus adiit, Eccleſiæ parietes ampliavit, & prudenti uſus Conſilio nonam partem omnium redditnum Epiſcopatûs totius eidem Eccleſiæ mancipari perpetuò decrevit, accerſitis itàque Religioſis Perſonis die, noctúque divinis laudibus in eadem Eccleſia vacare intendentibus, magnum civibus gaudium, multóque majus apud omnipotentem Deum ſibimet providit hujusmndi ſtudio præmium: poſtmodum verò ſeu ſubſequentium negligentia Præſulum, ſeu peccatis exigentibus hominum, paulatim religio Divini cultûs inibi adeò atepuit & defecit, ut quod pridem ſanctè ac religioſè viventes juſtè poſſederant, è converſo minùs animarum ſuarum ſaluti proſpicientes illicitè ſibimet uſurparent, & quod vitæ communis profeſſoribus præfatus Epiſcoous conſtituerat, in ſæcularium Clericorum partiretur octo præbendas. Cùmque non modico tempore tam miſerandæ permutationis diſpendia vigerent, accidit, non ùt æſtimo, caſu, ſed Dei nutupro velle ſuo diſponentis omnia, majoris Domus Decanum virum admodum religioſum nomine Carolum, ejuſdem Eccleſiæ fieri Præpoſitum, qui ſcilicet, ut religionis amator, conſiderans, imò valde perhorrens eundem locum, ùt dixi, communi vitæ deputatum, à non ejuſdem vitæ dilectoribus occupatum, frequenter me familiariùs adiit, & ut antiquo ſtatui, noſtrô Conſilio & Auxilio revocaretur, devotiſſimè flagitavit; cujus bonæ voluntati paterna congratulans affectu ſæpius inter nos aſcitis quibuſdam Perſonis Deum timentibus, ſcilicèt Adesgoto domûs Præpoſito, Gotfrido Decano, Henrico Archidiacono, Petro Canonico, Erlevvino civitatis Presbytero, conferre ſtuduimus, quatenùs hujus intentionis deſiderium ſtabilem conſequeretur effectum. Conſuluimus itaq; ut Clericos Eccleſiam quoquomodo poſſidentes] aliquatenùs, ſalvâ populorum pace, religionem renovatam quiete ſummoverimus; quapropter ſecretiùs prænominatis perſonis aſtantibus, eoſdem clericos conveniens, ac modo per neglectum ſervitutis quotidianæ tantis ſanctorum reliquiis impendendæ juſti judicii intentans eis offenſam, modò retributionis æternæ præmia conſecuturos promittens, ſi devotionis noſtræ propoſito non obſiſterent, annuente ſuperna pietate, tanto compendioſiùs eorum animos ad conſentiendum nobis inclinavimus, quantò privatis irretiti negotiis, & ipſius loci tenuitate, cauſari videbantur. Ut autem præſentibus & futuris omnibus pateret, quæ præfatus vir nobilis, & Religioſus Carolus intentione his conatibus inſudaverit, repente miſericordia Dei diſpenſatione, divitiis & honoribus ſæculi nobis ſtupentibus, & de ejus abſentia non modicè dolentibus renuntiavit, coadunatiſq; pauperibus Chriſti regulam B. Auguſtini profiteri ſpontè volentibus, nudus nudam crucem ſequi deliberavit, ſicq; in B. Arbogaſti Eccleſia perpetuò ſe manſurum obtulit &c. Hæc *Burchardus:* Ex quibus diſcimus jam centum propè annos ante *Burchardum* vitam communem, nec eam, qualemcúnque, ſed quæ communitatem rerum complectebatur, in hac Eccleſia per *Hezelum* fuiſſe ordinatam, ac inſtitutam, eámque Clericos inter, non Monachos, hinc in *Hezelo* Sammarthani, *dicitur*, inquiunt: *& Abbatiam S. Arbogaſti Canonicorum Regularium ædificâſſe.* Quamvìs ex allegatis *Burchardi* literis certiùs ſit *Hezelum* Eccleſiam jam diù anteà conditam ampliâſſe, ut igitur *Burchardus*, ſecundus ab *Hezelo* hujus Monaſterii reſtitutor videatur; quòd fortaſſe jam longis ante *Hezelum* temporibus exſtiterit, clerúmque continuerit votivum: cùm verò certum nil reperiamus ante *Hezeli* tempora, hinc viro iſti de inſtituta Diſciplina Regulari optimè merito ſine invidia, ac jure

pri-

primas deferre poterimus, exin verò *Burchardo*, ſub quo *Carolum* majoris domûs Decanum, & dein S. *Arbogaſti* Præpoſitum mirâ Dei dexterâ tantum virum immutante, Regulam S. *Auguſtini* amplexari, & clerum ſibi commiſſum hac norma inſtituere, ex iiſdem litteris habemus. Porrò an *Carolus* primus exſtiterit ſecundæ hujus reformationis inductæ Præpoſitus vel Abbas, mihi incompertum; Sammarthani eundem diſertis verbis primum fuiſſe Præpoſitum affirmant.

Novam ruinam, ac eclipſim paſſam hanc Eccleſiam ſæculo ſubſequenti fuiſſe, id eſt, annis non omninò ſeptuaginta poſt *Burchardum*, innuit nobis charta *Henrici* 2di Epiſcopi Argentoratenſis quinquageſimi ſecundi. Hanc enim divulgari ideò voluit, ut quoſque fideles moveret, allicerétque ad reparationem Eccleſiæ S. *Arbogaſti* miſerè devaſtatæ ab exercitu Philippi Regis, qui *Ottonis* Imperatoris æmulus Germaniam dirè divexabat, ut alibi pluribus docebimus. Certè annô 1218. hæc Abbatia adeò priori à *Burchardo* inductæ reſtaurationi diſſimilis erat, ut tanquam jam obſoleta in ſuis cineribus haberetur. *Eccleſia*, inquit, *Henricus*, *S. Arbogaſti in ſuburbio Argentinenſi conſtituta primitùs, voluntate Dei, & antiquitate collapſa, poſtmodum verò ab exercitu Domini Philippi Regis, tempore, quo Argentinum poſſederat, funditùs intus & extra deſtructa, ſicut adhuc ejuſdem devaſtationis ſuperſunt veſtigia; eleemoſynarum veſtrarum, & aliorum ſimul bonorum hominum ſtipendiis cooperantibus, quaſi de novo conſtat integraliter reædificanda.* Hic verò *Henricus* ſe omninò munificum reſtaurationi Arbogaſtini Cœnobii præbuit; nam ut idem dotaret firmiùs, nè inopiæ causâ iterum in priſtinum exitium dilaberetur, nonam partem fructuum de curtibus Diæceſis, quam olim Hezelus tribuerat, de novo contulit. Ideòque meritò inter præcipuos benefactores recolendus.

Cœterùm hæc Eccleſia, quam Sammarthani in Hezelo, ſeu Hezelino Abbatiam nuncupant, tempore Lutheranæ his in partibus furentis hæreſis iterum deſtructa eſt, & in tabernam converſa. Sic nos Archivum Argentinenſis urbis docet in quo (præter alia non contemnenda M. SS.) monumenta Argentinenſia inticulata à Joanne Pappo Lutheri ſectario concinnata hæc habent vernaculè, quæ nos ſic latinè accurratè damus: *Annô 1530. die Lunæ 19. Decembris curabat hæc urbs iſtud Monaſterium (ad S. Arbogaſtum ante turrim albam) ad ſolum uſque deſtrui, ſed hoſpitium relinqui.* Utque hæreticorum abominatio ampliùs pateret, ipſam marmoream urnam, quæ ſacra oſſa D. *Arbogaſti* continebat, iis disjectis, in trullam ſidem pecnariam commutârunt. Deteriores certè ipſis Ethnicis, qui longè Religioſiùs ſuorum benefactorum, ſeu cadavera, ſeu urnas tractârunt.

Exſtitit media leuca diſſitum à civitate Argentinenſi Monaſterium. Gallia Chriſt. tom. 5. pag. 778. & col. 781. 794. 799. & inſt. col. 481. act. SS. die 21. Julii in vita S. Arbogaſti. Albertus Argentin. in Chron. ad an. 1374. edit. Urſtiſii. Jac. Wimphelinus. de Epiſc. Argent. p. 10. Franciſc. Guilleman. in Catal. Epiſ. Arg. p. 87. Jodocus Coccejus S.J. in Dagoberto Cap. 15. p. 136.

Argentoratenſis Cathed. S. Mariæ ab antiquo dicata Originem ſuam à S. *Materno* obtinuiſſe traditur, fortaſsè veriùs à S. *Amando*, non illô Trajectenſium Epiſcopo, ſeculô ſeptimô florente, ſed alterô, iſtóque longè ſeniore, utpote qui annô 346. ſynodo Colonienſi præſens condemnationi, ac depoſitioni Euphratæ Colonienſis Epiſcopi ſubſcripſerat, prout id Hen-

Henſchenius deducit. Nos de Origine hujus vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, documentis usque dum deficientibus, nihil reſolvimus, ſatius tamen facturi, ſi adhæreamus aſſerentibus, D. *Amandum* primum Argentiuenſium Epiſcopum fuiſſe, qui hanc Eccleſiam (etſi antea conditam) Cathedralem effecerit inductis eò Clericis Apoſtolicé viventibus; ad quod eadem, quæ pro aliis Cathedralibus Eccleſiis antiquitùs hac normâ vivendi inſtructis argumenta perſuadent. Néque hìc prætereundem, regularitatem (ab antiquiſſimis temporibus hìc vigentem) ſublatam fuiſſe per Wilhelmum primum ad an. 1041. ſic me docuit vir quidam clariſſimus, quô verò argumentô (& præcipuè, quòd exoſam ſibi habens Willhelmus regularitatem, Sæculares effecerit Canonicos ſuos) mihi omninò ignotum; certè Wippo Conradi Salici Biographus potiùs oſtendit, Willhelmum vitæ Regularis amantem, quod comprobatur ex reſtaurato per eum *S. Thomæ* monaſterio, de quo videndus Urſtiſius. Quamvis enim Schadæus ad annum 1031. ſcribat ſequentia vernaculo idiomate: *annô* 1031. hat Biſchoff *Willhelm* aus denen *Canonicis Regularibus* im Münſter (*intellige Eccleſiam Cathedralem*) weltliche Dom-Herrn gemacht/ Herr Carl der Dom-Dechant, und Herr Eberhard der *Scholaſter* übergaben das Stüfft/ und baueten ein anders *S. Arbogaſt* an der Ill, worin ſie ihren Orden nachlebeten. Habemus tamen ex litteris *Burchardi* Epiſcopi mox antea in deſcriptione Collegii Arbogaſtini relatis Carolum repentè, & quidem, ſtupente ipſo *Burchardo* talem immutationem, divitiis & honoribus ſæculi renuntiâſſe, & nudam crucem nudum ſequi deliberâſſe. Litteræ *Burchardi* ſignatæ ſunt 1143. ipse verò Epiſcopatum obtinuiſſe dignoſcitur annô 1142. cùm Willhelmus obièrit annô 1047. adeóque penè centum annis minùs quatuor ante *Burchardum*. Non ergò credibile, *Carolum* ſub Wilhelmo ex Decano majoris Eccleſiæ factum fuiſſe Præpoſitum S. *Arbogaſti*; itáque aut calami errore, aut vetuſti Epiſcoporum Argentoratenſium Catalogi confuſione deceptus Schadæus ſub Willelmo Carolum Decanum *S. Arbogaſti* Monaſterium condidiſſe, ſeu potiùs reparâſſe dixit. Quodſi enim *Burchardi* litteræ falſæ argui non poſſunt, certè ſtabit, *Carolum* ſub *Burchardo* Præpoſitum ad S. *Arbogaſti* fuiſſe, id eſt annô 1143. tempore nimirum conditarum litterarum; at ſi Carolus ſub Willelmo ad S. *Arbogaſti* tranſiit, id eſt, ſaltem annô 1047. ſequeretur eundem 96. annis, & ultra (nam quamdiu poſt reparatum per Burchardum annô 1143. Arbogaſtinum Collegium vixerit incompertum eſt) præfuiſſe, quod profectò imperceptibile; hinc non minùs oſcitâſſe Sammarthanos cum noviſſimo Galliæ Chriſt. Editore deprehendimus ſic ſcribentes in Decanis Argentoratenſibus. *Carolus Decanus temporè Werneri ſecundi Epiſcopi annô circiter* 1005. *reſtituit monaſterium S. Arbogaſti pro Canonicis Regularibus, cujus fuit primus Præpoſitus. Eò videlicet poſt Capituli regularem ſtatum mutatum in ſecularem convenerunt Canonici, qui arctiorem vitam laxiori præferebant.* Non enim ſub *Wernero* qui annô 1079. obiit, ſed ſexaginta annis poſt Werneri interitum Carolus cum Canonicis arctiorem vitam laxiori præferentibus ad S. Arbogaſti digreſſus eſt, quodſi ſub Wernero hanc Arbogaſtinam reparationem inſtituiſſet, ineptiſſimè diceret Burchardus, quòd Carolus ipſum frequenter familiariùs adiit, & ut antiquo ſtatui (nimirum per Hezelinum inducto) *noſtro*, inquit idem, *Conſilio & Auxilio revocaretur, devotiſſimè flagita-*

gita-

gitavit &c. Combinatis igitur, quæ ad ordinatam chronotaxim expetuntur, dicendum erit, néque Schadæum, néque Sammarthanos erràſſe, cùm dicerent, Carolum cum quibuſdam Canonicis ad S. Arbogaſti, dimiſſam Diſciplinam Regularem in Cathedrali, ſtabiliviſſe: id enim gemini ſcriptores optimè aſſeverant: in hoc tamen corrigendi tam Schadæus, qui hanc à *Carolo* Decano translationem aſc factam ſub *Willelmo*, quàm Sammarthani, qui ſub *Wernero*; ſtatuendúmque, Capituli quidem regularem ſtatum imminutum fuiſſe plurimùm ſub *Wernero* (quem fortè ſcribere voluit Willelmi locò Schadæus) utpotè viro primis regiminis annis *indigni Decorem ſui Ordinis habente*, ùt ſcribit Gregor. VII. in Ep. 77. L. 1. ad Beatricem & ejus Filiam Mathildem. Tum enim Simoniaca labe paſſim maculante viros Eccleſiaſticos etiam Argentinenſe Capitulum vehementer quoad regularem vitam peſſumdari potuit, intruſò proprietatis, ac rerum ſingulariter poſſidendarum præjudiciò. An verò Carolus tum Decanus fuerit Capituli Metropolitani, ùt volunt Sammarthani, vehementer ambigo, quamvis non ſuppetant documenta, ut negem omninò: fidem tamen, ut iis adſtruam, attenuant rationes in contrarium, quarum præcipua, quam ſupra tetigimus: percipi vix poſſe, Carolum tanto tempore Decanum Cathedralem, ſeu etiam inde Præpoſitum S. *Arbogaſti* fuiſſe. Etſi enim hanc mutationem affigamus ultimo anno regiminis *Werneri*, id eſt 1079. certè jam antea aliquamdiu Carolus Decanus fuerit Cathedralis, ad annum nimirum circiter juxta Sammarthanos 1065. computato igitur intermedio labente tempore adhuc evenient anni Decanatûs, & Præpoſituræ uſque ad reparationem ſub *Burchardo* annò 1143. circiter 78. adde, quòd Decani tum temporis aſſumerentur ùt plurimùm viri grandævi & ætate maturi: quod ſi in Carolo admittatur; eidem tanta annorum ſeries ſine ulla documentorum opitulatione affingenda erit, quanta vix prudenter admitti poterit, præcipuè Chartâ *Burchardi* huic aſſertioni reclamante. Carolum igitur non à *Wernero*, ſed à *Gebhardo* 52do Epiſcopo ab anno 1131. circiter ad uſque 1142. præſidente exiſtimarem ad Præpoſituram S. *Arbogaſti* promotum, idque circà finem regiminis Gebhardi. Nam Carolum admodùm religionis Amatorem ex Burchardo diſcimus, ex Sammarthanis & Schadæo autem vitæ regulari addictum in Eccleſia Cathedrali, tum fortaſſe penitùs ſucciſæ, cum hæc ſecundò circà annum 1142. in cinere redacta facillimè illam dimiſerit, præcipuè Canonicis tum aliundè laxiora ſequentibus, ùt in hiſtoria hujus Eccleſiæ ad hæc tempora aliquando docebimus.

Itáque factum, ut excuſſâ regularitate in dicta Matrice Carolus reducere illam ad S. *Arbogaſti* tam laborioſè contenderit, quemadmodum *Burchardus* in ſuis litteris collaudat, atque hinc Schadæi & Sammarthanorum, ſi Chronicos notas corrigas, ſic conciliabis aſſerta, ut dicas regularem Diſciplinam in primæva Eccleſia circà ſæculum undecimum quidem vacillàſſe, defeciſſe autem ſub *Gebhardo*; hinc Carolum faſtidientem abundantiam terrenarum rerum, ipſámque relaxationem toto niſu ſibi fortè occurrentem, ſtupente ipſo *Burchardo* divitiis ſæculi, & honoribus ſe ſubtraxiſſe, non, quòd illas jam tanquam à voto expropriationis liber poſſideret, ſed quòd habere, relaxatus, ſi vellet, poſſet. Atque huic ſibi impendenti libertati tam mirè renuntiaverat, ut complures Cathedrales cum gaudio ſubſcriberent. Collecti proin-

de, ac coadunati pauperes Chriſti, id eſt, Canonici quidam adhuc ex Cathedralibus viam arctiorem præeligentes ad S. *Arbogaſti* ſuam vitam regularem ſub regula S. *Auguſtini* firmârunt, quam fortè in Cathedrali ſolùm ſub Aquisgranenſi hactenùs coluerant.

Igitur dum apud Schadæum *Wilhelmi* locò *Wernerum* ponimus, per ſæcularitatem ab eo aſſertam intelligenda erit magna relaxatio, ob quam pariter nonnunquam ipſi Monachi dicti ſunt ſæculares, quamvis adhuc votivi eſſent, ùt ex noſtra exegeſi ſupponimus. Eadem tamen ſæcularitas tunc dicenda erit plenè introducta, cùm *Carolus* non ſub *Wernero* (ùt volunt Sammarthani) annô 1065 ſed ſub *Gebhardo*, ac paulò poſt ſub *Burchardo* deficientibus abiunde clauſtralibus per devaſtantem flammam habitaculis, illi qui regularitatem noluerant, proprietate ſibi vendicatâ, propria quoque domicilia comparârunt, *Carolus* verò aliique arctioris Diſciplinæ fautores Canonici ad S. *Arbogaſti* transmigrârunt. Porrò Argentoratenſem hanc Eccleſiam multis præclaris viris effulſiſſe compertum eſt, iisque tum Epiſcopis, tum Canonicis, præcipuè ad ſæculum uſque undecimum, quo demum injuriâ temporum, ac peſſimorum morum ſenſim & ipſa in ſuis maculari cæpit, de quibus occurrentibus viciſſitudinibus, quia in opere ordinatè, ac chronicè loquemur, iſthic ſuperſedere iiſdem conſultius ducimus.

Exiſtit in ipſa Metropoli Argentorato. Gall. Chr. tom. 5. col. 775. & 778. & 827. &c. Schad. in deſcript. ſummi temp. Argent. f. 52. acta SS. tom. 1. Feb. f. 828. col. 2. & ſeq.

Aulæ Viridis; Abbatia olim Canonicorum Regularium ut teſtantur ſcriptores mox citandi: qui pariter dicunt eandem à *Wernhero* Mareſchallo Hunnenburgenſi fundatum fuiſſe 1233. ſub *Lamberto* verò Epiſcopo Argentinenſi annô 1371. dimiſſis, aut ſponte fortè cedentibus prioribus poſſeſſoribus ſucceſſiſſe Melitenſes, qui uſque dum ejuſdem Cœnobii inhabitatores exiſtunt.

Sita eſt in eadem Metropoli. Bernardus Herzog: Chron. Alſat. L. 4. f. 99. Winpfelingus in Catal. Epiſc. Argent. f. 55.

S. Bartholomæi Præpoſitura. Aliàs Monaſterium ad Martyres: fundatur annô 1180. à *Philippo* Colonienſi Archiepiſcopo, prout ipſe in litteris ſuis teſtatur inquiens ſe *in eodem Clericos Regulares ſecundùm regulam Auguſtini collocâſſe, præficiendo eisdem Conradum boni teſtimonii virum, tam in regula quàm in conſuetudinibus, Marbaiſii Monaſterii, unde miſſus erat exercitatum*, Marbaiſium Marbacenſe eſt Cœnobium: de quo in Litera M. diſcurremus. Perſtitit autem hæc, de qua loquimur S. *Bartholomæi* Præpoſitura in regulari Diſciplina aliquanto tempore, cùm demum laxatâ illâ Canonici ſub Sigfrido Archi-Epiſcopo locum juſſi ſunt cedere Ciſtercienſis inſtituti Virginibus. Hoc Cœnobium certum eſt prima fundationis bona amiſiſſe, cùm ad fundum usque annô 1474. demoliretur, belli Noveſienſis occaſione, crediderâm illud recentioribus temporibus è cineribus ſuſcitatum Clericis ſæcularibus fuiſſe conceſſum, inde & hanc Præpoſituram *Sæcularem* notavimus, ſie nupernis relationibus edocti, verùm an non potiùs (monialibus dictô annô 1474. in urbem ad S. *Apri* translatis, unicîsque univerſis S. *Bartholomæi* proventibus) uſque nunc hæc Præpoſitura deleta jaceat, certiora nôſſe exſpectamus. *Fund. an. 1180. ſæcul.*

Exiſtit extra muros urbis Colomenſis. Gall. Chr. t. 3. col. 797. Docum. commun.

Blin-

Fund. ... Ord. S. Bened.

Blindenſtadenſe S. Ferrutii Præpoſitura. Hujus cœnobii provetuſti exordium, ſtatúmque quamvìs non ſit facile definire, conjecturis intereà utemur, donec certiora occurrant. Dicunt aliqui ejusdem Fundatorem *Carolum* Magnum exſtitiſſe, alii *S. Bonifacium*, alii ejus ſucceſſorem *S. Lullum*, alii deníque Sturmionem Abbatem Fuldenſem. Certè Meginhardus vitæ *S. Ferrutii* Encomiaſtes, & ſæculi, ùt videtur, noni ſcriptor dicti Cœnobii Authorem *S. Lullum* dicit: dum enim hujus S. Martyris reliquias ait usque ad *S. Lulli* tempora in Caſtello (Caſſel vulgariter dicto) urbe quieviſſe, de earum translatione differens, ſic proſequitur: *Hic* (*Lullus* nimirum) *Prædeceſſoris, atque Magiſtri ſui ſequax egregius, cùm per ſedis ſuæ diœceſim Eccleſias conſtrueret, monaſteria fundaret, regnúmque Francorum Chriſtianæ religionis cultu longè, latéque nobilitaret, reliquias S. Ferrutii in Lætantium locum* (nempe Bleidenſtatium, quod latinè lætantium locus vertitur, ùt notat Serarius) *transtulit, Deóque ſub Cœnobialis normæ diſciplina militantes adunarè curavit ſpiritu ferventes, ſpe gaudentes, idipſum invicem ſentientes, animas ſuas Caſtificantes, in obedientia Charitatis, in amore fraternitatis. Boni verò Paſtoris uſus providentia, fratribus ipſis, nè deficerent in mandatorum Domini via, victûs atq; veſtitûs ſufficientes redditus contradidit, ipſúmque locum, donec in corpore vixit ſumma devotione, pro ſancti reverentia coluit. Poſtquam autem ejus domus terreſtris habitationis hujus lutea ſoluta eſt, ut non manufactam, ſed æternam in cœlis inhabitaret, Pontificatûs illius pariter, & religionis ſucceſſores Richolfus, Haiſtolphus & Rabanus, eadem devotione locum ſanctum coluerunt, Eccleſiam amplificaverunt, tumbam ſanctarum exuviarum decenter compoſuerunt, pauperes Chriſti Sacris oſſibus excubantes humanitatis ſumma conſolatione faverunt.*

Apud Sur. die 28 Oct. in vita S. Effurtii.

Hæc Meginhardus: agit de hoc cœnobio vir clariſſimus Mabillonius ejúsque exordium anno 777. affigit, quo tempore, quemadmodum & *Lullus* ſedem Moguntinam Archiepiſcopus moderatus eſt, & *Carolus* Magnus Galliæ regno ſolus præſedit, facilè fides adhiberi poteſt, ab hoc Principe monaſterium Blindenſtatenſe conditum fuiſſe, *Lullum* verò iis rebus providiſſe, quæ cumprimis ad ſpiritualem ipſius ſtructuram expoſcebantur. Unde ſeu *Carolum* ſeu *Lullum* Fundatorem hoc modo dixeris, neutri injurius eris, at quô pactô hujus monaſterii fundator, aut *S. Bonifacius* dicatur, aut Abbas *S. Sturmio*, non eſt hujus loci diſceptare, neque multum noſtrarum partium intereſſe videtur, hac de re longiùs filum texere, præcipuè cum ipſum hoc cœnobium inter noſtra referre aliquamdiù ambigeremus, utpote nullis aliis, quàm quæ ex Meginhardo attulimus cauſis, & monitis ſeu Scriptis nobis communicatis (ſolùm Bleidenſtattenſis Præpoſituræ nomen referentibus) ſuffulti. Niſi itáque hoc in prodromo iis obtemperandum aliquomodo duxiſſemus, qui nobis communicandorum documentorum Authores fautoréſque fuerunt, certè Bleidenſtatenſem hanc Præpoſituram aliquot titulis perſuaſi noſtro catalogo nunquam inſeruiſſemus, quorum præcipuus eſt, ſi illud ab antiquo dicamus, & quidem *Lulli* tempore, Clericorum Regularium exſtitiſſe, præterquam quod genericè nimis Meginhardus de inſtituto loquatur, & alioquin nemo Authorum reperiatur illud clericale nominâſſe, inſuper tum ſemper Abbatiam non Præpoſituram audiviſſe. Quodſi verò tum noſtri inſtituti effectum hoc mona-

naſterium afferamus, cùm per *Alexandrum VI.* monachilis vita in Canonicam permutata eſt, habebimus ſanè omnia ſæculi decimi quinti hac de re exſtantia documenta adverſa, quæ dudum conclamant, exſtinctâ vitâ monaſticâ Benedictinâ illic Canonicos, non *Regulares*, ſed *ſæculares* ſub *Bertholdo* Archi-Epiſcopo Monachis nequiquam reclamantibus, fuiſſe inductos annô nimirum 1495. de quo videndus Serarius. Itáque ut patri utríque, id eſt, tum monenti de inferendo ſcriptis noſtris hoc monaſterio, tum elucidandæ veritati conſuleremus, iſtud quidem hic notare voluimus, at ob rationes adductas, niſi fundamenta pro eo potiora obtineamus, ipſo in opere liberè illud dimittemus.

Exſtitit duobus à Moguntia milliaribus. Serarius rer. Mogunt. Tom. 1. L. 4. in Lullo §. 5. & L. 5. in Bertholdo §. 10. Sur. die 28. Oct. in vita S. Ferrutii Gall. Chr. T. 5. col. 579. & ſeq. Mabill. ann. Ben. L. 24. n. 80. Docum. Commun.

Fund. ad initium iſti ſæculi Exſtinctum. Bonnenſe. Virginum Canonicarum Prioratus Windeſemenſis. Quem condidiſſe vir dives, & prudens dicitur Joannes Egghert Willhelmi Eggherdi Hollandiæ quondam Theſaurarii filius, ùt inquit Buſchius. Exſtitit hic duorum parthenonum fundator, *Gandavenſis* unius, & hujus, de quo loquimur, *Bonnenſis*, quos ambos *glorioſè* fundâſſe dicitur, id eſt, ùt intelligo, tam proſperè, ut diſciplinæ in iis proficientis ac præeminentis cauſa, utriúſque fundatio gloriæ ipſi præcipuæ cederet. Quô verò annô conſtructum ſit cœnobium iſtud, virginéſque inductæ, haud ſatis compertum eſt, fortè factum non diù ante conditum monaſterium in *Dumo* propè Endoviam, iſt eſt, ante annum 1420. quemadmodùm ex narratione Chroniſtæ Windeſemenſis colligi datur. Ex chronico Bodecenſi habemus hoc Gynæceum etiam dictum fuiſſe *vallem Angelorum.* Ibidem circà annum 1460. egregiam diſciplinæ regularis obſervantiam floruiſſe ex Browero colligimus, dum ait *Joannem* Bodenſem tum Trevirenſem Archiepiſcopum reformando Parthenoni *S. Agnetis*, ſeu Monti Angelorum Coloniam ex hac valle advocâſſe, præſtituta eis *Agnete Malenhemia* ſpectatæ religionis, ac pudicitiæ Virgine. Cæterùm quia nobis ex recentioribus documentis nulla hujus memoria notata fuit, credimus illud, velut pluribus aliis factum eſt, injuriâ ſeu temporum, ſeu morum periiſſe.

Exſtitit Bonnæ in urbe. Chron. Windeſ. L. 1. Cap. 42. Chron. Bod. in Catal. Mon. Wind. Brow. Annal. Trev. L. 19. n. 112.

Bubencapella. Virginum Prioratus. *Fund. ... Exſtinct.* Nihil de hoc nobis reliquum vetuſtas conceſſit, niſi quod Serarius memorat, Virgines has *D. Auguſtini* regulæ devinctas è clauſtro prædicto Bubencapella, annô 1495. ſub *Bertholdo* Archiepiſcopo in monaſterium *D. Petri* propè Crucenacum translatas ſub *Daniele* verò in exilium actas fidei cauſâ, demum Moguntiam divertentes immiſſas fuiſſe in *S. Agnetis* anteà Virginum Ciſtercienſium cœnobium, de quo conſule, quæ in hujus deſcriptione notavimus. Hoc Monaſterium penitus deſtructum jacet. Exſtitit Crucenaci in urbe. Serar. rer. Mogunt. T. 2. p. 876.

Cæciliæ. Virginum Abbatia. *Fund. ſæc. imo Floret,* Ut de hoc percelebri Parthenone dilucidè agamus, neceſſarium erit, primò ejus certam fundationis Epocham, quæque illam conſequuntur, ſtatuere, exinde inſtituti ad hæc uſque tempora accuratiùs perquirere rationem.

Eccleſiam itáque ſi qualitercúnque conſideremus, ea eſt antiquiſſima, teſte enim Gelenio primitùs

tùs ipſa cathedralis erat, à *S. Materno* annò 94. fundata (de quo non multùm diſcepto)

Honorem Cathedralis. (ùt idem Gelenius ſcribit) retinuit uſque ad tempora *Caroli* Magni & *B. Hildebaldi* Archiepiſcopi, qui novam cathedralem ædificavit *in antiquo aquarum Caſtello.* Atque tunc, id eſt, annò 888. cùm nova Cathedralis *S. Petro* ſacra decerneretur, altera ſub novo Patrocinio SS. ſcilicet *Eugeniæ & Cæciliæ* nuncupationem obtinuit, antea Beatæ Virgini, eidémque *D. Petro* dicata, non verò à ſui origine *S. Cæciliæ*, ut in hoc templo legi obſervavit Winheimius, neque enim eodem hoc ſcriptore idipſum notante *S. Maternus* templum dicare valuiſſet ſanctæ, quæ nec in rerum natura tum adhuc exſtiterat, ùt per ſe clarum. At an per *Hildebaldum*, an per *Willibertum* (quem denominat dictus Winheimius, dicitque 22dum Epiſcopum Colonienſem, & eidem quoad fundatoris titulum adhæret Dionyſius Sammarthanus 29numEpiſcopum conſtituens)ampliori indagine opus eſt, quod mox oſtendemus; id extrà dubium, tum aliud Patronorum nomen huic templo acceſſiſſe, cùm cathedralis eſſe defineret, ac quaſi novam ſui formam indueret, quia verò Epocham hujus ſeparare non licet ab origine inſtituti Sacri eodem ipſo tempore huc inducti, hinc ad ſecundam partem digrediendum. Pro qua

Noto ex inferiùs dicendis, ubi de Cathedrali Colonienſi agemus, appariturum, huic Eccleſiæ jam antiquitùs adjunctum fuiſſe quoddam clauſtrum, in quo Clerici Divina operantes morabantur, at cùm nova Cathedralis erigeretur, tum de aliis ſacris incolis fuiſſe cogitatum, Virginésque ſacras inibi inſtitutas, ex eodem Winhemio docemur, idque *Williberto* adnitente. Gelenius *Hildebaldum* nominat, qui juxtà veriorem Epiſcoporum Colonienſium Chronologiam, ùt ex Sammarthanis conſtat, fuerat Epiſcopus 24tus, & præſederat poſt deceſſum *Ricolfi*, uſque ad an. 818. verùm *Willibertus* 29nus ponitur Epiſcopus, & præfuiſſe notatur poſt *Hilduinum* aut *Hugonis* ceſſionem ab annò 869. ad annum 890. ex quo conficiendum opinor, à Gelenio non *Hildebaldum*, ſed *Willibertum* fuiſſe ſtatuendum, neque id in Gelenio omninò ſincerum, dum dicitur Cathedralis honorem hinc, de qua loquimur, Eccleſiam retinuiſſe uſque ad tempora *Caroli* Magni & *B. Hildebaldi* Archiepiſcopi. Certè *Carolus* Magnus tempora quidem *Hildebaldi*, ſed neutiquam annum 888. attigit, quo anno *Willibertus* non *Hildebaldus* Colonienſem Cathedram tenuit, & Romanum Imperium *Carolus* Craſſus, & *Arnulphus:* neque dicendum Sphalma irrepſiſſe in numerum chronologicum 888. legendúmque eſſe 818. Certum enim annò 818. de inſtituendo, in Eccleſia hac, Parthenone nè quidem fortaſſe cogitatum fuiſſe, utpote quòd Mabillonius ex actis Concilii Colonienſis ſub *Williberto*, non *Hildebaldo* celebrati disertè ſcribat, in eodem fundationem Parthenonis Aſindenſis (id eſt S. Cæciliæ) confirmatam fuiſſe. *Quem idem* (verba ſunt Mabillonii) *Willibertus eo in loco, ubi primitùs Metropolitica Eccleſia ſub titulo S. Mariæ & S. Petri erat, ſub patrocinio S. Cæciliæ exſtructum dedicavit, & collegiò Virginum honoravit.* Et quamvis Winhemius fluctuet ex Theodori Phrearæi authoritate aſſerere, quo præcisè tempore hæc Parthenonis inſtitutio facta ſit, hæret tamen ſolùm in *Williberto* & *Brunone* ſucceſſore, neutiquam in *Hildebaldo.* Igitur nobis certum eſt, Parthenonem circà annum 872. aut 873. fuiſſe in hac Eccleſia conſtitutum, id eſt, ante

ante Concilium Colonienſe, *Williberto* tamen jam Archipræſule Coloniæ præſidente, adeóque non ante annum 870. cui Flodoardus electionem *Williberti* alligat, ùt ex ejus verbis ad hunc annum exaratis conſtat: *Luitbertus*, inquit: *Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus cum quibusdam ſuffraganeis ſuis profectus Coloniam, Willibertum Presbyterum juſſu Ludovici Regis, & totius Cleri, & populi electione, etiam Carolo Calvo nolente, in locum Gunthariì ordinavit Epiſcopum.* Quòd verò potiùs anno 872. tribuamus hanc fundationem, quàm præcurrentibus duobus, ratio eſt inquieta illa his temporibus poſſeſſio *Williberti*, utpote quod electionem *Hadrianus* Papa confirmare renuerit, *Gunthario* (non approbante ſummo Præſule) exauctorato adhuc vivente, & turmas ſciente apud ſummum Pontificem, quod colligi datur ex laudati *Hadriani* literis, in quibus ait: *Se Gunthariì dudum Archiepiſcopi cauſam (antequam in locum illius ſubſtitueretur Epiſcopus) iterum auditurum, & vocem ejus admiſſurum fore, ſpopondiſſe.* Hincque ſubnectit, ſe quoque præfatam ordinationem ipſius *Williberti* nec confirmare, nec ratam habere, quoúsque utráque pars, (id eſt, tam *Guntharius* quàm *Willibertus*) coram ipſo diſcutiatur, & Conventus ſynodalis perpendatur. Quod ſanè quemadmodùm facilè per annum ſaltem primum *Williberti* electi ſe extenderit, ſic tum vix, ac ne vix eidem otium concedebatur de monaſteriis fundandis, cui potiùs incumbebat ſuam partem tueri, quâ periclitabatur; ſummo Pontifice, ipsóque Imperatore *Carolo* ſatis ei negotium faceſſentibus. *Verùm* quia fortè eodem tempore fatis ſublatus eſt Guntharius æmulus, obtigerit inde *Williberto* quoque pacifica poſſeſſio. *Fortè*, inquam, nam de die, ac anno obitûs Gunthariì nihil decerni poteſt, ùt patet ex aliis ſcriptoribus acta Guntharii tractantibus. Porrò dum *Levoldus* in Gunthario apud Meibonium ſcribit: *Ferri* ſeu narrari, *Guntharium Divinum officium ſibi iterum uſurpâſſe contumaciter, & propter hoc Zanctis ab Angelis ſacris veſtibus exutum ante altare occiſum fuiſſe.* Non ſequitur hanc violentam mortem eidem factam in itinere, cum Lothario Româ ad annum 868. reduci; ſed hujus aſſerti veritas ſtare poterit, ſi dicamus poſt Epiſtolam illam ab *Hadriano* Scriptam, qua ordinationem *Williberti* irritat, causámque ſe auditurum utriúsque partis denuntiat, potuiſſe rurſum Guntharium Romam percurriſſe, & tum id fieri, quod indefinitè Levoldus memorat.

Williberto igitur ad annum 872. liberè adſcribenda fundatio Parthenonis Eccleſiæ *S. Cæciliæ* adjuncti. Ex quo jam alia quæſtione involvimur, quarum primitùs Virginum hic Parthenon fuerit, Benedictini Inſtituti, pro quo ſuam abſolutè ſententiam Dionyſius Sammarthanus ediſſerit, an Canonici, atque hujus regularísne, an ſæcularis?

Si perquiras univerſa veterum ſcriptorum documenta, nullibi reperies quidquam, ut inde inhæſitanter in hæc verba erúmpas: *Aſindenſis S. Cæciliæ Parthenon ſub regula S. Benedicti conditur eo in loco, ubi primitùs Metropolitana Eccleſia ſub titulo S. Mariæ & S. Petri erat, à Williberto Archiepiſcopo.* At hæc ipſa in Galliam Chriſtianam recentiùs, & auctiùs editam influere voluit Dionyſius Sammarthanus, dum ab hac prætacta periodo hiſtoriam hujus Cœnobii Aſindenſis ſeu *S. Cæciliæ* orditur: temperatiùs Mabillonius alioquin ſuo ſacro ordini non immunificus Scriptor, ſolùm inquiens: *in Concilio Colonienſi ſub Williberto Archiepiſcopo - - - - - - fundatio Parthenonis Aſindenſis*,

denſis, *quem idem Willibertus eo in loco*, *ubi primitus Metropolitica Ecleſia ſub titulo S. Mariæ*, *& S. Petri erat*, *ſub Patrocinio S. Cæciliæ exſtructum dedicavit*, *& Collegio Virginum honoravit*. Nemini impervia unius contextus ex altero deſumpta pericope illius ſcilicet ex iſto, verùm id ex proprio addere libuit, *Parthenonem ſub regula S. Benedicti conditam eo in loco &c.* à quibus verbis modeſtè abſtinuit Mabillonius. Porrò noſtrûm jam intereſt demonſtrare primum harum Virginum inſtitutum, & quidem ſi non S. Benedicti, regulariúmne Canonicarum, an ſæcularium?

Utut ex Gelenio, & Winhemio exploratum habemus primitùs in *S. Cæciliæ* Ecelesiam ſacras Virgines vocatas, adeò tamen usque nunc ſubtractæ nobis ſunt, ac incognitæ primæ fundationis chartæ, à *Williberto* confectæ, tum ipſa quoque confirmatio ejusdem hujus Parthenonis à *Brunone* circà annum 962. præſtita, quo idem ſiniſtris fatis in cinerem redactus liberalitate planè munificâ à dicto *Brunone* reſtitutus eſt, adjectis dotationibus largiſſimis: ut niſi ipſæ hujus celeberrimæ Abbatiæ Virgines nobis, quæ iis ſuppetunt, documenta communicaverint, magno dolore in proximo opere tam eximii collegii facta, & acta intermittere cogamur: Quamvìs enim horum inſtrumentorum tam Gelenius, quàm Sammarthani meminerint, in neutro tamen eorum vel unum occurrit. Igitur ad tempora recentiora digrediendum.

Annò 1198. *Richmodis* Vidua dicitur apud Gelenium, mortuò maritò ſuò *Gerardò* Telonariò, ac milite in bello ſacro, ante urbem Agrippinenſem fundâſſe monaſterium in honorem *B. M. V.* & *S. Joannis Ev.* ſub regimine Ordinarii. Locus, in quo cœnobium conditum, ad piſcinam dicebatur, in eo *Richmodis* non minùs Virgines ſacras conſtituit, an hæ ab origine regulares fuerint, non facile dixerim, certè annô 1474. reformatæ fuêre Gelenio teſte, Authoritate Apoſtolica, ac Ordinarii. Hæreo tamen, ut reformationem huic anno omninò affigam, eò quòd tunc tota Agrippina in armis fuerit, Roberto de Bavaria Archiepiſcopatum deſtruente potiùs, quàm moderante. Legat intereà, cui vacat horum temporum in tota Colonia ac vicinis locis motus Bellicos, & inter ſcriptores cæteros perquirat, præcipuè Chronicon magnum Belgicum, fidem indubitatam facio, unà mecum talem ſenſurum, fieri non potuiſſe, ut tunc de regularitate inducenda ab Ordinario cogitaretur. Scio equidem Gelenium hæc ſcribere: *Quod monaſterium* (ſcilicèt ad Piſcinam *an.* 1474. *auctoritate Apoſtolica & Ordinarii reformatum eſt in regulare Ord. S. Auguſtini*, *& Magiſtra generoſa Domina Eliſabetha de Revn facta eſt prima regularis Abbatiſſa. Inde annô* 1475. *in die S. Bernardi rogatu Cæſaris Friderici tertii Auſtriaci*, *auctoritate Ordinarii & Apoſtolica Alexandri Forojulienſis Epiſcopi*, *Sixti Papæ quarti*, *& S. ſedis cum poteſtate Legati*, *de Latere Nuntii dejectum & complanatum eſt Monaſterium Piſcinæ*, *Virgines verò cum ſacro Theſauro & cenſibus translatæ ſunt ad S. Cæciliam.* Aſſentitur his verbis Dionyſius Sammarthanus, verùm cùm addit latere, quam ob cauſam dejectum, & complanatum ſit, eam reperiſſet ſelectiori indagine utens in Winhemio Authore vetuſtiore ipſo Gelenio dum ait: *annô* 1474. *propter Noveſienſe Bellum ab ampliſſimo ſenatu Colonienſi dirutum*, *& ad S. Ceciliam translatum fuiſſe.* Propter Noveſienſe, inquam, bellum, quod ipſo annô 1474. graviſſimè arſerat, & omnimodè compulerat Virgines de ſecuriore loco ſibi providere adeóque longè certiùs, quàm anno

ſuc-

ſuccedente, quo jam aliquantum defervere videbatur flamma Martialis. Quodſi verò eô annô facta translatio metu belli, non invenio, quî ſimul fieri potuerit dicti cœnobii reformatio? dicti, inquam, cœnobii, non ſolarum Virginum per translationem. Diſertè enim Sammarthani cœnobium ajunt in regulare *S. Auguſtini* reformatum, anno ſequenti fuiſſe dejectum, quæ reformatio cœnobii quomodo ſtare poſſit cum ejusdem deſtructione, quisque juſtus arbiter obſervare dignabitur. Opinarer itáque, ſtando ipſius Winhemii narratione, annô 1474. dejectum clauſtrum, aliquot ſaltem annis præviis reſtauratum fuiſſe diſciplinâ regulari. Nobis hoc dubium reſolvere facilius daretur, ſi vel modica documenta primigeniæ fundationis, hujúsque reformationis in litteris privilegiorum conſpicienda darentur; Gelenii enim adducta narratio minus nobis eſt, quàm ut extra aleam conſtituat illam reſtaurationem annô 1474. factam, præcipuè cùm de illa nihil Winhemius enunciet, haud dubiè antiquiore, ac duratione notiore, quàm ut eam tanquam aliquid novi memoraret, ne dicam fortàſſe jam ab origine talem, utpote, quòd ad hoc ſtabiliendum firma argumenta adhuc deſiderentur. Profectò quàm facilè ex Gelenio novæ Galliæ Chriſtianæ editores aſſerunt an. 1474. auctoritate Apoſtolica & Ordinarii illud reformatum, tam obvium nobis eſſet dicere, tale, id eſt, regulare à ſui fundatione fuiſſe. Quod tamen nolumus, ne ſi aliquantò plùs Scribendi utamur libertate, limites veritatis exiliamus temeritate.

Ex narrata autem translatione Virginum ſuburbanarum Monaſterii ad Piſcinam ſcribunt ex Gelenio Sammarthani, regularem diſciplinam primùm obtinuiſſe *S. Ceciliæ* Parthenonem, idque præfato annô 1475. Expedit percipere Gelenium, *itáque Virgines*, inquit, *cum ſacro Theſauro, & cenſibus translatæ ſunt ad S. Ceciliam, ubi gravis poſtea lis exorta eſt inter Elſam Comitiſſam de Richenſtein Abbatiſſam S. Ceciliæ, & novas introductas Virgines, multaque pecunia in curiales Romanos profuſa, agitantibus controverſiam Joanne Kirchhoff de Reckelinghuiſen Protonotario Apoſtolico legum Doctore, & Prapoſito Embricenſi, & Joanne de Orſen Prapoſito S. Chuniberti famoſis Romana Curia practicis. Tandem verò controverſia compoſita eſt interventu Rutgeri Paſtoris Durſtenſis Canonici S. Ceciliæ, Joannis de Reven Armigeri fratris Germani Abbatiſſæ ex Piſcina & Doctoris Joannis Vanckulle, pacémque initam Archiepiſcopus ſic approbavit, ut ab eo tempore introducta regularis obſervantia vigeat, & ſtabilis conſiſtat usq; in noſtram, & uti ſperandum in omnem venturam ætatem.* Ex his verbis concludendum videtur regularitatem Canonici inſtituti tum primum inductam fuiſſe, cùm Veſtales ſuburbanæ illuc transferrentur: aſſentitur Dionyſius Sammarthanus, at pro eo, quod ex Gelenio legit *regularem diſciplinam* usque ad *hujus tempora viguiſſe, & uti ſperandum ſtabilem conſtituram in omnem venturam ætatem.* Idem ſubſtituit, ſcribitque, ſtabilem perſeveraſſe usque ad medium ſaltem ſæculum proximè elapſum, nempè ut cum Mabillonio demum hujus Eccleſiæ hiſtoriam concludat dicendo: *eandem modò à Nobilibus Canonicabus ſæcularibus occupari.* Aliter ante Gelenium ſæpè citatus Winhemius de introductis ex Piſcina in Eccleſiam *S. Ceciliæ* Virginibus loquitur: *aliàs*, inquit, *templum hoc fuiſſe olim cathedrale ſuprà aperuimus. Nunc verò Collegium eſt, tam virorum, Prapoſitum tamen & Decanum non habentium, quàm Virginum Nobilium, & Patriciarum ſub regula B. Auguſtini,*

ſtini, per Reformationem, in clauſura admodum ſtricta, diſciplinatè ſatis viventium, quarum Abbatiſſa Collegii totius caput, ùt plurimùm Comitiſſa eſt. Numero autem ex opibus illarum aſſociatarum ſuburbanarum in Wejer (id eſt Piſcina) *monaſterio ab inde nunc aucta communiter ſunt ſedecim.* Ergo ex Winhemii narratis Virgines iſtæ non erant cauſa, ac origo introductæ regularitatis, ſed ſolùm augendi numeri in hoc Collegio ob multiplicatam dotem annuam ex adjectis cenſibus Monaſterii ex Piſcina, ſanè Winhemium iſtud ſignificare voluiſſe, arguunt aliæ hujus Parthenonis circumſtantiæ, ſuo tempore explanandæ, ne hìc in nimium diſſerendi campum excurramus.

Cæterùm quod cùm Mabillonio Dionyſius Sammarthanus de ſæcularitate harum Virginum notavit, tantum mihi ſcrupulum movit, ubi antea penè certis relationibus jam firmatus eram, easdem Virgines ad hanc usque horam regulares fuiſſe, ut propè jam in horum ſcriptorum ſententiam ire cogitaverim: nè tamen utrinque temerarius eſſem, de remedio certo mihi proviſurus, quò demum, quid indubitatè ſcribere liceret, invenirem, conveni ea, qua decuit humanitate Reverendiſſimum, ac ampliſſimum Dominum *Joannem Matthæum Matthæi* Inclyti Collegii Sanctiſſimi corporis Chriſti Congregationis Windeſemenſis Priorem digniſſimum, deprecans ipſum, ut de ſtatu Cæciliani Parthenonis gratioſè me certiorem reddat, ne dubia aut omninò falſa pro veris prodromo meo (quamvìs præter mentem) inſerere mihi obtingat. Paruit juxtà innatam ſibi benevolentiam Vir ampliſſimus, & propria manu litteris Coloniæ 29. Nov. an. 1737. ad me datis ſequentia de hoc noſtro Parthenone, uti & de aliis univerſim ſeptem Sacrarum Virginum Coloniæ actu exiſtentibus Gynæceis exarare placuit: *ad quæſtionem,* inquit Præſul Reverendiſſimus, *quot monaſteria ſanctimonialium noſtri ordinis adhuc actu hìc Coloniæ exiſtant? Reſpondeo, quòd ſicut ab immemoriali tempore fuerunt, ſic adhuc ſint ſeptem: inter quæ primarium perſiſtit Abbatia Nobilium Domicellarum S. Cæciliæ. Secundum ad S. Maximinum. Tertium ad Albas Dominas. Quartum in majorè Nazareth. Quintum ad S. Apoloniam vulgò in Mommersloch. Sextum ad S. Mariam Magdalenam, vulgò in der Büſſen. Septimum ad S. Michaëlem. Ultimis ſex Prioriſſæ præſunt, ſubjectæ ordinario, uti & Abbatia S. Cæciliæ, habéntque Confeſſarios, & Commiſſarios Eccleſiaſticos ſæculares.* Hæc Reverendiſſimus iſte Præſul, cui cùm fidem abnegare in re oculari non niſi temerarium eſſet, eò quoque lubentiùs aſſentior, quò difficiliùs ex aliena meſſe, qualem nobis nonnunquam ex Mabillonio, ejúsque conſentaneis, deficientibus aliis documentis, colligere neceſſe eſt, propria licet emolumenta delibare.

Porrò hæc Abbatia inter Nobiliſſimas totius Agrippinenſis urbis religioſas domos ſuſpicitur. Poſſidet ipſa reliquias Sanctorum pretioſiſſimas, inter quas primariò eminet eximia pars Capitis *S. Andreæ* Apoſtoli, & Brachii os *S. Cæciliæ*, ut nil dicam de integris Corporibus trium Sanctorum ibidem quieſcentium & magna Devotione cultorum.

Reſidebant tempore Gelenii, hoc eſt, ad medium elapſi ſæculi ſub Abbatiſſa Anna Maria Baroniſſa de Sinzigh dicta à Gantzen quinquaginta religioſæ Virgines, quarum Nobiliores ſedecim ſunt Canoniſſæ Capitulares cum quinque Canonicis: qui tamen quamvìs obedientialiter ſubſint Abbatiſſæ, nullis religioſis votis obſtricti vivunt.

Refertur quoque de hac Abbatia eam ædificii ſtructurâ indubitantes

tanter pulcherrimam eſſe omnium reliquarum, quæ in tota ampliſſima Colonienſi civitate viſuntur, in eáque ſæpiùs Celſiſſimum Principem, ac Electorem diverſionis causâ morari. Ultrò, Virgines omnes oportere eſſe de nobili, ac equeſtri ſtammate, ipſam quoque Abbatiſſam (cùm alioquin habitu candido ſuperamictæ lineô Rochettô, prout regularibus Canoniſſis mos eſt, veſtiantur) nigram ac talarem Tunicam pellibus muris pontici per totum ſubductam, & caput pilleolo Electorali opertum gerentem in publicis Proceſſionibus procedere, eidémque Nobiles Feudatarios famulando aſſiſtere. Demum huic in diverſis locis Jus Criminale competere, hinc quoque inſignia illius Machæra, ſeu gladio ornari. Hæc omnia num ſic ſe habeant, intereà in medio relinquimus, dum certiora ex ipſo fonte haurire liceat, quia iſta ex rivulis hauſimus, alioquin non ſatis ubíque pellucida veritate conſtantibus.

Exſtat prætereà in turri hujus Eccleſiæ Campana à S. *Cuniberto* undecimo hujus Archidiæceſis Epiſcopo conſecrata, quæ ex lacu quodam per aprum prodigiosè dicitur eruta fuiſſe, pulſaríque non niſi in ipſo hujus ſancti feſto, tempore tonitrui, ac demum in morte monialis hujus ſacri Cœnobii conſuevit.

Ipſa hæc Abbatia in medio urbis ſuæ ſtructuræ majeſtate effulget. Gelenius in ſua admiranda Coloniæ Agrippinenſis magnit. L. 1. ſyntagm. XI. à pag. 357. Winhemius in ſacrario Agrippinæ à pag. 115. & præcipuè pag. 117. Mabillon. Annal Bened. L. 37. n. 47. Nucl. Collegiorum Regul. p. 37. Docum. commun. Sammarth. Gall. Chriſt. novæ edit. tom. 3. à Col. 773.

Fund. An 1387. Ord. 8. Franc.

Campienſe. Prioratus Virginum Canonicarum: Duæ probata virtute ac pietate conſpicuæ mulieres hujus Parthenonis fundatrices referuntur, ſuppreſſo tamen nomine, quod utrúmque fortaſſe temporum lapſu oblivione deletum eſt. Monaſterium ipſum ope agricolarum exſtructum an. 1387. factas S. *Auguſtini* regulæ addictas Virgines Canonicas *Cunonis* Archi-Epiſcopi Trevirenſis authoritate obtinuit. Nunc Virgines hujus Cœnobii Regulam S. *Franciſci* profitentur. Quô verò tempore Canonicæ aut locum ceſſerint, aut regulam hanc mutato priori ſuo inſtituto ſuſceperint, impervium nobis eſt, nec vacat de hac mutatione deficientibus aliunde aliis quibusque ad hiſtoriam hujus loci (quamdiù Canonici inſtituti fuerat) facientibus documentis, operoſo labore inquirere.

Exiſtit Boppartii. Browerus. Annal. Trevir. tom. 2. L. 18. n. 74. pag. 253.

Fund. ſec. nono Regular. forte

S. Caſtoris Cardonæ Abbatia. Hujus antiquiſſimam originem produnt ipſius S. *Caſtoris* Cardonæ dum vixerat, diſcipulúmque D. *Maximi* XXVIII. Trevirenſium Epiſcopi ſæculo quarto egetat, commorantis, & poſt obitum uſque ad *Hettonis* Archipræſulis, id eſt, ſæculi noni annum 37. ibidem quieſcentis acta, quamvis alióquin obſcura adeò, ut vix ulla inter hiſtoricos veritatis inconvulſæ ſuppeditetur de iiſdem aſſertio, niſi uni, ac ſoli Browero adhæreamus, à quo tamen nil minùs quàm inſtituti ſacri in hoc loco primitùs per D. *Caſtorem* implantati ſpeciem aſſignari deprehendimus, Id equidem negari non poteſt, Weomadi tempore Canonicos ibidem & quidem clauſtrali Diſciplina inſignes vixiſſe, præcipuè, quòd tunc *Chrodegangi* nova Clericalis vitæ reſtauratio omnia penè vicina Clericorum Monaſteria ad ſanctam æmulationem imitationém-

1. p. 375. némque invitaret; de quo videndus Browerus. Cæterùm quò magis recentiora tempora Cardonenſium Canonicorum converſationem declarare deberent; eò obſcurior nobis notitia conceditur. An. 1228. legimus Confraternitatis litteras Cardonenſium Canonicorum datas ad Canonicos Steinfeldenſes jam Præmonſtratenſi reformationi innexos; tum quidem regularitatem quandam ſubodorare licet, at non omninò definire. *Iggebrandus Præpoſitus, Godefridus Decanus, totum Capitulum & Conventus Eccleſiæ Cardonenſis*, qui harum litterarum titulus eſt ſufficiens, ut arguat, ſed non omninò evincat Canonicos Cardonenſes fuiſſe votivos; & Browerus, qui iteratò mentionem horum Canonicorum Cardonenſium ingerit, de regularitate altùm ſilet. Sed nobis præcipuum negotium faceſſunt præſentia tempora; his; dum amicos de Cardonenſium inſtituto conſuluimus, relatum nobis, eſſe regulares, inde & F. tum in mappâ, tum in Elencho huic loco appoſuimus; at, ut verum fateamur, ſubtimidè, tantùm nè videremur noſtro judicio plus, quàm aliorum relationibus crediſſe. Interea notitiam potiorem adepturi; dabimus in ipſo opere de hoc Cœnobio; quæ certa ſunt.

Exiſtit in urbe Cardonenſi. Browerus L. 8. Ann. Trevir. n. 85. acta SS. ad diem 13. Febr. in vita S. Caſtoris & 18. Junii vita SS. Potentini &c.

Fund. circa an. 837. ſecul. **Caſtoris Confluentiæ Præpoſitura**: Hanc *Heiti* Trevirorum Archi-Epiſcopus circa annum 837. condidit; de quo Browerus; *Confluentiam*, inquit, *antiquorum Franciæ Regum domicilio, & inſigni jam tum Caſtro munitam & frequentem, ad hæc duorum fluminum Rheni & Moſellæ coitione, & cæteris omnibus amœnitatibus ad cultum & abundantiam, locum peropportunum, ut ſenſit ab una tamen religionis celebritate, curáque propè deſtitutum, muneris ſui eſſe ratus eſt, ampliſſimum ibi D. Caſtori, Cleróque Canonicam vitam ſequenti Monaſterium & ædem erigere; quo locus is non ſitu magis, & fluviorum præterlabentium opportunitate, quàm uſu, famâque ſanctitatis ſeſe efferret. Atq; huic rei, ut auſpicandæ Conſilia religio peperit, ita perficiendæ Luduici pietas, & munificentia plurimum ſane commendavit.* Hæc Browerus; qui dein enarrat ipſum Archi-Epiſcopum in ſomnò monitum à D. *Materno* fuiſſe; ut oſſa S. *Caſtoris* è Cardona confluentiam deportaret; ídque conſentiente Ludovico perfeciſſe 5. id. Decem. 837. Vixêre primitùs Canonici iſti, ùt Diſciplina Regularis exigebat; continuabantque eandem per longa tempora; donec iſtâ ſe eliberarent ſæculô; ùt videtur decimô ſextô; aut ad ſummum 15tô. Certè Trithemius in ſuo Chronico Hirſaugienſi ad an. 847. ait: *Canonicos S. Caſtoris confluentiæ antè plures annos* (ſui nempè temporis) *regulam abjeciſſe*. Et Browerus ad an. 1452. ſcribit; Jacobum Archi-Epiſcopum Collegium B. *Caſtoris* confluentiæ ſaluberrimis inſtituris; ac vitæ, morúmque præceptis formâſſe; reſtaurâſſéque librô conſtitutionum editô; manúque ſuâ ſubnotaſſe. Quæ ſanè innuunt; tempore, quô plura Regularium Collegia ſui juris ac voti eſſe quæſierunt; à regula liberos Canonicos quoque præfatos hanc libertatem arripuiſſe.

Exiſtit in urbe Confluentia. Brow. L. 8. ann. Trev. n. 85. & L. 19. n. 87. acta SS. 13. Febr. in vita S. Caſtoris. Trithem. cit. loco Kyriander. part. 2. comment. de Auguſta Trevir.

Colonienſis S. Petri Cathedralis. Fund. ... ſæculare. Non eſt iſthic noſtrum nogotium accuratam Originis

ginis hujus celeberrimæ Metropolitanæ retexere, prætérquam enim, quòd id multi, iique percelebres dudum ſcriptores præſtiſtiterint, quod ad noſtram hiſtoriam deducendam & explanandam conferet, præſtabit, in ipſo opere exhibere. Nunc quæ aliquantùm de inſtituto Clericorum, ſeu miniſtrorum hujus Eccleſiæ controverti poſſunt, libet diſquirere, nè tantæ Eminentiæ, ac prærogativæ Eccleſiam, qualis Colonienſis eſt, videar eo titulo, nominéque veſtire, quod noſtris temporibus aliquantò humilius, viliúſque eſſe cenſetur, quàm ut unquam ſummis, atque Metropoliticis ædibus adjudicari poſſit. Cui propoſito lucem non exiguam præfert Gelenius S. Andreæ in hac urbe ſæcularis, ùt ajunt, Canonicus in ſuo de admiranda Coloniæ Agrippinenſis magnitudine libro ſequentia differens, aliquanto quidem fuſiora, ſed quæ ad quæſtionis, quam verſamur, enodationem obtinendam omitti vix poſſunt. Sic igitur vir clariſſimus: *Principem*, ait, *locum ſibi vindicat inter Colonienſia*, *Sacra Metropolitana Baſilica*, *imò ob Nobilitatem Cleri ſui, facilè præ reliquis Germaniæ Eccleſiis eminet: nam in hujus Collegii numerum admittuntur nulli, niſi ex Regum & Regulorum ſanguine, aut aliàs perhoneſtè nati, & litteris illuſtres viri, iique pauci, ac ſelecti. Et quia de Canonicis, eorúmque Eccleſiis ſæpiùs ſermo eſt futurus, libet eorum Originem paulò altiùs repetere, ex Joan. Molanii, Joannis Langecrucii, Alberti Miræi, Laurentii Lautmetter, & Caroli à Mansfeld, aliorúmque ſcriptorum animadverſionibus.*

Principio itáque certum eſt, Canonicorum Ordinem ab Apoſtolis, eorúmque Diſcipulis inſtitutum, cùm in primitiva Eccleſia omnium eſſet cor unum, & anima una, ita atteſtatur Eugenius quartus in Decreto ad Congregationem Lateran. hujus, inquit: Ordinis, & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos, primùm in Alexandrina Eccleſia Marcus Petri Diſcipulus inſtitutor fuit & Conditor, tunc enim Presbyteri, Diaconi, & cæteri Clerici, cum ipſis Epiſcopis communem victum vitámque in una veluti aula, vel Palatio degebant. Creſcente autem turbâ fidelium, & deferveſcente paulatim in quibuſdam primæva devotione, cæpit etiam minui bonorum communio, & major proprietas eſt introducta, apud ſolos Clericos perſiſtente Apoſtolica illa inſtitutione, & vita: & Clericorum quidem duplex erat Claſſis, nam aliqui Eccleſiarum regimini intenti Apoſtolorum Sectatores Collegia conſtituerunt: quæ ab eo, quòd ſine conjugio eſſent, & à cæteris habitatione ſolitaria diſcreti, Monaſteria dici cæperunt. Alii verò ſua duntaxat ſaluti, & divinis laudibus dediti Monachi dicti ſunt, item therapeutæ, idq; antequam Baſilius, & Benedictus certam regulam, ſeu formam in communi vivendi ejuſmodi hominum generi præſcriberent. Ex eo igitur tempore Monaſterii nomen, & Clero, & Monachis commune factum etiamnum adhæret Eccleſiis ad hæc ferè tempora, licèt vita & victûs communitas valde ſit imminuta. Fuerunt tamen ſæpiùs, qui utrúmque ſtatum denuò conjungere meditati ſunt: uti Ambroſius ſerm. 52. & 69. de Euſebio Vercelenſi teſtatur: & ipſe B. Auguſtinus cogitaverat Clericorum proprietate utentium Ordinem exſtirpare, ſed quòd Eccleſia Dei circumamicta varietate diverſas vocationes, manſionéſque habeat, pro natura, & captu diverſorum, eam mentem mutavit, ecce, inquit, ſerm. 1. de vita ſuorum Clericorum, in conſpectu Dei, & veſtro muto Conſilium, qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Chriſtus, & Eccleſia ſua, maneant, ubi volunt, aut ub poſſunt, non eis aufero Clericatum, Auguſtinum æmulati ſunt ſanctus Proſper Rhegienſis in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, & Gelaſius Papa, Annô etiam Chriſti 431. Patritius Hybernorum Apoſtolus, S. Martini ex Sorore Nepos & Clericus, deinde ipſe S. Gregorius M. inſtitutò quidem Monachus,

chus, ſed egregius Canonici Ordinis propagator: quorum rationem, & auctoritatem Colonienſes imitati ſunt: Nam Guntharius Colonienſis Epiſcopus proprietatem Clero indulſit, quam Willibaldus in ſynodo habita an. 973. præcipuorum inferioris Germaniæ Præſulum authoritate confirmavit. Attamen hæc vitæ communis relaxatio, ſcrupulum proprietatis, non Diſciplinam ſuſtulit, nam Colonienſis Eccleſiæ obſervantiam Diſciplinæ commemorat ad Joannem Præpoſitum annô 1042. Wazzo Leodienſis Eccleſiæ Epiſcopus: ergò, inquit, Frater omnes in communi accingamur humilitati, fidelitatique; regulariter, & res Clauſtri, ſicut oportet tractemus irreprehenſibiliter, quantò majores ſumus in ſæculi dignitatibus, tantò nos humiliemus in omnibus, avaritiæ, Dominationisque altitudinem fugiamus ſtudioſè, quæ religionis Diſciplinam naturaliter ſolent propulſare. Inſtruat ſaltem nos Colonienſis Diſciplina clauſtri: ubi Præpoſitus, & Prælatus in Choro primi ſtantes officioſe ſatagunt, nè quid difficultatis proveniat, ſive negligentiæ. Diſciplina Clauſtri ſpecialiùs adſcribitur Prælato: nec tamen deeſt invitatus Præpoſitus: ſi quid defuerit, ſine inimicitiis exigit Prælatus inſtante ſcrupulo. Stipendium quotidianum cum cæteris officialibus exhibet Præpoſitus: ſi quid defuerit, ſine inimicitiis exigit Prælatus. Cellarius annonam, vinum, pulmenta ſuſcipiens à Præpoſito, Prælati, ſenioriſque diſpenſat mandato. Liber eſt Præpoſitus ab expenſis, quæ dederit Cellario, Cellarius ab his æquè, quibus paruerit Prælato, ſic concordia Prælati & Præpoſiti in clauſtri ædificationem cooperatur: quia non ambitioſa charitas, quæ Dei ſunt, non quæ ſua rimatur. Coëpiſcopos, & Archidiaconos ob inſolentiam removit Eccleſia. Unde & his caret in præſens Metropolis Colonia, & tota provincia. Canon vetat Diaconum ante Presbyterum injuſſum ſedere: tu Presbytero præſumis judicare. Hæc Wazo Epiſcopus.

Deinde neq; omnes Coloniæ vel alibi ad proprietates à communi vitæ forma deſciverunt ſynodorum Epiſcopalium indultu: ſed quidam veterem formam præferentes novæ, duplici Canonicorum (qui usq; modò manent) generi occaſionem dederunt: nam qui bonorum communitatem retinuerunt, regulares dicti ſunt, ùt Noveſienſes, qui Monaſterium ſuum in ruderibus fani Deaſtro quondam ſacri incolebant, ad quod aliquot illuſtres Clerici temporibus Reinaldi Ubiorum Præſulis à Colonienſibus Metropolitanis Canonicis ſeceſſionem facientes, bonorum communionem retinuerunt, & inſtaurârunt. Et eſt hoc illuſtre quiddam in omnipotentis Dei providentia, quòd omnium hominum genio aptos in Eccleſia gradus, ordines, ac ſtatus conſtituerit, ut omnes poſſint ſalvi fieri, quemadmodum in S. Franciſci Ordine eadem providentiâ videmus factum, ut varia ejuſdem ſanctiſſimæ regulæ interpretatione hominum ingenia ſalvarentur. Hactenùs Gelenius: addere huic poſſemus Serarium, alióſque complures Authores, qui, quod Gelenius de Colonienſi, affirmant de Moguntinenſi, de qua dum in ſuo loco diſcurremus, occaſio pariter dabitur quorumdam adverſantium opinioni reſpondendi. Quàm verè autem de votiva vita inter Canonicos Cathedrales Colonienſes vigente ſenſerit Gelenius, duplex ſuppetit ad probationem argumentum: antiquus Chroniſta Belgicus editione Piſtoriana ſic loquitur: *Ordinis Regularium reparatio per univerſam latinitatem ſe dilatârat, quemadmodùm ſupra, tempore Gregorii ſeptimi hujus nominis Papæ, habetur, incæpit annô ſalutis 1074. ſæculares verò Canonici majori pro parte ad regularis vitæ tramitem und exciderunt non ſunt reverſi ex quibus Canonici majoris Eccleſiæ Colonienſis (Domini videlicet in ſummo) extiterunt: nam antea ſub Abbate Deo regulariter militaverunt, prout etiam Carolus Magnus Rex, & Imperator, in Aquiſgrano, & in Hoyo,*

& aliis diverſis locis inſtituit. In recompenſam tamen, memorati Domini in ſummo Monaſterium Canonicorum Regularium ſub Præpoſito ſecundùm Regulam B. Auguſtini Deo militans in ſuburbio civitatis Nuſſienſis in Grangia ipſorum fundaverunt annô Domini 1181. *indictione XIV. ſub Alexandro Papa, regnante Friderico primo hujus Nominis Imp. ſub Archi-Epiſcopo Colonienſi, Philippo de Hynsberch. Fundator verò fuit Sigisvvinus. Iſti ergò Monaſterio majoris Eccleſiæ Colonienſis Canonici non exiguam partem redditium ſuorum partiti ſunt; præſertim cùm nonnulli eorum, converſionis cauſâ, ipſum Monaſterium intrarent, quorum Deus tetigerat corda.*

Colonienſis ergò Metropolis non qualitercúnque regularis erat, ùt quidam recentiores Scriptores (nè cogantur veteri aliquando receptæ, ſuam novellam ſententiam poſtponere) inani criſi ad ſolam communem habitationem, & clauſtralem reſidentiam, excluſâ omni expropriatione, detorquent; ſed votiva, ac propriè, ſtrictéque talis. *Neq; enim clam eſt*, dicebant Patres Concilii Colonienſis ſæculo 1610, *primam eorum originem monaſticæ fuiſſe diſciplinæ*, id eſt; *regularis*, non hâc effugii recenter excogitati formâ, ſed *regularitate expropriationis votivæ:* undè Molanus *cùm* inquit *ſub Philippo* 48. (Sammarthani eum 51. ſtatuunt) *Diſciplina regularis in Eccleſia Colonienſi relaxaretur, nonnulli Canonici in regulari obſervantia manere volentes, aliis ab ea deficientibus monaſterium Nuſſienſe erexerunt.* Et profectò annò 1120. tanta adhuc erat inter Colonienſes diſciplina, ac expropriationis obſervata ratio, ut nè quidem majora hujus Eccleſiæ officia liceret inter beneficia reputare, religioſæ paupertatis lege. Hinc, ùt iterum Molanus narrat: *Cùm in Eccleſia Trajectenſi fervor regularis diſciplinæ relaxaretur, & Godebaldus Epiſcopus an.* 1120. *cæpiſſet primam præbendam Decano majoris Eccleſiæ conferre, quibùsdam renitentibùs; Eccleſia Colonienſis* (ab ea enim tunc pendebat) *quam ſuper hac re conſuluerant, in hunc modum reſpondit. Dominis, ac fratribus noſtris ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ ſalutem: ut Præpoſitura, Decania, vel aliqua Clauſtralis obedientia pro beneficio habeatur, vel beneficium nominetur Eccleſiæ noſtræ conſuetudo non patitur.* Itáque tot teſtimonia antiqua dum in unum conclamant, Colonienſes ſaltem uſque ad *Philippi* Archiepiſcopi tempora regulares fuiſſe, neſcio, an tam facilem aſſenſum neotericus quiſpiam ſcriptor adepturus ſit, ut hanc Eccleſiam ſemper ſæcularem, & votis religioſis liberam aſſerenti à quoquam erudito ſubſcribi debeat. Dixi *ſaltem uſque ad Philippi tempora*, quibus *S. Norbertus* Præmonſtratenſis Reformationis incomparabilis author convixiſſe in comperto eſt; collata verò hujus ſancti viri Chronotaxi; reperimus eundem hoc ipſo anno, quo Colonienſes Trajectenſibus mox laudatas litteras ſcripſerant, ſui ordinis fundamenta jeciſſe, ùt notat Pagius in ſua Critica ad hunc annum n. 20. hinc ex eodem Pagio colligo, eam invectivam (de qua mox) in Concanonicorum ſuorum perverſos mores, cujus Hugo Scriptor Norbertinæ vitæ meminit; contigiſſe non tardiùs, quàm aut annô 1118. aut ad initium 1119. quo anno in Concilio à *Conone* noſtro Coloniæ celebrato; idem vir Sanctus per Canonicos accuſatus eſt; quòd in ſuis concionibus acriter adverſùm eos inſectaretur. Quia verò, ùt evidenter idem Pagius probat, concilium iſtud annô 1119. celebratum eſt, & quidem poſt mortem *Gelaſii* ſecundi, qui obiit juxta Chronologicam computationem ejusdem Pagii 28. Januarii dicti anni, Succeſſor verò illius *Calliſtus*

ſecun-

ſecundus electus eſt Cal. Febr. Qui dum 3. Oct. dedicabat Eccleſiam Maurigniacenſis cœnobii jam ſibi aſſiſtentem habuerat *Cononem:* inſuper *Conon* adhuc Authoritate *Gelaſii*, non *Calliſti* ſynodum Colonienſem celebraret, ùt manifeſtè indicat Urſpergenſis in Chron. ad hunc annum: meritò infertur hoc concilium annô 1119. inchoante fuiſſe convocatum, adeóque ante hocConcilium ſugillâſſe mores laxatos ſuorum Concanonicorum *S. Norbertum;* hæc verò reprehenſio qualis fuerit, Hugo nobis explicat *Craſtina rurſus die*, inquit, *cùm jam omnes ex more in capitulo reſediſſent, cæpit primò accepto codice alloqui Decanum, oſtendens ex Verbis B. B. Gregorii, atq; Iſidori, quorum ſe regulam tenere dicebant, quia ipſe, qui erat omnium Præpoſitus, & Magiſter deberet eos ad rectum honeſta & ſancta vita tramitem revocare. Audientes autem hæc Seniores & Prælati,* rov. 29. 11. *utpotè Sapientes rem taciti conſiderabant, juxtà id, quod ſcriptum eſt: Sapiens autem differt, & reſervat in poſterum, & quia veritati nullatenùs, & ſpiritui, qui loquebatur, reſiſtere præſumebant. Juniores verò, quibus mos eſt, minùs, quæ Dei ſunt, attendere, ad alterutrum murmurantes, & ſeorſum ſubſannantes priſtinæ levitati deputabant &c.* his lectis mihi videre videor in Canonicis Colonienſibus quaſi duplicem diſtinctam Claſſem, *Seniorum* ſcilicet, & *Juniorum*, illos aliquantò reſtrictos, & moribus compoſitos, hos effrænes & laxatâ fibulâ ſæculares, non tam votorum religioſorum libertate, quàm propriæ voluntatis temeritate; nam regulam, quam *Norbertus* oſtendiſſe dicitur, non aliam, quàm Aquiſgranenſem fuiſſe, ex *Gregorii* & *Iſidori* allegatione liquet. Hanc verò votivam vitam neutiquam ſuſtuliſſe, ſed liberiorem aliquantùm reddidiſſe, jam aliàs probavimus, ſolúmque hìc juvabit depromere, quæ Nebridius noſter in ſuo Antiquario hac in re obſervat: Qui relato Cap. 31. in quo dicitur: *Quod Canonicis liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere, proprias res & Eccleſiæ cum humilitate, & juſtitia habere &c.* Sic diſcurrit, *en*, ait, *quo tempore maximè reformati ſunt Canonici, poterant dare & accipere, proprias res habere etiam privatim & patrimoniis uti. Et niſi ſcriptum eſſet cum humilitate, hoc eſt, cum humili mentis reſignatione, verè non poſſem eos cenſere religioſos. Quam reſtrictionis particulam cùm his diebus non adverteret quidam Præpoſitus Bavariæ, pertinaciſſimè aſſeruit, totum ordinem Canonicum tunc temporis intercidiſſe, ènejúſque locum ſurrexiſſe eum, quem vocant Canonicorum Regularium, ad quem etiam ſuum monaſterium, ùt opinabatur, reformavit &c.* Igitur non ſublata, ſed aliquantò remiſſior per hanc regulam facta eſt paupertas votiva in Canonicis maximè Cathedralibus: attamen janua patenter, ad ſæculares mores ſuſcipiendos reſerata, ut paſſim quidquid libertatis aſſequi poſſent quidam diſcoli, ac diſciplinæ impatientes maximè juniores Canonici, id perſequerentur, quales multi erant ex Canonicis Colonienſibus, quos neo-converſus perſtrinxerat *Norbertus.* Combinatis igitur, quæ ſuperiùs ex Molano propoſuimus, quæque diſciplinæ, & maximè paupertatis rigorem quendam à Colonienſibus obſervatum præſeferunt, & iis, quæ ex *Norberto* eosdem ipſos Canonicos ob perverſos mores ſuos caſtigante audivimus, ſic diſcurrendum erit, ut aut dicamus, plurium ac maximè Seniorum corda inflammato hoc ſermone *D. Norberti* reſipuiſſe, atque hinc dicto anno hæc ipſa Trajectenſibus ſcripſiſſe, aut, Seniores quidem pleróſque viam Patrum antiquam, ac regularem tenuiſſe, recalcitrantibus junioribus. Quod

eheu

eheu noſtris quoque temporibus non ſine gravi diſciplinæ detrimento contingere ſæpiùs experimur. Atque hoc pro primo argumento. Alterum, quod à rationum intrinſecarum pondere peti poteſt, illa eſt generalis primi Cleri in cathedralibus Eccleſiis inſtitutio, qua novimus ad Apoſtolicam normam eundem ordinatum, ac identidem reformatum fuiſſe, & à quâ tantò minùs defeciſſe Colonienſis Eccleſia cenſenda eſt, quantò laudabilioribus moribus, & exemplo ejuſdem Canonici convixiſſe noſcuntur: profectò Zelus ille, quem quidam annô 1181. ſuis in præcordiis foverunt, aliis ſua jam in libertate prævalentibus, ſatis indicat, priſtinæ diſciplinæ ardorem etiam tunc inter omnes Cathedrales emori non potuiſſe. Quin fortâſſe & id arguere licebit, ut, quamvis præfato anno, Belgicus Chroniſta dicat, Canonicos majoris Eccleſiæ Colonienſis exſtitiſſe ex iis, qui majori pro parte ad regularis vitæ tramitem, unde exciderunt, non ſunt reverſi; atque ideò in recompenſam monaſterium Canonicorum Regularium in ſuburbio Civitatis Nuſſienſis fundâſſe, intelligenda hæc ſæcularitas potiùs de interiori gradu paupertatis ſit, quem obſervaverant, & hunc quoque fortâſſe ſat liberaliter reſpectu ſupremi, cui ſe plerique jam reformati Canonici addixerant, quàm ut plenè & integrè ab omni expropriationis voto abſoluti haberentur.

Porrò Colonienſis hæc Metropolitana magnam nobis per tempus illud, quo regularis exſtitit Scribendi meſſem ſuppeditabit ipſo in opere, utpotè quæ multis præclaris viris etiam inter denſiſſimas ſchiſmatum, hæreſium, aliarúmque calamitatum ipſam oppugnantium caligines, nobilitata refulſit, digna planè, quæ præſtantiſſimis encomiis commendetur. Nos hìc intereà ſtylum abrumpimus.

Gelenius L. 3. Syntagm. I. §. 1. Chron. Belg Edit. Piſtor. nova. T. 3. p. 20. Gall. Chr. T. 3. à p. 620. Molan. L. 1. de Canon. Cap. 14.

Corporis Chriſti Prioratus Windeſemenſis. *Fund. an. 1331. Floret.* Hujus Eccleſiæ exordium ad annum 1331. refertur, cujus primæ fundationi quoddam miraculum dicitur occaſionem præbuiſſe. Cùm Vinitor quidam lecto per infirmitatem affixus Sacroſancto Corpore Dominico juxtà morem Chriſtianum reficeretur, eâdem die valentiorem, quàm fortè fuerat, ſe exiſtimans è lecto exiliit, & ad vineam ſuam properat; ubi uvis abundantiùs devorandis indulgens mox gulâ expletâ ad vomitum ipſa illa in ſtatione urgetur, ſimúlque Venerabile Sacramentum in ſpecie puerili ejectat. Quo miraculo factum, ut à quadam Nobili Matrona *Benigna* nomine Henrici de Cuſino relicta Vidua, & ejuſdem filio Brunone, cujus erat fundus, ſeu ipſa, ùt videtur, Vinea illa, de conſenſu expreſſo *D. Reinoldi* Præpoſiti S. Geronis, ac *D. Matthiæ* plebani S. Chriſtophori ad unius Sacerdotis ſuſtentationem dictô annô 1331. Sacellum ſuper eandem foveam, in quam Venerabile Sacramentum à Vinitore illo dejectum fuiſſe traditur, conditum fuerit. Hanc hiſtoriam ex Winhemio, Gelenio, ac Bredenbachio deſumpſimus, cujus potiores circumſtantias, quæ fidem magis augerent, ac firmarent facti miraculi, utinam aſſequi poſſemus, præcipuè in eo accuratiùs informandi, quorum teſtium prærogativâ illud contigiſſe pro certo habere poſſimus, & an adhuc puerili formam Sanctiſſimum expreſſerit, cùm ex ea fovea (haud dubiè à Clero) elevatum ad templum S. Geronis transportaretur, alioquin ſola Vinito-

nitoris illius relatio, aut pictura illa in choro hujus Sacelli dictum miraculum repræſentans, neſcio an ſuffectura ſit modernis Criticis, ut fidem habeat.

Porrò ipſum illud miraculoſum Sacramentum continetur ad hodiernum diem in lignea ciſtula clauſtris obſerata, in ipſa Collegiata Eccleſia *S. Geronis* juxtà hujus altare, quod ante Chorum in gradibus ſitum eſt, cum hac inſcriptione immuratâ:

Qui finem neſcit, hac clauſus in æde quieſcit.

Quamvis autem ipſum hoc Venerabile Sacramentum in ſacello iſto non exſtiterit, plurima tamen miracula contigiſſe in ipſa fovea hujus loci refert tabularium: ita quidem, & creſcente fidelium devotione circà annum 1423. piò cumprimis ſtudiô laudabilis viri Arnoldi Schilinck Civis Colonienſis ſuperædificata, ſeu potiùs ex ſacello erecta ſit Eccleſia ſpectabilis, quæ per Rectores Presbyteros ſæculares per ſeptem annos (verba promo Tabularii) fermè gubernata, poſteà circa annum Domini milleſimum quadringenteſimum triceſimum, privilegiis ſuis per conſenſum devoti viri Henrici Oſel pro tunc Paſtoris Eccleſiæ Parochialis *S. Chriſtophori* dotata, donec Reverendiſſimi *D. Theodorici* de Morſa Archiepiſcopi Colonienſis ſtudiô idem locus promotus fuit ad majorem dignitatem, atque in Monaſterium Canonicorum Regularium Ord. *S. Auguſtini* erectus, quo tempore primus Præfectus, vel Prior hujus Monaſterii venerabilis, vitâ, ſcientiâ & moribus Frater Thomas van den Wall profeſſus in monaſterio Fontis B. M. V. propè Arnhem civitatem Gelricam hic ſepultus in Choro noſtro, laudabiliter Monaſterio præfuit ultrà 30. annos uſque ad annum 1490. cujus etiam temporibûs hoc monaſterium, ædificiis, & redditibus auctum eſt. Quo defunctô eodem annô alius ſucceſſit in locum ejus Prior monaſterii hujus, filius civitatis Colonienſis, qui conſiderans prædictam foveam quodammodo per oblivionem, & incuriam obrui, & omni honore digniſſimam memoriam Venerabilis Corporis Chriſti, minori devotione coli; Zelô inflammatus, Dei adjutoriô, & Chriſti fidelium ſubſidiô, eandem foveam renovavit, & titulô decoratam ſolemniter erexit cum luminaribus, & indulgentiis, prout oculis intuentium occurrit &c.

Hæc intereà ex tabulario illo adduxiſſe ſufficiet. *Theodoricum* Archiepiſcopum, qui Colonienſem Clavum ab annô 1414. ad uſque 1462. moderatus eſt, hanc Corporis Chriſti Eccleſiam in monaſterium Canonicorum Regularium erexiſſe Sammarthani quoque affirmant verbis ex hoc ipſo tabulario depromptis.

Fulgent in hoc ſacro cœnobio eximiæ diverſorum Sanctorum reliquiæ, de quibus nos alibi. Prætereà celebris in eodem habetur Congregatio, ſeu Fraternitas SS. Corporis Chriſti, & 7. gaudiorum B. V. M. quæ inſtituta eſt à priore ſucceſſore ipſius Thomæ van den Wall, de quibus ſuperiùs ex tabulario egimus.

Hoc prætereà Cœnobium non videtur jam à ſui exordio, id eſt, cùm Canonicis Regularibus incolendum traderetur Congregationi Windeſemenſi fuiſſe unitum. Certè ad annum 1430. cùm Buſchius ſuum Catalogum primum monaſteriorum Windeſemenſium texeret, hunc prioratum inter 37. vicerum non numerat. Cùm autem compertum non ſit, quô annô idem ſecundum catalogum (poſtquàm adhuc triginta ſuperad-

ditos obtinuit hæc præclara Congregatio) ordinaverit, minùs, quò unumquodque horum monaſteriorum incorporatum fuerit, de hoc à nobis, quibus alia documenta non ſuppetunt, nihil certum ſtatui poteſt.

Floret adhuc eximiè hic Prioratus tanquam membrum Windeſemenſe, eique, dum hæc ſcribimus, præeſt Ampliſſimus, ac Reverendiſſimus D. Matthæus Matthæi, vir tum à virtute, tum à morum comitate egregiè commendabilis, ùt ex ejusdem nobis transſcriptis humaniſſimis litteris ſufficienter didicimus.

Exiſtit in ipſa Urbe Colonienſi. Gelenius L. 4. ſynt. 38. §. 1. Winhemius in ſacrar. Agripp. p. 160. & ſeq. & pag. 54. Bredenbach. Sacrarum Collat. L. 1. cap. 8. Miræ. L. de Orig. Can. Reg. Cap. 92. Gall. Chriſt. T. 3. Col. 706. Buſch. Chron. Wind. L. 1. Cap. 44. & 45.

Fund. ſæc. 14to Exſtinctum. Dachſteinenſe. Hoc cœnobium ſæculò 14tò fundatum eſt ab Epiſcopo Argentoratenſi *Joanne de Liechtenberg*, non *de Liechtenſtein*, ùt erroneè refert Bernardus Herzog in ſuo Chronico. Sed, quæ idem de fundatione hujus loci à *Joanne* facta idiomate vernaculo ſcribit, iſthic apponimus: Er machte auch zu Dachſtein ein Cloſter oder Stufft mit Thum-Herrn *S. Auguſtini* Ordens. Idem confirmat Winphelingus, & Dionyſius Sammarthanus (ùt eſt in rerum noſtrarum memoria breviſſimus) in *Joanne* prædicto Argentoratenſi Epiſcopo, *Dachenſteinium*, inquit, *Ordinis S. Auguſtini Cœnobium fundavit*. Contigiſſe autem hæc fundatio videtur poſt annum 1359. certè ante annum 1365. utpotè quo *Joannes* cum fama Sanctitatis obiit, cujus quoque nos in opere noſtro egregia acta dabimus.

Monaſterium tamen iſtud exinde Monachis S. Benedicti ceſſiſſe idem Bernardus Herzog obſervat, demum ab Hæreticis omninò ſuppreſſum, de quo tamen mirandum, à Dionyſio Sammarthano nihil memorari, cùm præſtitiſſet iſtud potiùs, quàm alia, quæ Benedictinum inſtitutum nunquam coluerunt, inter ſuppreſſa, ſeu exſtincta meminiſſe.

Exſtitit in urbe dicta Saxum Dagoberti, vulgò Daehſtein. in Alſatia inferiori propè fluvium Bruſch. Bernard. Herzog. Chron. Alſat. L. 4. f. 97. Gall. Chron. t. 5. in Epiſc. Argent. Col. 810. Wimpheling &c.

Eltenenſe. Abbatia Virginum Canonicarum. *Fund. ſæc. 10. Sæcul.* Cujus Fundator exſtitit *Wichmannus*, *Hermanni* nobiliſſimi Ducis Saxoniæ ex Fratre Nepos, & Surculus familiæ Billiganæ, de cujus origine multa eruditè Melbomius commentatus eſt in ſuis Vindiciis Billiganiis. Qui *Wichmannus* (ùt notat Leibnitius, & ante hunc Papebrochius) Pater fuerat *Athelæ*, avus *S. Meinvverci & Athela* ſeu *Azela*, prout in hujus Sancti vita nominatur, verba Leibnitii ſubjungimus. *Mater*, inquit, *Meinvverci Athela, filia Wigmanni fuit Comitis Teiſterbandiæ ex Wigmanno, Hermanni Saxonum Ducis fratre orti. Sorores Epiſcopi Athela Junior Sanctimonialis, tandémque Abbatiſſa Monaſterii Eltenenſis propè Embricam, quod avus Maternus condiderat.* Itáque *Wigmannus*, quem Witechindus Corbejenſis Juniorem nominat, quique ab *Otthone* deficiens miserè poſtmodùm inter hoſtium manus periit rebellis, juxtà Leibnitium Fundator Eltenſis aſſeritur; quod tamen Papebrochius non videtur adſtruere, dum Wigmannum ipſe Fundatorem nominat Zutphanicum patrem *Linchardis* primæ hujus loci Abbatiſſæ; qui *Wigmannus* ideo haberi non poteſt unus cum *Wigmanno Juniore* Nepote

poſte Hermanni, utpote quem ex vita *S. Meinvverci* ſcimus non niſi duos filios, duáſque filias ex Athelà ſuſcepiſſe; atque has quidem *Gliſmodem*, & *Azelam*, ſeu Athelam; at Luichardem nullam. Præterea Wigmannus, quem Leibnizius fundatorem Eltenenſem ſtatuit, obiit annô 967. ut colligitur ex Witichindo Corbeienſi, qui ait: *Otthonem de nece Wigmanni certiorem factum Epiſtolam ad Duces, & præfectos Saxoniæ ſcripſiſſe, has verò ſe exaráſſe eo anno, quo filius ipſius Ottho coronam ab Apoſtolico, ſuſcepit, idem Imperator teſtatur*: id eſt annô 967. & Papebroclius *Eltenà*, inquit: *monaſterium Imperiale Nobilium Virginum fuit à Wichmanno Zutphanico, pro filia Luicharda prima Abbatiſſa annô 982. conſtituta.* Quodſi Abbatiſſam conſtitutam intelligat vir Clariſſimus Luichardem annô 982. Ergò dicendum erit Eltenam ſaltem quatuordecim annis Abbatiſſâ, ſeu capite caruiſſe; ſi verò *conſtitutam* dicat Eltenam annô 982. monaſterium Virginum, Wichmannum juniorem excludere oportebit à jure hujus fundationis, cui tamen non putârim gratis à Meibomio hunc honorem fuiſſe attributum. Certè ego *Wigmannum* illum hac liberalitate nolim excludere, donec documentis inſtructus ſciam Luichardem primam Eccleſiæ Abbatiſſam fuiſſe; inſuper & diſcam, hujus parentem tanquam Eltenæ fundatorem. Quem, ſi à Leibnitii opinione deflectam, potiùs aſſeram *Meinvverci* proavum, id eſt, Wigmannum ſeniorem, fratrem Hermanni, quàm qualemcúnque Wichmannum tempore Otthonis tertii, ſeu Henricorum alicujus viventem, quem nunquam combinavero cum Eltenæ exordio, utpote certò certiùs tempora horum Cæſarum præveniente.

Scio Ægidium Gelenium ad vitam S. *Engelberti* Archi-Epiſcopi Colonienſis Luichardam nominare tanquam *Meinvverci* Matertetam, adeóque Wigmanni ædi, ſeu junioris filiam, verùm per hoc necdum nodum diſſolutum habemus, donec obtineamus, aut Luichardem Eltenæ ante annum ſaltem 967. fundatæ præſtitutam Abbatiſſam, aut Eccleſiam circà annum 982. fuiſſe fundatam. Nos huic dubio definiendo non ſufficimus ob pauciſſima, quæ ſuppetunt de hoc Parthenone, documenta. Interim tamen neminem magis, quàm Bucellinum hallucinari apparet, dum in ſuà Germania ſic ſcribit: *Elteneberg præclariſſimum Virginum Benedictinarum in Clivenſi Ducatû Cœnobium, quod ſub annum Chriſti 990. Wigmannus Comes Cliviæ fundavit, cujus primà Abbatiſſa fuit ejuſdem Comitis filia Luitgardis; poſtero tamen tempore idem Monaſterium converſum eſt in Collegium Clericorum.* Prætérquam enim, quòd apertè oſtendimus, Wigmannum *Meinvverci* avum non habuiſſe niſi duas filias, *Gliſmodem*, & *Athelam*; inſuper plures ſæculô nonô, & decimô, niſi duo Wigmanni (Avus ſcilicet *Meinvverci*, dictus Junior, & hujus Pater Æquivocus Senior) non comparent: illum jam diximus ex litteris *Otthonis* colligi; obiiſſe 967. quamvis Meibomius ejus mortem alliget anno 965. ſed qui nobis hoc non perſuadet. Seniorem verò oppetiiſſe annô 944. habemus ex Necrologio Fuldenſi; neuter itáque annum attingere potuit 990. ultrò eſt, quòd aſtruat *Virginum fuiſſe Benedictinarum*; poſterò verò tempore converſum *in Collegium Clericorum*. Habemus ex certis relationibus, illud ſicut hodie, ita & ſemper Virginum fuiſſe domicilium; neque unquam in Clericorum Collegium mutatum: has verò Virgines nunquam crediderim Benedictinas: ſanctimoniales enim nuncupantur à S. *Meinvverci* Biographo, quod nomen tunc pro-

prium erat *Canonicarum*, ùt alibi probavimus: néque exſtat teſtimonium aliquod, has Virgines Ordini monaſtico vindicans. Cùm igitur nullum usq́ue nunc documentum nobis occurrerit, quod oſtendat mutationem Monacharum in Canonicas, eas autem dudum, & noſtra ætate ibidem, licèt nunc ab omni voto liberas, exiſtere certum ſit, inſuper tempore ſæculi noni ac decimi ſciamus, univerſim in Germania Virgines Canonicas ad Regularem vitam aut inſtitutas, aut reformatas fuiſſe, profectò iſtud Collegium tamdiù inter Parthenones Canonicos Prioribus illis ſæculis habebimus, quamdiu non aliter apertìs documentis doceamur.

Exiſtit autem Eltena in confiniis Zutphaniæ & Cliviæ propè Rhenum Fluv. acta SS. t. 1. menſis Junii in vita Meinwerci p. 513. Bucel. Germ. topo &c. Graphica t. 1. p. 2. pag. 29. Meibom. cit. Annal. Corbejens. Witichindi. edit. Meibom. p. 661. Leibnit. in ſcript. Brunsvic. loc. cit. Annal. Fuld. apud eund. t. 3. p. 763.

Fund. 1456 Floret. Everars-Cluſanum. Prioratus Windeſemenſis.

Si *in minimis rebus res ſæpè magnæ deprehenduntur*, ùt ſeneca docuit, & ſi juxta Poëtam: *naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo, quaq́ venit, multas accipit amnis aquas.* Profectò modicus rivulus, qui è cujuſdam infimæ ſortis devotiſſimo ſcaturivit pectore, in tantum gratiarum amnem excreviſſe reperitur, dum præſentis celeberrimi Prioratûs hiſtoriam percurrimus, ut indubitatum ſit, nil magis, quàm virtutis opera etiam minima, res magnas, quinimò, maximas complecti. Paucis iſtbic dicta probabimus, quæ potiora ſunt, ſuo tempore enarraturi. Locus eſt Trevirenſi Metropoli, tribus milliaribus diſtans, quem *Eſchium* dicunt, pagus jam olim, & ſedes nobilium ibidem commorantium. Illic agricola quidam vixerat *Eberardus*, ſeu *Everardus* nomine integerrimæ, ac innocentiſſimæ vitæ, cui ſervandæ paſtoritium pecorum munus ſufficiebat, ſimul & vinitoris à ſe peractus labor; ſed pietati tuendæ plurimùm contulit tenerrimus in Virgineam Matrem affectus, quam ut non ſolùm menti, ſed & externis ſenſibus aſſiduò præſentem ſiſteret, in loco ubi non procul ab ipſo pago paſcendo gregi ſuo invigilare ſolebat, ſtipitem ſolo infixit, ſupra illum effigiem Virginis doloroſæ conſtituens, frugaliſſimum ſuæ devotionis objectum.

Hanc verò ſibi præfixam imaginem quò ardentiùs indies veneratur Eberardus, eò gratioſiùs cultum iſtum reſpexerat Virgo clementiſſima, ita quidem, ut ipſa per quietem aliquando ſe huic rudi homini ſiſtens ſuaderet, imò & præciperet, ædiculam quandam dimiſſo hoc vili ſtipite, conſtruat ſuo nomini, faciatq́ue Marianam. Quod monitum cùm ſemel, iterúmque negligeret vir ſimplex, demum ab eadem ſacratiſſima Matre acerbiùs impulſus opus aggreditur, ſacellum conſtruit, exili forma, modicíſque tignis compactum, atq́ue icone ſua tanquam uno, ſolóque pretioſiſſimo theſauro idem, ſubmoto ſtipite, exornat. Non ſine riſu primitùs popularium, ac vicinorum hoc hominis rudis molimen exceptum eſt, facilíque neglectu; unus, qui obſtiterat, Parochus fuerat Piesportenſis, qui vixdum de hoc Eberhardi édoctus inſtituto, primò virum tanquam præjudicioſa machinantem comprehendi, & compedibus vinciri, mox Iconem ſuam in Eccleſiam transportari jubet, causâ interim ad competens forum delatâ. Verùm Eberhardus majus patrocinium de cœlo nactus, quàm ut à quo-

piam

piam terreno adverſario ſubverti poſſet, paulò pòſt hunc ipſum, quem contradictorem Innocentiſſimæ ſuæ pietati expertus eſt, opitulatorem invenit, ipſa Virgine ſervum ſuum clementer tutante: paucis eventum damus. Cùm namque Curio iſte opinaretur Paſtoris Everardi prætenſam ad Iconem Virginis Matris devotionem ad unicum pecuniarium lucrum dirigi, hoc ſibi, ſuæque Eccleſiæ ampliùs profuturum quæritans expoſuit in Eccleſia ſua, at ubi hæc imago multos jam cultores diverſis præſtitis de cœlo beneficiis allexerat, nè unum quidem eâ translatâ in Piesportenſi æde licuit experiri, ut hinc, nullo exundante emolumento, idem Parochus & ruſticum libertati, & imaginem loco tanquam theſaurum qualemcúnqe, certò ſibi inutilem, reſtitueret. Non diù hæc dimiſſio Eberhardo ſecuritatem incæptæ, novitérque reductæ pietatis aſſeruit, dum etenim repetita Virginis mitiſſimæ per hanc iconem in ſuos iſthic accurrentes cultores beneficia effuſa, largæque oblationes accumulantur, ita quidem, ut homo piiſſimus iterum à Virgine ſanctiſſima moneretur, parvulo illi ſacello Eccleſiam jungeret, ſpe in ipſam firmatâ, nec operas, nec vires defuturas. ſub tanta auſpice rem aggreſſus, ubi manifeſta adjuvantis ſupremi Artificis ope in modico tempore mirum in modum ſtructura propè ad faſtigium properat, ecce tibi novæ à dicto Parocho ſtruuntur inſidiæ, & efficaciore longè lite Eberhardum ſuo repulſurus à molimine Capitulum Trevirenſe, ſimúlque *Nicolaum Cuſanum* Epiſcopum Brixinenſem, Cardinalem, Nuntiúmque Apoſtolicum Rheni tractum tunc permeantem interpellat, qui temeritatem (ùt ajebat) hominis, conatúmque inhibeant, utpote à quo graviter in ſua jura parochialia peccari querebatur. Néque Cardinalis vir eo tempore ſummæ in Germania authoritatis, & ſcientiæ ſupra humanum penè captum eximiæ, diù parochi juſtiſſimam querelam protrahendam putavit; hinc brevi proceſſu Eberhardum ſub pœna excommunicationis cæptis deſiſtere mandat, & ſupplicibus quamvìs votis, precibúsque humillimis inſtaret Eberhardus, cæptis è cælo tam benevolè ſubmiſſis gratiis ne obicem poneret Eccleſiaſticè intentata ſeveritas, repulſam miſellus tulit, nec auditus eſt, quem hactenùs tam clementer reſpexit, & audiit Deus. At neque hæc Eberhardo inflicta tentatio ſui ſancti Propoſiti abolitio fuit, iiſdem enim diebus, quibus Nicolaus in Eberhardum duriùs, ùt diximus, animadverterat, ſub itinere, quod Trevirim tunc aggreſſus eſt, graviſſima ægritudine occupatur, quam nonaliter niſi morte finiendam ipſi medici cenſuerunt, nemo citiùs, & morbi cauſam, & remedium, quàm Nicolaus ipſe perſpexit: ſubitò enim ſuis demandat, Eberhardo ſuæ devotioni dictatum à ſe interdictum quantocyùs tollant, haud dubiè Reginam Cœli ſuccenſere ſibi, qui hominem juſtiſſimæ devotioni intentum inſectatus ſit, & ab iis operibus averterit, quibus maximè Marianæ gratiæ in indigos ſoleant derivari. Vix relaxatò Eberhardò, Nicolaus convaluit. Sed non in hoc ſolò Divina bonitas Innocentiam, & placitam ſibi Eberhardi religionem probavit; voluit ſiquidem, ùt & qui dudum averſabatur Parochus Piesportenſis, jam patrocinari (ùt ſuperiùs advertimus) ſatageret, operiſque promotioni inſtaret, quantùm priùs reſtiterat. Matrona erat jam jam cum morte luctatura ponderosè eundem exorans, ſacrificium pro

ipſa perſolveret, ſed non niſi ad Eberhardi Iconem propè Eſchium Thaumaturgam. Reniſus aliquamdiù Curio, demum importunitati ſupplicis ceſſit moriturentis; viam itáque ad hoc Sacellum carpens hac demum pia cogitatione, haud dubiè divino illuſtratus lumine imbuitur, conſtituit nempè ſpopondítque, ſiquidem hujus tam graviter decumbentis Matronæ recuperata per hoc in loco iſto ſacrificium peractum valetudine imbuendus foret de Divino beneplacito, quo decreviſſet ſupremum Numen Divinæ Matri honorem promovendum, ſe quóque omnimodis, & quidem tanto anniſu, quantô hactenùs obſtiterat, opitulaturum. Itáque ſacrificiô peractô reviſens propè morituram, ingenti prodigio ſanam reperit, laudat divinam, néque noſtris judiciis inveſtigabilem providentiam fatetúrque profectò veriſſimum eſſe, eandem ùt plurimùm ad excellentiſſima opera ſua, abjecta inſtrumenta eligere, ut fortia confundat.

Undecim, ùt præfertur, annis Eberhardum vexatio tenuit, cùm demum liberrimâ mente permiſſus eſt, quod pridem Deus definiêrat, ad effectum deducere, ſuccurrerunt piiſſimo Eberhardo præpotentes, ac nobiles viri Eſchii Domini *Guilhelmus* & *Godefridus* Germani, Fratres, creſcentéque indies devotione, populíque accurſu novum templum molitur Eberhardus, quod viginti ſex paſſus longitudine, duodecim latitudine æquavit, favit tum miris progreſſibus Elector Jacobus Trevericæ Sedis præclariſſimus antiſtes, ipſéque (ùt Colgio) annô 1449. feſto Annunciatæ Virgini Sacro novellam ædem ejuſdem perpetuo honori, ac venerationi ingenti nobiliſſimorum hominum, vulgíque innumeri confluxu celeberrimâ pompâ dedicavit. At Eberhardus noſter ſolenniori recipiendus domicilio, eodem annô, aut ſequenti, id eſt, 1450. perpetuum celebraturus inter ſuperos jubilæum ad cælos 8. Sept. tranſiit, non modicam ſuæ pietatis, innocentiæ, ac Virgineæ continentiæ (utpote ſemper cælebs) memoriam mundo relinquens. Bruſchius tamen in ſua Monaſteriologia dicit Eberhardum 1451. obiiſſe, de cujus certitudine nobis non ſuppetit documentum, aliquid definiendi.

Porrò à quibus primitùs hæc Eberhardina Eccleſia in ſpiritualibus proviſa ſit, needum reperi, Eberhardo autem ad ſuperos abeunte, ipſe pientiſſimus Antiſtes Trevirenſis *Jacobus* huic novæ Thaumaturgæ ædi de miniſtris congruis, & ad Marianam devotionem promovendam idoneis non ſolùm, ſed & proniſſimis proviſurus Canonicos Regulares Congregat. Windeſemenſis accerſivit, non ita pridem in Inſula Rheni ab eodem hoc laudatiſſimo, & inſtituti iſtius amantiſſimo Præſule propiùs urbem ſtabilitos. Hi ergò ut juſtiſſimis Jacobi poſtulatis impigrè obtemperarent, quoſdam ſuo è gremio mox ſubmiſêre, qui egregiô exemplô huic novo Cœnobio initium darent. Annô igitur 1456. prima ſua fundamenta poſuiſſe ſcriptores referunt, idque præcipuè adnitente jam ſuperiùs nominato prænobili viro *Godefrido Eſchio*, hinc novum ex potiore parte domicilium religioſis erectum, Chorus Eccleſiæ adjunctus imò hæc ipſa nova & elegantiore formâ conſtructa demum ſecundô poſt cæptum decimum quintum ſæculum, annô ſolenni ritu dedicata eſt.

Cæterùm quamvìs Bruſchius monaſterium iſtud cœnobiolum nuncupet, tanta tamen de eo ſcribenda ſuppetunt, ut multis etiam nobiliſſimis Abbatiis ſimilia deeſſe comperiantur, quæ omnia, prout nobis ſuggeſta, in futuro opere communicabuntur. Flo-

Floret autem hic egregius Prioratus adhuc noſtra ætate ſub ipſa Congregatione Windeſemenſi, quem per Bodekenſes Canonicos informatum fuiſſe Buſchius in ſua Monaſteriorum reformatione meminit, dum ait: *Hæc ſubjecta Monaſteria per Priores Fratres de Bodike præfatos* (nimirum *Arnoldum* Huls *Johannem* Waël, *Johannem* Clovekom, *Johannem* Buſchium & *Hinricum* Loëder) *novimus reformatos; videlicet Molenbeke Mydenſis Diæceſis &c. Everscluſen Trevirenſis Diæceſis.* Nomen verò ab *Eberardo* ſortitus usque in hanc diem *Eberardi-Cluſa* appellatur. Brower. Annal. Trevir. L. 19. & 20. Buſch. de refor. Monaſt. edit. Leibnit. tom. 2. p. 483. Bruſchius Chronolog. Monaſter. German. p. 177. ſeq. Bucel. in ſua Germania tom. 1. Part. 2. Gumpenberg. in Atlante Marian. L. 3. §. 19. p. 116. ſeq.

Fund. . . .
Floret.

Evvig. S. Salvatoris Prioratus Windeſemenſis: Extitiſſe jam olim hoc Cœnobium ſub inſtituto Canonico ipſa reformatio per Bodeccenſes Priores facta, ùt refert Buſchins, inſinuat, at Originem ejus necdum inveſtigare potuimus. Floret autem etiamnum ſub Windeſemenſi Congregatione, illúmque nunc præclarè moderatur Reverendiſſimus Dominus Gaudentius Môllers Capituli Windeſemenſis digniſſimus Secretarius.

Exiſtit in Diœceſi Colonienſi propè Attendornum. Buſch. L. de reformat. Monaſt. c. 6. Docum. com.

Fiſchbachenſe Virginum Canonicarum Prioratus: Meminerunt hujus Parthenonis in ſua Gallia Chriſtiana Sammarthani; eúmque floruiſſe annò 1486. compertum habemus, cùm *Gaſparus* de Rheno Epiſcopus Baſilenſis Cœnobium Kleinlüzelenſe Virgineo Choro inſtructurus primam Coloniam ex hoc ipſo Cœnobio accerſiri fecerit. Verùm periiſſe illud haud dubiè per Heterodoxorum exercitas in loca ſacra inſanias, penè exploratum eſt.

Exſtitit propè Wormatiam Gall. Chriſt. t. 5. Col. 711.

S. Florini Præpoſitura. Inanem aſſumeremus laborem, tum certam hujus captæ Præpoſituræ Epocham, tum ejuſdem veros, ac genuinos Fundatores inveſtigaturi, cùm utrumque vir Clariſſimus, & in perquirendis hiſce monumentis impiger Chriſtophorus Browerus teſtetur, de primis initiis hujus Eccleſiæ, ut accuratè diſſeratur, haud licere per teſtes, quibus antiquitas caret idoneis. Itáque iis, quæ ſuperant, contenti, primum, quod de hoc ipſo loco notabile obſervat ad rem noſtram idem ſolertiſſimus ſcriptor, referendum cenſemus, ſic igitur ille ad an. 1017. *clarebat*, inquit, *priſcæ per eos dies frugalitatis exemplis, & Apoſtolicæ Diſciplinæ legibus, pervetuſta Beatæ Dei Genitricis ædes, apud confluentes, quæ S. Florini hodie fert nomen.* Hæc Diſciplina Apoſtolica, qua *priſcæ* pariter *frugalitatis*, id eſt, Evangelicæ paupertatis exemplis claruit S. *Florini* Monaſterium, prout in donationis charta *Hermanni* Sueviæ, & Alſatiæ Ducis nuncupatur teſte eodem Browero, hæc, inquam, Diſciplina Apoſtolica ſatis comprobat Eccleſiam S. *Florini* regularem fuiſſe, quin idem Browerus memorat, tempore *Henrici* Imperatoris neutiquam adhuc à prima ſua inſtitutione deviâſſe. *His porrò diebus*, inquit, *& S. Florini Confeſſoris, & Virginis Matris inclyta patrociniis* (Eccleſia) *cùm & Clericorum Canonicè viventium haberet monaſterium, & inſtitutis majorum floreret eximiè, Henrici & Cunigundæ promptiſſimam in omnes haud magno opere; prolicuit benefaciendi voluntatem.* Scilicet inſtitutis majorum florebat

exi-

eximiè, adeoq́ue ùt erat à majoribus Apoſtolicâ Diſeiplinâ imbutum, ſic iſto adhue tempore non deflexerat ab hac norma vivendi in ſuis Canonicis. Et quamvìs nulla indagine experiri licuerit, an hujus monaſterii alumni unquam regulam *S. Auguſtini* profeſſi ſint, regulares tamen ad ipſa ſæculi 15ti initia in illa floruiſſe penè pro confecto habeo, eruóque hanc veritatem ex teſtimoniis à Nicolao Cuſano petitis; atq́ue hunc quidem, an Canonicum ad S. *Florinum* profeſſus ſit non ſatìs ediſco ex ſcriptoribus illis, qui notitiam de Cuſauo ſuppeditant. Decanatûs munus geſſiſſe ſe ad S. *Florinum* ipſe prodit, in Ordinem verò Canonicorum adſcriptum fuiſſe, & dicatam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vitam degiſſe Browerus ſcribit quidem, neq́ue tamen diſertè meminit, an ad S. *Florinum*, an alibi? Verùm huic ambiguitati facilè obvio, quid enim referat, ad S. *Florinum* profeſſus vel aliunde adſcitus ibidem Decanum egerit? dum exploratum habemus, in Germania exemplum de ſæculô decimô quintô non exſtare Canonicos Regulares, ſeu votivos ad Collegia (tantummodo ſecularia) in Decanos poſtulatos fuiſſe. Si Cuſanum Regularem probavero, ſatìs mihi erit, ut tum adhue eredam S. *Florini* Canonicos Regulares vixiſſe: id verò ex ipſis efficio, ùt dixeram, Cuſani teſtimoniis. Hic L. 10 Excitat. ad ſuos Concanonicos ſic ſcribit: *in omni curſu Christianè eſt via, quæ dirigit ad comprehenſionem, vocati eſtis, ut curratis ſicut Canonici, ſic ergò currite, Canonicus à Canone, qui latinè regula dicitur, in Canonum obſervatione vivere, moveri, & currere debet. Menſuret igitur Canonicus ſecundùm menſuram rectitudinis, & juſtitiæ ſuum curſum, ſi illum faciat ex Canonum obſervantia, quódſi ſic invenerit, ſciat ſe in via comprehenſionis. Rectitudo autem illa conſiſtit in regulando motum concupiſcentiæ, qui eſt animalis, & eſt trinus, elationis, avaritiæ, & luxuriæ, qui per religionem reprimitur, quæ eſt munda & immaculata, & per regulam obedientiæ dominatur motuè elationis & ſuperbiæ, per regulam paupertatis, avaritiæ, per regulam caſtitatis luxuriæ. Omnis Chriſtianus regulâ Evangelicâ dirigitur, ne dominetur in eo concupiſcentia, ſed in ſuo Ordine plus Canonici, quì ſe voto particulariùs ad Canones adſtrinxêre.*

Verùm longè adhuc evidentiùs ſuum non ſolùm, ſed & ſuorum Canonicorum ſtatum docet L. 3. *In ſacrès*, inquit, *conciliis definitum legimus, placuit, ut quisq́ ſecundùm etymologèam nominis ſui vivat, monachus quidem ſecundùm ſuam derivationem, quaſi unus, ſolus, & triſtie, deflens peccata ſua. Canonicus, quaſi regularis, quia ſe regulis Sanctorum adſtrinxit. Hoc quidem eſt, quia vitam Sanctorum profitemini, qui ea, quæ hujus mundi ſunt, abdicarunt, ut ſe Deo totos dicarent; Regularium etenim vita à mundo abſtracta eſſe debet, ut ea, quæ ſurſum ſunt, ſapere poſſint. Neq́ credatès multùm inter vos, & monachos differre; nam una fuit Sanctorum conſideratio, quòd in abdicatione proprietatis rerum mundi, in mortificatione carnis, atq́ in reſignatione libertatis arbitriè conſiſteret receſſus de hoc mundo, ut Deo adhærere in ſpiritu poſſet, & hæc omnium religionum ſubſtantialia ſcitis exiſtere. Religio igitur munda & immaculata illa eſt, quæ ſcit hujus mundi ènquinamenta relegare. Regulæ igitur Patrum non aliud continent, quàm hoc ìpſum, per quod, mundô deſertô, Deo adhæreatur; & hoc eſt, quod accepiſtis. Ais fortaſſis, non accepimus illam ſtrictitudinem vitæ, quam mortui mundo, quos & monachos dicimus: nam & propria poſſidere poſſumus, & alia facere quædam, quæ mortuis non conveniunt. Reſpondeo: nemo negare poteſt, nos Canonicos religioſos eſſe de-*

bere

bere, licèt in modo ab aliis, qui ſtrictioribus regulis conſtringuntur, differamus. Nam ſicut omnes mundi religionum diverſitates in præfactis ſubſtantialibus conveniunt, ita tamen, ut una ſit aut remiſſior, aut ſtrictior aliâ: ita quidem & Canonicorum regula quamvis laxiorem gradum in modo teneat, latitudinem tamen religionis non egreditur: quoniam etſi nobis adminiſtratio permiſſa ſit redditüum Eccleſiæ, de quibus vivimus, non tamen in illis ultra victûs & veſtitûs neceſſitatem, quidquam juris accipimus; & ob hæc donare, & teſtari, & alia facere, quæ proprietariis conveniunt, non valemus. Parum igitur refert inter nos, & Conventuales regulares, ubi uni adminiſtratio conceditur, cùm unicuique noſtrum non alia lege, quàm ibi uni, conceditur. Hæc Cuſanus. Obſervo ex hoc diſcurſu, ſæculi 15ti initiô in Germaniæ quibusdam, quamvìs perpaucis Canonicorum collegiis viguiſſe tertium gradum paupertatis, velut in Hiſpania multis in locis Canonicorum conſuetum erat, hebdomadarias præbendarum portiones ſingulis Canonicis fuiſſe diviſas, de quibus Navarrus noſter latè diſcurrit. Has portiones ſingulis Canonicis datas, ſed diverſimodè etiam in Germania, adeò certum eſt, ut non niſi veterum rerum rudiſſimus id negare queat. Exſtat in M. SS. Bibliothecæ noſtræ Voravienſis Codex ſub N. 200, in quo docemur adhuc ſæculo 15to ipſis in Collegio noſtro Canonicis non ſolùm certò Regularibus, ſed & ſolenni voto adſtrictis definitas portiones pecuniarias fuiſſe diſtibutas, ſic ad Cal. Januarii legitur: *Camerarius hodie cuilibet fratri det decem denarios pro ſoleis.* Ad Oct. Id. Januarii: *hoc tempore Magiſter infirmariæ dat cuilibet fratri quadraginta denarios ad iminutionem.* Ad Calendas Febr. *hodie Camerarius dat cuilibet Canonico uno anno libras decem, altero anno ſolùm tres denariorum.* Ad Oct. Id. Feb. *Dominus Liebhardus Canonicus noſtræ Eccleſiæ dedit decem libras denariorum pro hiſtoria cantanda de S. Dorothea &c.* & aliæ plurimæ per decurſum totius anni diſtributiones, atque Fundationes enumerantur, quæ noſtris Canonicis & à noſtris fiebant, *noſtris* inquam, cùm certi ſimus, hunc librum directorium fuiſſe Domeſticum.

Itáque evidens eſt, Canonicos Regulares adhuc iſto ſæculo in ſui inſtituti obſervatione diverſimodè ſe habuiſſe; prout providè Cuſanus enunciavit, dum dicebat: *parum refert inter nos, & conventuales regulares, ubi uni adminiſtratio conceditur.* Per hos *Conventuales regulares* cumprimis intelligendos Windeſemenſes pro indubitato habeo, & unà mecum habebit, qui horum hiſtoriam percurrerit: quippe qui tunc mirum in modum ſtrictiore vivendi modô ſe diſtinxerant ab aliis Canonicis, quamvis non minùs Regularibus, attamen laxiore via incedentibus. Sicut ergò eodem ipſo tempore Canonicos deceſſores noſtros Voravienſes evidenter ſcimus, ea propemodùm methodo diſtributionum Canonicarum vixiſſe; ſic idipſum patet factum apud Canonicos *S. Florini*, imò Canonicos etiam Saxoniæ, quos quanto labore conatus ſit reformare Buſchius, quamvìs indubitatè jam anteà regulares, at vivendi licentiâ vix diſcernendos à Clerico ſæculari, videbimus ſuô locô. Neque multum refert regulam *S. Auguſtini* ſcrutari apud *S. Florini* Canonicos, quam certè ſimpliciter negare, apud eosdem floruiſſe, nunquam præſumam: ſcio enim adeò diverſimodè hanc regulam fuiſſe reſpectam, ut ſicut, dum eam etiam ſuô modô Canonicis ſæcularibus ſæculis poſterioribûs commendatam legimus, ideo neutiquam illos regulares aſſerere au-

deamus, ſic viciſſim, dum ejus ſilentium quoddam apparet apud votivos, neque hinc fas ſit concludere, fuiſſe ſæculares. Illud habemus comprobatum ex charta Fundationis Margarithæ Abbatiſſæ Thorenſis pro Canonicis ſæcularibus Gertrudimontii à ſe conſtitutis, in qua diſertè ait: *Et conveniant ſingulis diebus in Capitulo dictæ Eccleſiæ omnes Canonici, Sacerdotes, & Capellani poſt primam celebratam, audituri ibidem legi regulam D. Auguſtini.*

Proinde opinor nihil planè adſtruendæ Collegii *S. Florini* regularitati præfatô ſæculô decimô quintô officere, quòd regulam *S. Auguſtini* memorari non audiamus, latent quinimò fortaſſe inter antiqua *S. Florini* monumenta regulæ *S. Auguſtini* veſtigia, ſed quæ Browerus ſolertiùs indagare neglexerit, aut ſuppreſſa non viderit, quæque adhuc ampliùs noſtræ notitiæ his temporibûs ſubtracta perſiſtant.

Nobis ſuffecerit ex Cuſano monſtrâſſe argumentô quaſi evidenti ſæculi 15ti mediô, quo vir hic celeberrimus, totique Germaniæ, ac maximè inferiori notiſſimus vixerat; ſicut ipſum, ſic Canonicos *S. Florini* votivos fuiſſe, hoc enim patenter Cuſani verba declarant, dum inquit: *Nemo negare poteſt, nos Canonicos* (ſuos ſcilicet Canonicos unà ſecum indigitat) *religioſos eſſe*, quo verbo tunc paſſim à doctis viris homines votivos notatos, non eſt, quòd quiſquam inficietur, rem quippe certiſſimam: prætereà dum ſubdit: *Canonicorum regula quamvis laxiorem gradum in modo teneat, latitudinem tamen religionis non egreditur &c. ob hoc donare & teſtari & alia facere, quæ proprietariis conveniunt non valemus.* Nil clarius, quàm hæc verba pro vita votiva Cuſani, atque *S. Florini* Canonicorum. Porrò quia Cuſanus ipſe regularem hanc vitam profeſſus fuerat, atque inde referendus eſt inter Canonicorum Regularium præcipua ſydera, quæ ſæculô decimô quintô virtute non minùs, quàm ſcientiâ Eccleſiæ Catholicæ, tunc enormes eclypſes paſſæ renidentia profuerant, ſuo tempore ejus acta prolixiùs elucidabimus.

Nunc hoc collegium Canonici ſæculares inhabitant. Browerus Annal. Trevirenſ. L. 11. & L. 19. n. 49. & ſeq. Cuſanus, & reliqui ſcript. per decurſum cit.

Franckenthalenſe S. Mariæ Magdalenæ Præpoſitura. *Fundat. an. 1134. Exſtinctum.* Cui prima fundamenta notæ pietatis civis Wormatienſis *Erkenbertus* nomine jecit annô Domini 1134. ſubleſtioris fidei igitur nobis Dionyſius Sammarthanus eſt, qui dum ad annum ſubſequum 1135. hanc fundationem ſtatuit, inſuper eandem adſcribit *Buggoni* Epiſcopo Wormatienſi; cùm certum ſit originem huic cœnobio *Erkenbertum* dediſſe. Obſervat autem prudenter Bucelinus in ſua Monaſteriologia hunc *Erckenbertum*, ſeu, ùt ipſe ſcribit, Eckenbertum Inclytæ familiæ Heröem fuiſſe, quippe à Ducibus de Worms aliàs de Dalburg dictis deſcendentem, adeóque *Conrado* Salico ſanguine junctum. Teſte enim Paulo Langio hic ex parte patris à *Conrado* Wormatienſi Duce proſapiam duxit. Igitur tanti viri in Deum pietas non tam obiter negligenda eſt, ut totam fundationem *Erckenbertô* penitus ſuppreſſô, *Buggoni* Epiſcopo attribuamus: quamvis non abnegemus, hunc multum ad progreſſum & perfectionem cæpti operis cooperatum fuiſſe. Hinc quoque (unde unde id Bucelinus habuerit) fundationis exordium anno 1110. alligari poteſt, ita tamen, ut tota perfectio ejusdem conſtituta ſit per *Buggonem* an. 1134. aut, ùt ex Marthenio Sammarthani annotant, anno ſequenti.

Cæterùm in ipſa ſpecificatione, cui monaſterium iſtud tanquam à *Ferdinando* ſecundo Patribus Soc. Jeſu donatum inſeritur, non minùs ſequentia leguntur, quæ nos ad verbum è lingua vernacula in latinum ſic transferimus: *Monaſterium Frankenthal propè Wormatiam ab Erckenberto quondam Camerario de Wormatia fundatum, & Epiſcopi Wormatiæ diſpoſitioni ſubjectum, etiam Canonicis Regularibus S. Auguſtini, hoc modo, ut præmemorato Epiſcopo Wormatiæ, confeſſiones audiendo, viſitando infirmos, & aliis ſimilibus ad animarum ſalutem conferentibus miniſteriis cooperentur &c.* Itáque ex his teſtimoniis negari ampliùs nequit non *Buggonem*, ſed *Erckenbertum* virum illuſtriſſimum, ac nobiliſſimum hujus cœnobii primarium Fundatorem exſtitiſſe.

Primus ad hunc locum Præpoſitus ex celeberrimo illius ætatis Collegio Springerbacenſi aſſumptus Bertulfus fuit, ùt ex Browero diſcimus, reformatum per Berthboldum Bodecenſem poſt annum 1443. Chronicon Wormatienſe notat, atque hanc reformationem ab ipſo Berthboldo ſuſceptam rogatu Principis, & Epiſcopi *Reinardi*. Deníque adjunctum in proximo Parthenonem ejusdem noſtri inſtituti fuiſſe ex præcitato Martenio habemus, in quo ſic legitur: *Cœnobium quoq; Sanctimonialium ejusdem religionis juxtà præfatum monaſterium Frankentaall conſtituit (Buggo* nimirum Epiſcopus) *in quo multitudinem Virginum Chriſto in caſtitate famulantium proviſis neceſſariis poſuit.*

Porrò hoc monaſterium miſerabiles vices ſæculò 16tò expertum eſt, primò enim ab ipſis Canonicis Regularibus (quò fatò impellente neſcio) annò 1562. pro certa pecuniarum ſumma Electori Palatino Rheni extraditum, atque hæreticis Calviniſtis conceſſum eſt, ut ejusdem proventibus prædicantes, & Ludimagiſtri, aliíque hujus farinæ præbendati ſuſtentarentur. Poſtmodùm autem Erckenbergiani hæredes Electori Moguntino, ſimúlque tunc Epiſcopo Wormatienſi *Georgio Friderico* ſupplicârunt, ut proventus bujus monaſterii Patribus Societatis conferrentur, verùm, cùm hæ monaſteriorum convolutiones luctuoſæ valde acciderent antiquis ſacris religioſis ordinibus, eorúmque Præſules cenſerent, cœnobia manibus hæreticorum felici auſu erepta priſtino inſtituto potiùs reſtituenda eſſe, quô fundatorum intentio, ùt par eſt, ſervaretur, atque ideò replicatis vicibus obteſtarentur, & ſupplicarent cæſari *Ferdinando*, his diù ancipiti Marte ad unum pugnantibus, demum & Canonicis Regularibus jus antiquum, & Patribus Societatis prætenſio ſublata eſt, tota civitate Hereticis transſcripta.

Olim iſthìc ſolùm exiſtebat dictum Canonicorum Regularium cœnobium, poſtmodùm verò, id eſt ab anno 1571. ac deinceps, ejecti ex Belgio ſectarii huc confugientes, ædésque condentes ex cœnobio exule urbem conſtruerunt, annitente præcipuè Comite Palatino Rheni Fridericô tertiô pertinaciſſimo Hæreticorum propugnatore. Factúsque eſt locus, iſte ex religioſo aſcetarum contubernio, veræ religionis extorrium transfugarum latibulum.

Miræ. L. de orig. Can. Reg. Cap. 13. pag. 67. Gall. Chriſt. t. 5. Col. 673. & 711. Brow. Annal. Trevir. L. 14. n. 8. Bucel. Germ. ſacra part. 1. pag. 181. Aula Eccleſt. Rom. Hay in aulæis pag. 509. Chron. Wormat. t. 2. reliq. M. SS. Ludewig. pag. 158.

Fridislarienſe, ſeu Fridslarienſe. S. Petri Abbatia.

Fundat ſæc. 8. ſæcular.

Dubitat Bucelinus in ſua Germania ſacra, quæ duo ejusdem propè nominis cœnobia *Fritzlarienſe* parte 2da, & *Frislarienſe* parte prima

inter Benedictina Aſceteria poſuerat, an eadem ſint, an diverſa? profectò ſolidius ſibi dubium ſtatuiſſet, formatum de utriúsque (quod extrà aleam unum, idémque eſt) inſtituto, & non tam liberè enunciaſſet fuiſſe Benedictinum. *S. Bonifacium* regulæ S. Benedicti adſtrictum fuiſſe nemo adhuc infallibili argumentò evicit, quamvìs ſciam Mabillonium, (poſtquàm in ſuo 3tio ſæculo Benedictino ſolitis ſuis principiis univerſam veterem onomaſticam ad ſui ordinis favorem explanans *S. Bonifacium*, ejúsque ſocios omnes Benedictinæ familiæ aſſeruit) integram turbam Scriptorum velut gregem quendam minùs, ùt conjicio, providè ſequentem, obtinuiſſe: attamen talis authoritas (etſi millium ſubſcribentium) mihi tanti non eſt, ut ideò his gregariè me ſociem, verioribùs motivìs intereà longè aliud ſuadentibùs. Quapropter *S. Bonifacium*, cùm de Moguntinenſi Cathedrali ſermo occurret, monachum fuiſſe non negabo, at pernegabo Benedictinum. Unum, quod refragari noſtræ ſententiæ videtur teſtimonium, eſt à Willibaldo primo D. Bonifacii Biographo: apud hunc enim legitur c. 1. n. 10. Quod vir Sanctus *inceſſanter ſecundùm præfinitam B. Patris Benedicti rectæ conſtitutionis formam inſiſteret.* At hunc locum ſincerum non eſſe ibidem monſtrabimus.

Cùm itàque hic præclarus Evangelii divini præco in Germaniam ex Anglia veniſſet, plura dicitur monaſteria conſtruxiſſe, Fuldenſe, Ordurfenſe, Amæneburgenſe, Fridislarienſe, aliáque, de quibus non eſt noſtrum hìc diſſerere. Omnia hæc monaſteria eodem fundamento Benedictina Mabillonius cum multis ſuorum aſſerit, ratione ductus, *quòd Monachus alia, niſi Benedictini inſtituti monaſteria, condere nequiviſſet.* Negabis fortè hanc adeò exilem cauſam pro tam nobili aſſerto à Doctiſſimo Mabillonio fuiſſe adſtructam, en tibi ipſius verba ex Annalibus Benedictinis depromo; ibi enim L. 36. n. 93. ad an. 868. agens de conſtructione Heriſienſis Cænobii, *exinde*, inquit, *celebre, & florentiſſimum evaſit inſtar Herivordenſis, & Bodecenſis, quæ Sanctimonialium Benedictinarum ab origine fuiſſe, conſtat: ecquis enim putet Sanctum Adalhardum - - - - - Corbejæ utriúsque monachum diverſi à Benedictino inſtituti puellas in Herifordenſi inſtituiſſe?* Ergo, quia juxtà Mabillonium quisquis monachus aliud, niſi Benedictinum cœnobium conſtruxiſſe, putandus non eſt, rem confectam habemus, omnia monaſteria à *S. Bonifacio* monacho conſtructa ab origine fuiſſe Benedictina: aſt, ò infirmam aſſeverandi rationem! quis enim credat, Mabillonium ipſum tam arenoſo fundamento ſua innixa monaſteria facillimo vento ſiviſſe ad alienum inſtitutum dilabi? hic enim ipſe cit. Annal. L. 48. dum narrat Alt- n. 46. ad
fridum Fuldenſem Monachum Par- an. 872.
thenonem Aſnedenſem condidiſſe, cujus Virginibus liberam rerum ſuarum, domorum, & ædificiorum proprietatem conceſſerit, adeóque non monachabus, ſed Canonicabus: mox ſubdit: *Nec enim propè fidem eſt Altfridum ex monacho Epiſcopum* (talis autem & Adelhardus fuerat) *alterius inſtituti, quàm monaſtici ſanctimoniales in loco ab ſe exſtructo collocâſſe.* Profectò difficillimè quis ſibi diù conſtat, dum partium ſtudiis intendit.

Quamvìs igitur *Bonifacium* dicamus profeſſione ſua originariè, atque à juventute Monachnm fuiſſe, cujus ſchema tamen (dum authoritate Pontificia munus aſſumpſit prædicandi Evangelii) perfectò, & Apoſtolico clericatu commutavit; quamvìs & admittamus unum, alterumvè Cœnobium Monachis condidiſſe, de Fridislarienſi tamen (ut multa alia prætercam) id apertè abnuo.

Hujus

Hujus Fundatorem S. *Bonifacium* fuiſſe apud omnes convenit, conditum autem circà annum 732. obſervat Pagius. Primus eidem præfectus eſt *Wigbertus* (communiori nomenclaturâ acceptâ hujus ſancti utimur) vir omninò Pius, & tanto oneri ferendo ſufficiens: at an Monachus Monachis, & quidem S. *Benedicti*, profectò tam parum quid argumenti ad hoc aſſerendum ſuppetit, ut, cùm non niſi conjecturis, in rebus adeò antiquis, uti liceat, omnia penè pro genuino clericatu decertent. Scripſit vitam hujus ſancti Lupus Abbas Ferarienſis initiô ſæculi noni, nihil hic monachile per totam digeſtam actorum *S. Wigberti* ſeriem, nec unquam nomen Monachi viro ſancto adjectum legimus, imó, nè quidem Abbatem dictum, ſed, dum Biographus hic narrat, *Wigbertum* ex Anglia accerſitum à S. *Bonifacio* (quippe *futurum in prædicatione ſolatio*) præpoſitum pariter fuiſſe huic à ſe noviter conſtructo monaſterio, non tamen ùt Abbatem: verùm *ſacerdotem* (inquit) *ſecundi Ordinis*, *Cœnobio ſuo*, *cui nomen eſt gentili germanorum lingua Frideslar*, *Magiſtrum præfecit*, *uti monaſtica illic religionis normam*, *ſtatúmque componeret*. Miror doctiſſimum Solerium in hac voce Sacerdotem ſecundi Ordinis exſplicanda, aliquantùm hærere, diceréque, ideò *Wigbertum* ſic nuncupari, *quòd Abbas fuerit*, quaſi verò *Abbas* idem ſit ac *Sacerdos*, néque notiſſimum ſit, quanti olim Abbates usque ad tempora ſynodi Romano ſub *Eugenio* 2dô annô 826. celebratæ per monaſteria Monachorum non ſolùm, ſed nec ullo modo inter homines Deo ſacratos cenſebantur, laici nimirum ſæculares, ac uxorati. Hinc Mabillio ad illum Eugenii Canonem ait, adhuc Abonis tempore, hoc eſt, ſæculô decimô quoſdam Ordinis Benedictini Abbates ſacerdotii expertes fuiſſe, *quales*, inquit, *erant Nicolaus de Nortmannia Cœnobii S. Audoeni &c. uti & Gotfridus Abbas Vindoccellenſis &c.*

Quî ergò antonomaſticè, hoc *Wigberti* tempore, nomine *Sacerdotis ſecundi Ordinis*, *Abbas* intelligi debeat, aut poſſit, non aſſequor; præcipuè cùm explicationes hujus vocis palam ſit legere apud eruditiſſimum Cangium, qui hunc ipſum Lupi Ferarienſis locum allegans dicit, intelligi ſimpliciter *Presbyterum*, *non Epiſcopum*: Hinc *Leo* Nonus Ep. 4. clarè definit: *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt*, *nec ampliùs*, *quàm duo ordines*, *id eſt*, *Epiſcoporum*, *& Presbyterorum nobis collati ſunt &c.* Atque ut preſſè ad Lupi tempora veniamus; Rabanus L. 1. de Inſtit. Cleric. C. 6. ſic ſcribit: *Secundi verò Ordinis viri Presbyteri ſunt*, *quorum typum præferebant ſeptuaginta viri in veteri teſtamento.* Ubi obſervaudum, diſertè per *Sacerdotes ſecundi Ordinis* notari *Presbyteros*, nimirum, non qualescúnque Sacerdotio, ſeu Ordine Sacerdotali inſignitos, id eſt, ut dicebantur olim, & fortâſſe nunc quoque audiunt *Presbyteri miſſales*, ſed nomine, officiôque *Seniores*, ùt inquiebat Paulinus Ep. 23. ad Amandum, de quibus nos in exegeſi plura: ubi oſtendimus, per *Presbyteros* notatos fuiſſe Sacerdotes, qui aliis clericis pro regimine præficiebantur, atque hinc idem erant ac Archipresbyteri, vicésque ſuſtinentes ipſius Epiſcopi, quales nunc ſolent eſſe apud Canonicos Præpoſiti; præterea hoc ipſo tempore etiam illi, qui ad curandam ſalutem vulgi præficiebantur, nomine Presbyteri gaudebant, ùt ex citato Rabani loco colligitur. Talis ergo *Wigbertus* erat officium immediatè Clericorum ſuſtinens, & præſtitutus gremio clericali Frizlariæ congregato, ùt Sacerdos ſecundi Ordinis, hoc eſt, non Abbas, ſed Presbyter vi-

ces Epiſcopi gerens; hoc enim ex toto contextu vitæ n. 4. 5. & 6. liquet dilucidè conſideranti. Néque in mentem venire poſſet, ut credam Frizlariæ Monachos Benedictinos conſtitutos, quorum rectè tunc regula arctiſſimè reformata eſt in Concilio Liptinenſi: nam, ut inquit Mabillonius, *Abbates & Monachi receperunt regulam S. Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ: hæc autem norma unum ex præcipuis reſpiciebat, nè Monachi clauſtrum egrederentur, nevè fæminæ Eccleſias Monachorum frequentarent.* (Vide Annal. Ben. Mabil. ad an. 743. n. 73.) Quod teſtatur Mabillonius in Monaſteriis penè omnibus uſque ad ſæculum nonum perdurâſſe, maximè autem hoc tempore, nempè ad medium ſæculi octavi pro generali id interdicto habebatur, ut idem iterum ſcribit Mabillonius ad an. 754. néque de hac pluribus referendis egemus, re per decurſum exegeſis noſtræ (ubi de antiquis ritibus, normáque vivendi Monachorum multa adduximus) omnino confectâ. Quis igitur autumet rejectis clericis, quos *Bonifacium* copioſè habuiſſe, in ejus vita comperimus, Monachos ad hanc curam, duplici reclamante jure, tum Canonico, tum regula monaſtica ordinatos eſſe. At verò Frizlarienſe Monaſterium propriè tale erat, in quo cura animarum paſſim exercebatur: hinc de laudato *Wigberto* legimus, quòd à *Bonifacio* ad Ortdorffenſe Cœnobium vocatus, *ut Diſciplinam regularem labeſcentem reduceret: dum aliquot annis ibidem ſubſiſtens viribus demum fractus ad ſuum Frizlarienſe rediret, ut in eo, quod ſupereſſet vitæ, jam quaſi feriatus exigeret, attamen ne communi ſe labori, ac clericalis inſtituti debito ſubduceret, adhuc identidem excurſaret, cùm à fideli aliquo rogatus confeſſionem auditum pergeret, inſuper ſicubi conventum hominum offenderat, qui ſalutaribus indigeret Conſiliis, continuò poſthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam ſalutem conducerent, ad medium deduceret &c.* Sic itáque *Wigbertus* quamvìs feriaturus, non tamen negligebat, dum poterat, ſuæ vocationi ſatisfacere, quod nunquam præſtitiſſet, ſi Monachus monaſticæ ſolitudinis rationem ſibi impoſitam noviſſet, Adde, S. *Bonifacium* accuratum diſcrimen Monachos inter, & Clericos aliundè conſtituiſſe, hos notabat ſub nomine *Presbyterorum*, illos ſub ſuo genuino, ſibíque proprio vocabulo *Monachorum*, iſtos ablegabat ad cellulas, & ſolitudines; illos ad prædicandum populo. Audi ipſum ad S. *Fulradam* ſic ſcribentem: *Deprecor*, inquit: *magnitudinem Regis noſtri pro nomine Chriſti Filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare, & mandare dignetur circà Diſcipulos meos, qualem mercedem noſtram de illis facere voluerit: Sicut enim penes omnes peregrini; quidam* Presbyteri *per multa loca ad Miniſterium Eccleſiæ, & populorum conſtituti, quidam ſunt* Monachi *per cellulas noſtras, & infantes ad legendas litteras ordinati &c.* En, ùt Bonifacius *Monachos*, eorúmque munus à *Presbyteris* diſtinquat: *Monachos*, inquam, ut diſertè doceat, alios fuiſſe Monachos, alios Presbyteros; Monachi conſtituti erant per cellulas, & nihil illis cum cura animarum, ſed infantes ſolùm ad litteras legendas informabant: econtrà Presbyteri erant ad miniſterium Eccleſiæ, & populorum conſtituti. Hi Presbyteri nunquid Monachi erant, quos *Bonifacius* diſcernebat à Monachis? Clerici itáque aut à principio ſuſcepti Divini ſervitii tales, aut ex Monachis ad clericatum translati, qualis quoque & ipſe *Bonifacius*, multíque cum illo populares ex Anglia in hac Moguntinenſi terra peregrini fuerant. Hinc quemadmodùm oportet juxtà S. *Bonifacium* diſtinquere *Presbyteros*, id eſt, clerum ad miniſterium Eccleſiæ, &

po-

populorum conſtitutum, à *Monachis*, ſic & decet diſcriminare *cellulas Monachorum*, à *Monaſteriis Clericorum*; quorum diverſitas alia, certiórque non ſuppetit, niſi, ut illa dicamus fuiſſe Clericis à S. *Bonifacio* condita, è quibus legimus excurſiones Evangelicas factas, taléſque in illis viros conſtitutos, qui populo miniſteria divina adminiſtrarent. Econtra in quibus comperimus homines à cura animarum remotos vixiſſe, ſolúmque ad ſummum infantes erudiendos habuiſſe, hæc quoque clauſtra, ſeu cellulas Monachis vindicemus. At tale, Monaſterium Fritislarienſe eſſe nequivit, quippe, quòd *Wigbertus* quamvis ſenecio, quamvis jam quaſi feriatus exiſtens, attamen veluti *repueraſcens atq; juveneſcens rudimenta denuo ſanctitatis & arctiſſimi certamina propoſiti diligenter aggreſſus*, noluit ſe à communi onere, laboréque ſubtrahere, ſed cùm à fideli aliquo peteretur, ſacramentum pænitentiæ adminiſtrabat miniſter Evangelii indefeſſus. Non ergò *Wigbertus* cum *Monachus*, ſed *Presbyter*, ac Clericus genuinus licèt fortè ad hoc munus ex monachiſmo translatus: néque pariter Fritislarienſe Cœnobium domicilium *Monachorum*, ſed *Clericorum*, utpotè ideò conditum, ut neo-converſis Thuringiæ populis prodeſſet ad Sacramentorum uſum, & percipienda Divina myſteria: ait enim vitæ Bonifacianæ ſcriptor, quòd, dum vir ſanctus multa hominum millia ad Chriſtum converteret, & neo-electo Papæ *Gregorio* non ſolùm hanc optatè collectam in Germania meſſem intimavit, ſed inſuper ab eodem ſummo Eccleſiæ Præſule diverſas regimen animarum ſibi commiſſarum concernentes difficultates reſolutas obtinuit, quòd, inquam, *poſtquam redeuntes nuntii, & Præſulis Apoſtolici tum ſcripta, tum munera optata reportantes, ingenti S. Bonifacium gaudio afficiunt, ſicut par erat, Deo laudes, gratéſque agens, mox duas Eccleſias conſtruxit, alteram quidem Frislariæ in honorem S. Petri Apoſtolorum Principis; alteram verò Amanburgi - - - duo quoq; monaſteriola duobus adjunxit Eccleſiis, non minimâ ibidem adunata Deo ſervientium Congregatione.* Hic itáque finis erat inſtitutæ Eccleſiæ Fritislarienſis, ut in ea congregaret Deo ſervientes, populo Divina miniſtrantes, *Clericos* igitur, non *Monachos*.

Exſtat apud Baronium Epiſtola S. *Bonifacii* ad Papam *Zachariam*, in ea memorat Monaſterium diſertè *Monachorum*, & quidem, niſi Othlonus ſubleſtioris fidei fuerit in ea referenda (pro quo quidem me vadem non pono) ſub regula S. Benedicti: *eſt præterea*, inquit ibidem vir ſanctus: *Locus Sylvaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo Monaſterium conſtruentes, Monachos conſtituimus ſub regula S. Patris Benedicti viventes, viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne, vino, & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos &c. in quo loco cum conſenſu pietatis veſtræ propoſui aliquantulum, vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperare, & poſt mortem jacere.* En formam Benedictini Cœnobii per S. *Bonifacium* conſtrui, ac informari ſoliti; nimirum nolebat hic Benedictinæ Diſciplinæ clientes vel ungue diſcedere à ſui Patris inſtitutione; ideò non in urbibus, non in locis Evangelicæ prædicationi deſtinandis; ſed in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis Monaſterium exſtruit ſub regula S. Benedicti. Certúmque eſt, cùm ſancti Monachi à Deo ſe vocatos ſentirent ad Evangelii promulgationem, & ad hanc à ſummis Eccleſiæ capitibus accerſerentur; tum ſibi ſocios junxiſſe, ſed monachili ſchemate in clericale mutato, atque hoc ipſo jam ab illa obligatione monaſticæ ſolitudinis ab-

abſolutos; vixdum autem pedem in aliquo loco ſecuriùs fixerant, & tantum ftuctum ſe collegiſſe adverterant, ut aliquanta eis quiete frui liceret, tum de conſtruendo quoque monachili Cœnobio cura aſſumpta eſt, quemadmodùm S. *Bonifacium* legimus cum Fuldenſi feciſſe, teliqua verò, ùt præcipuè de quo hìc loquimur, Fritislarienſe, ſicut neutiquam pro religioſis quietem capientibus, ſolitudiníque ſervientibus condi potuit, ſic pro Clericis, non pro Monachis certum eſt, fuiſſe deſtinatum. Quotquot igitur ſunt ſcriptores, qui tam liberè quæque monaſteria à Monachis Adoſtolicam prædicandi Evangelii vitam agentibus conſtructa, aſſerunt, Ordinis S. Benedicti fuiſſe, facilè reperiemus, id ſtatuere, non ex illorum temporum, Canonúmque combinata ratione, ſed ex ſola obvia, & tralìtitia arrepta ſimilitudinis argumentatione, opinantes exempli cauſâ, ſanctus *Bonifacius* à prima vivendi inſtitutione fuit Monachus: ergò & talis, cùm Germaniæ Apoſtolum egit, omnéſque ſub illo, uti & ipſa monaſteria, & quidem Ordinis S. Benedicti; quod tamen multum erit, ſi quis eo argumentorum pondere probaverit, quo nos monſtravimus, pleráque fuiſſe Clericorum, & quidem ſignatè hoc ipſum Fritislarienſe.

Porrò hoc Monaſterium diù Clericos Regulares aluit, diverſis tamen viciſſitudinibus ſubjectum, cùm nempe ſæpiùs Sacrilegas Paganorum infeſtationes ſuſtinere cogeretur: de quo tamen illud memorandum, quòd, cùm S. *Bonifacius* hanc Eccleſiam dedicans, per Spiritum Propbetiæ eandem nunquam incendiô violandam prædiceret, diù poſt S. Martyris obitum Saxones contiguos Haſſorum terminos ferro, & igne populantes, pariter hanc Baſilicam Fritislarienſem incendere molirentur, néque ullo conatu poſſent, poſtremò Divino quodam timore perculſi nullo licèt perſequente in fugam converſi ſint, unus verò eorum mortuus juxta Eccléſiam ipſam repertus fuerit genibus acclivis, ligna & ignem babens in manibus, & quaſi ore flans ad incendendam ipſam Baſilicam.

Demum Eccleſia iſta ceſſit ſæcularibus Canonicis, à quibus hodiedum poſſidetur.

Exiſtit in Haſſiæ inferiori ad fluvium Adranum in ipſa hujus nominis urbe. Serarius rerum Mogunt. t. 1. à pag. 309. act. SS. in vita S. Bonif. die 5. Jun. & 13. Aug. Baron. ad an. 755. n. 36. & an. 751. n. 6. &c. Gall. Chriſt. t. 5. col. 564. Willibaldus. in vita S. Bonif. apud Canis. t. 2. à pag. 233. Analecta Mabill. pag. 139. Gobel. Perſona Edit. Meibonii tom. 1. pag. 236.

S. Georgii Præpoſitura, *Fund circa an. 909. ſeculat.*

Eſt hæc Eccleſia antiquitate ſat commendabilis, quam *Chuonradus* Comes Loganægowæ Eburhardi Filius pro communitate clericali fundavit, dotavítque *Ludovici* Regis aſſenſu, circà annum 909. aut 10. Erat horum Clericorum vita communis, atque juxta recentiores Aquisgranenſis Concilii Canones inſtructa, utqotè quòd tum *Otto* in Chárta donationis locum hunc *Cœnobium* nuncupet *Deo illìc ſervientium*, tum *Adilhaid* Comes Palatina Rheni donationem ſe conferre dicat *Clericis S. Georgio Canonicè famulantibus*: ac deníque *Henricus* Rex non minùs in ſuis donationis litteris ſe *ſex manſos tribuere* aſſerat *ad Altare S. Georgii Martyris in loco Lyutburch dicto &c. in uſum fratrum ibidem Deo ſervientium*. Has voces eò ſecuriùs licebit nobis pro regulari horum Clericorum vita intelligere, quò certiùs ſcimus, quòd, ſi modó non tam diſertè hæc fundatio pro genuinis Clericis ſtaret,

eadem

eadem hæc vocabula pro loco Monachis religioſis adſtruendo facillimè ſufficſtura forent.

Cæterùm jam diù eſt, quòd hæc Præpoſitura Sæculares Canonicos obtinuerit. Exiſtit Limburgi in urbe 4tuor milliaribus diſtante Leodiô. Browerus in Annal. Trevir. L. 9. ad an. 909. n. 56. & n. 92. & L. 11. n. 132. & L. 12. n. 120.

Fundat. .. Ignoti.

Grevenradenſe. Virginum Canonicarum Prioratus. Hic Parthenon nullis alioquin nobis documentis, niſi quibûs Bollandus ſecundo tomo Januarii obiter tantùm uſus videtur, innotuiſſet, hinc eadem iſthìc annotamus: ſic autem ille: *Grevenrade Montenſis Ducatûs nobili cœnobio Canonicarum regularium Auguſtiniani inſtituti, magno in pretio eſt telum S. Sebaſtiani, quô configi nuces myriſticæ ſolent, vimque ex eo adverſùs peſtiferam luem hauriunt. Ibidem ejuſdem Martyris è ſcapula os aſſervatur, cui affuſa aqua ſæpenumerò luem profligat.* In Chronica Comitum de Marka refertur annô 1295. Adolphus Comes de monte ſepulturam ſuam in Grevenrade obtinuiſſe. Cùm alióquin de hoc cœnobio omnia nobis incomperta, ſi requiſita pro hujus hiſtoriæ plena deſcriptione monumenta nobis ſubmiſſa fuerint, non gravabimur, luculentiùs de eodem, noſtro in opere, diſcurrere.

Exiſtit in Ducatu Montenſi. Bolland. Tom. 2. Jan. ad diem 20. in addendis n. 71. Chron. cit. apud Meibom. Tom. 1. pag. 394.

Fundat. .. ſæculo.

Haslachenſe. Vetuſtiſſimum in inferiori Alſatia Cœnobium, quod *S. Florentius* Epiſcopus Argentoratenſis vigeſimus (ſi *Arbogaſtum* deceſſorem admittamus) ex *Dagoberti* ſecundi conceſſione exſtruxiſſe dicitur. An primitùs *Monachi*, an *Clerici* ejus loci incolæ facti ſint? non definio, quamvìs more ſuo Dionyſius Sammarthanus pro Monachis abſolutè conditum dicat. Exſtare adhuc chartam fundatricis pro certo edocti ſumus, in qua legitur: *ſub Canonica regula fratres ibidem militâſſe.* Nunc ſæcularibus Canonicis paret.

Exiſtit ad Rivum Haſel ſex ab Argentorato milliaribus. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 782. & 831. Jepes tom. 2. Chron. Docum. Commun.

Fundat. forte Sæculo nono ſæcul.

Heidelbergenſe S. Spiritûs Præpoſitura. De hac monitus ſum, ut noſtro Catalogo inferrem, utpote antiquiſſimam, & à ſui fundatione clericali ſocietate inſignem, quam putant quidam ſæculô nonò ſuam ſumpſiſſe originem, at mihi, ut de ea quid referam, obſcura omnia. A *Conrado* Palatino Rheni fratre Imperatoris *Friderici* circà medium ſæculum 12. reparatum eſſe pro Clericis, propè fidem eſt, neque abnuendum primitùs ibidem regulam Aquisgranenſem viguiſſe, utpote locum huic Concilio tum ſat vicinum. Hæc annotâſſe, ut monitis obtemperaremus, ſufficiet. Verùm niſi clariora interim nobis occurrant, Articulus iſte in ipſo opere dimittetur.

Exiſtit propè Nicerum decem milliaribus à Francofurto. Zeiler. Topograph. Palat. p. 29. Thomas Leodius de Antiq. Heildelb.

Fundatum circa an. 1115. Extinctum.

Heynenſe S. Petri. Prioratus. Meminit hujus Cœnobii Bucelinus in ſua Germania ſacra parte 2. nuncupátque ordinis *S. Auguſtini* Canonicorum regularium (fundatum & conſecratum in honorem Apoſtolorum Principis Petri in Diœceſi Wormatienſi) monaſterium, *quod*, inquit, *condidit ſub annum Chriſti 1135. Emico comes Leiningenſis, & multis bonis, ac redditibus locupletavit.* Reliquà incomperta, neque de illius exiſtentia, quidquam ampliùs cognitum.

Situm erat non procul Wormatiâ. Bucelin. German. ſacra t. 1. p. 1. pag. 45.

Fund. Exſtinctum. Ingelheimenſe SS. Caroli, & Wenceslai Præpoſitura. Fuit Ingelhemii antiquiſſima Eccleſia ſimul, ac nobiliſſima, quæ an jam antè tempora *Caroli* magni exſtiterit haud nobis compertum: at hujus Egregii Principis conatu, ac beneficiô, quemadmodùm regium iſthìc exſtructum palatium eſt, ſic pariter Eccleſiam, ſi non ùt fundatoris, certè laudatiſſimi reſtauratoris mirum in modum auctam fuiſſe, atque decoratam, indubium eſt, dum collatum ab *Hadriano* ſummo Pontifice muſivum, ac marmore Ravennatenſis Palatii celeberrimum theſaurum tam Ingelheimenſi aulæ ſuæ, quàm Eccleſiæ attribuit exornandæ. Hinc Hermoldus Nigellus in ſua Panegyri ait: hìc Ingelheimii

Quòd Domus alta patet centum præfixa columnis
Quo reditus varii, tectáque multimoda.
Mille aditus, reditus, millenáque clauſtra Domorum
Acta Magiſtrorum, artificúmque manu.
Templa Dei ſummo conſtant operta metallo,
Ærati poſtes, aurea poſtilia.
Inclyta Geſta Dei ſeries, memoranda virorum
Picturâ inſigni, quo relegenda patent.

Et præfata Ravennatenſia Decora non ſolùm Palatium regium, verùm etiam Eccleſiam excoluerunt; Münſterus enim in ſua Coſmographia tanquam ocularis teſtis ſequentia ſcribit, *fuerunt*, inquit, *eô ævô, cùm adhuc puer eſſem, ante* 50. *videlicèt annos, quinque, aut ſex columnæ lapideæ fuſiles in monaſterio, quas olim Carolus magnus ex Ravenna Italiæ unàcum aliis columnis, quæ hodie Aquiſgrani videntur, exportari fecit, ſed Princeps Palatinus Philippus illas tranſtulit Heidelbergam, ibique in arce eas in perpetuam artis fuſoriæ memoriam erexit.* Patet ex hoc Münſteri teſtimonio adjunctum quoque Eccleſiæ monaſterium fuiſſe.

Oritur hinc dubium de hoc, quod nos deſcribendum ſuſcipimus, Cœnobio, illúdne ſit *Caroli* magni temporibus tam affabrè ornatum, an diſtinctum ab illo? Hujus equidem exordia Trithemius ſignavit ad An. 1360. dum *Caroli* quarti Principis verè pii, ac religioſorum, præcipuéque Canonicorum amantiſſimi Munificentiam in complures Eccleſias, plusquàm regiam deſcribit: ejus verba ſunt ſequentia, *multas* ait, *in Bohemia Imperator de novo fundavit Eccefias, fundatásque tam à ſe, quàm ab anteceſſoribus ſuis, reliquiis, ornatibus, picturis, clenodiis, & variis donationibus magnificè honoravit. Aulam villæ Ingelheim, non longè à Moguntia, & Rheno, quam Carolus Imperator magnus pro caſtro reſidentiæ Majeſtatis ſuæ Cis-Rhenanæ quondam habuit, in monaſterium Canonicorum regulæ S. Auguſtini commutavit, ſtatuens, neminem in eo ad religionem ſuſcipiendum, niſi in Bohemia natum:* exiſtimaveram itáque pro ipſa illa veteri Eccleſia ſtandum, ut aſſererem eandem à *Carolo* quarto reparatam Canonicis noſtris extraditam fuiſſe: aulam autem nuncupari à Trithemio, non ſtrictè, ſed in complexo aulici templi, quod inter aulæ ambitum, ſeptáque continebatur: hanc enim à *Carolo* quarto

eò inhabitatam fuiſſe, ex hiſtoriis habemus. Quodſi tamen dicas, totam aulam in monaſterium *à Carolo* quarto mutatam fuiſſe, non pervicaciter reſiſto, maximè, cùm ſciam primam illam formam Palatii magna ex parte periiſſe. Etenim jam ſæculò 12. penè vetuſtate collapſum à *Friderico I.* reſtitutum Radevicus teſtatur in geſtis hujus Imperatoris L. 4. Idem fatum igitur obtingere ſubſequis temporibus potuit; ut cùm vix ampliùs ad apparatum domicilii regii ſufficeret, *Carolus* quartus in monaſterium commutaret, ipſâ Eccleſiâ aulicâ pariter reparatâ. Quidquid verò horum ſit, definire nil pro certo poſſumus, attamen monaſterium iſtud, quamvis ſolis *Caroli* quarti temporibus illigetur, eximium planè habendum eſt, atque ſumptuoſum, quemadmodùm ex Münſteri teſtimonio colligitur: quippe, quòd tunc non pauca adhuc veteris magnificentiſſimæ ſtructuræ ſupereſſent, quales illæ erant columnæ, quas Philippus Palatinus Heidelbergam ex hoc ipſo monaſterio ablatas tranſtulit.

Porrò refert ultrò Trithemius, *Carolum* quartum fundationis jura ſic conſtituiſſe, ut imprimis nemo in monaſterio iſto religionem ſuſciperet, niſi in Bohemia natus: *quod ita* (inquit idem) *hactenus ſervatur, usque in præſentem diem per annos non minus centum quadraginta quatuor. Subjecit autem ipſum cœnobium Abbati monaſterii S. Caroli, in Praga pro tempore exiſtenti, ad quem ejus viſitatio debeat pertinere.* Hæc Trithemius. Obſervat autem in notis ad Serarium Chriſtianus Joannis fundationem hujus monaſterii à *Carolo* quarto factam annò 1354. non verò, ùt vult Trithemius, 1360. probaríque illud dicit ex litteris (quas utinam edidiſſet) & deſignatione monaſteriorum quorundam ad uſus profanos redactorum.

Cæterùm ſub generali illa Cœnobiorum everſione iſtud quoque periit.

Exſtitit Ingelhemii. Serarius tom. 1. rerum mogunt. pag. 675. Trithemius Chron. Hirſaug. p. 243. & Spanheim. p. 327. Münſterus L. 3. Coſmogr. C. 178. Ermoldus L. 4. de Laud. Ludov. Pii &c.

Inſulenſe. S. Mariæ Prioratus. Obſcurior aliquantò ſua in narratione Browerus hujus Cœnobii ad an. 1456. in *Jacobo* 96. Archiepiſcopo Trevirenſi mentionem facit, dum inquit: eundem *Canonicos regulares Ordinis S. Auguſtini, Cœnobitarum genus ſanctitatis opinione atque virtutis apud Batavos, Friſios & Gelrios eô tempore florentiſſimum confluentiam primùm accerſiviſſe, hisque in Inſula Rheni ſedem, ab iisdem olim exulibus ſub Ottone Archiepiſcopo inſeſſam, propiùs urbem gymnaſium virtutis attribuiſſe.* Fundat. an. 1456. ſucc. Reticet intereà vir clariſſimus, quo fato hi ipſi Canonici ſub *Ottone* huc appulerint, cùm de iis in ipſo *Ottone* nullam planè memoriam habeat. Diſcimus porrò ex Buſchii Chronico Windeſemenſi, & ex Jacobo Revio, ipſo *Ottonis* tempore, hoc eſt, annò 1429. ob factiones enormes poſt obitum ultrajectenſis Epiſcopi *Friderici* de Blankenheim inter electores ortas, & in partes diverſas abeuntes, demum totam Tranſiſulenam provinciam à ſummo Pontifice, quòd *Aſſuerum*, quem Buſchius *Zuvederum* nuncupat, nollent recipere, diris ſubactam eſſe, atque tunc Windeſemenſes quoque; paucis infirmis exceptis, terram hanc Excommunicationi, & interdicto, mulctatam deſerentes in partes Comitatus Benthemiæ, ac Geldriæ emigrâſſe. Credibile ergo nonnullos fortâſſe ipſam confluentiam usque perfugiſſe; & ab *Ottone* Archiepiſcopo viro planè ſanctiſſimo inibi quoddam diverſorium obtinuiſ-

tinuiſſe, quamvis id nobis nec Buſchius, nec alii hac de re ſcriptores inſinuent. Hoc Inſulenſe *S. Mariæ* Cœnobium an. 1456. Windeſemenſis Congregationis fuiſſe, habemus ex ipſo ſecundo Monaſteriorum Catalogo apud dictum Buſchium: Ex quo ampliùs comprobari videtur, cùm Browerus Canonicos hujus loci ſub *Ottone* exules nominet, ex Windeſemenſi gremio dictô annô 1429. adeóque & ob allegatam cauſam huc appuliſſe. Erat verò horum virorum diſciplina, & converſatio tam ſancta, & exemplaris, ut, cùm ſub *Jacobo* Archiepiſcopo eôdem annô 1456. Eberardi-cluſa novâ Religioſorum Coloniâ ad inſtantiam Nobilium de Eſch Germanorum fratrum donanda eſſet, non alii in eam, niſi ex hoc ipſo pietatis alveario vocarentur, qui dein quàm egregiâ operâ Cœnobio iſti providerint hodierna adhuc florentiſſima Eberardi cluſana intemerata docet regularis obſervantia ſub Windeſemenſi Congregatione perſiſtens.

At locus, qui aliis etiam prodeſſe potuit ad profectum, ſui ruinam aut certè regularis ſaltem diſciplinæ extinctionem ſubire coactus eſt. Nam hoc ipſum Inſulenſe Cœnobium nullam ampliùs inter reliqua actu florentia Windeſemenſia monaſteria memoriam habere, docet nos nuper tranſmiſſus omnium actu exiſtentium Windeſemenſium cœnoboriun catalogus. Nos, quia certi nihil adhucdum nacti ſumus de omnimodo ejus interitu, in Elencho noſtro interim ſæcularibus annumeravimus.

Exiſtebat Confluentiæ, Browerus Annal. Trevir. tom. 2. L. 19. n. 99. Buſch. Chron. L. 1. C. 34. & 45. Revius Deventr. Illuſt. L. 1. p. 97.

Fundatum an. 1137. Exſtinct. Ittenvillerenſe. S. Chriſtinæ Abbatia. Fundata eſt à *Conrado* Argentoratenſi Canonico an. 1137. pro animabus Trutheri, & Berthæ Patris, & Matris in honorem *S. Chriſtinæ*. Hæc primitùs Abbatia, poſtmodùm multis vicibus acta, diverſis Cœnobiis ſubdita, demum furore hæreticorum in nihilum abiit. Annô enim 1454. Collegio *S. Arbogaſti* unita dicitur à Sammarthanis, quam unionem ſi quodam inſtrumento probâſſent, haud difficulter admitterem, verùm, cùm ex Buſchio ſciamus ipſum monaſterium *S. Arbogaſti* hoc tempore unitum fuiſſe Capitulo Windeſemenſi, ſanè credibilior eſt cum eodem facta unio hujus Ittenvillerenſis Cœnobii, quamvis illud in Catalogis monaſteriorum hujus Congregationis notatum non legamus. Profectò dum iidem Sammarthani ſubdunt dicentes: *Paulò poſt hanc unionem fuiſſe caſſatam à* Roberto *Epiſcopo, & ipſam Abbatiam Truthenhuſano* (æquè Windeſemenſis Congregationis membro) *incorporatam, tandémque ab eodem in prioratum mutatam*, omnia iſta conjecturam faciunt, hanc unionem fuiſſe Windeſemenſem. Hinc documenta, quæ nobis M. SS. Doctiſſimi viri, ac Canonici Imperialis Collegii Bettenhuſani Franciſci Petri communicata ſunt, disertè aſſerunt, ſub Congregatione Windeſemenſi hoc cœnobium floruiſſe, usque ad tempora, quibùs ſæculô decimô ſextô crudele ruſticorum bellum deſæviit, ubi à rebellibus ſubditis miſerè devaſtatum eſt. Fortâſſe autem hæc unio tardiùs contigit, ut ideò nec Buſchiano, nec Bodecenſi Catalogo inſertum reperiamus. Loci verò ſacri à nefandis ſectariis diruti redditus Epiſcopatui Argentoratenſi ceſſerunt.

Exſtitit propè Andlavium Gall. Chriſt. t. 5. Col. 849. Docum. Commun.

Kirs-

Fundat. an. 1226. Extinctum.

Kirsgartenſe, ſeu hortus B. Mariæ. Abbatia. Hoc cœnobium ab origine fuit Virginum Ciſtercienſium, quibus illud *Henricus* ſecundus Epiſcopus Wormatienſis trigeſimus octavus condidit annô 1226. ùt patet ex Chronico Wormatienſi per Ludewigium edito, in quo ſic legitur: *Henricus ſecundus Epiſcopus Wormatienſis iſte etiam incæpit, inchoavit, ſive fundavit monaſterium in Kirsgarten extra muros civitatis Wormatienſis versùs ſpiram in area, ſive horto Dominorum Majoris Eccleſiæ, quem hortum quidam Richezo Camerarius Domini Wormatienſis in feudum habuit ab ipſis Dominis, & poſteà de ilcentia Domini Landolphi, qui ſequitur, monaſterium in proprium dedit, & reſignavit. Henricus iſte monaſterium præfatum incæpit, & ſorores aliquas ibi introduxit, fuerúntque ibi Moniales ferè per ducentos, ab anno Domini 1226. usq; ad annum Domini 1441. & tunc deficientibus ibi Monialibus Ciſtercienſis Ordinis, introducti ſunt pro eis Canonici regulares, qui modò ibi ſunt.* Hæc præfatum Chronicon, refértque dein complures indulgentias, ac privilegia, quæ ſummi Pontifices, *Gregorius* 9nus *Alexander* 4tus, *Innocentius* 4tus huic cœnobio adhuc Parthenico contulerunt, ſimiliter & Imperatores, aliíquePrincipes terreni. Manſit hocGynæceum in florenti diſciplina, usque ad ſæculi 15ti initium, ſed tum, ùt idem Chronicon narrat, à prſtiino fervore Virgines defecerunt: cauſam verò ſuggerit fuiſſe: *nobilium filias ibidem, quandóque etiam Symoniacè receptas, prout in quadam litera antiqua*, ſe inveniſſe hujusChronici author teſtatur, tandémque juſto Dei Judicio virginibus omnibus per peſtilentiam extinctis, locus longo tempore deſolatus exiſtens Windeſemenſibus ceſſit ſub *Friderico* Epiſcopo Wormatienſi: hic enim cernens locum illum adeò expilatum, ut ne calix reperiretur, qui oppignoratus non eſſet, ſolo quodam paupere cum uxore, & filiis pro cuſtodia domûs conſtitutô, accerſivit Ciſtercienſes Abbates in Schonhom & Mulbrun alióſque plures, ut ſi non eſſent omninò deſperata remedia, locum priſtino virori reſtituerent, verùm diffidentibûs ſingulis, res mandante *Friderico* devoluta eſt ad Concilium Baſileenſe; Patres igitur Concilii Abbati Ciſtercienſi tum præſenti aperuêre hujus monaſterii negotium, petentes, ut id aut reformaret per ſuos, aut alii ordini contraderet, *qui, ùt erat vir Doctus* (verba ſunt Chroniſtæ) *intelligens loci deſolationem, dixit, placet, ut locus ille detur religioſis ordinis alterius, mendicantibûs exceptis. Mendicantes namq; nominavit manducantes ironicè, prout in Bulla ab ipſo data habetur, nollens omninò tales habere in loco illo. Igitur habito conſenſu, ille Fridericus Epiſcopus Wormatienſis unàcum Ludovico Palatino Rheni, & aliis bonis viris ad Capitulum Windeſemenſe Canonicorum Regularium miſerunt, & ut locum ipſum in ſuum mutarent ordinem, petiverunt: quibus annuentibus Patrem de Bodicken ad locum præfatum miſerunt, qui ibi veniens, & hominum naturas ibi conſiderans dixiſſe fertur, terra iſta eſt vinifera, ſed non religioſifera &c.* Hucúsque Chroniſta. Qui dein pluribûs deſcribit ipſius hujus cœnobii reformationem, præclarúmque mox ſubſecutum diſciplinæ implantatæ progreſſum, de quo nos ſuô locô plura.

Cæterùm refertur Monaſterium iſtud in ſecundo incorporationis Windeſemenſis Catalogo, & obſervat Chronicon Bodecenſe, fuiſſe illud à piiſſimo Arnoldo ad legem Windeſemenſem reformatum, *ſituatum*, ùt loquitur, in *Hirtengarten.* Quod vulgò interpretari liceret *Paſtorum hortum*, at Buſchius L. de reformat. monaſt. Cap. 6. nuncupat *Fürſtengarten, hortum Principum.* Reformationis opus

 pri-

primus aggreſſus eſt hujus loci tum Canonicus *Bertholdus* nomine, vir pietate, & maximè mortificatione eximius : Hic Windeſemenſibus pro dicta reformatione ſupplicans directorem obtinuit jam dictum Arnoldum, indigebat profectò tanto reparatore in ultimam propè ruinam tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus jamjam procumbens Monaſterium, ſed Deus, qui cæleſtium rerum emolumentum quærentibus, clementiſſimô providentiæ oculô mox terrena in neceſſitatis ſubſidium adminiſtrat, utrúmque iſthìc ſe conceſſiſſe Canonicis manifeſtè monſtravit : imprimis quidem regularem obſervantiam tam ſedulâ curâ Arnoldus promovit, ut cum augmento virtutis creſceret ; intra modicum tempus Deo ſervientium numerus; corporales autem indigentias mox inde ſublevari, quodam quaſi miraculo idem benigniſſimum Numen edocuit. Obtigerat námque ipſo reformationis tempore, ut *Prior Arnoldus, conſtituto S. Mariæ in horto interim pro Rectore ſuprà nominato Bertholdo, ipſe in ſuum Bodecenſem Prioratum cujuſdam negotii diſponendi causâ iter pararet : convocatis itaque Bertholdo, reliquiſque Canonicis, ubi Hyemis cominantem algorem ingruere cernerent, quærit ex iiſdem, velintnè, conſueta pro hoc tempore pellicea Paderbornì coëmeret, quibus ſe ab imminente frigore tuerentur : renuit id fieri Bertholdus, allegans magnam paupertatem tanquam pediſſequam adhærere ſibi, Fratribúſque ſuis, aitque potiùs velle ſe pro Deo, Fratréſque ſuſtinere frigus, quàm contrahere debita, quæ nequirent perſolvere : at obſtitère Canonici, & rem maximè neceſſariam omnino emendam cenſuère dicentes : Dominum Deum optimè ſuo tempore proviſurum, ut ſolvantur. Triginta igitur florenorum pretiô emenda pellicia concluſum eſt. Non diſtulit omnipotens Deus tam piam in ſe confidentiam illicò conſolari, nam alterâ die, cúm Canonici abſolutô prandiô* (ùt in locis planè regularibus noſtris aliquibus adhuc hodie mos eſt) *Pſalmum Miſerere decantantes in Eccleſiam procedunt, adeſt peregrinus quidam veſte humili, atque deſpectâ Rectorem Bertholdum ſignô manûs ad ſe provocans, cúmque is acceſſum negligeret, dictis precibus, rurſum miſſô nuntiô Rector à Peregrinô adeſſe expoſcitur, demum cum Arnoldo Priore exiſtimatum pauperem accedens hæc ab eo audit: Domini, inquit: mihi dilectiſſimi, peregrinus ſum, ùt habitus meus teſtatur, & ſingularem peregrinationem jam ſum facturus, habeo autem triginta florenos penes me, rogo, ut illos recipiatis in depoſitum, quodſi reverſus ad vos non fuero, prædicti floreni ad uſus veſtros permanebunt, imò donabuntur &c.* Non dubium, quin certi temporis moram, eámque fortè modicam præſignaverit hic peregrinus ſui reditûs expectandam, ut ſic citiùs depoſitum in donum neceſſitatis ſublevandæ tranſiret; refert enim idem, qui reliqua, quæ hìc attulimus, Author Bodecenſis Chron. pecuniam re ipſa in Religioſorum horum uſus tranſiiſſe. Erant inſuper hæc dona cæleſtia quoddam fæcundum ſemen ſubſequæ benedictſonis, quâ hi Fratres conſtanter poſtmodùm dignati ſunt.

Verùm quantùmcunque ſæculô decimô quintô, ac 16to floruerit &, ſummis etiam viris in pretio, fueris & amore, videtur tamen communem plurium Monaſterium infauſtam pariter devaſtationis partem ſubiiſſe. Quamvis enim apud Sammarthanos legamus, illud *nunc* Canonicorum Regularium S. *Auguſtini* eſſe, cùm tamen nulla nobis ejuſdem actualis exiſtentiæ noticia præſtò ſit, & in recenter communicato Monaſteriorum Catalogo omittatur, ne dubium quidem mihi eſt, illud ſub cineribus jacere exſtinctum.

Exſtitit propè Wormatiam. Chron. Wor-

Wormat. in reliqu. M. S. S. Ludewig. tom. 2. p. 113. & 153. &c. Gall. Chriſt. 5. Col. 711. Trithem. in Chron. Spanheim. ad an. 1226.

Fundatum 500. ſæcul. Lauterbachenſe: In Superiori Alſatia dicitur primùm à *Clodovæo* Rege Francorum conſtructum circà annum Domini 500. & anno 1070. Congregationis Marbacenſis Author, atque inſtitutor *Manegoldus* de Lutterbach in hoc Monaſterio notatur ſuæ Religioſæ vitæ Principia hauſiſſe, nunc verò in ſæculare collegium jam diù mutatum præpoſitum habet, Decanum, Cuſtodem, alióſque officiales.

Exiſtit in hac urbe. Hæc ex documentis Franciſci Petri accepimus.

Fund. ... Exſtinctum Lonechienſe. Abbatia: Unam hujus aliquando exiſtentiam ſub Canonicorum regularium inſtituto diſcimus ex Broweri annalibus, utpote qui diſertè aſſerit à Balduino nonageſimo Trevirenſium Epiſcopo ipſos Canonicos propter hoſpitalitatem immodicam, rei familiaris penè naufragium minantem translatos ad Meginenſe oppidum fuiſſe, ut vitam deinceps ex legis, ac Diſciplinæ præſcripto tranquilliorem degerent. Ex hoc ipſo Launnechienſi Cœnobio jam olim, id eſt, annô 1142. *Folmanni Abbatis rogatu*, prout idem Browerus inſinuat, *in pagi Valendri Viciniam proximè Rhenum apud confluentes Canonici tranſlati fuêre per Alberonem* octuageſimum primum Epiſcopum Trevirenſem, quos idem rarâ beneficentiâ complexus dicitur, novalium, & pecorum decimis eis remiſſis, ſimilíque onere fundis eorum, quos in prædio Valendræ Reinbaldus & Sigefridus Irenburgii donârant, levatis, deníque ab omni ſolutis ſæcularium Jurisdictione, ſolum Imperium ſummum ſibi Epiſcopo reſervante. Fateor hoc Valendrenſe Cœnobium, me reſolvere necdum poteram, ut inter noſtra referrem, cùm Mappam, & Elenchum perficerem, eò quòd ſemper crederem Valendræ Auguſtinianos, quos Eremitas vocant, fuiſſe inſtitutos, opinionem ipſe interpres firmavit ſua in Epitome Broweriani ſtyli (ùt hic idem fatetur) obſcurioris æquè, ac ſublimioris, quam, cùm in lectoris commodum compilâſſet, & nos aſſumpſimus, eò libentiùs, ab ipſo Broweri fonte hauriendo abſtinentes, quò acrior ipſe ſui ſermonis ſublimitate accideret. Cùm igitur Maſenius diſertè dicat in ſua Epitome ad annum 1142. *S. Auguſtini Eremitæ in Valender recipiuntur infrà confluentiam*, ultrà non ſoliciti hanc ſpartam Eremitis reliquimus, usque dum à lectione aliorum ſat copioſorum (ùt præſentis operis fert, neceſſitas) voluminum aliquantùm expediti, ad eos libros pervolvendos animum applicaremus, qui quidem non tanto, & exquiſito uſui, eſſent tamen non contemnendo emolumento. Itaque hos inter etiam ad Broweri Annales fundarè ſcrutandos pervenimus, atque tum reperimus, vacillâſſe Maſenium, neque Eremitas, ſed Canonicos illos fuiſſe, qui ab *Alberone* tranſlati ſunt ex Lonnechio Valendram, utpote quòd diſertè Browerus dicat: *Balduinum anno* 1326. *Meginenſe oppidum Canonicorum Collegio iſthuc ex Lonneche tranſlato excoluiſſe, quod idem ab Alberone quondam factitatum, qui ex Lanneche in Valendericanum agrum eos* (id eſt Canonicos, non Eremitas) *tranſtulit.* Ex hoc verò ſimul patet Lonnechienſe Cœnobium antiquiſſimum non ſolùm, ſed & viris religioſis opulentum fuiſſe, at nimiam hoſpitalitatis conſuetudinem cauſâſſe, ut totum Lonnechienſe aſceterium aliò transferretur. Præterea cùm Folmannum Abbatem legimus, ſuam Lonnechien-

nechienſem familiam transpoſuiſſe Valendram, partim obſervamus, Lonnechienſe Cœnobium Abbatiam jam tum, ſub *Alberone* nimirum exſtitiſſe; partim etſi Folmannus cum ſuis emigraret Lonnechiô, attamen non penitùs hujus oppidi Cœnobium Canonicis incolis deſtitutum fuiſſe, utpote cùm id primò ſub *Balduino* contigerit; ex quo tempore Lonnechii Canonici Regulares eſſe ceſſârunt.

Exiſtit in oppido hujus Nominis. Brow. Annal. Trevir. L. 14. n. 48. &. L. 17. n. 72.

Fundat. . - Extinctum Maësmünſterienſe. Magnificum fuiſſe dicitur in Sundgovia Diœceſis Baſileenſis in Alſatia Superiore Virginum Canonicarum Collegium ab Illuſtriſſimo viro *Maſô* Alemaniæ Duce fundatum pro decem Canoniſſis, & ſex Canonicis, tribus deniqúe Capellanis. Quamvìs verò id Bucelinus ſuis accenſeat, ùt aliàs, ſic & in hoc hallucinari eundem ex Documentis Franciſci Petri monemur, in quibus notantur exſtare hodiedum Bullæ Pontificiæ diſertè *Domicellas Masmonaſterienſes* nominantes *Canoniſſas Regulares ſancti Auguſtini*. Hæc quemadmodùm certa eſſe non ambigimus, ſic optaremus Bullas præfatas nobis in formalibus communicari.

Exiſtit adhuc, ſed ad Sæculares Canonicas tranſiit. Ex docum. præf.

Fundat. an. 1471 floret. S. Magdalenæ Virginum Canonicarum Prioratus. Hujus Fundationem Gelenius ad an. 1471. & Gall. Chr. ad an. 1446. conſtituit, reformatámque tum fuiſſe aſſerit per *Theodoricum* de Motſa Archi-Epiſcopum Colonienſem, quidquid porrò ex his verius ſit, habemus tamen pro certo Cœnobium iſtud noſtri ſemper inſtituti fuiſſe. In eo verò recipi mulieres ſolent, quæ Virginitatis lauteam humana fragilitate amiſſam congruâ quærunt deflere pænitentiâ, hinc locus ipſe S. *Magdalenæ de pænitentia*, vulgò in der Büeſſen nuncupari conſuevit, ſtipem de cætero magna ædificatione per urbis plateas colligunt, ac manuum labore vivunt, & in ipſa Colonienſi urbe hodiedum florent.

Gelen. de Magnit. Col. L. 4 Synt. 38. Winhemius Sacrar. Agrip. pag. 282. Reverendiſs. D. Matthæus Matthæi in Docum. Commun. Gall. Chriſt. Tom. 3. Col. 706.

Marbacenſe *S.* Irenæi Abbatia. *Fundat circa an 1089 floret.* Hujus Fundatorem aſſignant omnes *Manegoldum* (quem ſuprà diximus Canonicum Lautterbachenſem fuiſſe) cum *Burchardo* nobili milite, ac miniſteriali Cathedralis Eccleſiæ Argentinenſis. Sic Miræus diſertîs verbis: *Cæterùm*, inquit, *annô milleſimô nonageſimô quartô, vir pius Manegoldus Monaſterium Canonicorum D. Auguſtini apud Marbach in Alſatia Superiore condidit auxilio & opibus viri nobilis Burchardi à Gebelsviller*. Idem teſtatur Guillimannus, & omnium maximè lapis ſepulchralis, in quo hæc inſcriptio legitur: *Anno Domini M. C. XXX. I. - - - - ⊖ bonæ memoriæ Burchardus miles de Gebliſtvviller Fundator hujus loci*. Burchardus igitur Fundator fuit, æs requiſitum ſuppeditans, at Manegoldus eundem Burchardum ad hunc beneficentiæ actum diſponens, reliquáque, ad Canonici inſtituti implatationem ordinans, atque perficiens.

Origo verò conditi Cœnobii ad annum 1089. ſtatuenda videtur ex obſervatione Chartæ, cujus notas Chronologicas Sammarthani proferunt, quam quia nos nacti non ſumus ſuperfluum ducimus de veritate examinare. Verùm aliàs docemur exſtare vetuſtiſſimos Rhytmos in hac Eccleſia Theotonicè exaratos, nobíſque communicatos,

in

in quibus dicitur fundatum Monaſterium annô 1060. Miræus aſſignat annum 1094. Id certum ante 1096. fundatum fuiſſe, & quidem Canonicis, quos poſterioribus temporibus paſſim S. *Auguſtini* Regulares nuncupandi mos eſt, ſic enim *Urbanus* in ſua bulla huic Monaſterio data, annô præfatô, Pontificatûs verò ſui nonô: *Urbanus S. S. D. dilectis Filiis in Marbacenſi Eccleſia Canonicam vitam profeſſis, eorúmque ſucceſſoribus in eadem religione permanſuris in perpetuum &c.* Data verò hæc Bulla eſt ipſi *Manegaldo*, quem Pontifex Præpoſitum nominat: *Nos*, inquit, *veſtris per familiarem Filium noſtrum, veſtrum autem Præpoſitum Manegaldum precibus annuentes, tam vos, quàm veſtra omnia ſub tuitione Apoſtolicæ ſedis excipimus, & præſentis Privilegii auctoritate munimus. Statuentes enim, ut nemini inter vos profeſſione exhibitâ proprium quid habere, nec ſine Præpoſiti, aut ſine communi Congregationis licentia de clauſtris diſcedere liberum ſit &c.*

Prima Colonia huc vocata fuerat ex Congregatione S. *Rufi* tunc per totum orbem celeberrima, cujus inſtitutis adeò præclarè profecit Marbacum, ut caput fieret plurimorum ſuæ informationi, ac directioni ſubditorum Monaſteriorum; ita quidem, ut ad trecenta numeraverit, atteſtante id quodam pervetuſto codice manuſcripto; quod an ſic ſit, in medio relinquimus, nos certè hunc codicem non luſtravimus, qui ſi ſuæ vetuſtatis authoritate pondus expeditum adferre poteſt, fortè in hoc ipſo numero obſcurior exiſtit, ut locô CCC. facilè primitus ſcripta fuerint tria XXX. primis à læva parte cornibus harum litterarum X. aut abletis aut abraſis, ut in tria CCC. abierint. Quidquid horum ſit, certum tamen manet, nobiliſſimum olim Marbacum fuiſſe, exſtant enim documenta non modica hoc ipſum confirmantia. Annô 1350. Abbatiali dignitate jam decoratum habemus ex duplici charta, de qua meminêre Sammarthani, quarum una chronicam notam præfert anni prædicti, altera anni 1253. in utrâque Henricus tunc huic Cœnobio præſidens *Abbatem* ſe nominat, verùm his ipſis temporibus notatur Marbacum enormiter bellorum injuriâ defeciſſe, adeò quidem, ut penè ad nihilum redactum miſerante Argentinenſi Epiſcopo *Bertholdo* litteris datis annô 1244. fidelium Eleemoſynis levari quærerent Canonici Marbacenſes.

Porrò licèt fortâſſe hoc modo aliquantùm reconvaleſceret Abbatia Marbacenſis, videtur tamen poſt centum, & aliquot annos nova iterum reformatione indiguiſſe, cùm Buſchius in ſuo de reformat. Monaſteriorum libro disertè dicat, per Priores & Fratres de Bodike reformatos Marbacenſes circà annum 1440. Windeſemenſi Congregationi fuiſſe unitum, fortè ſub Abbate Nicolao; quo tempore Abbatia juxta ſolitas Windeſemenſes conſuetudines in Prioratum mutata eſt. Sed nec iſtud tam firmum munimen novis labeſcentis Diſciplinæ minantibus ruinis adeò reſtitit, quin iterata reformatione egeret Marbacum; quæ tamen quamvis eximia planè ſolicitudine quæreretur à *Joanne* Argentinenſi Epiſcopo, peſſimam ſortem reperit in eo, quem *Joannes* hac de cauſa advocaverat exiſtimato reformatore Wernero Titiano Canonico regulari Windeſemenſi, ignotum, cujus Collegii profeſſo: hic etenim (cùm per aliquod tempus prioris munus Marbaci obiret) Coloniam in Priorem vocatus ad Monaſterium SS. Corporis Chriſti, non ſine gravi Argentinenſis Epiſcopi *Joannis* indignatione eodem inſciô non ſolùm abſque rectore Eccleſiam viduam

duam reliquit, verùm etiam poſtmodùm redeundo rurſus (ignorante *Joanne*) ſui locò novum Priorem Marbaci conſtituit absque tamen eo, quòd aut Epiſcopo, aut conventui Marbacenſi adminiſtrationis ſuæ rationem ullam reddiderit, cum duobus ſuper hoc noviciis iterum Coloniam profectus, & omnem paratam pecuniam, in ſpecie verò ex aliquot plauſtris vini paulò ante divenditis redemptam ſecum abducens; atque ſic Monaſterium prædictum (ad cujus tamen utilitatem promovendam ratione præſtiti Juramenti tenebatur) præter omnem ſpem, & expectationem cum ſumma ingratitudinis nota ſpoliavit &c. prout his ipſis penè verbis Jonnes conqueritur in litteris adhunc Wernerum datis anno 1585. die 8. Auguſti, eundémque ad reſtitutionem ablatæ pecuniæ, imò præſentandam ſuam propriam perſonam compellit: quid verò Wernerus fecerit non conſtat, ipſi tamen Monaſterio ſubventum adhuc fuiſſe credibile eſt.

Cœterùm multis actum viciſſitudinibus emerſiſſe demum in meliorem fortunam docet modernus illius ſtatus, quo præ reliquis Windeſemenſibus collegiis florere cognoſcitur, & ejuſdem Ampliſſimus D. D. Præſul ſolus cum Rebdorffenſi, unus eſt, qui inter omnes Priores Windeſemenſes Pontificalibûs inſignibûs utitur.

Exiſtit in Alſatia paulò ſuprà Columbriam oppidum. Buſch. L. 1. de refor. Monaſt. Cap. 6. & Chron. Wind. L. 1. C. 45. Gall. Chriſt. t. 5. col. 884. & in inſtr. n. 45.

Fundat. ſæculo 12. Ord. Præmonſt.

Marcetenſe. Præpoſitura.

Fundationem ſuam atque Originem debet *Alberoni* Trevirenſi piiſſimo Præſuli, cauſam huic fundationi ſuppeditaverit haud dubiè Abbatia Sprinckinbacenſis; cùm enim Browerus ſcribat *Alberonem* ampliſſimis legatis ea monaſteria proſecutum eſſe, quorum in publicis Eccleſiæ ſuæ motibus operâ, opibúsque adjutus fuerat, & hoc ipſum Marcetenſe cœnobium Congregationi Sprinckirspacenſi unièrit, non obſcurè eruitur in vices gratitudinis *Alberonem* hoc monaſterium Marcetenſe condidiſſe. Quo annò Præſulatûs *Alberonis* hoc factum ſit, ante ejusdem mortem, quæ annô 1152. decimô octavô Kal. Febr. contigit, ſcrutari nequivimus. Porrò *Alberonis* liberalitati *Rudolphus* quoque Miniſterialis S. Petri Trevirenſis quædam bona proprietatis ſuæ adjecit, hæc verò reciprocatâ munificentiâ iterum adauxit *Albero*, dum reginien Parochiæ, tertiam partem decimarum, ac Eccleſiam de Vileari Marcero contulit. Hodie hæc Eccleſia ſub tutela Archiepiſcoporum Præpoſituræ titulô Wadtpaſſenſi Abbatiæ Ordinis Præmonſtratenſium ſubeſt.

Exiſtit in pago hujus nominis propè Trevirim Brow. Annal. Trevir. tom. 2. L. 14. n. 83.

Fundat. 840. Ciſtercienſium

Mariæ, aliàs, Marienmünſter Virginum Canonicarum Abbatia.

Trium monendus eſt lector errorum, qui quoad iſtud Cœnobium in mappam noſtram, ipsúmque Elenchum irrepſerant, primò, quòd illud *S. Mariæ hortus* nuncupetur, ſecundò quòd Prioratum illud virorum ſtatuerimus, cùm eſſet Abbatia Virginum, tertiò deníque quòd exſtinctum notaverimus, cùm ſit Ordinis Ciſtercienſis. Hîs præmiſsîs: traditur hic Parthenon fundatus jam annô 840. ab Imperatore *Ludovico* Pio ſub Epiſcopo Wormatienſi *Samuele*, unde Chron. Wormat. antiquiſſimis litteris ſcriptum, inveniri, ait, in Eccleſia hos verſus:

clau-

Clauſtri Fundator Ludovicus Induperator.
Princeps Egregius, cui det Deus arce poli jus.

Fundatum verò fuiſſe pro Virginibus Ordinis S. Benedicti idem Chronicon aſſerit, cui conſentit Trithemius & ex eo Miræus, ac Bruſchius: perduràſſe ſub hoc inſtituto videtur usque ad tempora *S. Burchardi* Wormatienſis Epiſcopi, ab anno circiter 1002. ad usque 1025. præſidentis, non verò *Landulphi*, circiter annum 1240. quò ciſtercienſe inſtitutum iſthic introductum eſt, ùt vult Bruſchius, & ipſum quoque Chronicon Wormatienſe, dum ait: *quòd Landolphus hunc locum reformavit, repellens ex eo moniales Ordinis S. Benedicti propter malam ſuam vitam, & introduxit moniales ciſtercienſis Ordinis, quæ modò adhuc in eo morantur.* Obſervo autem de hujus Chronici compillatore, qui probabiliùs Canonicus fuit regularis Kirsgartenſis, uti jam ante nos notavit Ludewigius. Obſervo, inquam, hunc ſcriptorem fideliſſimum eſſe in referendis iis, quæ aut legerat in antiquis documentis, aut àudierat, ſed rerum, temporúmque, ac circumſtantiarum combinationem planè non curâſſe, ſic (ut ex pluribus ſolummodò unum exemplum adducamus) dè Kirsgartenſi Cœnobio ſcribit capite 38. quòd *Henricus* Epiſcopus inceperit monaſterium præfatum, *& ſorores aliquas ibi*, inquit, *introduxit, fuerúntque ibi moniales ferè per ducentos* (annos) *ab anno Domini 1226. usque ad annum Domini 1441. & tunc deficientibus ibi monialibus ciſtercienſis Ordinis introducti ſunt pro eis Canonici regulares.* At Cap. 49. ait: *Anno Domini 1443. Kirsgarten monaſterium reformatum fuit per Dominum Fridericum. In eo namque Cœnobio ab anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, usque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum triceſimum fuerunt moniales Ciſtercienſis Ordinis &c.* qui ergò cap. 38. ſcripſit moniales prædictas ab annò 1226. ad usque annum 1441. ibidem fuiſſe, capite 49. refert earum initium ad annum 1245. & emigrationem ad an. 1430. quoad introductionem dictarum Virginum novendecim, & quoad emigrationem undecim annis aberrans, quod factum exiſtimo per uſurpationem diverſorum inſtrumentorum, quæ aut combinare omiſit, aut nequivit. Unde in noſtro caſu pariter eum deliquiſſe, nec ſibi ipſi ob hunc defectum conſtare facilè monſtramus: nam qui ſcripſit benedictinis Monialibus ſucceſſiſſe ciſtercienſes, adeóque juxtà hanc relationem haud dubiè ſuppoſuerit nunquam in hoc monaſterio alterius niſi Benedictini inſtituti homines usque ad annum 1240. perſtitiſſe; diſertè innuit ſub *Burchardo* fuiſſe Canoniſſas. Poſtquam enim narravit *Burchardum* poſtulantibus hujus cœnobii Virginibus ſororem ſuam tunc adhuc ſæcularem in Abbatiſſam, iſtámque multùm quidem renitentem, tandem perſuaſionibus *Burchardi* conſentientem ordinaſſe ſubjungit: *hæc dum ſervus Dei audiret, gratias Deo toto corde rependens, exultavit, ſtatímque regulam Canonicam ſimul & & computam; nec non & vitam patrum, ac dialogum, alióſque libros huic vitæ convenientes eam diſcere præcepit &c.* Regulam ergò Canonicam ſoror Burchardi (quam Chroniſta prædictus *Mahillam: Mathildem* Sammarthani & Bruſchius dicunt) non Benedictinam, monaſticámve didicit, ex quo patet, cum Parthenonem hunc jam inſtitutum Canonicum induiſſe, quod eò mihi probatur firmiùs, quò certior ſum ex Gregorii Noni Epiſtola 231. ſæculò 13. ibidem Ca-

nonicas Regulares fuiſſe, atque has, non verò Benedictinas ob ſcandaloſam vitam ſuam, in quam cum deſciverant, amotas, locum præbuiſſe ciſtetcienſibus. Verba ad propoſitum noſtrum facientia ex eadem epiſtola ad electum Wormatienſem Landolphum annô 1236. ſcriptâ, hæc ſunt: *Super eo, quòd in Eccleſia S. Mariæ Suburbii Wormatienſis ſunt, ùt aſſeris, Canonicæ Regulares, quarum converſatio, cùm vivant nimis diſſolutè, honeſtati penitùs contradicit, Apoſtolicum remedium implorâſti &c.* Ipſe ergò *Landolphus* dixit Canonicas Regulares fuiſſe, ut ideò hæc res extra omne jam dubium ſit. Et concordat maximè, *Burchardi* jam tempore inſtitutum Canonicum tum in bunc Partbenonem inductum fuiſſe, quòd illud eodem tempore reparatione eguerit, nam teſte Cbroniſta Wormatienſi, ipſa Mathildes fratre exhortante & adjuvante clauſtrum ſimul, & monaſterium penè deſolatum non ſolùm renovavit, ſed & reædificavit, ac dedicari fecit, & in ſervitio Domini cum ſororibus ſibi commiſſis die, noctúque corde, & animo ſtabiliſſimè permanſit, earúmque converſationem, fratre adjuvante, ſicut Canonicus poſcit Ordo, rationabiliter per omnia diſpoſuit; aut ergò paulò antè, aut ipſo *S. Burchardi* tempore Canoniſſæ Benedictinis ſucceſſerunt, atque perdurârunt usque ad annum 1236. aut ſi mavis cum Bruſchio annum Ciſtercienſium inductarum conſtituere 1240. dicendum erit literas Papales tum primò executioni datas fuiſſe. Verùm Chroniſta Wormatienſis hunc ipſum annum inſinuat Bullæ expeditæ. Neque verò putandum eſt, cùm Benedictinas excepêre Canonicæ, id laxitatis cauſâ factum fuiſſe, profectò quemadmodùm jam audivimus, quàm ſtabiliſſimè in ſervitio Domini cum ſororibus ſibi commiſſis Mathildes permanſerit, ita nullátenus dubitandum à tempore Mathildis, quæ præeſſe cæpit circa annum 1025. usque ad ſæculi circiter 13. initium adeóque penè ducentîs annis bene floruiſſe hoc Gynæceum, donec demum diſciplinæ remedium reſpuentibus Canoniſſis ſuppoſitæ ſunt Ciſtercienſes, quæ ibidem adhuc ſubſiſtunt.

Cbron. Wormat. in reliq. M. SS. Ludew. tom. 2. C. 5. & 15. &c. Gall. Chriſt. tom. 2. Col. 709. Bruſch. in Chronologia Monaſt. pag. 292.

S. Mariæ in Hertzenhagen aut Hynzenhagen Prioratus Windeſemenſis, *Fundat.., Exſtinctum,*

& jam à priſtinis temporibus Canonicorum regularium monaſterium; quod dein per Zeloſum illum, ac piiſſimum virum Arnoldum Huls Windeſemenſem ſuſcepit reformationem, unde ejusdem tam Chronicon Windeſem: quàm Bodecenſe meminit. Erat in hoc monaſterio devotiſſimus ille Canonicus *Conradus Froberle*, de quo author Cbronici Bodecenſis memoratu non indigna enarrat, ut ejus virtutem, ſanctósque mores, & magnum Divinæ Clementiæ amorem commendet. Fuit Conradus iſte in Bodecenſi Monaſterio inveſtitus, & eodem ſuæ indutionis die, cùm ſicut aliàs fieri conſuevit, Prior tunc temporis Daniel nuncupatus, vir eximiæ ſanctitatis ob rerum penuriam lautioribus cibis conſolari Canonicos ſuos non poſſet, ad patientiæ epulas tanquam pinguiſſimum virtutis convivium eosdem invitavit: at ecce non defuit neo-induto Conrado Dei pietas: nam ipſa die lupi cervam de ſylva expellentes inſectationibus ſuis verſùs monaſterium Bodocenſe fugere compellebant, proximámque eidem loco mactabant;

bant ; ſuperveniens autem huic tam ſubito facto quidam devorus Laicus abactis lupis, cervam mactatam indicavit Priori, qui lætatus de tam benevola Dei in indigos fratres providentia præfatæ cervæ carnibus (ùt inquit Chroniſta) non ſolùm inveſtitionis Die (quo ipſis præſertim lætandum erat) ſed & tribus ſequentibus diebus, quibus veſci carnibus licitum, ſufficienter ſunt refecti. Hic idem Conradus Virgini Matri devotiſſimus, cùm aliquando deſperatô jam à medicis morbô decumberet, eandem ſupplici ſimplicitate alloquebatur : *ô Virgo Maria ! impetra mihi gratiam apud Dominum JEſum Chriſtum filium tuum, ut de hac infirmitate reconvaleſcam, & ego, omni die, quoad vixero, unum ſertum tibi legam.* Moxque Marianum auxilium obtinens ſequente nocte integræ ſanitati non ſinè miraculo ſe reperit reſtitutum. Cùm veró indies Conradus iſte virtutibus accreſceret ad hoc Herzenhagenſe Monaſterium eſt deſtinatus, ubi exemplô, & pietate omnes Conſodales ſuos ad eximiam imitationem allicuit. Plura de hoc Venerabili Conrado mira, & apertè ejus ſanctitatem comprobantia adferre poſſemus; ſed quia iſta in opere noſtro ex Conſilio tractabimus, ſolùm in commendationem hujus cænobii hæc attigiſſe ſufficiet. Nunc de illo nihil diſcurrendum occurrit, utpote (cùm nulla recentior ejus memoria habeatur) aut manibus ſubactum hæreticorum, aut bellorum injuriis diſſipatum.

Situs illius erat duobus milliaribus ſuprà Moguntiam. Chron. Bod. Cap. 10. 11. 50. Buſch. l. cit.

Fundat... Floret.

S. Maximini Virginum Canonicarum Prioratus :

quamvis teſte Winhemio hic Parthenon ob Eccleſiæ elegantem ſtructuram non minimus inter reliqua monaſteria Coloniam condecorantia habeatur, vix quidquam tamen de eo referendum conſtat, præterquàm, quòd certum ſit, illum adhuc hodie Virgines Canonicas ſecundùm regulam *S. Auguſtini* incolere, easque velatas ; inſuper locum hunc multis ſanctorum elevatis monumentis, & reliquiis conſpicuum reddi, inter quas etiam eminent *S. Agathæ* Virginis, ac Martyris. Meritò cauſari poſſemus plerorúmque Parthenonum, neſcio, quàm illiberalem planè ſuorum Documentorum tenacitatem, niſi id nobis univerſim quoad omnes has (quas adeò labori noſtro inclementes experiri cogimur) conſilio ſit, atque ſolatio, ne in minimo optimæ intentioni noſtræ tales obſfuturas, ideo neque nos ultrò inſiſtemus ad ſua documenta promenda : utpotè, quòd partim multorum benevolentia ſatis ſuffectura ſit propoſito noſtro exequendo, partim ipſi ſe ſatis prodant, quo affectu in honorem augendum tum propriorum monaſteriorum, tum totius Ordinis agantur.

Exiſtit in urbe Colonienſi, in vico qui à templi hujus Patrocinio nomen habet. Winhem. in Sacrar. Colon. pag. 268. Gelen. L. 4. ſync. 38. Reverendiſſ. D. D. Matthæus Matthæi in Docum. Commun. Bol. rom. 1. Feb. ad Diem 5. §. 3. n. 26.

Fundatum Exſtinct.

Meginenſe, Præpoſitura.

Hujus Originem, inſtitutique quòd ſit noſtri, rationem non aliter niſi ex breviſſima Broweri relatione aucupari licuit, quàm penè totam in Lonechienſis Cænobii deſcriptione dedimus, ſcilicèt : *Meginenſe oppidum variis operibus Balduinum Trevirenſem Epiſcopum, inſtructum Canonicorum* Colle-

Collegiô, iſtuc ex Loneche, ubi propter hoſpitalitatem immodicam, rei familiaris penè naufragium adjerat, translatô celebre feciſſe; atque quò vitam deinceps ex legis, ac diſciplinæ præſcripto tranquilliorem degerent, clauſtro ædificia eorum circumſepſiſſe, ac honeſtam iis Eccleſiam attribuiſſe. Cæterùm nihil omninò nobis notitiæ reliquum: ut augurando potiùs, quàm quidquam definiendo & præpoſituram olim, & nunc exſtinctam notaverimus: ad illud aſſerendum, potiore illius ævi conſuetudine, ad iſtud verò, altô recentiorum ſcriptorum ſilentiô aſſerendum perſuaſi.

Exſtitit Meginæ. Brow. Annal. Trevir. Lib. 17. N. 72.

Fund. circa an 1043. ſacular.

S. Michaelis, nunc S. Simeonis Præpoſitura.

Portam Treviris olim nigram appellabant gentiles, quam in bellum profecturi egrediebantur, nec intrabant reduces, niſi victi ingenti luctu, ac quærimonia: atque ita *nigram*, quaſi atro mærore ſuffundendam dicebant. Vixerat in hac ſolitarius Eremita beatus *Simeon* trevirenſibus de ſua ſanctitate non minùs, quàm prodigiorum fama notiſſimus, integro ſeptennio vitam virtutibus eximiis decoram explens, cùm demum ad Superos abiit. At *Poppo* tunc Trevirenſium Epiſcopus; ut probitati *Simeonis* apprimè cognitæ (cum quo ante recluſionem, Jeroſolymitanam peregrinationem tranſegerat) poſſibili pietate parentaret, ex recluſorio ejusdem, imò tota nigra porta Eccleſiam adjuncto monaſterio condidit, & nobili Canonicorum Congregatione ſtabilivit circa annum, ut videtur 1043. fuit *Poppo* diſciplinæ regularis, & Clericalis obſervantiæ incomparabilis Zelator, ut nè dubium quidem admittere ejus fervor videatur, quin in hoc *S. Michaelis* & B. Virginis, quorum gemino Patrocinio Eccleſiam ipſe dicatam voluit, Cœnobio regularem inſtitutionem primitùs induxerit, ſaltem ut tunc in pleriſque iis partibus florentis regulæ Aquiſgranenſis. Multa eſſent, quæ hiſtorica iſthic de hoc Canonicorum Clauſtro, deque Eccleſia narranda ſuppeterent, quia tamen alia ad propoſitum noſtrum magis conducentia deſiderantur, his obtentis, reliqua quoque ipſo in opere adjungere non ambigemus. Nunc Collegium iſtud ſæcularium eſt Canonicorum.

Exiſtit Treviris Brow. Annal. Trevir. L. 11. n. 82. Maſen. in notis ad Propareſcev. Brow. Cap. 21. Chron. Mag. Belg. p 107.

Fundat. ſæcul. primo. Sæcular.

Moguntinenſis S. Martini Cathedralis.

Nobiliſſimum, & vetuſtiſſimis etiam temporibus venerandum Collegium Moguntinenſe deſcripturo ſolùm ad ea usque tempora, quibus ſcitur vitam regularem dimiſſe, tantam diſcurrendi meſſem ſuppeditat, ut penè ipſam hanc, quam præfixam habemus, ſynopſim excedere cogamur, ſi laconico etiam ſermone ea, quæ magis ad præſens propoſitum ſunt, diſcutere, atque reſolvere paremus. Unum ex præcipuis (quódque hic omittere nefas eſſet) nobis negotium faceſſens, eſt ipſa inquirenda inſtituti ratio, quô primitùs, & per multa ſæcula in hoc loco vixêre Clerici, ſeu, ut eos dicimus, Canonici. Olim nulla difficultas oberat aſſerentibus, hos ipſos Clericos votivos fuiſſe, ſuffecerat enim viris etiam doctiſſimis in antiquis monumentis reperiſſe collegium aliquod dictum conſultò *monaſterium*, aut Canonicos, Clericósve in eo, communiter ſua habentes, degiſ-

degiſſe, unde indubitanter concluderent, eosdem ipſos votivos, ac regulares exſtitiſſe: neque unquam exſtimabant, has voces, ſi pugnent (dum de Monachis quæſtio agebatur) pro his, ut votivi eſſent, minùs valere pro Clericis, quippè eâdem ratione utrísque favente, cùm, ſicut Clerici diſcrepantes inter ſe reperirentur, regulares ſcilicèt, ac ſæculares, ſic monachi non minùs eſſent regulares, & ſæculares, de quibus nos in exegeſi noſtra plura diſſeruimus. Hinc liberè adeò *Pennotus*, noſter: *Moguntia*, inquit, *Metropolitana usque ad annum, ſaltem circiter* 1000. *regularis manſit*. Citátque ad ſtabiliendum aſſertum, *Bruſchium* & *Tritemium*, qui uno ore, calamóque conclamant *Moguntinenſes Canonicos* ad ſimilitudinem aliorum *ſecundùm regulam eis præſcriptam in communi* vixiſſe. At hodiernorum criticorum ingeniis, cruda nimis, ac obvia hæc argumentandi methodus deſipit, illúdque videtur eſſe veritati propius, quod ſubtiliùs excogitatum, quamvis longè à veterum ſcriptorum ſimplicitate alienum, unde cùm Moguntinam Eccleſiam *Chriſtianus Joannis* Monaſterium antiquitùs nuncupari, ipſos quoque Canonicos, jam *Conventum Fratrum de Domo*, jam *Conventum Fratrum de S. Martino* legiſſet, ſimul etiam *Serarium* ex harum vocum interpretatione non quamcunque communem, ſed *monaſticam*, hoc eſt, *votivam* inter Canonicos Cathedrales diſciplinam intellexiſſe comperiſſet, ſic enim ille: *inter omnia*, inquit, *monaſteria primum & perexcellens fuit, quod apud veteres Epiſcopale, aut majus, aut verò S. Martini monaſterium appellatur: hodie Metropolitanum Canonicorum collegium - - - quando autem monaſtica diſciplina contigerit immutatio, dicetur fortè infra opportuniùs &c.* Ex quo apparet Serarium disertè communem illam Canonicorum Moguntinenſium vitam pro *monaſtica*, id eſt, *votiva* habuiſſe, hæc, inquam, cum dictus *Chriſtianus Joannis* legiſſet, in notis ſuis ſequentia prodit: *an*, inquit, *hæc nomina, monaſterium majus, monaſterium S. Martini, Conventus Fratrum de domo, Conventus Fratrum de S. Martino, inferant, Metropolitanam Moguntinam primitùs verum Monaſterium, ſeu Monachorum cænobium, vel ipſos etiam Canonicos, veros Monachos, ac tribus ſollennioribus votis obſtrictos fuiſſe, expendit Hedvvichius in notis ad Chriſtiani ſecundi Chronicon ſect. I. §. I. disertè verò contra auctorem Serarium negat Anonymus aureæ Moguntiæ ſcriptor* §. 14. *ſect. I. n. V. p.* 108. *& ſequen. quibus addas Hoffmannum Annal. Bamberg. L.* 1. §. 84. *p.* 53. *Friſeum contra loca citata propiùs ad auctorem Serarium accedere videas.* Helwichius verò in notis ad Chriſtianum hæc ſcribit: *quòd* (Eccleſia Moguntina) *monaſterium & conventus Fratrum ab antiquo fuit apellata, ipsique Canonici etiam fratres dicti, ratio eſt, non quòd primitùs verum monaſterium ſeu Monachorum Cœnobium; vel ipſi etiam Canonici veri Monachi, ac tribus ſolennioribus votis obſtricti fuerunt (ut plurimi inanibus rationibus innixi falsò arbitrantur) ſed quòd Canonici olim in eadem ſimul domo, uno in loco, qui clauſtrum dicebatur, habitarint, Communi refectorio, ac dormitorio juxta concilia, ac decreta patrum uſi fuerint, & in omnibus ita regulariter vixerint, ùt eorum vita monachali vitâ non videretur eſſe inferior, ut Molanus teſtatur his verbis: priſci Canonici absq; votis monaſticis Canonicam & regularem atque communem vitam ſanctè egerunt. Et aliô in locô: erat eis communis menſa Commune cellarium, commune dormitorium, communis oratio ſimul, ac lectio &c.* Itáque ut cum

Hel-

Helwichio Joannis Chriſtianus, & quique eisdem adhærentes votivam vitam univerſim Cathedralibus Canonicis antè ſæculum undecimum abnegent, ajunt omnia ipſos communia habuiſſe, nummis exceptis. Verùm an Helwichius, ſeu Molanus, ſeu quiscúnque alius noſtra, quæ in exegeſi adduximus, argumenta penſaverit, aut nota habuerit, tamen inde *inanes rationes* eſſe dicat, plurimùm dubito. Quòd ſi enim argumenta contrariantium valerent, ut, quamvìs in aliqua ſocietate communis menſa, commune cellarium, commune dormitorium, communis oratio ſimul, ac lectio fuerit, votiva tamen vita defuerit, actum de omnibus Conciliis hoc ipſum evidenter aſſerentibus, actum de Hildebrandi in ſynodo Romana 1059. tam ponderoſa, quàm celeberrima adverſùs Clericos apoſtatantes à propoſito ſuo habita invectiva oratione, actum deníque de veritate illa, qua idem Hildebrandus deſertis terminis enuntiavit, *dudum* ideſt, *pridem, Communem vitam tum in Romana urbe, tum provinciis atq; Parochiis eidem ſpecialiùs pertinentibus & cohærentibus noſci nonnullos communem vitam, exemplô primitivæ Eccleſiæ amplexos ſimul & profeſſos eſſe, in tantum, quòd nihil ſibi reſervaſſent proprium &c.* ſtante enim præfata Helwichii, & Molani explicatione communis vitæ, quis quæſo ullum Clericalem conventum usque ad ſæculi undecimi finem aſſignabit votivè vixiſſe, ſi iſtud non ex allegatis communis vitæ, menſæ, Cellarii &c. verbis elicere liceat: & quòd ſi non iſtud? næ tales ipſis Monachis vitam votivam abnegare cogentur. Neque enim ex hac ſola voce prolata unquam fas erit concludere, Monachus erat, ergò votivus. Dici enim de quavis tali ſocietate poterit illud effugium, *monaſticam* dictam, quòd clauſtraliter, & in communi, non verò, quòd votivè vixerint. Neque proderit reponere hoc aſſertum ſolùm in Clericis, nnn Monachis locum habere: prætérquam enim, quòd jam obſervaverimus in Exegeſi noſtra, quàm difficulter non raró monachi à Clericis prioris ævi apud veteres ſcriptores diſcernantur, ultrò eſt, quòd diſparantia dari non valeat, cur potiùs vita votiva pro Monachis, quàm pro Canonicis pugnet, niſi hæc, quòd in pluribus Canonibus legamus *Canonicis dare & accipere* ſuô modô concedi, quod inhibetur monachis. At hi, qui iſti fundamento innituntur, non penetrant qualitatis votorum diſcrimen, apud Canonicos & Monachos, cùm certum ſit, *ſolennitatem votivam* Monachis pridem, & jam penè à temporibus Gregorii M. non paucis, à ſequenti verò ævo plerísque impoſitam fuiſſe, neutiquam verò Canonicis. Quos ergò cum diſcretione loqui decuiſſet, ut Canonicis, quamvìs *ſolenniora vota* religioſa abnegarent, admitterent tamen ſimplicia. Dum omnia omninò abjudicant, viderint, quî ſe à præpoſtera ſententia immunes tueantur.

Nos autem principiis noſtris ſolidis, certis, ac evidentibus, non *inanibus rationibus* innixi omninò aſſerere cogimur Eccleſiam Moguntinenſem certò, ac indubitanter regularem fuiſſe, & votivam, neque tamen Monachilem, ſed verè, ac genuinè Clericalem. Utrumque demonſtro: Moguntinenſem primariam Eccleſiam olim votivam fuiſſe agnovêre plerique ſcriptores. Trithemius apertè enuntiat: quòd circà ſæculi decimi finem cum plerisque aliis Moguntinenſes Canonici regularis vitæ communitatem abjecerint, ſed hanc non intelligit in ſola Communi menſa, Cellario &c. Verùm & *in una burſa* conſtitiſſe, quæ

Trithem. in hiſt. Hir. ſaug. ſub an. 907. & 977.

a Phædo-ne apud Ling. V. pe-unia.

quæ ſola cauſam ſuggerit adverſa ſentientibus; ut meritò illud hìc Platonis locum inveniat: *propter pecuniarum poſſeſſionem omnia prælia nobis fiunt.* Quòdſi enim hujus in Clero veteri Communionem, & proprietatis abnegationem admittere auderent, facilè in ipſa quoque religioſa Clericorum, ſeu Canonicorum Moguntinenſium vota conſentirent. Bruſchius ad ſæcularitatem defeciſſe eosdem, ait, tempore Wiligiſi (in quo tamen fallitur, ùt inferiùs videbimus) ergò antea religioſos fuiſſe ſuppoſuit. Concilium ipſum Moguntinum annô 814. habitum, cùm Canonicis præcipit, ut ſimul manducent, & dormiant, & in ſuis Clauſtris maneant, à pleriſque ſcriptoribus nullo partium, aut affectûs ſtudiô præpeditis hanc inſtitutionem renovâſſe ſecundùm normam religioſam, & votivam cenſetur. *Albertus* Cranzius ſcribens de *Hildeboldo* Epiſcopo monaſterienſi ſæculô, ùt videtur, nonô, præſidente ſic ait: *Excepit illum* (nempe deceſſorem Rumoldum) *ordine IX. in ea Eccleſia Hildeboldus, cujus memorabile nomen inde eſt, quòd fratribus ſuis multa providens benè fecerit. Admoneor hoc nomine, quòd in annalibus ubique lego, per Eccleſias vixiſſe fratres ordine utique Canonico ſub regula divi Auguſtini &c.* Si ubique, ergò & in Moguntinenſi, quæ quaſi ſpeculum erat, & prototypon plurimarum ſibi aliarum Eccleſiarum. Certè Nebridius noſter in ſuo Antiquario ſcribit ex Epiſtola ſecunda apud Gretſerum manifeſtè conſtare Moguntinæ Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicos adhuc fuiſſe religioſos tempore *Henrici* quinti (ſexti dicere voluit) *Friderici* filii, qui in Imperatorem electus eſt annô Domini 1190. hanc in Gretſero Epiſtolam necdum reperi, quamvis ſolertiùs quæſitam, neque tamen fidem derogo, maneóque tamdiu in hac tot doctorum, & præcipuè veterum ſcriptorum aſſerta veritate, uti pro aliorum, cum quoque pro hujus Moguntinenſis Eccleſiæ votiva ſuorum Canonicorum regularitate, quamdiu adverſarii non protulerint argumenta ſuffulta efficaciore pondere rationum. Aſſerere enim, & interpretari ad libitum, veterum voces, ac dicta quiſque facilè poteſt, faciliùs adhuc aliorum argumenta ludicro Sarcaſmo propellere, & jam *fabulas* jam *commenta*, jam *inanes rationes* proclamare, at argumentis à viſceribus cauſæ petitis aſſertionem, interpretationémque ſuam tueri, hoc viri eruditi eſt, atque amantis veritatem. Sic conſtituta Moguntinenſium Canonicorum regularitate, & hac *votivâ*, ad aliquantam ipſius Eccleſiæ, monaſteriique deſcriptionem procedendum.

Cranz Metrop. l. 3. c. 15.

Multa equidem eſſent, quæ de hujus origine, ac progreſſu enarrari poſſent, at, ampliſſima qui cupit, Serarium adeat; quî verò, quæ noſtrum in illa inſtitutum concernunt, cum pleriſque viciſſitudinibus, ac fatis, tum Epiſcopos ipſos, tum res alias attinentibus, ea in opere noſtro futuro latè comperiet, usque ad tempus illud, quò propè certi ſumus regularem vitam in illa exſpirâſſe, quod ipſum de aliis quoque paſſim Cathedralibus Eccleſis huic prodromo inſertis obſervari cupimus.

Moguntia igitur per *S. Creſcentem D. Pauli* diſcipulum primum Epiſcopum circà annum 58. redemptionis noſtræ obtinuiſſe dicitur, unde in M. S. à Serario citato, ſic legitur: *Sacroſancta Moguntina tempore beati Petri Apoſtoli vicarii Chriſti, primùm Catholicæ fidei radiis illuſtrata per Creſcentem, beati Pauli Apoſtoli diſcipulum, ipſum primum ſuæ ſedis meruit habere*

Antiſtitem. Hic fidem Moguntinis cum omni pietate, ac ſanctitate primus implantavit radice tam firma, ut ea nullis occurrentibus etiam graviſſimis perſecutionibus, aut calamitatibus ſubverti, aut evelli poſſet: virtutem in his Moguntinis, & devotionem in Deum oportuit profectò fuiſſe ingentem, atque hinc Eccleſiam Cathedralem dubitari non poteſt conditam eſſe latiſſimam, cùm enim S. Hieronymus teſtetur apud

Vide Epiſt. XI. t. 1. p. 60. circ. &c. an. eundem Serarium t. 1. L. 1. C. 16. n. 3. *dum Moguntinum nobilis civitas, capta atq; ſubverſa eſt, in Eccleſia multa hominum millia trucidatos fuiſſe.* Facilè magnitudo ex tanto numero incolentium doceri poteſt, & quamvis quidem quarta hæc Moguntiæ vaſtatio notetur à Serario, non tamen dubitandum, etiam primam Eccleſiam ſua laudabili mole conſtitiſſe. Hæc olim & fortè primitùs dicata eſt *S. Stephano* Protomartyri, neque quis ambigat adjunctam fuiſſe Clericorum ſocietatem; nec eam vulgarem, ſed Apoſtolica imitatione præcipuè in terrenorum abrenuntiatione inſignem. Unde doctiſſimus ſerarius, dum de illis multis hominum millibus trucidatis loquitur, *hinc* inquit: *Exiſtimare poſſumus, in Eccleſia illa ſacerdotes, & Clericos, religione, devotione, atq; conſtantia populo reliquo præiviſſe.* Scilicèt eo modo, quo ex S. Iſidoro audivimus in Exegeſi relato, ſi bi tanquam populi Duces non renuntiaſſent terrenis, & Apoſtolos perfectè imitando vixiſſent, quomodo vel ipſa ſanguinis profuſio pro Chriſto, & calamitates omnes perferendæ vulgo illi necdum radices ſolidas in virtute Chriſtiana figenti perſuaderi potuiſſent. Quo verò tempore adjunctum Metropolitanæ Eccleſiæ monaſterium fuerit, non ſatis perſpectum; quamvis, ut aliàs diximus, credibile primitùs domicilium ſuum Clericos intrà ſepes Eccleſiæ habuiſſe, ſaltem tecto muríſque exterioribus utrúmque obtegente, donec pace per *Conſtantinum* redditâ publica Clericorum aſceteria eſſe inciperent, quod & tunc Moguntiæ exſtructum, non difficulter affirmamus. Usque ad Willegiſi Archiepiſcopi tempora, hoc eſt, ad ſæculi decimi finem ſub S. *Stephani* patrocinio Eccleſia Metropolitana ſubſtitit, tum verò ab eodem iſto Archipræſule peculiari Æde ſacra in honorem S. *Stephani* condita, metropolitana S. *Martino* conſecrata eſt, unde Anonymus vitæ Bonifacianæ Author apud dictum Serarium: *Gallia atque Germania Martini ſe clypeô defendi præcipuè gloriantur, qui eaſdem partim abſens verbo edocuit, partim ſua venerabili præſentia à malis imminentibus liberavit. Sic igitur quemadmodum & Apoſtoli, poſt tranſitum ſuum, ſub titulo nominis ſui ſedes pontificales habere promeruit ....harum, ſedium una eſt Turonica ..... altera Moguntiaca tertia Trajectenſis. Verùm hæ duæ, Moguntiacam dico & Trajectenſem, poſt annos à tranſitu ejus plurimos, ob nimium ejus amorem, privilegio memorando nominis inſignitæ ſunt.* Obtinuit autem hæc Eccleſia, ut paſſim nuncuparetur. *Monaſterium S. Martini.* Quod Serarius ait propter Canonicorum regularem, & Monaſticam, id eſt, votivam vitam fuiſſe attributum. *Donec*, inquit: *è priſca vita, diſciplinaq; auſteritate in leviorem, ac liberiorem Canonicorum rationem viſum deſcendere: ſed ita, ut prioris illius ſtatûs inſignia retenta complura ſint, maximè triſtior, ac ſimplicior ille niger habitus, quò in adventu & quadrageſima templum ſolent accedere Reverendi, ac nobiles Domini Canonici.* Alia adbuc notiora, & proximiora ad regularem vitam indicia diù ab ipſis retenta, dabimus in no-

ſtræ

ſtro opere. Cæterùm notat Chriſtianus Joannis hunc triſtiorem habitum, qui ſublatis òmnibus reliquis ultimò retentus eſt, nunc pariter in deſuetudinem abiiſſe. Patet verò ex his, cùm *Willegiſi* tempore Eccleſia primaria nomen S. *Martini* induerit, & inde dicta ſit monaſterium S. *Martini*, hallucinari Bruſchium opinantem ſub *Willegiſo* ad ſæcularitatem primùm Canonicos Moguntinenſes defeciſſe: profectò hic ipſe mos vulgaris dicendi *Monaſterium S. Martini*, *Conventus Fratrum de S. Martino*, potiùs arguit, quâdam renovatione, diſciplinæ ſeverioris obſervantiam ſub *Willegiſo* incæpiſſe, cùm alióquin nomen *monaſterii* &c. *S. Stephano* affigi debuiſſet: neque etiam id negabit, qui *Willegiſi* viri planè religioſi acta percurrerit, cui cùm integritas Canonicæ diſciplinæ adeò cordi fuerit, ut ad S. Victoris, monaſterium & clauſtrum conſtruens Canonicorum, *ſecundùm regulam Canonicam res Eccleſiaſticas ritè ordinaret*, ùt inquit Biographus S. *Wurchardi*, an putamus in Metropolitana, adeò neglexiſſe veterem Apoſtolicam normam vivendi, ut ſuos in ea Canonicos ad ſæcularitatem tranſire ſineret? nunquàm ego aſſentior, ut his perſpectis, & ponderatis motivis Bruſchii opinioni ſubſcribam.

Porrò fuit Eccleſia Moguntina celeberrima, nobiliſſima, ac opulentiſſima, unde *Chriſtianus* ſecundus Archiepiſcopus Moguntinus in ſuo Chronico, quod ſcripſerat, quiqueab annô 1249. ad 1251. præfuerat: *Eccleſia*, inquit, *& ſedes* (intellige Moguntina) *ab omnibus Regibus, & Imperatoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, & Liberis, & omni populo venerabilis habeatur, propter Pontificum ſanctitatem, Cleri Devotionem, civium pietatem, qui tamen in rigorem peſſimum, & ſuperbiam, modò & duritiam ſunt converſi.* Quod verò opulentiſſimam dixi, profectò hoc ipſum perſpicient (ut nihil dicam de proventibus, quos Canonici recipiunt) dictum Chronicon legentes, utpote ubi enarrantur Cruces aureæ, & argenteæ, veſtes purpureæ, ac pretioſæ, tapetia, dorſalia &c. miræ ſubtilitatis, & pulchritudinis, vaſa etiam ſacra, tam ſtupendæ magnitudinis, ac ponderis, ut penè fidem excedere videantur. Certè inter alia, unum calicem ſacrum idem Chriſtianus ſcribit fuiſſe, cujus ſpiſſitudo erat unius digiti ex auro puriſſimo, & per rotum, ram in pede, quàm ſuprà gemmis pretioſiſſimis ornobatur, habebat etiam duas anſas, quæ poterant manus replere levantis, ſicut ſolent habere lapides mortarii, patena erat latitudinis, & ſpiſſitudinis calici congruentis, & ipſa gemmis per circuitum decorata, calix habebat altitudinem unius ulnæ, & capere poterat dimidium ſextarium vini &c. ut nil referam de aliis eandem Eccleſiam mirè nobilitantibus: verùm, ùt apparet ex deſcriptione lamentabili, ipſius hujus jam *Chriſtiani* Archiepiſcopi tempore, aliam penè faciem aſſumpſit aut potiùs jam habuit hæc Eccleſia.

Denique, quandò regularem obſervantiam abjecerint Canonici Moguntinenſes non divino, probabilius tamen autumo id ſæculi 12. fine contigiſſe.

Serarius ſæpè citatus tom. 1. & 2. rerum moguntiacarum. Et alii per decurſum cit.

Nazareth Virginum Canonicarum Prioratus. *Fundatam floret.* Latet nos hujus cœnobii exordium; cæterùm Winhemius memorat Eccleſiam illius elegantem eſſe, ſituarſque in platea *S. Gereonis*, *in qua* inquit, *dictæ moniales valdè reſor-*

reformatæ perfectioni Monaſticæ in magno numero laudabiliter incumbentes, Dominicis, & Feſtivis diebus Miſſæ officia, & horas Canonicas decantant, in labore manuum valdè elegantes.. Exiſtit in dicta platea urbis Coloniæ, florétque adhuc ſub noſtro inſtituto. Winheimus Sacrar. Agrip. pag. 272. n. 56. Gelen. L. 4. ſynt. 38.

Fund 1250 Floret.

S. Nicolai Virginum Canonicarum Prioratus.

Fundatus à Gelenio dicitur annô 1250. pro iisdem ſacris Veſtalibus ſub *S. Auguſtini* Canonico inſtituto. Harum præcipua cura eſt juvenes puellas tam domeſticas, quàm extraneas ſolerter inſtruere in iis, quæ huic ſexui apprimè congruunt. Reliqua nobis de hoc Parthenone incomperta, niſi quòd hodiedum floreat.

Exiſtit in urbe Colonienſi, vulgò uff dem Burghoff. Winheim. cit. p. 271. 54. Gelen. cit. Docum. Reverendiſſ. D. Matthæi.

Fund. 1074. Floret.

Noveſianum S. Mariæ Prioratus Windeſemenſis.

Certiſſima eſt Bilancis qualitas, ut, dum una pars immiſsô pondere deprimitur, altera ſuâ levitate elevetur: tali bilance meritorum præcipuè, ùt fieri poterat, ſæculi undecimi, duodecimíque initio appendebantur quaſi in ſtatera, Canonicorum in multis, iisque nobiliſſimis Ecclèſiis diffuſorum facta per regularis hactenus diſciplinæ obſervatæ diſtrictum examen, & tum, quò plures ſæcularium more viventes levitate quaſi liberatis ſuæ elevabantur, eò ex altera parte, numerò quidem longè impares, at pondere regularis Conſtantiæ firmiores deprimebantur egregiè ad ſolidum religioſæ vitæ fundamentum. Breviter ad rem noſtram Joannes Molanus L. 1. de Canonicis C. 14. *cùm*, inquit, *ſub Philippo* 48. (fortè 51. ùt habent Sammarth) *diſciplina regularis in Eccleſia Colonienſi relaxaretur; nonnulli Canonici in regulari obſervantia manere volentes, aliis ab ea deficientibus monaſterium Nuſſienſe erexerunt.* Fuit igitur erigendi hujus Nuſſienſis Cœnobii cauſa præcipua, ac occaſio, relaxata ex parte una at ex altera quæſita diſciplina regularis. Verùm nemo, ùt credimus, Nuſſienſis Monaſterii originem, ſeriémque hiſtoriæ per plures annos digeſtam meliùs nobis exponet, quàm eruditus, fidelísque Nuſſienſis Chroniſta: hic igitur *Ordinis*, inquit, *Regularium reparatio per univerſam latinitatem ſe dilatare .... incæpit annô ſalutis* 1074. *ſæculares verò Canonici majori proparte ad regularis vitæ tramitem, unde exciderunt, non ſunt reverſi, ex quibus Canonici majoris Eccleſiæ colonienſis (Domini videlicet in ſummo) exſtiterunt: Nam anteà ſub Abbate Deo regulariter militaverunt, prout etiam Carolus magnus Rex, & Imperator, in Aquiſgrano, & in Hoyo, & aliis diverſis locis inſtituit: in recompenſam tamen, memorati Domini in ſummo monaſterium Canonicorum regularium ſub Præpoſito ſecundùm regulam B. Auguſtini Deo militans in ſuburbio civitatis Nuſſienſis in Grangia ipſorum fundaverunt, annô Domini* 1171. *indictione* 14. *ſub Alexandro Papa regnante Friderico primò hujus nominis Imperatore ſub Archiepiſcopo Colonienſi, Philippo de Hynsbergh.* Ex quò patet Bucellini Error *Raynoldi* Deceſſoris *Philippi* mortem ponens ad an. 1181. cùm conſtet ex Anſelmo Gembl: Chroniſta noſtro concordante, Philippum electum fuiſſe 1166. obiiſſe 1190. addit præfatus Chroniſta: *Fundator verò fuit Sigiſvvinus.* Canonicus nimirum majoris Eccleſiæ Colonienſis. E- narrat poſtmodùm ingentem præ- *G[illegible]. Chriſt. 1167.*

fatorum

ſatorum Canonicorum erga hoc neo-fundatum à ſe monaſterium munificentiam. *Iſti ergò* inquit, *monaſterio, majoris Eccleſiæ Colonienſis Canonici non exiguam partem redditaum ſuorum partiti ſunt, præſertim, cùm nonnulli eorum, converſionis gratiâ, ipſum monaſterium intrarent, quorum Deus contigerat corda: Nam nobile illud domicilium in Eltzeri, juxta Grevenbroech ipſis regularibus tradiderunt, & vineam magnam propè Reynſs, inſuper & octo plauſtra vini, prout exaratum habetur in lapide ſummi Altaris ejusdem Monaſterii, usq; in hodiernum diem, tradiderunt etiam eidem memorato monaſterio allodia diverſarum decimarum, & curtium, ac earum pro quotidiana ſuſtentatione de multis affluenter providerunt victualibus, quemadmodùm adhuc in antiquis Regiſtris eorumdem dominorum in ſummo reperitur. Inſuper etiam in ſignum unionis ſtatuerunt, ùt aliquoties Præpoſitus monaſterii regularium propè Nuſſiam viſitaret chorum in ſummo in Colonia, & reciperet Canonicam portionem, ſeu præſentiam, quemadmodùm unus ex ipſis Canonicis. Adolphus etiam Archiepiſcopus Colonienſis, ſucceſſor Philippi dedit monaſterio memorato regularium juxtà Nuſſiam Annô Domint* 1195. *piſcariam in Arnapha vel Erpia rivo, quì monaſterium prædictum præterfluit, incipiens juxta villam Grimlichuſen ſuprà Nuſſiam, & terminatur in Rhenum fluvium, infrà Nuſſiam, prout litteræ teſtantur, quæ adhuc cum in ſigillis in eodem monaſterio habentur, & in tantum inclytum regularium iſtud factum eſt monaſterium, apud populares, unde etiam inſignior porta Nuſſienſis, & platea ejsdem traxerunt nomen usque in hodiernum.* Hæc adducere ex præfato Chroniſta ſecundùm ſuæ deſcriptionis tenotem oportuit, ut certiſſimam habeamus cauſam, originem, dotemq́ue fundationis eximiam hujus præclatiſſimi, ac nobiliſſimi Collegii, quod ſuccedentibûs annis ptæſtantiſſimos ptoduxit ſuæ regularis, ac inculpatæ Converſationis viros. An autem hæc Canonia ptimitùs ſolùm pto Nobilibus fundata ſit, nulla documenta, quæ nos vidimus, docent: ut adeò potiùs quidam recentior ſcriptor, ex privatâ conjecturâ videatut hoc ſcribens hauſiſſe, quàm ex veteribus monumentis. Perſticit in Eximia pietatis ſemel incæptæ æſtimatione tribûs integris ſæculis, atq́ue tum demum aliquantùm vacillare in ſuo tam diù conſervato laudabiliſſimo cœpit propoſito, ſed quia & hujus fati ſeriem dilucidè, tamq́ue fideliter authot noſter deſcribit, cui ob veritatis inconvulſæ ptærogativam in hoc paſſu, utpote optimè ſui proprii monaſterii viciſſitudines, eventúsque dignoſcenti nihil aut addendum, aut demendum meritò judicamus, hinc ptoprium ejusdem ſenſum, contextúmque quamvìs aliquantò ptolixiotem apponere non erit indignum: Sic ergò ille, *cùm ſuperiùs,* inquit, *dictum ſit de reparatione Ordinis regularium, tempore videlicèt Gregorii ſeptimi hujus nominis Papæ, quì cœpit annô Domini* 1074. *& multa, magnáque ubi terrarum fundata ſunt monaſteria, & maximis divitiis à principibus, & Prælatis, ac Divitibus ſolenniter dotata; Rurſus idem Ordo Regularium in diſſolutionem prolapſus eſt, cùm Monaſtica diſciplina diù cum temporalium affluentia perdurare non queat. Et quamvis ad ſecularem vitam non fuit devolutus, à primæva tamen inſtitutione, & ejus regulari reparatione ubique penè terrarum defecit. Tunc igitur inclyta etiam regularium Præpoſitura propè Nuſſiam regulari claudicavit à tramite, & tandem non exiguum poſt tempus à primo miſerabiliter omninò deflexit fervore: ſimúlque ex divitiarum apice ad profundum*

inopiæ locum decidit, ut univerſa, quæ magnificè ipſis collata, & omnia undecúnque aggregata diviſim vendiderint, ac inutiliter paſſim dilapidaverint. Tunc etiam venditum fuit nobile, ac pretioſum Dominium Celzen (de quo ſupra dictum in fundatione memoratæ Præpoſituræ fuit) *Dominis de ordine Tentonicorum pro quindecim millibus florenorum. Sed valuit, ùt à Prædeceſſoribus noſtris intelleximus, ultra viginti millia florenorum. Etiam vendita eſt vinea iu Reyas Canonicis ad ſanctum Andream in Colonia. Tunc etiam alienatæ ſunt Eccleſiæ cùm decimis ſuis in Nivenum, & in Creefrath, de quibus adhuc habentur documenta. Una tantum remanſit Eccleſia, videlicèt in Noreſſ dicta, cùm Curti & decimis ſuis; Etiam de antiquis bonis monaſterium retinuit curtim in Bevinchhuſen, juxtà caſtrum Dickt, nunc autem in ſervitutem Dominorum ex abuſione frivola redactum. Plura alia bona à Præpoſitis, & fratribus in illo diſſolutionis tempore fuerunt alienata; quæ ſpecietenùs ignoramus, eò quòd venditionis tempore bonis unà cum litteris vel documentis fratrum (* fortè fratres) *renuntiaverint. Tunc etiam ad fratrum reprobam vitam quotidiana victualia ex cellario Dominorum in ſummo Colonienſi templo ſunt ſubtracta, & hucúſque abolita. Irreformationis iſtius tempore, irreformato fratres etiam utebantur habitu. Nam ad carnem lineis utebantur indumentîs, deinde Brachatis nigri coloris, more ſæcularium curioſè ligabantur. Deſuper tunica ad ſæcularem modum plicata nigri coloris induebantur, & loco habitûs utebantur lineo ſcapulari ſubtili, cùm Cappis & almutiis, more Canonicorum ſæcularium, formatis, nec non ſtannatis.*

Cùm igitur annum Domini 1400. *Divinæ placuiſſet volantati monaſterium Canonicorum regularium extra muros civitatis Nuſſienſis ſuæ ſanctiſſimæ Matris ſemper Virginis Mariæ Colonienſis Diœceſis ad regularem vitam, unde multis annis exciderat, ut dictum eſt, reducere; perſonas ad hoc aptas ex pluribus ſibi elegit. Nam idem monaſterium usque ad ultimam deſolationem tunc temporis erat perductum, ut ruinæ Lectorum monaſterii, & alia ædificia ruinoſa ad oculum demonſtrarentur. Igitur tunc temporis erat ibidem Præpoſitus à fratribus monaſterii clectus, Petrus, de Domo Theutonica nominatus, de civitate Nuſſienſi oriundus, qui vidit viſionem in ſomnis, in hunc modum: viſus eſt ante altare ſtare S. Joannis Evangeliſtæ (quod ſitum eſt ſiniſtra parte Eccleſiæ monaſterii, quæ nunc in ſacriſtiam ordinata eſt, in quo collocata erat imago Beatæ, & glorioſæ Virginis Mariæ, ſub pedibus ſuis conculcans antiquum ſerpentem, quæ Imago nunc annò Domini* 1498. (habes hìc benevole lector ætatem Chroniſtæ noſtri, qua vixit, ſatísque exinde hujus hiſtoriæ recentia monumenta ei adfuiſſe potes advertere) *ſtat in altari Virginum; ibi igitur Præpoſitus Petrus viſus fuit flectere genua, & eam ſalutatione Angelica (ſcilicèt ave Maria) ſalutare, cùm ſalutationem eadem imago tanquam ab indigno ſibi oblatam reſpuens, extensâ manu prædictum Præpoſitum ab Altari cùm indignatione removeret. Præpoſitus videns ſe deſpectum, à tanta & tam ſibi dilecta Patrona, in quam ſuam fiduciam poſt Deum ſemper ponere conſuevit, totus in lachrimas diſſolutus eſt, ita, ut Lachrimæ illi non imaginariæ, ſed reales eſſent, & verè ambas maxillas ipſius humectarent. Tunc per Imaginem illam Virgo prædictum Præpoſitum ſic affatur: ſi vis te emendare juvabo te. Ad hanc vo-*

tem Præpoſitus cum lachrimis reſpondit : Etiam Domina Chariſſima, volo me emendare. Cúmque illa manum ſuam extendens ad eum diceret, ut id promitteret, Præpoſitus prædictus miſit manum ſuam in manum imaginis, &, ut ſibi videbatur, mollitiem aliquam manu ſua ſenſit, & evigilavit. Cùm autem rediiſſet ad ſe, invenit adhuc lacrymas per maxillas defluentes, & vehementer attonitus, quid iſta, quæ viderat, ſignificarent, tacitâ mente ſecum ſæpè revolvebat. Iſta ab ipſius præpoſiti ore ſemel, & iterum à quodam fratre inter confeſſendum fuerunt audita. Et ut nota eſſent poſteris noſtri monaſterii, rogatus ab aliquibus fratribus idem, qui audivit, conſcripſit.

Rurſus de eadem reformatione alia viſio facta eſt in partibus inferioribus, & exiſtimo, quòd eodem tempore, quô prima. Erat in Almelo vir venerabilis bonæ vitæ, & famæ laudabilis Eberhardus, qui Paſtor Eccleſiæ in Almelo fuit, arte medicus non ſolùm corporum exteriorum, ſed multò magis animarum. Iſte venerabilis Paſtor ſcripſit Præpoſito monaſterii regularium propè Nuſſiam, quemadmodùm ſcilicèt B. Virgo Maria in ſpecie cujusdem Imaginis, quæ poſteà fuerat in Eccleſiâ monaſterii prædicti ſupra ſummum altare (nunc autem ſcilicet annô Domini 1498. poſita eſt in Altari S. Laurentii) ſibi apparuerit, præcipiens, ut fugeret, & iret ad monaſterium juxta Nuſſiam propè Rhenum, & juvaret Præpoſitum ad reformandam prædictum monaſterium in diſciplina regulari. Cui viſioni non incredulus prædictus paſtor miſit primò litteras terrorem viſionis continentes, cum quodam fratre Congregationis ſuæ, qui poſteà in eodem monaſterio in habitu religionis regulariter diu ſupervixit. Litteras verò cùm Præpoſitus aperuiſſet, & terrorem perlegiſſet, præ nimia lætitia vix ſe potuit retinere. Et ſtatim cogitans de viſione, quam ipſe prius habuit, cognovit viſionem, quæ per litteras ſibi denuntiata erat viſioni ſuæ, quam ante paucos dies habuit, eſſe Firmamentum, & declarationem. Erat autem tunc Reverendus in Chriſto Dominus Fridericus de Zarvverden Archiepiſcopus Colonienſis, in caſtro ſuo in Zoërs (quòd modò Ureedſtroëm nuncupatur) & Præpoſitus audiens, Dominum Colonienſem tam eſſe vicinum, adiit eum, ut celerrime potuit, litteras de viſione prædicta, à Domino Everhardo ſibi miſſas, ſecum portans, quas cum Domino Colonienſi præſentaſſet, & coram eo legi feciſſet, Reverendus Dominus ultrà modum gaviſus, & præpoſito congaudens, dixit ad circumſtantes milites ſuos: videte Chariſſimi, quid iſte ſcribit hic in litteris ? ſcribit enim B. Virginem Mariam apparuiſſe ſibi, & juſſiſſe, ut iret ad præpoſitum monaſterii regularium propè Nuſſiam, & juvaret eum in reformando monaſterio, Erit illud præſagium alicujus magni boni in futurum. Ex eo tempore Reverendus Dominus Colonienſis inclinatus fuit præpoſito, & piè juvit reformationem prædictam, ita ut ſingulis annis, quamdiu vixit, daret monaſterio octo omas vini, Et quidquid cauſæ apud Archiepiſcopum habuit, invenit eum ſemper favorabilem, & gratioſum. Cùm autem Venerabilis Dominus Everhardus Paſtor prædictus ad monaſterium prædictum veniſſet, cognovit ex viſione ſibi oſtenſa, id ipſum eſſe monaſterium illud, quod in viſione oſtenſum erat, nec enim unquam ampliùs viderat. Intrans igitur Eccleſiam, cùm veniſſet ad ſummum altare reſpiciens interrogavit, an ſuprà capſam non conſueverit ſtare imago B. Virginis Mariæ ? Reſponſumque eſt ei, quòd ſic. Ille verò ubi eſt illa imago ? quam cùm oſtenderent ei poſitam ſupra altare S. Servatii, reſpondit : hæc eſt iſta imago, quæ apparuit mihi, date ei locum ſupra capſam ſummi altaris, ibi vidi eam. Ex illo tempore imago accepit locum, ubi eam paſtor vidit !

vidit: ſed tamen nunc annô 1498. ſtat in altari S. Laurentii. Altera die poſt hoc, ut prædictus venerabilis Dominus Everhardus ad Dominum Colonienſem venit, & colloquium cum eo habuit, placuit Domino Colonienſi, ut cum conſenſu præpoſiti, qui affuit Domino Everhardo Commiſſionem monaſterii prædicti in litteris ad hoc ordinatis traderet: quas ſumens ſecum ad Patres in Windeſem deſcendit. Et eum non longè poſt Præpoſitus cum Clero, qui litteram de viſione Domini Everhardi attulerat, ſecutus eſt. Veniens verò ad Monaſterium Windeſemenſe Conſilium cum Domino Everhardo à patribus illis petiit de reformatione monaſterii regularium juxta Nuſſium, paratus ſubjicere illud Capitulo eorum, ſi vellent. Illi autem in littera Domini Colonienſis Domino Everhardo de Commiſſione monaſterii prædicti tradita invenientes clauſulam (usque ad revocationem noſtram) & audientes, monaſterium eſſe gravatum debitis, ſcilicèt octingentis florenis Rhenenſibus, non audebant illud acceptare, quia Capitulum eorum recenter inchoatum erat, Et tale onus in ſe recipere temerarium videbatur: qua de cauſa petitioni eorum conſenſum negaverunt. Valedicentes igitur patribus illis, venerunt Zwollis ad Priorem Regularium, qui tunc monaſterium ſuum recenter etiam reformaverat: qui prædictos, Præpoſitum, & Dominum Everhardum in omni Charitate recepit, & audita cauſa adventûs eorum, cum conventu ſuo cœpit deliberare, an fortè petitioni eorum aſſentire poſſit, ſed fratribus dicentibus nonnulli difficiliores erant: Prior tamen, qui viam reformandi prædictum monaſterium occultè ſciebat, ita fratres reliquos informabat, ut tandem conſenſum ad ipſum aſſumendum præberent. Id autem multùm oblectabat Patres, quòd, cùm in adventu iſtorum Venerabilium virorum, Domini Præpoſiti ſcilicèt, & Domini Everhardi, ex quadam infirmitate lecto Prior decumberet, dato conſenſu eorum petitioni, ſanum ſe, & incolumem ſentiret. Quare præcepit jungi currum, & fratres ad hoc ordinatos, cum ſuis ſarcinulis, & aliquibus victualibus deſuper locatis, cum curru usque ad Nuſſiam duci: quò Deo Duce proſperè in monaſterium prædictum circà aſſumptionis feſtum Virginis glorioſæ venerunt: ita ut in Vigilia feſti ipſius primas Veſperas in eo cantarent. Sic Divinâ miſeratione, precibúsque Beatæ Virginis (non dubium) intervenientibus in prædicto monaſterio reformatio cum diſciplina regulari incœpit, & cotidie de bono in melius crevit. Attamen fratres in principio miſſi, magnam paupertatem ſuſtinuerunt, & cum lectiſternia non haberent, ſaccos paleis, & ſtraminibus compleverunt, ut ſuper illis nocturno tempore quieſcerent. Quod idem factum eſt de cibo, & potu, quia ſatis tenuiter, & frugaliter eis ſubminiſtrabatur. Et tunc fratres monaſterii Nuſſienſis iterum religioſum aſſumpſerunt habitum, linea ad carnem mutantes in lanea, & ligaturas cum caligis ſæcularibus omittentes. Pro nigro etiam colore ſuperioris plicatæ tunicæ album colorem ſineplicis monaſtico more aſſumpſerunt, & pro ſcapulari lineo utentes ſubtili, in quo ſingulariter regularium exſtat habitus, quemadmodùm monachilis habitus in cuculla. Et iſte habitus regularium adeò Cæterorum religioſorum excellit habitum, ut Dominus Apoſtolicus cum univerſis Italiæ, Franciæ, & Angliæ, & aliarum regionum Pontificibus, pro quotidiano habitu utantur ſubtili, quamvis Alemaniæ Pontifices eô tantùm in Pontificalibus induuntur. Regulares tamen Nuſſienſes cappas ſæcularium; Canonicorum more formatas retinuerunt, donec ſe Windeſemenſibus ſubdiderunt. Et ſtricta amiſerunt bereta, aſſumentes pannea, quibus usque in hodiernum utuntur diem. Eodem reformationis annô, poſt feſtum Aſſumptionis accidit, ut fratres miſ-

ſi

ſi eſſent ad meſſem, ut de ſuis agris colligerent frumenta, in profeſſo videlicet Nativitatis B. Mariæ, uno tantùm tum in monaſterio manente Laico, qui occupatus opere ſuo, quod præ manibus habebat, audivit, ſonum magnum in aqua vel rivo Arnaphe, qui monaſterium præterfluit, & primò quidem non metuit, æſtimans beſtiam aliquam jactare ſe in flumine: ſed cum ſecundò audiſſet eundem ſonum, accedens ad littus, videt piſcem magnum, ſcilicèt ſalmonem, quem apprehendens cum Branchiis ſuis, & trahens in terram, vidit eum palpitare, ſed laicus lætus in Domino, tantùm attendens miraculum, levavit tum in brachia ſua, & ad culinam deferebat, & fratribus de campo venientibus, & fatigatis de labore, occurrit cum gaudio, dicens: gaudete fratres in Domino, quia B. Maria miſit vobis magnum Salmonem, ut habeatis, unde Deo, & ſibi gratias in hac ſolennitate agatis.

Hoc itaque tam admirando Virginis Matris Patrocinio ab imminentibus jam jam ruinis extractum monaſterium, magna poſt inductam, ùt Chroniſta noſter deſcripſit, reformationem incrementa obtinuit: nam, ùt idem refert, ad annum 1406. exemplum tam egregium aliis quoque ejusdem Ordinis noſtri Cœnobiis à diſciplina primæva deviantibus ad imitationem fuit. Quodque majorem in laudem ceſſerat, Præpoſituræ huic quodam reformationis vinculo ſe complures Canoniæ unierunt, ita, ùt ibidem Capitulum ſuum generale collocarent, *exquibus* (verba ſunt præfati Chroniſtæ) *monaſteria extiterunt in Bethlehem propè Duttecum* (Dortrecum) *& ad S. Catharinam in civitate Novamogenſi, ac in Gresdunck* (Gaësdonck) *juxtà Goch, omnes in terra Gelrenſi; etiam monaſterium in Bethlehem in Civitate Zwollenſi, & Monaſterium in Remerswaal in Zelandia, & monaſterium in Bardick* (Bodicken dè quo ſuperiùs egimus) *in Weſtphalia. Nondum enim alia illo in tempore monaſteria erant ordinis Canonicorum Regularium circà climà noſtrum, excepto ad S Ægidium juxtà Leodium, quæ eſt Abbatia fundata circà annum Domini* 1123. *& eſt Abbatia in Hertzegenred, quæ ad reformationis normam usque in præſens nondum ſunt reverſæ.* Narrat autem Chronici Windeſemenſis ſcriptor ad annum 1430. adeóque inter annos à tempore reformationis relatæ computatos triginta duos, unita ſibi habuiſſe Capitulum Generale Nuſſienſe duodecim monaſteria.

Verùm cùm Windeſemenſis Congregatio in dies ampliores è ſua regulari converſatione fructus caperet, & ſuaviſſimo virtutum odore latè etiam diſſita loca regionésque repleret, non deſticère Nuſſienſes (ut firmiore radice ſemel à ſe inchoatam diſciplinam ſtabilirent) ſupplicare Windeſemenſibus, ad faciendum unum reformationis corpus, & recipiendum tam ſuum, quàm duodecim ſibi ſubjecta Monaſteria in Congregationem ſuam. Quod tandem annô 1433. factum eſſe ſæpè fatus Chroniſta Nuſſienſis affirmat: *Tali tamen pacto*, inquit ille, *ut Prælaturas omitterent, in quo omnes conſenſerunt, monaſteriô in Bethlehem propè Duttecum exceptô, qui Præpoſitum ſecundùm regulam, & antiquam conſuetudinem ſervaverunt usque in hodiernum Diem. Nuſſienſe monaſterium quamquàm conſenſit, tamen nullo modo Archiepiſcopum Colonienſem inducere valuit, quamvìs ultrò Præpoſitus familiariter ei dilectus plurimùm laboraſſet, ut cederet juri ſuo, & præpoſituram mutari in Prioratum ſineret, ſed tantùm conſenſit usque ad revocationem in hodiernum diem. Sic igitur rurſus fratres Nuſſienſis Capituli aliquid mutaverunt in habitu nam*

nam ſecularium cappas Canonicorum relinquentes, aſſumpſerunt cappas Windeſemenſium, quibus adhuc hodie utuntur: & viciſſim Windeſemenſes aliquid aſſumpſerunt de habitu Nuſſienſis Capituli. Decreta tamen Windeſemenſium fratres Nuſſienſis monaſterii recuſaverunt usque in Præſentem Diem. Circa etiam annum Domini 1452. *monaſterium Nuſſienſe ordinarium aſſumpſit Windeſemenſium, relinquens Ordinarium Canonicorum Regularium, nam quemadmodùm univerſi ordines in Eccleſia communiter proprium habent ordinarium, ſic etiam regulares Canonici habuerunt ab antiquo, & quamvìs Windeſemenſes ejusdem facti ſunt ordinis regularium, tamen ordinarium accipere omiſerunt: quod ſatis abſurdum in aliis eſſet ordinibus. Deinde poſtquam ſubdidit ſe Capitulum Nuſſienſe Capitulo Windeſemenſi, contigit brevi, annô videlicet Domini* 1438. *Concilium celebrari Baſilienſe, quò cùm venerabilis Pater in Chriſto, Reverendiſſimus Dominus Theodoricus de Moerſa Archiepiſcopus Colonienſis, cum Prælatis ſuis ad memoratum Concilium nuntios mitteret, inter Cæteros Præpoſitum requiſivit à monaſterio Regularium juxtà Nuſſiam, quem nuper propter Capitulum Windeſemenſe mutaverant in Priorem: ſed Prior illius temporis, qui priùs fuerat Præpoſitus, per amicorum interventum obtinuit, ut alium locò Præpoſiti mitteret. Qui expertum, & eruditum illuc direxit virum, unum de fratribus monaſterii cum converſo. Nam eo tempore idem monaſterium, ut, & per tempus aliquod impoſterum, nonnullos habebat Licentiatos, vel etiam promotos diverſis in facultatibus &c.* Hæc noſter Chroniſta, qui idem ipſe hoc in opere ſuo, quod magnum Chronicon Belgicum inſcripſit, ſatis ſuæ induſtriæ, & fundatæ in rebus hiſtoricis ſcientiæ, ac omnigenæ eruditionis ſpecimina profert, & utinam hujus æquè nobis, ac virorum aliorum præſtantium in hoc Nuſſienſi Cœnobio viventium nomina actáque communicarentur, operi noſtro inſerenda. Cæterùm perſtat etiamnum diſciplina regularis Windeſemenſis in hoc monaſterio, quod Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus *Joannes Philippus Maſen* eximia laude moderatur.

Exiſtit ad urbem Nuſſiam ſeu Neveſium. Chron. Bode. Cap. 30. Chron. mag. Belg. novâ edit. p. 378. ſeq. Chron. Windes. L. 1. C. 44.

Palatiolenſe *S.* Mariæ Abbatiæ. *Fundat circa an. 643. ſecul.* Viciſſitudines hoc cænobium non immodicas paſſum fuiſſe, quamvìs ex Documentis, quorumdam de eo loquentium conſtet, ſuppetunt tamen ad earum dilucidam explanationem tam modica, atque obſcura, ut augurari ex iis quædam liceat, definire vix quidquam. Primitùs ad tempora *Dagoberti* Regis ejus fundationem referendam notat Browerus annum 643. ubi ait: *Adhelam alteram Dagoberti filiam viduam, monaſtico item cultu poſteà ſumpto vitam ſanctiſſimè traduxiſſe, reliquisque Abbatiſſam in eodem hoc, de quo loquimur, monaſterio præfuiſſe.* Idem ad annum 690. teſtamentum *Adhelæ* prodit, in quo ipſa ait, *ſe hoc monaſterium in villa, quæ dicitur Palatiolum, à Pipino Majore-Domûs Treviris permutatione quæſviſſe, honorique S. Mariæ Virginis Genitricis Domini noſtri JEſu Chriſti, & beatorum Petri & Pauli cæterorúmque Sanctorum jam dudum ad proprii monaſterii uſum exſtruxiſſe, in eóque monachorum catum diſciplina, & regulâ S. Benedicti viventium aggregâſſe.* Igitur prima inſtituti in hoc cænobio forma Benedictina fuiſſe traditur; certum verò eſt, has Virgines Monachas mutatas fuiſſe in Canonicas; pro qua veritate Mabillo-

billonius teſtatur *Hruothildem* ejusdem loci Abbatiſſam, *ſub ſacro velo Canonicam vixiſſe, ſed in vita veram fuiſſe monacham.* Rhotildis hæc (fatetur idem Mabillonius non conſtare) quô tempore vixerit, at quia Canonica, ſimúlque velata exſtitit, alia niſi votis ligata, eſſe nequivit, ùt aliàs demonſtravimus, vixiſſe has Virgines ſub regula Aquisgranenſi, nè dubitari quidem poteſt, idque ad usque *Pepponis* Trevirenſis Epiſcopi ætatem, id eſt, usque ad ſæculi undecimi annum circiter 1026. ſub quo Browerus notat factum illud immane, quo quædam Palatiolenſis ſanctimonialis libidinis ardore exæſtuans in ſanctum Epiſcopum, cùm eidem Commiſſura Palii traderetur, ut inde Caligulas, id eſt, certum veſtimenti genus, quò ad ſacri ſolennia Epiſcopus utebatur, contexeret, hoc ipſum veſtimentum veneficiô amatoriô imbuit, verùm res tum eidem, tum toti Conventui peſſimè ceſſit, mox enim animadversô, & comprobatô maleficiô, Medea illa è loco abjecta eſt, cæteræ verò, cùm non minùs reperirentur laxatis fibulis hactenùs inceſſiſſe, ad patrati quoque ſceleris pœnitentiam, veſtem mutare coguntur; & quæ veſtitæ erant candidis, ùt Canonicis ab antiquo mos fuerat, pullis indui jubentur, diſciplinâ pariter arctiore inductâ, dúmque in hanc pléræque earum conſentire renuerent, demum dimiſſis omnibus, ac in diverſa loca, cumprimis verò in Horreenſe monaſterium ablegatis, ſubſtituuntur ab eodem *Poppone* Canonici. Sed de his quia nobis nihil lucis occurrit, quâ tum normâ vixerint, niſi ſuppetant ſuo tempore referenda, nihil pariter dicendum opinamur, utpote quòd iidem dudum jam ſæculares exiſtant.

Situatur Palatiolum propè Trevirenſem urbem. Brow. Annal. Trevir. tom. 1. L. 7. n. 50. & 11. n. 46. Mabill. Annal. L. 21. n. 25.

S. Paulini Præpoſitura.

Fund. an. 396 facta. Condidit eam Beatus *Felix* Trevirenſium Epiſcoporum hoc nomine ſecundus, cùm ſcilicèt ſancti *Paulini* corpus magnis impenſis, ac ſolertiâ non minore, ex Phrygia Trevirim tranſtuliſſet annô Domini 396. mox huic Eccleſiæ *S. Paulini* Condendis Lipſanis ſacris exſtructæ monaſterium adjectum fuiſſe vetus omninò traditio eſt, nec dubitaverim Clericos in eodem locatos fuiſſe, quippe quòd inſolitum adhuc eſſet monachos parochialibus Eccleſiis jungere, regulares illos fuiſſe habemus ex Trithemio, utpote quòd Canonicos *S. Paulini* inter primos nominet, qui Trevirenſium Canonicorum majoris Eccleſiæ ſæculo decimo exemplum ſecuti, *desierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine, & converſatione ſæculares.* An verò quemadmodùm Canonici majores, ſic & *S. Paulini* iterum ad communem, votivámque vitam redierint, incompertum eſt, nunc iidem ſæculares exiſtunt.

Brow. Annal. Trevir. tom. 1. L. 4. n. 209. & L. 10. n. 23. & L. 12. n. 18.

S. Petri Virginum Canonicarum Prioratus.

Fund. Exſtinctum. Tranſlatæ (de quibus ſuperiùs egimus) ex Bubencapellenſi Cœnobio Virgines Canonicæ à *Berthold*o Archiepiſcopo Trevirenſi (quam ob cauſam ignotum) domicilium ſuum in hoc ipſo *S. Petri* Clauſtro obtinuêre, neque novimus, an iſtud illis de novo conditum ſit, an fortè hactenùs ab aliis inhabitatum ceſſerit. Cæterùm cùm hæc tranſlatio annô 1495. ſit facta,

ſta, & ſub *Daniele* malevolorum injuriâ locum hunc ipſum rurſus deſerere cogerentur circà annum fortè 1568. ſanè, diù non reſediſſe in hoc Parthenone easdem, apparet. Subverſus exinde hic ſacer locus eſt, ac omninò exſtinſtus.

Exſtitit Crucenaci. Serar. Rerum Mogunt. t. 2. p. 876. in not. ad Num. 8.

S. Petri Præpoſitura.

Fund. an. 945. ſæcul. Fundavit hanc celebrem cum monaſterio Eccleſiam *Fridericus* Moguntinenſis Archiepiſcopus ad an: ùt teſtis eſt Albericus in Chronico, 945. *Hic Archiepiſcopus*, inquit *Fridericus clauſtrum S. Petri Moguntiæ exſtruxit:* ipſum verò hoc clauſtrum quibus incolendum dederit, ex Tritbemio diſcimus, dum ait: *Iſte Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus Eccleſiam regularem S. Petri Apoſtoli ad plagam aquilonarem extra mœnia civitatis Moguntinæ fundavit, & in ea Canonicos ſecundùm regulam Apoſtolorum converſantes poſuit, quibus omnia fuère Communia, & nemo ſuum aliquid eſſe proprium dicebat.* Hæc ſi obſervâſſet in ſuis ad Chronicon *Chriſtiani* notis Helwichius, fortaſsè non tam liberè pronuntiâſſet Canonicos veteres non niſi *inanibus rationibus, & falsò* tribus votis obſtriſtos *exiſtimari*, etenim ſcimus Tritbemium non adeò liberum eſſe in iis aſſerendis, quæ Canonicorum regularium inſtituto, quoquô modô antiquitatis jura poſſunt vindicare, id tamen affirmare de San-Petrenſibus hisce voluit, quòd nimis apertè ad hoc adſtruendum documentis vetuſtis, ac authenticis urgeretur, haud dubiè fortaſſe in ipſis adhuc tum exſtantibus quibusdam monumentis legens, quæ lapſu temporis ſic negligebantur, quò minùs Chronico *S. Petri* à Chriſtiano Joannis inſeri poſſent, certè privilegium *Syfridi* Archiepiſcopi annô 1069. huic monaſterio conceſſum plurium privilegiorum meminit à *Friderico* eidem collatorum, ſed quæ *negligentiæ & vetuſtatis carie conſumpta fuerant:* Hinc idipſum, & aliis hac de re confectis inſtrumentis quamvìs tardiùs potuit obtingere.

Primus, qui hujus loci Præpoſitum geſſit, *Geroldus* dicebatur, de quo tamen, uti & ſucceſſoribus ipſius vix aliquid memoriâ dignum occurrit. Quo tempore vitam regularem San-Petrenſes dimiſerint, non facilè auguramur, cùm enim non conſtet eosdem unquam ſe regulæ *S. Auguſtini* junxiſſe, fortâſſe ſolâ Aquisgranensî contenti, ſenſim ſe inter ſæculares habere cœperint, quales etiam hac noſtra ætate perſeverant.

Exſtitit olim extrà urbis mœnia, ſed annô 1220. in urbem transferebatur, Eccleſiâ *S. Heimerammi* ipſis Canonicis attributâ. Illa verò *S. Petri* diverſa fata ſubiens demum urbe Moguntinâ à Suecis hoſtiliter annô 1631. occupatâ, incendiô periit, imò iidem Sueci non longè poſt adeò in reliquias hujus Eccleſiæ debacchati ſunt, ut altaribus, quæ ſupererant, dirutis, ſimulacris ſanſtorum confraſtis, Epiraphiis deſtruſtis, Campanis in tormenta bellica transfuſis, hodie nè quidem locus, ubi ſteterit, diſcerni queat.

Ser. Rer. Mog. t. 1. L. 4. p. 430. Item Rerum Mogunt. t. 2. Chron. S. Petri. pag. 460. & ſeq.

Pfaffenſchvvabenheimenſe S. Martini Prioratus Windeſemenſis.

Fund 1130. floret. Primùm ab *Eberbardo* Comite Spanheimenſi, & uxore *Hadvviga* conſtruſtus, & munificè dotatus eſt, conſecratus poſtmodùm D. Mar-

Martino ab horum filio *Megenhardo*, ejúsque conjuge *Mechtilde*: Sammarthani cum Serario, & Dieffenbachio illum Fundatum ajunt annô 1130. *Adalberto* primo Moguntinenſi Archiepiſcopo, quod tamen Chriſtianus Joannis de ejusdem augmento eſſe interpretandum ait; propè verum credimus Canonicos regulares per *Adalbertum* inductos fuiſſe. Auxit fundationis dotem *Wernherus* æquè Moguntinenſis Archiepiſcopus, qui annô 1259. parochias *Nackenheim*, ac *Schemesheim* Conrado Præpoſito, totíque Conventui liberali munificentiâ perpetuo jure poſſidendas contradidit. Demum cùm circà annum 1498. Pfaftenſchwabenheimenſis diſciplina plurimùm laxaretur, prævalenti malo maturè occurrens *Adolphus* Archiepiſcopus conſtituit, in hunc locum Windeſemenſem inducere reformationem, quem in finem ingens diploma edidit, totúmque cœnobium huic Congregationi ſubjecit, ſub quo adhuc, ùt edocti ſumus, perſeverat.

Exiſtit in Comitatu Spanheimenſi propè Comenacum Doeum. Communic. Serar. rei. Mogunt. t. 1. L. 5. n. 19. & in not. item L. eodem. in not. pag. 612. n. 13. item L. eodem. pag 785. in not. n. 36. & ſeq. Gall. Chriſt. t. 5. Col. 591. item vid. Serar. rerum Mogunt. t. 2. p. 330.

Ravenſpergenſe. Hujus pariter nobis notitia data, tanquam Congregationi prædictæ uniti Cœnobii, cujus tamen Superior, ad Capitulum Generale non citatur. Cæterùm conſultò obſervamus, quantocúnque labore in Circulo Burgundico hujus Prodromi conati ſimus Windeſemenſis Congregationis prærogativas enarrare, atque ex hoc ipſo ſatis indicaverimus, quàm indefeſſâ operâ, longè potiora in perpetuam dictæ Congregationis laudem in opere producere parati fuiſſemus, neutiquam præclariſſimorum documentorum etiam hac noſtra ætate eandem extollentium ignari; verùm cùm jam tertiâ vice ſollicitâ interpellatione tum ab ipſo Reverendiſſimo Priore Generali, tum ab aliis, quorum id intereſſe credebamus, exactam, & plenam hiſtoriam generalem æquè totius Congregationis, ac peculiarem cujúsque ſub ea ſaltem actu florentis Monaſterii, poſtulantes, ad poſteriores preces ne reſponſum quidem, ad primas verò, non ſperatam repulſam obtinere coacti ſimus, hinc nec ampliùs noſtrâ refert, poſthac, & præcipuè in ipſo opere ſolidiùs huic hiſtoriæ exarandæ inſudare.

Hunc locum Reſidentiam Windeſemenſes nuncupant, & exiſtit in Palatinatu. Docum. Communic.

Rheters ſeu Rheterenſe, latinè conſilium Dei: Virginum Canonicarum Abbatia. *Fund. ... Extinctum* Hanc ſuis ſine teſte, & lege Bucelinus vendicat, aítque Burchardum Abbatem Fuldenſem ibidem fuiſſe defunctum. Quaſi verò Burchardus, peſſimus ſuæ ſalutis cuſtos, & deterrimè de ordine ſuo meritus, cùm ex Fuldenſi monaſterio excommunicatus profugeret, non potiùs ad aliud, quàm ſui ordinis monaſterium quæſiiſſet divertere. Verùm quia nobis hujus loci fundationem, ac inſtitutionem nulla monumenta antiqua manifeſtant, ſatius eſt originem incognitam ſuis in tenebris relinquere. Sanctimonialium autem *S. Auguſtini* Chorum ibidem exſtitiſſe ex Sammarthanis diſcimus; idque ante annum 1311. oſtendit adductum fragmentum à Chriſtiano Joannis in Henrico 2dô Archiepiſcopo Moguntinenſi littera, y, ubi legitur:

gitur: Ordo Præmonſtratenſis jam inductus fuiſſe, ſic enim ibidem: *Nos Prior, Magiſtra - - - & Conventus monialium in Rheterſe, Ord. Præmonſtrat .... profitemur &c. Datum* 1311. *Kal. Maji.* Igitur recepiſſe Canonicas Virgines reformationem Præmonſtratenſem apparet, quas diù antea ſub regula *S. Auguſtini*, & ante hanc ſub regula Aquisgranenſi vixiſſe autumo. Cùm ſtante, quòd Burchardus Fuldenſis ibidem mortem oppetierit, jam tunc clauſtrum, ſeu cellula monialium dicatur, id eſt, annô 1176. Porrò Abbatiam hanc veſtalium Ludovicus Comes in Stolberg, Virginibus ſacris annô 1565. eripuit, ſuíque juris fecit.

Exſtitit in Wetterovia in Comitatu Konigſtein: Serar. rer. Mogunt. t. 1. in tab. p. 6. 25. item t. 2. p. 367. in notis Bruſch Chronologiæ monaſteriorum German. pag. 217. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 591. Bucel. Germ. Sacr. Part. 2. p. 75.

Fund. ... Floret. Reinoldi Virginum Canonicarum Prioratus. De hoc, quæ ex Winhemio habemus, ſequentia ſunt: *Virgines nimirum in eo reſidere de ordine S. Auguſtini, quæ in Decantandis divinis laudibus, & tela ſerica, dum vacant, conficienda, valdè induſtriæ ſunt.* Cœnobium iſtud gaudere inter cæteras reliquias, etiam *S. Reinoldi* patroni ſui particulâ ſuo in oratorio venerationi expoſitâ, idem ſcribit Winhemius. Fundatum, à Gelenio dicitur, annô 1447. actu florere per litteras nos gratioſè Reverendiſſimus D. D. Matthæus Matthæi Prior Colonienſis edocuit.

Exiſtit in urbe Coloniæ non procul à S. Mauritio. Winhemius Sacr. Agrip. pag. 271. n. 55. Gelen. de Magnit. Col. L. 4. ſynt. 38. Miræ Lbi. de Orig. can. Reg. Cap. 93. p. 190. docum. Commun.

Savernenſe aliàs Steiger-herrn S. Mariæ Prioratus. *Fund. ... Exſtinct.* Aut fortaſſe potiùs *Præpoſitura.* Fuiſſe in hoc loco noſtri inſtituti Canonicos teſtantur Sammarthani his verbis: *Collegium Canonicorum B. Mariæ Virginis tabernis Alſaticis, vulgò Saverne, ubi ſedes, ſeu reſidentia Epiſcopi, olim Canonicorum regularium S. Auguſtini Steiger-herrn nuncupatum.* Ex quo jam cernimus Collegium iſtud immutatum eſſe in Epiſcopale palatium.

Gall. Chriſt. tom. 5. in deſcript. Argentin. Eccl. pag. 776.

Schiffenburgenſe. Præpoſitura. *Fund. circa an 1129. Ord. Teutonici.* Erat Schiffenburgum Dominium olim, Dynaſtia, aut villa nobilis ſub poſſeſſione *Clementiæ*, Comitis dignitate inſignis, *hac* aſſentiente *Wilhelmo* & *Irrueſinde* liberis *Meginero* Trevirenſi Epiſcopo in piam Don tionem contradidit hunc ipſum locum, quem ille in monaſterium Canonicorum Regularium S. *Auguſtini* ordinavit, & amplioribus adhuc dotibus auxit: quod ſanè inter annum 1127. & 1130. factum fuiſſe oportet, quippe *Meginero*, dictô annô, Kalend. Octob. obeunte, annô 1127. menſe Junio in Epiſcopum vocato. Non tamen ultrà ducentos annos hæc tam ſancta fundatio tenuit; adeò enim Canonici à primo Devotionis tramite deflexerant, teſte Browero, ut *excuſſo diſciplinæ nervo, & habitu poſito, vagi ſine rectore, pravis omnia exemplis permiſcentes diſcursârint; magnámque jam tum fundorum partem, prodigentiâ decoxerint.* Hinc Epiſcopus hujus perverſi Exempli dolore concitatus Schiffenburgum Theutonici ordinis Collegio Marburgenſi annô 1323. ſubjecit, ſub quo adhuc noſtris temporibus exiſtit. Situatur propè Marburgum. Brow.

An-

Annal. Trevir. tom. 2. L. 17. n. 70.

Fund. circiter ſæculo ..to. ſæcul.

Spirenſis Eccleſia Cathedralis. Recentior inter reliquas Germaniæ Eccleſias Cathedrales Spirenſis exiſtere ſui fundatione apparet, cujus tamen epocham non omnes æqualiter attingunt; Albertus Kranzius ſcribit ad annum 1028. ſequentia: *tradunt*, inquit, *hoc tempore Conradum Imperatorem Fundâſſe Spirenſem Eccleſiam: ſed ea res controverſiam patitur, quòd ante Conradum annò milleſimò tertiò, Borchardus Epiſcopus Wormatienſis à Gwalterio ſpirenſi Epiſcopo acceperit Epiſtolam: quod ſcribit Gratianus* 73. *diſt. in Can. In nomine Patris &c. ſed prædiis, & ædificiis minùs inſtructam, Conradus auxerit, dotaverit, & in majorem modum provexerit &c.* Chronicon Goslarienſe pariter *Conrado* ſecundo fundationem hujus Epiſcopatûs adſcribit, dum diſertis verbis de eo iſta ſubjicit: *Hic etiam Eccleſiam Limborch, & Epiſcopatum in ſpira primus fundavit, & ibidem ſepultus eſt:* ſub eodem *Conrado*, hiſtoria de Guelfis apud Leibnic. t. 1. p. 797. ſcribit: *Spira conditur.* Paulus verò Langius, ait, in ſuo Chronico Citizenſi, Epiſcopatum Neuetenſem, ſeu Spirenſem *Conradum* quidem inchoâſſe, ſed morte præventum filio ſuo *Henrico* tertio conſummandum reliquiſſe. At Chronicon Reginonis nobis jam annò 913. *Everhardum* exhibet Epiſcopum Spirenſem; ex quo deducitur, juxta Reginonis Computum Epiſcopatum Spirenſem jam ante *Conradi* ſecundi tempora exſtitiſſe. Verùm Sammarthani ad annum 346. Epiſcopum memorant Spirenſem, ſeu Nemetenſem *Jeſſium*, aut *Geſſium* nomine, quem legi dicunt, præſentem fuiſſe Concilio Agrippinenſi adversùs Euphratem Arianum: Epiſcopum Colonienſem, nobis ſeu de hujus veritate Concilii, ſeu de duplici Euphrate Colonienſi ſibi invicem ſuccedente uno hæretico, altero ſemper Orthodoxo diſputationem longiorem, cùm ad præſens propoſitum nihil conferat, texere non expedit. Porrò indubitatum autumamus Spirenſem Eccleſiam antiquiſſimam eſſe, & non obſtantibus aliis teſtimoniis interpretationi Krantzii ſubjiciendis dicendum, genuinam, ac primam fundationem primis ſæculis attribuendam, hinc, quamvis poſt Geſſium præfatum uſque ad annum 610. nullum reperiamus Epiſcopum nominatum Spirenſem, id imputandum injuriæ temporum, quibus nomina æquè, ac memoria priorum Epiſcoporum evanuerit. Igitur cùm ad annum 610. *Demochores Athanaſium* ſtatuat virum omninò ſanctum, credibile, per illum quoque hanc Eccleſiam ſi non antea convenienti votivorum Clericorm Colonia fuiſſe proviſam; certè regularem fuiſſe, ex ſæpè citatis illis Trithemii verbis docemur, quibus, ait, quòd *Canonicorum Trevirenſium abjectâ regulari vitâ exemplo, Canonici quoque .... Spirenſes .... regularis vitæ communitatem abjecerint.* Quod quia pariter illo circiter ſæculò decimò factum fuit, & nos de reſtitutione ejusdem eò minùs aliquod documentum habemus, quò rarioribus è manipulis hoſtoria Spirenſis aliundè colligenda eſt, hinc credimus quoque haud poſt dicta tempora regularem vitam, ſæculari ſemel inductâ, in eandem Eccleſiam fuiſſe reaſſumptam.

apud Leibn. t. 2. p. 535 ad an. 1025 Apud Piſtor. t. 1. p. 1138

Vide Pag. in cit. not. ad an. 346. n. 6.

Exiſtit in ipſa Spira metropoli inter fluvium Spiram, & Rhenum. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 715. &c. Auth. per decurſum cit.

Fundat. an. 1107. Floret.

Springerbacenſe. S. Petri Abbatia. Totam hujus celeber-

leberrimi, & ab antiquis temporibus Laudatiſſimi Cœnobii notitiam hiſtoricam usque nunc tantummodò ex Broweri Annalibus haurire licuit, quæ quidem jam penè reſolvimus, ſic referre, ut nihil omiſſum cauſaretur, quod Browerus prodidit, idque ea de cauſa (quod etiam in aliis quibusdam per decurſum hujus prodromi nos obſervâſſe hic conſultò lectorem monemus) quòd, cùm & ad hunc locum noſtræ ſupplices pro Communicandis nobis documentis directæ, nec reſponſum effecerint, conſtitutum apud nos ſit, ut, niſi ſaltem hoc prodromo innoteſcente requiſita ad plenam hiſtoriam monumenta in tempore ſubmittantur, de tali in ipſo opere noſtro nè mentionem quidem facturi ſimus: illis unicè exceptis, de quibus hic needum quidpiam egimus. Cæterùm prænotamus ibidem non decurtata, ſed benè ordinata promere nos velle, ac deſiderare. Porrò quia tamen, necdum deſperamus de hoc inclyto Collegio, quæ deſunt, obtinere, iſthic brevitate nobis ſolitâ tantummodò aliqua ad ejus notitiam ex dicti Broweri Annalibus decerpemus.

Fundavit igitur hoc Collegium matrona pia, ac virtutibus enixè dedita *Benigna* nomine, cujus familiam in Browero non reperimus expreſſam, hæc in ſaltu, cum *Contelium* dicto, annuente Sigefrido Palatino cellam conſtruxit à populi frequentia remotam, móxque incolendam Clericis B. Auguſtini diſciplinam profitentibus contradidit, paritérque *Brunoni* Archiepiſcopo Trevirenſi ſuam in ſententiam accito eandem ſubjectam voluit. Fragmentum Fundationis litterarum, aut potiùs extractum ex illis adducit Browerus, nec non Confirmationis ab Archiepiſcopo factæ, quæ quia à Communi talium Chartarum ſtylo penè nihil recedunt, producenda iſthic haud cenſemus. Datæ verò ſunt *annô Dominicæ Incarnationis milleſimo Centeſimo ſeptimo, Indictione decima quinta, regnante Henrico Romanorum Imperatore quintô annô Regni ejus, ſecundô Epiſcopatûs Brunonis.*

Primum hujus loci Abbatem CanoniciSprinckirsbachenſes nacti ſunt *Richardum*, filium *Benignæ* fundatricis, virum, in quo virtus cum ſcientia pleniſſimam ſedem ſuam fixiſſe cernebatur, certè, quæ paſſim de *Richardo* nota proſtant, tanta, ac talia ſunt, ut eum eximium in genere laudum declarent: pauca delibabimus.

Cùm Andernacenſis Parthenon pridem ſacris veſtalibus Canonicis conditus ad ultimam propè ruinam decidiſſet, non alius, quàm *Richardus* æſtimatus eſt reparaturus locum àdeò dilabentem; eundem igitur *Meginerus* Archiepiſcopus directioni *Richardi* ſubjecit, præfecit verò hic Virginibus in Præpoſitam ſororem ſuam *Tenvvidem*, in conſcientiæ Virginum arbitrum autem *Iſibertum*, angelicæ innocentiæ virum, tantô emolumentò Cœnobii, ut quaſi Phœnix à cineribus reſurgere videretur.

In Franckenthalenſe noviter annô 1134. erectum monaſterium Canonico-Regularium inſtituto excolendum non aliò niſi è Sprinchirsbachenſi integerrimo aſceterio accerſire viros conſultum erat, ſubmiſit *Richardus Berthulfum* in præpoſitum tam incomparabili providentiâ, ut paulò poſt locus ille ſpeculum virtutum evaderet.

Inſulæ propè Breimptam vicum Cœnobium aliud Virginum, quod hodie *ſtubenſe* dicimus, jungere conſtituerat *Giſela* Virgo à teneris annis pudiciſſimæ probitati dedita, filia *Egeloffi* prædivitis hominis, hæc, ut radicem immar-

oeſſi-

ceſſibilem firmari in ea pater curaret, *Richardi* Springrisbacbenſis curæ concredita eſt, *cujus inſtitutis*, *vivendique præceptis*, inquit Browerus, *imbuta Virgo*, *Chriſti ſponſi demereri voluntatem*, *eidémque placere à primis annis perdiſceret.* Nec defuit ſpei optatus eventus, ſanctiſſimis *Giſela* moribus erudita neo-erecto Parthenoni præponitur, ſed adhuc ſub *Richardi* induſtria, quam hic tanta circumſpectione tuebatur, ut in ſelectiſſimum virtutum viridarium matureſceret, haud dubiè ejusdem *Richardi* perdurantibus apud Deum meritis, hodiedum laudabiliſſimè florens, ùt infra videbimus. *Lucio* ſummo Pontifici cùm ſuccederet *Eugenius* tertius, inter primas, quas benè meritis viris elargitus eſt, Apoſtolicas gratias, ſuas quoque *Richardus* obtinuit, eximio, & peramplo decreto, teſte Browero, virum meritiſſimum, Cætúmque Sprinckirsbacenſem provehens, fovénsque: *quoniam*, inquit Pontifex, *ſine veræ culturæ religionis*, *nec Charitatis unitas poteſt ſubſiſtere*, *nec Deo gratum exhiberi ſervitium*, *expedit Apoſtolicæ Authoritati*, *religioſas perſonas diligere*, *& earum quieti*, *auxiliante Domino providere &c.* Deinde enumeratis privilegiis, ac libertatibus, quas Cœnobio impertitur, mox recenſet loca, quæ florentiſſimæ Congregationi Sprinckenbacenſi ſubjiciebantur, ſub tanto Præſule, qualis *Richardus* erat. Cùm verò per aliquot annos ſanctiſſimè præfuiſſet magnâ amicitiâ Spirituali B. *Hildegardi* notus, eam de dimittendo regimine conſulit, cui Virgo ſancta onus ultrò portandum omnimodis ſuaſit, litteris hac de re Spiritu plenis ad eum ſubmiſſis, cujus etiam ſuaſionibus obtemperans monaſterii clavum non niſi cum vitæ fine dimiſit. At orbati Sprinkirsbacenſes tanto Patre Canonici ob meritorum ſuorum apud Deum præſtantium prærogativas alium (quibusdam tamen intermediantibus) nacti ſunt Patrem *Abſalonem* nomine, nec ſanctitate, nec ſapientiâ *Richardo* inferiorem, per quem hæc Abbatia ampliſſimis dotibus accrevit, ut per totius Rheni tractum celeberrimum ab univerſis ſuſpiceretur. Eſſent ſanè plurima de hoc *Abſalone* enarranda, at nos id ultrò differimus: atque hæc intereà depromere ex Broweri Annalibus de Sprinkirsbacenſi Abbatia voluimus, maximè lætaturi, ſi inde nobis plura, eáque exacta documenta ſubmiſſa fuerint, inter quæ non ultima judicamus illos Divino planè ſpiritu Conſcriptos ſermones unum, & quinquaginta, de quibus ſæpè fatus Browerus meminit, quæque aliquando Anecdota noſtra egregiè adornare poſſent, à Venerabili laudato Abſalone Abbate conſcripta.

Ceterùm in recentiori quodam ſcriptore reperimus, Canonicos in hanc Abbatiam non alios admitti, niſi qui nobilitatis ſuæ proſapiam ab utróque parente per ſedecim generationes probaverint; quinimò adhuc ultrò prætendi, ut huic gremio annumerandus, ſaltem uni interfuerit militari expeditioni: deníque Canonicis præter victum certas præbendas conferri, & alioquin eos ab omnibus exemptos eſſe. Hæc, num ita ſint, lubens addiſcam, cùm alioquin hic author tantam à me fidem, quantam fortè ab aliis (quos miratus ſum, quid ei detulerint?) neutiquam mereatur.

Florere illud adhuc hodie, conſultò per litteras edoctus ſum. Exiſtit Moſellam inter, & Trarbacum. Brow. in Annal. Trevir. tom. 2. L. 13. n. 20. & n. 93. & L. 14. n. 53. &c.

Fundat.... Ord. S. Dominici.

Schonenſtainenſe ſeu Schanenteinbachenſe Virginum Canonicarum Cœnobium. Non procul Enſisheimio, aut, ùt nos notavimus Thanna urbe diſſitum, quod ſibi ex Marbacenſi primùm dein ex Waſſerfallenſi, poſtmodùm ex Schwarzenbachenſi translatæ Virgines conſtruxerunt ſacræ Auguſtinianæ regulæ Canonicâ diſciplinâ devinctæ, ſed, & hinc iterum emigrare compulſæ, ubi demum dein ſedem fixerint, latet, id certum, locum hunc modernis temporibus à ſacris Virginibus S. Dominici inſtitutum profitentibus inhabitari, fortaſſe in iſtud, illud Canonicorum, Commutantibus.

Documenta ex M. S. S. Franciſci Petri Communicata. Bucel. Germ. Sacr. part. 2. pag. 80.

Fund. circa an. 910. Ord. Præmonſt.

Steinfeldenſe S. Mariæ Abbatia. Hujus Fundatorem ſe exhibuit *Sigebodo*, ſeu *Sibodo* Comes de Hochſtaden, ùt eum Browerus ſcribit, at Dionyſius Sammarthanus de Hochteden, quô aliundè non repertô, nos Browero malumus adhærere. Hic Comes condidiſſe dictum cœnobium Virginibus ſacris dicitur, & quidem, ùt præfatus Dionyſius: *Cùm venationi in remotioribus ſui Comitatûs nimiùm ſe aliquando oblectaret, ne hoc corporali exercitio, ſpiritûs fervor deperiret, oratorium conſtruere inſtituit &c. Ibique Sanctimonialium Virginum, quæ ſub regulari S. Benedicti diſciplina Deo militarent, cœtum adunavit &c.* An ſe hæc, ùt enarrata ſunt, habeant, non refert ſcrutari, cùm nobis nec fundationum litteræ, nec alia ſuppetant vetera documenta; ex quibus, an hæc Dionyſius eruerit, quæ pro ſuo ordine ubique penè aſſerit, etſi pro hoc, nè quidem augurando quandóque argumenta aſſequatur, in medio relinquimus.

Porrò omnes conveniunt, quotquot de hujus Cœnobii viciſſitudinibus conſuluimus, cùm hæc fundatio pro monialibus ad annum paulò ampliùs 930. conſtitueretur, adjectâ non ſolùm temporalium bonorum ampliſſimâ dote, ſed & pretioſo ſpirituali iiſdem Virginibus impetrato per *Sibodonem* theſauro à *Ruotgero* Archiepiſcopo Trevirenſi, Sanctorum ſcilicèt corporum *Potentini Simplicii*, & *Felicii*; attamen earum poſt centum ſeptuaginta ſeptem annos adeò relaxatam diſciplinam fuiſſe, ut illis amotis, ſubinducerentur Canonici regulares nobiliſſimæ Congregationis Sprinckirsbacenſis. Quod contigiſſe videtur ſaltem poſt annum 1107. dico *ſaltem*, nam pro certiori cenſeo, tardiùs, quàm citiùs hanc immutationem factam, cùm ex ipſius Broweri Computu habeamus Sprinkirsbacenſem Abbatiam fundatam fuiſſe annô 1107. & vix credibile ſit primô ſtatim annô ex dicta Abbatia vocatos novellos Canonicos Steinfeldiam fuiſſe, hinc potiùs id poſt annum 1107. contigiſſe meritò opinamur. At qui cum Browero Dionyſius Sammarthanus affigere valuit fundationem Steinfeldenſem anno 920. dum tamen diſertè mox ſubjicit moniales 177. annis eo in loco peractis, laxiùs vivere cœpiſſe, & Canonicos regulares ex Springeirbacenſi monaſterio earum loco ſubſtitutos? additis enim centum ſeptuaginta ſeptem annis, anno fundationis Steinfeldenſis juxta Dionyſiium 920. evenient 1097. quo tempore utpote decem annorum ſpatio prævenientes, vix adhuc de Sprinkirsbacenſi Abbatia cogitatum fuerat. Igitur aut non adſcribere Dionyſius fundationem annô 920. aut extendere

dere annos monalium ibidem commorantium ultra annos debuit, cùm erroris arguere vix iſthic audeamus Originales litteras hunc annum fundationi Sprinkirsbacenſis Cœnobii nimirum 1107. ſtatuentes. Sed inquis, Sammarthanum hujus aſſerendi occaſionem ex Præmonſtratenſi ſcriptore hauſiſſe, qui ſequentia de Steinfeldia ediſſerit: *ab annô*, inquit, *incarnationis Dominicæ* 920. *quo ſumpſit regnum Henricus primus Romanorum Imperator, per centum ſeptuaginta ſeptem annos, ſub Abbatiſſis, & Monialibus, regulam S. Benedicti profeſſis, in Cœnobio Steinfeldt Domino ſervitum eſt. Quibus ob negligentiam ſuam amotis, Canonici regulares de Monaſterio Sprenkirsbacenſi ſubſtituti, qui regulam B. Auguſtini profeſſi, per viginti tres annos ibi Domino ſerviêtunt.* Ergo certum annô 920. Steinfeldiam fundatam, & Moniales annô 1097. Canonicis Sprinkirsbacenſibus locum cedere debuiſſe, hinc quoque eidem huic ſententiæ ſubſcribere non dubitat doctiſſimus Papebrochius. At repono, niſi ad aliud remedium recurramus, ſtantibus his, quæ retulimus, neque ſcriptori iſti Præmonſtratenſi ſubſcribendum, tam cæcè conculcatâ Sprinkirsbacenſis Fundationis Epochâ, exiſtimo. Imprimis enim adeò certum eſt Sprinkirsbacenſe monaſterium ſub *Brunone* Arcbiepiſcopo Trevirenſi Fundatum fuiſſe, ut reclamari litteris patentibus ejusdem *Brunonis* pro hoc loco non poſſit: cùm verò *Bruno* ſedem Trevirenſem ante annum 1102. non conſcenderit, certum quoque eſt, ſaltem ante hunc annum nec Sprinkirsbacenſes Canonicos exiſtitiſſe, quô ergò ſtudiô annô 1097. Steinfeldiam induci valuiſſent? Deinde autumo Scriptorem hunc, utpote haud adeò antiquum, facili oſcitantia negligere potuiſſe illum computum, unde dein huic errori occaſio nata eſt: illum inquam, computum, quo dixit centum ſeptuaginta ſeptem annis á monialibus Domino ſervitum, mox iis ſucceſſiſſe Canonicos. In Commentario P. Petri Roſtii de S. Potentino, hæc lego: *Steinfeldiæ Monialibus monachi, & Springersbacenſibus Præmonſtratenſes ſucceſſerunt.* Si ergò monialibus monachi, & his ſucceſſère Springerbacenſes, contingere potuit, ut illi duobus, tribúsve luſtris Steinfeldiam incolentes liberè ceſſerint, Spingerbacenſibus Canonicis, quo ſtante Chronologiam facilè ordinabimus, nè omnia ſcriptoris Præmonſtratenſis alioquin ſubvertere cogamur. Amotis enim poſt centum ſeptuaginta ſeptem annos Monialibus, dicamus ſucceſſiſſe monachos, annô 1097. perdurâſséque usque ad annum circiter 1112. Quo tempore quemadmodùm jam præclarè eminebat ſub *Richardo* Sprinkirsbacenſis Congregatio, ſic quoque jam potuit Steinfeldiam ex ea quædam Colonia deduci. At qui hanc Monachorum interpolationem abnegant, viderint, qui objectionem noſtram decem annos in Sammarthanorum æquè, ac Papebrochii Chronologia reſpectu fundationis Sprinkirbacenſis Cœnobii redundantes demonſtrantem, diſſolvant: nobis intereà ſufficiat dubium occurrens propoſuiſſe.

Per Viginti tres annos, inquit laudatus ſcriptor, Canonicos Sprinkirsbacenſes Steinfeldiam poſſediſſe, adeóque ab annô circiter 1115. ad usque 1138. non verò 1120. ùt (non obſervatâ Sprinkirsbacenſis fundationis Epochâ) notavit Papebrochius. Everuinum ſeu Herwinum non dubito primum hujus loci Præpoſitum fuiſſe, & quidem ex Sprinkirsbacenſibus Canonicis huc transla-

tum, qui, cùm de neo-exurgente reformatione Canonici inſtituti per *S. Norbertum* certior factus eſt, hoc odore ſtimulatus, ſuos perſuaſerit, ut in eandem pariter jurarent. At, ut id annô 1120. factum ſit, difficulter admittam, etenim inter primas filias Præmonſtrati Steinfeldia non numeratur à Præmonſtratenſibus ſcriptoribus, ſed quæ primò enutrita eſt *S. Martini* Landunenſis fuit, ab annô 1120. altera Floreffia ab annô 1121. tertia Cuiſſiacum ab annô 1122. his poſtmodùm aliæ, eæque non paucæ inter Hugonis primi Abbatis annos regiminis uſque ad ultimum vitæ, qui fuit 1161. acceſſerunt, & quamvìs indubiè jam annô 1131. Copioſa, & fortaſsè ultra centum numeraret ſibi ſubjecta monaſteria Ordo hic celeberrimus, neque tamen ſequitur, ideò quoque jam eisdem annumeratam fuiſſe Steinfeldiam, longè autem illud certius eandem non annô 1120. imò nec 1122. præmonſtrato unitam fuiſſe, ùt colligitur ex dictis evidenter.

Hic Evervinus ſcripſiſſe Epiſtolam S. Bernardo dicitur, quæ exſtat in operibus ejus ante ſermonem 65. in Cantica, prætereà teſtis cum Theodorio Abbate Campenſi miraculorum, quæ laudatus vir ſanctus operatus fuit, habetur in Parte 2dâ. L. 6. vitæ *S. Bernardi* Colum. novæ editionis 1191. non pag. 1175. ùt fontem minùs fortè propriis oculis perluſtrans incautè notavit Dionyſius Sammarthanus.

Hæc de Steinfeldenſi Cœnobio diſſerere viſum eſt, quòd ſi novis, nobiſque necdum cognitis documentis Chronologiam noſtram corrigere valuerint alii, manum damus, cùm informari à doctioribus nunquam fugiamus.

Exiſtit in Eyſlia. Brow. Annal Trevir. t. 1. L. 9. n. 67. acta SS. die 18. Junii in vita SS. Potentini, Felicii &c. in comment. §. 1. n. 2. & §. 3. n. 29. Gall. Chr. t. 3. col. 798. & ſeq. Annal. Præmonſt. Hug. Stivag. in Præmonſt. &c.

S. Stephani Abbatia. *Fund. ... Ord. Viſit. B. V.*

Antiquiſſimo huic cœnobio initium dedit *Adalbertus* Frater D. *Othiliæ* Virginis in Altitoenſin Gynæceo Deo ſervientis, de quo jam egimus, hic igitur intrà veteris Argentoratenſis urbis muros, ubi Caſtellum Romanorum ſteterat, ſacrum iſtud Collegium condidit, & confirmationem eidem à *Childerico* 2dò datam *Lotharius* in ſuo privilegio teſtatur. Erat verò hæc Abbatia utrique deputata ſexui, ita tamen, ut præeminentiam in fundatione Virgines ſacræ triginta nanciſcerentur, quibus quatuor Canonici jungebantur. Nihil omninò in hactenùs productis inſtrumentis, quæ apud Sammarthanos in appendice Tomi 5. referuntur, ſuppetit, ut ex iis vel minimè arguere liceat, initio fundationis iſthic moniales inſtitutum S. Benedicti profitentes fuiſſe conſtitutas, ut adeò ad hoc affirmandum ſola Dionyſii authoritas, quippè nimis liberè pro domo ſua perorantis, & aſſerentis, iſtud quoque monaſterium puellare Ordinis primùm S. Benedicti, tum S. Auguſtini fuiſſe, neutiquam perſuadere me poſſit. Scribit verò hic ipſe Dionyſius Sammarthanus, putátque regulæ Benedictinæ defectionem ad Canonicalem factam eſſe, ſub *Baſilla* Abbatiſſa, quæ huic loco præfuit ſæculô nonô, ſed quo tempore eædem ſe ſubjecerint *Auguſtini* legibus, nè conjecturat quidem. Quamvìs autem id certum habeamus, non ſolùm ad ſæculi duodecimi medium, verùm etiam primo ſtatim fundationis tempore regularem in hoc Canonicali Collegio vitam perſtitiſſe, Epocham tamen, quâ Auguſtini ibidem regula audiri

diri cœpit, necdum aſſequi poteramus. Uſque ad annum 1545. id eſt, uſque ad *Margaritham* 2dam de *Lantsberg* viguit hæc Canonica ſub *S. Auguſtini* inſtituto vita, quæ Abbatiſſa regularem incluſionem averſans, & Lutheri ſuſpirans libertatem, ad hujus impia dogmata tranſiliit, quam mox reliquæ clauſtri aliunde impatientes, velut quidam indomiti hinnuli, ſunt ſecutæ: tenuit hæc immutatio Collegium ad uſque ſæculi 17mi. finem, quo Ludovicus decimus quartus notiſſimo ſuo pro tuenda Catholica fide fervore eliminatis puellis ſectariis poſtliminiò eandem huc quoque reduxit, at Canonicarum Virginum locò illud ſacris Veſtalibus ſub titulo Viſitationis B. V. *Mariæ*, cùm onere decem Alſatiæ nobiles puellas educandi conceſſit.

Gall. Chriſt. t. 5. Col. 843. & ſeq. Mab. Annal. Bened. L. 15. n. 63.

Fund. circa an. 1138. Floret.

Stubenſe S. Nicolai Virginum Canonicarum Abbatia.

Statim ad initium deſcribendi hujus Parthenonis obteſtamur, minùs certò uſque dum nos comperiſſe, verène hic *Abbatiæ* titulo gaudeat, id eſt, ùt aliàs obſervavimus, Præpoſita hujus monaſterii benedicatur, an ſolùm inveſtiatur ſolenniter, maluimus tamen *Abbatiam* dicere, nè quid honoris, ac prærogativæ eidem derogare nos velle videremur.

Porrò fundatum eſſe hoc Gynæceum ab *Egelolffo*, filiæque ſuæ *Giſelæ* contraditum, jam in Sprinkirsbacenſi meminimus, totius Eccleſiæ, ac clauſtri ſtructuram vir prudentiſſimus *Richardus* Abbas molitus eſt, curâ, ac poteſtate plenè ſibi ab *Egelolfo* contraditâ. Tota igitur mole ædificii ad faſtigium deductâ, & Virginibus in ea collocatis, confirmationis litteræ ab *Adalberone* Trevirenſi Epiſcopo annô 1138. extraditæ ſunt, cautúmque in illis, nè numerus Virginum congregandarum centeſimum excederet, ex quo tamen colligimus, eximiam profectò dotem huic cœnobio fuiſſe collatam, quâ annuatim centum virgines ali poſſent.

Subjecit autem fundator cum *Adalberonis* conſenſu perpetuæ directioni Sprinkirsbacenſis Abbatiæ hunc Parthenonem, quod pariter *Eugenius* 3tius. annô 1148. ſuo privilegio ſtabilivit.

Cæterùm modica uſque dum nobis ſuperant, quæ de hoc loco diſſeramus; utpote de quo non minùs, quàm Sprinkirsbacenſi Abbatia nihil adhuc, niſi quæ Browerus ſuppeditaverat, occurrit. Ex quo tamen dignum cenſemus, deſcribere tabulam illam (qua vix tota Germania nobiliorem habere videtur) complectentem magnum Sanctiſſimæ Crucis Fragmentum, quod huic Parthenoni collatum eſt, cùm annô 1204. expugnata à noſtris Conſtantinopolis fuit. Nos ad verbum dabimus, quæ de eo Browerus refert, nè quid videamur ex nobis plus minúsve contuliſſe. Sic igitur ille: *Cimelio, ac theſauro prorsùs incomparabili Eccleſia Parthenonis Inſulæ S. Nicolai ditata fuit. Tabula eſt ſolerter, ac mirabili operum varietate perfecta; operimentum ex Bracteis argenteis, & lancinis inauratis fabrefactum habet, longitudine binûm dodrantium, unum, & ſemis latitudine; primis Clariſſimiſque gemmis, tum ſeptenis in orbiculos, tum in quincuncem novenis præclarè diſtinctis quaquaverſum collucens. Ad hæc ſpatium ab ingentis pretii lapillorum, & gemmarum ordinibus intermiſſum, Chriſti Salvatoris, ſpirituúmque cœleſtium, & variæ ſanctorum excipiunt effigies, ipſique tabulæ margines exteriores Græcis inſcripti jambis.. Quos mire*

rè diſtortos olim operâ collatâ, cùm noſtro Frontone - Ducao inter ſe con- jungere, & latinos ex græcis facere fuit animus.

Deſpectus ore pependit in ligno Deus,
Tam dira ritu ſuſtinens mortalium.
Prôelpus hunc Baſilius eximiè colens.
Thecam affabrè jubet inſtrui ligni ſacri,
In quo creata tenſus omnia traxerat.
Pulcher decore Chriſtus; occidens tamen
Decoris expers, ora pulchrius mea
Ornavit ipſe crimine olim obnubila.

Atq; hæc inexterioris tabulæ perèpheria; verùm ſubmotis Oſtiolis, admirabili prorſus ſplendore ſe ſe offert intrinſecùs ipſum crucis adorandæ fragmentum, laminis auro ſolidis, margaritis glandium inſtar exſtantibus; & pretioſiſſimis ſanè lapidibus incluſum. Crux ſalutaris, bifariam diviſa quatuor ampliùs directa colligit palmos, transverſaria duos, & ſemis; ſuperficies verò ligni pretioſi binos propè digitos. Tigillorum denique capita, ex quibus crux efformatur, nobilibus operta gemmis.) Pars averſa auro primo cælata. Græcis item verſibus hanc ad imum ab ſummo præfert inſcriptionem corruptis alicubi tamen antiquæ ſcripturæ veſtigiis.

Sublimis ex ligno Deus tendit manus,
Nobis per illud efficax
Vitæ ferens largus ſupernæ munera
Conſtantinus & Romanus.
Hoc, Imperî Eoi ambos qui tunc Principes,
Serie eleganti gemmeâ.
Lapidúmque ſtructura exhibent mirabile.
Et ante ligni vis ſacri
Ex ſauciata mortuos Orci domo
Vitæ redonabat potens;
At nunc trophæa Principes, qui hæc efferunt
Inſigniores gloriâ,
Tumidos per ipſa Barbarorum ſpiritus
Audaciámque comprimunt.

Jam ipſum quoq; venerandæ Crucis Ectypon, quod artificis manus non aſſecuta vel rude ſubjicimus; nam collocatio, & ſtructura operoſior eſt, quàm quæ in abſentis cogitationem influat (Notet tamen hic Lector à Browero nec rudem delineationem afferri, hinc, & nos illam iſthic inferere nequivimus) *in tabula, cui crux incluſa, dextrâ levâque lateribus crucis hærent abdita argentea theca, ſolutiles hinc, & inde quinæ; harum ex ſuperimpoſita lamina affabre ducuntur operimenta, inſculptis reliquiarum titulis Charectere græco, & ſingulis con-*

conditoriis præfixis, tum poteſtatum, tum Principatuum Cœleſtium, cum ipſa Angelorum effigie nominibus. *Ponè Crucem verò, primæ dignitatis ſancti Eccleſiæ Græcorum Patroni, auguſta veſte trabeati.*

Siniſtrorſum:
Cunabulorum Chriſti vitæ Dei
Coronæ ſpineæ JEſu Domini benigniſſimi Dei noſtri
Sindonis immortalis Chriſti Deique,
Sudarii excellenti ſanctitate Deiparæ;
Zonæ Genitricis Dei ſanctæ.
Dextrorſum:
Lintei Chriſti Dei noſtri Conditoris;
Purpurei veſtimenti largitoris vitæ JEſu;
Spongiæ longamini Chriſti Salvatoris noſtri;
Zonæ Virginis ſanctæ Dei Parentis ex Chalcopratiis
Venerandorum S. Joannis Antecurſoris capillorum.

Hæc de dicta tabula Browerus, quæ utinam nobis ſua (ùt ſaltem fieri manu cujuſdam ſculptoris, aut pictoris poteſt) in effigie transmitteretur, & ea, quæ aliquantò obſcuriùs, vel decurtatiùs Browerus meminit, clariùs deſcripta communicarentur, ut operi noſtro inſerere poſſemus.

Demùm floret adhuc eximiè hic Parthenon, &, ùt ex quodam ſcriptore percipimus in illum nunc non niſi nobiles Domicellæ ſuſcipiuntur. Prætereà tabulam illam cum S. Crucis fragmento ſine peculari licentia Archiepiſcopi Trevirenſ. oſtendere nunquam licet.

Exſtat propè Moſellam, non longè Cochimâ. Brow. Annal. Trevir. L. 14. n. 16. & L. 15. n. 54.

Fund. Extinctum. Scucherenſe. Aut, ut Pennotus ſcribit, Scuchejenſe, quod erroneè in Elencho impreſſum monemus *Succherenſe*. Præpoſituram hanc notatam legimus in libro taxarum Apoſtolicarum, ùt videre eſt apud Tamburinium de jure Abb. t. 1. pag. 492. At alioquin nobis omnia incognita, niſi quòd Pennotus afferat, hoc Cœnobium in civitate Argentina reperiri. Porrò dum hæc Præpoſitura diſertis verbis in dicto taxarum libro *S. Auguſtini* dicitur, & ducentis florenis taxatur, profectò non inter mediocria, ſed præclariora tum collegia exſtitiſſe apparet. Attamen quia in recentioribus Alſatiæ ſcriptoribus omninò nulla memoria occurrit, ſanè per tumultus bellicos, ac præcipuè hæreticorum veſanas monaſteriorum expilationes, ac devaſtationes periiſſe credibile eſt.

Pennotus in ſua hiſtor. tripar. L. 2. c. 39. n. 1. ad finem Tambur. cit.

Thanenſe Abbatia. Narrat Stephanus Cremonenſis, & ex eo Oliverius, ambo Canonici Regulares Lateranenſes, vitæque *S. Ubaldi* editores, quòd, cùm hujus ſancti Eugubini Epiſcopi præſentem vitam cum æterna mutantis, corpus in Eccleſia publicè exponeretur per 4. integros dies, *factum ſit*, verba ipſius Stephani admeiior, referente Oliverio: *Ut acceſſerit ad ipſum famulorum unus, natione theutonicus, dixerit-* Fund. ... Exſtinct.

que

que: tu mihi Domine, adhuc vivens promiſiſti tantum dare, quantum ſufficeret vitæ honeſtè tolerandæ, nunc autem, & te perdo Patronum dilectiſſimum, neq; recipio quidquam, quô ſenectutem meam ſuſtentem. Hæc *coram omni populo lacrymabundus, cùm diceret; ecce tibi, ô rem miram! qui jacebat mortuus, manum ſiniſtram dexteræ admovens, ſimul ab ea Chirothecam abſtulit, ſimul dexteri pollicis articulum unum, deditque famulo, ſolam Chirothecam ſe accipere exiſtimanti, & vel ea ſola ſatis læto. Hanc ergò ſecum in patriam abſtulit, ad Caſtrum Pineti dictum Baſileenſis Diœceſis: cui cùm appropinquaret, cœperunt movente nemine pulſari campanæ omnes, ſtupente ad prodigii novitatem populo, nec ejus cauſam intelligente. Poſterâ die Chirothecam ſancti explicuit famulus, repertúmque in ea articulum digiti demiratus oſtendit primoribus ipſius Caſtelli, & quanta fuiſſet Patroni ſui demortui ſanctitas declaravit. Satis hoc fuit piis hominibus, ut collatis ad fabricam Eleemoſynis nobile templum ſub ipſius ſancti nomine conderent, inſtituerúntque Canonicorum Collegium, cujus primus Præpoſitus eſſet idem, qui ſanctam reliquiam attulerat haud ægrè ſuſtentandus Eleemoſynis, propter miraculorum frequentiam ibidem affluentibus.* Hæc ex Stephano Oliverius: cùm verò iſta legiſſet vir Doctiſſimus Papebrochius, Oliverio hiſtoriam iſtam unde unde corraſam certiùs cenſet occurriſſe, neque aut à Stephano ſuis de S. *Ubaldo* elucubrationibus inſertam, neque à Theobaldo, Jordanóque hujus S. viri æquè biographis unquam memoratam, ut adeò totam illam inter fabulas laudatus Papebrochius habeat, maximè ductus illo publico teſtimonio annô 1593. ſcriptis confecto, quo præfertur, ſacrum corpus ſolenni ritu tunc viſitatum, repertum fuiſſe, nullô articulô manus carere, ſed adeò integros quóque digitos inventos, ut adhuc omnes ungues diſtincti, & clari adſint, ac ſi dictus beatiſſimus Pater viveret. Præterea perſuaſus quadam Nominis irrepente confuſione *Ubaldum* pro *Theobaldo* ſupponente, cùm ſcilicèt Eccleſia hæc Thannenſis collegiata non *S. Ubaldo*, ſed *Theobaldo* ſacrata usque dum noſcatur, Eremitæ ſcilicèt Vicentiæ defuncto, & ob vitæ ſanctitatem, ac prodigiorum copiam adeò celebrato, ut Pariſienſibus, Remenſibus, Tullenſibus, Metenſibus, Trevirenſibus, Leodienſibus, Oeduenſibus, Divionenſibus, quid ni, & Baſileenſibus, in quorum ditione Pinetum conſiſtit, in cultu eſſet, atque veneratione: igitur eò faciliùs credibile factum dicto viro eruditiſſimo videtur, ut *Theobaldus* in *Ubaldum* mutaretur, quò certiùs per primarum literarum apbæreſim Italis uſitatiſſimam (qua Theobaldus di San Boldo dicitur) Theobaldus in ubaldum decurtari potuit.

Verùm nos hæ rationes necdum movent: neque enim mihi Oliverius inter poſteriores licèt vitæ ubaldinæ ſcriptores tam vagi, & inconſiderati ingenii homo arguendus videtur, qui vigeſimô poſt illud evulgatum teſtimonium annô hanc vitam noviter elucubravit, ipſisque Eugubinis Conſulibus dicavit, tam inconſideratè, eandem ipſam hiſtoriam ammodò immiſceret, niſi rationibus aliis ductus fuiſſet, quibus teſtimonium prædictum obſiſtere nequiret.

Porrò quamvìs fortaſſe adduci plura pro defenſione hujus ſæpèſatæ hiſtoriæ poſſent, nos tamen certis de cauſis pro nunc iis abſtinemus, & ſolùm iſthìc ſequentia annotare cupimus: primò: à nobis necdum decerni poſſe, ſitne hæc ipſa, quæ nunc ſæcularis S. *Theobaldi* Eccleſia dicitur,

in

in controverſia, an alia re verâ *S. Ubaldi*, fortaſſè dudum exſtincta, & ſub cineribus oblivionis ſepulta? Secundò: an impoſſibile ſit? cùm annô 1593. viſitaretur, & reperiretur ſacrum corpus integris manuum articulis, ut quemadmodùm divinâ virtute fieri potuit ſacri *digiti avulſio*, ſic deſtructò per injuriam bellorum, ac maximè hæreticorum (paulò antè, omnia propè Baſileam loca crudeliſſimè invadentium, & diripientium) fortè illo cœnobio, contingeret miraculoſa *reſtitutio*. Tertiò: an, &, quæ reliquiæ S. *Theobaldi* Fremitæ, aut putati à Thannenſibus Epiſcopi habeantur in memorata collegiata Eccleſia? Atque num aliquam analogiam habere videatur harum reliquiarum à Thannenſibus adeptio cum hiſtoria ab Oliverio relata? Horum quæſitorum, nec non aliorum quorumdam documentorum, cùm me certiorem fecero, tum demum, quid de toto hoc proceſſu ſentiam diſertiùs explicabo. Intereà hæc retuliſſe ſufficiet.

Acta SS. in vita *S. Ubaldi* t. 5. Maji. die 16. Licæum Lateran. L. 16.

Fundat, Exſtinct,

S. Thomæ Præpoſitura.

Antiquiſſimam hujus fundationem ſcriptores paſſim referunt in acceptis S. *Florentio* Divi *Arbogaſti* in ſede Argentinenſi Succeſſori, qui monaſterium iſtud pro Scotis condidiſſe dicitur, monachis illis, an Clericis? utrinque diſceptatur. Dionyſius Sammarthanus cum Guillimano pro monachis certat, ſic enim ille ex iſto: *Ejus* (id eſt, *S. Florentii*) *operâ, & auctoritate conſtructum Argentinæ Scotis monachis, & peregrinis primò diverſorium, ſeu hoſpitale, pòſt etiam templum in honorem D. Thomæ Apoſtoli, quod poſtremo in Collegium Canonicorum converſum, multis egregiis viris quondam refertum, & unde nonnulli Epiſcopi ſumti.* At Renatus Choppinus cum Pennoto noſtro pro Clericis ſtant: ſic etenim iſte ex illo. *Hoc Monaſterium*, inquit, *queritur Renatus Choppinus in monaſtico L. 1. tit. 3. per quemdam Epiſcopum Argentinenſem ex Canonicis regularibus translatum ad ſæculares annô Chriſti* 830. Verùm, ut Choppino, Pennotóque omninò aſſentiar, vix perſuadeor: quin, credam potiùs primùm monachos (quod ſancti Epiſcopi ſæpius feciſſe leguntur) à S. *Florentio* in hoc Oratorio circà ſæculi ſeptimi medium, quo idem præfuit, fuiſſe locatos, poſtmodùm verò, & quidem circà annum 822. (ùt putat Cointius) cùm eadem Eccleſia penè deſolata exiſteret, per *Adalochum* Epiſcopum Argentinenſem reſtauratam Canonicos monachorum locò ſuſcepiſſe. An hi regulares, ſæcularésve eſſent? quæri poſſet, niſi à me tam facilè quæſtionem, quàm dubium ipſum removerem dicendo, Adalochum certò non alios, niſi quos Aquiſgranenſe paulò anteà Concilium ubique haberi voluit, id eſt, regulares ſimplicibúsque votis ſecundùm unum ſaltem quatuor graduum paupertatis (de quibus in exegeſi loquebamur) adſtrictos inſtituiſſe. Ut mirari potiùs ſubiret, ſi aliud de *Adelocho*, quàm omnibus cum Epiſcopis per Germaniam exiſtentibus factum eſſe opinaremur. Defeciſſe tamen ſucceſſu temporis ad ſæcularitatem facilè concedimus, uſque dum planè præbendæ ejusdem Eccleſiæ proteſtantium Profeſſoribus ſunt conceſſæ.

Exſtitit in urbe Argentinenſi: Herzog. Chron. Alſat. L. 8. C. 15. Pen. L. 2. C. 39. n. 1. Gall. Chriſt. t. 5. Col. 782. & 786. & 837.

Trevirenſis S. Petri Cathedralis.

Quanta à nobis de hac celeberrima, & meritis ex inſtitu-

ſtituto Canonico reſultantibus opima Eccleſia dici poſſent, nemo ignorabit, qui ejuſdem hiſtoriam impenſiùs, & oculo aliquantùm liberiore, nec partium ſtudiis caligante luſtraverit. Hæc etenim, cùm primùm per *S. Eucharium* unum ex ſeptuaginta duobus Domini diſcipulis huc locorum à *S. Petro* ad convertendos paganos miſſum Trevericus populus, ac potior pars urbis fidem Chriſti ſuſciperet, *Albanæ* nobilis Matronæ (cujus defunctum filium *Eucharius* à mortuis reſuſcitavit) impendiis propriam domum in Eccleſiam conſecrandam viro ſancto offerentis ſuum ſumpſiſſe exordium traditur: atque Chronici Belgici author, eandem hanc Eccleſiam in honorem *S. Joannis* conditam fuiſſe; dum verò hic Chroniſta primum Eucharii adventum ad Treviros annô 54 ſtatuit cum Mariano, Browerus oſtendit id annô 50. contigiſſe, cui recentiores quique ſuffragari videntur.

Porrò Eccleſiam Cathedralem primitùs non *ſancto Petro*, ſed *S. Joanni* dicatam ab *Euchario* hoc unum in probam ſufficit, eo tempore D. hunc Apoſtolum adhuc in vivis degiſſe, utpote qui juxta veriorem Chronologiam non niſi annô 65. meritorum ſuorum coronam in cœlis accepit. Cùm igitur non ſolerent fideles cuiquam in terris adhuc viatori Apotheoſim dicere, nec quoque ulli eorum niſi poſt conſummatam juſtitiam ſuam loca ſacra dicabant. Eccleſiam verò hanc, quam nunc Cathedralem conſpicimus, potiùs adſcribendam credimus *D. Agritio*, hinc Browerus: *Fama tenet ..... ædium ſacrarum maximam in urbe, ſeu metropolitanam, ex Helenæ Auguſtæ Regia, vel palatio, D. Petro Apoſtolorum Principi conſecratam, & dedicatam ab Agricio.* Quod ipſum ex Chronico Belgico diſcimus, haud dubiè ad verbum propè ex hiſtoria Trevirenſi, quæ apud Dacherium exſtat, excerptum. Neque ambigendum, huic Eccleſiæ ab *Agritio* monaſterium junctum fuiſſe Clericorum, utpote cùm de diſcipulis illius expreſſa mentio fiat in vita, è quibus S. *Maximinus* ejuſdem ſucceſſor dicitur ſub ipſo clericatum accepiſſe. Quidquid autem ſit, juxta noſtra principia certa, & inconvulſa, *Agritius* junctam ſibi Clericorum congregationem habere debuit, quæ in communi vivens, non potuit non regularis, ac votiva fuiſſe. Præfuit autem *Agritius* juxtà Browerum ab anno 327. à quo circiter tempore Eccleſia Trevirenſis nova Anaſtaſi ad veræ fidei lucem revocata eſt per hunc ſanctiſſimum virum, & exinde in ſuſcepta Catholica veritate nunquam non fidelis permanſit: neque minorem ſanctitatem in Clero perduràſſe multis ſæculis, apertè colligimus ex tot ſanctis viris, qui affatim hanc Trevirenſem Eccleſiam illuſtrârunt. Et quamquam legamus à primævo fervore circa ſæculi decimi medium eosdem adeò defeciſſe, ut ſcribat ex antiquis monumentis Browerus clerum tum longiùs deſciviſſe ab antiqua vivendi norma, erat tamen eodem tempore magnum in illis partibus virtutis ſydus omnibus conſpicuum S. Wolffgangus, hunc à puero conviventem ſibi Henricus tum Trevirenſium Epiſcopus ſuo lateri continuò præſentem voluit. Oblata eximia officia repudiavit omnia humillimus *Wolffgangus*. *Protritum in ſpeciem* (verba ſunt Broweri) *at ſaluberrimum formandæ juventutis, & ad pietatem erudiendæ munus ſibi depoſcens. Quo in officio cùm ſedulus operam Henrico ſuam egregiè probat, faciendum antiſtes ſibi putavit, ut tam perito moderatori, vitam, moreſque Cleri ſui crederet. Decani igitur, ac veluti*

lati cenſuris in Clerò munere ſibi commendato, Epiſcopi imperium recuſare non auſus, provinciam ſe utique dignam ſuſcepit, atq; hoc obiit intenſiore curâ, quo Clerum intellexit deſcivisse longiùs tum ab antiqua vivendi norma. Henrico igitur Author, ſuaſórque fuit, ut areâ ampliſſimâ occupatâ, & regularibus officinis, quas vocant, exſtructis, Clauſtrum ſimul principi Baſilicæ circumdaret, resq; Cleri, & fortunas juberet, ùt antiquitus ſolet, in commune conferri. Res inuſitata viſa, & in arduo: ſed blandis miſcendo ſevera, Wolffgangus effecit tandem, ùt eadem impoſterum menſæ, & ſub eodem tecto Treviricus Clerus agens vitam à turba ſegregatam, & legibus diſciplinæ ſeverioribus aſtrictam arriperet. Hæc Broweri verba adducenda erant, nè videamur quidpiam Wolffgango Clerum reformanti è noſtris addidiſſe: res ergo Cleri, & fortunas jubebat in commune conferri, & quidem, *ùt antiquitùs ſolitum erat*; Quò patet, quamdiù fuerit, quòd vita communis proprietatis expers in majore Clero Trevirenſi viguerit, & hic *Henrici* tempore in libertatem aliquantò majorem dilapſus, quàm æqua comparatione, *ùt antiquitùs*, iterum fuerit ſuis regularis vitæ limitibus reſtitutus.

Cùm verò *S. Wolffgango* tanquam hujus obſervantiæ ſolerti cuſtode ad Ratisbonenſem infulam translato, ſimúlque *Henrico* Epiſcopo vitâ functo laxior iterum Clero vivendi licentia ſuppeteret, depulsâ, quam utérque, *Henricus* ſcilicèt, & *Wolffgangus*, tanto labore induxerant, diſciplinâ, reaſſumpta eſt prior libertas; de qua adeò patheticè lamentatur Trithemius, ut id *quodam impietatis Spiritu* factum eſſe, ingemiſcat, cujus textum, quia alibi adduximus, iſthìc non cenſemus iterandum. Factum id notat Browerus ex dicto Trithemio ad annum 976. ſub *Theoderico* Epiſcopo; duraſſéque usque ad annum circiter ſeptimum *Ludolphi*, id eſt, ad annum 999. quô tempore hic venerandus Clericalis diſciplinæ Zelator, tantæ hactenùs ſolitæ laxitatis impatiens, qua non tam induxiſſe pleno jure ſæcularitatem Canonici comprobari poterant, quàm in eam aliquo modo deflexiſſe, ùt ſcilicet fieri conſuevit in locis, quæ reformationem depoſcunt, hic, inquam, vir planè eximius, prout idem Browerus ſcribit: *Cœnobium, & vitam communem reſtauraturus, Cleri quoque domicilia circum ædem maximam, novis operibus exornare cœpit, muriſque quaqua verſum objectis tuta præſtitit ab oppidanorum commerciis, & illecebris vitiorum; ad Epiſcopium duntaxat aditu civibus, atq; exteris permiſſo, quod quidem præclarum providentiæ ejus ſpecimen eò pertinebat, ut quemadmodùm veteres authores innuunt, Clerus, quem vitæ purioris ſtudiô flagrare omninò præ cæteris multitudine par eſt, ſicuti caſtis vitæ muneribus, ita priſcorum Canonicorum inſtitutò domiciliis, ceu diverſis quibusdam habitationum officinis à vulgi eſſet colluvione ſecretus. Et aderant Ludolfo ſtimuli à Goslarienſi Clericorum in Saxonia cœnobio, quod, ùt abſolutâ morum diſciplinâ, ſic Imperatorum gratiâ florens, Ludolfum Treviris Epiſcopum dederat, educationis haud oblitum ſuæ. Porrò hac Treviris Clericorum in orbem deſcripta Spatia immunitatis ſeptâ vocari ab antiquis, & monaſterium majus ſolent; quia Canonicos hiſce temporibus ſub Decani, Præpoſiti imperio, communi menſâ, penúque, monaſtica vita quadam imagine cænobium excoluiſſe, omnibus argumentis, atq; ejus vitæ, quæ paſſim exſtant plurima, veſtigiis exploratiſſimum eſt.* Itáque *Ludolfus* non minùs feciſſe hac Broweri pericope in Teſtimonium adducta probatur, quàm quod non mul-

multis ante annis cum *Henrico Wolffgangus.*

Quamdiù autem ſecunda hæc reformatio ſuo in virore permanſerit, non facilè definiemus, profectò *Megineri* tempore Eccleſiaſticam diſciplinam Treviris enormiter peſſumdatam fuiſſe hujus egregii Pontificis acta declarant, qui, cùm ſolùm fortaſſe graviora, & ſcandalum in populo funeſtius cauſantia delicta incontinentlæ emendare aggrediebatur, tantum ab univerſo Clero in ſe concivit odium, ut illud non niſi ſubſequa dedecoroſa morte in carcere per Conradi Sueviæ Ducis, hoſtis ſui graviſſimi, machinationem extinguere poſſet. Ceterùm, ut de Trevirenſium Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ſucceſſione agamus, quæ multas apud eruditos controverſias patitur, non eſt hujus loci; eorum, qui ex Canonico-votiva vita ad nobiliſſimam hujus Eccleſiæ ſedem promoti ſunt, memoriam debitam ipſo in opere, ùt par eſt, referemus.

Browerus Annal. Trevir. t. 1. L. 9. n. 122. & L. 10. n. 23. & 73. Chron. Belg. pag. 8. Dacher. Spicileg. t. 2. p. 210.

Fund. circa an. 1181. Exſtinct.

Truttenhuſanum S. Nicolai Prioratus Windeſemenſis.

Cùm annô 1181. *Herradis* Altitonenſis monaſterii Abbatiſſa, ut tam temporalium, quàm ſpiritualium rerum neceſſitatibus de optato, commodioréque ſubſidio provideret, animum induxiſſet non longè à ſua hac Abbatia monaſterium quoddam virorum exſtruendi, id exſecuturæ manum adjutricem Germanus frater *Guntherus* Nobilis *de Winheym*, & *Landſperg* liberali aſſenſu contulit: hinc eôdem annô in quodam ejusdem piiſſimi viri prædio Cœnobium conditum eſt in honorem *Virginis Beatæ*, & *S. Nicolai* Epiſcopi, illudque Canonicis Regularibus inhabitandum contraditum, ac denique eodem ipſo annô ab *Henrico* Epiſcopo Argentoratenſi ſolenni ritu dedicatum. Quam fundationem *Lucius* Summus Pontifex an. 1185. ſuâ deſuper Bullâ confirmavit; de qua in Parthenone Altitonenſi pleniora retulimus. Præfuêre, ùt refert Miræus, ferè ſemper eidem Præpoſiti, donec illud æquali fervore, ac Zelo annum circiter 1454. ab Arnoldo Huls fuerit reformatum, à quo tempore ex Præpoſitura Prioratus, ſeu domus Capituli Windeſemenſis evaſit: de hac reformatione ſic ſcribit Chron. Bodec. Author. *Mittuntur litteræ, à quodam milite, ut monaſterium dictum Truttenhauſen propè Argentinam Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium per præmemoratum Priorem ad reformandum acceptetur, quibus litteris ſic transmiſſis non longo tempore poſt hoc tranſacto ſuperior Prælatus Monaſterii Prior Windeſemenſis tales prædicto Venerabili Priori litteras miſit, ut ſupradictum monaſterium à fratribus ſuis per inhabitationem occuparetur: qui ſingulis attentè, & diligenter conſideratis animo deliberato circumſpectum virum Nomen Joannem ſaxonem ad religioſum Priorem Horti Virginis glorioſæ propè Wormatiam nomine Bertholdum feſtinanter transmiſit. Hi duo ſimiliter ad prædictum Monaſterium pergentes ſingula, quæ pro pace, & tranquillitate dicti Monaſterii ſtatûs in futurum eſſe poſſent, & ab Epiſcopo Argentinenſi, ejusq; Capitulo, & Dominis illius terræ, in quorum territorio idem monaſterium ſituatum fuit, ſigillatis literis impetrârunt, quo facto fratres ſuos illuc miſit ad inhabitandum.* Reformationis autem neceſſitatem huic cœnobio impoſuit illa dira clades annô 1444. eidem illata ſub *Nicolao Wiſtenburgio* Prœpoſito. Quo tempore nimirum Prædones *Armeniaci* vulgò, & vernaculâ lin-

guâ

guâ noſtrâ die Arme geken dicti Duce Delphino per totam Alſatiam graſſantes depopulabantur, quæcunque offendebant. Unde nec hoc egregium alióquin monaſterium rabiem horum nebulonum evaſit, ſed paulò pòſt cæſis, fugatíſque irruptoribus Nicolaus Noſter, ut ſecuriore ſubſidio monaſterium ſuum poſthac propugnaret, ſolertia primùm indefeſsâ illud in ædificiis reſtruxit, moxq́ue, ùt providus Pater Windeſemenſi Capitulo incorporari petiit, primus nomen Præpoſiti in Prioris commutans. Tantâ autem curâ licèt vallatum Truttenhuſanum Collegium necdum quæſita tranquillitate gaudebat, nam annô 1520. Seditioſi Alſatarum agricolæ rurſum direptis, quæcunq́ue in prædam occurrerant, bonis, enormiter depopulati ſunt, ſicq́ue ſenſim ſuis in calamitatibus contabeſcens, deníque priore ſæculo omni religione exſtinctâ ingratiſſimæ Winheimenſis familiæ Stirpi ſuperſtiti, dudum Catholicam veritatem abjuranti, ceſſit, quæ Fundatorum piâ liberalitate, ac intentione elaſa, omnia hujus Cænobii bona in profanos uſus convertit.

Extitit infrà Monaſterium Altitonenſe quatuor milliaribus ab Argentorato Mitæ. L. de orig. Can. Reg. Cap. 45. & 78. Chron. Bod. C. 65. Bruſch. Chronolog. monaſt. Germ. p. 554 & ſeq.

Fund. circa an. 1146. Exſtinct.

Vallis Martyrum. Virginum Canonicarum Prioratus.

Ad Cæſaris - Eſchium hic Parthenon Virginum Canonicarum ſitus erat, quem Sprinkitsbacenſi Abbatiæ *Albero* munificentiſſimus in hunc locum Archiepiſcopus unitum voluit, confirmante donationem ipſo Summo Pontifice *Eugenio*, ſepulturam ſimul hujus Eccleſiæ liberam decernente. Cæterùm, cùm nullam hujus Parthenonis notitiam nacti ſimus, eam (niſi aliter informemur) inter exſtincta Cænobia, ùt hactenùs, numerabimus.

Brow. Annal. Trevir. tom. 2. L. 14. n. 53.

Fund. ... Exſtinct.

S. Victoris Præpoſitura.

Originem hujus collegii Helwichius ex inventi cujuſdam antiquiſſimi in Franconia Codicis teſtimonio cenſet adſcribendam Divæ *Helenæ Conſtantini* Imperatoris Matri. Ibidem *Lullus*, & *Rabanus* orationibus vacâſſe ſæculô 8vô leguntur in additamento ad vitam D. *Bonifacii* à Willibaldo ſcriptam. An verò primùm in hoc cœnobium inducti ſint monachi Griſei, ùt ex M. SS. minore notat Serarius, necdum aſſentiri omninò poſſum: neq́ue enim ornamenta illa vetuſtiora, in quibus cinerei monachi phrygionicò intertexti opere viſuntur, ipſum locum talium monachorum habitaculum probant, cùm ornamenta illa aliunde, & ex alio tali cœnobio huc transferri valuerint, quod ſæpius alioquin factum novimus. Neq́ue etiam eadem ipſa ornamenta tam antiqua probari poterunt, ut manifeſtè præceſſerint tempora, quibus ſcimus certè in æde *S. Victoris* Canonicos exſtitiſſe, niſi id Characteres Chronici illis inſerti oſtendant. Porró Canonicorum congregationem collegiſſe ad hanc Eccleſiam, cùm deſerta, & factis incolis aliquamdiu orbata hæreret, legimus B. *Burchardum*: ſic enim ejuſdem Biographus apud Serârium, cùm virtutes egregias, & promotionem illius ad Diaconatus ordinem ab Archiepiſcopo *Willegiſo* factam narraſſet, *loco*, inquit, *cuidam pauperrimo Præpoſitus eſt. Hunc ergò locum Archiepiſcopo adjuvante, ſummo niſu ſtatim adauxit, totisque viribus decoravit. Nam egregium monaſterium ſimul, & clau-*

ſtrum Canonicorum in honore S. Victoris ibidem conſtruxit, poſitiſque ad electionem fratrum, clauſtri primatibus curſum certis temporibus, ac ſignis decantari, ſervarique præcepit &c.

De eodem hoc San-Victorino Cœnobio ſequentia in ſuo Hirſaugienſi Chronico ad an. 978. Trithemius ſcribit: *Monaſterium quoq; S. Victoris extra Moguntiam, in quo Canonici regulariter in communi vivebant, ſuis impenſis ampliavit:* Nempè *Willegiſus*. Regulariter ergo ad *S. Victorem* inſtituti à *Burchardo*, & *Willegiſo* (ambobus Sanctiſſimis viris) Canonici diù primævæ diſciplinæ inhæſiſſe videntur, at non aliter niſi ſecundùm Aquiſgranenſem inſtitutionem, quam aliquantò jam liberiùs obſervatam ab ipſis, apparet ex privilegio *Friderici* primi ſub annó 1173. in quo decernit, *Canonicum Sanct-Victorinum nihil habentem, niſi quæ de Eccleſia, cui ſervierat, conquiſivit, omnia Eccleſiæ debere relinquere, nec ullum poſſe condere teſtamentum: at quæ de proprio vel ex mera aliqua liberalitate, vel ſucceſſione cognationis, vel aliquo lucrativo titulo ad eum deveniſſent, cui vellet, poſſe donare, ſive inter vivos, ſive ultima voluntate, ſi verò inteſtatus moreretur, omnia ad uſum Eccleſiæ redire &c.* Quod ſane adhuc aliquomodo vota ſimplicia inter Victorinos Clericos viguiſſe comprobat: at non diù poſteà omnimodam ſæcularitatem inductam fuiſſe ſubſequa documenta oſtendunt.

Demum Canonici diverſis agitati moleſtiis maximè per *Albertum* Marchionem Brandeburgicum annò 1552. die 22. Aug. Eccleſiâ S. *Victoris* noctu in cineres redactâ, cùm priſtino ſtatui eandem reſtituendi pertenuis Spes affulgeret, in urbem Moguntinam migrantes D. *Joannis* ædem ſacra peracturi obtinuerunt, quam usque hodie poſſident.

Serar. rerum Moguntiac. t. 1. L. 5. pag. 452. & in Chronico S. Victoris t. 2. rer. Mogunt. pag. 578. & 588. & 620. Acta SS. in vita S. Bonif. Mogunt. Archiep. n. 9.

Volckenhuſen S. Joannis Bap. Prioratus Windeſemenſis.

Fundatum Exſinct.

Fuit hoc cœnobium à prima fundatione monalium (cujus ordinis? non ſatis expertum.) quæ haud dubiè ita defecerint, ut ejusdem loci reformatione opus fuerit, quam primùm induxiſſe dicitur *Hermannus Straken* tertius Mollenbekenſis Prior, idque de licentia Epiſcopi Paderbornenſis *Theodorici* ſecundi, & Comitis *de Waldegg Philippi* ſecundi, à quibus etiam requiſitis, & in perpetuum duraturis privilegiis gratioſè munitus eſt. Vix autem credi poteſt, quanto Charitatis fervore hic piiſſimus reformator Hermannus opus iſtud ſit aggreſſus: cùm enim omnibus propè neceſſariis expilatum cerneretur monaſterium, *omnem ille utenſilitatem liberaliſſima manu de proprio ſuo monaſterio ſuppeditavit.* Exin cùm ageretur de incorporatione capitulo Windeſemenſi facienda, ſubmiſſi ad loci inquirendam commoditatem *Joannes Buſchius* tum Prior Sultanus, & *Joannes Clavenkorn* Prior in Richenberg, atque invenientes *locum aptum eſſe pro multis animabus lucrandis Domino, incorporationem ſolenni ritu peregerunt. Quatuor Molenbekenſes Canonici in eodem loco ſtabiliti obedientiam manualem* (hoc eſt, qua ſuperiorum arbitrio adhuc mutari poſſent) *coram ſummo altari uni prædictorum viſitatorum fecerunt, datáque licentiâ priorem ſibi eligendi, aſſumptus eſt Lambertus de Bruen profeſſus, ac Canonicus Molenbekenſis.*

ſit. Sicque diſciplinæ regularis egregiis fundamentis poſitis de die in diem profecerat Prioratus iſte amplioribus florens virtutibus. Verùm an nunc adhuc exiſtat, non tam ambigimus, quàm ex indiciis penè certis ejusdem colligere occaſum cogimur, tum ex abjurata jam pridem in hoc comitatu Waldeckenſi fide Catholica, tum ex alto ſilentio his temporibùs hujus monaſterii.

Exſtitit ſuprà Neo-Waldekum urbem metropolim hujus Comitatûs quatuor, ac medio milliari. German. Buſch. de reform. monaſt. Cap. 9. Bucel. par. 2. Germ. Sacr. Mir. L. de Orig. Can. Reg. in Catal. cap. 13.

Fundat... Exſtinctiom.

Wetterenſe Virginum Canonicarum Abbatia.

Pauciſſima, quæ novimus de hoc parthenone ex Gallia Chriſtiana proferimus, ubi ſequentia leguntur: *Wetter Monaſterium regale Canonicarum regularium, cujus Abbatiſſa Kunegundis de Solmeſe annô* 1344. Dubium eſt de Diœc eſi. Hinc quoque nos cœnobium iſtud Mappæ noſtræ inſerere nequivimus, monitum tamen de errore in Elencho monaſteriorum commiſſo volumus lectorem, in quo Wetterenſe nuncupatur Prioratus, cùm appareat Abbatiam fuiſſe.

Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 591.

Fundat... ſecul.

Wezlarienſe. Præpoſitura.

Monitus, ut hanc Præpoſituram ab Hermanno, & Udone Alſatiæ, Auſtriæque limitum potentibus fratribus inceptam, & per eos ibidem poſito Clericorum Collegio opulentè inſtructam noſtris hìc monaſteriis insererem, non invitus quidem parere volui, utpotè ratum exiſtimans unà cum inducta Clericali illa congregatione ſtabilitam quoque in ea fuiſſe Aquisgranenſis purioris regulæ normam. At quia alioquin nil nobis de ea ſupereſt notitiæ, niſi quòd graviter à Lutheri aſſeclis afflicta, & imminuta ſit, prætereà neque aliud de Præpoſitis, aliisque viris præclaris ibi exiſtentibus nobis usque dum luculentius conſtet, manum de tabula ponere cogimur.

Exſtit in ipſa urbe ad Loganæ, & Dillæ confluentes. Brow. Annal. Trevir. t. 1. L. 9. n. 36. Docum.

Fund. i... ſeculor.

Wormatienſis S. Petri Cathedralis.

Hujus celeberrimæ Eccleſiæ enarrationi oportet, aliquantò uberiùs immoremur, ut cumprimis ejus originem, dein florens in illa inſtitutum ſolidis argumentis promanus. Omittimus hic illa, quæ diffuſiùs de nomine hujus Metropolis, aliisque controverti ſolent, & ad noſtrum, ſaltem præſentis prodromi, propoſitum parum, aut nihil faciunt. Non enim litigamus, ſeu hic locus crebriùs *Wormatia*, ſeu *Vangionum civitas*, ſeu *Garmatia*, ſeu *Vangium*, ſeu *Borbetomagus &c.* ſit nuncupatus: nos communi nunc nomine Wormatiam ſcribimus. Origo hujus Cathedralis Eccleſiæ in obſcuro eſt, *Victorem* paſſim ſcriptores primum Epiſcopum Wormatienſem conſtituunt: *Victor*, inquit Chroniſta Wormatienſis apud Ludwig. *Primus invenitur Epiſcopus.* Sed nihil de eo ſcribitur, quo tempore præfuerit Eccleſiæ Vangionum, vel quot annis? Sammarthani, interfuiſſe ajunt Concilio Agrippinenſi annô 346. cùm verò de annô hujus concilii inter eruditos non conveniat, hinc ſubſtituunt certiorem Epocham Concilii Sardicenſis annô 347. habiti, cui ex ipſis concilii actis conſtat interfuiſſe *Victorem* Vangionum Epiſcopum. Itaque hoc tempore Epiſcopatûs Wormatienſis exiſtentiam diſcimus quidem, ſed non origi-

originem, neque Authorem. Archiepiſcopatum tamen ab origine fuiſſe, ſubjectâ ei Moguntinenſi Eccleſiâ uſque ad *Bonifacii* tempora teſtatur Sifridus in Epitome, Wernerus Rolewinck in Faſciculo temporum, Chronica S. Ægidii Brunsvic. apud Leibnit: Chroniſta Wormat. à nobis ſæpiùs hìc per decurſum referendus, quamvìs in modo tranſlationis, ſeu cauſa, aliquomodò fluctuet. Certè Serarius non dubitavit cum recentioribus diſſentire, videtúrque vix credibile tam reſtrictum locum in Archiepiſcopatum evectum, cùm intereà *Treviris*, *Moguntia*, ac *Colonia* in Comparatione Wormatiæ quædam non ſolùm ampliſſimæ provinciæ haberentur, ſed & Eccleſiaſtica metropolis hæc trias paſſim ab antiquiſſimis ſcriptoribus tanquam *primaria*, *nobiliſſima*, *opulentiſſima*, *excellentiſſima &c.* honoretur, quos laudum titulos, nè in ullo quidem veterum Chroniſtarum reperiemus de Wormatia. Verùm qualitercúnque hæc ſe habeant, quæ potiùs meminiſſe voluimus, quàm definiviſſe; nos ad ipſos hujus Eccleſiæ Epiſcopos revertamur: ut poſteriori, de inſtituto olim in ea vigente, quæſito ſatisfaciamus.

Grotoldum, ſeu *Crotoldum* apud Sammarthanos quartum, *Rocholdum* verò (apud Chroniſtam Wormatienſem) ſecundum legimus Wormatienſem Antiſtitem, de hoc apud laudatos Sammarthanos Demochares ſæculi 16. ſcriptor hæc notâſſe fertur in ſuo, quem edidit, libro, de divino Miſſæ Sacrificio: *in urbe Vormatia egregium templum condere cœpit Crotoldus pro duodecim monachis, & Præpoſito gubernatore.* Verùm, quod iſtud templum? & ſi etiam Cathedrale, qui hi monachi, Clericine votivi, an monachi ſtrictè tales? *Grotoldus* præfuiſſe dicitur Wormatienſi Eccleſiæ circà annum 503. ſi quis mihi ex authenticis veterum monumentis certam ſententiam adduxerit, quâ comprobet in urbibus tunc, & quidem in Cathedralibus Eccleſiis monachos præfuiſſe Clericorum more, dabo manus in omnibus, quæ Wormatienſis Eccleſiæ occaſione quidam evincere conantur. Nos intereà jam monſtravimus, *Gregorii M.* temporibus, & ultrà, quàm longè à Cathedralibus, imò ab omnibus Eccleſiis, in quibus cura animarum publica exercenda fuerat, arcerentur monachi. Si Demochares ſuo tempori aptè, ac accommodè ſcripſit, per monachos (quibus tum, omnes qualeſcúnque religioſi notabantur, ùt eruditis perſpectiſſimum eſt) non alios notare potuit, quàm homines religioſos, & quid ni Clericos? cùm minimè ignoraret, quantam diſſonantiam pro ſæculo quinto, ac ſexto proditurus fuiſſet, ſi ſcripſiſſet, veros illos, ac ſtrictè monachos intelligendos. Nihil ergò Demochares decidere his ſuis verbis pro monachiſmo genuino, aut valuit, aut (ùt certus æſtimo) voluit; cui inſuper talia aſſerenti tanquam ab illis temporibus multis ſæculis diſtanti, nè quidem fides minima haberetur. Annè enim pro monachis (ùt à parte adverſa aſtruitur) Cathedrali Eccleſiæ è *Grotoldo* invectis ſuppetunt Demochari tam certa veterum teſtimonia, quæ ſibi, Demochare profectò ſeniori, & Wormatiæ propiori adeò defuiſſe ingemuit Chroniſta Wormatienſis, ut dicat: *inter varias hiſtorias, Chronicáſque jam per artem impreſſoriam valdè multiplicatas, in quibus jam regiones, jam civitates exponuntur, & laudantur, in nulla tamen Vangionum nobiliſſimorum geſta vel laudes legi.* Prætereà ſpondet, ſi quæ invenire poterit, operam daturum, de laude horum in unum Scripturum: attamen cùm de

Recholdo

Roboldo agit, inquir, *de quo etiam nihil ſcribitur*. Quid ergo Demochares de templo monachorum tam incidenter pro ſuo opere reperit, quod Chroniſtam Wormatienſem, impenſò labore, fugit? vehementer igitur metuo, nè Demochares aliquantò liberiùs ſcripſerit, quàm veriùs.

Verùm ſi Cratepolio aurem damus, omnem facile è Wormatia difficultatem amovet hic ſcriptor, Demochari propè (ſi non omninò) ſynchronus. Hic enim à *Crotaldo* (quem ipſe *Clotaldum* dicit) non in urbe Wormatia, ſed in urbe Cornelia hoc cœnobium conditum fuiſſe narrat. *S. Clotaldus*, inquit, *pius, ac religioſiſſimus Præſul præfuit Wormatiæ ſedi Cathedrali adhuc circà annum Chriſti Salvatoris* 503. *Hic venerandus ſenex cùm veniſſet Corneliam, quæ nunc eſt* **Webpena**, *& ei locus placuiſſet, ac ſtudiis piorum hominum maximè videretur eſſe idoneus, cœpit egregium ibi templum condere, & habitationem ſatis amænam pro duodecim monachis, ac eorum informatore, & Gubernatore præpoſito conſtruere*. *Webpena* enim, nunc *Wimpina*, olim *Cornelia* urbs eſt ad Neckarum fluvium Imperalis, quæ verò an tum exſtiterit, noſtrâ indagare non refert; ex his ſaltem apparet, quid Democharis Authoritas conferre poſſit ad aſſerendum, Wormatiæ in Cathedrali Eccleſia à *S. Grotaldo* monachos conſtitutos fuiſſe. Itáque ultrò progrediendum; ut prima liceat in hac inveſtigare collectæ cujusdam Sacratioris Congregationis veſtigia. *Amandum* legimus in recentioribus Catalogis poſt *Grothaldum*, ſed non immediatum ſucceſſorem, hunc enim annô 627. præfuiſſe docet Charta donationis *Dagoberti* à Sammarthanis in appendice relata. In illa *ad Baſilicam S. Petri Apoſtoli, quæ eſt in Wormatia, ſe hic omnes res juris in pago Laudemburgenſi &c. tradere* profitetur: *ad Baſilicam*, inquam ex qua voce forraſſe Mabillonius inferet, monaſterium monachorum illic conſtitiſſe. At nos cum Cangio ex *Baſilicæ* nuncupatione plus non elicimus niſi *ædem ſacram, templum, Eccleſiam*. Quamvis credibile omninò ſit Baſilicæ illi junctum monaſterium fuiſſe, nam ùt ſæpiùs diximus, ſi Epiſcopus certæ ſemel Eccleſiæ affixus legitur, prout *Dagobertus* in hoc ſuo præcepto declarat, quia non poterat ſinè conſortio Clericorum eſſe, ùt aliàs ex Cypriano oſtendimus, & latè probat præcipuè ad ſæculum ſextum atque deinceps renovatum per Canones hoc præceptum Thomaſſinus, ſequitur neceſſariò ſibi quoque conjunctum habuiſſe Clauſtrum, ſeu monaſterium Clericorum. Hoc ſiquidem tempore recentiſſima adhuc in memoria vigebat Magni *Gregorii* recepta à D. *Auguſtino* Hypponenſi, ùt idem docet Thomaſſinus, conſuetudo, quâ remotis à ſuo cubiculo ſæcularibus, Clericos ſibi prudentiſſimos conſiliarios, familiaréſque delegit; ut adeò nec ambigendum *Amando* conjunctam fuiſſe Congregationem Clericorum.

Amando ſucceſſiſſe *Rupertum*, Author eſt noſter Chroniſta Wormatienſis: hic verò ob ſua in Germaniam glorioſa merita, & præclarum Apoſtolatum, quo Bavavariam Evangelicus Præco Chriſtò lucratus eſt, non exiguum negorium ſcriptoribus faceſſit, dum omnia penè, quæ de tempore ſui adventûs in Bavariam, de Wormatienſi Epiſcopatu, de ejus diverſis peregrinationibus, de vitæ inſtituto, quod aut antea, aut in Salisburgenſi D. *Petri* Aſcetério ipſe cum ſuis tenuit, controverti ſolent,

ſolent, & quæque ſententia ſuos adverſarios invenit. Verùm mihi in præſenti Wormatienſis Eccleſiæ deſcriptione, ipſoque hoc prodromo duo conſultò cavenda habeo. Primò in *deſcriptione*, nè dum Wormatienſia ago, ante præfixum ordinem, Salisburgenſia immiſceam. Secundò in *prodromo*, nè quæ ad opus differri debent, hìc immaturè promam. Nihil itáque aut de *S. Ruperti* vitæ ratione, monachusne fuerit ipſe, an Clericus? nihil quoque iſthic de *S. Petri* Salisburgenſi Eccleſia diſſerendum: ſolùm quærere oportet, poſtquam negare nequimus junctam Epiſcopis Wormatienſibus, ipſique D. *Ruperto* Congregationem hominum Deo Sacratorum fuiſſe, monachiſmum hi genuinum habuerint, an, de quo nos affatim locuti ſumus, Clericatum votivum? Porrò volo equidem, ſententiam meam pro Clericis ſtare; at, quod notandum habeo, non tam ſtrictè, ut omnimodis excludam monachos, quamvìs adhuc ambigam dicere, ſi quos D. *Rupertus* in Worrmatienſi Eccleſia Clericis ſuis conjunctos monachos rexit, illos fuiſſe Ordinis S. *Benedicti*. Jam aliàs ſcio, me non ſolùm aſſeruiſſe, ſed aſſerta probâſſe, quàm præcipuè à ſæculo ſexto, & deinceps inciperent monachi Clericorum cætui ſociari; unum repeto *Willibrordum*, de quo Biographus: *Willibrordus Archiepiſcopus Trajecti ad Rhenum Canonicos, & Monachos Apoſtolatûs ſui adjutores, ac ſocios in uno, atq́ eodem cœnobio vitæ cujusdam communis ſocietate devinxit usq́ eò, dum religioſis viris utriúsque ordinis propria Cœnobia in diverſis Eccleſiis aſſignari poſſent.* Neque putandum in ſolo Trajectenſi Collegio iſtud contigiſſe, cùm eadem ratio, ut id fieret, in pluribus exigeret Eccleſiis; id ipſum enim obſervare licebit factum à *S. Boni-facio* in multis locis, qui Clericos monachis junctos ſæpiùs ordinavit, quamvìs, & aliquibus in locis diſtincta monaſteria pro his æquè, ac illis conſtituerit, prout ſcilicèt occaſio, neceſſitásque ferebat. Jungebant ergò Zeloſiſſimi Epiſcopi monachos Clericis, ut Deo ſinè diſpendio utrínque ſerviretur. Monachi pſallendi officium tractabant in Eccleſia, Clerici occupabantur diſpenſatione Sacramentorum: quòdſi non ſufficiebat operariorum numerus, advocabantur prudentiores, doctiores monachi in miniſterium Clericale, prout hæc omnia diffusè oſtendimus, ac probavimus in noſtra exegeſi. Non ergò inficiabor, potuiſſe Wormatiæ hoc modo etiam *D. Ruperti* adhuc ibi præſidentis tempore monachos conſociatos Clericis fuiſſe. Verùm, ut à potiore denominationem ſumamus, neceſſe eſt; & quia primaria Clericorum, non monachorum cauſa in Cathedralibus habebatur, hinc meritò Congregationem illam Clericalem dicimus. Atque de hac jam quæſtio vertitur, votiva nè fuerit iſta, an votorum expers? Cui ut reſpondeamus, occurrit cumprimis Trithemius jam ſuperiùs à nobis in deſcriptione Trevirenſis Cathedralis laudatus, hic ergò dum, ait, quòd Trevirenſes Canonici vitam communem abjicientes ſecuti ſint Wormatienſes, certò ſupponit eandem vitam iſtos cuſtodiiſſe ante tempora *Theodorici*, id eſt, ante annum 977. qualis verò hæc communis vita fuerit, preſſiùs indicat in ſua hiſtoria Hirſaug: ad an. 967. dum de eadem Trevirenſi Eccleſia ejusque Canonicis differens ait: *Hæc eſt major Eccleſia Trevirenſis, in qua hoc tempore, ſicut in cæteris antiquis Canonici ſecundùm regulam eis præſcriptam, in communi vivebant, unam habentes menſam, unam Bur-*

ſam

ſam, unúmque commune dormitorium, ſicut hodie, inter nos juxta normam nobis propoſitam converſamur. Ex quo colliges, Trithemium (Canonicos veteres normæ ſibi, ſuiſque propoſitæ æqualiter vixiſſe) ideò aſſerere, quòd votivè vixiſſent, adeóque in votorum ratione, monaſtieè, quamvis à monachismo ſtrictè ſumpto longè diſtinctè. Aſſentitur Trithemio Bruſchius, dum Libro 1. de Epiſcopis Germaniæ ſub *Balderico* 22. Epiſeopo Spirenſi hæc enuntiat: *Canonici Nemetum, quemadmodùm etiam Wormatienſes, & Moguntini monaſtica vitæ profeſſione abjectâ, ſæculares fieri, ſeorſim habitare, propria habere, & annuos proventus inter ſe diſtribuere inceperunt.* Divi igitur *Ruperti* tempore tam certò regularis vita Canonicos Wormatienſes affecit, quàm tunc eadem plurimis in locis inculpatè vigebat, hinc ulteriore fluctuatione non egemus, ut Clericale votivum inſtitutum Wormatiæ floruiſſe ſecuri aſſeramus. At an poſt *Balderici* tempora (quibus regularitatem dimiſiſſe Wormatienſes Canonieos ex Bruſehio audivimus) reaſſumpſerint eandem, nullis monimentis doeemur. Id certum, à multis ſæculis in hac Eeeleſia usque ad noſtram ætatem ſæculares Canonicos reſidere.

Gall. Chr. t. 5. Col. 662. Chrocon Wormat. apud Ludewig. t. 2. reliq. M. SS. Cratepolius de Germ. Epiſc. pag. 46. alii per decurſ. citati.

CIRCULUS SUEVICUS.

CUM HELVETIA, ET VALESIA.

NObiliſſimam, ac ampliſſimam totius Germaniæ partem, ſi Sueviam dixero, habebo, qui aſſentiantur, præclariſſimos Scriptores: *Julius Cæſar* Suevorum gentem *longè maximam* dixit, & *bellicoſiſſimam Germanorum omnium*: majorem autem Germaniæ partem obtinuiſſe Suevos, ſuo tempore Tacitus ſcripſit. Nec minùs *Strabo* maximam Suevorum teſtatur eſſe mentionem, in eujus comparationem Cheruſos, Chattos, Gamabrinnos, Chattuarios, minores ſolùm Germanorum gentes, & *Plutarchus* apud Anbanum *gentem Germanorum præſtantiſſimam* appellat. Neqúe eſt, qui ignoret, ſub decem Regibus, ab annô 408. ad usqúe 585. Regnum Suevorum in Gallæcia, hoc eſt, in remotiſſima alioquin Hiſpania ſtetiſſe. Et ſi qui olim Poëtæ adulandi arte notiſſimi Principibus ſuis quendam ſuprà humanas quaſi vires laudis exceſſum decantare voluerant, *Suevis* jura dicere, eorum fræna ſtringere, irámque in hos ſuam triumphâſſe prædicabant, velut idem Honorii, Gildonis, ac Eutropii auribus Claudianus dedit, hinc Gotfridus Viterbienſis.

L. 4 Comment de bello Gall. L. de ſitu, & morib. prop Ger.

Claud de Bell Gild verſu 37. & concul 3 Honor. v. 14. & in Eutrop L. I v 382.

Judicio Cœli dominantur in urbe Süevi,
Culmen ad Imperii gens audaciſſima venit,
Jam ſua progenies Romula regna regit.

Imò ipſam Sueviam antiquiſſimum Regnum fuiſſe, hiſtorici dudum teſtantur: nam *Hermanus contractus* ad annum 457. ait: *Suevos ſibi in Regem Maldram ſtatuiſſe.* Et jam ſæculo Chriſti primo legimus *Sidonem*, & *Italicum* Suevis Reges præfuiſſe. Exin Ducibus paruit, dedítque Imperatores aliquot Romano Imperio; nempè *Conradum II. Fridericum I. Heinricum VI*, & *Fridericum II.* Sed non opus eſt ad gloriam terrenam adeò excurrere, dum hiſtoriam ſacram ſcriben-

ſcribentes reperimus ipſos Suevos virtute, Doctrina, ac religione penè omnibus reliquis Germaniæ populis palmam jam olim prætuliſſe. Hinc Faber in ſua hiſtoria Suevorum L. 1. Cap. 10. *Sunt* inquit, *Suevi rationabiliores Alſatis, Nobiliores Bavaris, Juſtiores Brabantis, ditiores Franconibus, devotiores omnibus aliis Germanis.* Atque hanc devotionem pietatémque hæc natio præclariſſima demonſtrâſſe jam in ipſis Gentilimi tenebris videtur; cùm præter alios complures diverſis Diis, ut *Mercurio*, *Herculi*, *Marti* exhibitos cultus, teſte Tacito, pars Suevorum, & *Iſidi* Sacrificabat. Quòdſi Suevos reſpiciamus luce Catholicæ veritatis illuſtres, certè non partem, ſed totam regionem ſacratiori hoc eſt, glorioſæ Cœli terræque *Dominæ* Virgini Beatiſſimæ devotiſſimam ſemper fuiſſe reperimus, & veri Dei cultum apud illos mirum in modum, quàm unquam apud alias nationes profeciſſe admirabimur. Atque, ut preſſiùs propoſiti noſtri metam attingamus, Suevorum inſignem veri Dei cultum nihil penè luculentius ad hodiernam usque ætatem demonſtrat, quàm tot nobiliſſima, ac opulentiſſima in eorum terra conſtructa ab antiquiſſimis temporibus monaſteria; quæ quot congeſtorum lapidum in ſplendidiſſimis ſtructuris abundant ordinatiſſima ſerie, tot quaſi linguis Suevorum ferventem in Deum latriæ cultum, inque Matrem ejus Hyperduliæ tenerrimum affectum, ac Zelum teſtantur. Et profectò religioni præcipuè nobis duceremus, ſi intactum dimitteremus omnigenarum Scientiarum in Suevia uberrimè florentium ſegetem ampliſſimam, quæ usque hodie quantâ gloriâ paſſim tum in urbibus Univerſitates, ac Gymnaſia præclara habentibus, tum in monaſteriis clariſſimorum

Iſis interpretatur, *Domina* Vaſſius E. thymol. in ſiſtrum p. 551.

Doctorum laureolis, ac purpurâ decoratis, colligatur, totus orbis agnoſcit. Usque ad peculiarem inſignium Scriptorum enumerationem non deſcendamus, nobis ſuffecerit ſpeciali honore, ac Veneratione præprimis Reverendiſſima, ac Ampliſſima Ordinis noſtri in Suevia mitrata Capita, nec non alios quosdam ejusdem hujus inſtituti viros omnigena eruditione notatos ſuſpexiſſe, quibus, dum (præhabito virtutis delectu) exin nihil potiori æſtimationi, ac affectui eſſe libet, quàm ſcientiam, & nos labores noſtros litterarios (ſeu ubi iſtos adhuc primis quaſi labiis libavimus, ſeu jam operoſiore agitantes manu, usque dum abſolvimus) penè in totum debemus. Quos inter tanquam præcipuum Mæcenatem, ac Promotorem primum ſemper gratiſſimò animò memorandum ducimus Reverendiſſimum, ac Ampliſſimum S. R. J. Prælatum Creuzlinganum *Joannem Baptiſtam.* Et ſiquidem neque illorum oblviſci iſthic oportet, qui opitulantem dextram ſæpiùs fluctuanti operi ſuppoſuêre: certè inter eos primas ſibi vendicare poterit ejusdem Celeberrimi S. R. J. Collegii Creuzlingani Decanus meritiſſimus *Martinus Görzius*, cujus tam in promotione primitiarum hujus noſtri laboris, quàm in communicandis, procurandísque aliundè etiam litterariis non minùs, quàm aliis ſubſidiis, indefeſſa ſolertia, & amiciſſimum patrocinium nunquam ſatis deprædicari à nobis poterit: cui meritò annectimus alterum æquè Clariſſimum virum *D. Michaëlem Khuen* in exempta Canonia Ulmenſi Decanum digniſſimum, nec minùs, & tertium ejusdem officii prærogativâ inſignem Clariſſimum *D. Bernardum Streler*, quorum induſtriæ, & peculiari benevolentiæ plurimùm debemus, quoad obtenta

Iiii 3 hiſto-

hiſtorica documenta, tum collegiorum in hoc, de quo agimus, circulo Suevico, tum aliàs exiſtentium. Hi verò, pluréſque alii eximia totius Sueviæ Litterariæ, ac Eccleſiaſticæ decora abundè docent, quibus hæc nobiliſſima Patria uſque dum viris emineat, ſcientia, virrutéque ſecundis nemini.

Hujus ergò Celebratiſſimæ nationis ſub ſoliro Circulo Imperiali à nobis conſideratæ egregiè condita monaſteria ſacri inſtituti noſtrî dum nunc ex ordine ſuſcepro deſcribere paramus, prænotare voluimus, neutiquam inter eos limites Sueviæ nos verſaturos, ad quos modernis temporibus, diverſis fatis reſtricta eſt; ſed ad eos deſcriptio noſtra extendenda eſt, qui olim, teſte Zeilero, uſquè ad *lacum Lemannum* protrahebantur. Unde quamvis hodie anguſtiores ſint Suevici circuli termini, nos tamen non incongruè ea monaſteria adhuc, ſeu tanquam in locis conterminis, ſeu etiam aliquando Suevorum Dominio ſubſtantibus exiſtentia enumerabimus, qualia ſunt, quæ nobis Mppa tum in Helvetia, tum in Valeſia exhibet.

Sunt quidem, & in hoc Circulo complura Collegia, quæ aut furor hæreticus, aut ſæculi inconſtantia, ac varietas noſtro inſtituto quandóque ſubtraxit, verùm ſunt & multa, quæ adhuc florent quaſi hilium, & *dantes odorem frondent in gratiam.* De his verò omnibus ſuſcepta hactenùs metbodo tractaturis primum ſecundùm ordinem alphabeticum occurrit.

Eccli. 39. 49.

Abundantinum Abbatia.

Fund. an 1108. Ord. S Bened.

Hujus noticiam nonniſi ex unico nobis communicato documento intelligere licuit, quô in Compendio deſcribitur vita B. *Pontii* primi Abbatis Monaſterrii Sizenſis, ac antea in hac Abundatina Abbatia religioſi. Ibi itàquè à quodam *S. Columbino* dicitur in hac Valle Provinciæ Antuatenſis conditam fuiſſe religioſam domum, tempore, quo *Sabudia*, adhuc Arelatenſium Regum dominio ſubdebatur; id eſt, ante medium ſæculi undecimi. Verùm injuriâ bellorum *S. Columbino* hinc recedere coacto, domus iſta aliquamdiù deſolata perſtitit, uſque dum quidam Canonici Regulares cum ſuo Priore *Herluino* per hujus regionis tractum iter agentes dictum locum offenderent, quem dum peraccomodum cenſuerunt ad conſtituendum ibidem ſibi monaſterium (remotis, quæ ſe ſe objecerant, per Dei gratiam obſtaculis) à Canonicis Agaunenſibus, quorum Dominio hic locus ſuberat, obtinuerunt ad annum Domini 1108. unde verò *Herluinus* Prior cum Canonicis advenerit, quodque anteà Collegium incoluerint, vita Pontiana non profert: obſervat autem non ſolùm plurimas Benefactrices huic novæ Canoniæ ſuas ſymbolas liberaliter, verùm quoque viros egregios tum ſanguinis, tum virtutis, doctrinæque nobilitate conſpicuos ſe in hoc loco divino mancipatui perpetuò devoviſſe: inter quos tanquam præcipua gemma notatur Venerabilis *Pontius*, cujus vitam eâ fidelitate vulgabimus, qua nobis à Clariſſimo viro P. M. Ruperto Grueber, propriâ induſtriâ à Gallico in latinum verſa, communicata eſt.

vide pag. ad an. 1081

Porrò proficiente indies regulari Abundantini Cœnobii diſciplina, accrevit quoquè mirum in modum ſodalium religioſorum numerus, ita quidem, ut neceſſe eſſet, de conſtruendo novo Cœnobio cogitare. Perfecêre id liberali opera Canonici ipſi Abundantini in Valle Sizenſi, cuî poſtmodùm Coloniam è gremio ſuo

ſuo immittentes pro ſuperiore Venerabilem *Pontium* præfecerunt.

Hæc de Abundantino iſto Canonicorum Regularium Collegio ex vita dicti Vener. *Pontii* eruere conſtituimus, quam quidem licèt prolixiora, & ad hiſtoriam Abundantinæ Abbatiæ explanandam luculentiora continere optaremus; in promenda tamen veritate ſinceram omninò credimus, nulliúsque fuci ſuſpectam: quippe cui Elenchus documentorum præfixus eſt, quibus refragari non tam facili auſu licebit. Quæ dum ita ſunt, non multis argumentis indigebimus, ad refellendum ſupinum errorem Gabrielis Bucelini, qui in ſua Germania ſacra hæc de Abundantia: *Monaſterium*, inquit: *Ordinis primùm Ciſtercienſis in Diœceſi Genevenſi, nunc opera ſanctæ memoriæ Franciſci de Sales Genevenſium Epiſcopi Sanctiſſimæ Congregationi Fulienſium adſcriptum.* Cœpit *Robertus* ordinem Ciſtercienſem fundare an. 1098. primáque filia, quæ Ciſtercio acceſſit, fuit *Firmitas*: ad Gronam. fl. Diœceſis Cabilonenſis, idque an. 1113. altera ſeu ſecunda notatur Pontiniacum an. 1114. tertia, & quarta *Clara-Vallis*, & *Morimundus*. An. 1115. ubi ergò *Abundantia*? Quæ ex certiſſimis documentis ab auctore vitæ Pontianæ, & Sizenſis Abbatiæ Canonico Regulari R. D. *Joanne de Paſſier* collectis, atque originaliter uſurpatis, aſſeritur annò 1108. ab Agaunenſibus S. *Mauritii* Canonicis, ejuſdem inſtituti hominibus *Herluino* ſcilicèt Priori, ſuiſque confratribus extradita fuiſſe, adeóque anteà Canonicis Regularibus ceſſiſſe, antequam eſſe potuerit Ordinis Ciſtercienſis; quippè quòd Ciſtercium nè ullum quidem ſibi ſuoque Ordini ſubditum cœnobium noverit ante annum 1113. ùt patet ex dictis. Permanſiſſe verò ad uſque tempora recentiora in eodem inſtituto Canonico ex memorato Biographo liquet, qui Cap. 10. diſertè, ait, *ſuis primùm temporibus à Fullienſibus Abundantiam fuiſſe occupatam.* An factum id ſit adnitente *S. Franciſco Saleſio*? in medio tamdiù relinquo, uſque Agauno certiora obtineam. Et inde aut confirmentur, aut refellantur, quæ huic ſancto Bucelinus in iſto Abundantino cœnobio adſcripſit, reliquis à ſe enarratis ſatis convulſis. Hæc intereà dixiſſe ſufficiat.

Exiſtit in Ducatu Caballiacenſi. Vita Ven. Pontii M. SS. à R. D. Joanne Paſſier. Bucel. Germ. Sac. Pars Altera. p. 333. &c.

Adorffenſe S. Alexandri. Præpoſitura, ùt videtur. *Fundat. an. 884. Exstinct.* Cujus ſolam tralatitiam quandam memoriam fecerat in ſuo Chronico Helvet: Stumphius, nobis verò hæc ſuppeditata, nimirúm: à Comitibus *de Kirchberg circà annum* 884. *fundatam, obtinuiſſe Canonicos, ſed poſt decurſum unius ſæculi*, id eſt an 999. *contumelioſè religioſa ſua manſione ejectos fuiſſe.* Ego certè ex his verbis noſtrum in Cœnobio Adorffenſi inſtitutum floruiſſe vix adverto: fortè ſuo tempore occurrent pro hac aſſertione argumenta potiora.

Exſtitit in Turgoviâ. Nos hunc locum ob concurrentiam aliorum notare in mappa nequivimus. Stumph. Chron. Helvet. L. 5. c. 26. docum. ex Franciſco Petri communic.

Auguſtana S. Mariæ Cathedralis. *Fund. circa an. 590. ſæcul.* Non agimus hic de prima Eccleſia, cui ab origine introductæ religionis noſtræ in ipſam Metropolim celeberrimæ Auguſtanæ provinciæ Cathedralis dignitas attributa, quippè de qua nos inferiùs in deſcriptione Monaſterii SS. Udalrici, & Afræ plura agemus: hanc, de qua iſthic

hìc diſcurrimus, alterâ juniorem eſſe, habemus exploratum: exſtructam fuiſſe circà ſæculi ſeptimi finem, dum ſedem Epiſcopalem *Zaiſò* tenuiſſe traditur, autumat Abbas *Carolus Stengelius*. An ideò condita, ut mox Cathedralis eſſet, non reperio; profectò enim Stengelius poſterioribus ſæculis talem evaſiſſe ait, Introducti tamen in ipſam Clerici fuerunt, & tales quidem, quales tum in ipſa antiquiore *S. Afræ* diù jam perſtiterant, unde vetus Auctor vitæ *S. Simperti*: *erat*, inquit: *tum temporis* (id eſt ſæculô ſextô, ac deinceps) *Auguſtenſis Epiſcopatus Eccleſia, non adeò temporalibus pollens rebus, ut noſtro conſpicitur ævo, nec Prælatorum tanta, ut nunc obſervatur gloria, & pompa, ſed, erant paſtores, & Rectores cum ſuis Clericis in communi viventes, juxta Apoſtolorum præceptum: nec quisquam Eccleſiaſticarum rerum quidquam ſuum vel proprium æſtimabat, ſeu poſſidebat, ſed omnia, ut in primitiva fuiſſe Eccleſia conſtat, erant illis communia: diligentes enim Chriſtum, imitando Apoſtolos per ſanctam paupertatem, ſe à proprietatis labe cuſtodiebant.* Hæc in ſuo commentario Stengelius teſtantur ſe è vetere Authore vitæ *S. Simperti* eruiſſe. An hic Author idem ipſe ſit, quem Bernardus Pezius in Anecdotorum tomo ſecundo *Adilbertum* ſæculi decimi tertii Scriptorem publici juris fecit, non planè aſſecutus ſum, idem tamen (aliquantùm diverſò ſtylô) hìc Auctor aſſerit; hæc ejus verba: *Ipſe autem Auguſtenſis Epiſcopatus, cujus regimen, & curam ſuſceperat (Simpertus) non adeò rebus temporalibus ſecundùm ſæculi faſtum, ut nunc, tunc temporis pollebat, ſed adhuc ut in primitiva Eccleſia juxta præceptum Domini voluntariæ paupertati ſubjacebat, nec quisquam in Clero aliquid proprii poſſidebat, ſed erant illis omnia communia.* Hæc pro certo (ut Pezius oſtendit in ſua diſſertatione Iſagogica) decimi tertii ſæculi ſcriptor non contemnendus. Succenturiat his, Chronici Auguſtani Author *Sigismundus*, dum Cap. 8. ſic ſcribit: *Pace Eccleſiæ ſub Conſtantino reddita, cùm, & idem Conſtantinus ante adeptum Imperium ..... Civitatem hanc (Auguſtam) Cæteris inſigniorem ſuo Comitatu faceret, prout quoddam Epigramma nuper erutum teſtatur, cœperunt fideles novæ rei geſtæ memoriam habentes, ſanctis Martyribus honorem deferre, Eccleſiámque ſuper ſacra oſſa conſtruere, peſte, ac diſſortunio ad inſtar fumi gentilibus abſumptis. Ibidem denique Clerici inſtituti, ſub Apoſtolica regula in communi viventes, ac Deo jugè Sacrificium laudum ſtatutis horis perſolventes, qui proceſſu temporis Canonici Regulares nuncupati ſunt.* Habemus ergò ſufficiente ſcriptorum ſuffragio, in Cathedrali Auguſtana primitùs conſtitutos fuiſſe Clericos regulares voluntariæ paupertati ſubjectos, id eſt, *votivos*.

Verùm hæc teſtimonia alio longè ſenſu commentatur nuperus quidam Author, dum eorum viam ingreſſus (quibus regularis Clericorum veterum vita nihil aliud eſt, quàm corporum ſocietas in uno conclavi adunata, excluſâ omnĩ rerum, bonorúmque votiva expropriatione) impunè aſſerit, *Clericos* ſeu *Canonicos Regulares* fuiſſe dictos, ſolummodò ad obtinendam diſtinctionem Clericorum ſeparatam vitam degentium. quod acerrimo labore, ac coacervatis, corroſisque unde unde argumentis probare, & oſtendere conatus eſt in ſuo prodromo partis tertiæ per totum. At cùm hæc omnia imprimis alia argumenta, non ſint, niſi quæ nos in exegeſi noſtra luculentiſſimè diſſolvimus; cùmque vel maximè infeliciſſimus ille pro-

P. Corbinianus Kham, Bened. ad SS. Udalr. & Afram in ſuo Prodromo.

prodromus tot cenſuris, & approbationibus munitus, tantáque ſcribendi ratione ſuffultus (quid enim dignius, quid ponderoſius, quàm *velle, ac unicè ſcopum litterarium dirigere ad pacem diu ſuſpiratam, multis mediis quæſitam, ſed necdum plenâ, in hac materia, comparatione aſſertam*) tandem per peculiares ſuppeditatos ſuaviter ſpirantes favonios concordiam procuraturus ipſe in funeſtiſſimum naufragium inciderit, & concitatè pro re ſua emiſſum prodromum meritò ingemere potuerit à Jove Vaticano velut alterum Vulcanum præcipitatum fuiſſe ſupremo damnationis fulmine: ut ideò claudicanti huic operi non ineptè Pontani metra de Vulcano inſcribere valeat ipſe ejus Author.

Vulcanum fama eſt, cælo dum pulſus ab alto,
Sub tetris ſine honore Diis, ſine munere claudum
Vixiſſe, & ſicula exilium traxiſſe ſub Æthna.

Hoc exilium autem adire Prodromus iſte compulſus eſt, cùm annô 1721. id eſt, duobus non omninò annis ab editione illius elapſis, ſequens decretum emanavit: *Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium à SSmo D. N. Clemente Papa XI. ſanctáque ſede Apoſtolica ad indicem librorum, eorundémque prohibitionem, expurgationem, & permiſſionem in univerſa republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, ubique publicandum. Sacræ Indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, ac reſpectivè ſuſpenſi fuerunt infraſcripti libri ubicúnque & quocúnque idiomate impreſſi, imprimendivè &c. N. 12. Hierarchia Auguſtana Chronologica tripartita in partem Cathedralem, Collegialem, & regularem &c. Prodromus partis tertiæ Regularis &c. Authore P. Corbiniano Khamm. Ordinis S. Benedicti, in libero ac Imperiali Monaſterio ad SS. Udalricum & Afram Auguſtæ Vindelicorum profeſſo, Jubilæo, Seniore, & Theologo, Auguſtæ annô 1719. &c.* Ideò nihil Prodromo meo, cum Androclide Khammiano, quem etiam quamvis longè, multiſque annis præcurrentem, facili pede non tantùm aſſequemur, ſed propemodum illo ex Marciali petito verſu gloriari poterimus:

L. 2. Epigr. *Habeas licebit alterum pedem lædæ,*
Ineptè fruſtra crure ligneo curres.

Unde dimiſſis omnibus, quæ Khammius oggerit, obſervo ſolummodò ex præmiſſis, indubitatam converſationem votivam Clericorum Auguſtanorum ſufficienter adductis teſtimoniis ſtabiliri.

Licèt autem circà annum octingenteſimum ſe ſe diſpertirent Canonici, ut pars eorum ad S. *Afræ*, altera ad S. *Mariæ* diverteret, permanſit tamen inter utrámque tanta charitatis unio, & votivæ vitæ æqualitas, ut cor unum, ac animam unam omninò habere viderentur. Cùm demùm alia rerum facies ſe prodidit ſub *Embrico* vigeſimo octavo hujus loci Epiſcopo ab anno 1065. usque 1077. præſidente, *Hactenùs enim*, inquit Stengelius: *Epiſcopi cum ſuis Canonicis vitam communem & Apoſtolicam, nullius omninò rei proprietatem ſibi uſurpantes, ſectati ſunt, ſed cùm paulatim à regulari tramite deſciſcere capiſſent, communem vivendi morem abjecerunt, præter duos vel tres, qui ſibi extra civitatem quandam cellam ſeu Oratorium S. Georgii conſtruxerunt, in quo ut communem & regularem vitam obſervarent, Epiſcopus liberaliter omnem victum*

victum & veſtitum ipſis ſubminiſtravit. à quo etiam tempore Cathedrales ſui juris, ſub proprietatis libertate eſſe cæperunt, quales hodiedum exiſtunt.

Carolus Stengelius in ſuo commentar. rerum Auguſtanarum Part. 2. C. 2. & C. 29. N. 13. Adilberti Lib. de Vita S. Simperti Edit. Bernardi Pezii anecdot. tom 2. Part. 3. Col. 359. Chronicon. Auguſt. Sigismundi edic. Piſtor. t. 3. p. 666. Suevia Eccleſiaſt. Franciſci Petri p. 108.

Fund. an. 1668. Floret. Badenſe S. Sepulchri Virginum Canonicarum Abbatia. De hac aliud nobis non conſtat, niſi quæ Franciſcus Petrus in ſua Eccleſiaſtica Suevia meminit. Illam ſcilicèt Ordinis Canoniſſarum Regularium S. *Auguſtini*, S. Sepulchri Parthenonem eſſe, & ſub annum 1668. thermas convocâſſe ex Leodienſi paris inſtituti domicilio Coloniam Sereniſſimum Principem *Leopoldum Wilhelmum* primum Marchionem Badenſem. Obſervat verò idem Author annô 1682. belli gallici injuria Virgines has urbe Badenſi exulare coactas Argentorati domicilium quæſiiſſe: an pace redeunte eædem priſtinas ſedes repetierint, nobis incompertum.

Extitit Thermis. Franciſc. Petr. Suev. Eccleſiaſt. p. 126.

Backnangenſe S. Pancratii Præpoſitura. *Fundat. 1116 ſecularis.* Hujus Fundator *Hermannus* Marchio Badenſis notatur ad annum 1116. nec exile iſtud ſuâ Origine videtur fuiſſe Monaſterium, quippe quod dilaudat Cruſius *opulenter à Rudolpho Barone Eberſpergenſi dotatum*. An hæc aſſertio ſuos manes non habeat ambigo maximè; dum conſtat *Rudolphum* ſub annum 911. vixiſſe. Quod tempus cum *Hermanno* conjungi non poteſt; niſi dicas cum Zeillero, fundatum ſæculô decimô à *Rudolpho*, reparatum fuiſſe ab *Hermanno*. Opinioni pondus ferat Epitaphium, ab ipſo Cruſio allegatum, in quo dicitur.

Hâc cubat Hermannus Badenſis Marchio tumbâ,
Qui clauſtri, & templi Conditor hujus erat.
Annô millenô moritur, centum quoque ſubdas,
Térque decem à puero, quem pia Virgo parit.

Verùm quia Epitaphium iſtud dignoſcitur annô 1513. non eſſe antiquius, ſuam quóque criſim, accuratiùs examinatum, vix effugiet.

Annô 1245. contulit ſuam protectionem, ac confirmationem *Innocentius Papa* IV. *dilectis Filiis Prapoſito Eccleſiæ de Baggenane, ejúsque Fratribus tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis ad perpetuam rei memoriam ſtatuens, ut ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus obſervetur.* Enumerat poſtmodùm plurima bona, cum intra, tum extrà Backnangenſem urbem, quæ eidem Cœnobio confirmat. An porrò hoc Collegium primitùs Canonicis ſub regula S. *Auguſtini* viventibus, an non diù fortè ante hanc bullam obtentam contraditum ſit ex jejunis admodùm documentis, quæ ad manus habemus, vix datur colligere.

Cæterùm refert Lazius Monachos Ordinis S. *Benedicti* aut aſſociatos, aut potiùs ſubmiſſos fuiſſe annô 1295. ex quo pauciſſimum tempus inter hanc immutationem & obtentum Pontificium Privilegium effluxiſſe ſequeretur, quod quia Lazius nimis liberè profert, modicam apud me fidem invenit.

Certè

Certè Zeillerus annô 1612. reſtauratam urbem, collegiatámque Eccleſiam Backnanzenſem commemorans (uti &, dum annô 1290. à *Rudolpho* Weiſſachenſi ſuæ Familiæ ultimô ipſum Cœnobium dotatum fuiſſe, obſervat) nè verbum de tali immutatione inducit. Nos in mappa Franciſcum Petrum ſecuti Ord. S. Bened. & quidem *Abbatiam* notavimus, cui nunc vix, ac nè vix inhæremus; intereà fortè certiora obtenturi.

Exiſtit in urbe hujus nominis in Ducatu Würtenbergenſi. Franc. Petrus Suev. Eccleſ. p. 121. Cruſius Annal Suevic. part. 2. L. 3. C. 16. & L. 9. C. 14. Laz. de migrat. gent. L. 8. Merianus Topograph. Sueviæ pag. 13.

Fund. ad init. ſæculi tertii ſæculi.

Baſileenſis Cathedralis.

Hujus, olim præclaræ Eccleſiæ, documenta an talia exſtent, quibus accurata, & plena hiſtoria confici poſſit, needum comperi; præcipuè cum teſte Münſtero, vetera chartularia penè nulla repeiantur. Meminêre quidem ejuſdem diverſi ſcriptores, ſed nè unus ad perfectam capeſſendam notitiam: pauca dabimus. Primam hic locorum Cathedralem Eccleſiam circà initium ſæculi tertii Auguſtæ Rauraeorum (nunc exile non procul Baſilea urbe oppidum) fuiſſe conſtitutam vetus traditio eſt, primúmque iſthuc ex Græcia S. *Panthalum* Epiſcopum appuliſſe; cùm demum ſæculi octavi medio *Walanus* primus legitur Baſileenſis Epiſcopus ſub *Pipino* Rege *Caroli* Magni Genitore; *Hatto* quoque ſub *Carolo* præſediſſe dicitur magna doctrina, virtutéque conſpicuus. Monaſterium Eccleſiæ Cathedrali junctum fuiſſe, nemo dubitat, quod ideò à Clericis votivis inhabitatum aliorum Cathedralium probat paritas rationis. Cùm ab Hunnis tota Baſileenſis urbs cum Eccleſia devaſtaretur, *Henricus Sanctus* & Urbem, & Eccleſiam ampliſſima dotatione recuperavit. Demum ubi peſtilens Lutheri morbus hanc quoque urbem infecit, Epiſcopus & Canonici Friburgum emigrare compulſi, ibidem hodiedum ſub ſchemate ſæculari conſiſtunt: quamvis non ignoremus, longè anteà regularem eorum vitam deſiiſſe. Porrò in hac narratione conjecturis quoad priſtina fata uſi ſumus, cùm alia & evidentia needum occurrerint.

Münſterus Coſmograph. p. 776. & ſeq. Beat. Rhenanus de rebus Germ. Graſſerus itinerar. hiſt. polit. Bertius L. 3. comment. rerum Germ. Urſtiſius Chron. Baſil.

Fundat. ad finem 10. ſæc. Moreh.

S. Bernardi Montis Jovis.

Multa ſunt, quæ difficilem nobis viam in hoc deſcribendo Cœnobio opponunt, locus ipſe Germaniæ noſtræ aſſertus, cùm ad *Pedemontium* Italiæ Principatum potiùs pertinere videatur: ejuſdem Cœnobii origo: Canonicorum Regularium inductorum tempus, ſtatus deníque ſancti Fundatoris. Quæ omnia Criticorum recentiorum libertate, ſic definiuntur, ut pauciſſima de antiquitate hujus proferenda noſtra eſſe reperturi ſimus, niſi ſolido conflictu adverſariorum argumenta conemur elidere, quæ ſanè majoris operæ ſunt, quàm ut in hac Monogrammatica ſynopſi promantur. Nos igitur hactenùs firmatis veſtigiis inſiſtentes breviter, quæ maximè ad rem faciunt, producemus. Ampliora ſuô locô daturi, dum vitam B. *Bernardi* ſignatè cum debitis obſervationibus referemus.

Cumprimis itáque obſervamus, duo eſſe S. *Nicolai* Cænobia, quæ B. *Bernardus* de Mentona inſtituiſſe traditur. Unum, quod olim in *Monte Jovis*, alterum verò *in Columna Jovis* vocabatur: Illud exſtructum eſt in Monte totius Europæ altiſſimo (velut noſter *Ro-*

landus Viotus enarrat) frigidiſſimo, aſperrimóque, verſus meridiem, vallem urbis Auguſtæ ſpectans, in Occaſu Montes Fauſſignianos glacie rigentes proſpiciens. Locus igitur eſt, frigore, tam æſtate quàm hyeme algens, nunquam nivium expers, cæteróquin etiam multis malis, periculíſque obnoxius, tempeſtati, caligini, turbinibus, glomis nivium &c. ſuprà Montem dimidiam partem Xenodochium cum Monaſterio, alteram lacus quidam, ùt plurimùm glacie concretus, occupat. Iſtud non minùs in Monte ſitum eſt, qui olim *Columna Jovis*, nunc *minor Bernardus* vocatur. Hic altitudine, aſperitate itineris, multóque horrore haud alteri cedit. Via ab uno pede montis ad alterum, duodecim Leucarum ſeu ſex milliarum Germ. eſt, cæteróquin omni domicilio hi montes carent extra prædicta duo Monaſteria cum Xenodochiis ſuis. Condidit autem ambo S. *Bernardus* duplici de cauſa, primò: quia à D. *Nicolao* admonitus, ut hæc loca (in quibus Dæmon pernicioſiſſimè homines ſeducebat) ſentibus ſuperſtitionum purgaret, idola diffringeret, & *in eo*, ùt inquit vita, *hoſpitalia fundaret utilia*, & *Canonicorum Regularium Cœnobia.* Secundò: ut peregrinantibus, & per illos prærupros, dubióſque montes tranſeuntibus auxilio ſint atque ſolatio, ac charitatem eam Chriſtianam exhiberent, illorum Monaſteriorum religioſi incolæ, quæ neceſſitatem omnem, quantum fieri poteſt, relevet in præfatis peregrinis: omnes enim viatores recipi debent ex inſtituto, undecúnque veniant, pauperes æquè ac divites; & prout cujúſque conditio poſtulat, hoſpitaliter tractantur per tres dies communiter, per plures autem, ſi neceſſitas poſtulet, retineri ſoliti. Attamen nemini fas eſt, à quoquam pretium exigere, aut compenſationem, niſi graviter velit puniri, multò minùs ab ipſis cauſas, & Conſilia ſuſcepti itineris explorare: ægri quoque, ùt decet, omnibus obſequiis juvantur. De quibus obligationibus plura inferiùs.

Fundatio horum Xenodochiorum cum monaſteriis videtur alliganda tempori currenti inter annum 966. quò Archidiaconus B. *Bernardus* factus eſt, & annum 1008. quò obiit. Sed hæc ipſa jam primum quibuſdam ſcrupulum movit, ut aut fluctuarent, aut omnino diſſentirent monaſteria iſta ab ipſo D. *Bernardo* pro Canonicis Regularibus fuiſſe fundata. Vità à Richardo ſucceſſore B. *Bernardi* in Archidiaconatu, ipſiúſque ſancti viri familiaritatem ac notitiam teſtante ſcripta expreſſè quidem, ùt ſuperiùs memoravimus, id aſſerit, at hoc ipſum interpolamentum eſſe quidam decernunt. Arnoldus Wion S. Benedicti Cœnobium Ciſtercienſium fuiſſe adhuc ſuo tempore auſus eſt aſſerere, ſuíque aſſerti ſequaces habet Hugonem Menardum, Benedictum Dorganium, Gabrielem Bucelinum, ipſum etiam S. *Bernardum* ſuis adſcribentes. Verùm dubium iſtud vel antiquiſſima Canonicorum Regularium poſſeſſio reſolvit; dabimus nos ſuo tempore documenta evidentia, quæ conſtantem Canonicorum Regularium à tempore S. *Bernardi* uſque ad hanc ætatem in iiſdem Cœnobiis perſeverantiam comprobabunt.

Vide Papebr. in act. SS. 17. Jun. in comm. prev. & p. decurſum.

Alia difficultas eſt, ſtatum ipſius S. Fundatoris definire, quem certè nemo eruditus ideò Canonicum regularem fuiſſe (quòd Monaſteria pro hujus Ordinis religioſis inſtituerit) decernet: at néque ideò tam audenter talem fuiſſe negabit, *ac nihilo majori jure ſibi eum adſcribere Canonicos Regulares dicet*, quaſi *præſumentes, vel Canonicam Auguſtanam talem fuiſſe, vel*

Vide acta SS. 15. Junii ibid.

vel Bernardum ab illa ad Novarienſem Canonicam S. Laurentii, in qua hoſpes mortuus & ſepultus fuit, tranſiiſſe. Certè qui Chronologiam hiſt. Antiſtitum Pedemontanorum, ipſiúsque Galliæ Chriſtianæ tom. 2. pag. 226. legendo percurrerit, reperiet tempore S. *Bernardi* Eccleſiam Auguſtanam ſæculo 10. usque ad ſæculum elapſum 17. regularem exſtitiſſe: ut adeò non opus ſit ab Eccleſia S. *Laurentii* Novarienſi B. *Bernardo* Canonicatum regularem emendicare. Mirari tamen ſubit, viros alióquin doctiſſimos tam facilè negare poſſe, quæ non tam falſa, quàm ſibi ingrata reperiunt. Ferrarius refert de S. noſtro *Bernardo* eum *habitum Canonicorum, quos regulares vocant, in Canonica S. Urſi Epiſcopi ſuſcepiſſe.* Corrigendum hic Ferrarium dicit Papebrochius: non quòd eum S. *Urſi* Canonicum faciat, verùm ob *præconceptam de Canonicatu regulari opinionem*: quaſi Ferrarius, cùm *Bernardum Canonicum Regularem* crederet, ſimúlque Auguſtanam Eccleſiam ſæcularem fuiſſe ſupponeret, *neceſſitate coactus ad S. Urſi Eccleſiam tunc regularem eundem ablegáſſet.* At aſſerere multi poſſunt multa, probare non omnia: non ego credam Ferrarium rerum aliàs antiquarum experitiſſimum ignorâſſe, Auguſtanam Eccleſiam B. *Bernardi* tempore regularem fuiſſe, néque ex malè *præconcepta opinione* de Canonicatu regulari S. *Bernardi* ſcripſiſſe. Eccleſiam S. *Urſi* fors putabat Ferrarius ita cum Cathedrali unitam fuiſſe, ſicut S. *Auguſtinus* duo legitur monaſteria Clericorum babuiſſe, unum, quod erat Seminarium, alterum, in quo jam firmati cum Epiſcopo vivebant: quod nos alibi probavimus. Porrò monſtrabimus & hanc Eccleſiam, S. *Bernardi* tempore, adeò cum Cathedrali fuiſſe innexam, ut non omninò malè id, quod ſcripſit, ſentire potuerit Ferrarius. Hæc interim obviantia dubia ſic breviter reſolviſſe ſufficit.

Sicut autem, ut diximus, religioſis hujus loci ex ſua fundatione maximè incumbit hoſpitalitatis cura, ſic eam præcipuâ ſtudent ſolertiâ exercere, omnémque operam adhibent, ut imprimis peregrinis adducendis per aſpera illa in hoſpitale itinera, auxilia, vecturæque non deſint, quibùs, fatigio fortè aliàs ſuccubituri, periculis inde ſupervenientibus eximantur, aut ſi qui mortui in via reperiantur, quantocyùs ſepulturæ tradantur. Hinc quotidie binos è ſuo cœtu deſtinant, qui montem undíque obeu... pane, vino, & igniario, aliísque rebus ad commeantium commoda neceſſariis inſtructi. Interim alii domi re divinâ ſunt occupati, néque unquam ſacra, tam privata, quàm cantu celebrari ſolita, cum Canonicarum horarum matutinis, diurnísque precibus deſiderantur, quæ quotidie magna pietate, imprimísque pro ipſius hoſpitalis Patrono, & aliis de illa domo bene meritis decantantur. Sumptus verò ad hoſpites alendos ſunt incredibiles: tantâ nihilominùs curâ & ſtudiô illic cuique proſpicitur, ut tranſeuntibus nihil, ſi non ad delicias, certè ad vitam ſuſtentandam deſit, etſi omnia magnis impenſis fiant. Et quoniam nihil inibi creſcit, oportet omnia magno labore, ác ære, aliunde inferre, ipſúmque planè lignum totius diei itinere per juga præcipitiis horrida, idque per tres duntaxat anni menſes eſt advehendum: in quemvis verò annum pro potu ſeptingenta vini plauſtra comparanda ſunt. Obſonium majori parte è ſalſâ carne conſtat, licèt ſingulis triduis recens caro adferatur. Cibi dein jejunio competentes pro modo neceſſarii uſus

 allunde

aliunde aportantur: quare cùm cenſus annuus ad tolerandos tam immodicos ſumptus non ſufficiat, coguntur religioſi aliam ſtipem & auxilium implorare: in quem finem quidam ejus loci conſtituuntur, qui ſubſidia colligant, donáque è vicinis provinciis, tam Catholicis, quàm aliis ſubmiſſa accepent.

Cæterùm nulla fidei, aut ſectæ ratione habitâ, promiſcuè omnibus patet acceſſus, ac Charitas iſta hoſpitalis; quæ omnes humaniter excipit ob neceſſarium per ea loca tranſitum; maximáque auxilia omnis generis nationibus Gallis, Hiſpanis, Germanis, Helvetis, aliíſque præbentur, quos neceſſitas cogit iſthac commeare. Dicta autem Xenodochia ſub ſereniſſimorum Sabaudiæ Ducum tutelâ quieſcunt, qui quotannis in hunc locum magnam munificentiam exercent: huc ſymbolam ſuam *Pennina* quoque Regionis Primores, quos *Dizenos* vocant, conferunt, quorum ditio majori Xenodochio eſt confinis.

Singularis autem, ac memorabilis Divinæ bonitatis favor eſt, neminem aut peſte in dictis hoſpitiis exſtinctum, aut aliundè illam illatam Xenodochiis fuiſſe. Res eſt etiam admiratione digna, quamvis neque noctu, neque interdiu eædem domus advenis, ac hoſpitibus vacent, nullum tamen religioſorum præcipitio, aut nivium lapſu abreptum fuiſſe, licèt multi alii ibidem fuerint ſepulti. Præterea obſervatum eſt, neque Dominos, neque miniſtros fideles unquam malum finem accepiſſe, aut fortunis fuiſſe exutos, aut fidem Creditoribus feſelliſſe. Cùm contra illi, qui rem malè adminiſtrârunt, vindicem Dei manum ſenſerint ſua ſacrilegia punientis. Ad hæc nemo furtô, fraude, maliſque artibus aliquid ſibi vendicavit, qui detectus, meritóque piaculo caſtigatus non fuiſſet. Perpetua quoque divinæ bonitatis in has domos influxio eſt, quòd tot ſummi Pontifices, ac Principes eis faverint, ac in tutelam ſuam receperint: *Honorius* quartus dictas hoſpitalitatis ædes, omniáque illarum bona, ac Dominia, in *S. Petri* Sanctæque ſedis fidem accepit, magníſque immunitatibus ornavit; ùt apparet è Bulla *Nicolai* Pontificis, qui eas denuò confirmavit, quod & *Joannes* XXII. *Martinus* V. & *Joannes* XXIII. *Eugenius* IV. *Pius*, & alii fecerunt. *Joannes* XXIII. ab omnium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorúmque poteſtate, viſitatione, correctione, ſubjectione, ac imperio, ſive ſint judices Ordinarii, delegati, aut ſubdelegati exemit Præpoſitos, religioſos, templa, domos, & membra dictorum Xenodochiorum cum incolis præſentibus, & futuris, eorum poſſeſſiones, villas, arces, Eccleſias, ſive curam animarum haberent, ſive vacua curis eſſent, uti clarè in bullis patet. Eadem privilegia quoad jurisdictionem temporalem fuêre à *Ludovico* Sabaudiæ Duce conceſſa Præpoſitis, ac religioſis, ita ſupplice libello poſtulantibus. Quæ omnia in eum finem facta ſunt, ut liberiùs poſſent Dei obſequio vacare, commodiúſque tranſeuntibus opem ferre. *Ammadæus* Sabudiæ Dux, & *Maria* illius Conjux eadem Xenodochia, & monaſteria tutelâ ſuâ, maximíſque beneficiis dignati ſunt. Poſtremò in Rochertortenſi arce manu exaratum volumen repertum eſt, quo Ordo, & dictarum domorum reſtauratio continetur, *Eugenii* IV. Juſſu facta annô 1437. ubi regulæ, & ſtatuta tam præclara, & tam apta conſcripta, ut nihil meliùs excogitari queat. Quin, & *Joannis* Cardinalis titulo S. Petri ad vincula, ſigillo ex utráque libri

libri parte, involucro juxta formam authenticam ſunt inſerta, cùm ei, ùt delegato, id muneris eſſet c-mmiſſum. Hæc Viotus fermè ex interpretatione Sehrembekiana, quæ hic proponere libuit, nè quid in cauſa facti *ex nobis* adduxiſſe videamur. Quodque Conſtitutiones à Vloto memoratas attinet, eæ per prædictum Cardinalem *Joannem* in Monaſterio Maris ſtellæ Ord. Ciſt. Conſtantinenſis Diœceſis an. 1437. die Jovis 19. Decemb. reviſæ, ac an. 1438. die 15. Maji approbatæ ſunt; continéntque in ſe titulos ſeu Rubricas quinquaginta duas. Annô dein 1710. die 19. Auguſti Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus *Jacobus Caracciolus* Archiepiſcopus Epheſinus ad Helvetios, Rhætos, alióſque confæderatos pro Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa XI. ejuſque ſacra Sede Nuntius Apoſtolicus, & Viſitator ab eoden Venerabilis hujus Hoſpitalis conſtitutus, in ipſo actu Viſitationis ſuæ de novo eaſdem conſtitutiones approbavit, eaſque, ùt hactenùs obſervandas diſtrictè (utpote quas in profeſſione ſua vovere ſolent) præcepit: inſuper, nè illæ ſub modio remaneant, ſed ſint ſuprà Candelabrum, ut videant omnes religioſi, quid voverint, & quid Deo reddere debeant, auctoritate Apoſtolica ſibi commiſſâ mandavit, ut dictæ conſtitutiones, quamprimùm fieri poterit, typis mandentur, & poſteà quilibet Reverendus Canonicus Regularis tam in hoſpitali prædicto, quàm in Curis ſeu membris illi annexis exiſtens habeat volumen dictarum Conſtitutionum.

Inſuper pro earum viridi obſervantia mandavit, quòd ſingulis annis D. Præpoſitus teneatur poſt celebrationem Capituli Generalis mittere ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Nuntium pro tempore *Lucernæ* exiſtentem Notulam, & à toto Capitulo ſubſcriptam, & ſigillo Ven. hoſpitalis munitam totius adminiſtrationis computorum, redditruum, & exitûs cujuſlibet anni, quæ jam in dicto Capitulo fuerant examinata, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & adminiſtrationis, ſub quâ pœna etiam mandatur D. Canonico Coadjûtori, ut negligente vel renuente ipſo D. Præpoſito, ipſe curet tranſmiſſionem earundem notularum, modò, quò ſuprà, &;contra negligentes, vel recuſantes permittitur cuilibet è Capitulo, & familia ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Nuntium reclamare.

Quæ omnia, & ſingula ad hodiernum uſque diem ſanctiſſimè ſervantur, ipſis verò conſtitutionibus jam dudum impreſſis præfigitur regula *S. Auguſtini*. Et in fine earum hoc Breve Nuntii Apoſtolici legitur, cui ſubſcripti ſunt Præpoſitus, qui tunc fuit Reverendiſſimus D. *Joannes Petrus Perrod*, & ſubſequè cum Coadjutore, ac Priore 25. Canonici.

Annô 1735. Præpoſituram geſſit Reverendiſſimus *D. Leonardus Joni*. Sub quo eodem annô numerabantur Canonici in ſacris conſtituti quadriginta ſeptem, Novem Clerici, id eſt, Canonici in ſtudiis adhuc conſtituti. Et decem Converſi.

Habet autem, ut ex jam relatis apparet, Reverendiſſimus D. Præpoſitus Authoritatem ampliſſimam Epiſcopalem in loca ſibi ſubdita: nominatur *Abbas in Roſch*, *& Aquilia*, non tamen gaudet Pontificalibus.

Loca verò celebriora, quæ præclariſſimo hoſpitali ſubjiciuntur, fermè ſunt ſequentia, prout ea nobis innotuerunt.

Burgum S. Petri: Prioratus.

S. Jacobi Orſerii vulgò *Orſera* tribus, & ½ milliari ſuprà Montem

S. Bern.

S. Bern. dicta Capella, ſed ſimul Nobilis, & inſignis Rectoria.

Lenſa: Prioratus Seduni.

S. Petersburg: Prioratus Valeſiæ.

Mons S. Bernardi Minoris: Prioratus.

Milleſia: Prioratus in Sabaudia.

Abbatia de Roſcb. de & *Aquilia*: de quibus ambabus ſe Præpoſitus majoris hoſpitalis titulare ſolet, verùm quàm celebria loca hæc olim fuerant, cùm S. Bernardo majori incorporarentur, tam viles, omni penè emolumentô ſpoliatæ evaſsêre, ita, ut præter titulum vix aliquid commodi inde colligatur, ab eo tempore, quô Calviniſtarum furor, ac effrænata in religioſos rabies omnes propè fructus in ſuum uſum convertit, & usque nunc conſuetâ injuſtitiâ poſſidet.

S. Petri: *Prioratus* in Valle Auguſta.

Cathilionni: Rectoria in Valle Auguſta.

Martinach: Prioratus in Valeſia.

Laſſite: Rectoria ſimúlque Hoſpitale, eſtque ibi ſtudium Theologiæ cujus Profeſſor actualis eſt D. *Nicolaus Waſcheer*.

Rumile: Prioratus in Sabaudia.

Leis: Prioratus in Valeſia.

S. Branchier: Rectoria.

S. Remigii: Rectoria Diœc. Auguſtenſis.

Et hæc ſunt potiora loca celeberrimo *S. Bernardi* Hoſpitali ſubjecta præter complures Parochias, quarum adhuc duodecim numerantur, in quas omnes Canonici è gremio hoſpitalis majoris exponuntur: ſed ſub expreſſa cautione, nè illis hæc beneficia curata in titulos conferantur, quaſi eſſent curati perpetui, utpote cui reſiſtit votum obedientiæ quoad beneficia regularia, unde omnes deputantur ad nutum Superioris amovibiles.

Deníque quod monaſterium ipſum concernit, eſt id nobile, & egregiè conſtructum, præprimis autem ipſum hoſpitale. Habetur quoque Caput *D. Bernardi* (prout edocti ſumus) in Eccleſia Canonicorum, aſſiduáque prodigia hujus Sancti Patroni meritis patrata ſatis remonſtrant, quantâ tum locum ipſum, tum ejusdem religioſos incolas benevolentiâ Deus reſpiciat, & proſequatur. Hæc interim de hoſpitali iſto diximus ſatis, longè plura daturi, cùm de eo differendi, & amplior locus ſuppeditabitur, & uberior ſubmiſſa notitia.

Quòd verò hunc locum adhuc inter Germaniæ monaſteria reputemus, non fit ideò, quaſi ignoraremus eundem ad Sabaudiæ ſpectare Ducatum, ſed quia in Alpibus Rheticis conſiſtit, quæ Helvetorum ſic limites ſunt, ut ſi non nunc, certè olim potentiſſimum fuerint à Germanis poſſeſſum adverſus Romanos propugnaculum; hinc non indignè judicantes adhuc Germaniæ noſtræ præfatos limites aſſerere: præcipuè, cùm inde præjudicii vicinis noſtris nihil, econtrà laudatiſſimo cœnobio multum honoris, ac fortè, & emolumenti ſit acceſſurum.

Exiſtit Cœnobium principale ſeu *Bernardi majoris* in monte, quem Ducatus Auguſtenſis ex una & Valaunia ex parte altera medium conſtituit. Aliud verò, ſeu *S. Bernardi* minoris monti inſiſtit inter dictum Ducatum, & provinciam Tarantaſiam. Docum. Communic. acta SS. ad diem 17. Junii. Viotus in Vita S. Bern.

Beyerenſe; ſeu Beyronenſe S. Mariæ Abbatia. *Fund. an. 907. Florid.*

Hoc Collegium antiquitate Venerandum (ſi primam ejus fundationem attendamus) probant documenta ibidem recondita, quippè quòd exſtet *Bertholdi à Volmaringem* annotata memoria de annô 907. non quidem quaſi id in primo

primo fundationis loco ſubſiſteret, ſed quòd iode Canonici annô 1000. ad iſtud per quemdam peregrinum *Alemannum* Igooti oominis bominem exſtructum transmearent. Dolendum hujus viri nomeo latere incognitum, præcipuè, cùm ambigi oequeat magnæ ipſum opulentiæ, ac nobilitatis fuiſſe, à quo hoc cœnobium non ſolùm abundanter dotatum, ſed & multis privilegiis tum Pontificum, tum Cæſarum ex prima ſui fuodatione munitum eſt. Refert verò Fraocifcus Petrus hoc Collegium quantumcúnque olim cooſpicuum poſterioribus annis (prævalente potiſſimùm bellorum calamitate) peſſimè mutatum, & per adverſos caſus, quò plures, eò atrociores taotùm oon peoitùs fuiſſe obſcuratum. Hæc an noſtris quoque temporibus ſubſiſtant infelicia iſtius collegii fata, anxiè ſuſpiramus edoceri, & ſperamus eó firmiùs, quò gratiùs inde nobis communicatio documentorum diu, & ſæpius promiſſa, taodem ſuum ſortita eſt effectum.

Exiſtit non procul Rotevilla Franc. Pet. Suevia Eccleſ. p. 209. Miræus L. de Orig. Can. Reg. p. 157. Piſtor in Cbron. Conſtant. t. 3. ſcript. rer. Germ. p. 797.

Fund. Exſtinctum. Buechbergenſe S. Mariæ Præpoſitura. Meminit hujus Cænobii Windeſemenſis Miræus in ſuo Windeſemenſium Cænobiorum Catalogo, quod ideò omittere noluimus. Cæterùm quia nulla alioquin hujus notitia exſtat, haud dubiè interiiſſe videtur.

Exſtitit propè Liodavium. Mir. L. de orig. Cao. Reg. p. 67.

Fund. an. 902. ſecul. Buchovienſe SS. Cornelii, & Cypriani. Virginum Canonicarum Abbatia. Hujus exordium, fatáque præcipuè Maritum Fundatricis vexantia per Longum enarrat Bruſchius, quorum veritatem, dum necdum ſatis examinare licuit, in medio relinquimus. *Adellindam Atonis Comitis* uxorem hoc Buchovienſe Cænobium ad annum 902. fundâſſe, *Hermannus contractus* ſcribit, undè hawd dubiè vehementer Bruſchius cum Bucelino fallit, dum uterque ait: *Adellindam Hildegardis Caroli M.* Conjugis ſororem fuiſſe. Habemus eoim ex *Reginone*, & *Hermanno* cootracto *Hildegardim* annô 783. obiiſſe. 2. Calend. Maji, & Matrem ejus *Bertham* eodem annô 4. id. Julii. cùm verò *Adellinda* annò 902. Buchovienſem Abbatiam coodiderit, ſequeretur haoc centum, & novendecim annis poſt matrem (imò adhuc diutiùs) ſuperſtitem fuiſſe, quod omnem fidem excedit. Porrò errorem, in quem Bruſchius impegit, facilè aperiemus; qui putaverat, conditum fuiſſe Buchovium ſæculo octavo, idque haud dubiè ex diplomate, ùt ipſe inquit, ſibi ad legendum exhibito, ac anoô 821. extradito. At mihi diploma iſtud, uti & tota *Adellindæ* hiſtoria ſuſpecta eſt. Aliquid in rem profero, facit ipſe *Adellindam* fundatricem, *Hildebrandi*, vel potiùs *Gotfridi* Ducis Suevorum filiam, atque ſic Sororem *Hildegardis*, verùm *Hildegardem* jam monſtravimus centum, & novendecim annis ante *Adellindam* obiiſſe. Deinde filios *Adellindis* nempè *Beringerum*, *Reginolphum*, *Gerhardum*, & *Hattonem*, ait occubuiſſe prælió, cùm Hunni ſub *Carolo* Magno in Germaniam irrumperent: hæc autem irruptio Hunnorum noo eſt facta ſub *Carolo* Magno, ſed ſub *Ludovico tertio* Imperatore ſtemmatis Caroli ni ultimo. Tum enim ad annum 902. narrat *Hermannus contractus* ſequentia: *Ungarii Caretanum pe-*

Reg. L. 2. an. 783. tom. I. piſt. p. 41. & 220.

Mon. B. 1001.

tentes commiſſa pugna victi, cæſique fugerunt, eodem annô Mormarus, Dux Marahenſis, & Iſauricus, Noricus Comes, qui ad ipſum transfugerat, cum Ludovico Rege pacificati ſunt, Ungarii Marahenſes petuntpugnáque victi terga vertunt. Ipſo annô Beringer, Reginolf, & Gerhart nobiles Germani fratres, filii Atonis Comitis, & Adellindæ non longè ab Buchaugienſi cœnobio Virginum, in pago Alamanniæ Erichgevve, à matre per ipſum tempus ſtudioſè in honorem S. Cornelii, & S. Cypriani Martyrum conſtructo, cùm ſororem Virginem, nuptum tradere molientes, clam inde abducerent ab inimicis circumventi, & occiſi ſunt, & à matre ſua apud ipſum cœnobium ſepulti. Diploma autem illud, ſi *Ludovicum* pium præſefert, manifeſtè falſum eſt, cùm *Hermannus* teſtetur per ipſum tempus conſtructum Cænobium, quo filii *Adellindæ* occiſi ſunt, adeóque non diù ante annum 902, certè non annô 821. id enim non eſſet ſub ipſum tempus: ſi verò ſolum *Ludovici* Imper. nomen? cum notæ Chronologicæ non annum Domini, ſed annum Regiminis *Ludovici* oſtendunt, nempe, annô Imperii *Ludovici* ſextô, adeóque correſpondere anno Domini 905. illos oportet, & notare *Arnulphi*, non *Caroli* Magni filium.

Verùm an ex hac demonſtratione continuò ſubſcribendum ſit Dionyſio Sammarthano, vehementer hæreo; is in prima Buchovienſi Abbatiſſâ ſic ait: *Adellinda filia Fundatricis, non autem Soror S. Hildegardis Reginæ, Caroli Magni Conjugis, ut ajunt Bruſchius, & Bucelinus.* At verò Bruſchius nunquam ſomniavit *Adellindam* filiam Fundatricis, aſſerere ſororem *Hildegardis*: ſed talem fuiſſe dixit ipſam Fundatricem. Inquit enim: *Hattonem Comitem Caldarienſem potentiſſimi Suevorum Ducis Hildebrandi nobilem, ac illuſtrem filiam, Dominam Adelindin in arce Andechs natam, ſororem Hildegardis Reginæ (* quæ *Carolo* Magno deſponſata fuerat *) uxorem duxiſſe.* Ipſam verò Fundatricem primam Abbatiſſam ponit, neque in hoc fortaſsè aberraverit Bruſchius, certè Hermannus ait: *Adellindam in Cænobio, poſtquam Jeroſolymam aliâque loca ſancta, causà orationis adiit, & rediit, divinis intenta ſervitiis, & animarum inhians lucris feliciter hanc vitam finiens condita eſt; ipſa filia Virgine æquivoca ſua, Abbatiſſa inibi conſtituta.*

Cæterùm cùm Bruſchius diſertè ſcribat Adellindam Buchovienſe monialium Auguſtinianæ primùm profeſſionis cœnobium fundâſſe, id non autumo ex vanis eum conjecturis feciſſe, nam exſtare poterant documenta oſtendentia, regulam S. *Auguſtini* iſthic juxta decretum Eugenii ſecundi * fuiſſe obſervatam. Neque credo ſinè myſterio eſſe, quòd feſtum *S. Adellindæ* Virgines iſtæ ſoleuni pompâ celebrent in *die S. Auguſtini.* Certè hujus eximii legislatoris conſueta celebritas cum tranſjerit in feſtum *Adellindæ*, cùm mallent nobiles hujus Cænobii alumnæ omne indicium aboleri *regularitatis Auguſtinianæ* à ſuis deceſſoribus obſervatæ, quàm vel ipſum feſtum Divi hujus Doctoris celebrare ſub ſuo nomine, quamvìs autem inſtitutum votivo-Canonicum Buchovii viguiſſe nullus dubitem, diù tamen jam eſt, quòd rejecta regularitate ipſæ ibidem Virgines ſæculares ſe habeant.

* tom 7. Conc. Labb. Col. 1544.

Exiſtit ad lacum Fedetſee. Bruſchius Chronol. Monaſt. Germ. pag. 62. Gall. Chriſt. t. 5. Col. 1078. Herman. contr. edit. Caniſii, & Piſtor. ad an. 901. & 902.

Bruch.

Fundat ... Exſtinctum.

Burchfeldenſe S. Michaëlis Præpoſitura. Cænobium iſtud Canonico - Auguſtinianum fuiſſe ſcribit Franciſcus Petrus, ſed quod Heterodoxorum ſeu Novatorum avaritiâ in tantum abſumptum eſt, ut præter inane nomen *Burchfeldenſe* ſciat, habeâtque omninò nihil.

Exſtitit propè Rottovillam. Franc. Pet. Suev. Eccl. p. 208.

Fund. ... Exſtinct.

S. Catharinæ Virginum Canonicarum Præpoſitura. De hac ſequentia Bucelinus *Canoniſſarum*, inquit, *Ordinis S. Auguſtini, quod utrùm hodie exſtet, ignoramus.*

Exſtitit in Diœc. Genevenſi. Bucel. Monaſteriol. parte 1. pag. 21.

Fundat ... Exſtinct.

Cazenſe. Virginum Canonicarum, fortè Præpoſitura. Inclytum olim fuiſſe Collegium dicitur; annô quoque 1388. in quibusdam actis (nobis incognitis) legi memoratur ſubſcripta *Domina Gutta Magiſtra Ord. S. Auguſtini.* Fundationem ſuam debet *Paſchali*, hujúsque ante Epiſcopatum Curienſem è legitimo choro ſuſceptæ filiæ *Veſpulæ* circà an. 758. cui inſtituto primam hujus parthenonis Congregationem *Paſchalis* adſtrinxerit? nolim ego definire tam liberè quemadmodùm pro ſuo ordine id fecerat Bucelinus. Porrò an in altero ſubſcribendum eidem dicenti *Veſpulam* non filiam *Paſchalis*, ſed *Victoris* (annô 760. obeuntis, ac Curiæ Epiſcopi) ſororem fuiſſe multùm ambigo, præcipuè dum id ex ſcriptura in Cazienſi Choro videnda vult eruere, quod ſic habet: *Victor. Epiſcopus. Curienſis. Una cum. Matre. ſua. Fundator. hujus. Monaſterii. &. cum. ea. Paſchalis. Epiſcopus. Curienſis. Genitor. &. Anteceſſor. ejus.* Si ergo *Veſpula* Fundatrix, & hæc Mater *Victoris*, utriúsque autem Genitor *Paſchalis*, ſequitur, *Veſpulam Paſchalis* filiam, *Victorem* autem ex Filia ejus Nepotem fuiſſe, non *Veſpulæ* fratrem. Quòd ſi Præterea hæc ſcriptura ſuam fidem mereatur, patet quoque lapſum fuiſſe Budæum, dum Victorem filium *Paſchalis* nominavit, quem fortè dum in Gallico Morerii legit, *petit fils*, malè interpretatus eſt in Germanico ſimplici vocabulo *filii* ubi ponere debuiſſet Tochter•Sohn. Nunc inſidetur à ſæcularibus Canoniſſis.

Exſtitit propè Curiam. Documenta Wettenhuſana: Bucelin. in ſua Rhætia ſacra, & profana. Moterius Lex. Bruſch. pag. 135. Germ. ſac. P. 2. p. 21.

Conſtantienſis S. Mariæ Cathedralis. *Fundat. ſæcular.* Vindoniſſa urbs olim celeberrima (cujus nunc ſolius ſub vici nomine adhuc memoria in pago Bernenſi ad Arolam fluvium perſtat) prima fuit hìc locorum, ſeu Conſtantienſis totius agri ſedes Epſcopalis, primum à *D. Petro*, ùt fert traditio, nacta Præſulem *Beatum* nomine: demum Conſtantiam hæc translata dignitas per *Dagobertum* Franciæ Regem ſub ſæculum ſextum præſidenre *Maximo* ſeu *Maxentio*, vel juxta Manlium Chroniſtam Conſtantienſem, *Maximino.* Nullum dubium, quin vita Apoſtolica per *Beatum* huc inducta diu perſtiterit, floruerítque tum ſecundùm inſtituta Aquisgranenſia, cùm *Gebhardus* primus ad annum circiter 838. *Conradus* primus ad annum 934. *Gebhardus* ſecundus ad an. 980. Conſtantienſe Pedum, viri omnes Sancti regerent. De *Gebhardo* enim ſecundo exſtat teſtimonium penè evidens hujus rei, quod Manlius in ſuo Chron. protulit ex Charta, quâ ipſe *Gebhardus* ſub *Conrado* exiſtens Conſtantienſis Canonicus Eccleſiæ ſuam proprieta-

tem transſcribit eâ conditione, quâ *ipſa id regula tum Chrodegangi tum Aquisgranenſis ſub poſtremo ſcilicèt ſeu infimo gradu paupertatis votivæ res proprias Canonicis habendas conceſſit* : eſtque ejuſdem Beati viri conteſtatio ſequens : *Noverint omnes tam præſentes quàm futuri, quòd ego Gebhart S. Conſtantienſis Eccleſiæ frater indignus, cogitans pro remedio animæ meæ, nec non Evangelica & Apoſtolica ſecutus præcepta, cum conſenſu fratrum meorum & advocati mei Udalrici, juris mei proprietatem, quam parentum ſucceſſione, in locis ..... dignoſcor habere, trado ad S. prædictæ Conſtantienſis Eccleſiæ Cœnobium, fratribus Deo ibidem aſſiduò famulantibus, cui vir ſumma religionis, & Doctrina Conradus Epiſcopus regimine ſpeciali præfectus eſſe videtur, ea tamen conditione, ut ego eandem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejuſdem fraternitatis, quemcúnque voluëre, cenſum inde perſolvat, ſingulis quibúsque adhuc impoſterum annis, feſtivitate S. Patris noſtri ac Venerabilis Papæ Gregorii prædictis Fratribus, ſicut Canonica monſtrabit regula, ſumat. Acta conſtantiæ quarto Idus Martii :* Annus deſideratur. Patet verò inde *Gebhardum* juxtà *Canonicam Regulam*, id eſt, Aquisgranenſem conſtituiſſe, ut ſi ſibi ad uſum fructûs daretur hæc, quam habuerat, hæreditaria proprietas, cenſum certum redderet Eccleſiæ, in conteſtationem ſcilicèt jam transcriptorum bonorum, quod etiam à quibusdam Monachis ſæculo octavo, ac nono factum fuiſſe habemus exploratum, & in exegeſi oſtendimus. Quamvis ab iſtis id factum ſit magna laxitate ſui inſtituti, quippe quòd ea libertas nunquam videatur, neculla de cauſa expedierit, admittenda Monachis.

Porro ùt ùt hæc diſpoſitio Aquisgranenſi, vel Chrodegangi regulæ conformis videtur, autumo tamen inſtitutum Conſtantienſium primariò juxta D. Gregorii præſcriptionem viguiſſe, atque id eò ampliùs, quòd hanc ipſa regula Aquisgranenſis contineat.

Quô verò tempore tota ſublata ſit regularitas, non liquet: certè ſub *Udalrico* hoc eſt anno circiter 1114. ſummo Ordinis noſtri fautore eandem in Cathedrali Eccleſia dudùm jam exoletam, pro certo habeo.

Cœterùm quæ non exigui momenti adhuc referenda in iſtius Eccleſiæ deſcriptione occurrunt, nos in futurum differimus, præcipuè mirantes, de origine ipſius Eccleſiæ hujus & progreſſu, tam jejunè Dionyſium Sammarthanum ſcripſiſſe.

Jacobi Manlii Chron. Conſtant. edit. Piſtor. t. 3. pag. 691. ſeq. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 892. Rutperti de Caſibus Monaſt. S. Galli L. 1. Cap. 8. & ſeq. *Fund. ſæc. 10. Floret.*

Creuzlinganum S. Udalrici & Afræ Abbatia Imperialis.

Magnificentiſſimum iſtud *Monaſterium* dum nuncupat Franciſcus Petrus, *Inſigne Cœnobium* Galliæ Chriſtianæ ſcriptores Sammarthani, & Bucelinus, *Caput multorum Monaſteriorum Canonici Ordinis* Pennotus; eò minùs aberraverint à vero, quò certiùs liquet, omnia in eo magnifica, inſignia, atque Excellentia eſſe, hâc, quâ nunc formâ conſpicitur, & quô locô, non multi effluxêre anni, quòd idem tanquam nova quadam (ſi ædificium ſolùm ſpectemus) fundatione è virenti plano ſurrexie præſidente *Jacobo Kentzingero* trigeſimo quinto (juxtà Langii computum) Prælato, ejuſque Succeſſore *Auguſtino Gimio* inter annos 1633. & 1668. dum nempe anno 1633. totum Collegium cum Eccleſia devaſtans flamma, & hominum malevolorum impietas ad ſolum uſque annullavit. At primam Originem longè altiùs indagare neceſſe eſt, Sammarthanus Dionyſius, *hoc*, inquit, *In-*

ſigne

ſigne Cœnobium Ord S. Auguſtini Canonicorum Regularium propè Conſtantiam fundatur ab Udalrico Ryburgenſi, ac Dilingenſi Comite, Monacho S. Galli, & Epiſcopo Conſtantienſi ſub annum 1120. Conſentit, aut potiùs præivit huic aſſertioni in ſua Monaſteriologia Bucelinus. Langius autem *Udalricum* non tam abſolutè, quàm cum reſpectu ad novam, & opulentè collatam dotationem *Fundatorem* nominat. In litteris ab *Henrico* 4*to* an. 1125. Indict. 3. 7. id. Jan. Argentinæ datis *Udalrico* præfato Epiſcopo Conſtantienſi ſic legitur: *Scire - - - - - volumus tam præſentis, quàm futuræ ætatis Chriſti fideles, qualiter nos pro remedio animæ noſtræ, noſtrorúmque Prædeceſſorum, atque Succeſſorum, interventu quóque dilectæ conjugis noſtræ Mathildis Reginæ, concedimus fideli noſtro Udalrico Conſtantienſi Epiſcopo, noſtrorúmque Principum Conſilio de redditibus ejuſdem Eccleſiæ, qui menſam ſuam contingunt, quoddam hoſpitale, quod ab incolis illius terræ Crucelin vocatur, ad pauperum Chriſti conſolationem juvare, atque reſtaurare. Beatus enim Conradus ejuſdem Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus idem hoſpitale conſtruxerat - - - - - ex negligentia quorundam ſucceſſorum, quos idem fervor Charitatis non accenderat, ex magna parte deſtructum &c. volens itáque prædictus Epiſcopus deſtructum jàm reſtaurare locum in honore SS. Udalrici Conf. & Afræ Martyris, Conſtructum verò à Prædeceſſore ſuo, conſervare, nos adiit &c.* ex quibus verbis *reſtaurare, juvare. ex magna parte deſtructum, conſervare &c.* abſque dubio liquidò patet, Creuzlingam dudum, & quidem jam temporibus *Conradi*, id eſt, inter annum 934. & 974. (quo Vir Sanctus Conſtantiæ præfuit) fuiſſe conditam, ut adeò, quamvis *Gebhardus* (poſtquam an. 1081. Cathedralem prædictam duodecimus *Conradi* Succeſſor conſcendit) hoſpitale iſtud jam tum injuriâ bellorum, & temporum penè ruinis ſuppreſſum Munſterlingam tranſtulerit, iterum per *Udalricum* teſtaurata dici debeat, non noviter fundata; quæque ibi primitus erecta Eccleſia fuerat. quin, & hoſpitale, adeóque dotationes quoque à *Conrado* factæ, dici neutiquam poſſunt noviter acceſſiſſe. At fortaſsè quis acutior Criticus inter hoſpitale illud, & monaſterium ab *Udalrico* conſtitutum non difficilem diſſimilitudinem dabit, dicendo, quæſtionem moveri non de ſimplicis ſtructuræ ætate, ſed de inſtituto ibidem vigente, de quo certè ante tempora *Udalrici* teſtimonium irrefragabile necdum comparuit, ut dici poſſit, jam à *Conrado* inductos fuiſſe Canonicos Regulares. Sicut ergo (ut extra Sueviam, quin ipſam Conſtantiam non vagemur) ConſtantienſeEpiſcopium ſuæ fundationis Epocham non extructæ diù anteà Eccleſiæ in urbe Conſtantienſi (quò Cathedra Vindoniſsâ tranſlata eſt) affigit, ſed ſuæ illic conſtitutioni: ita Epocham Creuzlingani Monaſterii oportebit, non primò condito eo in loco hoſpitali, ſed fixo Canonicò inſtituto illigare. Atque hæc quidem crediderim Dionyſium Sammarthanum, ac alios quosdam, & inter hos Jacobum Manlium perſuaſiſſe, ut *Udalricum* Creuzlinganum Fundatorem, non *Conradum* aſſererent. Sic enim de *Udalrico* præfatus Manlius: *præterea*, inquit, *de ſuis, atq; aliis, quæ in S. Conradi honorem donata fuerunt, pauperum hoſpitale in Conſtantia à S. Conrado fundatum, jam deſolatum reſtauravit; ac etiam Ordinis S. Auguſtini monaſterium Creuzlingen fundavit.* Porrò quæris, quid nos ad iſta? Repono: ſi Comitum *de Calvo* originalia inſtrumenta in formalibus nominant *Abbatem*, ac *Conventum in Cruzlino*, idque annô 938. ſique extrà aleam eſt hoſpita-

ſpiritalia religioſis Canonicis contradita Abbatialia cum temporis fuiſſe (quod tamen nondum me legiſſe memini) nullus hæreo antiquitati prætenſæ ſubſcribere. Sufficit enim oſtendiſſe, inſtitutum idem quoad ſpeciem infimam viguiſſe in aliquo loco, ad ejus antiquitatem identicam probandam, etſi fortè injuriâ temporum, & bellorum ipſa Congregatio emigrârit aliò. Quamvis verò nobis inſtrumentum *Anſelmi* Comitis *de Calvv* necdum videre licuerit, ſed ſolùm atteſtata de illa fundatione, in quibus Abbas in *Creuzlino* nuncupatur, ſuppetit tamen adhuc aliud argumentum, quò plurimùm ad hanc antiquitatem Creuzlingano Collegio adjudicandam inclinamur: nempè, indubitatum, & ex certa traditione habemus, *Conradum* erexiſſe foris urbem Conſtantienſem fundâſſeque hoſpitale, atque in iſto conſtituiſſe religioſos viros, ac fæminas inſtituti Canonici; adeò enim ſæculô decimô hoſpitalium fundatoribus familiare erat his ædibus Canonicos adjungere, ut ſe medii ævi planè inexpertem prodat, qui id negaverit. Hinc certum, eſt, inſtitutum Canonicum Creuzlingæ ſaltem annô 968. jam comparuiſſe, quin fortè (ſi, ùt ſuprà notaveram, legitima ſunt Comitum de Calw inſtrumenta pro *Abbate & Conventu* Canonico in Creuzlino data annô 938.) aliquot luſtris antea. Imò ſtante hac veritate, videtur potiùs monaſterio Creuzlingano in ſua fundatione jam diù firmato per *Conradum* hoſpitale ſolummodò fuiſſe adjunctum, ipſorúmque Canonicorum curæ commiſſum. Certè, cùm de rebus antiquis agitur, & omnis alioquin documentorum deſperata eſt conſecutio, oportet confugere ad præſumptiones, & indicia, ùt habetur C. Tertio 13. de præſumpt. Et C. præterea 27. de teſtibus. At antiquiſſima præſumptio, & communis fama eſt, imò convenientia ipſa indicat, Collegium Creuzlinganum cum exſtitiſſe, dum *Anſelmus* de Calw illam admirabilem fundationem fecit, qua Creuzlingani obligabantur in monte Wurmlingen: de quo nos alibi plura. Seu verò Abbas, ſeu Præpoſitus Creuzlingæ fuerit, id mihi propè certum eſt, Congregationem Canonico-votivam ibidem fuiſſe, non monaſtico-Benedictinam, quam ſibi certò appropriaſſent Bucelinus, & Dionyſius Sammarthanus, ſi vel exilem umbram hujus aucupari potuiſſent, quod unum ſatis eſſe poteſt pro firmando Canonico inſtituto Creuzlingæ: atque inde jam nullus Obex eſt, quò impediamur ſecuri dicere, quòd Creuzlingâ injuriis bellorum peſſumdatâ emigrârint Canonici; & quid ſi dicamus (cùm conſtet ex privilegio *Henrici* IV. de annô 1125. Münſterlingæ regulari ordine Sanctimoniales exſtitiſſe) ipſos Canonicos tranſiiſſe in montem, ſibi fundatione Calwiana proprium, Wurmlinganum: ſanè id mihi ſuadet antiquiſſima in hoc loco, ſimúlque celeberrima ad S. *Remigium* devotio, quæ cum haud dubiè aliunde requiſiêrit miniſtros complures, qui accurrenti populo ſatisfacerent. Nec quidquam prohibet credere, cùm *Udalricus* aſſentiente *Henrico* Creuzlingam reſtrueret, religioſos Canonicos Wurmlingâ potiùs, quàm Münſterlingâ rediiſſe in hunc primum ſuæ fundationis locum. Nam in privilegio Henriciano nihil legimus de Canonicis, tantummodò de ſanctimonialibus *in Münſterlin fideliter Domino tunc famulantibus*, nihil etiam de nova Colonia unde unde Creuzlingam deducta, nihil de inſtituto, quale nempè id fuerit, quod *Udalricus* idem vigere voluit: & tamen

tamen excommuni traditione, atque convenientia omnes arguunt, imò concludunt, *Udalricum* Canonicos Regulares induxiſſe, fatentur id ipſi noſtræ ſententiæ adverſantes, id eſt, affigentes fundationis Epocham huic privilegio *Henriciano*; faciunt iſtud, profectò non aliunde, niſi quia Conſtat Creuzlingam ab *Udalrico* reſtauratam ab *Henrico* privilegiò cum confirmatione bonorum eidem conceſſorum munitam fuiſſe, neque aliam Epocham apparere, cui inductio Canonicorum Regularium poſt illud tempus affigi poſſe, putant. Verùm hoc ipſum argumentum probat, jam à *Conrado* ipſos primitùs, imò anteà inductos, quod longè evidentiùs oſtendit fundatio *Calvvienſis*; dum *Conventus in Cruzlino*, *Abbas*, *monaſterium* disertè nominatur in atteſtato Capituli *Boltingenſis*. Et ùt dixeram, ſi certi eſſemus in Originali Fundationis Calwienſis Chartâ, *monaſterium*, & *Conventum* in Cruzlino nominari, extra omne dubium pro noſtra ſententia ſtabiliremur. Intereà tamen pro hoc ipſo ſtat magna præſumptio, Capitulum Boltingenſe hæc vocabula ex fundationis literis, aut ſaltem ex vetuſtiſſimo ſcripto teſtimonio in formalibus aſſumpſiſſe, eò quòd dictum Capitulum alioquin in ſuo hoc atteſtato *Creuzlingam* nuncupet, recentiore ſcilicèt, & prout, ſæculò decimò quintò jam uſui erat, vocabulò; At ubi allegat, & enarrat fundationis factæ fidem, quaſi adducturum, & eruturum ex ipſo fundationis documento vocabula ait: *Quidem ſpectabilis Dominus Comes de Calvv præfata bona montis prædicti* (nimirum Wurmlingen) *in anima ſua remedium præfato monaſterio in Cruzlino Abbati, & Conventui tali conditione legaverit &c.* Non abnuo quidem reſponderi poſſe, Capitulum *Boltringenſe* aſſerere apertis verbis, ſe hæc ſolummodò ex relatione percepiſſe multorum, nimirum, Decanorum, Camerariorum, ac aliorum confratrum ſuorum; adeóque non ex charta aliqua authentica Fundationis. Verùm repono, addi quoque ſe id percepiſſe ab antiquis; atqui nemo credet ab antiquis percipere potuiſſe auretenùs, ſed per traditionem ſcriptam, ubi hæc vocabula legebantur: ſemper ſcilicèt reaſſumptis vetuſtis, & primæ fundationi conſuetis terminis. Ut igitur, etſi non evidens, ponderoſum tamen argumentum conſtitutæ jam Congregationis Canonicæ in Creuzlingano Cænobio ante annum adhuc 938. præfatum atteſtatum Capituli Boltingenſis exhibeat.

Sic autem communita nobiliſſimæ Canoniæ Creuzlinganæ antiquitate, quam potiùs opinamur annò circiter 938. aut paulò ante, quàm 968. fundatam (*Conradus* enim non *Creuzlinum* fundâſſe dicitur, ſed *hoſpitale* eidem adjectum) progredimur ad alia ejusdem decora, attamen ſolùm laconicè promenda, quippe quæ longè majorem narrationem, quàm præſentis prodromi limites admittant, requirunt. Altera igitur per *Udalricum* Epiſcopum circa an. 1125. fundatione, ſeu veriùs reſtauratione factâ inſigniter cum ſpirituali tum temporali augmento *Creuzlinga* inclaruit. Multiplicata indies Congregatio fuerat viris planè eximiis, atque præclaris; inter quos, ùt par erat, dum ſemper Clavum regiminis tenebat, qui præſtantiſſimus, mirum non erat, tantis progreſſibus hoc Collegium increbuiſſe: ita quidem, ut dignum omninò cenſeretur inter Sacri Romani Imperii Prælaturas cooptari, Ipſósque Reverendiſſimos Abbates ſuos ſæpiùs ad imperialia Comitia evocatos ſibi poſſet gratulari. Quò verò tempore hæc

ei

ei dignitas acceſſerit, ex documentis nobis communicatis diſcere non licuit. Verùm noſtrâ quidem ſententiâ major longè gloria videtur, Creuzlinganos Abbates primùm à Benedicto XII. annô 1339. Conſtitutos fuiſſe Viſitatores monaſteriorum Ordinis noſtri in tribus Archidiæceſibus, Moguntina ſcilicèt, Trevirenſi, & Colonienſi; quæ ſanè tam nec numero exigua fuêre, nec honore. Et quàm incomparabili Zelo, apertóque emolumento viſitationem religioſiſſimi hi viri per multos annos executi fuerint, teſtantur illæ Apoſtolicæ hujus perduraturi Juris viſitandi confirmationes, datæ à *Pio ſecundô* annô 1459. dein à *Zacharia Delphino* Apoſtolicæ ſedis Legato annô 1588. atque iterum à *Clemente VIII.* annô 1603. neque enim credibile tantam prærogativam unquam à ſumma ſede oblatam, niſi expetentibus ipſis harum Diœceſium Præſulibus; nunquam pariter ab his expetendam fuiſſe, niſi perſpectiſſimam habuiſſent ſummæ obſervantiæ regularis in hoc Collegio converſationem.

Unde idem ipſum, quaſi provida, ac pro Conſervando ſacro Canonico inſtituto ſollicita mater multis aliis monaſteriis manum opitulantem ſuppoſuit jam jam ruituris aut rerum temporalium, aut regularis diſciplinæ defectu; quod inſigni ſuo commodo experta inter alia quàm plura, fuiſſe Cænobia *Riederenſe, Oeningenſe*, *Beijerenſe &c.* ſuo tempore prolixè oſtendemus. Atque his ſolùm obiter, brevitérque libatis jam non erit difficilè tantarum gratiarum, favorúmque dignoſcere rationem, quibus ſummi Pontifices, Concilia æcumenica, Imperatores, Principes, tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares, aliíque Magnates, ac potentes Creuzlinganum Collegium honorârunt, & exornârunt, ita, ut ipſi Reverendiſſimi Præſules tanquam ab antiquiſſimo tempore agniti, & reſpecti Abbates agnoſcerentur, Pontificalibus inſignibus dudum utendi jus à Suprema ſede obtinerent, primas eisdem in omnibus publicis Conventibus ante ipſum S. *Petri* domûs Abbatem Pontifices, Conciliáque vendicarent, opulentis bonis, Beneficiis curatis &c. dotarent.

Verùm utut excellenti gloria, ac Decore *Creuzlinganum* noſtrum Collegium eminuerat, non defuit tamen illi ingens, & penè importabilis tribulationis Caminus, quem eidem Deus præcipuè exardeſcere voluit, cùm pauló ante, fædus Helveticum, poſtmodùm verò exitiale incendium à ſectariis ſufflamatum oriretur. Tum enim, ut plurima vel unô verbô metiamur, nihil non mali nequitia hominum invenire potuit, quô Creuzlinganum iſtud Collegium non divexâſſet. Canonicorum ejectio ædium monaſterii primùm non paucarum demolitio, diminutio proventuum, evacuatio beneficiorum, ac demum totius ſacræ ſtructuræ ad imum devaſtatio penè ad unam concurrerunt miſeriarum calamitatem, adeò quidem, ut vix humano animo ineſſe tanta conſtantia, ac in Deum fiducia credi potuiſſet, quanta in Reverendiſſimo tum temporis Præſule *Jacobo Kentzinger*, ejúsque piiſſimo Succeſſore *Auguſtino Gimme* virere conſpiciebatur: dum nimirum reaſſumptis viribus quaſi contra ſpem credendo, ille novam ſtructuram orditur Eccleſiæ, iſte adjecto Monaſterii ædificio feliciſſimè omnia in priſtinum ſtatum reducit, ut fauſtiſſimo omine revocatis ad ſuæ profeſſionis locum Canonicis novum Collegium cum Reverendiſſimo Capite ſuo in Vigilia S. Legiſlatoris noſtri *Auguſtini* annô

1668.

1668. iterùm inhabitare concederetur. Fuêre ſanè hæc divinæ Juſtitiæ flagella tam reſolutis animis ſuſcepta quædam iterùm dulcis eis diſpoſitio ad meliora, ac proſperiora conſequenda; hinc benedictione cæleſti in dies locum iſtum ſubſequis temporibus protegente, præcipuè ad culmen veluti utriusque felicitatis ſeſe perveniſſe Creuzlinga ſub moderno ſapientiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Domino Præſule *Joanne Baptiſta* gratulatur. Conticeſcit, ac quaſi ſtupet hìc calamus ad magni hujus nominis ſignaturam, fatetúrque ſe ipſe, qui hæc ſcribit, impotentem exiguo, & ſynoptico folio exarare ejus viri laudem, merita, atque prærogativas, quibus multæ paginæ non ſufficient, quod ſuo tempore ipſo in opere experimentô càpietur.

Porrò unicum iſthìc ſubticere non poſſum, dudum nempè notiſſimum Ingentis noſtro operi literàrio exhibitum munificentiæ, ac liberalitatis beneficium, quò niſi gratioſiſſimè in ipſo hujus aſſumpti laboris exordio muniti, in progreſſu ſolidati fuiſſemus, vacillâſſet ſanè aliquamdiu, aut propè omninò inaniter corruiſſet. Iſtud ergò munus dum præ omnibus huic Reverendiſſimo, ac Ampliſſimo Domino Domino S. R. J. Prælato in acceptis referimus, dumque ulteriorem favorem noſtræ opellæ non defuturum, & ſperamus, & enixè obſecramus, ſimul longævos Regiminis annos innumeris votis apprecamur, quò, ùt nunc hoc eximium Imperiale Collegium omni genarum virtutum laude floret, ſic perennet in omne ævum.

Exiſtit propè Conſtantiam. Documenta ex Illuſtriſſimo hoc Collegio per Pl. R. D. Decanum Martinum Gôrz gratioſè nobis communicata. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 1081. Jacob. Manlius in Chron. Conſtant. Edit. piſtor. tom. 3. p. 744. Franciſc. Petri Suev. Eccleſ. à pag. 252.

S. Crucis Abbatia. Fundata ad an. Domini 1155. ab *Ottone* Mareſchallo *à Biberbach*, & *Catharina* ejuſdem conjuge, primùm quidem *Virgini Sanctiſſimæ*, & *D. Nicolao* dicata, ac in ſylva propè pagum *Matershofen* condita, at poſt quinquennium *Hamelburgum*, locum urbi Auguſtanæ viciniorem, tranſlata à *Conrado* Epiſcopo Auguſtano, demum annô 1194. ab *Udalrico* dè pleno Capituli Cathedralis cònſenſu in urbe, ubi nunc conſpicitur, collocata. Hic *Udalricus*, aliàs *Udalſcalcus* ideò pro primo hujus Cœnobii Fundatore paſſim aſſeritur. Sanctæ Crucis autem hoc in loco nuncupationem induit, quod hoſpitale anteà fuerit Sancto huic ſigno dicatum. Excellit Collegium iſtud inſigni prærogativà Miraculoſi Sacramenti hìc jam per annos 540. in ſanguineæ Carnis ſpecie videndi, ac adorandi, quod nobis quoque Auguſtæ Vindelicorum an. 1726. commorantibus peculiari favore conceſſum eſt ſubmiſſo poplite conſpicere, ac venerari.

Paſſum fuit hoc Collegium cum Cànonicis Religioſis inenarrabilia incommoda tum tempore prædominantis, ac ebullientis hac in urbe Hæreſis Lutheranæ, tum deinde bellorum injuriis, quibus in viciſſitudinibus maximè verò, ubi Suecus urbis dominium cæperat, inclytos Heroes, ac Conſtantiſſimos Eccleſiæ Catholicæ filios ſe ſe præfati viri comprobârunt, malentes relictô non ſolùm Cœnobiô, ſed ſupellectili univerſâ, ſola religioſâ paupertate, & firmiſſimâ in Deum ſtipati fiduciâ urbe emigrare, quàm Hæretici Principis pactis ſubſcribere. Tandem meliore favonio ſpirante, diſpulſo hoſte, Eccleſiâ cum Monaſterio reſtitutâ religioſi exules ingenti cum pompa ſanctiſſimum ſuum Deum Eucharisticum ſecum

ſecum reportantes urbem ingrediuntur, poſſeſſionémque ſui domicilii recipiunt.

Multi in hac Canonia extitêre viri doctrina, ac pietate notabiles, inter quos cumprimis memorandus die undecima Jan. an. 1737. defunctus Reverendiſſimus D. *Auguſtinus Imhoff*, Prælatus hujus Collegii per 26. annos celebratiſſimus, cujus gratiam & humanitatem nos in præſentiarum experti, ſatis quidem agnoſcebamus, ex qua radice eximiæ virtutes, & actiones ad omne exemplum compoſitæ procederent, quæ tamen non niſi poſt fata ejuſdem clariùs eluxerunt, dum incomparabilis, ac ſanctiſſimæ vitæ ſuæ curſum deſcriptum legimus in concione funebri publicè annô præfatô die 14. Januarii declamata: in hac enim reperimus, |virum fuiſſe, cujus acta nulla laudum ſeries, nulla piorum filiorum poſteritas condignè poterit commendare. Atque iſta interim de hoc eximio Præſul attigiſſe ſufficiat, quem gratanter in ipſo opere diffuſiùs laudare conabimur, ſi modò Canonicos liberaliores in communicandis ſuis documentis nacti fuerimus.

Exiſtit in urbe Auguſta Vindelicorum. Stengel. comment. rer. Aug. Part. 2. C. 39. Bruſch. Monaſteriol. pag. 400. Franciſ. Petr. Suev. Eccl. à pag. 101. Hierar. Auguſt. Part. 3. partit. 2. C. 1. pag. 391.

Curienſis Cathedralis:

Fundat. ſæc. I. ſæcular. Antiquiſſimam totius Germaniæ hanc eſſe quidam, maximè verò inter Rhetiæ Scriptores Bucelinus prætendit, fortè (ſi Diis placet) etiam à *D. Petro Rhetiam* percurrenti conſtitutam, & annos poſt D. *Petri* obitum non omninò centum *S. Lucii* Britaniæ Regis in Epiſcopatum Curienſem elevati dignitate decoratam. Hæc quidem in actis *S. Lucii* legi affirmat Baronius in Martyrologii Romani notis, néque nos contradicimus, ſed nec aſtruimus; utpote, qui ob aliorum veterum ſcriptorum altum de Epiſcopatu *S. Lucii* Silentium ſolis his actis non libenter ad aſſenſum urgemur. Intereà tamen magna Eccleſiaſticæ Diſciplinæ introductæ antiquitate venerandam eſſe Eccleſiam Curienſem profitemur liberè. Fuêre in hac ſede Præſules ſanctitate eximia fulgentes, quos dubitare non poſſumus Clerum ſuum juxtà Apoſtolica Conſilia inſtituiſſe, & in votiva Canonica vita diù conſerváſſe, quod ipſum penè certum habemus de *Paſchali*, ejúsque filio ſimul, ac ſucceſſore *Victore* circà annum 760. nec non de *Lupicino*, *Tellone*, aliíſque ſubſequis. Notabilis quóque occurrit ad an. 1331. & deinceps *Udalricus Comes Lenzburgius Canonicus Regularis S. Auguſtini*, qui quanta apud Principes Authoritate, quantâ apud *Ludovicum* Cæſarem gratiâ eminuerit, illorum temporum hiſtoria oſtendit. Unum, quod dolemus, eſt, nos necdum ullâ induſtriâ indagare Collegium potuiſſe, unde ad hanc dignitatem evocatus fuerat.

Interea cùm nobis de hoc Epiſcopatu pauciſſima documenta aut adſint, aut probentur, donec luculentiora obtineamus, filum quoad hujus hiſtoriam abrumpimus.

Bucelinus in ſua Rhetia ſacra profana per totum. Budæus Articulo de Curienſi Epiſcopatu. Stumphius &c.

Denkendorffenſe S. Sepulchri Præpoſitura.

Fund. an. 1124 Extinctum Hæc (quam minùs cautè in Elencho Abbatiam notavimus) nobiliſſimè an. 1124. à *Bertholdo*, vel *Bertolfo* nobili, & illuſtri fundata, multis Privilegiis tum ſummorum Pontificum, tum Principum confirmata atque munita, attamen ſæculo 16. Lutheranis ceſſit; cujus documenta varia, ac multa, cùm ad manum habeamus, ſuo tempore abundanter producturi ſumus, præcipuè oſten-

oſtendentes infelicem Monaſteriorum ſæculô 16. & 17. ſortem, quibus paſſim Lutheri ingluvies nobiliſſima religioſorum domicilia, bonáque abſorpſit.

Exſtitit in Duc. Wittemb. Docum. redivi. Monaſt. Wittenberg. p. 447. Franc. Pet. Suev. Eccl. p. 259. &c.

Fund ſæc. 9. Exſtinct. Dominarum, ſeu aliàs Tugurinum: Virginum Canonicarum Abbatia. Sic Bruſchius, Cruſius, Strumphius: & ex parte Bucelinus, niſi quòd improvidè addat: *ſub regula S. Benedicti.* At Dionyſius Sammarthanus dum apud Bruſchium, Cruſium, & Münſterum, hunc Parthenonem legit fuiſſe Monaſterium Canonicarum protritis ſecundùm libitum aliorum ſententiis, *potiùs*, ait, *cum Manlio dicendum initiò ſaltem fuiſſe Monialium ord. S. Bened.* Sed ex quo fundamento? niſi ex arbitrio propriæ libertatis. Certè nec Charta fundationis à *Ludovico* Rege Bojariæ ad an. 843. factæ extradita, nec alia vetera documenta id vel oſtendunt, vel arguunt, igitur cùm paſſim Canoniſſæ ab origine tales dicantur, potiùs tales quoque habendæ, quæ nempè diù ſecundùm regulam Aquisgranenſem vixerant in ſæcularitatem dilabentes circà annum 1524. ac deinceps omninò evanuère, dum earum poſtremâ Abbatiſsâ *Catharina Baroniſſa de Zimbern* mutante ſacrum velum in flammeum nuptiale, paulò pòſt totus parthenon effectus eſt Gymnaſium Sectariorum.

Exſtitit Tiguri ad ſiniſtram partem fluvii Limagi. Gall. Chriſt. tom. 5. pag. 937. Bruſch. in monaſteriol. p. 140. Bucel. in Germ. ſacr. t. 2. p. 173. Cruſius &c.

Fund 1294. Ord. Ciſt. Eſchenbachenſe S. Catharinæ Virginum Canonicarum Prioratus. De hoc nobis Wettenhuſanâ documenta ſequentia ſuggerunt, fuiſſe nempè in *Ergovia* Diœceſis Conſtantienſis ſub forenſi ditione Reipublicæ Lucernenſis hunc Parthenonem inſtitutum ſub *D. Catharinæ* Patrocinio ad an. 1294. à fundatoribus liberis Baronibus de *Eſchenbach*. Sed, quo tempore mutatum ſit Canonicum inſtitutum in Ciſtercienſe, non reperimus. Sammarthani hoc Cœnobium ponunt in territorio Lucernenſi, ajuntque à primo loco poſt luctuoſum incendium in pagum *Ober-Eſchenbach* fuiſſe tranſlatum. Primitùs tamen Ordinis Canonici fuiſſe omninò ſubticetur.

Docum. Commun. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 1100.

Ettelſtettenſe SS. Joannis, & Pauli M.M. Virginum Canonicarum Abbatia. *Fund an. 1126. Secular.* De hujus fundatione, ac Fundatoribus alleganda, quæ Stengelius ſcripſerat. *Edelſtettum*, inquit, *quaſi nobilis locus*, *vel nobilium puellarum locus*: *vel* (ùt eſt in antiquis Chartis) *Ottlinſtettum*, *Canoniſſarum Collegium Urſpergenſi monaſterio vicinum fundatum*, *& liberaliſſimè dotatum eſt annô 1126. à Domina Giſela*, *Wernheri Schwabeccii*, *& Baltshuſani* ... *Germana ſorore*: *quæ apud Lavinganos etiam Xenodochii*, *& domûs vectigalis conditrix fuiſſe memoratur*. Aſſentitur Stengelio Bruſchius eundem ipſum fundationis annum 1126. deſignans, nec minùs Bucelinus. An tanta ſit inter doctos controverſia de profeſſione *S. Mathildis* ſecundæ hujus Parthenonis Abbatiſſæ, ac præcipuè inter Canonicos Regulares, & Benedictinos, quanta inter Panormitanos, & Catanenſes (non de *Nativitate*, ſed de loco Nativitatis S. Agathæ) meâ non multùm refert aut affirmare aut negare, maximè cùm, ſi qua controverſia orta eſt, eandem

dem primò Hugo Menardus, & Bucelinus (noti pro domo propria advocati) dein Ægidius Rhambeck Schyrenſis in Bavaria monachus, demum Corbinianus Khamm Benedictinus pariter monachus ad SS. Udalricum & Afram in ſuo confixo prodromo, omnes nimirum, pauci, & parci in promenda libera, nullarúmque partium ſtudio velata veritate excitârunt. Quibus an *Stengelius*, *Engehardus*. utérque monachus unquam aſſenſum præbuiſſent, ſummè dubito. Rem pro Canonicis confeciſſe videtur doctiſſimus Papebrochius, dum in Commentario de *B. Mathilde* ſic inquit: *Hugo Menardus*, *& Gabriel Bucelinus eandem* (id eſt *S. Mathildem*) *ad diem 6. Julii Martyrologio Benedictino inſcripſerunt, & hos ſecutus dicitur noviſſimus Kalendarii Benedictini in 4. tomos extenſi Author Ægidius Rhambeck Schyrenſis in Bavaria monachus, allegátque Authorem vitæ Engelhardum monachum Ciſtercienſem Cœnobii Lankenheimenſis, quaſi is regulæ Benedictinæ à Mechtilde ſervatæ aſſertè meminiſſet. Sed neq; ibi, neq; alibi ullum talis aſſerti fundamentum apparet, aut veſtigium. Econtra Innocentius ſecundus Papa dato diplomate annô 1132. Confirmationis Collegii Diezzenſis expreſsè ſtatuit, ut Ordo Canonicus ſecundùm B. Auguſtini regulam in eadem Eccleſia futuris temporibus conſervetur. Et ita B. Mathildis in vita, cùm petiiſſet ex redditibus dotis ſuæ donari vicinis Eccleſiis panem in Altari conſecrandum, addit: id, quod petii, veſtra pie Hartvvice Præpoſite mihi præſtet gratia, & confirmetur conſenſu omnium Confratrum, & Dominorum meorum, hujus Eccleſiæ Canonicorum. Et in Elogio ipſius Præpoſiti Hartvvici apud Hundium, dicitur præter ſodalitium Canonicorum, & Sanctimoniales rexiſſe ſeparato clauſos Cœnobio: idq; ex moderatione, & prudentia, quam Beata Mathildis earum præpoſita perſpecta Sanctitas commendat. Præfuit Hartvvicus Præpoſitus ab annô 1132. uſq; ad annum 1173. & ſic uſq; in noſtram ætatem ibidem perſeverant præpoſiti eorum, qui Canonicam regulam ſub Hartvvico ſuſcepêre ſucceſſores, ut citra controverſiam videatur eiſdem adſcribenda B. Mathildis, monaſterium quoq; Oetilſtetinenſe ejuſdem cum Diezzenſi inſtituti fuiſſe vel ex eo colligas, quòd ex hoc ad illius regimen poſtulata Mathildis fuerit. Si quis nihilominùs dubitare vellet, huic apponetur Bulla Sixti quarti annô 1481. die 13. Kal. Nov. Pontific. annô 11. data dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii de Edelſteten Ord. S. Auguſtini Auguſtanæ Diœceſis.* Hæc Papebrochius, ùt eruditè, ac ſolidè, ſic verè.

ad diem 31. Maji tomo hujus menſis Septimo.

Sed occurrit geminatis ſpiculis exarmaturus viri Clariſſimi argumenta Corbinianus, ac omnia ejuſdem fundamenta eliſurus à numero 6. uſqúe ad 28. magnas ingenii vires congerit, & opponit, ſuum illud Oraculum propugnaturus n. 60. *Ego ſto pro Benedictinis.* Quia tamen pleræqúe hujus viri rationes oppoſitæ valdè nobis exiles videntur, ac vix refutatione dignæ, breviſſimis ſatisfaciemus.

Primum argumentum: *ex relatione Bucelini olim fuit Virginum Benedictinarum Cœnobium. Et præter Bucelinum, Hugonem, Menardum, & alios affirmat Ægidius Rambeck in Calendario Bened. ad diem 6. Julii.*

Reſpondeo: horum virorum Authoritatem ſinè lege, & teſte loquentium eſſe nullam, quia *nemo ſibi ipſi jus dicere debet.* Ulp. in L. 10. ff. de juriſd. &c. alioquin firmior mihi erit Authoritas ſolius Papebrochii meam ſententiam *propugnantis*, quàm Corbiniano qualecúnque teſtimonium Bucelini, Menardi, Rambeck id ſolummodò *aſſerentium.*

Secun-

Secundum argumentum: *Engelhardus vitæ Machtildianæ Scriptor in dedicatoria ad Dieſſenſes nuncupat Mathildem veſtram, ſed mox ſubjungit imò noſtram, adeóque Engelhardus. Ordinis Ciſtercienſis monachus Lanchaimenſis regulæ Benedictinæ profeſſus Mathildem ſeu Mechtildem, ob ſacrum ejus Corpus in monaſterio Dieſſenſi quieſcens adſcribit Dieſſenſibus, potiùs tamen (nominando noſtram) Benedictinis ob nullam certè aliam rationem, quàm ob regulam S. Benedicti à Machtilde obſervatam.*

Reſpondeo: S. Gregorius de Paſchali ſolennitate commentans quærit, an hanc *noſtram* debeat dicere, an *Angelorum*? hæc ejus verba, *Candor veſtis, ſplendorem noſtræ denuntiat ſolennitatis*, *noſtræ dicamus, an ſuæ*? quid ad hoc quæſitum reſpondiſſet Corbinianus? qui tantùm fa... inter *noſtrum*, & *veſtrum* diſcrimen, ubi tamen nullum eſt, nam reſolvit S. Doctor: *Sed*, inquit: *ut fateamur veriùs, & ſua dicamus, & noſtra &c.* Sic Eginhardus benè Dieſſenſibus ſcripſit: *hæc facta ſunt in Mathilde veſtra, imò noſtra.* Quomodo *veſtra*, quomodo *noſtra*? neque *veſtram* O Dieſſenſes in hoc ſenſu, quô Corbinianus autumat, hic nuncupavit *Mathildem*, neque *noſtram*: id eſt, quaſi *Mathildis* ideo eſſet Dieſſenſium, quòd ibi corpore humaretur: ideò verò *Ciſtercienſium*, aut ſi mavis *Benedictinorum*, quòd cum iis aliquando unum inſtitutum profiteretur. Sed Dieſſenſium dixit illam eſſe, quòd Diezzenſe monaſterium à Patre *Mathildis*, ſuaque proſapia fuerit fundatum, quòd à juventute in illo cœnobio educata, & eam ſanctitatem apud hos adepta ſit, ob quam ab Eginhardo vitæ ſuæ enarratione honoretur: at *noſtram* dixit, id eſt, *Lankhaimenſium*, quòd non minùs monaſterium iſtud à Machtildis Progenitoribus conſtruebatur, ùt teſtatur Hofmannus L. 1. Annal. Bamberg. n. 50. ad an. 1132. & Jongelinus in ſuo Ciſtercio: nec de hoc, puto, ullam eſſe controverſiam, ideò dixit Eginhardus ad Dieſſenſes, *in Mathilde veſtra*, ſed ſubjunxit, *imò noſtra*; quæ particula non eſt excluſiva, ſed communicativa: quaſi diceret, *in Mathilde veſtra*, imò non ſolùm veſtra, ſed & noſtra; id eſt, tam Dieſſenſium, quàm Lankheimenſium: neque video ex antecedentibus aut conſequentibus, vel umbram exſtare, quæ arguat Eginhardum voluiſſe Diſcurrere de inſtituto, ut legenti utramque epiſtolam patebit.

Argumentum tertium: *Annô 1133. moderna S. Auguſtini regula ex propria Canonicorum Regularium confeſſione omninò ignorabatur in Bavaria, ergò nec Mathildis, nec Dieſſenſe Cœnobium huic regulæ, atq; inde nec inſtituto poterat eſſe obſtrictum.*

℟. hoc debile argumentum adeò tritum, & enervatum, ſicut nec dubitare poſſum, Papebrochio perſpectiſſimum fuiſſe, ſic credo indignum ab eo æſtimatum, ut id vel reſponſo dignaretur; nos tamen quàm abundè id diſſolverimus, Exegeſis noſtra oſtendet. Unde breviter, & preſſè dico, Regulam *S. Auguſtini* etſi tunc ignoratam tam parum imò longè minùs obfuiſſe identitati Ordinis Canonici *S. Auguſtini*, quàm parùm monachis non ſolùm in Floriacenſi, ſed etiam in aliis Galliæ monaſteriis commorantibus obfuit, quòd *eam per multum tempus (ob intromiſſam enervationem regularis diſciplinæ, & obſcuratam regulam S. Benedicti) ferè incognitam haberent*, ùt manifeſtè teſtatur Mabillonius in Annalibus ſuis L. 43. n. 18. quamvis enim hi, id eſt, Canonici, in Bavaria ignorarent hanc in-

individuo noſtram modernam regulam Auguſtinianam, non tamen ignorabant ejus ſubſtantiam; quin habebant omnes tres ſermones S. Auguſtini in Aquisgranenſi regula dudum ſibi obſervatione notiſſimam. At, cùm ſæpiùs fortè audirent nominari regulam preſſè talem *S. Auguſtini*, monachorum regulæ ſimilitudine illecti demum quærebant & iſtam, ſed hoc nè in minimo immutâſſe inſtitutum Canonicum ad faſtidium penè oſtendimus in Exegeſi noſtra.

Argumentum quartum. *Sæculo IX. vita regularis non erat alia, quàm vita monaſtica, quæ utique ſæculi undecimi initiô necdum fuit in inſtituto Canonico, cùm igitur ad initium ſæculi undecimi fuerit fundatum Dieſſenſe, id eſt, annô* 1010. *utique (cùm ad initium ſæculi duodecimi nempe* 1105. *necdum à priori inſtitutione deflexerat) nec vixerit ibi S. Mathildis vitam oppoſitam regulari, id eſt, ſecularem Canonicam.*

℞. Leviſſimum hoc eſſe argumentum, quod ſi valeret, poſſemus ſanè omnium monaſteriorum, aut reformationes, aut relaxationes ad centum annos juxtà libitum differre, & dicere, exempli causâ, monachi S. *Benedicti* fuerunt in Turonenſi S. *Martini* an. 812. utique igitur etiam annô 900. cùm intereà certum ſit juxta Mabillonium, monachos ſuum inibi inſtitutum mutâſſe, & Canonicos factos fuiſſe annô 813. deinde præter monaſticum inſtitutum, vitam regularem, eamque votivam floruiſſe ſæculô undecimô, imò, & decimô apud Clericos, & in inſtituto Canonico, tam manifeſtum eſt ex Concilio Romano ſub Nicolao II. habito, ut potiùs compatiendum, quàm reſpondendum ſit hæc objicientibus, & in antiquitate hiſtorica tam peregrinis.

Argumentum quintum: *Ipſe Author Suevia, Eccleſiaſtica Franciſcus Petrus Canonicus Regularis Wettenhuſanus defendit, Edelſtettenſe Collegium non fuiſſe Regulæ S. Auguſtini addictum, ſic enim ille, cùm brevi Epitome retuliſſet in ſyllabo Abbatiſſarum Edelſtettenſium vitam B. Mathildis, exinde ſubjungens, ſed nec eſt, inquit, quòd quidam inde fortè blandiantur ſæpedictum Edelſtettenſe Collegium vel olim ſacra regulæ Auguſtinianæ morem geſſiſſe, ſiquidem nec Pontificia quædam Bulla Sixti quartì de dato* 13. *Cal. Nov. Annô* 1481. *(in qua Abbatiſſa, & Conventus Edelſtettenſis vocatur Ordinis S. Auguſtini) quidquam probat, cùm luce meridiana Clarius ſit, id temporis Edelſtettenſes Canoniſſas haud fuiſſe alias, quàm ſæculares, ſeu quales hodiedum ſunt, id eſt, ab omni regulari porfeſſione liberas, & immunes, quæ quamvis in antiquis Chartis nominentur Auguſtinianæ, ſanè non eſt, niſi (quod meliùs mox in Capite hiſtoriæ dicendum fuiſſet) quòd Giſela prima Edelſtettenſium Abbatiſſa cum ſuis in ſpecialem Patronum tutelarem delegerit ſibi S. P. Auguſtinum Epiſcopum, & Eccleſiæ Doctorem, dehinc ab eo Canoniſſæ Auguſtinianæ aliquando vocari ſolita.*

℞. profectò hæc dum à Petro deſcripta legiſſem, penè me cæpiſſe compati viro alioquin docto, qui in hac Criſi, adeò quid humani commiſit, ut mirandum plus, quàm refutandum exiſtimem: verùm re meliùs perſpecta video aliquantulùm eundem excuſari poſſe in hoc lapſu à ſe admiſſo; apparet enim ex paulò antè à ſe poſitis, ubi narrat relationi illi Eginhardi (qua ait, *paulò poſt Giſelæ Fundatricis mortem, domum dilapſam dilapidatam ſubſtantiam, & diſciplinam fuiſſe ſublatam &c.*) tanquam temerariæ nimis, imò, falſiſſimæ mordicùs obſiſtere, & omnimodis contradicere Edelſtettenſes domicellas modernas, conſtanter aſſeren-

ferentes de damnata hujuſmodi rerum immutatione, vel olim in pejus facta, nec ex tabulis domeſticis, neque ex traditione à majoribus relicta conſtare quidquam; ſed diſciplinam Canonicam à Giſela Fundatrice ſtabilitam, in hæc usque tempora nunquam non etiam per arduos fortunæ caſus ſartam tectam fuiſſe ſervatam. Hæc dum à Petro exarata legerem, adverti viri non tam in ſcribendo Criſim, quàm humaniſſimam erga Virgines Edelſtettenſes modeſtiam, quas piaculum duxiſſet novis Crabronibus irritare, ſi eam veritatem propugnaret, quam noverat aliundè ingentem jam tenerrimis Virginibus bilem moviſſe: quàm infeſtivum eivem, & malè feriatum gentilem ergo ſe his domicellis exhibuiſſet Petrus, ſi tam candidè toti mundo expoſuiſſet veritatem. At enim non potuiſſe tamen omninò celare ſenſum ſuum, quem alium mente conceperat, totus penè ejus diſcurſus manifeſtat, ùt legenti, & Petri aſſerta Solidiùs ſcrutanti apparebit.

Atque hæc pro Edelſtettenſi Parthenone ordini Canonico accenſendo ſufficiant, usque dum plura S. Mathildis vitam votivo-Canonicam producturi probabimus.

Igitur certiſſimum eſt, Ordinem votivò-Canonicum originariè in hunc parthenonem fuiſſe inductum, ſed ſenſim, & fortaſſe ſæculo XVI. extinctum: cùm ex præcitata *Sixti* IV. Bulla manifeſtè Conſtet an. 1481. inſtitutum iſtud regulare inibi adbuc viguiſſe. Neque ego exinde timeo illuſtrium hodie in Parthenone iſto Congregatarum Virginum adverſos animos, qui malo regularium priſtinarum laudatiſſimam, & ab omni ſæculari negotiatione expeditam toti mundo ad exemplum proponere innocentiam, quàm hodiernam cum ſæculo conviventium qualemcùnque demum converſationem; veritati ſcribere, non adulationi, in pretio duco.

Exiſtit non procul Ulmâ. Acta SS. Boll. 31. Maji tom. 7. Stengelius commentar. rerum Auguſt. part. 2. C. 33. p. 164. Franc. Petri Suevia Eccleſ. p. 294. Bruſch. Monaſteriol. p. 164. Bucel. Germ. ſac. t. 1. & 2.

S. Galli Abbatia. Nemo autumet, cùm hic notari *S. Galli* (illam nimirum non ſolùm per totam Helvetiam, ſed univerſam Germaniam notiſſimam, ac celeberrimam Abbatiam) videt, nos eandem inter noſtra Collegia recenſere; aliæ cauſæ fuère, quòd eam, & mappæ, & elencho noſtro insereremus, & primò quidem, cùm legamus *S. Gallum S. Columbani* diſcipulum Evangelii prædicandi cauſâ ſe in Rhetiam contuliſſe, ac anteà ordinatum fuiſſe Sacerdotem, quàm monachus eſſet, imò ùt videtur, non ſolùm hunc, ſed & *D. Columbanum* cum tota ſua Congregatione. Sic enim Walafridus, poſtquam Cap. 1. narraverat *Gallum* ſacerdotem, Cap. 2. ſubjungit: *Cùm hæc*, inquit, *agerentur, Cottidie B. Columbamus Evangelicam cupiens aſſequi perfectionem, ut videlicèt omnibus, quæ habebat, relictis, crucem ſuam tolleret, & nudus Dominum ſequeretur, conſilio ſuo egit cum fratribus, quorum animos idem fervor accenderat, ut ſpreta propinquorum, & prædiorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent, aſcendentes in navim venerunt in Britaniam, & inde ad Gallias transfretârunt &c. Tum primùm Comâ Capitis depoſitâ monaſticæ vita habitum voluntaria paupertate ſuſceperunt.* Ex quo non facilè concludes, quem, qualémve ſtatum hi viri obſervârint, Clericalem votivum, an ſtrictè monaſticum? Certè cùm *S. Gallus* primam

Fundat.

mam ſuam apud Helvetios Cellam conſtrueret, vitámque poſtmodùm mortalem cum æterna mutaret, ſcimus ibidem Clericos (non monachos) aliquos congregatos Corpus Sancti Cuſtodiviſſe. Hinc quoque Bruſchius ait: *Othmarum primum fuiſſe, qui circà annum* 720. *regulam S Benedicti ad S. Gallum introduxerat &c.* cùm annos verè Octoginta juxta eundem diſcipuli *S. Galli* dicantur nullum ordinem adhuc profeſſi, id eſt, ùt ego quidem interpretor, nullum ordinem monaſticum. Nam profeſſos eosdem fuiſſe Evangelicam paupertatem, ſuperiùs audivimus, ergò religioſi erant ſacerdotes, vel ſaltem in ſacris conſtituti pleríque eorum unàcum *S. Gallo* fuerant, quid ni igitur Clerici votivi?

Secundò: quòd tum ex præfato Warnafrido tum ex Ekkehardo Juniore habeamus, junctum ipſi *S. Galli* monaſterio arctiſſimè fuiſſe Clauſtrum Canonicorum; ubi ſcimus *Salomonem* illum (de quo Ekkehardus in ſuo libro de Caſibus monaſterii *S. Galli* multa) Canonicum fuiſſe, deinde Epiſcopum Conſtantienſem. In hoc Clauſtro vixerant Canonici, ſeu Clerici per multa annorum curricula teſte Walafrido, dum inquit: *Poſt Venerandi Patris, B. videlicet Galli Confeſſoris Glorioſam depoſitionem Cottidianas excubias apud ſacri Corporis ejus reliquias quidam religioſi Clerici, vel diſcipulatûs ejus memoriâ vel divino amore ſuccenſi per multa annorum curricula, ſcilicèt quaſi à temporibus Dagoberti Regis usq; ad Karolum Patrem Carolomanni, & Pipini ad laudem Chriſti adminiſtrabant.* Neque hi monachi fuerant, eò quòd in eodem Capite Walafridus teſtetur *Othmarum* priùs Curienſis Eccleſiæ Clericum dein *Monachum*, primùm *regularem inibi vitam inſtituiſſe. Et undique verſùm habitacula, monachorum uſibus congrua, diſpoſitè conſtruendum ap-taſſe, atq; ex illo tempore monaſticâ vitæ in Cœnobio S. Galli exordium cœpiſſe.* Adeóque priùs à tempore aut mortis, aut adhuc viventis *S. Galli* in illa Cellula, & incœpto Cœnobio Clerici erant, non monachi, qui ſanè occaſionem, cauſámque dediſſe videntur, ut deinceps hi Clerici non avellerentur à monaſterio, ſed ſuô modô conjuncti manerent monachis, id eſt, ùt dixeram, in clauſtro ſeparato, ſed ſub eodem *S. Galli* titulo, ac patrocinio conſervati: hique Clerici, ſeu Canonici partim pulſantes erant, partim in ſuo inſtituto perdurantes, de quibus, nos in Exegeſi noſtra.

Tertiò deníque: placuit hanc Abbatiam potiùs (honoris causâ) quàm alteram, eamque Præpoſituram, nominare; quippè quam Wernherus San-Gallenſis Abbas annô 1128. deſignatus peculiari in Canonicos Regulares affectu propendens magnis ſui monaſterii ſumptibus antè muros Gallenſes in honorem *S. Leonardi* conſtruxit, henéque dotavit, ùt narrat Burchardus, Eccleſiam quoque *Itingen B. Gallo* per induſtriam ſuam aquirens, Cœnobium illic Clericorum, & Sanctimonialium conſtruxit. Has ſub nomine Matricis, eò potiore jure hìc, & in mappa proferre oportuit, quò congruentiùs eſt, proles ſub nomenclatura Parentum innoteſcere.

Porrò nè videamur de his duobus monaſteriis ſinè teſte loqui, ſubnectimus, quæ Galliæ Chriſtianæ noviſſimus Editor in Wernhero conſignât: *Cùm ſuis temporibus monaſterium eſſet opulentiſſimum, ùt ſcribit Otto Friſingenſis: ante muros San-Gallenſes Præpoſituram S. Leonhardi pro regularibus aliquot Canonicis ſuis ſumptibus exſtruì curavit, dotavitque: tum etiam ex arce Ittingenſi puellare Cœnobium fecit, & Collegium duodecim Canonicorum Regularium, ſed hæc ambo*

bo monaſteria nunc exſtincta videntur. Profectò illud *S. Leonhardi* affirmat Bruſchius ſolummodò trecentis quinquaginta annis ſtetiſſe: Annui illius reditus San-Gallum ſunt translati. De iſto autem nihil certi novimus.

Exiſtit ad Fanum S. Galli Gall. Chriſt. t. 5. Col. 945. & 946. & 959. Bruſch. monaſteriol. p. 421. Auth. cit.

Fund. 1070 Floret. S. Georgii Abbatia. De hujus antiquiſſimi non minùs, quàm inclyti Collegii origine audiendus Stengelius Abbas Anbuſanus in *Embricone* 28. Epiſcopo Auguſtano ad an. 1070. *Hactenus*, inquit: *Epiſcopi cum ſuis Canonicis vitam communem, & Apoſtolicam nullius omninò rei proprietatem ſibi uſurpantes ſectati ſunt; ſed cùm paulatim à regulari tramite deſciſcere cœpiſſent, communem vivendi morem abjecerunt, præter duos vel tres, qui ſibi extrà civitatem, quandam Cellam, ſeu Oratorium S. Georgii Conſtruxerunt, in quo, ut communem, & regularem vitam obſervarent, Epiſcopus liberaliter omnem victum, & veſtitum ipſis ſubminiſtravit: præfuerúntque iisdem Epiſcopi, donec illis, per Sibithonem Epiſcopum poteſtas facta eſt eligendi Præpoſitum. Siquidem jam ante Waltherus Epiſcopus verterat in Cœnobium cellam prædictam poſt 75. annos à primaria fundatione.* Hæc Stengelius. Cujus viri doiaſſimi effatum, certè pluris mihi eſſe debet, omníque veritatis amanti, quàm nuperi cujusdam ſcriptoris Jejunus, & elumbis prodromus, cujus aſſertiones, quemadmodùm pridem elidit doctiſſimorum longè antè ipſum ſcribentium calamus, ſic (ùt jam aliàs monuimus) nec dignas refutatione repetitâ æſtimamus. Hinc ubi ait: *Canonicos illos Cathedrales vita communi valedicere recuſantes eandem obſervaſſe, ſed non regularem juxtà regulam S. Auguſtini.* Si Exegeſim noſtram quoad id, quod de regula veterum Canonicorum ſcripſimus, legere potuiſſet, vidiſſet haud dubiè, quantùm per iſtam exceptionem profecerit, quam nos ex parte ipſi admittimus.

Non diù tamen in hoc loco perſtiterant Canonici, cùm novum illis intra muros urbis Auguſtanæ monaſterium honoribus æquè *S. Georgii* ſacrum condidit *Waltherus* 31. Epiſcopus, an. 1142. abſolutum. Inde crevit celeberrima hæc Canonia religioſorum non minùs virtute, ac ſcientia, quàm Benefactorum liberaliſſimâ munificentiâ. Inter reliquos eximiæ commendationis Dominos Prælatos, ſi non primam, certè primæ proximam laudem ſibi vendicare poteſt *Joannes Reicherus*, qui ob dotes, & tempori, & officio aptiſſimas ab ipſo Summo Pontifice totius Auguſtanæ Diœceſis anno 1419. conſtitutus eſt Vicarius Generalis, cúmque id omnimodis vir ſummæ modeſtiæ acceptare renueret, eidem iteratò illud ſub pœna privationis demandatum eſt; quod ille quanta circumſpectione geſſerit, ſuo tempore enarrabimus.

Porrò hìc illa Stengelii verba non negligenda, dum ait, *præfuerúntque iisdem* (id eſt Canonicis in illa Cella *S. Georgii* primæva) *Epiſcopi, donec illis per Sibothonem Epiſcopum poteſtas facta eſt eligendi Præpoſitum.* Animadvertit jam, incuſavítque hunc errorem in ſua Suevia Eccleſiaſtica Franciſcus Petrus, oſtendítque hanc poteſtatem eligendi Præpoſitum diù ante Sibothonem Georgianis obtigiſſe, nempe dum *Waltherus* prædictum Oratorium in formale monaſterium conſtituit, id eſt, circà an. 1135. ùt patet manifeſtè ex diplomate *Waltheri* eòdem annô conceſſo.

Unum tamen reticere ex occaſione hujus diplomatis non licet, quod Authori tertiæ partis Hierarchiæ Auguſtanæ ſuggeſſit reflexionem ſuam faciendam; nè ſcilicèt, ubi ubi poſſet, impugnare dimitteret antiquitatem Canonici inſtituti, ſub ſpecie tamen ſemper integerrimæ concordiæ, ac pietatis. Ait ergò ex hoc diplomate elucere *Canonicos Eccleſiæ S. Georgii communi vitæ* (quam ab exordio Cathedralis Eccleſiæ Auguſtanæ usque ad annum 1070. vel 1072. cum omnibus aliis Cathedralibus Canonicis obſervabant) *valedicere recuſantes, necdum vixiſſe ſecundùm modernam* S. *Auguſtini regulam, donec annô* 1135. *tam donationem Eccleſiæ S. Georgii, quàm aſſumptæ vitæ Canonico-Auguſtinianæ in Eccleſia S. Georgii exercendæ inſtitutionem, à Walthero Epiſcopo (concurrentibus Canonicis Cathedralibus Auguſtanis) acceperunt: Si enim Canonici Sanct-Georgiani ante annum* 1135. *vitam ſecundùm regulam S. Auguſtini vixiſſent, eos hoc annô, ut vitam, & communem, & Apoſtolicam ſecundùm regulam B. Auguſtini obſervarent, Waltherus Epiſcopus cum Canonicis Cathedralibus noviter non inſtituiſſet.* Hæc ille.

Miror autem bonum virum tam facilè momoriâ lapſum, non ſe in hac reflexione ſua reflexiſſe, quod ipſe paulò ante in Chronologia San-Georgiana notaverat his verbis: *Intra urbem translatum, ex Cella oratoria annô* 1135. *Conſurgit monaſterium Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Fundatore Walthero, Comite Palatino de Tübingen (Canonicis Cathedralibus Symbolum æquè conferentibus) Auguſtano Pontifice, Eccleſiam poſthac ad perfectionem perductam, annô* 1143. *in S. Georgii honorem conſecrante.* Ergò ad oculum liquet privilegium *Waltheri* datum eſſe novo huic monaſterio, in quod Canonici dudum regulariter in Cella *S. Georgii* viventes annô 1135. translati ſimul regulam *S. Auguſtini* non tam aſſumere cœperunt, quàm ſe vivere, & obſervare aſſeruerunt. *Regulam*, inquam, *S. Auguſtini*, at neutiquam eodem modo eidem obſtricti, quo Benedictini regulæ ſuæ, *Waltherus* diſertè ait, in ſuo diplomate, quòd *Matricis Eccleſiæ Canonici unàcum ipſo Walthero in Eccleſia S. Georgii Martyris* (non in Cella, quæ extra muros urbis erat) *vitam communem, & Apoſtolicam ſecundùm regulam B. Patris Auguſtini Confeſſoris, atq; Pontificis unanimiter, & immobiliter inſtituerunt. In Eccleſia*, inquam, *S. Georgii* noviter erecta, atque dotata, novóque monaſterio proviſa. Hoc diploma *Waltherus* edidit notum volens eſſe univerſis per terram fidelibus, cur hanc Eccleſiam conſtruxerit, & cui eam dimiſerit, & quod inſtitutum induxerit; ideò dicit *vitam Apoſtolicam, & communem ſecundùm regulam B. Auguſtini ſe inſtituiſſe*; *ſecundùm regulam* inquam, ſic enim tùm receptum jam erat, ut paſſim hujus S. Doctoris regula nominaretur, quæ in regula Aquisgranenſi luculentiſſimè præ omnibus reliquis expropriationem Apoſtolicam proponeret: atque ſecundùm hanc regulam fermè omnes Canoniæ Regulares hoc tempore inſtitutæ ſunt. Ut ideò ſibi ipſi Author Hierarchiæ fucum faciat, dum regulæ ignorantiam in *Gerocho* adducit pro annô 1133. eandem enim, quam habuit *Gerhohus*, habuit pro certo & *Waltherus*, & ipſi Canonici San-Georgiani; imò habuit, ùt firmiter Credo, tota Germania Canonica, alioquin *Gerhohus* non Romam, ſed Auguſtam, aut Salisburgum profectus fuiſſet ad indagandam hanc regulam. Igitur profitebantur vitam communem ſecundùm regulam

S.

S. Auguſtini, illam, quæ in duplici ſermone, quin, & triplici, ùt aliquando ex Auguſtino Ticinenſi obſervavimus, ad Clericos continebatur. Qui ſermones trini, cùm genuinæ, & primævæ regulæ Aquisgranenſi inſerti eſſent, neſciebat *Gerhohus*, quænam ex his tribus ſermonibus propriè regula dicenda eſſet, ſecundùm quam vivere ſe profeſſus erat. Secundùm hanc regulam autem vixerat *Gerhohus* jam Præpoſitus Reicherſpergenſis annò 1137. obtinuítque privilegium à *Conrado* Archiepiſcopo, quamvìs in toto privilegio nè nominetur quidem ipſa, ſed ſolùm dicatur: *Notum eſſe volumus nos ad ſuſtentationem Chriſti pauperum in Richerſperg Deo ſub communis vita regula ſervientium quædam contuliſſe &c.* Secundùm hanc *Petrus* Pictavienſis Epiſcopus annò 1095. reformavit Aureæ Vallis Canonicos (a) Secundùm hanc ſuos Clericos votivè vivere fecit Aroaſiæ *Cono* Presbiter (b) Secundùm hanc Marbacenſes Canonici eodem penè tempore vitam communem regularémque aſſumpſerunt (c) ſecundùm hanc *Chuonardus* ſeu *Conradus* Archiepiſcopus Salisb. reduxit ad votivam converſationem an. 1110. Cathedrales ſuos (d) atque nè nimius ſim, ſecundùm hanc deníque iidem ipſi, de quibus adverſarius noſter, Reichenſpergenſes jam annò 1084. vixerant, quamvìs nemo eorum noſſet hanc, quam nunc habemus in particulari regulam, quæ tum primò aliquantùm innoteſcere cœpit, cùm *Innocentiùs II.* præciperet in Concilio Romano 1131. habito, ut quivis Religioſus Ordo certam ſibi regulam aſſumeret ſub quo ſe Deo militaturum ſponderet. Aquisgranenſis regula tres ſermones *S. Auguſtini* continens Canonicorum omnium erat norma vivendi, ſæculares eliminabant hos, quòd ipſorum proprietati contrairent, regulares multa in illa ſuperflua negligebant, demúmque cùm paſſim regula Aquisgranenſis Centonis more dilaceraretur, relicta illa profitebantur Canonici regulares ſe ſecundùm regulam *S. Auguſtini* vivere, ac tum maximè profitebantur, cùm decretum illis *Innocentii* innoteſceret, ſed an hoc ſit novum inſtitutum profiteri, quisque prudens arbiter judicet, combinatis præcipuè iis, quæ de regula in Exegeſi diximus, ut adeò inanis planè, ac frivolus labor ſit Authoris Prodromi Hierarchiæ per hoc diploma Canonicis San-Georgianis (quòd cum primùm dicatur ſecundùm regulam *B. Auguſtini* communem vitam, & Apoſtolicam Waltherus pro iis inſtituiſſe) novum inſtitutum affingere, quia enim necdum litteris cautum erat ab Anteceſſoribus, quid Cathedrales abjectâ hâc communi vitâ providiſſent, ſcilicèt, ut ea ſaltem conſervaretur in Eccleſia ipſis affini, id fecit Waltherus narrando, & notum faciendo univerſis per orbem fidelibus, quamvìs ipſa hæc Apoſtolica votiva converſatio exſtincta ſit in Cathedrali, vigeat tamen adhuc in Eccleſia *S. Georgii* à ſe noviter exſtructa. Reliqua, quæ in ſuis reflexionibus Author excogitavit, cùm nullius planè ponderis, ac momenti ſint, facilè ſine ulla alia reflexione evaneſcunt.

(a) Berthol. ad an. 1095

(b) acta apud Bol. in vita B. Joa. Morin.

(c) Berthold. Conſt. ad an. 1098.

(d) Chron. Reichers. ad hunc an.

Sic fundatis San-Georgianis non defuêre permagnæ adverſitates perferendæ: Lis imprimis, quam malus genius inter ejusdem inſtituti Præſules ſuſcitâſſe de præcedentia dicitur non exiguo tempore perdurans tandem San-Georgiano palmâ attributâ. Poſtmodùm cùm Lutheri hæreſis urbem Auguſtanam immodicè defædâſſet, jungitur monaſterio ſacro templum Sectariorum annò 1552. ipſo Domino Præſule *Jacobo Salt-*

cETO nequidquam diù reclamante; quod cùm *Michael* ſucceſſor tandem ſuo monaſterio vendicatum annô 1629. diruiſſet, fatale alterum negotium faceſſivit, quo imprimis Navis *Eccleſiæ* Lutheranis, demum ipſa tota à Rege Sueciæ (urbem Auguſtanam obtinente) annô 1632. adjudicabatur, religioſis Canonicis ad loca aliena pulſis, & tamdiù exulibus, dum piiſſimus *Ferdinandus* reſtituendam cum monaſterio Eccleſiam mandaret annô 1635. longior eſſem ſi incendia, aliáque his temporibus ſe ſe quaſi invicem excipientia pericula, infortuniáque deſcriberem, Deo tamen ſemper ſuorum probante patientiam, ac ipſam Conſtantiam coronante, dum ex his omnibus ſuaviter demum religioſos hos viros eripuit, ac quieti reſtituit.

Ita quidem, ut modernis temporibus hoc Collegium inter præcipua Sueviæ monaſteria emineat, tum prærogativâ obſervantiæ regularis, tum ædificiorum magnificentiâ, tum inſignis, & egregiæ informatæ Bibliothecæ præſtantiâ. Omittere autem non poſſum, quin vel modicam memoriam obſervem Reverendiſſimi, ac Ampliſſimi Domini *Melchioris* annô 1737. feliciſſimè, ac prudentiſſimè hujus inclytæ Canoniæ Clavum tenentis, cujus eximiam benevolentiam tum præcipuè experti ſumus, cùm eidem ſupplices noſtras communicandorum ſui Collegii documentorum pro adornanda hiſtoria noſtra transſcriberemus: ea namque humanitate reſponſorias propria manu ſua exaratas ad nos direxit, ut in ipſo meritò operis noſtri intenti peculiarem Patronum, ac promotorem nobis ſpondere poſſemus. Quem ideò optamus favente Numine diù incolumem perennaturum.

Exiſtit in urbe Auguſta Vindelic. Stengel. Comment. rer. Aug. P. 2. L. 29. n. 13. Doc. Com. &c.

Genevenſis S. Petri Cathedralis. *Fundat. ſecular.* Inter antiquiſſimas hæc Eccleſia meritò numeranda, primum Epiſcopum habuiſſe S. *Panthalum* dicitur: à *Friderico* primo multis privilegiis, ac libertatibus dotata Clerum habuit, aluítque ſufficientiſſimum. Non quidem ambigimus, veluti in quibúsque aliis Eccleſiis Cathedralibus, ſic, & in iſta vitam communem viguiſſe, verùm quemadmodùm jam alii ſcriptores ante nos monimentorum veterum defectum ingemuêre, eundem, & nos conquerimur, plura, & luculentiora daturi, niſi graviſſima Sectariorum devaſtatio, quidquid ad commendationem hujus Epiſcopatûs ejúſque priſtinam hiſtoriam pertinet, conſumpſiſſet.

Exſtitit Genevæ, ſed nunc Eccleſia Cathedralis facta eſt ſedes Prædicantium Lutheranorum. Münſterus in ſua Coſmographia p. 292. Stumph. Chron. Helvet. Bucel. Germ. Sacr. part. 1. p. 58. Merian. in Helvet. p. 61. Cratepolius p. 115.

Herbrechtinganum S. Dionyſii. Præpoſitura. *Fund. an. 1144. Extinſt.* Antiquitate non minùs quàm eximiorum virorum, olim in ea exiſtentium, honore veneranda, quam an. 1144. fundâſſe dicitur pro Canonicis ſæcularibus *Fridericus Barbaroſſa*, ſed poſtmodùm annô 1171. in regulares mutâſſe. Verùm qui hoc aſſerunt, non videntur ſatis ſenſum *Friderici* aſſecuti fuiſſe, cujus verba in ſuo diplomate annô 1171. edito ſic ſonant: *Notum facimus univerſis Imperii noſtri fidelibus, tam futuris, quàm præſentibus, quòd nos divinæ retributionis intuitu in loco Herbrechtingin propè fluvium Brenœ ſpiritualis*

lis vitæ inſtitutionem reparare cupientes, ſæculares Clericos, qui ordinem, & cultum ſpeculativæ vitæ nimiùm exceſſerant, ſpontanea, & voluntaria eorum deliberatione competenter amovimus, ita quòd conſentiente, & ſuffragante dilecto noſtro Conrado Auguſtenſi Epiſcopo, cum Matricis Eccleſiæ Canonicis, Abbatibus quoq́, & Præpoſitis cum univerſo Clero, & miniſterialibus religioſos, & boni teſtimonii viros Adelbertum ſcilicèt Præpoſitum, & Comites ejus Clericos, ac fratres Regulæ S. Auguſtini, ex Venerabili Herdenſium conventu Canonica vocatione conſequenter aſſumpſimus. Patet igitur ex his *Friderici* verbis, eundem non fundâſſe monaſterium Herbrechtingen pro *ſæcularibus* Clericis, ſed hos (ordinem, & cultum ſpeculativæ vitæ nimiùm excedentes) in *ſæculares* hôc modô contrà voluntatem piiſſimi Fundatoris ſe mutâſſe. Credibile ergò eſt, eosdem fundatos fuiſſe ſecundùm regulam Aquiſgranenſem, *Hieronymi*, *Sylveſtri*, *Urbani*, vel etiam *S. Auguſtini*, quos dein Imperator novâ hac reformatione inductâ, cùm ipſi eandem recipere nollent; liberè amoverit. Cæterùm poſtquam hoc Collegium per multos annos privilegiis, ac dotationibus utriúsque fori egregiè fulcitum ſub priſtina Canonica diſciplina immaculatè duraverat, hæreticorum impietate diverſimodè jactatum, demum annô 1648. ſuccubuit, dum pacia Weſtphalicæ pactis idem his graſſatoribus in prædam ceſſit, ipſo tum piiſſimo, ac Zeloſiſſimo Præpoſito *Franciſco Pappo* unàcum ſua Colonia Wettenhuſium, unde venerat, redeunte.

Exſtitit propè Heidenheim ad Brentium amnem. Franciſc. Pet. Suev. Eccleſ. p. 404. Bruſch. Monaſteriol. 7. Documenta rediv. Witenberg. p. 961.

Interlacenſe: Abbatia an Præpoſitura, *Fund. Exſtinctum.*

necdum reperi, nihil enim notitiæ occurrit, niſi quam Bucelinus exhibet, dum inquit: *Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Monaſterium, à lacubus binis Ærgoviæ, quos inter conditum eſt, ſic appellatum, quod fundavère ſub annô Chr.* 1200. *ab Oberhofen, & Riedt:* pauca adhuc ſuperaddit Stumphius ſuo tempore referenda. Nunc Hæreticis ſubjicitur.

Exſtitit infrà urbem Thun. Bucel. Germ. ſac. part. 2. p. 48. Stumphius. Chron. Helvet.

Intermontenſe S. Mariæ Abbatia: *Fund. an. 1152. Exſtinctum*

Hujus aliquantam notitiam obtinere licet ex Biographo Venerabilis Sizenſis Cœnobii Præſulis *Pontii*: qui ait fundatam fuiſſe à Comitibus Genevenſibus de *Faucigni* circà annum 1152. prima Colonia per hunc Venerabilem Prælatum ex Abundantina Abbatia illuc deducta. Incrementa hoc Collegium ſumpſit eximia; neque enim exile fuiſſe videtur, quod reperitur in ipſa Camera Apoſtolica taxatum. Succeſſu temporis annô ſcilicèt 1279. Congregationi *S. Rufi* ſe ſubmiſit. Non credo autem, utpote medios inter heterodoxos ſituatum, ampliùs priſtino ſuo flore vigere.

Exſtitit propè lac. Genev. Bucel. Germ. ſac. Part. 2. p. 48. de Paſſier in vita Ven. Pontii C. 8. de Guichenon Bibliot. Beſſean. p. 190. & 191.

Inzckoffenſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Præpoſitura. *Fund. an. 1391. Floret.*

Annô 1391. ùt videtur fundata, ſed ſubſequô 1394. Canonicô inſtitutô inſignita, cùm anteà Virgines ſacræ iſthìc ſe colligentes regulam *S. Franciſci* profiterentur. Prodigium aliquod ad hoc Collegium iſthìc locorum conſtruendum cauſam de-

diſſe Franciſcus Petrus memorat; ſed nos hac de re, uti, & de pluribus aliis iſtum Parthenonem concernentibus clariorem informationem obtinendam ſperamus. Diſciplinam regularem in hoc Gynæceo obſervari ad amuſſim per aliquot ſæcula audivimus, inſuper ex relationibus habemus, aliquot piiſſimas Virgines, etiam cum nota ſanctitatis, innocentiſſimam vitam ſuam in eodem finiviſſe; quod non adeò mirum, quamvis laudatiſſimum: quippè cùm ſub directore, ac Viſitatore Reverendiſſimo nimirum, ac Ampliſſimo Domino Prælato Creuzlingano, tantæ virtutis ſemel cœptæ integritas non poſſit non in perpetua tempora feliciter perdurare.

Exſtitit propè Buchovium Franc. Pet. Suev. Eccleſ. p. 450. docum. communic.

Fund. an. 986. Exſtinct.

Kircheimenſe Virginum Canonicarum Prioratus.

Jam olim annô 986. exortum, ſed in quo ſe quædam devotæ Virgines ſinè ulla peculiari regula victuræ collegerant, donec demum an. 1214. Octoginta ſex congregatis regula S. *Auguſtini* ſecundùm Canonicam vivendi formam amplectenda concedebatur (Epiſcopo Conſtantienſi Henrico ſemper renitente) à legato Pontificio Cardinale Aurei Vexilli *Petro*. Sed non diù perſtitiſſe in hoc inſtituto docet annus 1267. tum enim Ordini Prædicatorum Bononiæ inſcriptæ, & incorporatæ fuêre. Nihil eſt, quod iſthic aſſertum Bucelini refutemus dicentis: *Kircheimenſem hunc Parthenonem primùm Ordinis Benedictini fuiſſe.* Dum enim manifeſtis documentis contrarium remonſtrat Cruſius, nos nolumus gratis talibus occupari. Nunc paret hic locus Heterodoxis, cujus lamentabilem mutationem amplè deſcipſit Author document. rediv. Monaſt. Wittenb. quæ, quia noſtri ampliùs fori non ſunt, ibidem legi poſſunt.

Exſtitit propè Teccam. Franciſ. Pet. Suev. Eccleſ. p. 461. Bucel. ſac. part. 2. p. 50. Docum. Rediv. Wittenberg. Monaſt. tom. alt. de Virg. p. 211. & 548. ſeq. Gall. Chriſt. tom. 5. Col. 915. Cruſius in Paralip. ad Ann. Suev. C. 10. & 24. & part. 3. L. 1. C. 11.

Fundat ... Exſtinctum.

Konnizienſe Prioratus.

Vetuſtiſſimúmque apud Helvetos Can. Reg. Collegium, quod filia Canoniæ Interlacenſis, nunc Calviniſtis ſubeſt omni religione deſtitutum. Wettenhus. Docum. Langius. part. 1. fol. 693.

Fundat. .. Secular.

Lauſanenſis Cathedralis.

Quamvis hujus quoque Eccleſiæ hiſtoria in meris obſcuris lateat, eam tamen inter noſtri inſtituti Clericos aliquando floruiſſe vix dubium eſt, præcipuè dum à ſæculi VI. fine propriæ ſedis Epiſcopos obtinebat, eoſque magni nominis, & eximiæ virtutis viros: inter quos cùm *Aricus* ſive *Aricius* Concilio Cabilonenſi intereſſet, haud dubiè diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Clericalis tunc eximiè reformatæ leges ſecum ad reducendos Clericos ſuos, ſi quos fortè recalcitrantes habuerat, Lauſanum detulerit. Ut nil dicam de *Udalrico*, *Fredario*, *Paſchali*, Regulæ Aquisgranenſis puræ, ac ſinceræ præclaris æmulatoribus.

Hâc tamen Cathedrali, Calviniſtarum furore extinctâ Canonici dudum ſæculares Friburgum Briſgojæ oppidum tranſlati ſunt.

Bucel. Germ. ſac. Part. 1. pag. 58. Münſter. Coſmagrap. pag. 751.

Fundat. floret.

Leuſenſe Virginum Canonicarum Prioratus.

Quem Seduni exſtitiſſe, ſed poſtmodùm tranſlatum ad Auguſtam Prætoriam

am ibidem adhuc præclarè florere didicimus.

Exſtitit Seduni. Docum. Wettenhuſana. Bucel. Germ. ſac. P. 2, p. 82.

Fund. an. 1136. Exſtinct.

S. Leonardi Prioratus.

De hujus exordio ſequentia legimus io libello *Baſilea ſacra* ioticulato: *Adalbero Epiſcopus annô* 1136. *rogatus ab Eppone Presbitero Parochiam S. Leonardi Baſileæ, aſſentientibus Canonicis, mutavit in regularium Ordinis B. Auguſtini, additis quibusdam prædiis, quam commutationem Innocentius II. Pontifex approbavit Romæ in Laterano datis litteris annô* 1139. hoc Collegium ſucceſſu temporis Windeſemenſi Coogregationi unitum eſt, poſtquam id per Canooicos Bodeckenſes reformatum fuit, ùt teſtatur Buſchius. Habuit id viros complures eruditos, quorum lucubrationes ioootuerunt. De quibus nos ſuo tempore agemus, nunc de eo nil aliud niſi nomen ſupereſt.

Exſticit Baſileæ in urbe. Baſil. ſac. p. 196. Buſch. de refor. monaſter. L. 1, c. 6. Docum. Wettenhuſ.

Fundat circa an 804. ſæcular.

Lindavienſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Abbatia.

Sæculi noni initiô huic parthenoni exordium dediſſe ſcribitur Comes *Adelbertus*, ſacríque Palatii Magiſter, dum id exſtruendum Virgini Beatiſſimæ devovit Acronii fluctibus jam prope ſubmergeodus. An Benedictinæ familiæ nuncupaverit ipſe Cœoobium vix adducor, ut credam. *Ludovici* Imperatoris diploma an. 866. editum de regula Benedictina nè verbum profert; quodque ad rem ooſtram, ad finem, de electione Abbatiſſæ ioquit Imperator: *Conſtituimus, ut quando divina vocatione Abbatiſſæ præfati monaſterii ex hac luce migraverint, quamdiù ipſa ſanctimoniales inter ſe tales invenire potuerint, quæ ipſam Congregationem ſecundùm regulam ſuam bene regere prævaleant, eligant, ſin autem; firmiſſimam licentiam alias eligendi Dominas cum conſenſu Regis vel Imperatoris habeant.* Hoc eligendi privilegium, alioquin regulæ *S. Benedicti* conforme, *Ludovicus* adducit. regulam nominat, Benedictinam altè ſilet; cùm tamen io aliis ſuis diplomatibus diligenter hic Princeps ejus memoriam præcipuè in hoc puncto inſeruerit. Præterquam quòd monachabus inſolitum legamus tunc titulum *Dominarum* adjectum, potiùs certè Canoniſſis proprium. Inſuper ab omni vocabulo monaſtico longè abſtrahit ſubjectas Veſtales, Abbatiſſæ Conſorores, nec non *Canonicos famulantes* adjunctos ipſis dicit, non *monachos*; omnia hæc potiùs videntur pro Virginibus Canonicis tum noviter per regulam Aquisgranenſem reformatis militare. Exiſtimo autem regulam Benedictinam ſæculô undecimô Inductam, ſub *Ota* ſeu *Ivota* paulò pòſt annum 1051. quippè quòd diſertè ſcribat Bruſchius: *Ivota vidua, ac religioſa præficitur Canoniſſarum Collegiis Lindaugienſi, & Buchaugienſi jam planè à veteri, ac prima piè, moderatéque vivendi ratione receſſis, novâ Gubernatrix, & quaſi in meliorem viam (à qua paulò luculentioſiùs aberratum ſub antecedentibus Abbatiſſis fuerat) reductrix.* Tum igitur credlderim Lindavieoſes Virgines Beoedictinum inſtitutum amplexas cuſtodiiſſe. Exſtant verò geminæ Bullæ in Lindavienſi Gynæceo, quarum unam *Alexander IV.* alteram ſubſequam dedit *Urbanus IV.* utrámque non ſemel à ſe lectam profitetur Author Juſtæ defenſionis Ludoviciani diplomatis à Conringio impugnati. In iſta *Urbani*, ait Virgines *Ordinis D. Benedicti*; in anteriore verò *D. Auguſtini* nuncupari. Vixit *Alexander IV.* in

in Pontificatu ab annô ad 1254. ad 1261. *Urbanus* verò à præfato mox annô ad 1264. ſed cùm *Urbanus* nihil de immutatione inſtituti memoret, mutationem jam anteà factam ſupponens, credibile eſt, id ad finem regiminis *Alexandri* factum fuiſſe, cujus diploma de hac mutatione aut perierit, aut ſuppreſſum fuerit, quaſi de conſilio Virginum, nè unquam crederentur ab inſtituto ſeveriore ad liberius tranſiliiſſe, quale ſemper Canonicum reſpectu monaſtici æſtimatum eſt. In hac verò forma credibile eſt, easdem ſi non usque ad tempora mutatæ Lindovii in urbe religionis Catholicæ, ſaltem usque ad *Urſulæ* Abbatiſſæ tempora ab annô 1410. præſidentis durâſſe. Tunc enim dimiſſam vitam votivam à ſanctimonialibus eò procliviùs eſt opinari, quò certius teſtimonium proſtat *Sigismundi* Imperatoris in ſua reformatione non admodùm de meliore nota hunc Parthenonem commendantis, ùt obſervat Bruſchius. Ex eo itáque qualicúnque tempore ſaltem id honoris ſibi Collegium iſtud quamvìs ſæculare vendicat, quòd in medio nationis hæreticæ Catholicum perſiſtat.

Exiſtit in urbe Lindavio. Bruſch. Monaſteriol. pag. 285. ſeq Gall. Chriſt. t. 5. Col. 1075. Franciſ. Pet. Suev. Eccleſ. 525. ſeq. liber intit. Juſt. defenſio Antiquiſſimi diplom. &c. c. 1. pag. 27. & aliàs ſparſim Herman. Contr. Edit. Piſt. t. 1. p. 293.

Fundat. .. Exſtinct.

Lüzelenſe minus.

Abbatia fundata à Comitibus *de Thierſtein* creditur, ejusdem advocatis: profecerat hoc Collegium adeò cum tempore, ut in Abbatiam elevaretur; verùm multis quaſſatum calamitatibus eam annô 1264. penuriam contraxit, ut alendo Abbati inſufficiens demum Præpoſituræ *S. Leonardi* Baſileenſi uniretur. Hodie utrúmque Hæreticis Soloduranis pro ſpolio eſt.

Bucelinus German. Sacr. Parte 2. pag. 213.

Fundat. .. Exſtinct.

S. Martini Prioratus.

Refert hoc cœnobium inter Windeſemenſia Miræus, aitque Zindelfingen Diœceſis Conſtantienſis exſtitiſſe. Meminit in ſuo Chronico Bavariæ Arenbeckius apud Leibnitium cujusdam in Conſtantienſi Diœceſi monaſterii *S. Martini*, in quo ſepultum fuiſſe aſſerit anno Domini 1127. Henricum Sueviæ Ducem: ſed an illud ſit, de quo hìc agimus, affirmare non auſim. Porrò cùm de eo nullam omninò memoriam Conſtantienſis Chronographus habeat, æſtimo id jam diù extinctum.

Miræus L. de orig. Can. Reg. p. 67. Arenbeck. apud Leibnit. tom. 3. pag. 662.

Fundat. 1120. Floret.

S. Mariæ vulgò S. Mergen, aliàs etiam Cella S. Mariæ Abbatia.

Antiquitate non minùs, quàm admirandarum viciſſitudinum periculis exantlatis nobile, ac illuſtre Collegium deſcribendum ſuſcipimus, non tamen ad peculiaria (præſentem ſcopum longè exceſſura) deſcendimus: ſolùm quædam breviter attingere cupientes. Itáque fundatum, ac bene dotatum legimus à *Brunone de Hohenberg* Cathedralis Argentoratenſis Præpoſito annô 1120. mox ab *Honorio* ipsâ fundatione ſolitis confirmationis litteris munitâ annô 1125. Succeſſère complura alia privilegia ſummorum præſulum, nec non Epiſcoporum Conſtantienſium, ùt *Innocentii tertii*, *Gregorii noni*, *Clementis ſexti &c.* floruítque in ſuis membris ad 174. annos diſciplinæ integritate, & rerum temporalium ſufficinentia: cùm demum ſæculum decimum ter-

tertium fatale cœpit eſſe, ac tantùm non omninò exitioſum. Omnium calamitatum tunc authores fuêre, qui exiſtere debuiſſent defenſores, ipſius nempè monaſterii Advocati; contra quos, quemadmodùm præcipuè ſæculô XII. ac ſubſequô unanimes omnium penè monaſteriorum querelæ convenêre inenarrabiles, ſic eorum avaritiam, & expilationem nullum propè magis ſuſtinere, quàm noſtrum collegium cogebatur. Fuêre illi *nobiles à Landeck* & *Blumeneck*, quorum impia, ac ſacrilega temeritas eò audaciæ prorupit, ut duos conſequenter Abbates hujus cænobii ex inſidiis interficerent, tertium ſquallore carceris cum duobus Canonicis diutiùs impudentiſſimè macerarent. Monaſterium verò hoc modô miſerrimè dilaniatum, ac propè redactum ad incitas, ipſis conſilium ineuntibus Canonicis alteri ejusdem inſtituti Præpoſituræ Friburgi Briſgojæ ad omnes Sanctos dicto, aſſenſu *Henrici* Conſtantienſis Epiſcopi incorporatur ad an. 1370. verùm neque hoc modo fatis ſiniſtris ſatis prævifum eſt. Gallo enim militari copiâ has terras invadente (cùm jam anteà Suecus ſuam in monaſteria iſthic locorum condita tyrannidem paſſim effudiſſet) ferro, & igne *ſanctæ Mariæ Cella*, ſed & Præpoſitura Friburgenſis interiit, quæ infelicitas Canonicos coëgerat per 12. annos privatis ædibus divinum penſum peragere, usque dum demum ſub Reverendiſſimo DD. Præſule *Andrea* benigniora ſe præbuêre Numina. Hic enim ex celeberrimo Creuzlingano Collegio poſtulatus annô 1713. utrumque Collegium nempe *omnium Sanctorum*, ac Abbatiam *Cellæ S. Mariæ* ædificavit: atque ſub eodem hoc Zeloſiſſimo moderatore imago miraculoſa B. Virginis *Mariæ* Friburgi ad Cellam S. *Mariæ*, primam hujus dilectiſſimæ Matris ſedem, ſolemniter, ac cum gaudio totius ſylvæ Herciniæ tranſlata eſt an. 1723. die 10. Octob. hæc paucis immutatis iſte idem Reverendiſſimus D. Præſul datis ad me litteris cum adjecta geminorum Collegiorum hiſtoria, quam per totum propria manu exaratam dare dignatus eſt jam annô 1727. à die 30 Aug. cùm paulò ante ad eundem ſupplices meas pro documentis ſui Collegii mihi ſuppeditandis tranſmitterem. Fatis eundem piiſſimè intereà conceſſiſſe intelleximus, cui ſupremam majeſtatem haud dubiè optatum laboribus tam egregiè pro reſtaurando hoc Collegio impenſis præmium Clementiſſimè elargitam fuiſſe confidimus, quod nos eidem votis, ac precibus enixè precamur. Intereà moderni quoque Reverendiſſimi D.D. Præſulis nunquam non futuri memores, quippe quem jam peculiarem noſtrarum lucubrationum Patronum experti ſumus.

Exiſtit non procul Friburgo in ſylva Hercynia Franc. Pet. Suev. Eccl à pag. 233. docum. communic. ex hoc Collegio.

Oeningenſe SS. Petri & Pauli Præpoſitura. *Fund. circa an. 965. Floret.* Fundata eſt circà annum 965. *à Chunone* Oeningenſium Comite, quem, ùt fertur, quatuor filiorum immatura morte exſtinctorum dura calamitas ad terrenorum faſtidium, & æternæ ſalutis curandæ conatum tam ſedulè deduxit, ut omnes poſſeſſiones ſuas ad cultum Dei promovendum impenderit: hinc præfatæ præpoſituræ fundamenta jaciens ad eam paulò pòſt molem deduxit, ut conquiſitæ Canonicorum Coloniæ pro congruo Domicilio deſerviret.

Porrò non libet inhærere diutiùs refutandis duobus ſcriptoribus Bruſchio, & Bucelino aſſerentibus

tibus, primùm hanc Præpoſituram Benedictinis, poſtmodùm Canonicis, attributam fuiſſe: quippè quos ſatis (inſertò pro hac re Ottoniano diplomate) jam refellit Franciſcus Petrus in ſua Suevia Eccleſiaſtica, ubi Imperator diſertè ait: *Quòd Dominus Chuno Comes de Oeningen dari ſibi privilegium ad Oeningenſem Eccleſiam, noſtram imploravit ſerenitatem, quam ipſe in honorem SS Petri & Pauli Sanctique Martyris Hyppolyti conſenſu Uxoris ſuæ Richlinæ filiorúmque ejus Eggeberti, Leupoldi, Chunonis, & Lutoldi in proprio fundo conſtruxit, in qua Canonicos, & Præpoſitum Deo militaturos Congregari diſpoſuit &c.* Nihil his verbis ad noſtram ſententiam tuendam apertius. Unum tamen hìc obiter notamus, nos conſultò dixiſſe, quòd *referatur Chuno* quatuor filiorum immaturâ morte ad conſtruendum hoc cœnobium fuiſſe perſuaſus. Refert autem id Bruſchius, & ex eo Franciſcus, licèt de hoc nihil memoret Bucelinus. Illi hanc fundationem attribuunt *Chunoni Juniori Comiti* Oeningenſi ad an. 965. ſuperſtiti, iſte *Seniori* annô 897. occiſo; de neutro in ſcriptoribus authenticis aliquid hujus depopulantis fati reperimus: de Juniore habemus ex *Ottonis* mox citato privilegii fragmento quatuor filiorum ſuorum conſenſu Oeningenſe Cœnobium conſtructum fuiſſe, igitur hanc filiorum Cladem tamdiù inter fabulas habebimus, donec non de certioribus ex hoc Collegio edocti fuerimus.

Annô 1534. *Joannis Bezæ* Epiſcopi Conſtantienſis (cui fortè proventus Epiſcopales non Sufficerint, pinguioribus anteà præbendis aſſueto) precibus tum ſummus Pontifex, tum Imperator hanc Præpoſituram menſæ Epiſcopali univit; hac tamen cautione, ut perpetuis futuris temporibus *Canonici regulares S. Auguſtini* in hoc Cœnobio imperturbati perſiſterent: quod ſucceſſores Conſtantienſes Præſules magna hactenùs benevolentia, & in Oeningenſes Canonicos tenero affectu præſtitiſſe didicimus. Præeſt autem ipſis Canonicis Decanus, exſtinctô Præpoſituræ inter hos titulô.

Exiſtit propè Steinium. Franc. Pet. Suev. Eccleſ. p. 645. Bruſch. Monaſteriol. pag. 348. Manlius Chron. Conſtant. p. 710. edit. Piſt. Arnbeck. de Guelf. edit Leibnit. t. 3. p. 668. Manlius edit. Piſt. tom. 3. pag. 696.

Oelsbergenſe, ſeu Olembergenſe, ùt ſcribit Pennotus, aſſeritque adhuc ſuo tempore noſtri inſtituti fuiſſe, idque ſe habere ab hujus monaſterii Præpoſito Commendatorio? qui præterea addiderit, illud fundatum à quadam Comitiſſa an. 1197. Præpoſitum quoque illius gaviſum eſſe uſu Pontificalium, & voto in Comitiis Provinciæ, ſed nunc ceſſiſſe Patribus Societatis, Reverendiſſimo D.D. Abbate Creuzlingano, & Friburgenſi omnium Sanctorum apud Auguſtiſſimum Imperatorem *Leopoldum* nequiquam laborantibus, ut priſtino ſuo inſtituto relinqueretur. *Fundat. Soc Jeſu.*

Exiſtit non procul Baſilea. Pennot. hiſtor. tripart. Part. 2. c. 39. n. 7. p. 410. docum. Wettenhus.

Omnium Sanctorum Præpoſitura. Hanc Eccleſiam aliquamdiù ante ſæculi XIV. exſtitiſſe ſuadet prioribus temporibus ibidem Collecta congregatio Fratrum de pœnitentia, ſed illis fortè aut locum ſpontè deſerentibus, aut aliunde remotis; *Ivo* ſeu *Amman de Waldkirch*, ipſam illam Eccleſiam reparatam, & redditibus dotatam conſenſu *Henrici* Epiſcopi Conſtantienſis Coloniâ Canonici in- *Fund. ſæc. 13. Floret.*

inſtituti ex nobiliſſimo Collegio Marbacenſi vocatâ informavit, duobus ſolùm ibidem conſtitutis *Wernhero* ſcilicèt, & *Hieronymo*, quorum unus dum in Præpoſitum conſtituitur, Ivo quoque ſpreta mundi vanitate ſeipſum in Converſum Deo offerens piam vitam an. 1317. cum beata æternitate commutavit. Verùm jam anteà ob proventuum tenuitatem per ſe ipſam ſubſiſtendi impotens hæc Præpoſitura Creuzlingano Abbati ſubditur annô 1312. ùt docent *Eberhardi* Conſtantienſis Epiſcopi Unionis litteræ. Poſtmodùm verò annô nimirum 1370. incorporata eſt Abbatiæ *S. Mariæ in Sylva* Hercynia, de qua paulò ante diſſeruimus, à quo tempore uſque hodie utrúmque Cœnobium ſub uno gremio ſic perennat, ut tamen utrobíque debita congregatio Canonicorum conſervetur, & divina, aliáque religioſa exercitia accuratâ obſervatione peragantur, velut id ipſum nobis ſuis litteris jam memoratus Reverendiſſimus piiſſimæ memoriæ Dominus Abbas *Andreas* ſignificavit.

Exiſtit Friburgi. Franciſc. Petr. Suev. Eccleſ. p. 329. docum.communic.

Fund. 764. Ord. S. 3. Ottoburanum S. Alexandri Abbatia. Expediam me breviter ab hujus Abbatiæ deſcriptione, quam ſicut novi à multis ſæculis religioſos *S. Benedicti* poſſidere, ſic quoque abſolutè iis aſſentire non poſſum, qui negant illud primitùs Canonicos habuiſſe: neque meâ multùm intereſſe, referre hanc Abbatiam aut omittere, retuli tamen, maximè eorum permotus ſtudio, ac, ut ita dicam, ſagacitate, qui etſi conſtituerint monaſteriorum ab ungue referrê notitiam, nihil minùs tamen ediſſerunt, quam inſtituti alterius à Benedictino, ſi quod alicubi viguit, rationem. Undè Noviſſimus Hierarchiæ Auguſtanæ Scriptor, ac Compilator Ottoburanæ Abbatiæ exordia narrans fundatam ait pro Benedictinis, ſic enim ille: *Monaſterium Ottoburanum, Caſtrum olim, oppidúmque Illergovia, nunc liberum, & exemptum Imperiale monaſterium, in Suevia ad amnem Guntium in Valle Guntiana ſitum ſub annum Chriſti* 764. *ad imitationem duodecim Apoſtolorum pro duodecim Religioſis nobilibus Ordinis S. Benedicti fundatur à Sylacho Duce Francorum, Alemanniæ præfecto.* Unde autem, quæſo, hæc tam libera aſſerendi ſecuritas, an ex litteris *Sylachi*, quas ſubjicit? ſed in iis nec verbum aut de monachis S. Benedicti, aut duodecim nobilibus ejuſdem ſacri ordinis conſtituendis. Vel an ex litteris *Caroli M.* ſed neque in his Jota unum de utróque. Solus fortaſſe Stengelius fuerat, & cum eo Bucelinus, qui primi Ottoburanum monaſterium monachis fundatum dixerant, non tamen duodecim nobilibus, quod hic Author, neſcio, an ex noviter inventis tabulis eruerit, an finxerit.

Porrò quod me moverat, ut Canonicorum primitùs Cœnobium dicerem, non monachorum, en ex erudítiſſimo Papebrochio rationem, in vita *S. Auguſtini* Cantuarienſis de tribus fugitivis monachis, hæc refert unus eorum: *Poſtquam hinc egreſſi, ut ſcitis, in Daniam venimus, ego Coloniam migravi, indéque progreſſus apud inclytum Canonicatum B. Martyris Alexandri, qui unus ex ſeptem fratribus eſſe dignoſcitur, Archidiacono ejus loci acceptiſſimè adhæſi.* De hoc verò Canonicatu notat Papebrochius: *Coluntur*, inquit: *ſeptem fratres, filii S. Felicitatis decima Julii: ubi agmini de S. Alexandri unius eorum translatione ad Ottenburanum in Suevia monaſterium: quod hac ætate Canonicos habuiſſe probant* tot

tot Epiſcopi Auguſtani, inter Abbates à Bucelino nominati, in quibus S. Udalricus. Monachos Benedictinos forſan Rupertus induxerit annô 1104. *poſtulatus ex monaſterio S. Georgii in Hercinia.* Hæc vir Clariſſimus. Sanè, licèt dictæ translationis Commentario hæc ipſa Papebrochii verba notentur ea de cauſa, quòd fortè potiùs monachus ille intellexerit Wilshuſienſe Cœnobium in Diœceſi Oſnabrugenſi, quàm iſtud Ottenhuranum, ideò tamen non ſubvertitur Papebrochii aſſertio altera, *fuiſſe usq; ad ſæculum undecimum ibidem Canonicos*, maximè cùm nulla poſſit in contrarium fundata ratio allegari. Lego de monachis Ottenburanis à ſæculo undecimo multa apud Bertholdum Conſtantienſem, & Felicem Fabrum; ante illud (excepto Authore noviſſimo ſupra allegato, & Mabillonio, Stengelio) in vetuſtis ſcriptoribus preſsè de monachis Benedictinis nil omninò reperio. Hæc tamen ſcribo, non quòd intendam inclyto Ordini Benedictino de ſua gloria, & monaſteriorum ingenti Copia ſurripere aliquid, ſed ut, dum in uno veritatem ſcribimus, in altero eandem gratis non ſupprimamus.

Exiſtit propè Memmingam. Acta SS. tom. 7. Maij in vita S. Aug. Cantuar. & tom. 1. Julii in vita SS. Felicit. Stengel. Commentr. rerum Auguſt. P. 2. C. 9. n. 5. Annal. Bened. L. 68. n. 108. Felix Faber hiſtor. Suev. L. 2. C. 10. Edit. Goldaſt.

Fund. an. 1333. Exſtinct. Ovvenſe S. Petri Virginum Canonicarum Prioratus. Fundatus hic Parthenon primitùs fuerat Tubingæ à Palatino Tubingenſi annô 1333. pro Virginibus Canonicis, translatus poſtmodùm annô 1492. *Ovvam*, & in Eccleſia *S. Petri* ſtabilitus. Cauſam translationis *Eberhardus* Comes Wittenbergenſis exhibet in ſuis litteris datis annô 1495. primò ob anguſtiam loci, qui tantum ſpatium non concedebat, ut Virginibus inhabitantibus ſufficeret. Secundò: ob nimiam hominum in ea platea frequentiam, & tumultum, quibus ipſæ in ſuis ſpiritualibus exercitiis diſtraherentur. Tertiò deníque ob ſæcularium ædium ſuo monaſterio contiguarum ſublimitatem, qua, dum iſtud longè exceditur, habitantes in illis, quidquid in ipſis cellis religioſarum agitur, conſpicerent, ac obſervarent &c. Has igitur ob cauſas dicit Comes ſe eisdem Capellam *S. Petri* cum Capellania ibidem concedere.

In hoc cœnobio adhuc an. 1563. quatuor ſorores exſtiterant, & Prioriſſa *Catharina Schertlerin* adminiſtrabat illud annô 1572. demum hæreticorum laſcivià paulò pòſt profanatum eſt, & ad eorum uſurpationem abſumptum.

Exſtitit in urbe hujus nominis, aliúdque eſt ab illo parthenone Ulmenſi, de quo Felix Faber. Virg Sacr. monimenta in Elencho p. 566.

Pforzheimenſe Præpoſitura. Ex Franciſco Petro habemus, ſæculo XVI. uni Eccleſiæ junctum fuiſſe duplex monaſterium, unum Canonicorum Regularium, alterum Eremitarum ſub regula *S. Auguſtini* viventium, proſtitutum dein, ac in uſus hæreticos diſtractum. Optaremus ſanè litteras aliquas fundationis hujus duplicis cænobii obtinere, ut cauſam conjunctorum horum duorum alioquin inter ſe adeò diſtinctorum ordinum curioſiùs indagare liceret.

Exſtitit in urbe Pforcemio. Franc. Suev. Eccl. pag. 664. & 665.

Riederenſe olim Tiezelheimenſe. S. Mariæ Præ-

Præpoſitura. Fundata an. 1152. à nobiliſſimo Viro *Marquardo à Weiſſenburg*, ùt diſertè exhibent litteræ à *Conrado II.* in fundationem exhibitæ, dum Imperator ait: *Notum ſit omnibus tam præſentis quàm futuræ ætatis Chriſti fidelibus, qualiter nos religioſorum virorum preces Clementer admiſimus, & cellam quandam Tiezelheim dictam, quam liber homo, & nobilis Marquard nomine Uxore orbatus, ac liberis, filium Dei univerſorum bonorum hæredem conſtituens in honorem ejus, & Beatiſſimæ Matris ipſius Mariæ in proprio allodio fundavit, ſub noſtra Imperiali tuitione ſuſcipimus, & prædia, quæ ipſe ad ſuſtentationem Fratrum Deo ibidem ſub regula B. Auguſtini devotè famulantium ſine omnium bonorum contradictione legaliter contradidit - - - - præſentis ſcripti privilegio, ac totius corroborationis munimine confirmamus.* Porrò nuncupat hoc monaſterium ab origine Abbatiam Franciſcus Petrus: quod tamen nos non reperimus, nec ſuppetunt etiam documenta ad hoc pro ſubſequis temporibus aſſerendum; præcipuè cùm ipſe hic ſcriptor Syllabum Præpoſitorum enumerans, nulli nomen *Abbatis*, ſed ſolùm *Præpoſiti* attribuat.

Hoc Collegium eodem ſæculo XII. translatum eſt ad locum *Riederen* dictum. Demum multis preſſuris jactatum (de quibus nos ſuo tempore agemus) ceſſit celeberrimæ Abbatiæ Creuzlinganæ, eidémque ſolenniter incorporatum eſt annô 1638. ex quo tempore, ùt ait mox laudatus FranciſcusPetrus, Reverendiſſimus D.D. Præſul Creuzlinganus ſe *Abbatem*, & *Riederenſem Præpoſitum* ſcribit.

Exiſtit ad fauces Hercyn. Franc. Pet. Suev. Eccl. pag. 715. ſeq. Manlii Chron. Conſtan. Edit. Piſtor. tom. 3. p. 797.

Riederenſe S. Mariæ Virginum Canonicarum Prioratus. *Fundat. floret.* Solent etiam mala, ac non bene examinata rerum initia meliorem ſortiri progreſſum, id factum admiramur in hoc Parthenone Riederenſi: Fundatorem enim ſe exhibuit, qui in præjudicium ſuorum, nè quidem aliquid fundare potuit Riederenſis Præpoſitus *Conradus*, nomine primus, ordine IV. nequiquam reclamantibus Canonicis. Fundatio pro illis facta, quæ ſe aliquantò confidentiùs curæ ſpirituali hujus Domini Præpoſiti commiſerant, ipſe verò tanto affectu in harum virginum Sacrum augmentum propendit, ut relicto ſui monaſterii regimine certo annuo cenſu ex eo ſibi reſervato totum ſe dicaverit obſequio dictarum ſpiritualium filiarum, Canonicáſque *S. Auguſtini* eſſe juſſerit; quibuscum etiam reliquum vitæ tempus tranſegit. Hæc verò tota fundatio, quamvìs incongruis videatur incœpta principiis, quippè proventibus ſuo Collegio indebitè abſtractis, & novo huic Parthenoni nullo jure aut æquitate addictis, præcipuè Collegio Riederenſi aliundè hoc ſæculo reſtrictiùs jam ſubſiſtente, attamen optimum conſecuta eſt progreſſum: Virgines enim hoc cœnobium incolebant ſemper magna integritate, diſciplinæ regularis obſervantiâ laudabiles, quales hodiedum adhuc ſub ampliſſimo, ac Reverendiſſimo ſuo Domino Viſitatore Abbate Creuzlingano ad præcipuum totius vicinitatis exemplum virent, ac florent.

Cæterùm necdum nobis conſtat, qua demum authoritate hoc Gynæceum in ſua fundatione confirmatum ſit, cùm pro certo habeamus, ſolam Præpoſiti Conradi fundationem neutiquam ad verum

monaſterium conſtituendum ſuffeciſſe: intereà verò omnia nobis Fundationis, ac Confirmationis documenta incognita ſunt.

Exiſtit prope Riederenſem Præpoſituram. Franc. Pet. Suev. Eccleſ. pag. 720.

Fund. Extinctum.

Rochenſe aliàs **de Roche.** Celebre quondam Canonicorum Regularium Diœceſis Lauſanenſis in partibus Helvetiæ monti Jovis ſeu S. *Bernardi* incorporatum monaſterium, de quo nos alibi mentionem fecimus, nunc ab Hæreticis inſidetur.

Exſtitit infra lacum Genev. Docum. Wettenhuſana.

Fund. ſæc. nono Sæcular.

Schenenſe ſeu **Schonis. Virginum Canonicarum Abbatia.** Agit de hac geminis in partibus ſuæ Germaniæ ſacræ Bucelinus, aitque primitùs pro Virginibus genere nobilibus ſub regula *D. Benedicti* fundatam fuiſſe, quamvis parte tertia, dum de ea iterum ſermo occurrit, abſolutè pro Virginibus Canoniſſis Collegium fundatum nuncupet, & quidem ſub annum Chriſti 806. at parte priore *annô* 830. ab *Hunfrido* Rhetiæ Comite, poſtero tempore ab *Algotto* Curienſi Epiſcopo reſtauratum: verùm quomodocúnque ſibi Bucelinus in aſſertis ſuis conſtet, nos Wettenhuſanis documentis inſtruimur exſtare diploma fundationis apud *Ægidium Tſchudium*, ex quo liquet, & inſtitutum *Canonicum*, & *regulare* ibidem floruiſſe, quodipſum confirmat Leonardus Mayr in ſuo Calendario: quorum ſententiæ ſubſcribimus, quippè qui ſibi non canunt. Intereà diu jam eſt, quòd hujus Parthenonis Virgines regularitate dimiſſa ſæculares eſſe inceperint, quales etiamnum habentur.

Exiſtit propè lacum Wallenſtattenſem non procul Curiâ. Bucelinus part. 1. pag. 79. & part. 3. pag. 111. Calendar. Mar. Leonardi Mayr, P. 1. ad diem 30. Martii. Tſchudius in deſcript. Rhetiæ: docum. Wettenhus.

Fund. an. 495. ſæcular.

Seckingenſe S. Hilarii Virginum Canonicarum Abbatia. Eliberabo breviter iterum Bucelini, ejuſque ſequacium ſententiâ hanc Abbatiam, reſtituámque quoad ſua initia illi inſtituto, cui in re à *S. Fridolino* conſtructum eſt nempe Canonico. Sanctum hunc virum nunquam monachum, minùs Benedictinum fuiſſe, credo omnes eos ſcriptores aſſeveraturos, qui *S. Fridolini* & *S. Benedicti* Chronologiam compoſuerint: Obiit *S. Benedictus* annô 544. prout nunc inter doctos convenit, regula illius hoc tempore ad ſummum per *S. Maurum* in Gallia penitiore, at longè poſteà, in citeriore, id eſt, Germaniæ noſtræ affini, innotuit, ùt jam alibi oſtendimus. S. autem *Fridolinus* ex Hybernia Pictavos in Galliam, inde ad partes Rheni in Rhetiam commigrans Seckingæ conſtructo cœnobio aliquamdiù permanens obiit circa annum 540. Italiam nè quidem veſtigiô permens, nec D. *Benedicto* vel nomine notus, quod certè aſſerere *Walterus S. Galli* monachus neutiquam omiſiſſet. Vanæ ergò ſunt Næniæ, quibus *Fridolinum* quis conatur Ordini *D. Benedicti* vindicare; præcipuè, cùm idem *Walterus Fridolinum* nunquam monachum ſemper Clericum dicat exſtitiſſe. Idipſum autem de Seckingenſi condito à ſe Parthenone dicendum, de quo Walterus hanc narrationem originis ſtatuit, præmiſſo, quòd vir Sanctus Inſulam totam à Clodovæo dono acceperit, *Inde*, inquit: *Laudes Deo Omnipotenti perſolvens, cùm abſque ullius contradictione Eccleſiam in eodem conſtrueret loco,* ſub

ſub honore S. Hilarii, illicque Canonicam Sanctimonialium vitam conſtrueret, &c. Canonicam vitam, hinc *monaſticam*, non *Benedictinam*: hinc eruditè doctiſſimus Henſchenius: quæri poſſe ait, cui ordini dictam Congregationem Sanctimonialium ſubjecerit Fridolinus? *Et quidem Bucelinus* (proſequitur laudatus Henſchenius) *parte 2. Germ. Sacra ait, illud Cœnobium Seckingenſe conditum fuiſſe à S. Fridolino, quem nominat Sanctorum Remigii, & Benedicti diſcipulum, ſed nullum veſtigium eſt, aut apparet, ſeu cum S. Remigio, ſeu S. Benedicto factæ communicationis, quin imò hunc conſtat tunc procul in Italia apud Sublacenſes vitam monaſticam ſolùm fuiſſe auſpicatum.* Ex quo facilè opinionem quoque Dionyſii Sammarthani rejeceris id ipſum cum Bucelino ſentientis, cùm tamen Bruſchium citans expreſſè apud eum legere potuiſſet: *à S. Fridolino Seckingenſe Cœnobium plantandæ religionis, & propagandi Chriſtianiſmi ergò inchoatum, octoque Canoniſſis, & quatuor Canonicis fundatum anno Domini* 495. hoc Cœnobium nunc ſæculares Canoniſſæ poſſident, quo tempore ſeveriorem vivendi rationem ſuſtulerint, ob vetera documenta omiſſa quis augurabitur?

Exiſtit Seckingæ. Acta SS. t. 1. Martii die 5. in vita S. Fridol. & in Comment. præv. §. 2. n. 2. Bucel. Germ. Sac. parte 2. p. 81. Gallia Chriſt. tom. 5. Col. 935. Bruſch. monaſteriol. pag. 5. 30. &c.

Fund. an. 1083. Exſtinctum

Sindelfingenſe S. Martini Prioratus. Refert hunc in ſuo Windeſemenſi Catalogo Miræus, dum inquit: *Monaſterium S. Martini in Zindelfingen diœceſis Conſtantienſis.* Ab Alberto Comite de Calw, & ejus conjuge fundatum id dicitur an. 1083. loquitur de Sindelfingenſi hoc Cœnobio Bucelinus, illúdque aſſerit ordinis *S. Benedicti*, quod ipſum affirmat Franciſc. Petr. at annò 1263. jam ad ſæculares Canonicos tranſiiſſe docet diploma eo annò editum à Rudolpho Tubingenſi Comite: annò poſtmodùm (aſſentiente Sixto IV. 1477. totum hoc Collegium translatum eſt Tubingam, & ſæcularium Canonicorum locò inducti Windeſemenſes, qui cùm usque ad immutatam religionem ibidem laudabili converſatione vixiſſent, tum aliò migrare compulſi monaſterium ſuum Hæreticis relinquere ſunt coacti.

Exſtitit in urbe Sindelfinga. Mir. c. 13. p. 67. Monumenta Wittemb. monaſt. Virg. pag. 560. & 66. Bucel. monaſter. P. 2. p. 83. Franciſc. Pet. Suev. Eccleſ. pag. 751.

Fundat. Ord. Ciſt.

Steinheimenſe. Abbatia, an potius Præpoſitura. Fuit hoc Collegium ante annum 1303. Canonicis *S. Auguſtini* proprium, ùt patet ex litteris Fundationis cœnobii *Königsbrunnenſis* Ord. Ciſtercienſis, in his enim Fundator Albertus Romanorum Rex ait: *ad manus Abbatis* (Königsbrunnenſis nempè) *tradidimus, & conferimus per præſentes advocatiam monaſterii in Steinheim Ordinis S. Auguſtini cum ſuis juribus, & attinentiis univerſis.* Inde autem ipſi huic cœnobio totaliter unitum fuiſſe obſervat Stengelius.

Exſtitit in urbe hujus nominis Franciſc. Petr. Suev. Eccleſ. p. 755.

Fund. .. Exſtinct.

Tachenhuſanum: De hoc loquens Franciſcus Petrus aſſerit Canonicorum fuiſſe ſeu Clericorum in communi viventium, reperio verò illud, ſi non ab origine, certè ſucceſſu temporis habuiſſe ſacri ſepulchri Regulares Canonicos, etenim in monumentis rediviv. Monaſt. Wittenb. lego illud Denckendorffenſi cœnobio, quod

quod manifeſtè erat Canonicorum regularium ſacri ſepulchri, fuiſſe incorporatum, verùm haud dubiè in illa generali monaſteriorum ruina, & iſtud perierit.

Extitit in hujus nominis pago. Franciſc. Pet. Suev. Eccleſ. p. 256. Monum. rediv. in monaſt. Virgin. p. 561.

Fund. an. Ord S Benedicti. SS. Udalrici, & Afræ Abbatia. Hæc eſt illa nobiliſſima, ac pretioſiſſima Eccleſia, quæ antiquitùs jure ſibi inter omnes penè Sueviæ ſacras ædes primatum vendicare potuit tum ob antiquitatis prærogativam, tum ob ſacrarum reliquiarum innumerum quaſi Theſaurum. Ex hac prima fidei ſemina velut ex granario quodam diſperſa ſunt per univerſas adjacentes provincias, & fructus inde ampliſſimâ meſſe collectus. Fuerat hæc Eccleſia primùm exilis ædicula ſuperſtructa ſacro *D. Afra* ſepulchro: exinde quoties aut malæ ſortis eventu diruta, aut cremata Phœnicio quodam oraculô vegetior ſurrexit, ac formoſior. Erat à primis temporibus huic Eccleſiæ juncta Congregatio Clericorum, de qua nos certa, ac ponderoſa teſtimonia Scriptorum in deſcriptione Auguſtanæ *S. Mariæ* adduximus, ùt ſunt ex monumentis Pezianis, ex vita ipſa *S. Simperti*, & ex Stengelii Commentario rerum Auguſtanarum. Torquet, & flectit ſe ad horum textuum occurſum Author Hierarchiæ, conatúrque qua data via commentari eosdem, ut nè ſuæ ſententiæ cladem inferri ſinat; obteſtatur enim hanc regularem vitam non aliam fuiſſe, quàm juxta præſcriptum Canonum, neutiquam autem juxta regulam *S. Auguſtini.* Quaſi verò una *S. Auguſtini* regula per ſe fuiſſet, quæ Clericos regulares votivos feciſſet, cùm nos diſertè in Exegeſi noſtra probaverimus, votivam vitam abſque Auguſtiniana regula priſtinis, & duodecimum, undecimúmque præeuntibus ſæculis fuiſſe à Clericis permultis obſervatam, neque hæc regula unquam ab aliquo erudito pro lapide lydio identitatis Ordinis adſtrui poteſt. Quid enim hic Author Hierarchiæ reſpondeat ad Concilium Romanum ſub *Nicolao* habitum? in quo *Gregorius VII.* tunc *Hildebrandus* Monachus, & fortè Benedictinus, nullis repagulis verborum immixtis, clarè, & dilucidè votivam vitam inter Clericos dudum viguiſſe teſtatur. Hinc & *Adilbertus S. Simperti* Biographus teſtimonium nullis commentis indigens, quippè nimis apertum, & luculentum effatur: *Auguſtenſem Epiſcopatum juxta præceptum Domini voluntaria paupertati ſubjacuiſſe, nec quemquam in Clero aliquid proprii poſſediſſe, ſed erant iis omnia communia.* Quid Clarius aut apertius pro votiva Cleri veteris paupertate dici poſſet? Ais: ſed non ſecundùm regulam *B. Auguſtini.* Sanè reſpondeo ſecundùm illam, ſi enim contra illam, nunquam votivi fuiſſent. Si urges: non ſecundùm illam, prout eam nunc habent Canonici noſtrates votivi. Dico, quid inde? cùm hic preſſè codex, hæc regula ſecundùm litteram Canonicum regularem in ſua identitate, ac ſpeciè infima non conſtituat, quod latiſſimè in Exegeſi Parte 2. Cap. 4. oſtendimus.

Vita igitur hæc votivò-Clericalis in Eccleſia *S. Afræ* continuata eſt usque ad annum 1012. eratque inter Cathedrales Marianos, ac noſtros San-Afranos ea Bonorum communitas, & animorum unio, ut unum invicem tam in Spiritualibus, quàm temporalibus corpus componerent, donec demum labeſceret diſciplina regularis apud Cathedrales, & jugum illud votivæ vitæ durum nimis videretur: quod ubi excuſſerant,

rant, hoc tempore iſti, proprietate bonorum ſibi mox arrogatâ, ſe ab aliorum ſocietate removerunt; illi quoque, id eſt, San-Afrani, hujus converſationis impatientes eadem veſtigia ſunt amplexi. Tum *Bruno* Auguſtanus Epiſcopus accerſito *S. Reginbaldo* ex San-Gallenſi cœnobio cum aliquot monachorum Colonia Eccleſiam hanc extradidit. Atque nè penitùs regularis Clericorum vita Auguſtæ tolleretur, quibusdam in eadem ammodo, ac perpetim permanſuris Sacellum à *Brunone* conceſſum eſt *S. Georgii*, de quo ſuperiùs. Et hæc eſt genuina Eccleſiæ *S. Afræ* ſubſiſtentia illa ætate, quâ eam Clerici votivi regulares incoluerunt. Nos eam ſecundùm recentiorem nuncupationis morem *SS. Udalrici & Afræ* intitulavimus, non quòd hoc geminatum vocabulum jam tunc in uſu eſſet, ſed quòd nobis notiore, ac receptiore uti liberet.

Exiſtit in ipſa Imperiali Urbe Auguſtana. Stengel. in comment. rerum Auguſt. Part. 2. Cap. 25. & Cap. 29. Adilbertus in vita S. Simperti C. 3. Kham Hierarch. Auguſt. Part. 3. Partic. 1. Cap. 1.

S. Udalrici fortè Abbatia.

Fundat. Extinct.

Meminit hujus monaſterii R. P. Romanus Hay in ſuis Aulæis, dum inquit: *Dominus Hornung Officialis Baſileenſis monaſterium S. Udalrici Ord. Canonicorum Regularium Romæ quidem impetraverat, ſed Regimen Enzisheimenſe talem proviſionem nec admittere, nec proviſos in poſſeſſionem mittere voluit.* Scilicèt (ùt ibidem probare conatur) quòd Bullæ Pontificiæ præjudicantes concordatis, in Germania non ſint acceptatæ. An igitur hoc cœnobium Abbatia fuerit, an Præpoſitura, an denique Prioratus, certò non conſtat. Cùm alia de eo, præter hanc, quam ex citato Authore retulimus, notitia non ſuppetat, videtur quoque probabilius, cum reliquis Baſileenſibus cœnobiis interiiſſe.

Exſtitit Baſileæ. Romani Hay. Aula Eccleſ. & Hortus Cruſianus. pag. 489.

Waldſeenſe S. Petri Abbatia.

Fund. ante 1181. floret.

Meritò celeberrimum inter reliqua Suevici Circuli, Canonicorum Regularium monaſteria, iſtud quoque numerat Franciſcus Petrus: nos, cùm inde documenta à Reverendiſſimo, ac Ampliſſimo Domino Prælato peteremus, non ſolùm iis pauló pòſt egregiè proviſi, verùm etiam humaniſſimis deſuper ab eodem litteris dignati ſumus; ut hinc jam nunc ampla nobis ſeges ſuppeteret, de eodem diſcurrendi. Verùm plena enarratione ad ipſum opus dilata, ſolùm hìc breviter advertimus; ante annum 1181. Parochialem Eccleſiam fuiſſe ſæcularium Clericorum, an in aliqua Congregatione viventium, an ſolùm, ùt fert Curialis vivendi modus, unius, alteriùsve Presbiteri, ex datis documentis non eruo. Dictò ergò annô potentiſſimus, ac alioquin rerum divinarum promotor eximius (ſi unum illud fatale Pontificum Schiſma ab ipſo concitatum excipias) *Fridericus primus* cognomine *Barbaroſſa* hanc Eccleſiam Canonicis regularibus *S. Auguſtini* contradidit, quam in ſuo diplomate *parochialem* intitulat, atque, de parochiali Collegium feciſſe, quod ſanè noſtrum ſuperius conceptum dubium diſſolveret, niſi mox diceret: *Cùm vacuerit Præpoſitura, plenam fratres poteſtatem habeant eligendi Præpoſitum.* Non ergo tunc vacabat (cùm immutatio Eccleſiæ fieret) præpoſito, hinc jam anteà Præpoſitura fuit Congregationem habens, ſed necdum regularitate informatam: quamvis rurſum ſciam, oponi

poni poſſe, fortaſſè primò Præpoſitum à *Friderico* conſtitutum fuiſſe, poteſtate eligendi pro futuro in Canonicos neo-inductos refuſa. Quidquid verò ſit, nos ad ulteriora progredientes, præcipuè illud regularibus communitatibus omnî aurô nobilius privilegium attendimus, quo idem *Fridericus* vult, ſtatuitque, conſentiente, & ad id conſilium dante *Hermanno* Conſtantienſi Epiſcopo, quòd *Præpoſitura loci illius, & ſubditi ſui, nulla obedientia, & ſubjectione teneantur Archidiaconis, & Decanis, ſed tantùm ſuis obediant Epiſcopis.* Quô privilegiô nimirum quoad parochialia pleno jure exemptum manet *Waldſeenſe Collegium* à Juriſdictione Archidiaconorum, & Decanorum ſæcularium, quæ non exiguatum moleſtiarum ſæpiùs expandit officinam.

Eminebat multis præclariſſimis viris hæc Canonia inclyta, forraſſe tamen, ùt nunc informati ſumus, omnibus palmam præferet Præpoſitus Decimus tertius, *Conradus* nimirum hujus nominis IV. ejus vitæ ſynopſim tenemus, ſed longè magis vitam verè Sanctam hujus Venerabilis viri illuſtrarent acta Exorciſmi an. 1736. à die 10. usque 13. Junii incluſivè habiti ſuper quandam energumenam, ſi ſimpliciter fides habenda eſſet Sathanæ, hæc in Conjuratione divulgantis: nos intereà non omittemus ipſo in opere hujus ipſius Exorciſmi, & aliûs quoque circa eadem tempora habiti, ac à quodam viro docto refutati peculiarem relationem Lectori communicare, intereà non inde fidem abſolutè adſtruemus aſſertionibus à Patre mendaciorum prolatis, ſed noſtram opinionem proferemus, cuique ſuam arbitrandi libertatem daturi. Nunc hoc unum obſervamus, multùm commendari dicta exorciſmi acta ab effectu inventi Corporis hujus venerabilis *Conradi*, dum ſepulchri locum, ſicut temporum prolixitas, injuria bellorum, demum ipſa humana oblivio noſtrâ ætate penitùs ignotum reddidit, ſic Deus ex ore hujus ipſius energumenæ tam claris manifeſtavit indiciis, ut, quamvìs propè ſupra humanas vires labor videretur ibidem eruendi laudati Venerabilis Præſulis tumbam, ubi à maligno hoſte indicium ſtatuebatur, attamen impensâ ingenti operâ trium dierum ſpatiô quindecim pedibus ſub terra deliteſcens ſacrum corpus repertum ſit præſente, & veritatem inventionis poſtmodùm atteſtante Notario Apoſtolico Immatriculato Domino *Benedicto Hadelhofſer* Ordinis Præmonſtratenſium Canonico Rothenſi, aliisque. Cùm igitur quoad hoc punctum non fefellerit os alioquin mendax Dæmonis, non tam facilè abnuendum exiſtimo, eundem ea neceſſitate, qua compulſus eſt ad inveniendum Corpus Conradi veritatem edicere, pariter adactum fuiſſe ad enuncianda illa, quæ hunc Venerabilem Prælatum coram Deo, & hominibus ob ſuam aliundè notiſſimam ab aliquot ſæculis, & deprædicatam, ut ita dicam, ſanctitatem, conſpicuum reddunt, atque glorioſum.

Porro cùm dicerem multis eximiis viris Claruiſſe hanc Canoniam, facilè id eſſet probare, ex aliquot Collegiis per Waldſeenſes reductis, & in ſtatum feliciorem elevatis, ſed nos iſta ad plenam hujus Collegii deſcriptionem differimus.

Exiſtit in urbe hujus Nominis. Franciſc. Petrus in Suev. Eccleſ. docum. Communic.

Wengenſe S. Michaëlis Abbatia. *Fund. an. 1183. Floret.* Cùm annô, ùt præfertur 805. *Carolus Magnus* Augienſe Ordinis S. Benedicti Cœnobium am-

ampliſſimè dotâſſet, & Abbatem hujus monaſterii juſſiſſet Imperii Principem, adhuc plura ad magnificentiæ Splendorem eidem ſubjecit bona, atque inter alia oppidum totum, quod *Ulmam* dicunt: inde dominio in illud à præfati Cœnobii religioſis obtento, & per aliquot ſæcula prorogato penè usque noſtra tempora, factum eſt, ut annô 1183. quidam Miniſterialis Augienſis Cœnobii *Witigovveus* de *Albegkhe* dictus pro remedio animæ ſuæ in monte S. *Michaëlis* ad Ulmam ſito, & jam dudum ab Augienſibus ſibi coëmpto Hoſpitale erigeret, & Eccleſiæ ipſi *S. Michaëlis* jungeret Collegium Regularium Canonicorum, hâc conditione adjectâ, ut imprimis genuina fundationis cauſa eſſet pauperum, & peregrinorum ſolatium, ideò Præpoſito, & Canonicis obſequium horum ſummoperè comendabatur, adeò quidem, ut modum in ſuſcipiendis religioſis excedere prohiberentur, ne pauperum conſolatio decreſcat: deinde tota authoritas inveſtituræ, aliarúmque præeminentiarum refunderetur in Abbatem Augienſem, quod hic nomine *Diethelmus* etiam ſuo aſſenſu roboravit. Aſſumpta ad hoc animandum Collegium ex inclyta tunc, & toto velut orbe celebratiſſima Canonia Marbacenſi Colonia fuit. Porrò ſubjectio illa Augienſis dudum ſublata eſt, & ipſum Wenſenſe Collegium Apoſtolica exemptione lætificatum. Cæterùm eximiè ſemper floruit hoc præclariſſimum monaſterium, nec unquam viris doctiſſimis eguit, qui etiam ſuis lucubrationibus orbi litterario profuerunt: hos inter ſi pro hac ſynopſi enarrationis dimittimus, qui prioribus effulsêre temporibus ſublati jam communi mortis falce, certè illius immemores nequimus eſſe; quem jam in præfatione noſtra laudavimus Clariſſimum virum *Michaëlem Kuen* Decanum hujus exempti Collegii digniſſimum: neque enim ejus eximia, ac profunda ſcientia latet eruditos Catholicos, neque ignota eſt ipſis quoque hæreticis, quibus erudiendis lingua, & Calamo quàm impensè laboret, iidem ipſi (ſi voluerint) teſtabuntur.

Deus hoc inclyto Collegio ultrò benedicere dignabitur, cui tot inter graviſſima pericula manifeſtô, & verè prodigioſô adſtitit patrociniô: tota enim urbe, quasi uno impetu in lutherani dogmatis amplexum ruente, dum paſſim monaſteria, ædes ſacræ, & quidquid Eccleſiam Romanam ſapiebat, infernali furiâ quaſſabatur, iſtud inter ſpinas lilium, & veluti Noetica arca ſub communi cataclismo, firmum permanſit, & immaculatum, ac úsque hodie perſeverat.

Exiſtit Ulmæ ad Inſulas Wenſenſes Franc. Pet. Suev. Eccl. pag. 816. Bruſch. Monaſteriol. pág. 463. Docum. commun.

Wettenhuſanum S. Mariæ & S. Georgii, Abbatia. *Fund. circ. 982. Floren.*

Antiquiſſima, fundata enim annô 982. aut, ùt ait Franciſcus Petrus, juxtà domeſticos Annales integro ſæculo præcurrente. Munificam Conditricem ejusdem ſe præſtitit Illuſtriſſima Comitiſſa *Gertrudes* de Roggenſtein vidua, ac Mater duorum filiorum *Conradi*, & *Wernheri*: ab his petiiſſe inſtanter dicitur, pro loco aliquo divino cultui ſacrandô tantum Spatii, quantum uno die poſſet aratro circumſcribere, quod cùm admiſiſſet uterque; illa leviſſimum aratrum aſſumens, & ſinu geſtans obequitat amplum id intervallum, quod hodiedum hoc Collegium per circuitum poſſidet. An hæc ita ſint, non diſcepto, cùm mihi fundationis originaria ſeruta-

non licuerit, & Bruſchius, cujus authoritati hæc narratio innititur; dum nec Chartas domeſticas, nec aliud quidquam in pondus rationis adducit, dubito, an ſola aſſertione, ſufficientem ſibi fidem apud omnes facturus ſit.

De prima in hoc cœnobium inducta Colonia dicturis iterùm occurit Author Hierarchiæ Auguſtanæ, cùm enim Franciſcus Petrus de eadem ſequentia ſcriberet: quòd *Gertrudis Eccleſiam cum Clauſtro pleno jure de poſthac poſſidendam, & incolendam tradiderit viris religioſis ſub felici auſpicio, & præſidio Magni Præſulis, & Doctoris Eccleſiæ Aurelii Auguſtini devotè militantibus: prima horum paris pro tunc Ordinis, & Canonicæ profeſſionis Colonia ex celeberrimo, & Imperiali itidem SS. Udalrici, & Afræ monaſterio Auguſtano ... deſumptâ*. Ipſe in hæc verba ſequentibus commentatur: *Adverto*, inquit, *duplicem ab eo committi errorem, imprimis, quòd ſupponat monaſterium SS. Udalrici & Afræ Auguſtanum annô 802. vel annô 982. à Canonicis Regularibus S. Auguſtini fuiſſe inhabitatum; id enim veritati eſſe diſſentaneum oſtendi &c. Dein ſupponit D. Petrus, Canonicos Regulares jam annô 882. vitam duxiſſe ſecundùm modernam S. Auguſtini regulam, cùm tamen hac ante ſæculum undecimum vel duodecimum in nullo Sueviæ aut Bavariæ monaſterio Ordinis Canonicorum Regularium exſtiterit: ſed Canonici Regulares in noſtris terræ partibus illis temporibus vixerint ſecundùm regulam ex SS. Patribus extractam, aut obſervaverint regulam Aquisgranenſem, etiamnum in Bavariæ monaſterio Pollingano aſſervatam, & pro regula S. Auguſtini habitam &c.*

Verùm enim verò video ego Authorem Hierarchiæ in longè majores errores hac ſua animadverſione, quàm Franciſcum Petrum incidiſſe: quippè qui non ſolùm fallit in explicando veterum Canonicorum, & regulæ ab ipſis obſervatæ inſtituto, ſed & ſiniſtrè omninò apprehendit ipſius Franciſci Petri ſententiam. Si etenim veterum inſtitutum pondere veritatis libraſſet Hierarchiæ Author, abſque dubio profeſſus fuiſſet, SS. Patrum, ac præcipuè *Gregorii, Hieronymi, Auguſtinique* mentem eò unicè collimaſſe, ut clerum ad vitam, non qualemcúnque communem, ſed Apoſtolicam, ac votivam reducerent, atque hanc ſpeciatim doctrinam extraxiſſe ad imitationem, tam *Chrodegangum* in regula ſua, quàm *Aquisgranenſes Patres* in ſua. Quò enim alias *Chrodegangus* contendiſſet, dum inquit: *Quòd ſi alter fuerit, qui ſe eis voluerit ſociare, & omnia ad integrum perfectionis gratia derelinquere, Epiſcopus provideat eis neceſſaria &c.* Quò integris illis ſermonibus *S. Auguſtini* ſpectâſſent Patres Aquisgranenſes, quibus ſicut diſertè vita communis, votiváque Clericis commendatur, ſic nova quadam replantatione iidem ſuis hanc ipſam ſatagebant inſerere. Ut adeò non credam, quempiam eruditorum futurum, qui perpenſis, ac bene combinatis rationibus atque authoritatibus, in noſtra exegeſi per extenſum adductis, tam audacter abneget Clericis priſtinis votivam, quemadmodùm ab Apoſtolis cœptam; ſic per *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Cæſarium Arelaſanſem*, *Rigobertum*, in diverſis mundi partibus paſſim reſtitutam, ſicubi conciderat; ac demum continuatam usque ad noſtra tempora, quamvis non ſemper eodem diſciplinæ rigore, quem ut plurimùm remorata eſt voti pauperratis ſimplicitas, non ſolùm cum Clero, generatim propè, ſed multis etiam monachis uſualis. Ut adeò, qui hanc indiſcretè negligit apud veteres attendere, vix,

ac nè vix diſcrimen aſſecututus ſit, dumque ideò Clerum à votis liberum decernit, quod donare, accipere, uſufructuariè res ſuas poſſidere &c. potuerit; ipſos quoque monachos, multos planè, & nè dicam in Gallia ſæculo VIII. & IX. pleróſque ejuſdem libertatis fuiſſe, aſſerere cogetur. Porrò quamvis non ignorem, authorem Hierarchiæ hæc dicendo inſiſtere prinipiis in ſuo confixo prodromo traditis, in quo Clericos *S. Auguſtini* audacter ſtatuit nullis votis fuiſſe obſtrictos, authoritate cumprimis aſſumpta ex libello quodam intitulato: *Reſponſum pro Abbate S. Genofevæ*, in quo aſſeri ait à Generali Congreg. Genofevanæ: *Bonifacium S. Auguſtini diſcipulum non fuiſſe votivum.* Id ſi aſſeruerit Generalis (de quo non diſputo, cùm libellus iſte ad manus meas necdum pervenerit) intellexerit fortaſſè de ſolennitate votorum; quòdſi minùs, ejus mihi hic Generalis Authoritatis erit, cujus alius quicúnque ſcriptor, qui contra torrentem aliquid non raró adſtruere præſumit. Certè contra torrentem Generalis hæc aſſerendo locutus eſt, quin & contra manifeſtum teſtimonium ipſius S. Auguſtini, qui dum ait: *Noſtis omnes aut penè omnes, ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Epiſcopi, ut quantum poſſumus, imitemur eos, Sanctos, de quibus loquitur liber actuum Apoſtolorum, nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia.* Et de Januario, *teſtamentum fecit Presbiter, & ſocius noſter, nobiscum manens, de Eccleſia vivens, communem vitam profitens.* nil Clarius, quàm profeſſionem votivam ſuorum enuntiat, & dum omnes quotquot ſanioris mentis ſcriptores ex apertiſſimis verbis hujus ipſius Sermonis num. 6. (ùt eſt in nova editione) votivam vitam *S. Auguſtini*, & Clericorum ſub ipſo viventium eruunt, ſatis mirandum, unum hominem tam liberè, ac temerè aſſerere poſſe, *nullum Canonicorum Regularium ſolidum fundamentum pro voto ſimplici, aut etiam ſolenni paupertatis Clericos S. Auguſtini obligante in ejus operibus invenire.* Profectò ſi ex duobus his ſermonibus nequit doceri votiva paupertas ab Auguſtino ſuis Clericis demandata, minùs eam quiscúnque hac in re adverſarius docebit præſcripſiſſe ſuis illam in regula D. *Benedictus.* Legat enim totum caput 58. de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum, relegátque à capite ad calcem, nihil, ex quo votivam paupertatem probare poſſit, præſcriptum inveniet, niſi ad ſummum in illis verbis: *Res ſi quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta ſolenniter donatione conferat monaſterio, nihil ſibi reſervans ex omnibus: quippè qui ex illo die nec proprii Corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat.* Quòdſi autem ex his verbis ſufficienter colligitur obligatio vovendæ paupertatis, cur non colligatur, imò apertiùs adhuc demonſtretur in dicti ſermonis verbis illis? ubi ait S. Auguſtinus: *Noverit Charitas veſtra, dixiſſe me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicúnque habet aliquid, aut vendat, aut eroget, aut donet, & commune illud faciat*: item in ſubſequis: *qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in actibus Apoſtolorum, deſerit, à voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit, obſervet judicem, ſed Deum, non me.* Denique ubi de votifrago Clerico, & communem vitam deſerente infrà agit dicens: *Ego ſcio, quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere, vovete inquit, & reddite Domino Deo veſtro. Et melius eſt non vovere, quàm vovere, & non reddere - - - - ergò profeſſus eſt*

ſanctitatem (nempè Clericus) *profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem*, *profeſſus eſt*, *quàm bonum*, *& quàm jucundum fratres habitare in unum*, *ſi ab hoc propoſito ceciderit &c.* ut nil dicam de ſermone altero, in quo *hanc profeſſionem*, *hoc propoſitum*, *hanc proprii repudiationem* tam manifeſtè in ſuis Clericis viguiſſe conſultò probat, ut nil manifeſtius. Atque hoc dein eſt? *Nullum Canonicorum regularium invenire in operibus S. Auguſtini pro voto paupertatis ſuorum Clericorum ſolidum fundamentum.* Verùm non vacat omninò folia hac refutatione implere, & eas objectiones novis velle argumentorum jaculis confringere, quæ unacum prodromo quem exornant, fulmine dudum confixa ſuccumbunt. Quamvis præter hoc, omnia, quæ Hierarchiæ Author tanto pondere ſe produxiſſe opinatur, non ambigamus Exegeſi noſtra (ſi modò bene ad trutinam revocentur) abundantiſſimè aut ſoluta eſſe, aut convicta.

Igitur ad priora redeuntes obſervo, & ego Franciſcum Petrum nullum planè in allegato aſſerto errorem commiſiſſe. Imprimis enim Petrus neutiquam ſupponit monaſterium SS. Udalrici, & Afræ Auguſtanum an. 802. aut 982. à Canonicis Regularibus Ordinis *S. Auguſtini* fuiſſe inhabitatum, longè enim aliud eſt dicere, viros religioſos ſub auſpicio, & præſidio Magni *Auguſtini* devotè militantes ex *SS. Udalrici*, & *Afræ* fuiſſe adſcitos, aliud, eosdem viros religioſos fuiſſe Canonicos regulares Ordinis *S. Auguſtini*, illud quoad rem non ſolùm de Auguſtanis *SS. Udalrici* & *Afræ* Clericis, ſed & de plurimis aliis vitam votivam Auguſtinianam æmulantibus optimè, ac veriſſimè aſſeritur, iſtud, quoad nomenclaturam, & ſinè prolepſi ſeu anticipatione loqui volentibus ſolùm conceditur poſt ea tempora, quibus regula preſsè talis, quam nunc Canonici habemus, communiter poſt *Innocentii* III. Concilium Romanum à noſtris recepta eſt: quod tamen nè in minimo identitatem ſtatûs noſtri priſtini immutâſſe ſatis ſuperque oſtendimus. Sicut ergo juxta *S. Auguſtinum: res longè ante nomina fuerunt.* Sic ordo Canonicus longè antea fuerat, quàm dici inciperet *Ordo S. Auguſtini*, neque hoc conferret aliquid ad ipſam rem immutandam, ùt diximus in Exegeſi. Verbis igitur illis mox allegatis Petrus non ſupponit, *Ordinem S. Auguſtini* nomine (ùt nunc dicere vulgus ſolet) ſed *inſtitutum ab eodem S. Patre reformatum*, & per univerſas Occidentis partes divulgatum Clericos votivos ſæculò nonò, decimóque, quin longè antea, fuiſſe profeſſos.

Deinde falſum eſt, ſupponere Petrum Canonicos Regulares jam annò 882. *vitam duxiſſe ſecundùm S. Auguſtini regulam*, ſub eo ſenſu, quem Author Hierarchiæ intendit. Nam tam hebetem fuiſſe Petrum nunquam cenſebo, ut ignoraret, Canonicos veteres ad nullam ſignatè regulam generaliter fuiſſe obligatos usque ad *Innocentii* tempora: quidam enim vivebant ſecundum S. *Hieronymi*, alii ſecundùm *S. Gregorii*, alii ſecundùm *S. Sylveſtri* regulam, ſed quæcúnque hæc regula, non erat certus, ac definitus codex, verùm certa vivendi forma ſecundùm primævum Apoſtolicum inſtitutum; ita quidem, ut veteres regulam, ipſum modum vivendi nominarent: unde cùm *S. Auguſtinus* Sermone altero de vita, & moribus Clericorum diceret ad populum: *Ipſa de libro actuum Apoſtolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis, ubi deſcripta ſit forma, quam deſideramus impleré.*

plere. Ipſe liber actuum Apoſtolorum ſecundùm hanc vivendi rationem, quam idem enarrat Cap. 2. *quòd erant illis omnia communia, & nemo dicebat aliquod ſuum &c.* erat *regula S. Auguſtini*, Clericorúmque ſuorum. Altera verò regula ex abundanti quadam ſollicitudine paternæ providentiæ præſcripta per modum potiùs additamenti, aut ſupplementi erat, quàm talis, ſecundùm quam aut Auguſtiniani Clerici, aut quicúnque imitatores *S. Auguſtini* profiteri cogebantur. Quippè quòd certò experimentô habeamus, multas Canonicorum regularium formulas profeſſionis ad uſque recentiſſima tempora, non aliam regulam memorare, quàm SS. Patrum, prout id pariter in Exegeſi jam oſtendimus. Itáque Petrus, ſicut nè verbum profert de obſervata *S. Auguſtini* regula, ſic per auſpicium, & præſidium Magni Præſulis *Auguſtini*, ſub quo ait Canonicos Afranos militaſſe, non aliud ſupponendus eſt intellexiſſe, niſi imitationem vitæ votivæ per *Auguſtinum* præcipuè in Clero occidentali dilatatæ, ac reſtitutæ. Adde omnes Canonicos votivos ſæculis prioribus vixiſſe ſecundùm regulam *S. Auguſtini*; nimirum impléſſe, ac obſervâſſe, quæ regula *S. Auguſtini* præſcribit, ſicut jam alibi hanc obſervantiam luculentiùs monſtravimus.

Hoc Collegium quemadmodùm multis prærogativis abundat, quarum præcipuum illud, quòd Reverendiſſimum ejuſdem caput ſit ſacri Romani Imperii Prælatus, & Cæſareæ Majeſtatis Capellanus; ſic étiam egregios ſæpè, ac doctiſſimos viros nutrivit, nutrítque ammodò: inter quos haud dubiè noſtris temporibus numerandus meritò occurrit Pl. R. D. Bernardus Strelr Decanus ibidem digniſſimus, cujus eximiæ benevolentiæ multum debemus hauſtæ non paucorum collegiorum notitiæ, quam ipſe propria manu deſcriptam nobis liberaliter ſuppeditavit. Speramus autem ſingularia, quæ nobis penè in totum deſunt, documenta, ac monumenta hujus ſui proprii Collegii, nos anteà adhuc ab eodem adepturos, quàm de hoc in ipſo opere acturi ſimus.

Diſciplinam non minùs, quàm optimam æconomiam iſthic inſigniter florere, non eſt, ùt multis probemus, quippè quam utrámque univerſa Suevia celebrat, & admiratur. Augeant ſuperi (animitùs vovemus) hujus inclyti Collegii virorem cedrina firmitate.

Exiſtit in Burgovia ad Camlachium amnem. Bruſch. Monaſteriol. p. 645. Franc. Pet. Suev. Eccl. p. 892. Hierar. Auguſt. P. 3. pag. 445. Stengel. rerum Auguſt. comment. p. 114.

Wurmlingenſe Præpoſitura. Vetuſtiſſimum Conſtantienſis Diœceſis Cœnobium, primúmque Canonicorum Regularium fuiſſe ait Petrus Franciſcus, dein verò ſæcularium invidiâ, deníque Hæreticorum, penitùs exſtinctum, ſola illius ſuperſtite Eccleſiâ (quæ parochialis eſt) in præcelſo paris nominis monte Wurmlingenſi conſpicua, eaque Imperiali monaſterio Creuzlingenſi pleno jure ſubdita. In hoc monte mirabilis illa conſtituta eſt à quodam Comite *de Calvv* fundatio, quam refert Cruſius Parte 3. L. 2. C. 17. & L. 11. C. 5. hunc Comitem idem Cruſius *Anſelmum* nuncupat, quem Georgius *Walzen* in ſuo Libro: *Fons Ducalis Wittenbergici ſtemmatis, & nominis:* inſcripto, dicit annô 938. vixiſſe; obſervat tamen ab aliquibus *Anſelmum* pro filio *Conrado de Calvv* haberi, qui annô 1235. ſuperſtes fuerat, unde Cruſius hanc fundatio-

Fund. ſæc. 11. Exſtinct.

tionem alligat huic *Anſelmo*, adeóque, & ſæculô decimô tertiô exortam. Quod dum à nobis legebatur, cauſavit, nè huic utcúnque debili antiquitati innitéremur, de ubi Creuzlinganis initiis ſermonem habuimus.

Fundatio iſta Wurmlingenſis, ùt Cruſius obſervat, ſublata atque extincta eſt circà annum 1530. cur, aut quo modo? idem ſe ignorare ait, attamen, inquit, paucis poſt annis religionis immutatio in Wirtenbergenſem Ducatum inducta eſt, Manet tamen hodiedum ſpiritualis proviſio hujus loci apud Creuzlinganam Abbatiam.

Exiſtit in Comitatu Tubingenſi Cruſius cit. Franciſ. Pet. Suev. Eccleſ. pag. 910. Docum. communic.

CIRCULUS FRANCONICUS.

FRanconia Romani Imperii eximia portio, cùm primùm Evangelicæ lucis cognitione dignata eſt, cives habuit religionis Chriſtianæ tuendæ, ac propagandæ Zeloſiſſimos. Latet quidem, quo propriè tempore primùm in ea prædicari cœpta ſit Evangelica veritas. Id certum, Clodovæi ætate, hoc eſt, ſæculô quintô ſaltem, eandem in hac terra illuxiſſe, quæ tamen ſuccedente perſecutionum turbine, & obnubilante rurſum plurima Germaniæ loca paganâ fuligine, demum operâ *D. Kiliani*, dicti ideò ex merito Franconiæ totius Apoſtoli reducta eſt tam ſtabili progreſſu, ut ab eo tempore in avita fide laudatiſſimè uſque nunc perduraverit. Quódque præcipuè deprædicandum, frendentibus, ac obvallantibus quaſi ex omni parte hæreticis Franconiam, conatu planè irrito ſemper laboratum eſt ſectam ſuam (Catholicis in hoc circulo degentibus aut dimovendis aut ſubvertendis) majorem facere. Hujus in vera fide firmitatis ratio, profectò nemini juſtiùs adſcribetur, quàm Eccleſiaſtico Franconiæ Triumviratui, Epiſcopos intelligo *Herbipolenſem*, *Bambergenſem*, & *Eyſtadienſem*, quos ſanè novimus continua quadam ſerie ſe ſe ita excepiſſe, ut adhuc tum vix definire liceat, ſi primos horum Epiſcopatuum omni exceptione majores dudum Sanctorum numero adſcriptos Præſules fortè excipias, cui eorum ob zelum conſervandæ Religionis palma ſit deferenda, in hoc certè Franconia feliciſſima, & toti Germaniæ ad æmulationem proponenda.

Porrò pauca Ordo noſter in hoc Circulo Collegia enumerat, & quidem, quæ univerſim extitêre, tantummodò ſedecim, at actu florentia nonniſi ſex. Quódque dolendum ampliùs, quamvis

vis omnem operam navaremus, ut ſaltem actu exiſtentium notitiam prolixiorem aucuparemur, incaſſum vota, precéſque cecidêre, à quibusdam enim non niſi abbreviatam, & mutilam hiſtoriam nacti, ab aliis ad libros dudum editos ablegati ſumus, eos quidem, quorum intra nos non ſemel inertiam accuſavimus, & oſcitantiam, maximè in chartis fundationum, & privilegiis, ut facilè aquirendis, ſie non ſine culpa omiſſis.

Igitur nemo noſtrûm nobis imputabit minorem in enarrandis Franconiæ Monaſteriis ſolertiam; quippè qui omnibus ſervire parati ſumus, ſi modò ipſi non denegent obſequendi facultatem.

Fund. ad init ſac. 1. Secular. Aichſtadienſis S. Salvatoris Cathedralis. Exordium ſuum hæc nobiliſſima Eccleſia debet Monaſterio primùm hic loci à *S. Willibaldo* conſtructo, *monaſterio*, inquam, *conſtructo Clericis regularis vitæ*. Ut vult *Philippus* Scriptor vitæ hujus Sancti Epiſcopi, ejusque in ſede Epiſcopali Triceſimus nonus Succeſſor, anteà Ordinis Ciſtercienſis monachus annô 1322. vitâ functus, verba ejusdem ſunt ſequentia: *Sanctus igitur Willibaldus infulis decoratus talem ſe exhibuit, ut ab omnibus amaretur, & accedens ad locum deputatæ ſibi ſedis, qui erat locus horrendæ, ac magnæ ſolitudinis, cœpit eremum excolere, nemus ſuccidere, ſuccisum eradicare, & ſuper ripam fluminis, quod Alimoricum vocatur, monaſterium fabricavit; & regularis vitæ, rationabilisque obſequii Clericos congregavit.* Impingit minùs feliciter modernorum criticorum ſcopulis *Philippus* hoc ſuo aſſerto, & tanquam ſcriptor recentior reſtagari dicitur antiquiſſimis, ſanctóque *Willibaldo* coævis traditionibus, quorum Principem locum ſibi vendicat Hodæporicon à ſanctimoniali Heidenheimenſi conſcriptum, cujus laudem legendam habes apud Caniſium tomo quarto Antiquarum Lectionum: & apud Solerium in vita *S. Willibaldi* comment. præv. §. 2. quâ Duce idem vir clariſſimus non dubitat præter alia *Philippum* erroris aperti arguere, quod S. *Willibaldum* in Eccleſia ſua velit ſtatim congregaſſe Canonicos Regulares, *ubi ſanctimonialis* (verba ſunt Solerii) *diſertiſſimè memorat, monachos illic collectos fuiſſe.* Mentem Solerii longè ante prævenit Doctiſſimus Gretſerus, qui indubitatè planè affirmat à *S. Willibaldo* in primo illo monaſterio monachos congregatos Evangelium genti illi prædicâſſe, diuque ibi perſtitiſſe, donec Canonici communis vitæ, nullóque expropriationis voto ligati ſuccederent.

Verùm quidquid hi viri ſanè eruditiſſimi arguant, decernántque mihi verba illa ſanctimonialis in Hodæporico relata tantum oraculum non ſunt, ut dicam *Philippum* omnimodis à vero aberrâſſe. Nunquid enim Caniſio vita ejusdem *S. Willibaldi* ex membranis M. S. monaſterii Oxenhuſiani eruta, & à Solerio ſecundo loco edita tantæ antiquitatis videtur: ut dicat: *Si conjecturæ licet indulgere, cùm hic Auctor ideò in Itinerario conveniat cum Sanctimoniali Heidenheimenſi, puto eſſe unum ex illis Diaconis, vel aliis, qui unacum illa ex ore S. Willibaldi omnia audiverunt &c.* Quin & Solerius ipſe proximum auctoritate Scriptorem nuncupat Anonymum, id eſt, ipſius de qua loquimur, vitæ ſecundæ Scriptorem. At hic ut ut alioquin cum Sanctimoniali Heidenheimenſi convenit, ubi illa ait: *In locum, qui dicitur Eyſtet, monaſterium conſtruere incipiebat, atq; ibidem ſacram monaſterialis vitæ diſciplinam in uſum prioris vitæ; quod videndo ad Sanctum Benedictum, & non ſolùm* ibi,

ibi, ſed & in multis monachorum manſionibus, quas ipſe ſolers, & Sophyrus vaſta per rura rimando explorabat, illorum Kata normam venerandæ vitæ conſervationem in ſemetipſo oſtendendo exercebat. Hic Anonymus ſic ſcribit: *Nec mora Eccleſia fundamenta cœpit ponere, Clauſtrum, & officinas Cleri ſignare, & qualibet divinæ neceſſaria ſervituti ſagaciter diſponere.* Quid jam de utróque hoc contextu ſentiendum? neutrum manuſcriptum (ex quo Caniſius primùm geminam deſcriptionem, id eſt, à ſanctimoniali, & ab Anonymo factam acceperat) primigenium eſſe manifeſtant abundè errores utrobique notati, diverſæque lectiones obſervatæ à Gretſero. Quòdſi jam liberiùs (de ſimilibus codicibus, ùt argui ſolet) dicamus Suffarcinatorem intruſiſſe *monachorum* mentionem emendicatam occaſione Caſſinenſis Contubernii *Willibaldo* ab utróque ſcriptore attribuci, oggeret, qui adverſatur, in Anonymi vita ſuffuratorem, qui *monachorum* decuſſerit vocabulum *Clericorum* ſubſtitutô. Quamvis (ut, quod ego opinor, prodam) potiùs illud, quàm iſtud crediderim; movet me inter alia *Philippi* auctoritas, imò ſinceritas, ſcripſerat is haud dubiè Willibaldianam hiſtoriam Eiſtadii, ubi ignotum eſſe non potuit Hodæporicon Sanctimonialis, fortè jam, aut Rebdorffii, aut certè in ipſo Epiſcopali archivo latitans: prout abundè colligitur ex ipſa deſcriptione à *Philippo* facta. Fuerat hic Ciſtercienſis monachus, & eô quidem tempore, quo pro aris, & focis certabant monachi, ut ſuis adſcriberent viros ſanctos, & præclaros, quos poſſent: inteſtem unum ex ſexcentis voco Paulum Langium. Et tamen abſtinuit ab hac gloria tam manifeſtè ſibi aſciſcenda ex codice Sanctimonialis *Philippus*, potiúſque ſecutus eſt Anonymum, fortè an? quòd Rebdorffenſe M. SS. necdum erat in aperico; aut, quòd hanc pericopen inſertam nondum haberet, aut quòd ipſe *Philippus* in hoc puncto ſincerius crederet M. S. Apocryphum Anonymi, quàm Sanctimonialis, quia igitur, quotquot ſunt, qui monaſterium iſtud monachis Benedictinis conſtructum aſſerunt, ſe fundant in dicto Hodæporico, cùm non diſpar pondus me moveat, ut potiùs credam Anonymo, ſuum cuique judicium eſto, ego intereà tamdiù cum Anonymo dicam, Clauſtrum, & officinas à *S. Willibaldo* condita fuiſſe *pro Clero*, & quidem cum Philippo, pro *Clero regularis vitæ*, quamdiù non potior, graviórque ratio occurrat aliter ſentiendi.

Convixerint forſitan Canonicis monachi inſtitutore *Willibaldo*, quod non abnuo, quippè cùm id in pluribus Eccleſiis factum noverimus, at Clerum principalem, & Cathedralem ex monachis conſtitiſſe omninò inficior.

Cæterùm Anonymi cauſam aliquantò ſollicitiùs curare contendens exiſtimo ipſum etiam, quod Caniſius edidit, Apographum mitiùs, quàm à Clariſſimo Solerio, eſſe reſpiciendum, certè quemadmodùm id non omninò ab omni mendo purum abſolvimus, ita in quibusdam excuſandum putamus, ſanè non aberrâſſe à vero ſeu Anonymum, ſeu deſcriptorem, dum poſuit urbem Salzburge pro Sallburg, docet Falckenſteinius in ſuis Antiq. Nordgaviens. tom. 1. pag. 12. L. d. abſtineo ab aliis.

Porrò cùm Canonici Cathedrales libertatis Clericalis prærogativis nimio auſu abuterentur, & à prima regulari inſtitutione ſæculô nonô enormi lapſu deflecterent, *Adalungus* quartus poſt *Willibaldum* Epiſcopus patrocinan-

te

te *Ludovico Pio* eos ad priſtinam communis vitæ reduxit tramitem, hinc illa Auctoris vitæ *S. Aldrici* verba à Falckenſteinio adducuntur: *Ut Canonici tantò Eccleſiæ viciniores, nec vulgo permixti habitarent, ædificia, ſatis, ut dum uſus habebat, opportuna conſtruxit: adhuc locus nomen retinet, ut clauſtrum Canonicorum dicatur. Quid quòd communem eis convictum aut præſcripſit, aut perſuaſit.* Verùm hic totus contextus planè diſparatus eſt ad communem vitam Eyſtadienſium Cathedralium ab *Adalungo* inductam comprobandam, nam quòd de *Aldrico*, ſuiſque Cathedralibus Cenomanenſibus Author ille aſſeruit, nihil planè accommodum habet ad *Adalungum*, & Canonicos Eyſtadienſes, niſi unicum tempus excipias, quo ſimul vixerat *Aldricus*, exſtiteràtque Epiſcopus Cenomanenſis, *Adalungus* autem Eyſtettenſis. Quamvis verò ex hoc vitæ *Aldrici* loco neutiquam idem ipſum feciſſe *Adalungum* Eyſtadii argui valeat, ſuadet tamen Concilii Aquiſgranenſis ratio, cujus conſtitutionibus paſſim, Canonici Germaniæ monebantur, imò & obligabantur ad reaſſumendam vitam communem; quam itaque reſtituiſſe ſua in Cathedrali *Adalungum* omninò affirmo, & affirmabit, quicúnque ejus præclaram vivendi normam, & eximiam virtutem penſitaverit.

Demùm non ſatis conſtat, quandò hujus eximiæ Eccleſiæ Canonici paupertatem votivam omninò depoſuerint, quamvìs, id jam ſæculò undecimò factum eſſe, credam.

Acta SS. tomo 2. Julii die ſeptima. Antiquitates Nordgavienſes Henrici Falckenſtein tomo 1. Gretſerus nov. Edit. tom. 10. de Tutelar. Eyſtettenſibus. Vita S. Willibaldi apud Canis. tom. 2. &c.

Bambergenſis SS. Petri, & Georgii Cathedralis.

[Fundat. ſæc. 11. ſæcular.]

Cùm plures Bambergenſis hiſtoriæ Scriptores requirimus, Eccleſiæ hujus exordium juxtà illos haud annum 1006. præiviſſe reperiemus, quo ſcilicèt tempore, & ipſam conſtruxiſſe, & ad Epiſcopalem honorem ſublimâſſe *Henricus* Sanctus memoratur, præfeciſſéque eidem primum Præſulem Eberhardum Cancellarium ſuum. Ab origine iſthic pariter cum Epiſcopo inductos Canonicos diſcimus ex fundationis privilegio à dicto ſancto Imperatore conceſſo, in quo præter alia ſtatuens ait: *Ut in Deo --- Dilectus ſæpè dictæ ſedis Epiſcopus Eberhardus, ſuique ſucceſſores liberam dehinc habeant poteſtatem, eadem præſcripta bona cum omnibus appendiciis ſuis tenendi, poſſidendi, ſeu in quoslibet uſus Epiſcopatùs convertendi, fratribus autem Canonicis Deo ibidem famulantibus ad quotidiana temporalis vitæ ſubſidia, poſſeſſiones, quas tradidimus, imperiali auctoritate, proprietatevè poſſidenda confirmamus.* Hos verò Canonicos in communi vixiſſe etiam *Ottonis Sancti* tempore, qui fuit octavus hujus Eccleſiæ Epiſcopus ipſa non obſcurè ſancti viri acta declarant, ut ideò non immeritò ad Caput 38. vitæ ejuſdem notet Jaſchius (quamvìs hæreticus) ex Trithemio, tum adhuc Canonicos Cathedrales in communi vixiſſe unam habentes menſam, unam Burſam, unúmque commune dormitorium. Intereà tamen haud multùm exceſſiſſe hæc regularis vita Canonicorum Cathedrálium Bambergenſium *S. Ottonis* tempora videtur: de quo nos alibi plura inveſtigabimus.

Vita S. Henrici apud Gretſerum t. 10. à pag. 506. Hofmannus, alíique ſcriptores apud Ludewig. in ſuo Volum. Scriptorum rerum Germ. tom. 1. &c.

Fund. an. 1102. Floret.

Drievelſteinenſe. Seu Petræ ſtillantis vulgò Triefſenſtein. Abbatia. Hujus breviſſimam deſcriptionem mihi communicatam, debeo, nunquam non cum honore memorando, Clariſſimo Domino *Michaëli Kuen* Decano Wengenſi, qui eam ab hujus Collegii Decano *Chiliano Rohe* obtinuit: Verùm jejunam adeò, ut ſi fundationem ab *Einhardo* vigeſimo ſecundo Herbipolenſi Epiſcopo annò 1102. factam demas, numerúmque ſeu ſeriem Præpoſitorum omninò Sterilem; alioquin omnia adhuc deſideres, maximè litteras Fundationum, ac privilegia, nec non virorum quorumdam bene meritorum notitiam, quos ſpeciatim in deſcriptione ſua relaturum ſe adpromiſit idem, quem ſupra nominavi, Chilianus in Epiſtola ad præfatum Clariſſimum pro me ſollicitatorem documentorum, data prid. id. Martii anni 1739. ſed intermiſit. Porrò aliquantùm nos moratur quartus, qui in ſerie Præpoſitorum notatur *Folmarus* nomine, de quo ibidem: *Follemarus, qui corrutam Canoniam reædificavit, & pagum in Miechenrieth obtinuit, de quo etiam meminit Bibliotheca Patrum tomô decimô tertiô* (corrige vigeſimô tertiô, & vigeſimô quintô) *pagina trecentiſimâ quadrageſimâ quartâ* (Lege 239. & ſeq.) *obiit annô* 1181. *decimâ tertiâ Aprilis*. Hic infelix Folmarus (prout aliàs citato loco, & apud Gretſerum nec non apud Pezium nuncupatur) in lamentabilem hæreſim incidit Neſtorianorum. Qui quidem veneno ſui erroris de ſanctiſſima Euchariſtia (docebat enim ſub vini ſapore, ac ſpecie ſe bibere ſolum, & purum ſine carne ſanguinem Chriſti, & ſub panis ſapore, ac ſpecie ſolam, & puram carnem Chriſti ſine membris corporalibus, imò & ſine humani Corporis plenitudine, nec filium hominis, ſed carnem filii hominis manducare) omni Conatu per Bavariam aliáque loca vulgato, poſtquam à Doctiſſimis, ac graviſſimis viris præcipuè à *Gerobo* Reicherſpergenſi, ejúsque fratre Decano (ùt videtur *Adamo*) acerrimè retuſus, ac confutatus eſt, palinodiam quidem cecinit per Epiſtolam miſſam Prælatis omnibus in Bavaria, & Auſtria conſtitutis, quæ incipit: *Semper gaudere, nihil adverſique timere &c.* Verùm cùm *Folmarus* pluribus erroribus ſe implicâſſet, non dicitur omnes recantâſſe: nam in judicio de prædicta recantatione iſta leguntur: *Hæc dicta ſunt à Folmaro errorem ſuum recognoſcente non per omnia ſed ex parte. Nam ſunt adhuc plurimi ejus errores inſerti ſcriptis ejus, aut jam propalati verbis indiſciplinatis: quos, quia nondum recognovit, Oremus, tam ipſi, quàm ejus fautoribus, ita revelari veritatem &c.* an autem ante obitum ſuum & reliqua errata abjuraverit, ignoro, fortè latebunt in Collegio iſto documenta, quæ id prodant. Epiſtolas tum à *Folmaro*, tum ab aliis eundem reprimentibus datas ſuo tempore publicabimus. Cæterùm mihi quidem videtur *Folmarus*, quidquid in fidem ſanam, ac integram peccaverat, retraxiſſe, quod profectò Epiſtola ipſius recantatoria non obſcurè inſinuat, qua animum oſtendit ad piam affectionem valdè mollem, & proclivem. Hanc Abbatiam adhuc in optimâ diſciplinâ ſub Reverendiſſimo, ac ætate grandævo Domino Præſule *Valentino Bencard* annô 1694. ad infulas aſſumpto florere edoctus ſum.

Exiſtit infra Herbipolim. Docum. communic. Gretſerus tom. 9. à pag. 100. Biblioth. SS. PP. cit. Bern. Pez. Anecdot. tom. 1. part. 2. à Col. 221. Cap. 13. & ſeq.

Buc.

Buc. Germ. Sacr. tom. 2. par. 2. f. 173.

Fund. 1143. Ord. S. Dominici.

Engelthalenſe. S. Joannis Virginum Prioratus. Cùm necdum ſub manus noſtras Henrici Falckenſteinii liber de Antiquit. Nordgav. perveniſſet, moniti de hoc monaſterio mappæ noſtræ inſerendo paruimus. Verùm perſpecto ejuſdem Authoris, de hoc eodem Parthenone, tractatu, reperimus illud ab origine, Beginarum poſtmodùm verò Ordinis *S. Dominici* fuiſſe. Exſtant quidem pauciſſima inſtrumenta ab eodem Falckenſteinio in ſuo codice diplomatico relata, in quorum uno de annô 1268. id eſt 25. annis poſt fundationem: *Prioriſſa, & Conventus ſororum in Engelthal Ordinis S. Auguſtini Eyſtettenſis Diæceſis* ſe dicunt nullo addito ordinis diſcrimine Sed in alio de annô 1319. hæc leguntur, *Nos Prioriſſa Gertrudis, totúsque Conventus Sanctimonialium in Engelthal, Regulæ S. Auguſtini Eyſtetten: Diæc. ſub Fratrum Prædicatorum cura, & regimine degentes &c.* Quæ quidem ipſa verba necdum decernunt has Sanctimoniales fuiſſe Ordinis Prædicatorum, intereà, cùm eas ſub regula *S. Auguſtini* Canonicas ſeu Canoniſſas fuiſſe non legam, conſultiùs ab hoc Parthenone noſtro ordini adſcribendo poſthac abſtinebo.

Vide Antiq. Nordgav. tom. 2. C. 4. §. 7. p. 332. & Cod. dipl. num. 54. & 101.

Fund. circ. an. 1118. Floret.

Gottcellenſe, ſeu Cella Dei ſuperior Abbatia. Hujus jam ab origine inſtituto Norbertino dicati cœnobii memoriam hic agimus ex cauſis in deſcriptione Furnenſis Abbatiæ circuli Burgundici notatis. Refert verò fundationis exordium Hugo Stivagienſis, cujus nos verba ſubjungimus: *Poſt obtentam, inquit, ab Honorio Ordinis approbationem, Norbertus Româ rediens Herbipolim appulit. Illic in conſeſſu Procerum peracta Concione, ſacris operans in Cathedrali Eccleſia, inter ſolennia miſſarum cæca mulier, recuperandi luminis deſiderio flagrans ſpe ſubnixa, & fide vivaci fervens, viſum, quem ardenter petebat, Norberto in oculos ejus ſuſſiante recepit. Hoc portento permotus Joannes Eccleſiæ ejuſdem Canonicus illius Frater, ſe ſuáque omnia viro Dei tradiderunt, ut ſui inſtituti monaſterium ſub ſe Patre, & fundatore primo auſpicaretur. Promptæ voluntatis obſequia benignè auſcultans Norbertus, juxta Herbipolim ſiniſtram labentis Mæni ripam, Præpoſituram inſtituit nobilem, cui Cella-Dei nomen impoſuit; Embrico de Leysningen Epiſcopus Herbipolenſis ſuo diplomate fundationem roboravit annô 1128.*

Hæc Abbatia ſub eodem inſtituto adhuc noſtra ætate eximiè floret. Annales Præmonſ. pag. 501. Bruſch. Monaſteriol. pag. 125.

Fund. an. 1052. Floret.

Heidenfeldenſe S. Mauritii Abbatia. Perhumaniter communicata nobis ab hujus loci clariſſimo Domino Decano *Sebaſtiano Degen* magnâ ſolertiâ, ac induſtriâ congeſta documenta non modicam ſubminiſtrârunt lucem iis, quæ hactenus de eadem Abbatia utcúnque innotuerant, præcipuè ex originibus Cœnobii Banzenſis apud Ludewig. in ſuis rerum Germ. Scriptoribus: ex quibus geminis invicem collatis reperimus abſque dubio, *Alberadam Hermanni* Marchionis de Vohenburg Conjugem fuiſſe hujus Cœnobii Fundatricem circà annum Domini 1052. atque exinde per *Adalberonem* annô poſtmodùm 1069. primum Præpoſitum, *Ottonem* nomine ex Bavaria aſcitum Canonicæque collectæ Congregationi præſtitutum. Dolemus autem, quòd Cœnobium illud, ex quo *Otto* aſſumptus, ignorare cogamur: fortè id ex quopiam Bavaricorum monaſteriorum Ordinis noſtri

noſtri vetere necrologio colligere daretur, pro quorum nobis facienda Copia, licèt crebrioribus precibus inſtiterimus, necdum tamen inde vel ullum nobis communicatum eſt. Cæterùm plurima ſanè ſunt, eaque de hac celeberrima, & inclyta nec non antiquiſſima Canonica Heydenfeldenſi lectu, notatúque digniſſima, quæ nos nec ad apicem unum intermiſſuros in ipſo opere ſanctè ſpondemus, at nunc brevitate contenti ſimul, & inviti filum abrumpere cogimur, precantes intereà *Reverendiſſimo ac Ampliſſimo Domino* hodie præſidenti *Præſuli Sigiſmundo*, ut quem Deus ex æquo huic celeberrimo cœnobio præeſſe voluit, fautorem Operis noſtri, ac Patronum ſingularem diutiſſimè conſervare dignetur. Deniqúe obſervamus hanc *Alberadam* Fundatricem cum hujus, de qua agimus, Canoniæ, tum monaſterii Banzenſis, in qua ipſa ſepulta eſt ab Henrico Abbate in ſuo Chronico apud Ludewig identidem *Beatam* nuncupari, ut ideò fortè aliquem vitæ ſuæ Biographum, & non minùs in opere noſtro inter Divos, quorum vitam dabimus, locum mereretur. Verùm niſi rationes potiores, quàm ab Henrico laudato ad probandam ejus ſanctitatem prodantur, vix animum ſumo, ſoli hujus authoritati innixus talem aut agnoſcendi, aut prædicandi.

Exiſtit in urbe hujus Nominis. Docum. communic. Chron. Banzenſe apud Ludewig. Script. rerum German. Vol. 2. à pag. 48.

Fund. ſec. 7 ſecular.

Herbipolenſis S. Kiliani Cathedralis. Fundamenta, ac originem huic (poſtmodùm Cathedrali) Eccleſiæ S. *Kilianus* poſuit inter annum 686. & 689. qui huc locorum commeans Evangelium populo pagano tantò emolumentò prædicavit, ut brevi tempore ingens multitudo veritati Chriſtianæ manus daret, idola deſtrueret, conderétque Eccleſias, vero, uníque Deo ſacrandas; quarum hanc, de qua agimus, meritò cenſemus, & primam, & principem fuiſſe. Huic *Kilianus* clauſtrum Clericorum junxiſſe eò certiùs videtur, quò patentius eſt, ipſum iſthuc cum ſociis appuliſſe, & quemadmodùm Clericali inſtituto à teneris addictum, ita idipſum dicto in cœnobio ab origine implantaſſe. Obſervamus enim, quod clariſſimus Solerius in commentario prævio ad vitam S. Kiliani ſcripſerat, dicens: *Ordini ſuo Benedictino S. Kilianum poſt Trithemium monaſtici certatim adſcripſerunt, adſcripſit & Mabilio, tametſi in obſervationibus præviis candidè fateatur, dubium relinqui, an S. P. Benedicti inſtituta ſectatus ſit. Mihi non minùs dubium eſt, an unquam monachus fuerit, fatente denuò Mabillione ea omnia, quæ de monaſtica profeſſione afferuntur, mera eſſe interpolatoris additamenta, ubi prima, & ſincera vita Author nec rimam aperit, unde colligas, aut monaſterium ingreſſum S. Kilianum, aut ei præfectum fuiſſe.* Hæc Solerius: vitæ verò ſinceræ ſcriptor: *Contigit autem*, inquit, *ut quadam die Evangelica ſimul, & voce Dominica admonitus eſſet, ubi dicitur: qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hac ſecum Beatiſſimus vir toto cordis ac mentis affectu pertractans, congregatis in unum ſuis ſociis, atq; diſcipulis, id eſt Lonato, ac Gallone, & Arnuvalle Presbiteris, & Totnano Diacono, aliis ſeptem illis adjunctis cœpit eis perſuadere propria contemnere, patriámque, & parentes ſecundùm Domini Evangelium, relinquere, & nudum ſequi Chriſtum. Illi ſtatim ſacræ admonitioni Beati viri obtemperantes &c.* Ex quibus profectò verbis colligimus, *Kilianum* ſocios ſuos, quos Presbiteros fortè rurales oſtenderat, aut Canonicos quidem, ac in

in ſocietate Clericali viventes, verùm necdum proprietatis renunciatores, ad id demum perſuaſiſſe, & qualem ipſe ſe primus exhibuerat, hos quoque regularis vitæ feciſſe profeſſores. Atque hanc Ecleſiam in regularitate diu, ac ſaltem usque ad tempora *S. Brunonis* aut etiam ultrà perſtitiſſe penè certum habemus. Neque omninò Cognitum, quô præcisè tempore Canonici Cathedrales diſciplinam regularem dimiſerint.

Acta SS. Die 8. Julii tomo 2. Canis. Antiq. Lect. t. 3. à f. 171. Bruſch. in Chronol. Monaſt. pag. 146.

Fund. Exſtinctum.

Langenzenſe. Præpoſitura. Cujus nobis nihil niſi nomen ſupereſt, memoriáque in litteris tradita, illam aliquando ſub inſtituto noſtro floruiſſe. Nunc inter ruinas, ſepulta jacet.

Exſtitit inter Winsheim, & Norinbergam. Documenta commun.

Fund. an. 1470. floret.

Mariæſteinenſe ſeu Lapidis B. V. Virginum Canonicarum Prioratus. Celebris hic parthenon initia ſua debet quibusdam piis Virginibus, quarum Ducem ſe præſtitit *Walburgis Aichorn*, quæ ſublatis per mortem parentibus in virginitate Deo ſervire ſtatuens collectis ſodalibus relicta urbe Eyſtettenſi, quam hactenùs incoluerat, quoddam prædium (Canonicis Rebdorffenſibus cenſuale) horum beneficiô inhabitare cœpit, futura hoc modo devotioni proprior, remotiórque à tumultibus civitatis. Demum Walburgis noſtra cum ſuis, ubi diutiore deliberatione cum Rebdorffenſibus actum eſt, eò conſilii proceſſit, ut mundi cupiditatibus ex integro relictis, ſtatum religioſum amplecteretur, & inſtituto ſe daret, vitæ Canonicæ ſub Windeſemenſi reformatione inchoandæ. Cauſa cum ordinario Eiſtettenſi transactâ obtentáque venia imò & Epiſcopi *Wilhelmi* beneficientiâ Ecclesia cum clauſtro conſtruitur, & ab eodem *Wilhelmo* primo lapide poſito benedicitur, attribuente inſuper non modicas ad ſtructuram comparandam facultates, quod factum eſt annô 1470. & 1471. quo annô (potioribus quippè clauſtri partibus ad perfectionem deductis) *Walburgis* cum ſeptem ſociabus in manus Epiſcopi ſolennem ſuam depoſuit profeſſionem decimâ ſextâ Cal. Maij, quæ erat dictô annô feria ſecunda Paſch. mox ad electionem liberam Virginibus relictam proceſſum, ut ſibi Prioriſſam conſtituerent, quæ unanimi Calculo *Walburgam* expetierunt, unde ab Episcopo confirmata obedientiam à ſuis recepit, datâ confirmationis, & tuitionis Chartâ, quam tamen deſideramus, utpote nec in codice diplomatico Falckenſteinii (jejunè planè de hoc Parthenone agentis) nec in documentis nobis transmiſſis exſtantem.

Narrantur inde duæ è Veſtalibus miſſæ ad parthenonem ejusdem noſtri Ordinis Eichſtadio non longè diſſitum in urbe Vallendatenſi, ibidem diſciplinam regularem edocendæ. Egimus nos de Cœnobio quodam Virorum hanc in urbem ab Alberone interventu *Folmanni* Abbatis circà annum 1142. translato, ùt teſtis eſt Browerus in ſuis Annalibus; an verò ibidem clauſtrum quoque Virginale Canonici inſtituti exſtiterit, primùm ex documentis iſtis, ex quibus hæc eruo, diſco, neque cognitum, num adhuc illud ipſum, unde primam diſciplinam hauſiſſe Virgines Marieſteinenſes dicuntur, perduret.

Sic deníque religioſæ familiæ conſtituto, & ſtabilito fundamento innumeris licèt, maximè Lutheri,

theri, Belli ùt vulgò nuncupant, ruſtici, ac Suecici tempore, quaſſatum hoc ſacrum Gynæceum fuerit calamitatibus, ad ſolum etiam usque in cineres redactum, exiguis tantummodo ſtructuræ partibus flammam vorantem effugientibus: Perſtitit tamen usque ad noſtra tempora, quibus planè, & eximiè floret, Deum absque dubio patrocinantem demulcente religioſarum Virginum conſtanter, & illibatè cuſtoditâ regulari obſervantiâ: quamvis colligere detur, moderni ædificii clauſtralis decorem, & eminentiam longè à priſtino defeciſſe. Aliàs novimus quoque an. 1720. ſumma celebritate ad hunc Parthenonem translatum fuiſſe Corpus *S. Cæleſtini Martyris*, hactenùs Romæ in cæmeterio Calepodii quieſcentis, cui adjunctus lapis cum inſculpta ſcriptura: *S. Cæleſtino Martyre annô* 138. nec non lucerna propè ſepulchrum. De hoc *S. Cæleſtino* aut nolunt agere Sanctorum Acta, aut ejusdem adhuc latuit notitia. Nos plura de iſtius translationis ſolennitate in opere noſtro.

Exiſtit propè urbem Eichſtadium: Gretſerus: tom. 10. pag. 778. in obſervat. ad comment. de Divis Eyſtettenſibus. Bruſch. in Chronol. Monaſt. pag. 371. Falckenſtein in Antiq. Nordgav. tom. 2. pag. 379. Docum. communic. per Clariſſ. D. Philippum Säller.

Fund. an. 1381. Floret. **Mariæburgenſe. Virginum Canonicarum Prioratus.** Originem hujus Parthenonis repetere oportet ab illis temporibus, quibus *B. Stilla* ſua pietate præcipuè Franconiam adhuc vivens illuſtravit. Tum enim Eccleſiæ Mariæburgenſis initia ab ipſa hac piiſſima Virgine poſita ſunt, clauſtrum adiiciendum morte ipſius præpediente. Igitur cum ejus ſacra lipſana per quoddam prodigium alibi niſi in hac ipſa Eccleſia condi nequirent, inde quoque ob beneficiorum frequentiam ſepulchrum ejus nobilitantium, ac quotidiè pene ſeſe multiplicantium factum eſt, ut annô Chriſti 1382. idem ſacellum ſeu Eccleſiam jam ad ducentos, & quinquaginta annos perſiſtentem, *Wilbelmus* Epiſcopus Eyſtettenſis Cœnobio Virginali ampliaret, Colonia cum inſtituto ex Mariæſteinenſi Collegio transplantata. Floret autem hic Parthenon eximiè adhuc noſtra ætate, de quo plura in opere dicturi ſumus: ubi etiam de hac *B. Stilla* tanquam fundatrice meritò colenda agemus.

Exiſtit propè Alenbergam civitatem. Gretſerus tom. 10. in obſer. de Divis Eyſtett. pag. 829. Falckenſt. Antiq. Nordgav. t. 2. pag. 376. Docum. communic.

Neunkirchenſe Præpoſitura. *Fund. an. 1302. Extinct.* Fundatam fuiſſe an. 1302. à *Leopoldo* Comite de Grundlach Epiſcopo Bambergenſi notat Bruſchius; & monaſterium ipſe ſuo adhuc tempore elegans nuncupat. Tempore *Alberti* trigeſimi primi Bambergenſis Antiſtitis à primævo virore deficiens per eundem an. 1405. reſtauratum fuiſſe tradit Hoffmannus; quamvis fundationem ejus à *Leopoldo* factam omninò ſileat. Præfuerat tum *Wolframus* Præpoſitus, qui crebris ab *Alberto* concitatus ad reinducendam diſciplinam litteris, demum aſſumptis ex Hoſpitali Vorchemenſi monachis, inquit Hoffmanus poſterò annô Novem-Eccleſias perrexit, & ædibus inſtauratis *S. Auguſtini* Diſciplinam, propè intermortuam, excitavit. Quodnam iſtud ſit hoſpitale, me latet: quamvis oppidum Forcheimenſe inter Bambergam, & Norimbergam ſitum non ignorem. Certè ipſum Hoffmannum (qui in ſuis annalibus ſæpiùs velut ovis errabunda vagatur) fortaſſe hujus ho-

hoſpitalis (quod, qualevè fuerit, ut ex eo Canonici Regulares ad reſarciendam Neunkirchenſem Canoniam accerſerentur) probabiliùs requiſita notitia effugerit. Alioquin hanc Canoniam nobis communicata documenta referunt, exſtinctam eſſe usque ad modica rudera, proventus omnes Epiſcopatui Bambergenſi ceſſiſſe, & ſolùm iſtbic unum ſæcularem Parochialia adminiſtrare. Præpoſitorum quorundam ſeriem cum nonnullis aliis notitiam hiſtoricam illuſtrantibus dabimus in ópere.

Exſtitit prope Norinbergam. Hoffmanni Annal. Bamberg edit. Ludewig. pag. 224. Bruſcb. Chronolog. Monaſt. pag. 14. Bucel. Monaſteriol. P. 2. pag. 64. Docum. commun.

Fund. circa an. 1378. Exſtinctum. Pildenreutenſe Virginum Canonicarum Prioratus vel Præpoſitura. Cujus fundatorem ſe præbuit *Ludovicus* Bavarus ad inſtantes preces quinque Domicellarum Imperialis Gynæcei, quæ recuperaturæ ſolitum precum quotidianarum penſum, belli tunc geſti tempore intermiſſum, cœnobium aliquod ſibi conſtruendum expetiêre, in quo poſthac ſolis Divinis laudibus vacare poſſent: aſſenſit poſtulatis Imperator, locúmque ipſe deſtinâſſe dicitur. An ibidem ? ubi modulatione quadam dulci allectus quercum oſtendiſſe perhibetur cum Crucifixi imagine, atque inde nomen ipſi cœnobio datum *Pilden reuth* : an potiùs illic, ubi prædium aliquod denſis arboribus congeſtum runcare oportebat, & purgare, atque hinc non *Pilden-* aut *Bilden-* ab *Icone*, ſed *Wilden* à ſylveſtri loco nuncupatione oborta, cuicúnque ſentire licet, ùt libet; ego ſanè ad has nominum conjecturas, & ex iisdem ſæpiùs deducta putatorum prodigiorum commenta cautior eſſe malo, quàm proclivior, Idque multis de cauſis, ac præcipuè, nè, cùm ſæpiùs minùs fundatis principiis inhærens originem monaſteriorum facili argumento perſuaſus ſtatim miraculis adſcribo, genuinum finem dimittam ipſorum fundatorum, qui proprius, ac principalis ſemper fuit, Laus Dei, ac ejusdem gloria promovenda, cui innitebatur finis alter, hominum ſcilicèt ſecurior ſalus in locis piis curanda, ac conſervanda. Seu ergò monaſterium aliquod miraculò demonſtratum ſit, ut condatur, ſeu ſola pietas ad id fundatores induxerit, manet tamen indubitata obligatio ipſos in tali cœnobio collectos religioſos reſpiciens, ut non tam attendant miraculum, quo tale aſceterium cœpit, quàm finem ejus exſtruendi à fundatoribus quæſitum, ac propoſitum: mihi enim illud *Magni Gregorii* vehementer cordi ſumo dicentis: *Vera virtus in amore* *l. 20. mor. c. 9.* *eſt, non autem in oſtenſione miraculi quia veros Dei famulos non miracula, ſed ſola Charitas probat.*

Dederat imperator egregium etiam Confirmationis Diploma huic Parthenoni, ſed quod deſideratur. Annô 1378. Ordinem, ac inſtitutum hæ Virgines noſtrum cum *S. Auguſtini* regula ſuſcepêre. Refert Præpoſitarum Catalogum Bruſchius, quem nos ſuo tempore exbibebimus, ultima ab ipſo proditur *Dorothea Sexina* annô 1548. Clavum tenens, & quidem (uti Bruſchius teſtatur) laudabiliter, ac unicam ipſa ſuccedentem nacta eſt Agatham Steürerin ànnô 1577. Paulò enim poſt à Magiſtratu Norinbergenſi (ſectam Lutheri tuente) totum monaſterium ad profanos uſus diſperſum eſt.

Exſtitit ad Latomias urbis Norinbergenſis Bruſch. Chronol monaſt. pag. 360. Falckenſt. Antiq. Nordgav. tom. 2. pag. 324. Bucel, Monaſteriol. Par. 2. p. 71.

Fundat. an. 1185. floret.

Rebdorffenſe S. Joannis Baptiſtæ Abbatia. Inter omnia adhuc florentia Congregationis Windeſemenſis Collegia hoc unum eſt cum Marbacenſi, quod Abbatiæ ſimul titulo, & prærogativa gaudet inſignium Pontificalium. Originem hujus planè inclytæ, ac præclariſſimæ, nec non, & antiquitate eximiæ Abbatiæ Jure ſibi *Fridericus primus Barbaroſſa* dictus vendicat, quippè qui interventu *Beatricis* qualiſcúnque demum Conjugis ſuæ, primò Rebdorffenſem pagum donavit *Conrado* vigeſimo quarto Epiſcopo Eichſtettenſi, à quo conſtructum inibi Canonicis regularibus circà an. 1158. Monaſterium idem Imperator privilegio ſuo, ac tutela communivit: ſic enim ipſe in ſua, annô mox præfatô, conceſſa tuitionis Charta: *Quoniam ſupermemoratus Epiſcopus in prædicto loco Rebdorff ad laudem, & gloriam nominis Chriſti, & in honorem B. Joannis Baptiſtæ zelo pietatis, & felici opere Eccleſiam conſtruxit, ibiq; fratres ſub profeſſione, & regula B. Auguſtini Deo militantes ordinavit &c.* Prima quoque hujus Collegii conſtitutio fuiſſe traditur, ut in illud non niſi Nobiles ſuſciperentur, quod tamen necdum aliquo ſolido argumento firmatum legi. Bruſchius id omninò aſſerit, confirmat Falckenſteinius, & noviſſimè nobis transmiſſa documenta id ipſum innuunt: conſtare nimirum primitivos fratres, & Canonicos fuiſſe meros nobiles. Si id ex aliqua vetuſta conſtat, & authentica ſcriptura, eam nanciſci optaremus, ſi ex mera traditione, & fama, rem in medio relinquimus, cùm parum interſit, religioſos nobiles eſſe, utpotè, quòd omnem religioſum verè nobilem faciat *ſcientia* cum *virtute:* undè S. Fulgentius: *Diſce tu nihil tibi de nobilitate generis aſſignaret licèt Avo, Patre, Socero, Marito pridem fueris inter ſeculares illuſtris, nunc in eo te illuſtrem fieri cognoſce, in quo tibi virtus humilitatis accreſcit.*

Quidquid igitur ſit de hac lege, ut diximus primitùs Rebdorffii conſueta, *ſolos Nobiles alendi*, non hoc ego, ſed id maximè reſpicio, hac qualicúnque lege ſubmotâ, eam morum, vitæ, atque ſcientiæ nobilitatem in hac inclyta Canonia ſemper floruiſſe, ut usque hodie famam hanc ſibi promereatur, quòd ſit palæſtra quædam, & domicilium Doctiſſimorum non minùs, quàm religioſiſſimorum virorum. Utque vel unum in hac noſtra ſynopſi non reticeamus æternâ profectò memoriâ bonorum digniſſimum *Chilianum Leib* hujus loci 21. Præpoſitum (ùt ex ipſo nobis communicato Catalogo habemus) novimus virum hunc, quanto zelo, virtutéque exarſerit, tum in conſervanda regulari ſuorum religioſorum obſervantia, tum in refutandis, reprimendísque impiis hæreticis, hic locorum ſummo cum damno graſſantibus. Ut ideò apud Gretſerum legamus, *Claudium Jajum* unum ex decem primis ſociis *S. Ignatii*, virum ſanè pientiſſimum, atque eruditiſſimum, in epiſtola quadam ad *Joannem Cochlæum* ſcripta diſciplinam hujus Cœnobii mirificè deprædicâſſe. *Chiliano* verò hanc laudem tribuit Gretſerus, quòd trium linguarum latinæ, Hebraicæ, & Græcæ fuerit peritiſſimus, multa in tunc exſurgentem, & invaleſcentem Lutheranam ſectam ſcripſerit, etiam vernaculâ linguâ, quorum nonnulla in lucem deprompta ſunt, & quidem potiora ſervantur adhuc manuſcripta partim Rebdorffii in monaſterio, partim in Bibliotheca Epiſcopali, digna ſanè, quæ aliquandò publici Juris fiant; inquit idem Gretſerus.

Ideò

Ideò enixè tum ipſi modò præſidenti Reverendiſſimo Capiti, tum toti Rebdorffenſi Collegio ſupplicamus, ut horum M. SS. copiam nobis faciant ſuo tempore anecdotis noſtris inſerendorum.

Nunc Laudaſſitimè præeſt Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus *Joannes Baptiſta Mayr*, cujus præconium efferre, quia hujus voluminis anguſtia non admittit, aliò differimus: intereà autem ſpe freti, fore, ut, quæ præter hactenùs doctiſſimè communicata monumenta in privilegiis, & panchartis deſunt, gratiosè conferantur, quatenus memoratu omninò celebrem hujus Abbatiæ hiſtoriam liceat, ùt fieri poteſt, perfectam, ac integram ſuo tempore depromere.

Exiſtit propè Eyſtadium ad Almonum fluvium. Docum. communic. Bruſch. Chronol. Monaſt. pag. 370. Falckenſtein. tom. 2. C. 4. ſect. 16. & tom. 3. num. 26. Gretsetus tom. 10. de Divis Eyſtett. L. 1. obſervat. Cap. 19. & 20.

Fundat. an 1110. ſæcular.

S. Stephani Præpoſitura.

Quòd hanc Eccleſiam diù jam à Canonicis ſæcularibus inhabitatam noſtro adſcripſerimus inſtituto, præcipuam cauſam ſuppeditavêre Annales Bambergenſes, qui apud Ludewig ſub Eberhardo primo: ad annum 1008. hæc habent: *Poſterò annò Henricus Imperator Babebergæ duo adhuc templa magnificè extruxit, quorum unum S. Stephano dicatum Canonicis Auguſtinianis attribuit.* Meminit ejusdem hujus extructæ ſub ordine Canonico Eccleſiæ Biographus S. *Henrici* Imperat. apud Gretserum. Mabillonius quoque id ipſum aſſerit, ſolùm latiori nomine Canonicorum (quibus illud conditum ait) contentus. Refert quoque Hoffmannus, cùm in ædificanda *S. Stephani* Eccleſia operarii, diverſis & inæqualibus horis conducti, mercedem exigerent, *S. Chunigundem* lancem Cryſtallinam numis repletam iis propoſuiſſe, ut ex ea quisque pro rata parte laboris acciperet: ſed neminem inventum eſſe, qui plus, quàm diurno labore promeritus eſſet, inde levare vel accipere potuerit, id etiam miraculum indicare picturam adhuc hodie in muro hujus Eccleſiæ poſitam.

Nunc, ùt initio notavimus, hæc Præpoſitura perhibetur eſſe Canonicorum ſæcularium, & in ipſa urbe exiſtit Bambergenſi. Vita S. Henrici apud Gretserum tom. 10. Cap. 6. Hoffmanni Annal. Bamb. apud Ludewig. pag. 47. n. 72. Mab. Annal. Bened. L. 52. n. 95.

S. Theodori Virginum Canonicarum Abbatia.

Fund. 1135. Ord. S. Bened.

Quòd & hanc Abbatiam noſtris adſcripſerimus Author eſt Miræus: qui eam in libro de orig. Can. Reg. diſertè inter cœnobia Ordinis noſtri peculiari Capite numerat. Secutus Miræum Pennotus *in eadem*, inquit: *Civitate eſt Collegium prapotens ſanctarum Virginum Canoniſſarum Regularium S. Theodori, quod primum Michelsfeldi in Colle S. Nicolai fuerat fundatum annô milleſimô centeſimô trigeſimô quintô, ſed poſteà Bambergam annô milleſimô centeſimô quinquageſimô translatum. Ibique in honorem S. Theodori fundatum à Gertrude Palatina Conradi Marchionis Miſnenſis filia &c.*

Intereà tamen candidè annoto, me non multùm obſtiturum illis, qui hoc Cœnobium ab origine Benedictino inſtituto vendicant. Meminiſſe illius hìc oportuit, nè videar, aut Miræum, aut Pennotum ſine ratione neglexiſſe. Plura certè argumenta poſitiva extare pro Benedictinis om-

ninò profiteor, id ſiquidem, & Hoffmannus in ſuis Annalibus, & Bruſchius in Chronologia apertè aſſerit. Undè ultrò hoc Parthenone nobis adſtruendo ſecurus abſtinebo.

Exiſtit in urbe Bambergenſi.

Miræus L. de orig. Can. Reg. Cap. 76. Hoffmann. in Annal. Bamberg L. 3. N. 52. Pennot. Part. 2. Cap. 39. n. 2. Ludewig. Reliq. M. SS. tom. 8. p. 178. & 198.

CIRCULUS BAVARICUS.

Bavariam à pietate, & ſanctitate meritò nuncupandam ante me doctiſſimus, optiméque de hac Provincia meritus edixit Mattthæus Raderus, qui, dum *Bavariæ ſanctæ* titulò librum ſuum, de ſanctis Provinciæ ſcriptum decorat, rationem mox reddit in nuncupatoria ſua epiſtola ad *Maximilianum* Principem: *Quòd*, inquit: *frontem libri titulo Bavariæ Sanctæ inſignitam vides, facilè pro tua ſapientia cognoſcis, ex re natam eſſe appellationem. Nam, ut omnes Boicæ terræ partes circumſpicias, nullum verè locum invenies, ubi non illuſtria ſanctitatis, religioniſque veſtigia deprehendas, urbes, oppida, fora, pagi, vici, agri, ſylvæ, montes, valles, Catholicam, priſcam religionem in Bavaria ſpirant, & oſtendunt. Plena omnia ſacris ædibus, amplis Cœnobiis, novis Collegiis, auguſtiſſimis templis &c.* Dicam & ego, ſecurúſque dicam *Sanctam Bavariam*, tum à numeroſitate ſanctorum, quos ipſa vivos ſuo nutrivit in ſinu, aut quos in eorum reliquiis hodiedum veneratur: tum à multiplicitate religioſarum ædium, quas ab antiquiſſimis temporibus conſervat, & tuetur, tum denique ab ipſa populi Boici pietate, quam penè agnatam deprehendo. Profectò cùm ante annos quatuordecim Bavariam peragrarem, tantam miratus ſum in cœnobiis, quæ occurrerant, regularem obſervantiam, nitorem in omnibus etiam ruralibus Eccleſiis, urbanitatem, ac præcipuè reverentiam plebis etiam agreſtis in religioſos; ut propè crederem totam terram unum eſſe monaſterium, unum virtutis, pietatiſque theatrum. Nec minùs gaviſus fueram inter plurima, quæ ſanctitatis titulò dignam ſemper conſervant *Bavariam*, Religioſorum Cœnobia, non pauca adhuc præclarè florentia numerati noſtri ſacri inſtituti. Sanè ut ſinè invidia omnium aliorum locorum explicare mentem meam liceat, una præ reliquis Bavaria fuerat, quæ præſentis operis vaſti, ac ampli tractatum ſuſcipiendi primum

mum propemodùm ſtimulum fecit. Cùm nempè ſæpiùs inſtitutum noſtrum legerem tam eximiè, tam copioſè in Bavaria florere, in hujus laboris mei rationem exorſus tentavi, ſi quid poſſem bonorum, ac doctiſſimorum virorum patrociniò efficere, quod virium denegabat tenuitas. Incidi (favente cœlo) in eum mox primis litteris, cui ſi non velut alteri Herculi operis molem ſuſtinenti defero, quod profeci, ſanè ingratiſſimus audiam. Fuerat autem hic clariſſimus Pollingani Collegii Canonicus D. Philippus Säller, cujus vel nomen erudito orbi prodidiſſe ſuffecerit, cùm condignus, qui eum jam dudum comitatur, laudum cumlus, ſeu virtutem, ſeu doctrinam ſuſpicias, latere neminem poſſit. Hujus itáque favore, hujúsque identidem per litteras ſuppeditatis conſiliis, & auxiliis præmeditatum de ordine opus, quod originaria intentione non niſi ſummariè unum volumen adæquare debuiſſet, adeò ob notitiarum ſubminiſtratarum copiam excrevit, ut nunc (etſi multa adeò poſthac non acceſſerint) ſolùm de iis, quæ actu comunicata hinc inde (hoc viro aut movente aut duce) documenta nobis ſunt, facilè quatuor volumina completuri ſimus. Quod itáquè *Bavariæ Sanctæ* debeo, exſolvam *ſanctè*, Collegiáque hujus provinciæ deſcribenda in præſentiarum ſic aſſumam, ut tamen, quæ præcipua, ac potiora ſunt, ad ipſum opus differam.

Extitêre prout adhuc memoriæ occurrunt quadraginta tria cœnobia, in quibus votivò-clericale inſtitutum viguiſſe comperimus. Superſunt actu florentia viginti quinque, omnia illa planè eximia, & inclyta; utinam ſicut quæque ſingilatim ſuis præconiis digniſſima, ut à nobis laudentur, ſic etiam in ſuis documentis tam liberalia, velut optamus. Celare enim noſtrum quodammodo dolorem non poſſumus, ut ut quædam liberaliſſimè ad explanandam deſtinatam hiſtoriam ſua ſubmisêre; alia tamen (& quidem quæ præcipua, ac veluti inter omnes Canonias Bavariæ regulares, ſi dignitatem reſpicias, capita) ad quamcúnque demum à nobis factam inſtantiam, nèreſponſò (ut nil dicam de negatis documentis) ſupplices noſtras dignata ſunt. Parcent illi, aut etſi non parcant, minimè tamen prudentùm judicio ſuas in nos querelas condignè jacient, ſi non ſolùm hiſtoriam eorum levì tractabimus calamò, ſed etiam, ſi quæ nobis alioquin ampliora ſuppeterent, conſuitò omiſſuri ſimus, fortè vel ideò eorum voto ſatisfacturi, quòd ſuo ſilentio ſatis obſiſtant, nè propalentur, typíſque vulgentur, quæ renuunt communicare.

Intereà nos ad ſynopticam Collegiorum deſcriptionem more noſtro progrediemur.

Auenſe S. Mariæ Abbatia. *Fund circ. an. 1010. Floret.* Quod de origine hujus cœnobii ſcribendum eſſet, temporum ſubtraxit injuria. Id propè certum, ſicut iſtud, de quo agimus, *Auenſe* cum altero (de quo infra) *Garſenſi* vicinitate conjunctum, ſic unius fundatoris beneficiò utrúmque erectum fuiſſe: unde Hundius ex Aventino aſſerit, *Au, & Gars monaſteria fundaſſe Conradum Comitem à Meḱing, & Frotenhuſen circà annum* 1050. ambo hæc cœnobia idem Hundius æſtimat tenui initio cœpiſſe, ac profeciſſe Eleemoſynis Nobilium, & aliorum piorum, nec non frugali œconomia ipſorum Prælatorum. Idem tamen ſubjungit ex antiquis Eccleſiæ Salisburgenſis monumentis, aliud tam Garſenſi, quàm Auenſi exordium. Et qui-

quidem (ut nunc intra ordinis ſeriem nos contineamus) *Cellam ergo*, inquit: *Quæ vocatur Avve conſtruxerunt Baldus, Fimulus, & Robertus, Presbiteri, cum licentia Teſſalonis tertii Ducis Bavariæ circà Annum* 1100. Quòdſi tamen præplacet originem fundationis allegare in Metropoli Salisburgenſi exhibitam neutiquam reſiſtimus; quippè dum ex Auenſi nihil omninò usque nunc documentorum nacti ſumus, quibus, cui potiùs opinioni adhærendum, doceamur. Porrò qui hiſtoriam illam experiri flagirat, cùm metropolis Salisb. liber cuique proſtet, eundem conſulat, neque enim nobis ſolos deſcriptores agere in hac rerum ſarragine convenir. Si quæ tamen forent, aut in iis immutanda aut addenda, quæ ſæpedicto libro inſerta ſunt, eam provinciam in ipſo opere lubentes ſuſcipiemus: præcipuè quod de *S. Rudando* refertur, cujus dum ſacra lipſana in hac Abbaria reverenter aſſervantur, aliquando acta communicanda publicare poterimus.

Cæterùm cuperemus quoque tum illius Regiæ Virginis, *Ediſſinæ*, tum *SS. Felicitatis*, ac *Antonii* in hoc Collegio quieſcenrium notitiam aliquanrò luculentiorem aucupari fortaſſe operi noſtro in hujus Cœnobii Auenſis enarratione profuturam. Prætereà obſervamus, quòd, dum *Hartvvicus II.* ùt aſſeritur, Præpoſitus, poſt aliquantum intervallum legitur in quodam pervetuſto inſtrumento *Archipresbiter*, neutiquam habendus ſit pro *Archidiacono*, ſed pro *Decano Rurali*, qui ſubjectus ſolet eſſe *Archidiacono*: ſic enim diſertè pro hoc tempore, quo *Hartvvicus* præpoſitum egiſſe videtur nempè annò 1068. nos docet Canon tertius Concilii Claromontani edirus an. 1095. undè *Hartvvicum* credere, aut aſſerere *Archipresbiterum*, prout is aut recentioribus temporibus coincidit cum *Archidiacono*, aut olim vices habebat Epiſcopi (ſub Archidiacono tamen, ùt habet Iſidorus in Epiſt. ad Leudefredum Cordub. Epiſc.) omninò inauditum videtur, ùt ait Hundius. Intereà tamen mihi Charta illa, in qua Hartwicus *Archidiaconus* ſcribitur, aliquantùm ſuſpecta eſt: nam ſubſcriptio eſt ſequens: *Hæc facta ſunt annô ab Incarnatione Domini M. L. XVIII. tempore Hildiprandi Papæ. Gebhardi Archiepiſcopi. Heinrici Regis. Welfonis Ducis.* Cùm certum ſit annô 1068. ſediſſe *Alexandrum*, qui electus annò 1061. morrem oppetiit annô 1073. die 21. Menſis Martii. Deinde ſcribit ſe Hartwicus *Ovenſis Eccleſiæ Dei gratiâ* Præpoſitum, quem ritulum, quamvìs legamus ſæculô decimô quartô, ac quintô paſſim à monaſteriorum Præpoſitis fuiſſe uſurpatum, at ſæculô undecimô non memini me reperiſſe. Unde opinor, ſicut manifeſtus error aut in numeris Chronologicis, aut in nomine *Hildiprandi*, ſic inrerpolatio fieri potuit in nomine *Archipresbiteri*.

Vide pagii erit. t. 4. ad hunc an. p. 248 & alios Paſſim.

Eſſent quidem & alia, quæ Catalogus D. D. Præſulum in laudara Metropoli exſtans profert, majori lumine illuſtranda, ſed quia nos ſperamus ab ipſo nunc Reverendiſſimo hujus loci capire peculiaria, maximè in authenticis inſtrumentis, obtinere, intereà ad alia properamus.

Exiſtit ad öenum fluvium. Hund. Metrop. Salisb. tom. 2. p. 88. & ſeq. Metrop. Salisb. Mezger. pag. 1241. Ertlius in Bavar. Atlant. part. 2. p. 144.

Allerſpachenſe S. Petri.

Fund. circà an. 1039. Ord. Ciſt

Abbatia, aut potiùs tunc, dum noſtri inſtituti erat, *Præpoſitura.* Fundavit eam celeberrimus, ac ſanctitate ſua toti, orbi notiſſimus *Otto*

Otto Babenbergenſis Epiſcopus, ùt habet cum pleriſque Ertelius. Primùm locavit in hoc cœnobio Canonicos regulares, quod, quamvis Hundius aut negare videatur, aut diſſimulare, quippè dicens: *Alderſpachenſis Monaſterii primi fundatores fuerunt, Bernhardus cum filiis Ruperto, & Calocho (familiam Avantinus non ponit) circa annum Domini* 1050. *deinde expulſis popularibus myſtis, inſtante D. Bernardo, ibidem Ordo Ciſtercienſis inſtituitur circa annum* 1147. certum tamen eſt, non à popularibus myſtis, ſed à Canonicis regularibus hoc monaſterium devolutum fuiſſe ad Ciſtercienſes. Etſi autem non negaverim anteà ibidem *Eccleſiam* conſtructam, non tamen monaſterium à popularibus myſtis fuit proviſum, quia non his, ſed noſtratibus ſucceſſère Ciſtercienſes, illique primùm ab *Ottone* Alderſpachium ſub forma monaſterii incolendum ſuſceperunt. hinc ipſe *S. Otto* in ſuo privilegio ad *Alcuinum* primum Præpoſitum, quem tamen Regenbertus Epiſcopus Patavienſis *Aſtvvinum* dicit: *Quapropter*, inquit, *Dulciſſime in Domino Frater A Præpoſite, tuis, & fratrum tuorum juſtis petitionibus libenti animo conſentientes, Eccleſiam, quam nos in loco, Alderſpach dicto, fundare cæpimus unacum Eccleſia, & Decimis ab Eccleſia Patavienſi legitimè commutatis &c. Deo ac B. Petro Principi Apoſtolorum offerimus, ſtatuentes, ut ibidem fratres ſecundùm regulam B. Auguſtini religioſè converſantes in perpetuum maneant &c.* Data verò eſt hæc Charta annô 1139. hoc eſt ipſius *S. Ottonis* ultimô vitæ annô: unde abſque dubio huic circiter affigenda erit Allerſpachenſis cœnobii fundatio. Neque etiam dicendum adhuc vivente *Ottone* illud abactis Canonicis extraditum fuiſſe Ciſtercienſibus; Certum enim eſt, hanc immutationem ante annum 1147. factam non eſſe, quippè quod hoc tempore ex monaſterio Eboracenſi primùm *Siffridus* cum Colonia Ciſtercienſi Allerſpachium emigraverit. Undè æquè corrigendus Ertelius, qui immutationem iſtam alligat anno 1050. * quod per ſe patet ex geminis tum *Ottonis* Babenbergenſis, tum *Regenberti* Patavienſis Chartis, fieri nunquam potuiſſe.

* forte ſcribere voluit [illegible] 50. nam an. 1050. *S* Bernardus necdum lucem humanam viderat.

Exiſtit adhuc ſub inſtituto Ciſtercienſi propè Paſſavium. Hund. in Metrop. tom. 2. pag. 49. ſeq. Ertel in Atlant. parte 2. p. 131. ſeq. Acta SS. ſecunda Julii in vita S. Ottonis n. 25. Germ. Sacra. Hanſiz. tom. 1. p. 298. videatur etiam Parnaſſi Boici part. 3. pag. 8. ſeq.

Altaichenſe inferius, ſeu ad quercum inferiorem S. Mauritii Abbatia.

Fund. an. 741. Ord. S. Benedicti.

Non agimus de hujus cœnobii origine, quam ſcimus ab *Utilone* Bavariæ Duce annô 741. Monachis conditum, ac poſtmodùm diverſis jactatum fatis à *Taſſilone Utilonis* filio, à *Carolo M*, à *Ludovico* item *Pio* multis prædiis, ac dotibus fuiſſe munitum. Solùm nobis de hoc, illis temporibus, florente cœnobio ſermo eſt, ac memoria, quibus per centum ampliùs annos ſteterat ſub diſciplina reguláque Canonica, ab annô circiter 840. ad uſque ſæculi decimi annum 85. nam in vita *S. Godhardi* apud Henſebenium in act. SS. (ubi auctor originem hujus cœnobii aliquantis diſſeruit) ſubjungitur: *In prædicto certè Cœnobio Servimen Chriſti ab initio feliciter ſuccrevit, & per centenos ferè annos in monachico propoſito laudabiliter profecit, uſq; in deteſtabilem illam diſſenſionem, quæ cœpit inter Ludovicum Imperatorem filium Caroli Magni, & filios ejus Ludovicum, Lotharium, & Carolum, & deinde, Imperatore defunctô, inter fratres ipſos per multos*

tos annos, ùt *Chronica teſtantur*, *permanſit. In ea ergò tempeſtate Eccleſiæ plures depopulabantur*, *Cœnobia diſturbabantur*, *inter qua*, *& ejuſdem Altahenſis Eccleſiæ proprietas*, *ibidem à fidelibus collata*, *& eatenùs inconvulsa diripiebatur*, *& huic ſceleri militantibus juxta debacchantium voluntatem beneficii*, *imò maleficii causâ dividebatur. Hac enim neceſſitate monachica ibidem norma defecit*, *ſub regula tamen Canonicorum idem locus usq; in tempora pia memoriæ Henrici Ducis*, *quem poſteà Imperatorem vidimus*, *item per centum annos perſtitit.*

Cùm verò conſtet *Ludovicum* Pium mortuum fuiſſe annô 840. eo tempore Altahenſe hoc cœnobium jam Canonicam vitam ſuſceperit: Cúmque ultrò *S. Godehardum* tum Clericale ſeu Canonicum inſtitutum ſuum monaſticô permutâſſe ſciamus, dum *Erchanbertus* huic cœnobio Abbas præfuit, hoc eſt juxta Henſchenii ex vita *S. Godehardi* computum annô 990. *Erchanbertus* autem annô 993. reſignans diutiùs non præfuerit, quàm ſex annis, ùt patet ex Catalogo Abbatum: deníque Biographus *S. Godehardi* ſcribat: *Quidam igitur venerabilis vir Erchanbertus nomine illic Abbas præponitur, per quem auxiliante Domino divinum ibi miniſterium juxta regulam S. Benedicti religiosè diſponitur.* Ex his omnibus manifeſtè deducitur, ſaltem ad annum usque 985. quo Erchanbertus præeſſe cœpit, Canonicam vivendi normam in Altachenſi monaſterio perdurâſſe. Mabillonius autem de hac immutatione refert ſequentia ad annum 991. *Lambertus*, inquit, *Monachus author eſt*, *hoc annô Godehardum in altahenſi monaſterio monachum factum eſſe*, *quod usq; ad funeſtam diſſenſionem Ludovici Pii filiorum perſeveraverit in monachico inſtituto*, *tum eô deficiente ſucceſſit Canonicalis Ordo usq; ad Ottonis tertii principatum*, *cujus annô ſeptimô*, *id eſt Chriſti* 990. *in priſtinum monaſticæ religionis ſtatum reformatus eſt.* Inter hæc igitur tempora, quæ annus 840. & 985. aut 991. involverat, acta Altachenſis cœnobii nobis vindicamus, quibus pariter *S. Godehardus*, usque ad annum ſuæ ætatis trigeſimum primum, Canonicæ vitæ tramitem eſt ſecutus. Nam evidenter habemus ex Biographo noſtro à teneris annis virum Sanctum in Altach enutritum ſcientiis, ac pietate fuiſſe, & adhuc *in habitu ſæculari*, *quo inter religioſos manebat*, *multos de religioſis in vita ſanctitate pellicuiſſe.* Hoc vocabulum autem *religioſi* nihil certius, quàm ſæculô undecimô, quo hic Author ſcripſerat, homines religioſos denotabat (intellige accommodè ad textum) id eſt, votivos. Ut adeò extra omnem controverſiam eſſe videatur Canonicos Altahenſes votivos fuiſſe, atque inter hos demum *S. Godehardum*, ùt patet ex C. 1. vitæ n. 6. nemo ergò (ùt ſpero) aut *S. Godehardum* aut Altahenſe cœnobium invidebit nobis ad usque annum 991. aut ſaltem 985. à quo tempore tanquam diſciplinæ Benedictinæ utrúmque dicatum obſequioſo fœnore celeberrimo inſtituto huic cedimus, quin & adjudicamus.

Exiſtit ſuprà Paſſavium. Hund. Metrop. tom. 2. p. 1. ſeq. Acta. SS. ad 4. Maij. tom. 1. Ertel in Atlant. part. 2. p. 124. ſeq. Pagius in Crit. Bar. ad an. 840. n. 2. Mabil. Annal. Bened. L. 50. n. 68. Parnaſſ. Boj. prima Collect. pag. 9. ſeq. Bruſch. Cent. 2. p. 34.

Berchtersgadenſe ſeu Berchtolsgadenſe SS. Joannis, & Petri Præpoſitura, & Principatus Imperialis.

Fund. an. 1108. Flor.

Cùm illinc ad geminas noſtras ſupplices nullum reſponſum venerit, iis promendis contenti erimus, quæ

quæ hinc inde corradere ex ſcriptoribus poteramus: intereà dolentes, detam præcipuo loco omnem nobis loquendi meſſem propèmodum ſurripi. Igitur jam in veſtibulo, ſeu ipſa origine indaganda fluctuamus, niſi ſubſcribendum ſimplici aſſenſu dicamus Hundio aſſerenti: *Beringerum* Comitem, cum *Chunone Sultzbach*, unà & ipſorum matre *Irmogarda* inſtituiſſe Berchtolsgadenſe monaſterium in honorem *S. Joannis Baptiſt.* & *S. Petri* annô 1108. quod ipſum noviſſimè amplectitur in ſua germania ſacra clariſſimus Hanſizius; præterquam quòd ſolam *Irmogardam* conſtituat Fundatricem. Nos ſecuti vetuſtiſſimum libellum à Gewoldo proditum de Eccleſiæ hujus Fundatione *Irmogardam*, & filium ſuum *Berengarium* auctorem ſtatuimus. In eo enim hæc ad rem noſtram leguntur: *Mater Comitis Beringarii, nomine Irimgart, nobilitatis atq; honeſtatis in ſæculo, pietatis, ac devotionis titulo coram Deo mulier inſignis, voto facto ſummoperè ſtuduit in aliquo patrimoniorum ſuorum loco Congregationem Clericorum communis vi-vitæ inſtituere, ubi quidquid pii laboris, quidquid religionis, ac ſanctæ converſationis ſervatum fuiſſet, in perpetuum ſibi etiam ad ſalutem opitulari, tam unanimiter, quàm fideliter credidit, cùm de loco prædicto ſui prædii, ſuaq; inſtitutionis, tanquam de ſinu ſuo, ac manu multorum merita ad Deum tranſirent. Videlicet omnium, usq; in finem ſæculi ibidem ſanctè, & regulariter viventium &c.*

Verùm cùm hujus tam ſancti propoſiti differretur effectus, nec interveniente deſidia, ſed impediente occupatione terrena. Contigit eam ſæculo vale facturam ultima infirmitate fatigari, quæ morte imminente filium ----- Beringarium vocans, ſuaq; illi voluntatis propoſitum aperiens vehementer ſupplicat, quatenùs à debito voti Deo facti, & matrem liberaret, & ſibi proprium, ac ſpeciale apud Deum remunerationis æternæ præmium de matris quidem propoſito, de opere verò ſuo collocaret, deſignatis quibusdam allodiis, quæ pater Comitis Berengarii defuncto ab illo, cui poſtea nupſerat, dotalitii nomine poſſeſſa, huic operi devoverat, videlicet Berchtesgadenſe, ac Niderheim. Quibus ille precibus ſuſceptis, & matris voluntati ſuam jungens tam devotè, quod petebatur, impleturum ſe promiſit, quàm poſteà accepta opportunitate implevit. Eodem ſanè tempore Retenbuch Eccleſia communis vitæ privilegiis regulariter inſtituta latiſſimè Congregationis filiis fœcunda, religioſæ converſationis patribus ſublimata, fama, & opinione longè latèque fulgebat. Inde itaq; tanquam de fertiliſſimo ſanctitatis, & religionis horto, novæ inſtitutionis plantaria quærere optimum ducens, Udalrico tunc ejusdem loci venerabili Præpoſito ſuæ, ac maternæ voluntatis propoſitum inſinuans, ſummopere ſupplicat, quatenùs ei, & conſilio adeſſet, qualiter id faceret, & auxilio...... qui tanti Principis à Deo inſpiratum affectum nefas exiſtimans denegato aſſenſu ab opere pio avertere, octo illi miſit pro auxilio honeſtas perſonas, quatuor videlicet Clericos, & totidem Laicos fratres, factòque de ipſo ſuo Collegio ex communi electione Præpoſito, Venerabili videlicet Evverbino Berchtesgadenſe venerunt, ibiq; brevi tempore commorati cœperunt paulò negligentiùs rebus ſuis operam dare &c. Narratur dein animos Ewerbino (poſt ſæpiùs mutata loca, quippè nemore Berchtersgadenſi nimiùm deſipiente) rediiſſe, reaſſumptóque fervoris ſpiritu primum hunc locum repetitum ab ipſo, ſodalibûsque ſuis fuiſſe: *Quô perceptô Beringarius vehementer exultans omnem tunc primùm adhibuit diligentiam Præpoſiti vota juvare, fratrum neceſſitatibus ſubvenire, locum colere, eumq; pecuniis poſſeſſionibus, & mancipiis ex-*

altare. Patet igitur ex hac narratione, primam quidem motricem *Irmingardam* fuiſſe, at executorem propoſiti, ſeu voti ab ipſa concepti filium *Beringarium*: huic autem & *Chunonem* & *Adelheidem* Berengarii Cunjugem, filium quoque *Gebhardum* benefactores acceſſiſſe, inſtrumenta in hoc ipſo libello producta oſtendunt.

Hoc Collegium plurimis vix non ſemper motibus agebatur, profectò annô à fundatione circiter 33. id eſt 1142. jam legimus, ipſos religionis hujus loci de mutatione ordinis cogitaſſe, ut adeò ſummus planè pontifex *Innocentius II.* illos, *qui de mutatione Ordinis ſui vana præſumptione attentare vellent*, litteris ad *Conradum* Archiepiſcopum Salisburgenſem datis reprimere cogeret: inquibus idem ſanctiſſimus Pater oſtendit, *vitam Canonicam eſſe vitam Apoſtolicam*, nec minoris meriti æſtimandam, quàm vitam monaſticam. Nec minus eodem tempore alia ſimultas exorta videtur inter ipſos Berchtelsgadenſes, & Bamburgenſes Canonicos, quæ lis in eo hærebat, quòd prætenderent Berchtoldsgadenſem Eccleſiam ſibi eſſe ſubjectam, at hujus Canonici libertatem ſibi aſſerendam quærerent apud Archiepiſcopum *Conradum*, quæ etiam ad horum votum conſecuta eſt, ùt patet ex collatione Bullæ *Innocentii II. Eugenii III. Adriani IV. Innocentii III.* & hiſtoriâ fundationis collegii Baumburgenſis. Non diù inde vellicatio orta, & agitata inter ipſos Salisburgenſes Canonicos, & hos Berchtoldsgadenſes, neque in uno ſtetit ſumma diſcordiæ, ſed aliam alia comitabatur, quas omnes hic enarrare nec licet nec libet: agit de iis abundè tum Hundius in ſua Metropoli, tum Hanſizius in ſua Germania ſacra, quas conſulat, qui plura nôſſe deſiderat; nobis enim ex occluſis horreis non expedit venalia frumenta exponere.

Deníque omnium graviſſima, & notiſſima controverſia illa erat, quæ tempore *Jacobi Pütrich* Principis, ac Præpoſiti Berchtolsgadenſis fomitem ſumpſit, dum ſcilicèt in coadjutorem ipſi datus eſt Princeps *Ferdinandus* Junior, utriúsque Bavariæ Dux. *Jacobo* enim defuncto mox in regimen ſucceſſerat hic Princeps; ſed conditionibus non impletis, ſaltem omnibus, quas inſtrumentum poſtulationis prætenderat: Neque enim legimus aut *Ferdinandum*, aut Succeſſores ejus profeſſionem feciſſe religioſam, cùm tamen ibi dicatur: *Eâ illum aſſumi conditione, ut poſtulatus Illuſtriſſimus Princeps ſupradictus, ſub ſpe regularis profeſſionis faciendæ, interim coadjutoriam &c. adminiſtret.* Factum id eſt annô 1591. duravit autem hæc ſucceſſiva Principum Bavaricorum Adminiſtratio, ſeu Præpoſituræ poſſeſſio usque ad annum 1724. quo demum iterum multis exantlatis contradictionibus libera Canonicis admiſſa eſt electio, ùt in Principem, ac Præpoſitum aſſumeretur ex gremio *Julius* liber Baro à Rheling.

Hæc Canonia ſub regulari *S. Auguſtini* inſtituto noſtra adhuc ætate floret. Exiſtit in ipſo Principatu Berchtolsgadenſi. Hund. metropolis tom. 2. p. 105. ſeq. Germ. Sacr. Hanſiz. tom. 2. p 668. Chron. Salisb. Dückeri in Archiepiſcopo Wolfgango Theodorico p. 280.

Bernriedenſe. S. Martini Præpoſitura. *Fund. an. 1120. Floret.* Conditorem hujus legimus fuiſſe *Ottonem* Comitem de Vallay cum *Adelheide* uxore annô 1120. redditibus tamen valdè tenuibus, quantùm autem, penè omni tempore, hoc collegium temporalium angebatur penuriâ, tantùm ſolatii ſæpiùs capie-

piebat ſpiritualium incrementô, nec minùs virorum doctorum præſidiô. Iſthic enim aliquando *ſanctam* vitam ſuam clauſiſſe noſcitur *B. Herluca* (ut nè huic titulum à Radero dudum attributum ſurripiam) multis revelationibus, & virtutibus inclyta: iſthìc quoque multis annis ſub Canonica profeſſione vixerat celebris ille vitæ *D. Gregorii VII.* ſcriptor *Paulus*, nuncupatus ideò *Bernriedenſis*, vir magnæ æſtimationis, qui pro legitimi Romani hujus Præſulis defenſione quanta egerit, pertulerítque, tum præfata deſcriptio, tum altera de Beata *Herluca* abundè indicat. Deinde lætatur hæc Canonia pretioſis quibuſdam Sanctorum reliquiis, ùt præcipuè *S. Martini* Epiſcopi Turonenſis; *S. Viti* Martyris integro Corpore, *SS. Theodori*, & *Feliciſſimi* M. M. Brachiis, ac deníque ſaeris diverſis oſſibus *SS. Juſti*, *Victorini*, ac *Reparati*, M.M. deníque gloriari poteſt vel maximè illibata regularis diſciplinæ obſervatione, quam præcipuè uſque nunc florere, non ſine præconio percepimus.

Exiſtit ad Stagnum Wurmſee. Hund. Metrop. tom. 2. pag. 105. Germ. ſacr. tom. 2. pag. 152. Gretser. tom. 6. in vita B. Herlucæ & S. Gregorii VII. hiſtorico-Topograph. deſcript. ſuper. & Inf. Bav. pag. 240. Ertel. Atlant. Bav. part. 2. p. 153. Parnaſſ. Boici par. 3. à pag. 163.

Fund. circ. an. 1110. Floret. **Beurburgenſe SS. Petri, & Pauli Abbatia.** Cui Nobilis Germanorum fratrum Trias exordium dedit, *Otto* nimirum, *Conradus*, & *Eberhardus de Iringsburg* nunc *Evrasburg*. Confirmatio hujus erecti Collegii data eſt à *Calixto* ſummo Pontifice annò 1121. hinc crediderim omninò fundationem utcunque præceſſiſſe, quippè, quòd illa plerúmque exigeretur à Fundatoribus ſtabilito jam loco ſacro. Ex quo primas non dubitarem horum trium Fratrum Genitori *Alberto* deferre, qui ipſum hoc laudabile opus cæperit, morte autem præventus filiis tradiderit conſummandum. *Ottonem* ſolum Bulla Pontificis nuncupat, geminos fratres noviſſimum breve Chronicon editum in Parnaſſo Boico, quod cùm ſciam à viro clariſſimo, & peritiſſimo conſcriptum, quem, erroris, aut falſitatis arguere, piaculo mihi ducerem, non invitus etiam huic opinioni ſubſcribo.

Hoc celeberrimum alioquin, ac præclariſſimum Collegium multis, iiſque enormibus calamitatibus turbatum eſt. Iſthìc ſolùm meminiſſe breviter expediet, quæ ſub *Joanne Alchinger* vigeſimô quintô Præpoſitô accidêre planè funeſta, ac immania. Habuit is intimo amicitiæ vinculo (cùm adhuc privatus religioſus Minſingenſi parochiæ huic cœnobio unitæ præeſſet) junctum ipſius hujus cœnobii advocatum *Caſparum de Porta*, cujus quoque, ùt præfertur, induſtriâ poſt deceſſum *Caſtuli* Præſulis, Clavum regiminis adeptus eſt. Caſpar autem ſuo id fecerat emolumento, quòd ſperaret tam ſolidum amicum in reciprocum beneficium acquiſitæ Prælaturæ nil poſtulanti denegaturum; at fruſtravit ſpem eventus. Nam *Joannes* Jura Eccleſiæ ſuæ nunquam violaturus, poſcenti *Caſparo* aliquas Villas, ſi non titulo gratitudinis, certè honorarii; abnuit vir integerrimus, rejecítque impudentes preces. Commotus indignatione tam inſperatæ repulſæ, ſimul omnem hactenus tam diù fotam amicitiam convertit in odium ad quæque damna, cum *Joanni*, tum collegio inferenda; & quamquam identidem repreſſus, ac devictus, imò proceſſûs diuturnitate, dicam potiùs, an pervicacia penè ad incitas

citas redactus, Juris tamen viâ protracturus negotium, cùm nec ipſam cauſam ſufficientem ſibi reperiret, nec ærarium, ecce tibi! ad technamenta peſſimus mortalium convertitur, & ut *Joanni* exitium ſupremum ſtruat, ſubornat mulieres proclamatæ libidinis: hæ Præſulem accedunt, ab eoque conviviô excipiuntur, deníque binis voluminibus telæ lineæ ambæ donatæ dimittuntur. Vixdum digreſſæ, velut infernales Harpyiæ integerrimam viri Innocui famam ſic proſtituunt, ut ad judicium ipſe vocatus, mox quaſi convictus crimioe damnaretur ad pœnam, urgeretúrque ad ſuum hactenùs adeò ſtrenuè curatum régimen dimittendum. Nec ſatis iſtud, ſed & loco cedendum ſibi, igitur *Damaſiam* primùm, inde *Rhoram* commigrans, demum tot fatigiis laceſſitus ætate, viribúsque miſer Beirbergæ vitam claudere cogebatur. Hæc de præſule iſto præſenti etiam prodromo inſerere oportebat, ut quantocytiùs evelleretur illa huic egregio viro malè adumbrata à Gewoldo in additionibus Metropolis Hundianæ Cicatrix, dum dicitur eundem mulieroſum fuiſſe: quippè quem aliena infamatrix culpa inſimulare potuit, reum agere non potuit. Neque hic, & illius omninò obliviſcendum, qui ſicut aliàs ſua frequentiore temeritate pluribus ſcriptoribus materiam de ſe minùs laudabiliter tractandi ſuppeditavit, ſic & in hoc *Joannis* oostri fato perſonam egerat, ſeveriore certè cenſura notandam, quòd & hic in ipſum protervas manus, ſolô conſuetæ ſibi Inſolentiæ zelô munitus immiſerat, Staupitium intelligo, qui quàm benè fecerat, quòd arguerit Lutheri tumorem, adeò egiſſet laudabilius, ſi ab eodem ſibi ipſi temperâſſet. Certè ab Archiepiſcopo *Matthæo* Staupitium, & Conſilarii, & aulici Concionatoris munere demulſum, ac demum ad Abbatialem S. Petri Inſulam promotum non aliam ob cauſam ſcimus, niſi quòd meruerет *Matthæus* Staupitium Lutheri dogmati in brevi adhæſurum, nì quantùm poſſet inter Catholicos Romanæ Eccleſiæ limites blandiùs, lautiúsque haberetur. Quid namque tanta librorum hæreticorum Copia (ùt Dückerus affirmet, aliquot plauſtra iisdem repleri potuiſſe) poſt mortem in ejus Bibliotheca reperta poſtenderint? cuíque ſenſus ſuus eſto; mihi ſuffecerit Staupitium quamvis alioquin, & ordinis ſui Generalem, & virum doctum noverim, at vel ideò, aliquantò ſupra ſobrietatem ſapientem maximè in cauſa *Joannis* noſtri ſuſpicio. Is enim, dum, neſcio, quâ ſtimulatus confidentiâ cuidam Præſulis *Joannis* Canonico Spiram miſſo, ut negotium Collegîi contra prænominatum Caſparum de Porta tueretur, ſed rem peſſimè, & ad exitium Collegii manifeſtè tractanti, atque ideò revocato, & *pro* æquiſſima pœna delicti incarcerato eas ſuppetias tulit, ut oon horreret, nulla alioquin authoritate nixus, viâ facti primùm carceris claves à Præſule prætendere, poſtmodùm renuenti violenta manu ſubtrahere lateri, januam ergaſtuli aperire, incluſum Canonicum dimittere, & quod propè audire nefas eſt, præcipiti vi intrudere, ac includere ipſum Prælatum *Joannem*. Profectò niſi ea tunc tempora coincidiſſent, quæ ob venenatam Lutheri hæreſim pluribus injuriis, & diſſimulandis, & ſupportandis neceſſitatem impoſuiſſeot, graviorem vindictam hæc facti ſpecies in Staupitio ex Juris ſententia meruiſſet. Deníque ut pro hoc compendio in iſtius venerabilis Collegii deſcriptione fioem obtineamus, ſolùm addimus, quemadmodùm illud iden-

dentidem eximios viros ſuo in gremio aluit, ſic noſtra quoque ætate iisdem neutiquam caret, inter quos præprimis à nobis memorandus eſt Clariſſimus Dominus *Benno Zairsberger*, doctrina non minùs, quàm ſolida virtute omnibus notiſſimus, quarum utrâmque abundè egregium illud opus *Tyrocinium Canonicum* intitulatum prodit, nec non & aliud, quod vir doctiſſimus de Privilegiis ipſorum Reverendiſſimorum D.D. Præſulum ſacri Ordinis noſtri ad immortalem ſuæ ſcientiæ gloriam elucubravit, quem dum nos operis noſtri peculiarem amicum, ac fautorem nacti ſumus, ſanè gratitudinis ergò obligamur, iſthic nulla oblivione præterire.

Exiſtit ad Loiſamamnem non procul à lacu Wurmſee. Hund. in Metrop. tom. 2. pag. 92. Ertel. in Atlant. Bavar. part. 2. pag. 146. hiſtor. topogr. Deſcrip. Bav. pag. 254. Parnaſſ. Boic. part. 1. à pag. 1. Germ. Sacr. Hanſiz. tom. 2. p. 587. Dücker Chron. Salisb. ad an. 1522. p. 242. Metrop. Salisb. Mezger. L. 4. C. 51. p. 537.

Beyhartingenſe S. Joan. Bap. Præpoſitura

Fund. an. circà 1130. floret.

Hujus fundatores fuiſſe dicuntur *Juditha* cum fratre ſuo *Megingotzo*, quamvis ex vetuſto M. S. Gewoldus in additionibus prodiderit ſolam *Juditham* ſeu *Juttam*; quæ quidem ibidem laudatur *genere nobilis, morúmque nobilior, elegantiſſima virtutum*: ſed dolendum, alioquin de ea notitiæ nihil ſuppetere, quemadmodùm notatum habemus in deſcriptione Hiſtorico-Topographica Bavariæ.

Locatæ in hoc ſacro Aſceterio primùm virgines ſunt circà annum fortè 1130. dico *fortè*, nam ex vetuſtis monimentis nil aliud conſtat, niſi hoc annô à *Romano* Gurcenſi Epiſcopo monaſterium conſecratum fuiſſe. Aliquot nec multis poſt annis, translatis in Altenhohenovium veſtalibûs ceſſit hoc cœnobium Canonicis regularibus, ipſa ſic volente Fundatrice, ùt inquit Charta à Gewoldo in additionibus relata, cui, quia annô 1444. ſcripta eſt, adeóque diù poſt fundatum, aut extraditum Canonicis monaſterium, nec fidem adſtruimus, nec derogamus. Cætera de hoc loco nobis incomperta, niſi quòd adhuc exiſtat propè Glonam fluvium. Hund. Metrop. tom. 2. pag. 91. Ertel. in Atlant. Bavar. part. 2. p. 145. Meichlbeck. hiſt. Friſing.

Chiemſeenſis S. Salvatoris Cathedralis.

Fundatum, ſeu potiùs datum ordini poſt annum 1124. floret.

Plura de fundatione, ac aliis diverſis viciſſitudinibus hujus Eccleſiæ, ac Monaſterii cùm referant geminæ Metropoles à Mezgero ſcilicèt, & Hundio cum additionbus Gewoldi editæ, neque nos ob documentorum domeſticorum nobis neutiquam communicatorum defectum, ullam aut elucidationem addendam noverimus, ad alia tranſimus.

Exiſtit in lacu hujuſ nominis propè Salisburgum Hund. in Metrop. tom. 2. p. 162. Metrop. Salib. Mezg. L. 4. C. 10. p. 383.

Chiemſeenſe Virginum Abbatia.

Fund. an. Ord S. Bened.

Refert hunc Parthenonem inter noſtros Miræus, nec minùs Pennotus, certè an unquam inſtituti noſtri is fuerit, ex documentis veteribus non eruo. Diù ſanè jam eſt, quod Benedictinæ normæ vivendi pareat. Nos ob præfatorum authoritatem hoc Gynæceum omittere ex mappa noſtra noluimus, ni tamen certiora habuerimus, inibi virgines Canonicas viguiſſe, fruſtrà agemus, de iisdem vel verbo in ipſo opere tractaturi.

Exiſtit in eodem lacu. Hund. cit. pag. 166. Miræus Lib. de orig.

Fundat. ſæc. 9. floret. Can. Reg. Cap. 27. Pennot. hiſt. Tripart. L. 2. C 39.

Dieſſenſe, ſeu Damaſia S. Georgii Abbatia. Eſſet campus ampliſſimus, ſegéſque fertiliſſima diſcurrendi de hoc præclaro, multíſque ſcriptoribus apprimè dilaudato Collegio, ſeu enim ipſam fundationis originem, Authores ejusdem, ſeu fautores, ac Dotatores, ſeu deníque homines virtute, ac probitate in eodem viventes conſideremus, omnia ſanè iſthic eximia, magna, atque ſcitu occurrunt digniſſima; ſed quia hujus prodromi non eſt juxta rerum ſeriem, ac ſuppetentem documentorum notitiam omnia exſerere, paucis ſolùm hic contenti erimus, cuivis interim erudito ſatis ſuppeditaturi, ut in nucleo latentem Iliadem aliquando (Deo favente) prodendum confidat.

Hoc cœnobium igitur primitùs fundatum eſt à *B. Rathardo*, & quidem pro Canonicis Regularibus ſæculô nonô; teſtantibus id ſcriptoribus hac in re fide digniſſimis; Abbate imprimis *Carolo Stengelio* Ord. S. Benedicti, hæc parte 2. Commentarii rerum Auguſtanarum Cap. 10. n. 4. diſſerente in *Hantone* decimo tertio Epiſcopo Auguſtano: *Habuit Hanto fratrem B. Rathardum ſacris ſacerdotii initiatum, qui in Dieſſen ædem S. Georgio Megalo-martyri ſacram inſtituit, eamq; Canonicis regularibus adjunctô domiciliô aſſignavit.* Factum id fuit circa finem ſæculi noni, ſi verum eſt, quod Raderus notat, *Rathardum* annô 850. natum fuiſſe: quamvis exſtructionem ipſius cœnobii ad hunc annum referat Stengelius. Quodcúnque ſit, *Rathardum* fundatorem novimus id feciſſe *Hauthone* ſeu *Hanthone* adhuc vivente. An verò hæc fundatio facta ſit circà annum 840. ùt aſſerit Hierarchiæ Auguſtanæ Author, dum *Rathardum* natum ſcribit Raderus 850. ipſe aſſertor viderit. Ego certè malo Radero, monumenta vetera ſemper apprimè ſcrutanti, quàm nupero, ac incauto in pluribus, fallacique ſcriptori adhærere. Neque etiam cum ipſo litigandi animus eſt, ubi pro Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* Damaſiam exſtructam ait quidem, ſed ablegans Lectorem ad confixum prodromum ſuum, cum quo mihi nulla ampliùs velitatio. Stengelium Raderus præceſſit, de hac eadem fundatione ſic loquens: *Annô poſt receptum à Chriſto genus humanum, quinquageſimô ſuprà octingenteſimum, Ludovico Pio Caroli Magni filio rerum potiente: B. Rathardus ex nobiliſſima, & ſanctiſſima Andecenſium Principum familia natus, ſacriſque ſacerdotii initiatus, heredem bonis ſuis ex æſſe Chriſtum relicturus, à quo hæres olim æterni Regni ſcriberetur, Auctore Hautone Germano fratre, Pontifice id ævi Auguſtano, ad Damaſiam in B. Rathonis geſtis laudatam ædem S. Georgio Megalo-martyri ſacram inſtituit, eamq; S. Auguſtini Sodalibus, qui locum hodiéque colunt, adjunctô domiciliô aſſignavit.* Non diſſimulabo, ut adjiciam tertium, quamvis Canonicum Regularem, Andream nempè Presbiterum, qui in Chronico ſuo ad an. 850. ſic ſcribit: *Iisdem temporibus Rathardus Presbiter apud territorium Dieſſenſe, quod propter ſonitum aquæ ibidem decurrentis nomen accepit, monaſterium S. Georgii Martyris conſtruxit, ibiq; Canonicos regulares Ordinis S. Auguſtini coadunavit.* Hæc Andreas ſæculi XV. ſcriptor nec vulgaris, nec eruditis ignotus.

Idem Andreas mox ſubjungit: *Hoc poſtea*, inquit, *per Arnulphum, Ducem, & Comitem Palatinum, perditionis filium penitùs eſt deſtructum, & inhabitatione hominum per multa temporum curricula manſit deſola-*

ſolatum, donec per alios Chriſti fideles exſtitit reſtauratum.

Hanc verò reſtaurationem ſuſcepit *Kunigunda Friderici* Comitis Dieſſenſis uxor nobiliſſima ad annum 1013. quæ diſcedente è vivis marito aut novam omninò Eccleſiam Damaſiæ condidit, aut illam, quam ante annos ſeptem *Adalhaimum*, & *Udalricum* ſacerdotes, geminóſque fratres eruiſſe è ruderibus Rathardiani templi ab Arnulpho vaſtati, memorant, in formam nobiliorem erexit, additis tribus Canonicis Regularibus, qui ibidem divina peragerent: quippe *B. Rathardi* Corpore divinitùs reperto, & multis indies prodigiis glorioſo copioſam hominum multitudinem ad hunc ſacrum locum alliciente. Dixi reſtauratam Damaſiam à *Kunigunde* ad annum 1013. quod enim later coctus in ejus ſepulchro latens, ac inventus, prodit, cui hæc verba inſcripta: *Kunegundis peccatrix, hujus loci Dominatrix, iſtam conſtruens aulam 2. Non. Martii Annô* 1020. obitum Kunigundæ deſignant, non fundati ſeu reſtaurati monaſterii annum, at fortè cùm completa eſſet ſtructura, ipſa quóque pro complemento meritorum avocata ad coronam ſupernam eodem annô evolavit. *Hartvvicum* primum hic loci fuiſſe Præpoſitum, paſſim ſcriptores memorant, qui deníque *Bertholdo* Comite Andecenſi, & *Ottone* Wolfſertshuſano arcem Dieſſenſem in monaſterium commutantibus, eò eum ſuis ſe detulit, *Innocentio II.* hanc translationem approbante, & confirmante. Eccleſiam novam conſecrâſſe aſſentiente *Walthero* Epiſcopo Auguſtano dicitur à Radero *Anſelmus Havelburgenſis* ante annos quingentos, milleſimô nimirum centeſimô decimô, ſextô Idus ſextiles. Verùm clariſſimi viri Chronologiam hic vitium ſubire adverto; *Waltherus* enim Cathedram Auguſtanam conſcendit annô 1134. & *Anſelmus* annô 1125. nec Epiſcopus fuit, quippè quòd diſertè in Chronico Magdeburgenſi apud Meibomium liquet, *Anſelmum* in Epiſcopum à *D. Northerto* Archiepiſcopo Magdeburgenſi ordinatum fuiſſe, hic autem Infulam Magdeburgenſem non niſi annô 1126. obtinuit; igitur cum *Innocentii* Bolla confirmans ultimam hanc fundationem præſeferat apertè annum 1132. Indictionem decimam annum ſui Pontificatûs ſecundum, quæ notæ omnes ad hunc annum ad amuſſim conveniunt, dicendum omninò circà hunc annum Dieſſenſe Caſtrum in Monaſterium *Hartvvico*, ſuiſque fuiſſe contraditum. Hæc de hujus præclari Cœnobii origine.

Reliqua, quæ plurima eſſent, ad opus differimus, ubi abundans occaſio affluet de perſonis hìc aliquandò exiſtentibus, virtute, meritóque, nec non, & de viris doctis, qualis inter reliqua ſydera *Simon Werlinus* Præpoſitus vigeſimus nonus effulſit, latiùs diſcurrendi. Intereà confiſi, fore, ut præſentis prodromi editio aliquantò in ſpem majorem ac fiduciam corda nutantia erigat, ut, dum dubium iis hactenùs fuerat, an opus noſtrum lucem publicam ſit aſpecturum, atque ideò manum liberaliorem documenta communicandi retinuit, eodem jam primos progreſſus formante, illi ipſi excitentur, nec dum moram protracti operis inculcant, eandem ſuâ cunctatione prolongent.

Floret adhuc hodie eximiè hoc collegium, exiſtítque ad Ambronem fluvium. Hund. Metrop. tom. 2 pag. 180. & tom. 3. pag. 154. Rader. Bav. Sanc. tom. 2. p. 86. ſeq. Steng. Commentar. rerum Auguſt. part. 2. Cap. 10. n. 1. & 25. n. 13. & 34. n. 1. Ertel. Atlant.

lant. Bav. part. 2. p. 163. Deſcript. Hiſtoric. Topogr. Bavar. pag. 132. Chron. Andreæ Ratisb. apud Pez Anecdot. t. 4. par. 3. Col. 453. Acta SS. ad diem 31. Maij in commentar. vitæ B. Mathildis, & ad 19. Junii in vita S. Rathonis commentar. prævio.

Fund. circa an. 1102. Floret.

Dietramcellenſe ſeu Cella Dietrami Abbatia.

Hanc primùm exſtruxiſſe *Ottonem* & *Berengerum* viros virtuti addictos, *Dithmarum* quoque pientiſſimum ſacerdotem in loco Elingerfurt dicto, & Abbati Tegernſeenſi ſubjecto, Hundius memorat. Erat ab iis primùm exile ſacellum conditum cum diverſorio in *S. Martini* honorem. Favit Abbas petentium, & hunc locum ſibi eligentium ſolatio, remque cum Epiſcopo Friſingenſi *Hainrico* tractans confirmationem accepit, in qua legimus: *Quòd præfatus Abbas in Alodio Tegernſeenſis monaſterii, quod Egelingareiit dicebatur, collectis fidelibus, atq; religioſis perſonis, ad divina religionis cultum, Cellam B. Martini laudabiliter inſtituit, & ordinem ſecundùm regulam S. Auguſtini inviolabiliter ibidem obſervari conſtituit.* Litteræ ab *Hainrico* ſubſcriptæ annum ſignant 1102. Roboravit hanc fundationem *Dietramo* Romam adeunti ſummus Pontifex *Paſchalis ſecundus* annô 1107. cujus tamen Bullam non conſpexi; fortè ex illa quidpiam lucis emicaret illius litigii ob prætenſam ſubjectionem, quod diù ſub controverſia fuit Tegernſeenſem Abbatem inter, & Dietramcellenſem præpoſitum: *Ottonis* decretum adfert Hundius de annô 1190. in quo legimus, jam tum quæſitum fuiſſe, hæc Eccleſia ſeu ùt ibidem nuncupatur, cella, an Epiſcopatui Friſingenſi immediatè ſubjaceret? cui cùm ſe opponeret Abbas Tegernſeenſis, palmam (ipſo definiente *Ottone* Epiſcopo) eſt adeptus, hac nempè ſub forma: ut, ſicur in principio tempore *Heinrici* inſtitutum eſt, electio Præpoſitorum prædictæ cellæ ad conſenſum, conſiliúnque celebretur Abbatum Tegernſeenſis Monaſterii, & electi poſſeſſiones atque inveſtituram temporalem ab eis accipiant, deníque omnem honorem, & reverentiam, quam filia matri pro exhibitione multiplicis gratiæ, & jure fundationis exhibere debet, exhibeant, ipſi Epiſcopo de ſpiritualibus reſponſuri. Cæterùm tamen conſtat, annô 1692. tranſactionem factam, quâ perpetuis poſthac temporibus manet tum Præpoſiti Dietramcellenſis inſtitutio à Tegernſenſi Abbate conferenda, tum temporalium inveſtitura, ſola remanente obligatione, ut poſthac omni recurrente novô annô duo aurei præfato Abbati pendantur, obitus verò Dietramcellenſis cujúsque Præpoſiti maturè inſinuetur, ipſéque Abbas ad novi Præſulis electionem condigna invitetur humanitate, comparens tanquam verè Fundator, & Patronus reſpiciatur.

Hodie floret adhuc hæc Præpoſitura, & quidem inſignium Pontificalium jure non ita pridem, ùt percepimus à ſummo Pontifice decorata.

Exiſtit propè Iſaram fluvium. Hund Metrop. rom. 2. pag. 175. Deſcript. Hiſtorico-Topogr. Bavar, part. 1. p. 255. Ertel, Atlan. Bav. p. 2. p. 161. Hiſt. Friſin. Tom. 2. P. 1. pag. 279.

Fund. an. 906. Patr. Seb. ſ.

Eberſpergenſe. S. Sebaſtiani Præpoſitura.

Antiquiſſimum fortaſſè memorabimus hoc in loco, Collegium, quod *S. Auguſtini* Canonicis attriburum, ad medium ſæculi decimi teſtantur conditum tot ſcriptores, ut difficillimæ cervicis homo cenſendus foret meritò, qui ſolitis illis

illis latebris effugere conaretur, quas quidam ſibi ea aſſertione ſtruxerant, *univerſim* per Anticipationem Authores illos locutos fuiſſe, qui affirmaverant, aliquod monaſterium ante ſæculum undecimum Canonicis *S. Auguſtini* fuiſſe aut conditum, aut conceſſum. En quid de Eberſpergenſi hac Præpoſitura viri aut omninò Clariſſimi, rerúmque veterum peritiſſimi, aut certè alioquin non infimæ notæ enuntient. Brunnerus in ſuis Annalibus Boicis: *Ratholdus*, inquit, *annô ſextô ſupra nongenteſimum patre Sighardo orbatus templo præfato* (de Eberſpergenſi ſermo ipſi erat) *Religioſos myſtas è D. Auguſtini ſodalitio adjecit.* Dein paulò infrà: *annô* 990. *Divi Auguſtini familia Stationem deſerente, nova è D. Benedicti aſſeclis Colonia Eberſpergam deducta eſt.* Aventinus L. 5. p. 530. dum ait, *Ulricum*, & *Richardim* procreâſſe *Eberhardum*, & *Adalberonem*, ſubdit: *iſti Auguſtinianis flaminibus Collegium Eberſpergii inſtituêre .... Richardis obiit annô Chriſti* 1013. *maritus* 1019. Verùm hanc errabundam Chronologiam dum corrigit Raderus, ad propoſiti noſtri argumentum non minùs affirmat, à tribus *Ratholdi* liberis annô 928. *Aurelianis*, id eſt, *Auguſtinianis Canonicis*, *ſeu ſodalibus contubernium Eberſpergenſe fuiſſe conditum.* Mox deinde ſubdit *Udalricum Auguſtinianis jam iterum bona venia dimiſſis cœnobium S. Benedicto & ejus Sectatoribus transdidiſſe.*

Chartæ Eberſpergenſes, nullius ſuſpicionis, aut præjudicii arguendæ tradunt apud Raderum ſequentia: *Evolutô poſt dedicationem templi bienniô Hunefridus .... vir doctus, pius, & ſanctus olim Auguſtinianorum Præpoſitus, isq́ primus templi hic* (nempè Eberſpergenſis) *ac monaſterii parens poſt Deum, & Auctor, tum homo privatus naturæ conceſſit annô videlicet* 78, *at* 81. *Weginpoldus tertius Auguſtinianæ familiæ Præpoſitus obiit, cui ſucceſſit Guntherus. Annô autem* 83. *hinc ad cœlos migravit S. Udalricus Antiſtes, & Otto ſecundus Imperator: nimirum annô* 983. paulò inferiùs idem Raderus ex dictis Chartis ſic proſequitur: *Canonici porrò regulares Cœnobii tum incolæ religioſi pacis, & tranquillitatis, nec non contemplationis cœleſtis amantiores ſæpiùs ab illo* (Comite ſcilicèt Udalrico) *pacificam hinc in eremum diſceſſionem expetierant. Quare eò faciliùs tam piæ illorum tandem petitioni aquievit, quô magis Sanctimoniæ laude, vitæ integritate, piæ converſationis Suavitate, ac bono, quô flagrabant, apud omnes, odore præſtantiſſimorum tunc religione virorum, Deo ſub regula D. Benedicti commilitantium alectus fuit, ut eos aliunde huc evocatos introduceret. Re itáque priùs bene conſiderata de magnatum plurimorum conſilio, & impetrato ad hoc tum ſui, tum ſummi Pontificis conſenſu annô ab orbe liberato* 990. *Gunthero quarto Auguſtini conſectaneorum hic Præpoſito, cum tota ſua ſacrata familia, quæ hic Deo, ac D. Sebaſtiano* 79. *annis fideliter inſervierat, pacificè, & cum magna gratia dimiſſis in eremum, cœnobium ſimul, ac templum eorum Ordinis D. Benedicti religioſis aliundè huc accitis pleno cum jure attribuit.*

Idem deníque Raderus iteratò Guntherum, qui ab annô 981. Cœnobio Eberſpergenſi præſederat, *Auguſtinianæ* familiæ ſacræ Præpoſitum liberrimè nuncupat, ubi illum ad Eremum abſcedentem, anachoretam factum, iiſdem, ùt legitimis, ſic veris documentis inſtructus enarrat.

Arnbeckius de hoc eodem Eberſpergenſi cœnobio, ſeu Capella ſcribit: *Comes Eberhardus in Caſtro ſuo Eberſperg per viſionem quandam edoctus juxta dicta Presbiteri Hunfridi Capellani Eccleſiam in modum Crucis ædificavit in nomine S. Seba-*

Sebaſtiani anno Dominicæ Incarnationis 928. & ad divinum ſervitium plures manſos, & prædia dedit, Clericisque regularibus de ordine S. Auguſtini ibi adunatis Hunfridum prudentem, multaq; elegantiæ Præpoſitum ipſis præfecit. Idem Ordo S. Auguſtini duravit in eodem loco usq; ad annum Incarnat. Jeſu Chriſti nongenteſimum nonageſimum &c.

Gewoldus ubi Hundium Aventini veſtigia prementem, & idipſum de Auguſtinianis primùm Eberſpergæ inhabitatoribus aſſerentem in multiplici mendo Chronologico aliàs commiſſo corrigit, illud tamen ad rem noſtram omnimodis confirmat, ubi inquit: *Præfuerunt huic loco à prima conſtructione, ſacerdotes ſæculares à Sighardo Comite aliunde evocati, per triginta duos minimum annos, ab annô videlicet 879. ad 911. qui tunc à Rathaldo Comite Sighardi defuncti filio cum pace dimiſſi abſceſſerunt, introductis in locum illorum Divi Auguſtini Canonicis regularibus.*

Abundent teſtimonia horum, ſufficiántque adſtruendæ veritati, quam in noſtra Exegeſi dudum propugnavimus, obviantes illis, qui, ut inſtituto noſtro novellam plantationem affingant ex regula *S. Auguſtini*, adſtruunt ante ſæculum, ùt diximus, undecimum nomen iſtud nullis Canonicis adjectum: ſi poſterioribus uſuvenit ſcriptoribus illa tempora tractantibus, factum id per anticipationem. Ecce enim! omnia allegata teſtimonia de eo collegio, iisque *S. Auguſtini* Myſtis, ſeu Canonicis loquuntur, ac clamant, qui ſæculô decimô inducti, eodem hinc receſſerant; inanis ergò, futilisque anticipationis prætenſio: cùm *Clericis Eberſpergenſibus* nomen *Auguſtini* adjici hoc modô non poſſet, qui ad finem jam ejusdem prænominati ſæculi decimi, *Eberſperga* nulli ampliùs fuerant. Profectò tot ad hanc roborandam veritatem adducta teſtimonia rem ideò jam confectam decernunt, quòd inde pateat quoque, quàm usque ad initium ſæculi decimi ſeptimi nulli eandem impugnaverint, donec commentor ille, ac rerum novarum (dicam, & falſitatum) infelix fabulator Cajetanus, qui nemini non labem inuſſit, etiam noſtro inſtituto figmentum antea non auditum africaret. Sed quia nos de hoc homine cum Doctiſſimo Boſchio jam alibi mentem noſtram aperuimus; non eſt, quòd ejusdem ſatìs aliundè notas fallacias iteratò denudemus.

Intereà ex relatis diſcimus ſimul & Fundationis Eberſpergenſis Epocham, & Canonicorum inibi regulariter conſtitutorum moram usque ad annum 990. quo his liberè diſcedentibus monachi Benedictini ſucceſsêre. Præpoſitorum brevem ſeriem Gewoldus prodit, quo quidem non niſi quatuor, at tanto præconio celebres notantur, ut dignum omninò cenſeremus peculiari labore cujúsque acta referre, ſi modò quidquam exſtaret ampliùs, quàm aut Gewoldus faſtis ſuis, aut Raderus inſeruit. Sed quia ultrò nil ſuperat, abſtinendum eſt. Cæterùm poſtquàm hoc cœnobium Benedictinis ceſſit, denîque annô 1595. Patribus ſocietatis fuit extraditum.

Exiſtit propè Ænum fluvium. Raderus Bav. ſanctæ t. 2. pag. 167. & ſeq. Hund. in Metrop. t. 2. p. 192. Arnbek. in Anecdotis Pez. t. 3. P. 3. Col. 134. & 476. Brunnerus Annal. Boic. t. 2. L. 8. ad an. 974. Hiſt. Friſing. tom. 2. part. 1. pag. 159. & 186.

Friſingenſis Cathedralis.

Fund. ſæc. octav. Initio ſæcul.

Hæc nobiliſſima, multisque titulis commendanda Eccleſia quemadmodùm *S. Corbinianum* notiſſimæ probitatis virum Authorem habuit,

buit, ex Galliæ penetralibus in hanc Germaniæ partem, Evangelii divulgandi Zelò properantem, ſic vel ipſa ejusdem arctior ex religione vivendi ratio negotium nobis quoddam faceſſit, nè impunè, nullis id aſſerendi productis motivis, abſolutè hanc Cathedralem ab origine noſtro inſtituto imbutam enunciemus. Sic enim Mabillio ex antiquiſſimo libro (quem vocant traditionum majorem) apud Hundium in ſua Metropoli edoctus ait, imprimis *S. Corbinianum* fundâſſe Cathedralem Friſingæ in honorem *B. V.* & *S. Benedicti*

Supperaddit autem litteras Donationis *Hittoni* Epiſcopo factas, *ubi*, inquit, *inter alia præcipitur, ut S. Benedicti Oratores videlicet monachi, & Epiſcopi Succeſſores hujusmodi poſſideant: itáque ab initio Cathedralem Eccleſiam illam inſederunt monachi noſtri &c.* rem ergò ex his teſtimoniis geminis confecit Mabillio; nos eam paulò altiùs ſcrutabimur: nam quæ Mabillio adduxit, id pondus non habent, ut quemquam liberi animi ſcriptorem ad affirmandum impellant, Cathedrales primos aut ſtrictè monachos, aut Ordini *S. Benedicti* fuiſſe. Etenim neque allegata verba *Cathedralem Eccleſiam in honorem S. Benedicti fuiſſe conſtructam, monachorum ibidem ſacrum Conventum, habitaculáque idonea adunata.* neque litteræ donationis, in quibus præfertur præcipi, ut *S. Benedicti Oratores videlicet monachi, & Epiſcopi Succeſſores hujusmodi poſſideant*: Hundius vel Mabillio ex inſtrumento illis temporibus ſynchrono, aut Autographo defloravit, ſed, ùt ea refert Gewoldus in ſuis additionibus deſumpta ſunt ex M. S. Catalogo Epiſcoporum Friſingenſium, qui dum continuatur, usque ad *Philippum* quadrageſimum (juxta Bucelinum) Epiſcopum, qui annô 1499. præſidere cœperat, facilè apparet, quantæ antiquitatis argumentum ſuppeditet. Prætérquam quòd nec ab ipſo Gewoldo ex præfato Catalogo copia originalium proferatur, ſed ſolùm quæ narrando idem Catalogus inſerit: ubi ſic legitur: *Vir Venerabilis Hitto dilectus Autiſtes, per ſingulas quasq; ſuæ Diœceſis Eccleſias ſibi populum Dei commiſſum prædicando, docendo, ſive etiam confirmando, ut ſempiternæ feliciter, & beatè immortalitatis particeps eſſe mereatur, profectus eſt. Ipſe etiam ad utilitatem domûs S. Mariæ divina Clementia admonitus juſſit ædificare Eccleſiam in propria hæreditate, in locô, qui dicitur Hoferhauſen, quam, & conſecravit. Similiter tradidit res ſuas, quas comparavit vel aquiſivit in Azzling, & Holze. & alias ad domum S. Mariæ ad Friſingam, ubi electus, & pretioſus in corpore requieſcit Confeſſor Chriſti Corbinianus, ut memoria ejus multis temporibus in domo S. Mariæ, & S. Benedicti Confeſſoris permaneat, & ut Oratores ſui videlicet monachi &c.* verba hæc, ùt dixi, deprompta ad arbitrium Compilatoris ſunt hujus Catalogi, non ad genuinum primævum ipſius donationum Chartæ textum appoſitæ. Majus ergò robur indagandæ (ùt exiſtimo) veritati, certiorémque lucem dabit D. Corbiniani vita ab *Aribone IV.* Friſingenſi Epiſcopo compoſita, qui annô 760. præeſſe cœpit, adeoque à morte *D. Corbiniani* circiter 32. Hic itáque ſancti iſtius viri acta accuratâ enarratione elucidans nè verbum quidem de monachis aut in Cathedralem inductis à *Corbiniano*, aut ibidem eô unquam ævô commorantibus meminit, nec deníque ſacratam Eccleſiam illam *D. Benedicto* uspiam prodit. Cùm enim jam anteà Virigini ſanctiſſimæ dicata exiſteret, ſolùm innuit *Aribo* poſſeſſionem illam, quam quædam vidua habebat in *Chories Córbinianum* à *Grimoaldo* principe

Coemiſſe, *&*, inquit, *ambo pariter poſteà B. Corbinianus Epiſcopus, & Grimoaldus Princeps tradiderunt hoc Deo, & S. Mariæ ad prædictam Eccleſiam in Caſtro Friſingas, ubi tunc B. Corbinianus Cathedram tenuit Pontificalem.*

Ultrò dum translationem S. *Corbiniani* enarrat, iterum de Cathedrali Eccleſia mentionem ingerit, ſed nè Jota de monachiſmo, at de Clericis eam incolentibus jam tempore viventis Corbiniani habes in vita (à Gewoldo ex Velſero Additionibus Hundianis adjuncta) frequentius, ac repetitum teſtimonium. Imò ipſe *Aribo* N. 23. diſertè teſtatur ad *S. Mariæ* Cathedralem *Clerum* fuiſſe Congregatum, non *monachos: Cùm quadam die*, inquit, *in Epiſcopio Friſingæ ſederet Corbinianus, moleſtia Corporis correptus, more ſolito in vicinum montem ad Oratorium B. Stephani Martyris venire nequivit ad matutinas Deo perſolvendas Laudes: Clerum, itáque excitans illuc ire præcepit; illisque aſcendentibus vox pſallentium in Eccleſia obviàm illis venit: feneſtris quoq;, & tecto tanta vis clari luminis radicabat per latera ejusdem montis, ut claritatem diei ſuperaret; Clerici nimio timore perterriti ubi tandem vires recepêre, domum recurrerunt, & omnia viro Dei indicârunt.* Hæc *Aribo*: cui fortè nunquam *Clericorum* nomen locò *monachorum* excidiſſet, ſi Cathedrales monachos potiùs, quàm Clericos noviſſet, quippè ipſe monachus, at tam diſtrictus cenſor in monachiſmi ſignandis limitibus, nè ſcilicet plus ei, quàm par erat, tribueretur, ut in Dingolvingenſi ſynodo annô 772. habitâ actis ſpeciatim iis ſubſcriberet, quibus monacho cuique Parochiarum cura, & publicè baptiſmum adminiſtrandi venia omnis interdicitur per totam Bavariam, adeóque & per Diœceſim Friſingenſem.

Verùm his cum teſtimonio Mabillonii æquâ lance libratis mirari ſubit virum Clariſſimum in ſuæ Germaniæ ſacræ reflexionibus ad tomum ſecundum ſcripſiſſe: *Friſingæ primi Canonici, vitam ſunt monaſticam profeſſi, quod Otto Friſingenſis teſtatur L. 5. Chron. C. 24. quod aliis item argumentis abundè firmavit nupernus Eccleſiæ Friſingenſis hiſtoricus.* Igitur Ottonis primùm authoritas adducta, adhuc dubito, an tanta ſit, ut ea unica nullo alioquin rationum pondere inclinante ad hanc quæſtionem decidendam ſufficiat. Otto utut aliàs multùm reſpectus, antequam Epiſcopus Friſingenſis ſalutaretur monachum Moramundenſem Ord. Ciſtercienſis profeſſus facilè perſuaderi potuiſſet, ut monachos ibidem primitùs crederet à *Corbiniano* inſtitutos, niſi nôſſem Ottonem temporum illorum rationem, quæ nimis ſollicitè monachos à Cathedralibus muniis, juribúsque arcebat, minimè ignorâſſe, unde, cùm ſcripſiſſet *S. Corbinianum Eccleſiam in honorem S. Benedicti conſtruxiſſe, ac monachorum ibi ſacrum Conventum adunaſſe.* Aut omninò neceſſe eſt confudiſſe Eccleſiam in monte poſitam fortè D. Benedicto ſacratam, cum Cathedrali, aut finxiſſe aliquid, quod nec *Aribo*, nec ullus alius antè Ottonem ſincerus ſcriptor unquam edixit, Cathedralem nimirùm *D. Benedicti* nomine, ac patrocinio fuiſſe inſignitam. Certúmque eſt turpiſſimum Sphalma in illa verba irrepſiſſe, quæ apud Gewoldum in *Hittone* leguntur, ſuperiùs adducta, ubi dicitur: *Similiter tradidit res ſuas .... & alias ad domum S. Mariæ ad Friſingam, ubi electus, & pretioſus corpore requieſcit Confeſſor Chriſti Corbinianus, ut memoria ejus multis temporibus in domo S. Mariæ, & Benedicti Confeſſoris permaneat.* Vaniſſimus quidam Hallucinator locò appellativi mox præ-

præfixa grandiori littera *B.* fecit nomen proprium, præpoſuitque *S.* litteram. Quis enim credat, ubi Contextus integer ſe effundit in præconium *S. Corbiniani*, ſubitò deflexurum ad S. Benedictum? præcipuè cùm nec antea, nec inde unquam aut ullibi legamus Eccleſiam Cathedralem, ùt diximus, S. Benedicto fuiſſe dedicatam; nulla id monumenta antiqua, nullæ Chartæ donationum, nulla privilegia edicunt. Itáque ipſe Otto his verbis fortè primus deceptus, dum intelligere debuiſſet Corbinianum *Benedictum Confeſſorem* laudari, & verba illa, *videlicet monachi* fuiſſe intruſa, Eccleſiam Cathedralem S. Benedicto ſacram, monachíſque collatam aſſeruit.

Porrò quæ ampliùs clariſſimum virum perſuaſère ad Cathedralem Friſingenſem monaſtico-Benedictinam aſſerendam, aut potiùs jam aſſeram ab hiſtorico Friſingenſi, ſtabiliendam, aliâ, eaque paulò inferiùs occurrente iterùm occaſione faciliùs diſſolvemus. Hæc Cathedralis regularis perduràſſe videtur uſque ad Ottonis tempora ſub norma regulæ Aquiſgranenſis. De quo nos tamen alibi plura dabimus.

Hundius in Metrop. t. 1. à pag. 69. Germ. ſacr. rom. 2. pag. 1002. n. 176. vita S. Corbiniani apud Surium 8. Septem. &c.

Fund circ. an. 764. Floret. Garſenſe S. Mariæ Abbatia. Originem à *Boſone* Clerico circà annum 764. ſumpſiſſe dicitur, tanquam cella aliqua, aut Oratorium *Boſonis* devotioni proprium, an ſtatim ùt monaſterium, quod tanquam Præpoſitus *Boſo* moderatus ſit? non ſatis liquet: equidem Hundius ait in antiquis Eccleſiæ Salisburgenſis monumentis reperiri, *Cellam, quæ vocatur Garoz ſuper ripam Oeni in pago Iſanagoe conſtruxiſſe quendam Clericum nomine Boſonem in honore S. Petri, Principis Apoſtolorum, de licentia Teſſalonis tertii Ducis Bavariæ &c. Hanc Cellam*, inquit Hundius, *idem Dux cum aliis pluribus prædiis, ac cenſibus donavit Epiſcopo Salisburgenſi, Commendans eundem Clericum ad ſupra dictum monaſterium, unàcum ipſa cella &c.* Hæc ſi requiſitæ vetuſtatis authoritate ſunt certa, ùt ſunt, quippè in ipſa annotatione *Arnonis* Epiſcopi Salisb. tempore *Caroli* M. præſidentis legenda; nullum dubium eſt, Garſium noſtrum jam à ſæculo octavo monaſterium Clericorum fuiſſe. Fortè hujus rei lucem apertiorem ſuppeditaret Chronicon Garſenſe Clariſſimi ejus loci Canonici, ac præclari Scriptoris Joannis Chryſoſtomi Hager. Quod tamen tenaci fræno uſque dum ſubtrahi audio mundo litterario, de quo vehementer dolendùm. Ur quivis mecum eruditus ſentiet.

Catalogus D. D. Præpoſitorum nobis communicatorum primum eorum *Boſonem* ponit, inter quem, & alterum, nempè, quem ſecundum ſtatuit, *Toerwvinum* magnus hiatus pater annorum trecentorum, & ampliùs ad annum uſque 1129. communiſque illa querela ingeminatur documentorum, ac inſtrumentorum injuriis bellicis deperditorum.

Habet hoc Collegium ampliſſimum Archidiaconatum, habuit quoque viros eruditione, ac probitate præclariſſimos, inter quos præprimis laudatus mox notatur *Joannes Chryſoſtomus Hager*, qui ſua doctrina ſæculi adhuc noſtri annum 1706. vivendo attigit. Hos ſuo tempore Catalogum Librorum ab ipſo compoſitorum, prout is nobis tranſmiſſus eſt, communicabimus, atque utinam quidam quoque eorum extraderentur anecdotis noſtris adjiciendi, cer-

tè (perſpectis à nobis, ac obſervatis titulis) typo digniſſimi.

Non poſſum, quin etiam hic grati animi teſtandi cauſa, alterius quoque meminerim viri clariſſimi D. Ruperti Grueber, hujus Ejusdem Eccleſiæ egregii membri. Qui quemadmodùm ſuos litterarios labores tum ipſi orbi, tum peculiariter quoque nobis in negotio noſtro magnis favoribus ſuam eminentem doctrinam probavit, ſic ab eo propediem nobile opus edendum cupidis votis expectamus. Cujus interim piis manibus requiem illam dudum à ſe deſideratam, optamus.

Floret eximiè hoc nobiliſſimum Collegium, quod non ita pridem, id eſt annô 1736. præcipua ſolennitate refulſit in ſuo Reverendiſſimo, ac Ampliſſimo Capite *Gelaſio*, qui dictô annô, ſeptimo Cal. Decem. Jubilatus Religioſus ſub ſolenni pompa plurium infulatorum D.D. Præſulum, ac aliarum nobilium perſonarum aſſiſtentium profeſſionem ſecundam Deo publicè nuncupavit.

Nos interim certò ſperamus plura adhuc, eaque magis particularia documenta ex hoc celeberrimo Collegio obtinere, quibus cum hiſtoriam noſtram generalem, tum hujus ipſius loci luculentiùs colluſtrare poſſimus.

Exiſtit ad Oenum fluv. Metrop. Saliſb. Mezger. pag. 1235. Hundii. tom. 2. p. 87. Ertel. atl. Bav. parte 2. 178.

Fundat. ✝. **S. Goaris Præpoſitura.** Hujus loci propè Saliſburgum cum congregatione aliquanta Clericorum ſiti, ſed incurſione Sclavorum devaſtati, nec reſtituti memoriam reperi, cùm verò alioquin nihil occurrat, eandem hanc Eccleſiam non omninò omiſiſſe ſufficiet. Porrò ſi cuipiam minùs iſta unquam Saliſburgi conſtitiſſe videatur, eoquòd authentica rerum Saliſburgenſium monumenta nihil planè de hac ſeu Eccleſia, ſeu Cella, ſeu Congregatione *S. Goaris* edicant, ùt videri apud Hundium poteſt, minimum illi nobis negotium imperabunt, cùm neutiquam adeò pro hac decertare conemur. Intereà tamen eosdem ipſos retrò ad circulum Rhenanum inferiorem dimittentes, rogantésque, ut unà ſecum ſi non iſtam Eccleſiam illuc transferunt, ſaltem ibidem requirant, in qua Clericos primùm ſub converſatione Canonica in communi degiſſe ex Wandalwerto diſcimus, idque longis temporibus, quamvis *jam* anno 768. hanc Cellam legamus Prumienſi Abbati Aſſuero à *Pipino* Rege in beneficium fuiſſe donatam, velut ipſe Mabillio obſervat. Et Browerus teſtatur ſub dicto Aſſuero Clericorum in hac Cella degentium mores aliquantùm à recta via jam aberrantes reſtitutos, ac formatos fuiſſe. Hæc præpoſitura ſub tumultibus hæreticorum *ingentes* ruinas paſſa, poſtmodùm *reducta*, usque nunc à Clericis ſæcularibus incolitur. Exiſtitque in urbe hujus nominis ad Rhenum. Mabillon. Annal. Benedict. L. 24. n. 21. Browerus Annal. Trevirens. tom. 1. pag. 375.

Gottzzelenſe. Abbatia. Fundat. Ord. Ciſt. Quamvìs minimè ignoremus annô 1287. ac inde diutiùs monaſterium Ciſtercienſibus fuiſſe contraditum, quòd illud tamen inter noſtra recenſuerimus, Aventini Teſtimonium, Hundii prætereà, Miræi denique, atque Ertelii nobis ſatis erat, ut ſaltem crederemus, aliquando noſtri inſtituti illud fuiſſe, ſic enim apud omnes legitur: *Gottzzel Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini.*

Exiſtit in Hercynio ſaltu verſus

ſus Bohemiam. Miræus L. de orig. Can. Reg. Cap. 77. Aventin. fol. 726. Hund. in Metrop. tom. 2. pag. 248. Ertel. Altant. Bav. par. 2. pag. 479.

Fund. an. circa 1000. floret. Högelvverthenſe SS. Petri, & Pauli Abbatia. Condidit hoc eximium noſtri inſtituti Collegium *Luitholdus* Comes de Plain cum Conjuge ſua (cujus nomen non proditur) nata Comitiſſa de *Neuhaus* circà annum Domini milleſimum, ſic ajunt documenta, & Catalogus D.D. Præpoſitorum apud Mezgeros; quod tamen fieri non potuit, niſi dicas duos fuiſſe *Luitholdos*, unum Fundatorem, alterum Benefactorem, ſed de quo nihil conſtat. Unde potiùs crediderim, *Luitholdum* hunc aliquo parachroniſmo ad id tempus fuiſſe perlatum, quo fundatum eſt hoc collegium: *Luitholdus* enim vixerat integrô ſæculô poſteriùs, cùm inter annum 1152. & 68. obiiſſe dicatur ab Hundio in Metrop. pag. 7. Præterea vix probari poterit circà annum milleſimum fundationem iſtam fuiſſe exortam, quippè quòd ante tempora *Conradi* primi Archiepiſcopi ex nullis monumentis vel nomen erui poſſit hujus loci. Alioquin verò in memoratis documentis de annô 1220. adeſt *Luitholdi* Comitis de Playn confirmatio donationum à ſuis progenitoribus factarum; ex qua absque dubio colligitur hunc *Luitholdum* fuiſſe alium ab illo, qui, notante Hundio, vixerat ſæculo XII. at talem, qui ſæculo X? planè ignoro. Probat id ipſum primus allegatus in Serie Præpoſitus, qui fuiſſe aſſeritur *Rupertus*, circa annum 1158. idque concorditer ad *Luitholdi* primi annos. Unde omninò exiſtimo Corrigendum eſſe geminum Catalogum, tam apud Mezgeros, quàm apud nos exſtantem in eo, dum ſcribitur: *Collegium Canonico-Regulare in Högelvverth circà annum Domini Milleſimum à Luitholdo Comite de Plain &c. Fundatum.* Subſtituendum erit: *Circà annum Domini Milleſimum centeſimum quadrageſimum ſeptimum*, ſiquidem ſtat, eodem annô Metropolitanum Capitulum à Summo Pontifice Eugenio III. obtinuiſſe jus præſentandi Præpoſitos ad Collegium Högelwerthenſe. Dico: *ſiquidem*; nam nobis inſtrumentum illud necdum occurrit: meminit quidem hujus juris etiam Clariſſimus Germaniæ Sacræ Author tomo 2. p. 522. at nullo producto inſtrumentô, ex quo anno hoc jus fuerit aquiſitum. Hoc Collegium annô 1733. pro ſuo Reverendiſſimo Capite obtinuit Pontificalium inſignium uſum, floretque adhuc noſtris temporibus.

Exiſtit autem propè urbem Salisburgenſem. Hund. Metrop. tom. 2. p. 267. Metrop. Salisb. Mezg. pag 359. & 1248. Docum. communic.

S. Magni, ſeu SS. Andreæ, & Magni aliàs quoque Ripenſe. Abbatia. *Fund. an. 1138. floret.* Non opinor, dum hujus collegii originem quærimus, locum dandum eſſe narratiunculæ illi, quam me legiſſe memini in quapiam typo edita, ac anteà è ſuggeſtu dicta Concione ad feſtum S. Magni die 6. Sept. 1720. *Berchtoldo* nimirum apparuiſſe *S. Magnum* cum *S. Michaële* Archangelo, quos lintrarius aliquis trans Danubium vexerit; unde mox Berchtoldus Sacellum annô 1134. conſtruxit, inſignibus miraculis ſubſecutis. Quantumcúnque enim alia documenta perquiro, de hac apparitione, & qualicúnque *Berchtoldo* nihil reperio. Certiora igitur amplexuri *Gebhardum* Ratisbonenſem Canonicum Fundatorem credimus, qui

ex

ex nobiliſſima Comitum *de Raxing* familia oriundus annô 1138. quidquid jure hæreditario inter duo flumina *Imbrem*, & *Danubium* poſſederat, *Eccleſiæ S. Magni* attribuit, eamque in honorem *S. Andreæ* in figuram Crucis conſtruxit, & ibidem Canonicos ſecundùm regulam *S. Auguſtini* inſtituit, *quorum ipſe Domino, & Epiſcopo* Romano *auctore, & annuente Præpoſitum egit.* Verùm Gebhardum quidem primæ Congregationi præfuiſſe lego, non tamen ùt *Præpoſitum*, ſed ùt *Proviſorem:* Sic *Innocentius* Bullam confirmationis ſubmittit annô 1139. *Dilecto filio Gebeardo* Proviſori *Eccleſiæ, quæ dicitur ad Ripas.* Id ipſum obſervavit *Lucius* annô 1144. idem *Innocentius III.* annô 1204. donec demum in litteris *Gregorii Noni* nuncupari *Præpoſitum* reperiamus. Dico *Gregorii Noni*, quamvis, enim Gewoldus in ſuis additionibus cenſere videatur illud privilegium à *Gregorio Octavo* collatum fuiſſe, quippè quòd id inter Bullam *Lucii*, & *Innocentii tertii* collocet; Verùm fallitur: nam Gregorius Octavus nunquam annum quintum ſui Pontificatûs attigit, cùm eodem annô 1187. quo electus eſt, die 20. Oct. defunctus ſit die 17. Dec. Diſertè autem in illo *Gregorii* privilegio ſine Anno Incarnationis ponitur: *Datum Reate Nonas Martii Pontificatûs noſtri annô quintô.* Intereà tamen non ſatis apprehendo, cùm tam *Gebehardus* ſeu *Gebeardus*, quàm ejus ſucceſſor dicantur in harum Pontificiarum litterarum exordio proviſores, poſtmodùm tamen nuncupantur Præpoſiti: ſic enim tam in *Lucii*, quàm *Innocentii tertii* Charta legitur: *obeunte verò te nunc ejusdem loci Præpoſito &c.* Proviſorem enim, & Præpoſitum promiſcuè confudiſſe in ſuis litteris tanquam voces idem ſonantes, non ſunt ſupponendi ſummi Præſules, cùm id aliàs in nulla illorum temporum Bulla reperiatur factum; præcipuè quòd Proviſores tunc dicerentur illi, qui in monaſteriis rerum ſæcularium curam habebant, econtra Præpoſiti illi, qui etiam ſpiritualium, ùt diſcimus ex Cangio, ex Alberto Stadenſi, Adamo Bremenſi &c.

Canonici ad *S. Magnum* (de quibus agimus) ſecundum *B. Auguſtini* regulam, & fratrum Portuenſium inſtitutionem vivebant, quam tamen ſucceſſu temporis dimiſerunt, nos ſummè optaremus, genuinam haurire hujus Portuenſis inſtitutionis notitiam, an omnimodis conſonet regulæ Portuenſi, operibus Petri Damiani, inſertæ.

Collegium autem hoc, ipſíque hujus religioſi inhabitatores graves, easque plurimas afflictiones tolerandas identidem habuêre, usque dum demum à tempore poſtremi belli Bavarici reſpirare huic enormiter vexato præcipuè ab inimicis omnis pietatis, Hæreticis inquam, concedebatur, manum adjutricem præprimis ipſo Sereniſſimo Duce Emanuele accomodante, cujus (ùt edocti ſumus) præclaris veſtigiis ſua, ubíque deprædicata in religioſos homines Clementia, ac liberalitate, &, ſi ſine invidia dicere liceat. maximè in ipſos Canonicos Regulares exquiſitâ benevolentiâ ad amuſſim inſiſtens modernus feliciſſimè gubernans Elector Sereniſſimus Carolus non minùs pium quemdam æmulatorem in iſtud Collegium ſe remonſtrat, ac probat paternæ virtutis.

Floret adhuc iſtud præclarum collegium, & in gremio ſuo alit viros doctiſſimos, quorum noſtro labori cumprimis faventem reperimus, ac experti ſumus Reverendiſſimum D. D. Præſulem actu Præſidentem, nec non ejusdem

dem Canonicum virum Clariſſimum Bernardum Edel, cui quid, quantúmque debeamus, jam in præfatione noſtra narravimus.

Exiſtit ad Ripam Danubii fluminis propè Pontem Ratisbonenſem, Hund. in Metrop. tom. 2. p. 311. & tom. 3. p. 361.

Fundat. an. 1413. Secular. Matikhovenſe Præpoſitura. Subnecto verba Hundii, ex quo habeo, hoc Collegium aliquando noſtri inſtituti fuiſſe: *Matikhoven*, inquit, *Collegium Canonicorum ſecularium in Bojaria Noricorum, Joannes Küchler cum uxore Catharina Matikhovia, ubi quondam Regum Bojariæ prætorium fuiſſe vetuſta indicant diplomata, Collegium myſtis Auguſtinianis inſtituit, circa annum* 1413. *Aventin. in Annalibus fol.* 118.

Exiſtit propè Oenum fluv. meminit ejusdem, quoque Miræus L. de Colleg. Can. ſæc. Cap. 117.

Fund. an. 1074. Floret. S. Nicolai Abbatia. Collegium iſtud digniſſimum ſanè eſſet, tum ob Fundatoris ſui notiſſimam ſanctitatem, ac eminentia merita, tum ob alia memorabilia, quibus ejusdem hiſtoria abundat, ut etiam in hac ſynopſi monaſteriorium noſtrorum, aliquantò prolixiùs excurreremus, verùm ſi quid aliud, certè prohibet ſumma illiberalitas per geminatas Epiſtolas enixè à nobis petitorum, & neutiquam obtentorum documentorum, quin vel ullius reſponſi ſubmiſſi. Quod ſufficiat ad eluendam quamcúnque culpam, fortè apud Lectorem eruditum ideò contrahendam. Intereà tamen *Altmanni* noſtri nequaquam omittemus egregia facta promere, cum præcipuè Clauſtro-Neoburgenſis celeberrimi Collegii enarrationem ſuſcipiemus. Atque ne præter morem noſtrum nihil edixiſſe videamur de hoc collegio, ejus fundationem novimus à S. Altmanno Epiſcopo Pataviensi XXIII. annô 1074. factam, atteſtantibus id apud Hundium in Additionibus Gewoldi ipſis S. viri litteris: illud exiſtere ſub noſtro inſtituto aliunde compertum habemus.

Situm eſt Paſſavii Hund. Metrop. tom. 3. p. 365.

Fund. an. 739. Ord S. Benedicti. Niderburgenſe Virginum Canonicarum Abbatia. Sic à Miræo docemur, qui inter monaſteria noſtra hanc ipſam Abbatiam numerat, aitque juxta Aventinum ab Utilone Duce circa annum 739. fundatam ab *Ottone* ſecundo an. 976. *Piligrino* Epiſcopo Pataviensi contraditam fuiſſe. Porrò cùm de genuino inſtituto primitùs inducto, ac poſtmodùm ibidem exiſtente omnia tenebris involuta ſint, Miræum ſecutus, ùt dixeram inter noſtra collegia, etiam hoc Niderburgenſe retuli. Intereà nulli adverſaturus, qui me luculentioribus documentis monuerit, hoc Cœnobium, quemadmodùm hac ætate, ita & priſtinis ſemper temporibus Benedictinum inſtitutum fuiſſe ſecutum.

Exiſtit Paravii. Miræus. L. de orig. Can. Reg. Cap. 17. Hund. Metrop. tom. 2. p. 402.

Fund. circa an 876. Secular. Oetingenſe S. Mariæ Præpoſitura. Locus hic ſacer vetuſtate, & Marianorum beneficiorum frequentiâ vulgatiſſimus, atque Venerabilis, cùm jam tempore *S. Ruperti* extitiſſe dicatur, monaſterium tamen ſibi junctum à Carolomanno circa annum 876. obtinuit. In eo conſtituti Clerici, cùm monachos nullum diploma, nulla Charta donationis memoret. Fratres, & famuli, ſervíque Dei dicuntur & quidem *Canonicè*, non *monaſticè* degentes ibidem, ùt patet in Charta *Ludovici tertii* data annô 901. miſerè poſtmodùm annô 907. ùt notat Aventinus totum monaſterium ab

Ungaris vaſtatum, ſola ædicula B. Virginis incolumi remanente, à Ludovico Comite Palatino ad annum 1231. reſtructum eſt, inductis tum Canonicis ſæcularibus, qui usque ad hanc ætatem ibidem perſeverant.

Exiſtit Oetingæ. Aventinus in hiſtor. Oetingens. Cœnob. Edit Ludewig. tom. 2. ſcript. rerum German. à pag. 383. Hund. Metrop. tom. 3. p. 45.

Fund. ad med. ſæc. 12 floret.

Paumburgenſe S. Margaritæ. Abbatia.

Hujus inclyti Collegii deſcriptionem ſperamus omninò integram, & abſolutam proferre, cujus nunc ſolam ſynopſim adduxiſſe ſufficiat.

Adelheidis filia Chunonis Comitis Medlingenſis, & *Irmogardis* Marito ſuo, quem tertium ſibi in Matrimonium obtinuerat, moriens hujus Collegii fundationem mandaverat, ea conditione, nè anteà ipſe Corpus ejus terræ committeret, quàm illud erectum eſſet: igitur *Berengerius* relictus ab *Adelheide* defuncta viduus *Arnolphi* Sacellani concurrente operâ negotium orditur, ac monti Pamburgenſi ſtructuram primò ſacram in *Divæ Margaritæ* honorem firmat, mox Collegium adjicit, illúdque Canonicis regularibus incolendum committit: ùt patet ex *Paſchalis ſecundi* Confirmationis litteris. Quem ſummum Eccleſiæ præſulem cùm certi ſimus hujus nominis ſecundum ſediſſe ab anno 1099. ad usque 1118. imperceptibilis videtur Hundii obſervatio dicentis, lapidi ſepulchrali Fundatricis inſcriptum eſſe: *Albaidis Comitiſſa de Marchnsſtein, & Sulzpach Fundatrix hujus Eccleſiæ hoc in loco ſepulta, obiit annô* 1144. Dein additur: *Eccleſia conſecrata eſt annô* 1165. Adelheidem defunctam eſſe ante annum milleſimum centeſimum quadrageſimum quartum, res eſt manifeſta ex Bulla *Paſchalis*, & hiſtoria Fundationis. *Paſchalis* enim tardiùs privilegium ſuum annô milleſimô centeſimô decimô octavô edere non potuit, quippè morte hoc annô ſublatus: monaſterium autem, ſi etiam hoc annô constructum eſt, præceſſit obitus Fundatricis, & quidem 12. annis, ùt patet ex hiſtoria fundationis apud eundem Hundium. Ergò aut apertum Sphalma irrepſit, aut error in Epitaphio ſupinus comparet. Deinde in laudata hiſtoria dicitur *Conradum Saxonem*, id eſt, primum Archiepiſcopum Salisburgenſem monaſterium iſtud dedicâſſe; aſt hic *Conradus* annô 1147. mortem oppetiit: niſi dicas annô 1165. ſecundò conſecratam fuiſſe. Verùm id omninò gratis aſſeritur, nec ulla cauſa hujus iteratæ conſecrationis comparet.

In ſæpe memorata hiſtoria inter alia notatur *Conradus*, quòd Eccleſiam ſeu, ùt ibidem nuncupatur, cellulam Berchtolsgadenſem ſubjectam Paumbergenſi Cœnobio liberam declaraverit. Expendit hoc ipſum in ſuo Atlante Ertelius, & id ſibi incredibile videri, ait. Verùm lectis ſummorum Pontificum Bullis, ac bene luſtratis, certum eſt, gravem hac ſuper re inter Berchtolsgadenſes, & Paumburgenſes controverſiam diù ſtetiſſe. His priſtinum jus ſuum prætendentibus, illis econtra vindicantibus libertatem à *Conrado* (ùt videtur) aſſertam. Quidquid verò ſit, lis à ſumma Sede compoſita eſt, idque adhuc ipſo *Conrado* Archiepiſcopo ſuperſtite, ùt patet ex litteris *Innocentii* annô 1141. datis. Habet hoc Collegium peramplum Archidiaconatum jam aliquot ſæculis, ſic enim legimus *Meingottum* tertium Præpoſitum circa annum 1185. *Archidiaconum primum* nominari.

Cæte-

Cæterùm quantis alioquin prærogativis hoc præclarum Collegium emineat, ſuo loco enarrabimus, intereà annotaſſe ſatis ſit, modernum Reverendiſſimum, ac Ampliſſimum D.D. Præſulem Patricium noſtris laboribus ſummè faventem, nos fuiſſe expertos.

Floret adhuc eximiè hæc Canonia Inclyta, exiſtítque ſupra Chiemium. Metrop. Salisb. Mezg. L. 4. C. 1. Hundii Metrop. tom. 3. p. 58. Ertel. Atlan. Bavar. part. 2. p. 195.

Paringenſe Præpoſitura.

Fund. an. 1143. Ord. S. Bened.

Fundatam ait Hundius fuiſſe à tribus Canonicis Ratisbonenſibus Germanis fratribus *Conrado*, *Henrico*, & *Gebhardo*, eô nimirum, qui idem ipſe condiderat Collegium *S. Magni*, de quo ſuprà. Extant confirmationis hac ſuper re litteræ ab *Henrico* Epiſcopo Ratisbonenſi conceſſæ annô 1143. in quibus dicitur: *Tres uterinos fratres, Conradum primogenitum, nec non Henricum laicos, & Gebhardum matricis Eccleſiæ Canonicum, cum bona voluntatis matre ſua nomine Mathilda, venerabili vidua divinum cultum ampliare, & Chriſto in pauperibus ſuis miniſtrare cupientibus præpoſituram Canonicorum Regularium, ſecundùm regulam B. Auguſtini in parte prædii ſui, qui Pargen dicitur, in Eccleſia Baptiſmali in manus ipſius Henrici contradidiſſe.*

Ex ſuperiùs relata *S. Magni* Collegii deſcriptione habemus *Gebhardum* annô 1139. jam præfuiſſe huic ùt proviſorem, aut ùt Præpoſitum, certúmque eſt, ipſum inſtitutum Canonicum ſub regula *S. Auguſtini* ſuſcepiſſe: itáque crediderim Paringenſem fundationem præceſſiſſe alteri *S. Magni*, quippè quòd talis fundatio non facilè componenda videatur cum ſtatu votivo *Gebhardi*, quo tum jam colligatus erat. Novi equidem plures Monaſteriorum Præſules fundationes formâſſe, neque fors etiam id *Gebhardo* noſtro abnuerem, præcipuè cùm ea bona, quæ prædium Pargenſe attingebant *Gebhardus* ſui adhuc Juris, ac libera habere potuerit; at licèt admittamus iſtud, obſtabit tamen *Heinrici* Epiſcopi Charta, in qua *Gebhardus* disertè adhuc dicitur matricis Eccleſiæ Canonicus, id eſt, Cathedralis Ratisbonenſis. Igitur aut Paringenſe Collegium ante *S. Magni* conditum eſt, aut *Gebhardus* dicendus, Canonicus ſimul Ratisbonenſis, & Præpoſitus *S. Magni* extitiſſe, neque annô 1143. ſe ſubdidiſſe diſciplinæ Auguſtinianæ. Fateor etenim Chronicas notas Chartæ Henricianæ de anno dicto 1143. pro Paringenſi, & alteras *Innocentii* Papæ de annô 1139. aliquas tenebras continere, niſi eas diſpellamus dicentes *Henrici* Chartam longè poſt fundatum Paringenſe Cœnobium fuiſſe extraditam, & *Gebhardum* ampliativè dici Canonicum Ratisbonenſem, id eſt, qui aliquando fuerit.

Hoc Paringenſe Collegium annô 1616. pleno jure incorporatum eſt per Bullam à *Paulo V.* datam monaſterio Andecenſi in Bavaria, cùm illud, neſcio quibus fatis, jam diù anteà per Albertum Bavariæ Ducem prædicti cœnobii Abbati uſufructuariè conceſſum eſſet, ut inde monachi nonnulli, qui confeſſionibus ſacramentalibus audiendis, & verbi Dei Concionibus habendis vacare, ac hæreticorum etiam illuc aliquandò accedentium erroneas opiniones refellere, ipſúmque populum in Orthodoxæ fidei rudimentis, & præceptis informare, & confovere poſſint (ùt loquitur Bulla) ad publicas univerſitates,

ſacrarúmque litterarum ſtudia mirtendi ſuſtenrationem habeant, eò quòd alioquin redditus monaſterii montis ſancti, id eſt, Andecenſis valde tenues, & exigui fuerint.

Exiſtit propè Ratisbonam Hund. Metrop. rom. 3. pag. 62. Docum. communic.

Fund. circ. an. 737. Secular. Paſſavienſis Cathedralis. Non eum hìc laborem ſuſcipimus, quem dudum, ac ut ita dicam, pleno calamo abſolvit in explicandis primordiis, & ſucceſſivis viciſſitudinibus Eccleſiæ tum Laureacenſis, tum præcipuè Paſſavienſis, Vir clariſſimus Marcus Hanſizius; cùm etenim ejusdem de utráque hac Eccleſia volumen cuivis facillimè ad manus eſſe poſſit, cur actum agamus, ut, quæ prolixè idem deduxerat, nos hic proferamus? Quandoquidem igitur Patavienſis Eccleſia originem ſuam haud ante tempora irruptionis graviſſimæ circà annum 568. ab Hunnis factæ reperiat, neque documenta antiqua oſtendant, aut proferant ſufficientes majoris vetuſtatis rationes, huic quoque Epochæ ejusdem primordia affigenda æſtimamus. Tum enim relicta Laureacenſi utpote Cathedrali Epiſcopi habitatione emigravit *Erchenfridus* ejus Diœceſis, ac loci Præſul Pataviam cum clericis ſuis tanquam ſecurius domicilium. Illic moratum fuiſſe velut in refugio ſanctum virum usque ad obitum ſuum idem Hanſizius oſtendit. Ideóque mihi certum, firmam ſedem Pataviæ fuiſſe exhinc ab *Erchenfrido* conſtituram clericalem, in qua congregatio virorum Apoſtolicorum collecta ſit illa, quæ muniis Evangelicis conferendis ſemper inſiſteret, usque dum demum circa annum 737. Vivilo primus, Patavienſis Epiſcopus juberetur. Jam noſtrûm eſt oſtendere, hanc congregationem eam fuiſſe, quæ inſtitutô votivo-Canonicô fuerit imbuta. An monaſterium ab *Erchenfrido*, Clericísque ſuis inhabitatum, illud ſit, quod olim *S. Severinus* condiderat iſthic locorum? alii definiêrint. Quodcúnque id fuerit, certum eſt, conveniente forma hanc Eccleſiam veſtitam fuiſſe à *Plectrude Pipini* Heriſtalli conjuge; iterum verò Hunnis Laureacenſem terram depopulantibus renovaram ſub *Vivilone* fuiſſe, dum relicta prædicta ſede Pataviam emigravit, in eóque redivivâ quâdam operâ Eccleſiaſticam ſuam coloniam ſecum Laureacô abductam iſthìc ſtabilivir, ſimúlque Epiſcopatum ſuum ibidem fixit, adjectô præclarô monaſteriô, *Otilone* (ùt inquit Arnulfus Imperator in diplomate confirmationis) *Strenuo, Bavarorum Duce concedente* (ipſi nimirum Epiſcopo *Vviloni*) *qui* Vivilo *etiam Canonicos, & monachos, quos Dei miſericordia hoſtium ſubtraxerat prædæ, in Eccleſia, quæ eſt conſtructa in honore S. Stephani Protomartyris Chriſti, ubi etiam S. Valentinus Corpore requieſcit, reverenter collocavit.* Indubiè monachi iſti cum Canonicis Laureaci diverſa habuerint domicilia, ita, ut iſti Cathedralem, illi ſeparatum quoddam cœnobium poſſiderent, ſed hoſte perſequente *Vivilo* cum tota ſacratiore turma effugiens unà dein in Epiſcopali domo conſederint, diſcriminato loco monachis tunc non occurrente, habitaverint ſanè in ſimul, utriúsque profeſſionis alumni, ſicut illis temporibus, ac diù poſtmodùm pluribus in monaſteriis fieri conſueverat, quemadmodùm jam aliàs obſervavimus: factum id ad annum 737. ùt ſupra diximus. Fortè hæc coadunatio Canonicorum, ac monachorum in Cathedrali monaſterio effecit, ut annô 774. hoc eſt, triginta quinque annis poſt inductam ſedem Epiſcopalem Pataviam in

in Concilio Dingolvingenſi graviter caveretur, nè *monachis parochiæ commendari deberent, vel publica baptiſmatis obſequia niſi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio.* Quippè, occaſionem in hoc caſu exorbitandi nacti fuerint monachi ex Canonicorum conſortio, ut æſtimarent, quibus erat eadem commorandi neceſſitas, eſſet & æqualis munerum Clericalium exercendorum poteſtas, à qua tamen illos Concilium arcet, eò quòd (ùt idem inquit) *inter tot Collegia ſacerdotum, devolutis Epiſcoporum, & Abbatum in præſentia paginis, regularis ordinis vitæ, atq; Canonum normas vel decreta Patrum, nullis* id *probare quiverint teſtimoniis* monachi. Porrò Canonicos iſtos, non opus eſt multa contentione probare, fuiſſe votivos; ſuadet id non ſolùm illius temporis hâc normâ vivendi neceſſiras, verùm etiam ſucceſſivis temporibus horum virorum eximia diſciplina, ac ipſorum Epiſcoporum incomparabilis conſervandæ regularitatis zelus. Unde meritò Pennotus ex Nigravalle hanc Cathedralem olim regularem fuiſſe aſſeverat. Dubito tamen, an *Altmanni* tempore talis adhuc extiterit, nam *Conradus* annô 1155. neceſſe habuit *unum in locum ante, & ſecùs Eccleſiam Canonicorum lares collocare, quatenùs ad decorem domûs Dei fraternè fratribus, & jocundè in unum habitantibus ſeditioſum vulgus, & quicúnque prophani, ùt moribus, ſic, & domibus ſuis, à Clero ſejungerentur.* Unde nè quidem ante *Conradum* corporali ſocietate conjuncti facilè credendi ſunt à communitate bonorum deſciviſſe.

Hund. Metrop. Saliſb. tom. 1. p. 190. ſeq. Germ. ſacr. Hanſiz. tom. 1. per tot. Pag. Critic. Bar. ad an. 739. n. 4.

S. Petri Abbatia. Hoc illud per totam ſuperiorem Germaniam celeberrimum Aſceterium eſt in ipſo ſinu Metropolis Salisburgenſis conſiſtens, pro quo æquali marte velut & pro ejusdem fundatore plurimorum eſt ſcriptorum pugna, & rara, aut nulla victoria, ſicut certaminis nullus eſt finis. Duplicis diverſi inſtituti alumnis (nempè Ordinis S. *Benedicti*, ac *Canonici*) pro ara, & foco utrinque calamos conſerentibus, neque hinc indeponderе argumentorum deficiente: in eo tamen felicioribus illis, quòd in poſſeſſorio ſtantes ex præſenti rerum ſtatu faciliùs ſe credant vetera poſſe paritate conditionis metiri; maximè *cùm in dubio ſtatus ultimus ſit inſpiciendus.* Neque nos eò tendimus, ut quos in præſentiarum hujus eximii Cœnobii laudatiſſimos, & toti orbi virtute, ſcientiáque notiſſimos modernos religioſiſſimos inhabitatores veneramur, inquietare in ſua plena, legitimáque poſſeſſione tentemus, abſit facinus iſtud vel cogitare volenti, verùmtamen veniam dabunt, ſi hìc ea proferamus, quibus ſaltem illis occurramus, qui, dum quosdam pro inſtituto noſtro certantes authores legunt, *S. Petri Salisburgenſe monaſterium* aliquando Canonicis regularibus aſſeruiſſe, adeò hanc opinionem averſantur, & attoniti rei inſolitæ (ſi Diis placet) novitate hærent, velut crederent, ſe

Fundat. Ord. S. Bened.

Reg. Jur. in 6.

Ære repercuſſo formam aſpexiſſe Meduſæ.

Ovid. L. 4. Met verſ. 781.

Itaque, & lectoribus his admirationem alleviaturi, & Authoribus illis ſcribendi fidem confirmaturi paucis iſthìc aſſertionem illam veram, ac certam eſſe declarabimus: ab illis intereà, & argumentis pro nobis pugnantibus,

& objectis ex adverſa parte intentatis penitùs abſtinentes, quæ dudum per Exegeſim noſtram aut producta, aut eliſa ſunt: quod præcipuè obſervatum cupimus, ſi quid minùs reſponſi proferamus ad ea, quæ recentiſſimus ſcriptor in ſuo libello, quem Monachatum *S. Ruperti* intitulavit, prolixè recenſuit. Quippè plerìſque argumentis ex confixo prodromo tertiæ partis Hierarchiæ Auguſtanæ petitis. Itáque.

Dico potiſſimùm ſunt in hac quæſtione, quæ noſtræ parti negotium faceſſunt; primò: *S. Rupertus Fundator San-Petrenſis Cœnobii* fuit inſtituti monaſtici ſectator: Ergò alios ſecum alumnos, & diſſeminandi Divini Verbi, Satores habere non potuit, voluitque, niſi ſuæ profeſſionis æquales.

Secundò: omnia vetera, imò antiquiſſima documenta conclamant, nec non immemorabilis poſſeſſio, & Succeſſio à tempore *S. Ruperti*, uſque ad noſtram ætatem, monachos, eoſque *S. Benedicti* à *D. Ruperto* in Petrenſi Cœnobio fuiſſe conſtitutos: nulla ergò in contrarium allata argumenta ad ſummorum Pontificum, Principum, ac Præſulum publica, vulgatáque diplomata convellenda erunt ſufficientia. Quippè, quæ ſolùm eâ authoritate nituntur, ſine quibus omnis alia aſtructa fides vacillare videtur.

Hæ ergò ſunt duæ illæ columnæ Herculeæ pro monachiſmo tam *S. Ruperti*, quàm primùm ſibi junctorum Sodalium poſitæ, contra quas *non plus ultrà* datur evadendi copia, aut aliud in adverſum aſſerendi. Et ut ſenſum meum ſincerè profiteat, quantò quidem de minori temporis ſpatio novimus agitari quæſtionem, quo Petrenſe hoc cœnoblum etiam à nobis ipſis admittitur Clericos continuiſſe, tantò faciliùs fortaſſe, illud ipſum dimitti poſſet, nè monachis auferamus. Cùm ſcilicèt juxta recentiſſimam Chronologiam monaſterium Petrenſe inſtructum ſuis incolis fuerit ad annum 716. ad annum verò 773. hos ipſos *S. Virgilius* in Baſilicam unàcum Cathedra tranſtulerit, quam hic honoribus S. Sui Deceſſoris *Ruperti* condidit, atque dicavit. Igitur ſi in temporis ſolius mora lis verteretur, crederem, levis fore jacturæ, an in Cathedralem Salisburgenſem Canonici quinquaginta annis tardiùs, an citiùs inducti fuerint. Verùm quia duplex eſt polus, ad quem quæſtio hæc velut lingula quædam magnetica vertitur, ſcilicèt, an fieri tempore *S. Ruperti* potuerit, ut monachi *Cathedrales* exiſterent? (quod nos dudum argumentis, teſtimoniſque non rejiciendis oſtendimus, neutiquam factum) ſecundò: num *S. Rupertus* profeſſione monachus unquam fuerit? cui pariter nos minimè ſubſcripturos jam in Wormatienſis Cathedralis enarratione notavimus, hinc omninò, quod exinde ſequitur, *ſolitis ſtabiliendum argumentis eſt: id* præſtamus ſequentibûs.

Igitur quemadmodùm ex antiquis documentis nihil omninò occurrit, quod *D. Rupertum* probet ante ſuſceptum Salisburgenſem Epiſcopatum, monachum fuiſſe, quandoquidem geminæ vitæ apud Caniſium in ſuis antiquis Lectionibus reperiendæ, nec non apud Bollandiſtas utrobíque initium ab Epiſcopatu Wormatienſi ſumitur, nec deinceps, vel memoria monachiſmi hujus ſancti viri ingeritur: nullam penitùs rationem moventem apprehendo, ut adſtruamus eundem monachum fuiſſe. Neque opinor ſolam monaſticum inſtitutum ſectantium ſcriptorum aſſertionem tanti fore, ut quaſi cuidam fidei oraculo, nullo argumentorum pondere deducti aſſentiri cogamur. Dionyſium Sammar-

marthanum legimus, equidem *Rupertum* monachum dixiſſe, ſed authoritate petita à Bucelino, nempè æquè Benedictino, eoque authore nupero, qui ea fide *Rupertum* accenſuit monachis, quâ plura in ſua monaſteriologia iisdem adſcripſit monaſteria vel ab ipſis ſuis conſodalibus ideò ſeveriùs notatus. Et profectò ubi nulla ſuperant argumenta pro monachis, crederem ego ſemper pro Clericis ſtandum, quippè quibus per ſe Evangelii prædicatio ex ſui inſtituti obligatione graviùs, certiúsque adhærebat; niſi fortè plus incautè, quàm veridicè aſſeverare libeat, ſæculô ſextô, ſeptimóque adeò Clericos omnes aut deſiiſſe, aut inertiâ deſipuiſſe, ut univerſum onus propagandæ fidei monachis conſignarent. Wormatienſem Cathedralem Clericos, non monachos tenuiſſe à ſæculo quarto, quò cœperat, oſtendimus, dum de ea ſermonem formavimus in circulis Rhenanis; intereà ne quidem ullis indiciis cognitum, quo modô *Rupertus* illius Eccleſiæ Præſul effectus, an aliundè accerſitus, an aſſumptus è gremio? ipſum ex Hybernia adveniſſe jam diù exploſit Papebrochius cum ſubſequis figmentis, quæ ſcriptor vitæ ſecundæ apud Caniſium tom. 3. novæ edit. pag. 319. conſarcinavit. Quamvìs & hic nè umbram quidem faciat pro monachiſmo Rupertino: aliud namque eſſe Epiſcopum quempiam monachos inſtituere, aliud ipſum ſe monachum eſſe, quis abnuerit? Atque hinc facilè penetro clariſſimi Hanſizii in ſua Germania ſacra (ubi hanc eandem agit, ſcrutatúrque quæſtionem) ſcribendi modeſtiam; dum enim ingenuè pag. 44. fatetur: *Neq; in confeſſo eſſe Rupertum (eſto, vocetur Abbas, & fuerit,* in quo totum Achilem ſuum adverſarii firmant) *etiam fuiſſe monachum, conſtare enim, Epiſcopos etiam non monachos ſibi præfecturam monachorum reſervaſſe, idq; in Ratisbonenſi Eccleſia factum, agnoſcere Mabillonium in Annal. Bened. L. 21. n. 2.* quod nos jam pridem obſervavimus, poſtmodùm velut novis argumentis perſuaſus in ſuis Corollariis, aliquo modo videtur in monachatum Rupertinum inclinare, ſed is profectò viri doctiſſimi Candor eſt ſolita ſibi moderatione temperatus, ut ſincerè ediſſerat de hoc monachatu rem eſſe minùs certam. Cur iſtud? niſi quòd ſolis his rationibus, ſcilicèt, quia *Rupertus Abbas* dictus eſt, & quia monachorum clauſtra fundaverat, ideò quoque penes monachos ſedis Cathedralis adminiſtrationem eſſe voluerit, & quæ inde ſequuntur, adeò convinci non poterat, ut eâ cenſurâ Monachum Rupertum decerneret, quâ antea planiſſimè dixerat, regulam Benedictinam monachis Salisburgenſibus non ex Fuldenſi cœnobio adveniſſe. Nempè exegerat id id ab eo ſtudium (ùt ipſe aſſerit) veritatis, ùt *ſi ſtandum iis rationibus, nec alia ſuppetant in contrarium, quæ has ipſas attenuent*, dicendum omninò ſit *S. Rupertum* Ordinis fuiſſe Benedictini.

Verùm tam egregiè de mundo erudito meriti ſcriptoris veniâ dicam & ego, quod ſentio, nec minùs ex affectu, ſtudióque veritatis, has rationes ſummatim, diviſímque attentas efficere non poſſe, ut Ruperto alio modô monachatum adſtruamus, quàm cuicúnque demum Epiſcopo, etſi nunquam eundem profeſſo. Quòdſi enim hoc argumentum quemquam monachum probaret: *Quòd is monachos foverit, eorum cœnobia inſtituerit, apud eos ſepulturam elegerit, Abbatis nomen, regiménque aſſumpſerit.* Quot quæſo Epiſcopos cogemur inſerere Catalogo monachorum? *Joannes Morinenſis* aliquot monacho-

rum

rum aſceteria fundavit, reparavitque, & monachus nunquam fuit, *Altmannus Epiſcopus* ſine monachis eſſe vix potuit, nec minùs *Conradus Salisburgenſis*, neque ullus eorum unquam monachum induit. Et quandoquidem confectum ſit, *S. Rupertum* ſæculum ſeptimum ſuâ præſentiâ, ac ſanctâ vitâ illuſtrâſſe, eò faciliùs nomen, & officium *Abbatis* habere potuit, quò evidentiùs ſcimus ad æmulationem, usque monachorum Clericos, atque Canonicos hunc titulum, munúsque affectâſſe. *S. Ruſticus* è primis pubertatis annis Clericus Abbatiam ſub Lothario Rege adminiſtravit. *Sulpitius Pius* (quem nemo doctorum monachorum ſuo albo inſcribit) Abbatis officiò functus eſt ſub ClotarioRege. *Leodegarius*, nè unquam monachus, in monaſterio *S. Maxentii* Abbas fuit. Et ſanè dies me deficeret, ſi omnia exempla promerem, quæ Clericos tam Epiſcopos, quàm inferioris Ordinis probant ſimul Abbates, & quidem monachorum fuiſſe, quamvis nè primis labiis monaſticam profeſſionem libâſſent. Verùm minora ſunt iſta, quàm ut vel me ipſum inducant, ad eximendum Divum *Rupertum* è numero monachorum; potioribus igitur rationibus ſequentibus inhæreo.

In vita S. Deſiderii apud Labb. & Sa. cap. 1.

Totum argumentum pro monachiſmo *S. Ruperti* ſentientium firmari videtur in congruentia, nempè, ùt ſupra ex clariſſimo Hanſizio dedimus, cùm vir ſanctus monachos in ſua Cathedrali inſtituerit, cum illis ùt Abbas vixerit, ac deníque alioquin tunc moribus, & uſu receptum fuerit, ut ex ſacro ordine Benedictino pro Evangelii prædicatione, & Eccleſiarum regimine permulti usquequaque peterentur. Verùm hæc congruentia, quemadmodùm aliàs quoque vim probandi inter inventiones argumentorum leviſſimam habet, ſic minimum iſthìc eidem deferendum exiſtimo: quippè, quòd mox oſtenderimus, & ſi expediret his exiguis momentis probationum refutandis prolixiùs inhærere, ampliùs oſtendere poſſemus, omnia iſta componi poſſe cum Epiſcopo, qui ex clerico ad infulam evectus nunquam monachus fuit. Deinde cadit hæc univerſim congruentia, ſi ad oculum dabimus, monachos tempore *S. Ruperti* nequidem in Eccleſia Cathedrali, aut in monaſterio eidem adjunctò fuiſſe; veritatem autem hujus ſequentibus accipe.

Ratio aſſerendi monachos extitiſſe in Eccleſia Cathedrali potiſſimùm fundatur, ùt ipſi adverſarii pronunciant, in monumentis antiquis, & inſtrumentis publicis, ſed neque hæc, neque illa probant monachos, nè dicam Benedictinos in Eccleſia Cathedrali tempore S. *Ruperti* perſtitiſſe. Et monumenta quidem antiqua quod attinet, ea diſertè affirmant contrarium: vetuſtiſſimum enim monumentum, quod adduci veridicè poteſt, eſt vita, quam Hanſizius nuncupat primigeniam, & edita eſt primò locò in Antiq. Lect. Caniſii novæ edit: apud Bollandiſtas verò ſecundò locò. At hæc vita nè verbum effert pro monachis in Eccleſiam *S. Petri*, à *D. Ruperto* inductis, ſed dilucidè pro Clericis enunciat: hic enim geminus illius Anonymi, ac Biographi contextus: *Tunc vir Domini iſta cæpit reparare loca, primò Deo formoſam ædificans Eccleſiam, quam in honore ſanctiſſimi Petri Principis Apoſtolorum dedicavit. Ac demum clauſtrum cum cæteris habitaculis Clericorum* (apud Bollandiſtas ex M. S. Rubeæ vallis legitur *Religioſorum*) *per omnia ordinabiliter conſtruxit. Poſteà verò delegato Sacerdotali officio omnem ibidem quotidie curſum congruo ordine fecit celebrari.* Colligat ex his, quisquis velit, monachos,

chos, ego certè non tam obſervo monachos Benedictinos non nominari, ſed potiùs excludi. Erat eò maximè tempore Benedictinum inſtitutum quemadmodùm non niſi uno, & paulò plus medio ſæculo florens, ita apprimè originariæ ſuæ inſtitutonis obſervans; religioni habebant viri ſancti vel Jota immutare ſacræ ſibi præſcriptæ regulæ: pro cujus argumento proſtant exempla ſat multa ea ætate ſanctè converſantium ſub hoc preſſè inſtituto monachorum. Ut adeò, cùm id pené in centenis enarrationibus me reperiſſe ſincerè profitear, ut, inquam, adeò hac præcipuè cauſa perſuaſus, nunquam cæcè admiſſurus ſim, monachum aliquem ſæculò ſextò, ſeptimóque ſanctè viventem inter Benedictinos numerare, ſi cum quidquam tunc regulæ Benedictinæ contrarium conſueviſſe legero. Porrò inter alia notiſſimus eſt curſus quotidianus officii Divini; quæro jam ego, ad quid *Rupertus* nominatim *delegato ſacerdotali officio* omnem quotidiè curſum *congruo ordine* fecit celebrari? aut ut in M. S. Bodecenſi: *Pro ſacerdotibus ipſe Rupertus officium ordinavit, & pro congrua devotione inſtituit ibidem quotidie Canonicas horas ſolenniter obſervari?* ſi regulæ Benedictinæ monachi convocati illuc fuerant, qui hunc curſum, hoc officium ex dictæ regulæ præſcripto peculiariter ordinatum habent, à quo illis deflectendi nullum jus, nulla authoritas erat, eum primis ſi *D. Rupertus* ipſe Benedictinus fuerat? Dices, per hæc verba intelligi, illum ipſum ordinem à D. Benedicto decretum *S. Rupertum* conſtituiſſe. Sed unde hocè quòdſi enim Biographus de ordine ſecundùm normam Benedictinam orandi locutus fuiſſet, certè etiam alia ſaltem principalia in dicta regula memoraſſet, ediziſſet aliquid, *de officiis divinis in noctibus, de opere manuum quotidiano, de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum, de ordine congregationis &c.* definitè autem dicitur: *S. Rupertum: delegato* ſacerdotali officio *omnem quotidie curſum congruo ordine feciſſe celebrari*, ut inſinuetur hoc *ſacerdotale officium* aliud fuiſſe ab *officio monaſtico*, quod etſi quoque idem ſanctus ordinaverit, at non in hac Cathedrali, ùt mox infra videbimus.

Deinde: ùt jam ſæpiſſimè monuimus, nihil magis obſiſtebat inſtituto monaſtico tunc maximè adhuc in ſuo vigore florenti, quàm Cathedralis vivendi norma, horrebant monachi ſacerdotium etiam coacti ſuſcipere, & præcipuà Benedictinorum inſtitutum primitùs exegiſſe, aut paucos, aut nullos etiam in gremio ſuo habere ſacerdotes, ſatis, ſuperque colligimus ex Cap. 60. regulæ, quod jam alibi liquidiùs oſtendimus: neque refert plurimos monachos ad infulas evectos fuiſſe, & propria voluntate labori Evangelico ſe accinxiſſe, jam enim in Exegeſi noſtra notavimus, quà id vià factum ſit. Atque aliud longè eſt, unum, alterumve virum monaſticum relicta clauſura profiliiſſe in publicum, aliud eſt in clauſura eam vivendi normam admiſiſſe, quæ directè regulæ, inſtitutóque opponitur, quale univerſim eum fuerat vita clericalis Cathedralitati eſſentialiter annexa. Hinc aptiſſimè ad rem noſtram (ſi unam propoſitionem demas, quam ipſe non video, cur inſerta ſit) doctiſſimus Sehatenius in ſuis Annalibus Paderbornenſibus Parte 1. pag. 33. ad an. 796. (contextus aliquantò prolixior, dignus tamen ut adferatur) *Baſilica*, inquit: *Hathumarus ... Caroli Magni beneficentiâ adjunxit Collegium Canonicorum, quod Auctor vitæ Meinwerci vocat nobile principalis Eccleſiæ Mo-*

naſterium, præcipui operis, & decoris, à Carolo M. fundatum, quod à Badurado Epiſcopo conſummatum eſt. Cœptque Hathumarus ædificium in eam habitationis formam erigere, qualis per Franciam, & Germaniam ad communem in Clero vitam tum florentem apta erat, Clauſtris, & Monachorum cœnobiis haud multis diſſimilis, templóque continenti ſtructurâ inhærens, ex qua adchorum, & communem triclinii menſam deſcendebatur. Quamobrem paſſim à ſcriptoribus monaſteria, haud ſecùs, quàm monachorum appellantur: uti Auctor vitæ Meinvverci vocat monaſterium principale, diſtinctum à monaſterio Abdinehoviano Monachorum Ordinis S. Benedicti, atq; Ido Presbiter Clerum Paderbornenſem ſub diſciplina monaſterienſi vixiſſe ſcribit tempore Baduradi ſecundi Epiſcopi noſtri. Ita Collegium Canonicorum Ultrajectenſe à Willebrordo inſtitutum, quod ſæpè in diplomate Cæſario monaſterium legas. Nihil apud ſcriptores frequentius, ut ſupervacaneum, hoc velle demonſtrare. Ex quo vocis uſu Urbs, & Diœceſis Monaſterienſis à celebri tum apud illos monaſterio, quod Canonicorum erat Collegium, etiamnum nomen ſuum retinet. Exſtat hodiedum magnificum in quadro ædificium Choro Baſilicæ circumpoſitum, ſeu illud ab Hathumaro, & Badurado, ſeu ad primam Collegii formam ſplendidius ab incendio à Rhotario, & Meinvverco exſtructum ſit. Circum in inferiore parte periſtylia, in medio Cœmeterium Clericorum, ſupra dormientium, & litteris, ſtudiiſque vacantium Cubicula, ſingula ſuis habitaculis diſcreta. Ac neſcio, an ullibi Clericorum in communi olim viventium illuſtriora magis, certiora que veſtigia. Quemadmodùm tota vita, inſtitutique Clericorum ratio in Concilio Moguntino ſub Carolo M. explicitè ſatis diſcripta eſt, ut vel ex Canone IX. ſatis cognoſcas, quo in hunc modum ſancitur à Patribus. In omnibus, quantùm humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici Canonicè vivant; obſervantes divinæ ſcripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum Patrum, & nihil ſine licentia Epiſcopi, vel Magiſtri eorum agere compoſitè præſumant in unoquoq; Epiſcopatu: & ut ſimul manducent, & dormiant, uti his facultas ìdfaciendi ſuppetit, vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, & in ſuo Clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè primo ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur. Ad menſam verò ſimiliter Lectionem audiant, & obedientiam ſecundùm Canones ſuis Magiſtris exhibeant. Et quæ in hunc modum multis præſeribuntur. Huic Concilio, quod annô 813. celebratum eſt, Hathumarum quoq; Epiſcopum cum Richolpho ſuo Metropolitano interfuiſſe non ambigo. Quantum nunc falli videas eos, qui Collegia Cathedralium ædium à Carolo M. per Saxoniam condita, monaſteria, Cœnobiáque monachorum fuiſſe, ex clauſtris, vitaq; communis ſolitudine opinantur; cùm longè aliud ſit inſtitutum Clericorum, aliud monachorum. Quod etiam multò confirmatius recognoſcas ex hujus Concilii ordine, atq; conſeſſu, qui in tres claſſes, & turmas diſtributus memoratur: In quarum prima conſederint Epiſcopi cum Sacerdotibus, præſcripſerintque legem Clericis. In altera conſederint Abbates cum monachis, & tractârint inſtitutum D. Benedicti tertia conſederint Comites, & Judices rerum civilium cauſas, Sanctionéſque diſquirentes. Quid nunc Clericis cum inſtituto monachorum, ut in hunc ordinem iſtos Caroli ætate velis compingere? aut primas Cathedralium Eccleſiarum origines per Saxoniam monachorum Cœnobiis arceſſere? tametſi primas illas ſedes alibi, quandóque obtinuerint. Sanè in Paderbornenſi nulla ejus indicia aut veſtigia. Nam primus, qui hic Clerum collegerit, ùt diximus, Bernvvelfus fuit vice-Epiſcopus. Atq; is ùt primùm Epiſcopus delectus, præfectu-

ſtituram adiit, monachos ex principe Herbipolenſi templo ejecit, Cleri acerrimus Propugnator &c. & paulò infra: *Si*, inquit: *Carolina monumenta, ſcriptoréſque rerum noſtrarum conſulas, non facilè reperies, nullum Monachorum Cœnobium à Carolo in Saxonia conditum, præterquam quòd Eresburgum Religioſis D. Benedicti domicilium eſſe voluerit. Ac tametſi Carolus Abbates transvexerit in Epiſcopos, Cathedrales tamen Eccleſias Clero reliquit, in iiſq; Collegia Canonicorum abs ſe dotata adjecit, omnia nimirum ad inſtitutum, formámque Romanæ Eccleſiæ, in qua principes ædes, Collegiáque à Canonicis poſſideri viderat, intelligebátque Clero gubernationem Eccleſiarum eſſe datam à Chriſto, & Apoſtolis.* Hæc ſolidè, & eruditè doctiſſimus Schatenius.

Addo ego: ſi ſæculò ſextô, ſeptimóque adeò liberè monachi in Cathedrales fuiſſent aſſumpti, maximè noviter erectas, ac fundatas, imperceptibile foret, nullum in tot Conciliis provincialibus, ac generalibus Canonem, nullum vel ad unum jota decretum condit um eſſe monachis Cathedralibus, quippè, quòd ſummè neceſſe obveniſſet aliquam eis normam præſcribere, qua (Cathedraliter, ac clericaliter licèt viverent) monaſticum tamen inſtitutum non dimittere, ſed componere noſſent cum Clericali: quin tot Canones identidem repetiti, his maximè temporibus, contra monachos, quòd ſe ingerant in munia Clericalia contra inſtitutum ſuum, manifeſtè produnt, jam à tempore *Gregorii Magni* cautiſſimum fuiſſe, nè monachi in Clerum quomodocúnque, niſi neceſſitate urgente adſciſcerentur, hæc ſicut veriſſima ſunt, ſic ineluctabiliter probant, Cathedralitatem fuiſſe cum monachiſmo eo tempore, ac maximè *D. Ruperti* Eccleſiam Salisburgenſem informantis incompatibilem. Hinc quod ſupra notavi in Schatenii mox relato contextu, illud non penetro, dum ait: *Tametſi primas illas ſedes alibi, quandóque obtinuerint.* Niſi fortaſſe id intelligat de ſubſequis temporibus, nam nec ipſam Cantuarienſem Eccleſiam à monachis, ùt Cathedralibus incultam fuiſſe, jam in Exegeſi monſtravimus. De Cathedralibus Germaniæ Inferioris res adeò certa eſt, ut nec argumentis egeat; de Gallicis, quidquid Sammarthanorum Editor nupernus peroret, ut omnes penè à monachis initium ſumpſiſſe aſſerat, nihil eſt, quod perſuadeat. Et ſi noſtri propoſiti eſſet, de iis hìc diſſerere, facilè id, quemadmodùm de Saxonicis *Schatenius*, comprobare poſſemus. Quamvìs enim non inficiemur, quandóque commixtos ſeu potiùs conjunctos uno ædificio clauſtrali monachos, & Canonicos fuiſſe, non tamen ideò illi advocabantur, ut Cathedrales eſſent, ſed ut ea, quæ intra Eccleſiam oportebat, perficerent; & dum quandóque Canonici numerô haud dubiè permodici miniſteriis publicis Eccleſiæ occupabantur, illi, ad normam quidem ſuam, monaſticam licèt, curabant tamen intereà penſum Divinum, & per ſua munia vitæ contemplativæ ſurrogabantur Canonicis, diſtentis vitæ activæ negotiô: Verùm de Eccleſia Salisburgenſi, ac Petrenſi tempore *D. Ruperti* nec iſtud admiſero. Hinc Largius noſter: *Sanctus Rupertus Salzburgenſis, quia ſtatim à Theodone Duce Bojario hanc obtinuit licentiam, ut conſecraret Eccleſias, ordinarétque inferiores, & ſuperiores gradus, non opus habuit Canonicos ſimul cum monachis ad unam Eccleſiam congregare.*

Non, inquam, *opus habuit:* atque exinde opinor, judicium di-

verſa ſentientium pullulaſſe, quòd non bene diſtinguerent fundatas à *D. Ruperto* Eccleſias. Prima, quam conſtruxerat ipſe, eàque ad ſenſum omnium ſcriptorum, eſt illa in *Wallerſee* * *lacus* olim dictus *Walarium:* de quo vita primigenia: *Arrepto itinere pervenit ad quendam lacum, qui vocatur Walarium, ubi exit Viſchacha de eodem lacu, ibiq. Eccleſiam in honore S. Petri Principis Apoſtolorum conſtruxit, & dedicavit.* Verùm, ut eadem vita innuit, non diù iſthic moratus eſt *S. Rupertus*, nam: *ad notitiam venit Sancto Pontifici Rudberto eſſe locum juxta fluvium Warum antiquo vocabulo Juvavenſem vocatum, ubi antiquis temporibus multa fuerunt mirabiliter conſtructa ædificia, & cuncta penè dilapſa, ſylviſque cooperta. Hoc audiens vir Domini propriis cupiens proſpicere oculis, quid inde ipſius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum divina diſponente gratia, cœpit Theodonem rogare Ducem, ut iſtius poteſtatis locum tribueret, ad expurganda loca, & Eccleſiaſticum, prout ei libitum foret, ordinaret officium, & Epiſcopii ibi ſedem ſtatueret. Quod ipſe Dux conſenſit &c.* Itáque in *Walario* non ſedem Epiſcopalem Sanctus vir ordinaverat, ſed Eccleſiam cum clauſtro, quaſi quodam diverſorio, donec demum locus aptus occurreret, ad firmandum Epiſcopium. Neque credendum Beatum virum multos ſibi ſodales aſſociatos habuiſſe, prodit iſtud quodammodo vitæ prædictæ ulterior enarratio; nam expoſitis iis, quæ primum ſtabilimentum hujus cathedralis Eccleſiæ reſpiciunt, ſubjungitur: *Tunc prædictus Doctor Rudbertus cupiens aliquos adipiſci ſocios ad Doctrinam Evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam, iterúmque cum duodecim revertens diſcipulis, ſecúmque Virginem Chriſti, nomine Erndrudem adducens, quam in ſuperiori Caſtro Juvavenſium ſtatuens, ibidémque colligens congregationem ſanctimonialium, & earum converſationem rationabiliter, ſicut depoſcit ordo Canonicus, per omnia diſpoſuit.* Ex his diſcipulis, an aliqui fuerint monachi, an Clerici omnes, non divino. Quod tamen propè omnem veritatem videtur, crediderim in Seekirchen, mox, ac *Rupertus* redux ex patria duodecim ſecum diſcipulos deduxerat, monachos conſtituiſſe, cùm antea, & per tempus remeationis in patriam in utrâque *S. Petri* Eccleſia Clerici eſſent, ſed tum utrâque colonia conſociaretur in *S. Petri* principali, ubi vir ſanctus redux advenerat, in alteram verò mitterentur monachi, atque locarentur. Hincque indubiè factum, ut cùm utrâque Eccleſia ad *S. Petrum* diceretur, & illa prior vel ideò ſummo etiam tum haberetur in honore, quòd prima *Ruperti* ſtatio inibi figeretur, ut, inquam, antiquitùs monachis inhabitata, plurimis privilegiis dotaretur. Et eò ampliùs ſucceſſivis temporibus paſſim à ſcriptoribus ſæculi decimi, & deinceps minùs providis ad hiſtoriæ veritatem, at magìs ſollicitis ad emolumenta capienda ſuìſque monaſteriis tanquam meſſem perneceſſariam invebenda, utut poterant, ac effingerent jura, privilegia, revelationes quoque non rarò, atque ſimilia plura. Et quid dicam de imaginibus ſub habitu monachili olim præſentari ſolitis; an enim ulli eruditorum ignotum, quàm in hoc ſæpiſſimè cum quadam Heterocliſi ſeduli fuerint monachi? ut paſſim non ſolùm quemque fermè Epiſcopum, ſed & non nunquam ipſos ſæculares, ac milites ſuis monaſteriis munificos depingerent ſub habitu monachili. Nihil me certò minùs movere unquam poterit, quàm qualiſcúnque vetuſta pictura ad decernendum, & inferendum ex ea inſtitutum alicujus ſub veſti-

tu

* Nune Seekirchen.

tu hoc, vel illo effigurato, nihil enim certius, quàm tritiſſimum illud: *Pictoribus, atq; Poëtis fingere multa licet.* Porrò ſcimus ex Chronista Salisburgenſi apud Pezium in ſuis ſcriptoribus Auſtriacis an. 847. Eccleſiam *S. Petri* cum clauſtro igne periiſſe, uti, & Baſilicam *S. Ruperti* anteà, nimirum 845. periêre (ùt fieri aſſolet) nobiliſſima documenta, & ſi quæ fortaſſe remanſerant, vorax flamma abſumpſit altero incendio facto an. 1127. certè Mezgeri fatentur: *multa ſcripta, & monumenta litteraria exuſta fuiſſe.* Ut igitur autumem ne ullum quidem originale documentum exiſtere, aut etiam tempore *S. Conradi* primi ab annô 1106. ad uſque 1147. præſidentis exſtitiſſe, quod tanquam autographum, & nullius ſuppoſitionis, vel interpolationis notæ poſtulandum omnem nobis aliter ſentiendi cauſam ſuſtollat. Hinc quamvis *Conradus* in privilegio dato an. 1139. Balderico Abbati, & fratribus monaſterii *S. Petri* &c. diſertè ſequentia adſtruat: *Notum igitur eſſe volumus Eccleſiæ noſtræ filiis præſentibus, & futuris: cùm S. Rupertus ſanctæ memoriæ Prædeceſſor noſter, civitatem Juvavienſem denuò erigens, ſedem ſuam Epiſcopalem in monaſterio S. Petri collocaſſet; ac fratribus, quos ibidem ſub regula S. Benedicti ſibi perpetuos ſucceſſores in eadem æde Epiſcopali inſtituerat, & curam parochialem comiſiſſet, & tradidiſſet, quam usq; ad præſens fideliter exercuerunt.* Hinc inquam, nullatenùs pro oraculo indubitato habendum dico, Benedictinos monachos Cathedralem inſediſſe, & curam animarum ſibi demandatam habuiſſe: neque enim ex tripode *Conradus* locutus eſt, ſed ex ſola, ac unica traditione, incoluerunt tum Monachi S. Benedicti Petrenſe Cœnobium, curabant illi, quæ animarum ſalutem ſpectaverant, ſed exinde, ut dicamus, jam utrumque à *S. Ruperto* monachis fuiſſe commiſſum, nimis multa, eaque luculenta ſunt, quæ refragantur. Imprimis namque imperceptibile eſt, quô modô ab unico *S. Ruperto* tam liberè támque inſolenter actitari, & quaſi novô apparatu inſtitui potuerit, quod non ſolùm hactenus nuſitatum, ſed & Conciliorum multorum decretis, quin ipſis monaſticis regulis, ac conſtitutionibus ſupremè cautum fuerat, ac inhibitum: nam *S. Baſilius* (cujus regulam *D. Benedictus* diſertè reſpiciendam vult) Cap. 73. *Clerum*, inquit: *aut inter fratres principatum nullo modo appetere monachus debet, ſiquidem Diabolica iſta peſtis eſt.* Deinde, quemadmodùm jam memoravimus, in Concilio Bavarico annô 772. cui *S. Virgilius* interfuit §. regnante. Diſertè aſſeveratur: quòd *devolutis Epiſcoporum, & Abbatum in præſentia paginis, regularis ordinis vita, atq; Canonum normas vel decreta P.P. nullis comprobare quiverant teſtimoniis, ut monachis parochiæ commendarê deberent, vel publica Baptiſmatis obſequia, niſi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto viciſſitudinis villarum propriarum ſingulis annis redeuntibus curis, commiſſio ab Abbate proprio fuerit determinata. Unde ab univerſis Abbatibus facta profeſſio, ut minimè titulis popularibus ſe ingererê depellerentur: Et hæc omnia, cui commiſſæ ſunt plebes, ſub poteſtate Epiſcopi permanerent, ſicut in ſanctis ſynodis vel decretis priſcorum Patrum perarata comprobat conſcriptio.* Nullum autumo evidentius teſtimonium produci hoc ipſo decreto poſſet, ævo iſto monachis univerſim interdictam fuiſſe curam animarum, ita quidem, ut nec illis præficerentur parochiis, quæ eorum aut incorporatæ, aut ſubjectæ erant monaſteriis. Ideò cavit ſummoperè Concilium Bra-

Metropol. p. 175.

Conſtit. Monaſt. Cap. 9.

charenſe an. 563. celebratum Cap. 1. *nè monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſint permixtæ.* Hoc verò decretum ſi ullibi profectò obſervabatur in Gallia, atque Germania; nam & in Gallia non exſoletus fuerat Canon ille Pariſienſis Concilii an. 360. habiti; quo dicebatur: *Canonica auctoritas docet monachos quietem debere deligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio, & orationi in locis, in quibus renuntiaverunt, ſedulò permanentes, ut nec Eccleſiaſticis, nec ſæcularibus communicent.* Et iterum Concilii Pariſienſis anni 819. Can. 46. *Nullo modo videtur nobis convenire, ut monachus relicto monaſterio ſuo idcircò ſanctimonialium monaſteria adeat, ut confitentibus peccata ſua modum pœnitentiæ imponat. Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici, & Laici Epiſcoporum, & Presbiterorum Canonicorum judicia declinantes, Monaſteria monachorum expetant, ut ibi ſacerdotibus monachis confeſſionem peccatorum ſuorum faciant; præſertim, cùm eiſdem ſacerdotibus monachis id facere fas non ſit, exceptis his duntaxat, qui ſub monaſtico ordine in monaſteriis degunt.* Quódque præcipuè obſervandum habemus, non confundenda eſt illa ſeu diſpenſatio, ſeu licentia, quâ *Siricius Papa*, ſive *Concilium Nicanum*, ſive *S. Auguſtinus*, ſive alii deníque complures Pontifices, Epiſcopíque conceſsêre, ut monachi in Sacerdotes ordinarentur, Parochiis præficerentur, Evangelium Chriſti annuntiarent paganis &c. omnis hæc licentia tum extendebatur ad perſonas, non ad monaſteria, id eſt, concedebatur, ut ſi qui reperirentur boni teſtimonii monachi, conſecrarentur Presbiteri, & tollerentur ex monaſteriis ad curam animarum, Clerici hoc ipſo effecti ex monachis. At neque vel in ullo concilio, privilegio, decreto ad ſæculum uſque duodecimum unquam reperiemus, ordinatum fuiſſe, ut integra ſocietas alicujus monaſterii jura clericalia obtineret. Nimius eſſem, ſi hic notiſſima, vel ab ipſo Mabillonio in Annalibus ſuis notata exempla efferrem, quibus liquet evidenter, parochiæ, Oratoria, Cellæ, atque his ſimilia ſi per Patronos priori ævo monachis pleno jure contribuebantur, ſemper cautum fuiſſe, ut regerentur aut à Clericis per Abbatem monaſterii præſentandis, aut à monachis quidem (ſæculis poſterioribus) verùm ſpeciali privilegio ab Epiſcopo muniendis, & à clauſtro ex tunc ſemotis, nequaquam verò indiſcriminatim à gremio ipſius monaſterii, quippè cui preſſè adeò adverſabatur animarum cura, ſicut noſtris temporibus parochialis proviſio monaſteriis mendicantium. Unde de his Pictavienſe Concilium annô 1109. celebratum, *nullus*, inquit, *monachorum parochiale miniſterium Presbiterorum, baptizare, prædicare, pecuniam dare præſumat.* Dum intereà directè contrarium Can. immediatè prævio definit: *Ut Clerici regulares Juſſu Epiſcopi ſui baptizare, pecuniam dare, mortuos ſepelire licenter poſſint.* Qui hanc limpidiſſimam veritatem negat, profectò is ſe rerum veterum planè ignarum prodit, & ab unico citato Canone Concilii Bavarici abundanter retunditur. Atque hinc quidem fidem certiſſimam habeo omnem eorum Scriptorum ſenſum fluxiſſe, qui paſſim crediderant monachos in Cathedrales, ac primarias Eccleſias fuiſſe inductos. Æſtimabant etenim conceſſam illam ordinandi, ac delegandi presbiteros ad curam animarum libertatem, non ſolùm perſonas ex monaſteriis hinc inde ad miniſterium Eccleſiaſticum evocandas, ſed ipſum integrum ordinem monaſticum reſpexiſſe, qua generatim ipſis monaſteriis licitum

citum eſt, ſeſe ingerere Eccleſiaſticis muniis publicíſque obſequiis. Quòdſi enim iſtud? cur quæſo his ſpeciatim terminis obteſtati Epiſcopi in Concilio Romano? *Decidit pudor: Canonicorum honeſtas oblitterata eſt: Clericorum religio corruit, dum monachi contemptô cœleſti deſideriô jura Epiſcoporum inſatiabiliter ambiunt, & omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, & qui mundum cum concupiſcentiis reliquerunt, his, quæ mundi ſunt, inhiare non deſinunt. Et quidem per S. Benedictum dum ultrò quieſcendi locus offertur, ad Epiſcoporum jura rapienda diù, noctúque occupantur.* Hæc Epiſcopi contra monachos, jura tum ipſorum Canonicorum ſæculo XII. ambientes. Quod profectò nunquam illi adeò ſugillaſſent, ſi jam à ſæculo ſexto, ac deinceps uſitatum fuiſſet Monachos Canonicorum locò Cathedrales paſſim incolere, & Cathedræ munia publicè exercere. Longè enim aliud eſt, plurimos monachos ad animarum curam accerſitos fuiſſe (quod ego nunquam negaverim, identidem, & quidem multiplici ſalutis fœnore actitatum) aliud, monaſterium aliquod monachorum ſimul fuiſſe Cathedrale, ſeu clericalibus muniis deputatum, quod planè nunquam admiſerim, reclamantibus Patribus; atque conciliis per potiora ſæcula prioris ævi. Unde facilè diſſolvam, quæcunque in contrarium opponant alii de adminiſtratis parochiis à monachis: de damnata à Bonifacio IV. opinione ſentientium, non poſſe monachis ſacerdotalia munia demandari: de aſſumtis monachis à multis Epiſcopis ad opus Evangelicum; & ſi quid demum aliud quodcúnque eſt à ſcriptoribus pro honore, ac laude monachorum adferri ſolitum: omnia enim iſta tamdiù vera ſunt, quamdiù ſenſum Conciliorum, ac Patrum non excedunt, quorum decretum conſtans, ac

vide Chron. Caſin. L. 4. C. 80.

firmum erat, idque ad minimum usque ad ſæculum XII., ut monachi nullis Canonicis curis deſerviant, quemadmodùm his verbis in Concil. Rom. 3. definivit M. Gregorius an. 601. Demum Edgarus Rex primus fuit, adnitente S. Dunſtano Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut (cùm Clerici vitio incontinentiæ nullo ſuppetente emendationis remedio inſorduiſſent) cogeretur ſubſtituere, ac inducere ſanctioris vitæ monachos, qui certè omnium primi erant in toto occidente, Cathedralem Eccleſiam, juráque Eccleſiaſtica obtinentes publici Eccleſiaſtici miniſterii: ita nempè ut monachi eſſent ſimul, & Cathedrales. An autem ideò legitimè nuncupari Canonici potuerint, hìc non inquiro. Quòdſi ergò Thomaſſinus verbis illis, dum ait: *Monachos & Clericos diù indiſcriminatim ſumptos*, item *primis quinq; ſæculis Eccleſiæ, & deinceps non paucis in locis fuiſſe pro Clero monachos*, & his ſimilibus intelligit, monaſteria monachorum, ſeu horum congregationes Clericorum juribus dictô modô fuiſſe gaviſos, obſiſtentibus ſæpè laudatis Conciliorum, ac Epiſcoporum decretis, id omninò nego; ſi de monachis ſeorſim ſumptis, & ex monaſterio ſuo ad hoc munus peculiariter accitis, neutiquam diſſentio. Quin certiſſimum mihi, cùm etiam *Caroli Magni* tempore per *Adalberonem* Metenſem Epiſcopum monaſterium *S. Arnulphi*, aut monaſterium Moſomenſe in Gallia &c monachos Canonicorum locò adipiſceretur, neutiquam hôc ipsô illis cura demandaretur animarum, ſicut eandem adminiſtrabant Canonici, ſed Clerici jungebantur, qui id ipſum præſtarent, donec demum ſuccedente tempore ſuis & meritis, & privilegiis aucuparentur eandem, quemadmodùm ubique penè nunc inductum conſpicimus.

Sæcu-

De S. Bonifacio monachiſmum inducente in Germaniam vide Baron.

Sæculô itáque ſextô, ac ſeptimô tantum abeſt, vel uno Canone, aut uno privilegio demonſtrari poſſe, monachos ad Cathedrales Eccleſias regendas fuiſſe aſſumptos, quantum liquidiſſimè contrarii Canones, authoritatéſque Patrum id nunquam cum factum fuiſſe declarant. Non igitur à Chartis, & inſtrumentis publicis, non à Bullis, & diplomatibus, eruenda veritatis inconvulſæ firmitas eſt, ſed primariò hæc ipſa monimenta ad priſtinos Canones tunc vigentes tanquam ad lapidem lydium examinanda, qua authoritate muniantur. Quòd ſi enim talia inſerta contineant, quæ dictis Canonibus difformia ſunt, inſuper verò nihil authenticum extet, niſi ſola vulgaris traditio, tanti ad fidem in hoc paſſu reconciliandam valebunt omnia talia inſtrumenta, quanti quodvis commentum, aut quævis hiſtoria facti quæſtioni, & populari rumori innixa. Etſi itáque mihi quis centum vetera acta, & Chartas authenticas produxerit, ſi ea inſerta prodant, quæ communi conſuetudini, moribúſque Eccleſiæ pro eo tempore florentibus refragentur, nihil probabunt, & merebuntur ſolùm, ut credatur, ſeu ſummos Pontifices, ſeu Epiſcopos in ſuis privilegiis id aſſeruiſſe, quod vulgò tunc cenſebatur verum eſſe, quo illa condita ſunt. Profectò non credo à Chriſto nato ad uſque recentiora tempora ullum ſæculum tranſiiſſe, pro quo non diverſæ fabellæ, & figmenta, nec non apogrypha pro veris divendita ſint. Tales ſunt, ſi non omnes, aliqui certi Canones, qui ab Apoſtolis confecti credebantur. Tales aliquot Epiſtolæ decretales primorum Pontificum, quæ tantam ſæculô octavô, & nonô authoritatem nanciſcebantur, teſte *Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo:* Ut *Riculphus Epiſcopus Moguntinus ex illo Canonum libro iſtas regiones repleri fecerit*. Quæ tamen pleræque ſuis authoribus noſtra ætate abjudicantur. Et quid dicam de ſæculi undecimi, duodecimíque, magis verò adhuc de noni, octavíque uſu, præcipuè apud monachos? niſi repetendo illud, quod memini jam alibi ex Harigero Lobienſi Abbate Ord. S. Benedicti attuliſſe ſæculi noni fine florente, qui apud Henſchenium tom. 6. Maji genuinè fatetur: *Nimis multis exemplis nos quotidie diſcere, medio ævo fuiſſe complures, quibus pulchrum, ac licitum viſum eſt, pro pietat- mentiri.* Sic Haubertus in Chronico ad an. 718. Venantium Ceranum, & alios Alone propè uxamam paſſos ait die 7. Maji: quod tamen idem Henſchenius, *purum putum*, ait: *figmentum eſſe*: ſic monachi Glaſtomienſes in Anglia, Chartam ſeu diploma ediderunt duplex de ſæculo octavo, ſed utrúmque fabuloſum, ùt patebit conferenti. Sic de *Joanne II.* Patriarcha Jeroſolymitano fingebatur epiſtola ab ſe ſcripta ex regula *S. Baſilii* (qualiter viveret) Caprario *Carmelitæ* diſcipulo ſuo anno Domini 412. merum pariter commentum: ut alia taceam ſufficiant iſta: unde longè magis veritati accedere ſemper judicabo, quæ Baronius ad an. 725. n. 12. exarat, & quidem ex *Rodulfo* monacho Fuldenſi ſæculô nonô florente: *Addit prætereà* (verba ſunt Baronii) *Rodulfus in Lioba* (id eſt ejus vita, quam ſcripſerat) *eundem S. Bonifacium, ut quam exactiſſimam monaſticam diſciplinam Germaniæ populis traderet, ab ipſo fonte eam haurire curâſſe, nimirum ex domo ipſa prima, atq; primaria S. Benedicti Abbatis, hoc eſt ex monaſterio Caſſinate. Itaq; S. Bonifacius primus fuit, qui Benedictinum Schema Germaniæ intulit, ſed neq; ſic intulit, ut extra Saxoniam iſtud inſtitutum aut diſſeminaretur, aut diù floreret, certè Anonymus ille* mo-

Vide acta SS. die 6. Febr. n. 8. Egvvin.

monachus ſæculô decimô B. Bercharii miracula deſcribens diſertè & (quod eâ ætate profectò mireris) candidè fatetur: quòd Regula Sanctiſſimi Patris Benedicti, adhuc inaudita hominibus Francorum ſolertiſſimâ induſtriâ Rudolphi (Caroli ſimplicis locò ab annô 923. ad annum 936. imperium moderantis) *Principis jubar ſuæ claritatis plurimis infudit Eccleſiis. Qui verò ipſis temporibus qualecúnque præferebant monaſticum ſchema famoſiſſimi quondam Luxovienſis nominis ſe ſe tuebantur conſuetudine aliquantula.* Hæc ille. Neque prodeſt cum Mabillonio iſthìc recurrere ad reſtaurationem regulæ Benedictinæ; nimis enim apertè his temporibus exiſtens præfatus ſcriptor teſtatur regulam iſtam *inauditam* hominibus fuiſſe Francorum. Quibus ſtantibus manifeſtum, à *S. Ruperto* (qualeſcúnque demum monachos in monaſterio Walarienſi *S. Petri*, aut altero *S. Maximiliani* firmaverit) Benedictinos adductos non fuiſſe, ſed Luxovienſis inſtituti, aut Lerinenſis, quale tunc paſſim in monachis Francis vigere ſolebat. Quòd ſi enim adeò profeciſſet in Germania hac ætate regula *S. Benedicti*, imperceptibile foret, cur tanto conatu, imò pio inſuper quodam aſtu opus habuiſſet Benedictus Anianenſis, ut tandem monachis ad initium ſæculi noni eandem regulam ſuſcipiendam perſuaderet. Certè in Monaſterio Lunælacenſi, ſeu Man - ſee extant antiquiſſimi hi verſus de primis ad hoc cœnobium adductis annô 748. Benedictinis

Caſſino de monte legunt, & adhuc ibi degunt,
Domnos Clauſtrales, nec habebat Norica tales.

Verùm non egemus argumento impugnante exiſtentiam regulæ Benedictinæ in Cathedrali Salisburgenſi, cùm ſatis ſit ſuppetere abundantiſſima fundamenta probantia, nè monachos ullos in eadem Cathedrali ſub *D. Ruperto* repertos fuiſſe. Præter enim Concilia, & decreta, adſunt conſuetudines in omnibus monaſteriis ſanctè per hæc tempora cuſtoditæ, quarum præcipuè, nè mulieres ullo unquam tempore frequentarent, non ſolùm monaſteria, ſed nec Eccleſias monachorum: atque hoc ſpeciatim obſervabatur ſæculô ſeptimô, ut notat Stengelius in ſuo Commentario Rer. Auguſt. part. 2. c. 5. n. 2. *Porrò*, inquit, *mulieres olim non ſolùm à Benedictinorum monaſteriorum, ſed etiam templorum ingreſſu excluſas, plurimorum Sanctorum teſtantur hiſtoriæ.* Itaque nullus tam emunctæ naris homo me unquam in hanc fidem illiciet, ſolis Petrenſibus monachis à *S. Ruperto* inſtitutis datum, contra omnes canones Conciliorum, inſtituta Patrum, ipſam *S. Benedicti* regulam, contra omnes conſuetudines, receptúmque morem monachorum, dudum tunc, ac ubíque florentem, vigentémque, ut Cathedrales eſſent, Canonicas curas exercerent, munia parochialia etiam actu in clauſtro coadunati paſſim obirent, & quæ ex his ſequuntur.

Unde jam ſatis liquet, quid demum univerſim ponderis proferant, ſeu *Conradi primi*, ſeu *Eberhardi*, ſeu *Eugenii tertii* privilegia, quippè non alia authoritate nituntur, niſi traditione vulgari, nec benè & ad ſeveram criſim examinata. Neque enim poſſibile fuiſſet, *Conradum* concilia cum inſtituto monachorum ſeptimi ſæculi componentem non aliter

ter ſenſurum, neque *Eberhardum.* Unde, ſi *Fronto Ducæus*, cùm animadvertiſſet, quendam ſermonem de S. Thoma Apoſtolo citari Nomine *S. Joannis Chriſoſtomi* à Synodo Lateranenſi ſub *Martino primo.* Et rurſus à ſexta ſynodo generali Conſtantinopolitana ſub *Agathone* contra Monothelitas habita annô 681. nihilominus audacter negavit, eum eſſe *S. Chryſoſtomi*, ſed ab alio effictum, & Sancto Doctori ſuppoſitum: Cur talem errorem irrepſiſſe in hæc privilegia prohibeamur aſſerere, cùm ſaoè longè ſecurius ſit, atque virô cuique erudito convenientius, ex conſuetudine recepta, atque ex ipſis conciliis eruere rationem, ac qualitatem rerum, quàm (ad defendendas aliquas traditiones) Canones, decreta, ipſiúsque inſtituti monaſtici normam ſubvertere, & negare? Igitur ut breviter totam hanc objectionem ex adductis à me rationibus conficiam, dico imprimis: verum eſſe, quod apud Hanſizium Cœnobita Petrenſis propugnat, omnibus nempe M. SS. (quantumcúnque authentica, & coæqualia ſint) præferenda eſſe acta, & inſtrumenta publica, litteras, Bullas, ac diplomata, quamdiù nihil evidenter eorum valorem infringit; at quia concilia, Canonésque eorum, nec non ipſa monaſtici inſtituti ratio ſæculô ſeptimô, & octavô præſcripta monachis nullô authenticô inſtrumentô demonſtrari poſſunt fuiſſe ſublata, quippè, quæ illis ipſis ſæculis potiùs confirmabantur, ùt patet ex Concilio Bavarico annô 772. habito, aliiſque pluribus tum emanantibus decretis (quæ ſi opus fuerit, facilè producemus) evidenter illa documenta ſæculô primùm duodecimô confecta infringentibus, utpote ſoli traditioni monachorum tum in Petrenſi Eccleſia commorantium innixa, nec librata ad præfatos canones hanc cathedralitatem in monachis impoſſibilem, & incompatibilem comprobantes, ſequitur, etiam M. SS. illorum temporum illis Conciliis, &c. conformia ſuum valorem retinere, nec infringi recentioribus aſſertionibus poſſe. Porrò, quæ ultrò in argumentum monaſtici inſtituti in Petrenſe cœnobium à S. Ruperto inducti prætenditur immemorabilis poſſeſſio, atque ſucceſſio à tempore *S. Ruperti* usque ad noſtram ætatem, nec non & tabula illa an. 1627. die 2. Junii reperta, antiquiſſima à viris doctiſſimis habita: quæ hæc verba è germanico idiomate in latinum verſa continebat: *S. Rupertus ope, & donatione Theodonis Ducis Bavariæ hanc Eccleſiam, & monaſterium è fundamentis erexit, & in honorem S. Petri conſecravit; etiam ordinem S. Benedicti ibidem inſtituit, quem ipſe cum fratribus ſuis uti venerabilis præſes, Prælatus, & Abbas in omni ſanctitate, & virtute obſervavit.* Hæc inquam, tam *poſſeſſio, ſucceſſióque* immemorabilis, quàm ſpeciatim tabula illa, eandem, imò minorem fidem meretur, ac ipſa adducta privilegia &c. etenim poſſeſſio illa immemorabilis ſuam certam, ac infallibilem epocham habet anno 773. affixam, quo *S. Virgilius* Canonicos unàcum potioribus *S. Ruperti* lipſanis tranſtulit ad novam Metropolim à ſe in hujus ſancti honorem dicatam. Tunc lubens profiteor S. Virgilium aut ex Monaſterio S. Maximiliani, aut aliundè monachos acceſſiviſſe, atque in hoc San-Petrenſi collocâſſe. Neque enim abnegabo unquam, pleríſque Epiſcopis morem fuiſſe, ut fundato in aliqua provincia Canonicorum Collegio, quantùm fieri poſſet in proximo conderent cœnobium aliquod, quod monachis conferrent; ſemper ſolliciti, ut ubi vitam mixtam Clericorum ordi-

Vide Wer. Hunn in Rosweido redivivo par. 1. § 4. p. 66.

ordinaverant, jungerent quoſdam, qui contemplativæ dediti, quaſi precibus ſuis promovere conarentur labores Apoſtolicos Clericorum. Quemadmodùm Deus ipſe exemplum in *Moyſe*, atque *Joſue* præmonſtraverat, ut hic *Amalec* vinceret, dum ipſe cum *Aaron* fratre ſuo in monte per contemplationis otium Deum deprecabatur. Deinde neutiquam autumandum eſt, tunc in Petrenſi cœnobio remanſiſſe animarum curam, & parochiale negotium, id enim æquè, ac alia ex ſola traditione, & rerum tunc ſe habentium ſæculi nimirum duodecimi ſtatu arguuntur. Sicut enim libenter aſſentior ſub *Conrado*, imò & *Gebhardo* monachos Petrenſes curæ animarum deſerviiſſe; tum enim jam pluribus monaſteriis monachorum privilegium iſtud conceſſum fuiſſe, documenta eorum temporum oſtendunt, quibus abſque dubio ſenſim exoleſcere etiam in Bavaria Canon ille Concilii Bavarici an. 772. habiti cœpit: Canonicis ipſis Cathedralibus eo libentiùs hunc laborem Petrenſi aſceterio deferentibus, quò ampliùs iidem magna reformatione in Eccleſiaſticæ diſciplinæ remiſſione ſub *Conrado* indigebant; atteſtante Reichersbergenſi Chroniſta.

Cornel. in 17 Cap Exod. v. 11.

Cæterùm non multùm intereſt, quo tempore exercitium parochiale Petrenſibus monachis conceſſum ſit, probent id, ac demonſtrent alii, dum intereà nos conciliorum decreta reſpicimus, aſſeverantes tamdiù, apud monachos Salisburgenſes curam animarum non invaluiſſe, quamdiù ipſi non oſtenderint, præfatis decretis ſe liberos pronunciatos fuiſſe.

Jam tabulam illam examini ſubjicimus eò faciliori, quò ſcriptura ipſa ſe prodit requiſitâ antiquitate carere. Imprimis etenim ex Germanico idiomate, ſi ea ſcriptura accuratè in latinum tranſlata eſt: vocabula illa *Rupertus*, *Ordo S. Benedicti*, *Præſes*, *Prælatus*, nullam antiquitatem redolent. Adde, quòd de hac Mezgeri in ſua Metropoli nullam memoriam habeant, ſed ubi elevationem reliquiarum *S. Ruperti* annò 1627. factam enarrant, ajunt equidem apparuiſſe lapidem è rubro marmore quatuor Columellis ſuffultum, inciſam gerens *D. Ruperti* effigiem cum hac Epigraph. *Annò ab Incarnatione Domini DCXXIII. in die Reſurrectionis ejuſdem obiit S. Rupertus, hujus Monaſterii Fundator, & primus Salisburgenſis Epiſcopus hic ſepultus.* Deinde ſubdunt ipſis reliquiis adjunctam fuiſſe laminam his notis inſcriptam: *Reliquiæ S. Rudberti Epiſcopi, & Confeſſoris.* Cæterùm de illa tabula inter ferreos cancellos lapidi ſuperiori annexa nememinêre quidem. Porrò ſi marmorea ſcriptura apud viros eruditos tantos manes ſubire cogitur, ut paſſim recentior videatur, ac ut inde nec de anno mortis *S. Ruperti* quidquam certi pronunciari poſſit, cùm tamen multis ſæculis latuiſſe ſub terra, & in abſcondito, credatur: quid, quæſo, de allata tabula ſentiendum, quæ tot nævis omnem ſtylum antiquitatis excedentibus ſcatet? Ubi inſuper obſervo, ſicut Sciolorum, aut malè feriatorum hominum, petulantiâ dicam, an inertiâ? factum eſt, ut quæque vetera documenta depravata nullam nobis certitudinem obitûs *S. Ruperti*, aut etiam actorum ſuppeditent: ſic pro indubitato habeo, monachorum ſæculô octavô, nonóque iſthic degentium præjudiciô factum, ut omnia monumenta ipſi aut inſtruerent, aut conficerent pro monachiſmo tum *D. Ruperto*, tum Petrenſi monaſterio adſtruendo, quod me non injurioſè aſſerere quisque aſſentiet, qui ea tempora novit. Hinc deniquè ad conſecta-

ſectanea digredimur, nempe ad illa nobiliſſima privilegia, quibus Petrenſes dudum gaudent in Electione Archipræſulum Salisburgenſium, in præcedentiis &c. hæc enim omnia neutiquam ſufficiunt ad concludendum, *S. Rupertum*, primósque ejus Sodales monachos fuiſſe; ſed quidquid his conceſſum eſt, obtigit ob reverentiam ipſi monaſterio à *D. Virgilio*, aliisque ſucceſſoribus collatam: neque deſunt plura ſimilia exempla, ut religioſi in antiquiſſimum quoddam recenter inducti cœnobium iis privilegiis gaudeant, quibus primi ejus incolæ donati fuerant.

Demum neque aliquid facit *Abbatis* titulus, qui primis præcipuè Epiſcopis Salisburgenſibus additus legitur in Catalogis eorum; præterquam enim, quòd horum nullus produci poſſit ſæculô undecimô vetuſtior; inſuper accedit, multos eorum corruptos, ac interpolatos fuiſſe, ſed &ſi nec iſtud obſtaret, ſcimus, pluribus in locis Epiſcopos Abbatias rexiſſe, tum Clericorum, tum monachorum: neque inde ſeu ipſos monachos fuiſſe, ſeu tales rexiſſe, quamvis & poſteriùs admittere licenter poſſimus. Et mihi certè pervolventi complurium Doctiſſimorum virorum commentaria, ridenda potiùs videtur, quàm refutanda illa ſolius inanis effugii causâ excogitata fabella, quâ quidam comminiſcuntur, ex monachis prodiiſſe Canonicos, ſicut ex monialibus Benedictinis Canoniſſas; atque hoc haud dubiè ideò, ut figmenta iſta ſecuriùs infarciant confuſione ipſius nominis cum Canonicis, quin & inſtituti. Sic etenim libuit fabulari Prodromi in tertiam partem Hierarchiæ Auguſtanæ Scriptori, ſic quoque Arcbitam Arcbita ſecutus eſt nuperus Author libelli de monachiſmo Rupertino, aſſerendo Monachos veros, ac genuinos eſſe Canonicos, & hoc nomine potiori jure gaudere, quàm ipſos Canonicos regulares; ipſos eſſe veros ex eſſentia, & ex inſtituto regulæ Benedictinæ Clericos, animarúmque curæ primariò deputatos, & quæ ſimilia ſinè jure, & canonum fulcimine exeogitata; atque iſtud quidem eò ineptiùs, quò hic poſterior ſcriptor extra limitem ſaltans, dum ſibi controverſia eſt cum Authore Calendarii Petrini propugnantis *S. Rupertum* fuiſſe ſæcularem, ipſe plenis remis, & velis furit in Canonicos regulares: quaſi ideò *S. Rupertus* albô Canonicorum ſæcularium ſit emigraturus, quòd hic ſcriptor impugnet inſtitutum Canonicorum Regularium; cùm certiſſimum ſit ſanctum hunc Bavarorum Apoſtolum longè congruentiùs credi Clericum ſæcularem, quàm monachum Benedictinum ſub ſchemate Canonico.

Porrò neutiquam effugit è memoria, dixiſſe me ſæpiùs *Canonicos* veniſſe antiquitùs non rarò nomine *monachorum*; probavetam id teſtimoniis evidentibus, & illi ætati ſynchronis, quòd ſi ſimili authoritatum mole oſtenderint adverſarii *monachos* æquo more veniſſe, & nuncupatos fuiſſe nomine *Canonicorum*, dabimus manus. At ut ſolis ipſorum conjecturis tanquam oraculis ſuccumbamus, nulla id veritatis ratio depoſcit. *Solis*, inquam, *conjecturis*; ſuper has namque omnia eorum argumenta ſtruuntur. Legat etenim, cui vacat, ſeu Mabillonium, ſeu alium qualemcúnque evincere conantem *Monachos Benedictinos* dictos olim fuiſſe *Canonicos*, reperiet omnia monumenta talia eſſe, quæ æquivocum ſenſum formant. At id omne dubium eximit, quòd Concilia, & Jura Eccleſiaſtica ſemper in eo fuerint, ut omnimodis diſcri-

diſcriminarent Canonicos à Monachis: probat id ad oculum Regula Aquisgranenſis, ipſe *S. Gregorius* M. à nobis ſupra citatus, Concilia etiam provincialia ſæculô ſextô, ſeptimô, ac deinceps paſſim habita, in quibus quoties occurrit ratio reformandæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſemper diſtincta decreta ſanciuntur pro Canonicis, & alia item pro monachis. Imò cùm expertum habeamus Canonicos non rarò monachis cohabitaſſe, attamen diſtinctim regebantur illi ab iſtis, diverſa pro utriſque decernebantur inſtituta, denique ſemper diſcriminatim habebantur: Hæc ſi penitiùs, ſereniori judicio quidam ſcriptores indagâſſent, nunquam in id opinor confuſionum chaos deveniſſent, ut univerſim *Clericos* pro *monachis*, & hos inter illos nominarent. Quod quàm cautè obſervaverit acutiſſimus Annalium Paderbornenſium Author *Schatenius* jam ſuperiùs oſtendimus.

Cæterùm neutiquam immorabor refutandis arugumentis ab illo Rupertini Monachiſmi ſcriptore coacervatis, dudum enim eadem in Exegeſi noſtra diſſolvimus; præterquam quòd minoris omnia ſint ponderis, quàm ut vel adjecto digito dimoveantur. Eſt is (& meritò alioquin) totus in Clariſſimi Hainſizii laudem extollendam effuſus, quem quidem, & nos tanquam virum eruditum ſuſpicimus, ac veneramur, neque ejuſdem eximiæ propenſioni in ſacrum ordinem Benedictinum iraſcimur, minùs huic eandem invidemus. Intereà tamen confidimus, quòd, quæ idem in præconium hujus unius venerabilis ordinis protulit, nunquam intelligenda velit cum excluſione alterius non minùs de Eccleſia bene meriti: quæque univerſim decora gentis Teutonicæ neo converſæ ſoli ordini Benedictino adſcribit, minimè animo pendeo ab eodem tanquam eximio Encomlaſte potiùs tunc dicta fuiſſe, quàm critico, cujus ideò eò libentiùs eloquentiam laudamus, quò ſaniùs perſpicimus nihil hac laudum periphraſi veritati criticæ develli poſſe. Stantibus ergò quibuscúnque applauſibus ab hoc viro clariſſimo commentario ſibi à Petrenſi Cœnobita ſubmiſſo tanquam pro victoria S. Rupertum in caſtra Benedictina deducente cantatis, manemus tamen nos in liberrimo Jure pro veritate certandi, & vendicandi pro iis temporibus non ſolùm *S. Rupertum*, ſed & *Petrenſe monaſterium* inſtituto noſtro, cui & ille, & iſtud tum illigabantur.

Unum adhuc annotare non omittam, verum quidem eſſe, ubi in aliquo monaſterio vel collegio nullum omninò veſtigium, aut documentum ſuppetit ordinis immutati, adſtruendum, ſtandúmque ſit pro immemorabili pariter illius ibidem ſubſiſtentia: At quia documentum evidentiſſimum adeſt in Petrenſi cœnobio, tempore *S. Ruperti* monachos nullos fuiſſe, imò eſſe nequiviſſe, tum, quòd vita primigenia *clauſtrum cum cæteris clericorum habitaculis à ſancto viro ordinabiliter conſtructum* dicat, tum, quòd nomine *Clericorum monachi* intelligi non poſſint; conciliis, ac Patrum conſtitutionibus pro ævo illo perpetuò reclamantibus, ut Cathedrales Eccleſiæ monachis deputentur, utque monachi in ſuis monaſteriis regulariter (ùt ſupponimus) conſtituti attamen externam animarum curam adminiſtrent: dicendum utique erit, tum primò monachos Petrenſe monaſterium obtinuiſſe, cùm *S. Virgilius* Clericos Petrenſes in novam Metropolim à ſe conditam tranſtulit.

Demum quæ de perturbatione nominis *monachi*, & *Canonici*

jam in Exegeſi noſtra cavimus, huc revocanda ſunt, optiméque notandum, dixiſſe nos, ſæpiùs olim *Canonicos monachorum* nomen obtinuiſſe, non tamen exinde ſequi Canonicos, aut inſtitutum eorum coaluiſſe cum monachis: nam nomen *Monachi* ex ſe prolatum ampliſſimè extenditur, ita quidem, ut apud vulgum non rarò ipſi Clerici, ac Canonici ſæculares veniant nomine monachorum, velut id multa Chronica medii ævi demonſtrant. At non vice verſa, nam monachi ſtrictè ſumpti tam longè diſcernebantur ſemper à Canonicis, quàm quod longiſſimè. *Canonici* etenim nomine *monachorum* nuncupabantur; quòd latiùs loquendo omnis ille juxtà vulgarem æſtimationem haberetur *monachus*, qui Deo votivè ſerviebat: at *Canonicus*, aut *Clericus* ſolus ille habebatur, qui deputabatur ad miniſterium Eccleſiaſticum. Quamvis verò ſæculò jam ſextô Clerici nomen aliquomodo monachis ob tonſuram Clericalem, & frequentiores ordinationes eorum ad ſacerdotium attribui conſueverit, at nunquam ideò nomen *Canonici*, Clericus enim ſucceſſu temporis dici poterat, quisquis tonſuram geſtabat, ſed non *Canonicus*, cùm hic titulus nemini adjiceretur, niſi in aliqua congregatione clericali actu, aut ſaltem immatriculatione conſtitutus. Porrò illud Anaſtaſii Bibliothecarii me nè minimum torquet, dum ſcribit: *Gregorium quartum in* Eccleſia Sanctæ Genitricis, ejusque monaſterio *monachos Canonicos* congregaſſe. Haud enim ignoro, cantores etiam in Eccleſia Lateranenſi quandóque nomen *Canonicorum* à *cantu* obtinuiſſe. Sic per quandam veluti energiam admiſero *monachos* dictos *Canonicos*, quòd primariò, ac principaliter ad illam Eccleſiam accerſerentur ob decantandum officium Divinum, quod aliàs potius congruebat Canonicis: Sed an ex hac adeò privata, & ſingulari nomenclatura adjecta monachis illis, generaliter inferri poſſit omnibus monachis attribuendum eſſe nomen Canonicorum Regularium, quisque prudens arbiter judicet, maximè ubi pro authoritate hunc titulum monachis Benedictinis ſtabiliente adducitur Felicis Egger idea Ordinis Hierarchico-Benedictini. Egregium ſanè oraculum, quod à Clemente XI. dudum confixum novimus. Intereà nec opinamur, *D. Benedictum* unquam voluiſſe è ſuis monachis *Canonicos regulares*, aut *ſæculares* facere. Sed hæc nos potiùs imperitis, & inſtitutorum religioſorum ignaris relinquamus: quàm ut eruditis vel ad umbram alicujus controverſiæ proponi poſſe credamus. Maneat ergò veritas, quæ ſemper fuerat, adhuc inconvulſa, ac immota, aliam ſpeciem eſſe *Canonicorum*, aliam *monachorum*, illos horum titulô ſæpè nuncupari potuiſſe; imò & nuncupatos fuiſſe, iſtos nunquam eorum, niſi aut tralatitiè planè, ac inadvertenter, aut certè ſolius explicationis causâ; cùm enim nomen *Canonici* diverſimodè in ſua ſignificatione ſumi poſſit, monachi quandóque, ſed & rariſſimè, dicti ſunt *Canonici*, eò, quòd *cantui Canonico* inſervirent. Quod eſt potiùs figuratè, & metonymicè, non verò propriè, & ex ratione inſtituti dictum. Maneat & veritas altera conciliis antiquis, & Patrum conſtitutionibus conformis, ſicut tempore *S. Ruperti* alia Juvavii cathedralis Eccleſia non fuerat, niſi quam ipſe in honorem *S. Petri* condiderat, ſic in ea alios ab ipſo congregari ſodales, & conſtitui non valuiſſe, niſi quales vita primigenia innuit, hoc eſt, *Clericos*. Neque ullo modò illos intelligendos, quibus Concilia tunc Cathedrales Eccleſias (id eſt miniſte-

niſteriis publicis Eccleſiaſticis implexas) conferri omninò noluerunt, id eſt, monachos, ſeu ordinis S. Benedicti illi fuerint, ſeu alii. Quemadmodùm autem ipſis Clericis Petrenſem hanc Eccleſiam cum ſuo monaſterio ab anno circiter 716. ad usque 773. vindicamus, ſic poſtmodùm monachis à S. Virgilio attributum promptiſſimô animô transſcribimus; illudque ab iis ad noſtros usque dies poſſideri, & vitæ regularis, diſciplinæque monaſticæ, id eſt, veræ Benedictinæ normæ apprimè congruente colluſtrari ſummis ipſi præconiis attollimus, & comprobamus.

Exiſtit in Metropoli Salisb. Hund. tom. 3. à pag. 36. Hanſiz. tom. 2. Germ. Sac. in S. Ruperto & in reflexion. à num. CLVI. Anaſt. Bibl. in Greg. IV. ad an. 827. Chron. Salisb. in Script. Auſtr. Hier. Pezii à tom. 1. à pag. 330. Caniſius Antiq. Lect. Edit. Basnagii tom. 3. à pag. 282. Act. SS. Bolan. ad diem 27. Martii &c.

Fund. an. 750. floret. Pollinganum S. Salvatoris Abbatia. Antiquiſſimæ fundationis hoc collegium meritò dicendum eſt, quippè quòd jam annô 750. *Taſſilo ſecundus* ereziſſe memoratur eo in loco, ubi eodem Principe venationi indulgente, & admirando conſpiciente, quomodo cerva nullo canum allatrantium terrore avellenda terram, ubi ſtationem ipſa fixerat, geminis pedibus effodit, peractóque labore à canibus divina virtute illæſa penitùs in ſylveſtre ſuum, unde proceſſerat, regreſſa eſt domicilium. Hoc itaque ſpectaculo attonitus ſimul, ac curioſus *Thaſſilo* foſſam intuetur, & dum profundiùs eandem elaborari curat, reperiuntur præter complures pretioſas reliquias tres inſignes cruces; mox piiſſimus Princeps veneratione in hunc nobilem inventum theſaurum animatus monaſterium cum Eccleſia in honorem *S. Crucis* conſtrui, & à *D. Bonifacio* benedici conſtituit, eò, quò diximus, annô 750. hæc ex libello Germanico nobis per virum clariſſimum Philippum Saller hujus loci Canonicum amicum noſtrum, transmiſſo, & de origine, ac progreſſu hujus Canoniæ tractante. Paulò tamen aliter hanc eandem originem Hundius narrat: Solúmque unius crucis repertæ meminit, hæc ejusdem verba: *Juxta monumenta*, inquit, *Pollingenſia Taſſilo Dux ibi venatus, cerva, dum fugit canes inſequentes; ſubitò ſubſtitit, terram effodere non ceſſans pavida: terrefactus Dux effodit crucem tabulæ affixam, creditur eſſe cornu piſcis, ad huc exſtat. Sexto Cal. Maji dedicatum à Boniſacio.* Nempe monaſterium, ſed fundatum id ait fuiſſe pro virginibus, quod ex Aventino deſumpſit. Ejusdem ſententiæ Mabillonius eſt, dum in annalibus ſuis ſcribit ſequentia: *Pollingenſe S. Salvatoris Monaſterium Diæceſis Brixinenſis, ab initio Virginum Benedictinarum, eosdem auctores, eundémque amplificatorem Taſſilonem habuiſſe fertur. Vaſtato ab Hungaris Monaſterio, ſed poſtea refecto ſubſtituti demum Canonici regulares, qui ibidem perſeverant.* L. 22. n. 71. Guilielmus Ertl Originem hujus ſacri loci non Taſſiloni, ſed *Landfrido*, *Waldramo*, & *Elilando* ex Aventino adſcribit, ſacrisque virginibus conditum ait; à *Taſſilone* autem prædicti prodigii causâ inſtauratum. *Andreas Presbiter* in ſuo Chronico præmiſſis quibusdam *Taſſilonis* fatis, & obitu, hæc ſubjungit, *hic eſt Taſſilo Dux, qui in ſervitio divino devotiſſimus exiſtens inter cætera monaſteria celebria Pollingen Canonicorum regularium conſtruxit.* Buce- Col. 448 linus Aventinum è veſtigio ſequens à præfatis tribus, ùt perhibet, Agilolfingis principibus conditum pro Benedictinis Virginibus

bus affirmabat: ſed mox à *Thaſſilone* Duce fundatorum cognato inſigniter dotatum etiam monachis introductis, poſtmodùm ab Hungaris vaſtatum *S. Henricum* Imperatorem reſtauraſſe edicit. Id ipſum habet Miræus ad verbum penè Hundii contextum referens. Nos, quia antiquiora ſæculô duodecimô documenta nacti non ſumus, de origne, & progreſſu hujus monaſterii, usque ad annum 1010. nihil certi decernere valemus. Dictô verò annô ab *Henrico S.* extraditum diploma eſt, in quo idem confirmat, & reſtituit bona monaſterio in honore *S. Salvatore D. N. J. C.* in villa Polinga conſtructo: *ad uſum, & ſtipendia fratrum inibi Deo famulantium.* Hi autem fratres dum à Bucelino Ord. S. Benedicti monachi fuiſſe aſſeruntur, majori probatione egent. Hundius enim diſertè ait, non monachas ibidem, ſed moniales fuiſſe, à *Giſala* poſtmodùm Imperatrice *Conradi Salici* conjuge inter annum 1041. & 43. defuncta ejectas &c. hoc loco, ſubſtitutis Canonicis, à ſæculi itaque undecimi initio circiter autumo iſthic Canonicas conſtitiſſe cum monialibus, quibus dein dimiſſis locum integrum occupavêre Canonici. Mabillonius ſolùm Virginibus primitùs exſtructum notat, ſed Benedictinis, neque iſtud ullo firmo fundamento. Superſedeo pluribus alia occaſione prolixiùs referendis.

Primus hujus loci præpoſitus *Aribo* dicitur, ſed annô, quo præfuit, deſideratô. Subjicitur in Pollingano libello *Arnoldus* annô 1073. poſt quem *Hildipertus*, primus Archidiaconus notatur, ſed ſine anno. Neque inter hos enumeratos noſcitur chronologica ſeries, quis eorum præceſſerit in regimine, usque dum ab anno 1104. accuratior Catalogus nectitur, verùm ſolis præſulum nominibus indigitatis.

Hic primitùs inter Canonicos quamvis regulares, & quidem *S. Auguſtini* Excerpta Patrum pro ſolita regula viguiſſe probat antiquiſſimus eorum Codex in Celebri Pollingana Bibliotheca M. SS. adhuc exſtans, qui quamvìs plura aquisgranenſis regulæ includat capita, eget tamen non paucis, fortè ab codicem in fine mutilum: cùm igitur hæc excerpta eo tempore ſub *Hideberto* nimirum præpoſito obſervarentur loco regulæ *S. Auguſtini*, quando ipſi Pollingani Canonici Auguſtinianos jam ſe dixerant, liquet manifeſtè, non ab *S. Auguſtini* regula, ſed à norma vivendi dictos fuiſſe Canonicos regulares *S. Auguſtini*.

Hoc Collegium multis excellit prærogativis, aliquando à nobis ſollicitè referendis; omnes inter, non minimam æſtimo illam, quam eximia virtute, atque doctrina non ſolùm conſervant, ſed mirificè augere ſolent viri in hac inclyta Canonia viventes Clariſſimi, quorum duos memorare non intermittam, A.R.D. Euſebium Amort Decanum hujus loci digniſſimum, Eminentiſſimo Cardinali Lercari à ſecretis, & A. R. D. Philippum Säller Patochiæ Forſterrietenſis Zeloſiſſimum Curatorem. Illum quidem, quem eruditio, ac profunda doctrina editis aliquot jam libris toti orbi litterato notiſſimum fecit, quique ea æſtimatione à Summo Felicis memoriæ Præſule *Clemente XII.* reſpectus eſt, ut, cùm librum à ſe compoſitum de origine, progreſſu, valore, & fructu indulgentiarum ipſi ſanctiſſimo dedicatum in perſona ſubmiſſo poplite offerret, reſponderet ipſe dudum de pretio, & præſtantia operis edoctus: *è applaudito di Roma.* Iſtum autem, cujus non minùs virtus, & ſcientia per latiſſimas urbes, ac provincias tantam cauſavit, cum quibusdam doctiſſimis noti-

tiæ neceſſitudinem, ut dicere poſſem, vix eruditum repeiiri, cui ſe Philippus noſter ſuo litterarum commercio non amiciſſimum fecerit, & neceſſarium. Utrique verò dum me obſtrictum multis titulis lubens profiteor, præſentem memoriam deferre omninò debui, & volens præſtiti.

Demum animadverto, ea, quæ à ſcriptoribus quibusdam de inductis primùm Benedictinis in hunc locum diſſeruntur, nulla certa Authoritate firmari poſſe, ſed ſolis ioiti coojecturis, ut ideò refutandis iſtis inutilem operam oavaremus. Porrò multis calamitatibus preſſum hoc inclytum collegium deníque à ſæculô circiter decimô quartô tanta iocrementa ſumpſit, ut noſtra ætate bonorum temporalium opulentiâ, præthereà beneficiorum (ùt nuncupamus) curatorum multitudine inſigniter floreat: nam Eccleſias parochiales, quas ipſi Domini Canonici domeſtici ſioe reſideotia provideot, numerat juxta catalogum à P. Corbinioano Kham coarratum tredecim, quas verò cum reſidentia iidem curant, quioque cum uodecim filiabus, cum quinque item parochialibus, quibus præſeotandi Presbiterum ſæcularem jus ipſum Pollingaoum collegium poſſidet. Inter quinque parochiales Eccleſias à P. Corbiniano enumeratas non lego Parochiam *Forſterriet*, quæ tamen una ex præcipuis, & antiquiſſimis huic Canoniæ incorporatis meritò habenda eſt, quippè de qua *Rupertus* Abbas Tegernſeenſis (qui vixit uſque ad an. 1186.) in Epiſtola ad *Ottonem* PrępoſitumReitenbucheoſem: *Eccleſiam veſtram Forſtariet Dominus Epiſcopus Præpoſito de Pollingen poſt diſceſſum veſtrum in beneficium tradidit*. Eccleſia ipſa Pollingana olim Brixinenſem Epiſcopum Advocatum habuit, dein, quòd longiùs diſtaret Brixinâ, *Henrico Leoni* Bojorum, & Saxonum Priocipi in clientelam commiſſa eſt. Reliquiis SS. decoratur penè innumeris, quorum Catalogum idem libellus refert, nec dubitaodum horum patrocioiô eximiè planè à D.D. Canonicis hujatibus, ac præprimis Reverendiſſimo D.D. Præſule Alberto glorioſè ſuum ſacerdotale jubilæum anoô 1736. 4. Cal. Julii celebrante cultorum, tam egregios indies progreſſus adipiſci, quos, ut Deus ultrò aſſiduò augeat ex corde precamur.

Exiſtit hæc Canonia ad Ambronem fl. Hund. in Metrop. tom. 2. à pag. 79. Kham. Hierar. Auguſt. parte 3. Regul. à pag. 436. Steogel. comment. rer. Aug Part. 2. Cap. 8. n. 1. Ertl. Atl. Bavar. p. 199. Bucel. Monaſter. part. 2. p. 72. Rader. Bav. S. Vol. 2. pag. 269.

Ranshoffenſe S. Pancratii. Abbatia. Antiquiſſimi hujus collegii antiquiora adhuc, ùt olim Vicus fuerat, initia enarrare oon fert præſentis operis propoſitum. Capellam primus, Imperator. *Arnulphus* conſtruxiſſe fertur, eùm ſubactis. Romanæ urbis rebellibus ope *D. Pancratii* Martyris Victor in Bojatiam remearet: conditum hoc oratorium videtur annô 897. cùm annô 898. jam exſtent *Arnulphi* litteræ, quibus locum hunc *Elemprechto* ſacerdoti coofert, ita tameo, ut *ſub jure Oetingenæ Eccleſiæ perenniter conſiſtat*. Neutiquam igitur Eccleſia hæc libera tuoc exſtitit, minùs in laudatis litteris ullam clericalem ſocietatem, vel Monaſterium ei adjunctum legimus, neque videtur alterum *Arnulphi* diploma id ſatìs decernere. Dum enim (nullius monaſterii factâ momoriâ) ſolùm inquit: *ad commoditatem ipſius loci, & ſervorum Dei ibid m Divina perſolventium officia &c.* intelligi id poteſt de viris religioſis, ſeu de presbiteris eam Capellam diviſim, ac ſuc-

Fund. circ. an. 897. Floret.

ſucceſſivè non ſimul, & ſocialiter inhabitantibus, ac tantummodo ex Oetingo providentibus. Potiùs itaque cenſendum, non niſi ſub *Conrado primo* Salisburgenſi Epiſcopo, & *Henrico nono* Bavariæ Duce poſt annum Domini 1121. quo Præſul iſte eximius ab exilio (perſequentibus, uſque tunc Schiſmaticis) rediit, monaſterii formam, normámque obtinuiſſe, qui, cùm nil ſibi plus religioni duceret, quàm remiſſos utcúnque Canonicorum illis temporibus mores non reducere ad priſtinam pietatem, Author Henrico extitit ad Eccleſiam, quam ipſe Canonica ſocietate informaturus regularem facere decrevit, temporalibus bonis dotandam. Hinc diploma ejuſdem Ducis proſtat, in quo idem profitetur, ſe *plurima bona tradidiſſe cooperante, & conſentiente Wulfilda Conjuge ſua ad Altare S. Pancratii Martyris invictiſſimi in uſum fratrum Chriſto famulantium ſub regula S. Auguſtini. Actum Ranshoven annô Domini M. C. XXV.* tunc ergò fratres Chriſto famulantes *ſub regula S. Aug.* longè Clariùs clericalem ſocietatem collectam annuunt, quàm *Clerici* ſeu *ſervi Dei divina officia perſolventes*, ùt nuncupantur in diplomate *Arnolphi*. Hinc meritò Miræus uſque ad tempora *Conradi* (quem tamen falsè Archiepiſcopum Ratisburgenſem nuncupat, cùm dicendus fuiſſet Salisburgenſis) Ranshovium parochiam inticulat, & poſt tertium ibidem reſidentem parochum *Hereutbertum* nomine, ait: *Poſtea vocati ſunt Canonici Auguſtiniani, fuitque deſtructum monaſterium decem pene annis, & parochia in Cœnobium commutata, quæ adminiſtrata fuit à ſacerdotibus, ùt vocant ſæcularibus annis octoginta.* Si igitur à tempore *Henrici III.* cognomentô nigri, quo opitulante, annô, ùt Hanſizio videtur, 1040. diploma ab eodem extraditum eſt Clericis ibidem manentibus (id eſt, ùt ego interpretor, ſucceſſivè ibi curam animarum agentibus, nam aliô ſtylô veteres innuere alioquin ſocietatem aliquam Deo famulantem ſolebant, ùt liquet fundationum Chartas conferenti; vel etſi dicas, plures cohabitaſſe Clericos, necdum in littore ſumus, ut hos Clericos non potiùs credamus, velut in parochia etiam noſtris temporibus, ſic frequenter antiquitùs ſolùm in uno Domicilio junctos fuiſſe non votivæ ſocietatis, ſed aggeratorum curialium laborum gratiâ, quibus unus ſufficere non valebat) ſi, inquam, ab Henrici nigri dictum diploma extradentis tempore annos uſque ad inductos Canonicos noſtrates numeres, id eſt, ad annum 1125. occurrent anni *præter propter* octoginta, cùm certi non ſimus, illud annô 1040. vel potiùs tardiùs prodiiſſe.

Ab anno itaque præfato, ùt diximus *circiter*, regularis ſocietas coadunari cœpit Ranshovii, primúsque Præpoſitus *Rapholdus* ſalutatus eſt. A quo tempore indies collegium iſtud plurimùm increvit, ita quidem, ut ſub *Henrico* primo hujus nominis Præpoſito Archidiaconali honore ſublimatum exiſteret, quod inter annum 1230. & 1247. quo præfuit, contingere oportebat.

Porrò eſſent ſanè plurima de hoc inclyto Collegio enarranda, inter quæ non poſtremum locum ſibi vendicaret celeberrima illa ſolennitas anni Jubilaris, quô octavum ſæculum ab extructa per Imperatorem Arnulphum Eccleſia complebatur, cui vix fortè multis annis ſimilem Bavaria vidit. Verùm quia hæc ſatiùs ad ipſum opus differuntur, dum inſuper confidimus liberali manu ex hinc ne-

nobis *Conradi* Præpoſiti hujatis doctiſſimum Chronicon intereà communicandum, ex quo plura ad notitiam inſerere hiſtoriæ Ranshovienſi licebit, manum de tabula tollimus.

Exiſtit præclarè adhuc florens hoc Collegium ad Oënum fluv. Hund. in Metrop. tom. 3. à pag. 138. Germ. ſac. Hanſizii in Dietmaro 2. pag. 169. Docum. communic.

Fund circà an. 1088. floret.

Raittenbuchenſe S. Mariæ Abbatia. Hoc inclytum collegium extra omnem controverſiam ſua initia anno 1088. aut circà debet, dum *Guelfonem* quartum hujus Nominis, primum autem ex hac nobiliſſima progenie in Bojariæ principatu dominantem fundatorem obtinuit; id ſanè referunt communicata non ſolùm nobis documenta, ſeu potiùs Reverendiſſimorum D.D. Præpoſitorum Elenchus, verùm etiam monumenta antiqua, quæ hanc aſſertionem firmè ſtabiliunt Hundius eundem hunc Illuſtriſſimum authorem iſtius cœnobii deſignat, quem Raderus in Bavaria ſua ſecutus videtur, dum inquit: *Eſt Raitenbuch cœnobium pervetus in Bojaria ſuperiore, inter Etalenſe, & Pollinganum ſitum, à Guelfone quartò primò Bojariæ ex ea ſtirpe Principe, annò 1085. conditum.* Longiſſimis econtra paſſibus ab hoc effato diſcedit Bucelinus, dum fundatum aſſerit à *Guelfone VI.* Henrici nigri filio annò 1185. profectò graviter hallucinatum Bucelinum coarguit ipſa patentiſſima confirmationis Bulla, quam *Urbanus II.* annò Dominicæ Incarnationis milleſimò, nonageſimò, Indictione decimâ quintâ, diſertis terminis *Udalrico Præpoſito Canonicæ vitæ in loco Raitenbuch ad honorem S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ ſita eſt, contribuebat:* Quia autem idem *Urbanus* in hac Bulla ait: quòd fideliſſimi Romanæ Eccleſiæ filii *Welfo* Dux Bavariorum, & Conjunx ejus *Judita pro animarum ſuarum ſalute Canonicam fratrum ſecundùm regulam B. Auguſtini viventium in loco, qui Rettenbuch dicitur, conſtituente eandem domum B. Petro devotione debita obtulêre.* Non ſatis capio, quomodo apertiſſimo huic monumento contraire Bucelinus potuerit, ut quem minimè latuit *Guelfonem* hunc *quartum* fundatorem, de quo diſcurrimus, collegii exſtitiſſe, quippè, qui id ipſum expreſſè enunciat in hiſtoria ſua Agilolfinga n. 18. pag. 390. in fine: ubi in laudem hujus totis velis effuſus inter cætera inquit: *In alias quoq; Eccleſias magnificè munificus fuit, alia inter Raitenbuchenſe celebre admodùm Bavariæ monaſterium conſtruxit.* Legerat quoque hoc ipſum in Weingartenſis Monachi Chronico de *Gvvelfis*. Ex quo liquet Originem Reitenbuchenſis Collegii omninò huic adſcribendum *Guelfoni quarto.*

Occurrit iſthìc, ut aliquid de norma vivendi primorum hujus loci Canonicorum uſque ad dies *Magni Gerhohi* vigente agamus, eoquòd ex Reicherſpergenſi Chronico diſcamus, hunc eximium virum, cùm ex inſtituto baheret, noſſétque ſe Canonicum eſſe ſecundùm regulam *S. Auguſtini*, attamen exquiſiviſſe omni animadverſione, quomodò vivendum eſſet ſecundùm hanc regulam, vel quæ eſſet illa regula, ſecundùm quam vivere profeſſus fuerat. Nunc ergò quæritur, quâ ab annò fundationis ſuæ, id eſt, circiter 1080. ad uſque 1132. *Canonici*, ùt dixeram, *Reitenbuchenſes* diſciplinâ vixerint, ſi regulam *S. Auguſtini* tam diù, hoc eſt, quinquaginta annis ignorârunt. Obſervat *Raderus* hoc ipſum dubium perpendens, ubi de *Gerhobo*, ſeu *Gerocho* loquitur: Aitque: *non rarò fiebat, ut adoleſcentuli in ſacra re-*

ligioſorum contubernia admiſſi jurarent, ex præſcripto S. Dominici, Franciſci, Baſilii, Benedicti, Bernardi aliorúmque Patrum ſe victuros, cùm præſcriptas vivendi rationes nunquam aut vidiſſent, aut legiſſent. Quod eò magis demirandum eſt in Gerhoho, cùm is, & litteris probè tinctus eſſet, & ſapientiæ laude floreret. Nam poſteáquam nomen inter D. Auguſtini Sodales profeſſus eſt, tum primùm quæſivit, quæ eſſet norma, ad quam ſibi omnes vitæ actiones ex D. Auguſtini ſententia, & lege eſſent exigendæ. Sed nuſquam nec Raitenbuchii, nec in aliis ejuſdem inſtituti vicinis phrontiſteriis poterant ullæ, quas vocant, regulæ inveniri. Verùm decipitur vir doctiſſimus in ſuo judicio, aliáque longè eſt hujus inquiſitæ regulæ ratio, cujus quidem nos jam geminatis vicibus memoriam habuimus. Imprimis ſiquidem nunquam legeram adoleſcentulos in ſacra religioſorum contubernia admiſſos juraſſe, id eſt, profeſſionem religioſam emiſiſſe, absque eo, quòd præſcriptas vivendi rationes unquam antea aut legiſſent, aut vidiſſent, aut cognoviſſent, & ſpeciatim ex præſcripto *S. Franciſci*, *Baſilii*, *Benedicti*. Quis enim ignorat, quàm accuratè præſcribat S. Benedictus ſua in regula, toto Cap. 58. *diſciplinam ſuſcipiendorum Fratrum:* atque in eo conſultò trina regulæ prælectio mandatur facienda Novitio, tantùm nè ullo modò conſilium ex ignorantia ejuſdem regulæ capere poſſit reſiliendi à propoſito: nec minùs aliæ monachorum religiones id cautiſſimè attendunt: prætérquam quòd ad tempora *Gerhohi* nulla ſit inſtantia ab Ordinibus, *S. Franciſci*, *Dominici*, aut *Bernardi* deſumenda: S. enim *Dominicus* necdum Gerhohi ætate mundum conſpexit, nec S. Franciſcus: hic annò 1182. ille natus annò 1170. S. verò *Bernardus* tum vix quindecim annis præfecturam Clarevallenſem (quam ann 1115. ſuſceperat) explens certè ſupponi non poteſt, tali incuriâ cum adoleſcentulis contra regulam *S. Benedicti*, in quam ipſe juraverat, in primo æſtu reformationis proceſſiſſe. Non itaque ob conſuetudinem talem in religionibus (quarum ſpeciatim aliæ tunc, niſi Canonicorum, & Monachorum Ord. S. Benedicti in noſtra Germania non reperiebantur) per id temporis neutiquam receptam *Gerhohus* jam votis Deo devinctus quærebat regulam *S. Auguſtini*, quam profeſſus erat; ſed alia de cauſa, ſatis ex ipſo Chronico Reicherſpergenſi ſimul, ac illius ætatis more apud Canonicos eruenda. Erant tum in Canoniis regularibus paſſim excerpta *SS. Patrum* pro regula dirigente, hæc verò excerpta diverſimodè in diverſis collegiis habebantur, nec utrobique una eorum facies erat, unaque forma; locum huic varietati dederat regula Aquisgranenſis, quæ, utut initio ſui paſſim, ac nominatim à Salisburgenſibus Canonicis ſub *Arnone* Archiepiſcopo annò 816. aut paulò deinceps cum applauſu excepta eſt, magnam tamen Eclipſim ſubiit à tempore Concilii Romani ſub *Nicolao II.* an. 1059. celebrati, à quo dum graviter quædam in dicta regula, dignéque reprehenderentur, ac maximè, ùt ex contextu illius concilii liquet, ſugillaretur à Patribus illa expropriationis remiſſio, quam ex hac una regula relaxati Clerici venabantur; vix, ac nè vix ampliùs ab illo tempore à Canonicis votivam vitam amplectentibus reſpiciebatur, maximè (ùt quidem autumo) ea de cauſa, quòd tota quaſi à primævo ſuo vigore ſoluta haberetur injuriâ quorumdam Canonicorum, jugum votivum omni molimine excutientium: quemadmodùm Deſnoſius noſter teſtatus eſt, ſe exemplaria adeò defor-

deformata vidiſſe, ut ea, quæ primigenia regula Aquisgranenſis de expropriatione continuerat, penitùs dimiſſa haberentur. Hæc ùt ſunt certiſſima, ſic prudens argumentum ſuppeditant inferendi, Canonicis, regularem vitam tueri volentibus, neceſſe fuiſſe, ut ſibi vel authoritate Epiſcoporum, quibus ſuberant, vel totius alicujus gremii conſenſu providerent de dictis excerptis Patrum inſtituto votivo conſervando accuratiùs pro futuris, quod iterum docere, & probare videtur Regula Pollingana à P. Radero citato loco memorata, hæc à Cap. 1. usque ad 31. deſumpta eſt ex regula Aquisgranenſi. item 32. 33. 50. 51. 52da. alia Cap. ſunt ex Conc. Mogunt. Pariſienſi ſexto. Epiſtolis Theodulphi &c. & quod maximè attendendum, in hac ipſa regula Cap. 1. ponitur. Cap. 115tum Aquisgranenſis: in quo lapis ille offenſionis legitur, qui omnibus (quorquot hactenus ſcriptores Canonicis Aquisgranenſis regulæ ſectatoribus vitam votivam abnegârunr) ad hoc aſſerendum anſam præbuit: *Quamquam ... Canonicis, quia in ſacris Canonibus, illis prohibitum non legitur, licèt linum induere, carnibus veſci, dare & accipere proprias res, & Eccleſiæ cum humilitate, & juſtitia habere, quod monachis, qui ſecundùm regularem inſtitutionem arctiorem dicunt vitam, penitùs inhibitum eſt &c.* quamvis certum ſit, cùm hæc regula Pollingæ floreret, Canonicos omninò votivos fuiſſe non minùs, quàm ſub *Conrado* Archiepiſcopo *Salisburgi*, *Raitenbuchii*, *Reicherſpergii*, *Ranshovii &c.* quòdſi igitur non obſtat horum Canonicorum exploratæ regularitati vorivæ prædictum caput, cur obſtet antiquis? ſed iſta hactenùs.

Porrò in hac Pollingana regula deſideratur diſertè Capur 112. & 113. quæ continent duos ſermones de communi vita Clericorum: nimirum, ùt ego conjicio, adeò Aquisgranenſis regula jam hoc tempore depravata erat, ut quidquid expropriationem in ea aliquando ſignaverat, ad extremam oblivionem eliminaretur à malevolis, & paupertatis ſtrictioris impatientibus. Dudum autem, & maximè jam à tempore *Ivonis Carnotenſis*, illuceſcere iteratò cœperat votivam vitam tuentibus Clericis *S. Auguſtinus*, hunc quique prudentiores, ac peritiores in lege noverant, quam expropriationis normam cum Clericis ſuis ipſe coluerit, hanc normam nuncupare volebant regulam, velut à nobis in duplici explicatione vocabuli hujus in Exegeſi oſtenſum eſt. Atque hoc erat ſecundùm regulam *S. Auguſtini* vivere. Quod adeò videtur in Canoniis pleriſque Germaniæ propè usque ad *Innocentii* tempora verum eſſe, ut credam antea perpaucis monaſteriis obveniſſe, ut hanc preſsè regulam *S. Auguſtini* aut haberent, aut ſaltem tanta ſollicirudine habere curarent, quantâ deinde, & poſt concilium illud Lateranenſe quatuor regularum neceſſitatem pro religioſis definiens. Etenim nullum vetuſtum monumentum adhuc tum reperiſſe me profiteor, quod mihi ante ſæculum decimum tertium regulam iſtam Auguſtinianam demonſtret à Canonicis regularibus expreſsè obſervatam. Antiquiſſimas profeſſionum formulas lego, in quibus vovebatur *vivere ſecundùm regulam S. Auguſtini.*, ſed ſecundùm hanc ipſam vovit quoque *Gerhohus* attamen ignoravit, quæ illa ſit, nimirum avebat vir piiſſimus habere regulam ad normam monachorum inſtructam, noverat enim Benedictinam, de quo dubitari non poteſt. Igitur properaverat Romam indubiè ad Honorium II. aut *Innocentium II.* tunc Eccleſiæ uni-

univerſali præſidentem edocendus, *quæ* tandem *eſſet illa regula*, *ſecundùm quam vivere profeſſus fuerat*. Verùm necdum aſſecutus ſum, obtinueritnè Gerhohus, hanc in individuo regulam *S. Auguſtini*, quam nunc Canonici regulares tenemus, an ſolummodò didicerit regulam Auguſtinianam hanc eſſe, *vivere ſine proprio unita communionis charitate*: quippè quæ duo quaſi clericali inſtitutioni tunc ſuperaddenda fuerant, ut *votivò regularis* haberetur. Nam, ùt ſuprà monueram, quæcúnque etiam aut ſummorum Pontificum Bullæ, aut fundatorum Chartæ canonicos allegant ſecundùm regulam *S. Auguſtini* vivere, plus non declarant, quam vitam inſtitutam ad eam normam, quâ ſuos inſtituerat Clericos *Auguſtinus*, quod ex ipſo gemino ſermone de vita, & moribus Clericorum abundanter diſcimus.

Quidquid igitur alii aliud cum Radero judicent, mihi profectò ea ſententia eſt, ut dicam Raittenbuchii, dum in illo *Gerhohus Deo* vota ſua nuncupaverat, quin longè anteà, & ab origine fundationis, nequaquam Canonicos adeò ignoranter vixiſſe, ut neſcirent, quâ ſui inſtituti normâ, id eſt, regulâ vincirentur, deformo eſſet hoc vel de ipſis fundatoribus, vel Collegiorum Clericalium reformatoribus cogitare, quaſi, nimirum, cùm *D. Conradus* Archiepiſcopus Salisburgenſis ſuum Clerum tam anxiè, tam perſpectè ad regulam *S. Auguſtini* effigiavit, neſciiſſet tamen, quænam illa regula eſſet, dico ad regulam *S. Auguſtini*, nam Biographus vitæ *B. Gebhardi* Archiep. Salisb. ſcribit: *Conradum majoris Eccleſiæ Clericorum vitam in melius informaſſe*, *& communem vitam Canonicorum S. Auguſtini* ibi initiaſſe. Et tamen nemo demonſtrabit, tunc regulam, hodie nobis ſolitam, Auguſtinianam ſuis Canonicis *Conradum* tradidiſſe. Quin eandem etiam Salisburgi tunc incognitam fuiſſe probant Chroniſtæ Reicherſpergenſis verba illa: *Quæ regula tamen tunc in illis locis non inveniebatur: ſed nec in aliis locis ejusdem profeſſionis*. Hæc verò ſingula diſcreto judicio collata demum evincunt, evidentur certum eſſe, fuiſſe Canonicos regulares *S. Auguſtini* tantummodò dictos, quia normam vivendi *S. Auguſtini* ſectabantur, non quia hanc preſsè regulam profitebantur, quæ nobis nunc in conſuetudine eſt. Patet id iterum ad oculum ex Bulla *Urbani II.* his ipſis, de quibus agimus, Raittenbuchenſibus Canonicis data an. 1090. atque ideò antea, quàm *Gerhohus* in hoc Collegio Canonicum induit; ait enim ſummus Pontifex: *Quia igitur fideliſſimi &c. Canonicam fratrum ſecundùm regulam B. Auguſtini viventium in loco*, *qui Rettenbach dicitur &c. obtulêre &c.* habes hìc manifeſtam mentionem *fratrum ſecundùm regulam B. Auguſtini viventium in loco*, *qui Rettenbach dicitur*, ſed & habes ex Choniſta Reicherſpergenſi præcipuè regulam in his locis eam nec inventam eſſe, quam dein ſucceſſu temporis amplexati ſunt Canonici regulares: ex quo igitur ſequitur ineluctabiliter, Canonicos regulares *S. Auguſtini* fuiſſe, antequam regulam iſtam individuam noſsênt, nè dicam haberent. Iſta ſi vir quidam doctiſſimus fortaſsè penitiùs perſpicere voluiſſet, haud eum ſcripturum fuiſſe credam, *Regulam*, *& eſſe*, *& ſemper fuiſſe animam cujúsque ordinis religioſi in ſua individuatione*, *ſeu ſingularitate conſtituendi*.

Hoc Raittenbuchenſe collegium noſtris temporibus celeberrimum, præſtat multis reliquis ob magnum Theſaurum Sanctarum-reliquiarum; quippè quòd non ſolùm ſuo in gremio his pretioſis cœli deliciis abundet, ſed & in vicino

vicino Monte *Peiſſenberg*; ubi præter miraculoſam virgineæ Matris imaginem magno cultu ſancti Martyres *Gaudentius*, & *Wenzeslaus* plurimo concurſu viſuntur. Illa ſacra corpora in collegio publicæ veneratione expoſita SS. Martyrym *Primi*, & *Feliciani* annua feſtivitate quinto idus Junii honoratorum ab anno 1607. dubia utcúnque fecit (ſaltem de identitate illorum, qui prædicta die in Martyrologio Romano referuntur) translatio eorundem ſanctorum Corporum annô 1736. Romæ die 10. Junii in cœlio monte ad Eccleſiam S. Stephani, poſtquam ſub ejusdem ara majori fuêre reperta. Interca etſi hæc Raitenbuchenſia ſacra lipſana horum Martyrum non eſſent, nihil oberit cœptæ devotioni: cùm fortaſſe illa ſint, quorum in notis ad Martyrologium Romanum dicta die meminit Baronius dicens: *Reperiuntur duo alii iisdem nominibus appellati Primus, & Felicianus Germani, de quorum martyrio agitur in actis S. Fidei apud Surium tom. 7. die 6. Octobris.* Quamquam verò in his referatur ſacra horum corpora cum aliis una ſocietate martyrio coronatis in Agennenſi majori Eccleſia per *S. Dulcitium* Epiſcopum elevata, & publico cultui expoſita fuiſſe; fieri tamen potuit, ut hæc poſtmodùm inde in Germaniam, ac demum Reittenbuchium transferrentur, de quo tamen nihil usque nunc certi definire præſumimus.

Cæterùm quàm clariſſimis, ac ſanctitate quoque conſpicuis viris hoc Phrontiſterium eminuerit, ſuo tempore enarrabimus.

Exiſtit hoc percelebre Collegium ad Ambronem fluv. Hund. in Metrop. t. 3. pag. 99. Chron. Reicherſp. edit Ludewig. Col. 298. ſeq. Surius ad diem 20. oct. in vita S. Capraſii &c. M. M. vita S. Gebhardi apud Canis. tom. 3. pag. 441. Rader. Bav. Sancta. in vita Gerhohi Vol. 2. p. 277. ſeq. &c.

Ratisponenſis S. Stephani Cathedralis: Tres præcipuè Eccleſiæ, præſentem cathedralem deſcripturis non diſſimulandæ occurrunt, quòd omnes ad hiſtoriæ præfixæ notitiam aliquid conferre videantur, prima earum *S. Georgii*, altera *D. Emmerami*, tertia *S. Stephani* eſt, illam *S. Georgii D. Emmeramus* ſibi familiarem habuit, & frequentem ſeceſſui ſacro. Quô tempore conſtructa ſit, non ſatis liquet: de ea *Franciſcus Grienevvaldus* ſequentia: *Diligenter*, inquit, *eſt advertendum, quòd olim temporibus paganiſmi, & infidelium, in illo colle, ubi nunc eſt Monaſterium S. Emmerami ſituatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum Sylveſtrium, ubi diverſorum ſimulacra idolorum ab infidelibus colebantur: quâ ſuperſtitioſâ hominum ſtultitiâ tandem (divinâ gratiâ) evaneſcente, & fide catholica parum ſcintillante, ibidem luco depoſito viles caſæ pauperum hominum ſuburbanorum civitatis conſtructæ fuerant, & inter easdem caſas conſtructum fuerat humile oratoriolum, in quo conſecratum altare fuerat per fideles Chriſti, tunc tenuiter clarentes in honore D. Georgii Martyris, quæ quidem Capella ſteterat ibi tugurii more.* Exiſtebat igitur hæc capella jam condita, cùm *Emmeramus* Ratisbonam advenerat, & potiùs ſacrum hunc locum ipſe reperit, quàm exſtruxit. Viro autem ſancto per martyrium ſublato, & ante aram *D. Georgii* iſthìc ſepulto aggregatis prodigiis, per eum indies patratis, novam eamque eò magnificentiorem formam induit, quò dignior æſtimata eſt, ut metropolis etiam Epiſcopalis honore (juſſo per *D. Bonifacium* Moguntinum illic primo Præſule *Gaubaldo* ad annum 732.) inſigniretur. Quemadmodùm

Fund. ſec. 8. ſæculo

dùm autem ex fragmento illo hiſtorico mox relato colligitur; jam *Emmerami* tempore Clerus Ratisbonam incoluerat, ſed cùm neque de Eccleſia, nec de monaſterio memoria ulla referatur, ſanè poſteriora lucem nobis adferent firmiorem.

Poſtquàm igitur Epiſcopalis conſtituta eſt ſedes in præfato oratorio, ipſumque in auguſtum templum excrevit, nomen quoque illius, cujus beneficio adeò ſublimè audiit, aſſumpſit, & *S. Emmerami fanum* impoſterum nuncupatum eſt. Nodum hic in ſcirpo quærimus, inveſtigaturi, monachine ſoli, an clerici ſoli hanc *D. Emmerami* cathedralem incoluerint, an utrique ſimul? tempore *Garbaldi* ſeu *Garibaldi* paſſim Clerici memorantur, monachi nunquam, maximè à *Cyrino D. Emmerami* biographo: *Arnolfum*, & *Meginfredum* non moror, utrúmque monachum, ſuíſque pro ſignis certantem. Denique ad tertiam Eccleſiam devenimus, S. Stephani intrà urbis mænia conditam, ad hanc *Adalbinus* annô 790. cathedræ Ratisbonenſi præfectus, Epiſcopalem ex *S. Emmerami* transſtulit, quo tempore in hac aut monachi ad *S. Emmeramum* jam fuerant, aut ùt nobis viſum, ideò potiùs *Adalvvinus* cathedralem inde tranſtulit, ut tandem monachis locum aliquem addiceret, quorum conſortium diligebat: cùm antehac vix admiſerim, monachos Ratisbonæ ſedem aliquam ſtabilem fixiſſe.

In hac *S. Stephani* Cathedrali, quam *Carolus Magnus* non minùs ſuô privilegiô, ac *Leo Pontifex* ſuô talem eſſe tum mandavit, tum communivit, reperimus demum eam Canonicam ſocietatem (quam noſtri inſtituti liberiùs aſſerere poſſumus) multis annis perſtitiſſe. Nam ſub *Adalvvino*, aut certè ſub *Baturio* regulam Aquisgranenſem hìc floruiſſe quis dubitet? quam poſtmodùm aliquantò, more aliorum collegiorum, laxatam *S. Wolffgangus* non tantùm ad priſtinos, ſed & ſeveriores tramites reduxit. Tempore *Gerhohi* Reicherſpergenſis tamen, aut nullam omninò aut penitùs effibulatam diſciplinam votivam fuiſſe inter Ratisbonenſes Canonicos, ſatis ſupérque liquet ipſius hujus Zeloſiſſimi viri teſtimoniô, qui in ſua Epiſtola ad Innocentium II. ſequentibùs ſummum hunc præſulem interpellat: *Scribe Patri, & Archiepiſcopo meo Salzburgenſi, ut ejiciat ancillam, & filium ejus, quod etiam Dei gratiâ ipſe fecit ex parte, qui Domino cooperante omnes penè parochias ſua congregationes fecit regulares, ſed in ſuffraganeis illi ſubjectis, quarum una eſt Eccleſia Ratisbonenſis adhuc regnat filius ancillæ, & quod nequius eſt, perſequitur filium liberæ.* An Gerhohi votis ſecundaverint aut Romæ *Innocentius*, aut *Conradus* Salisburgi, latet omninò.

Porrò exſtat apud Hundium in notis Gewoldi *Henrici Epiſcopi* Ratisbonenſis donationis Charta, de annô 1278. ex qua aliqui docere conantur, circà hæc tempora Canonicos Ratisbonenſes ſub *S. Auguſtini* regula convixiſſe, eò, quòd *Henricus* aliquoties demandet feſtum *S. Auguſtini* ſolennius habendum, aut ùt ipſe inquit: *Item: quòd prædicta feſta ſcilicèt conceptionis, & Auguſtini deſiderabiliùs, & ſolenniùs celebrentur.* Nos ut ideò planè perſuadeamur ad id ipſum aſſerendum, vix inducimur, intereà neutri quidquam præſtamus, dum certioribus doceamur, maximè cùm rara ſint Ratisbonenſia documenta, quæ plenius, quàm hactenùs vidimus, lumen ſubminiſtrent.

Hund. Metrop. Salisb. tom. 1. à pag. 126, & tom. 2. pag. 252. Germ. ſac. tom. 2. pag. 1004. n. 179.

179. ſeq. Rader. Vol. 1. vita S. Emmerami, pag. 48. vita ejuſdem ſancti edit. Caniſ. tom. 3. pag. 88. ſeq.

Fund. an. 1084. Floret.

Reicherſpergenſe S. Michaëlis Abbatia.

Venerandæ antiquitatis initia huic inſigni Abbatiæ deferenda legimus in ejuſdem celeberrimo, & omnium hiſtoricorum calamo, ac lingua nunquam ſatis dilaudato Chronico, quod vulgò *Reicherſpergenſe* nuncupatur: His verbis: *ad annum* 1084. *circà hæc tempora fuit in Caſtro Richerſpergenſi Werenherus Dominus ejuſdem Caſtri, vir valdè ingenuæ nobilitatis, & dives, qui ſororem Domini Gebhardi Salzburgenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopi in matrimonio junctam habebat, nomine Diethbergam. Hic poſt mortem filii ſui, nomine Gebhardi admodum juvenis, cùm non haberet alium heredem, & inter propinquos, & conſanguineos facta eſſet diſſenſio, & concertatio propter hereditatem ejus: ipſe magis elegit Deum, & S. Michaëlem habere heredes. Itáque depoſita omni munitione ejuſdem caſtri, munitum enim erat valde, ùt hodièque perſpicuum eſt, in altitudine vallorum, & in ipſius ſitu loci, & ad ſerviendum inibi Deo honeſtè præparato, ipſe Dominus Werenherus cum nobili uxore ſua, jam dicta Diethberga, tradidit ad eundem locum Richerſperg S. Michaëli prædia ſua, Ruorippe, Scartenberg, Elenbach, Juvenbach, Vnanenbach, ſub adſtipulatione multorum teſtium, & duas vineas apud Aſchaha, & aliud prædium juxta flumen Anteſen, quod dicitur ad S. Martinum ſimul cum ipſa Capella, & vinea adjacenti, & molendino: Itemq́ aliud prædium in Carinthia in loco, qui Chrovvac dicitur, ſitum, ad triginta circiter manſos, in uſum Clericorum Deo, ſanctisque ejus ibidem ſub regula S. Auguſtini, in perpetuum ſervituris.* Hæc ergo Reicherſpergenſis Origo eſt, utque ex poſtremis diſcimus, neò-fundatum cœnobium mox contraditum Canonicis, ſeu Clericis ſub regula *S. Auguſtini* ſervituris.

Ampliſſimæ dotes ſunt, quas *Wernherus & Diethberga* huic venerabili collegio contuliſſe memorantur, & quia *Diethberga* Archiepiſcopum Saliburgenſem tum præſidentem *Gebhardum* fraterno ſibi ſanguine junctum habuerat, advocatiam eidem, ac ſucceſſoribus ejus adſcriptam voluit, qui quàm ſtrenuè hunc ſacrum locum foverint, abundè ipſum Chronicon Reicherſpergenſe oſtendit, quin & paſſim donationum Chartæ, privilegiáque à præfatis Archiepiſcopis conceſſa affirmant, ſolùm ſi invaſorem hujus ſacræ ſedis *Bertholdum* excludimus; qui verò, quemadmodùm nè dignus hujus dignitatis titulô, ſic omninò minor habendus, quàm ut ullatenùs Archiepiſcopali munificentiæ in Reicherſpergenſes à prima inſtitutione, usque ad ætatem noſtram nulla interruptione liberaliter effuſæ quidquam derogare valeat: ita ut *S. Gebhardus* dudum à præfatis Canonicis pro altero quaſi fundatore, ſucceſſores verò ejusdem pro beneficentiſſimis Patronis ſemper honorentur.

Subjecta hæc Canonia multis preſſuris fuerat, maximè tempore ſchismatis ſub *Friderico primo* graviſſimè Eccleſiam divexantis. Sed quia iſta pluribus perſequi operis anguſtia prohibet, ſolùm præclariſſimum, & immortali memoria notandum tertium hujus Eccleſiæ Præpoſitum volumus, eſt is omnibus eruditis tum virtutis, tum ſcientiæ cauſâ celebratiſſimus *Gerhohus*, qui quamvis in calamitoſa illa mox memorati ſchismatis inciderit tempora, quæ tantùm non omninò religioſis viris extremam ruinam minabantur,

adeò eximia ſui ingenii ſpecimina continuo litterarum ſtudio quasque horas ſibi reſiduas impendens edidit, ut quæ ſcripta ſua doctiſſima reliquit, complura, eaque grandia volumina compleant, magnam horum ſuppellectilem viro clariſſimo nunc piæ memoriæ Bernardo Pezio ſuppetiiſſe, idem profitetur in præfatione ad commentarium in pſalmos Gerhohi, quem lucis publicæ fecit, dum inquit: *Octo lectiſſimos membraneos codices à Reverendiſſimo D.D. Præſule hujus Collegii Herculano transmiſſos, ac ſuæ fidei, diligentiæque commiſſos fuiſſe.* Quod certè diù ante annum 1728. quô hic commentarius prodiit, fieri oportuit. Nec ambigimus virum hunc nulli labori quidquam detracturum fuiſſe, ut reliquas ejusdem Gerhohi lucubrationes litterario orbi exponeret, niſi eidem mors ipſa perpetuum ab hoc optimo propoſito vacandi otium ſtatuiſſet. Unde etiam vehementer ſuſpicor, defuturam poſthac manum edendorum reſtantium *Gerhohi* operum obſtetricem: quæ tamen optaremus, ut aliquando noſtra anecdota exornarent. Unum de inveſtigatione Antichriſti ab humaniſſimo Bernardi Germano Clariſſimo P. Hieronymo nobis communicatum inſigne opus ſuo tempore luci dabimus. Scripſiſſe hunc in caſtigandis laxorum quorundam hominum moribus Cenſorium Catonem aliquantò ſeveriùs, nec non in rebus fidei duriùs, quidam obſervant modernorum criticorum; ſed neutrum ejusdem ſeu ſanctitati, ſeu ſcientiæ obfuiſſe, ſuus propenſiſſimus in ſedem Apoſtolicam animus abundè demonſtrat, quô neutiquam aliquid ſcripturus fuiſſet, quod à ſacra illa ſede repudiatum noviſſet.

Porrò ſunt quàmplurima ſanè, quæ de hoc inclyto collegio referenda eſſent, verùm, cùm ea univerſim meliori ordine, ac temporum ſupputatione operi ipſi adornando profutura ſint, illuc differimus.

Intereà tantummodò obſervantes *Magnum Gerhohum* cœnobio ſuo circa annum 1138. Parthenonem addidiſſe, qui tamen poſtmodùm exolevit.

Exiſtit ad Oënum fluv. Hund. in Metrop. tom. 3. à pag. 154. Chron. Reicherspergenſe edit. Ludewig. tom. 2. Col. 231. & 301. Germ. ſacr. tom. 1. pag. 187. & 234. Bern. Pez. Anecdot. tom. 2. part. 2. Col. 501. &c.

Rorenſe S. Mariæ Abbatia. *Fund. an. circa 1133.* Quamvis fortaſſe primam, ac originariam fundationem attribui Illuſtriſſimo *Scheurenſi* Comiti *Magno* ejusque conthorali *Irmengardæ* legamus, cùm tamen genuinam, ac Cardinalem illam potiùs filius eorum *Albertus*, ſeu *Adalbertus* ſtatuerit, ùt patet apertè ex *Heinrici* Ratisponenſis confirmationis Charta, inſuper & ex documento ab Hundio allegato, in quo non niſi *Adalbertus Vir Liber, Nobilis, & Illuſtris dictus de Ror, quæ de patrimonio ſuo habuit ad manus Reverendiſſimi Patris, ac Domini Heinrici Ratisponenſis Epiſcopi ſuper Altare S. Petri Apoſtoli in Ratispona, aſtante Clero, & populo tali conditione* refertur *cuncta dediſſe, ut in Ror Canonici Regulares ſecundùm regulam B. Auguſtini Epiſcopi ordinarentur, quibus neceſſaria de prædictis rebus miniſtrarentur communiter.* Huic profectò jure, ac merito Canonici Rorenſes tanquam præcipuo fundatori, originem ſuam in acceptis referunt. Fuiſſe hunc virum planè virtuti addictum, confirmat non ſolùm ſuorum honorum, ſed vel maximè ſui ipſius traditio ad hoc ſacrum inſtitutum; Sic etenim præcitatum documentum: *Ipſe Adalbertus pauper Chriſti factus, ſtatim*

tim communem ibidem aggreſſus eſt vitam : mox ſubjuogitur *: præfatus etiam Dominus Epiſcopus, Brunonem virum religioſum eidem loco præfecit ; & ipſum monaſterium propria perſona dedicavit in honore Mariæ ſemper Virginis : Anno Domini* 1133. *6. Octobr.*

Cæterùm pauca 'nobis cognita ſunt, quæ referamus, exceptis complùribusChartis Donationum, ac privilegiorum ab Hudio editorum: quæſuo tempore luci dabimus.Nunc huic inclyto cœnobio præſidentem Reverendiſſimum, ac Ampliſſimum D.D. Præſulem inter primos operis noſtri Patronos, ac fautores meritò cenſendum habemus.

Exiſtit infra Kelheimium Hund. in Metrop. tom. cit. pag. 173. Ertl. Atl. Bav. pag. 211. Bullar. Later. io Append.

Fund. an. 773. Sacular. **Salisburgenſis S. Ruperti Cathedralis.** Multa ſeveriorem inſtituti religioſi primitùs in Salisburgenſem Eccleſiam induſti criſim ſpectantia dedimus, dum de Petrenſi Cœnobio proximè ſermo fuerat. Quæ verò huic Metropolitanæ Divo *Ruperto* à *S. Virgilio* conditæ, atque ſacratæ propria ſunt, tanta diſceptatione, ac illuſtratione non egent. Translatos ad haoc à dicto *D. Virgilio* Clericos fuiſſe, nemo eruditorum contradixerit. Unde perdoctè in ſua Germania ſacra tom. 1. pag. 87. Hanſizius: *Annò*, inquit: 773. *Cathedra translata eſt ad Baſilicam S. Ruperti à Virgilio extructam, & Canonicis attributam.* Verùm minùs aſſentior eidem viro Clariſſimo, ubi ſuam ſententiam pag. 87. explicar dicendo : *Unacum Corpore S. Ruperti translata eſt ad Eccleſiam S. Ruperti etiam ſedes Epiſcopalis, ibidémque inſtituti Canonici, ſeu clerici ſeculares ad officia peragenda divina.* Neque tamen iſthic aſſumptis, neque reliquis, quæ ibidem ſubjiciuntur, examinandis longiori labore inſiſtimus. Quippe quòd ex ſtatutis in Exegeſi noſtra rationibus ſatis perſpectum ſit, ſæcularéſne Clerici à *Virgilio* inducti in Rupertinum monaſterium fuerint, an regulares. *Arnonis* tempore ad annum 816. miſſa à *Ludovico Pio* regula Aquisgranenſis (quidni ſincera illa, ac nulla adhuc interpolatione, vel diminutione confuſa) & ab eodem piiſſimo recepta Epiſcopo, ſatis docet, Metropolitanos Canonicos, ſi etiam à primæva vivendi norma aliquantùm degeneres, reductos fuiſſe ad priſtinos Canones SS. Patrum obſervandos. Ex quo ſanè non dubitaverat Chroniſta Reicherſpergeoſis illos ipſos *regulares* ad priſtinæ inſtitutionis memoriam nuncupare, antequam à *Conrado* primo *regulæ S. Auguſtini* conformari juberentur : ſic etenim, ubi de laudati Archiepiſcopi reditu ad ſedem ſuam pauca effatus eſt, ſubjungit: *Epiſcopatum ſuum, quem, ùt ipſe in privilegio ſuo fatetur pauperrimum, & valdè vaſtatum tunc invenit ; cœpit in ipſa Epiſcopali ſede Salisburgenſi Canonicam vitam inſtituere, quam & ipſe profeſſus erat, regularibus, vel magis ſæcularibus clericis, qui uſq; ad illud tempus in eadem ſede fuerant ordinati, quiq; Canonicam vitam profiteri apud ſe non deliberarant, aliàs ab eodem Epiſcopo cum bono Charitatis conſtitutis.* Hæc autem verba, *regularibus, vel magis ſæcularibus Clericis :* cuperem adjecta legiſſet, ubi doctiſſimus Hanſiziùs pag. 217. hanc Metropolitani Collegii reformationem ex Richerſpergenſi Chroniſta deſcribit: nam exinde liquet, fuiſſe Canonicos Salisburgenſes regulares quidem, ſed nomine magis, quàm re, tuentes ſe *Canonicorum* nuncupatione per regulam Aquisgranenſem, quam ea libertate obſervaverant, qua tunc paſſim transformata uſur-

pabatur. In eo autem *Conradus* fuerat, ut vitam canonicam, non quacunque paupertatis lege, ſed illa munitam conſpiceret, ac ſtabiliret, quæ communitatem rerum ad amuſſim præſcriberet.

Igitur probabiliùs cenſuerim, Canonicos Salisburgenſes Regulares extitiſſe, at enormiter laxatos, quibus ut priſtinam diſciplinæ formam imponeret, decumano labore opus habebat *Conradus*. Refert hanc reformationem Chronicon Salisburgenſe non minùs, quàm Reicherſpergenſe ad annum 1122. quam mox alterô annô ſubſecuta eſt *Callixti* Papæ Confirmatio, & Apoſtolica protectio: Biographus tamen *S. Gebhardi* hanc reformationem ad annum 1121. revocat.

Porrò Biographi Conradiani gemitus, quibus ait: *O utinam ordo ille, tam ſanctus, tam bonus, & verè Apoſtilicus in loco eodem* (nimirum Cathedrali Salisburgenſi) *tanto fervore progreſſus eſſet, ut usq; in finem perſeveraſſet.* Nec minus & alterius, qui vitam S. Hartmanni digeſſerat: *Felix Juvavia tanti* (Hartmanni nimirum, qui ex Canonico S. Nicolai Pataviensi factus eſt Decanus Salisburgenſis) *imbuta magiſterio, ſed longè feliciorem dicerem, ſi non ſubitò ei libellum repudii dediſſet. Ubi nunc veſtigium aliquod cernitur religionis per eum plantatæ &c.* hi, inquam, gemitus indicant, primum implantatæ diſciplinæ Auguſtinianæ fervorem, non diù in Collegio hoc cathedrali arſiſſe, quin ſenſim ſub cineribus recoctæ priſtinæ Aquisgranenſis libertatis ſuffocaretur: Senſim inquam; neque enim negari poteſt, Salisburgenſes Canonicos usque ad Matthæum Langium coadjutorem tum Salisburgenſem, id eſt, annum 1514. adeoque annis trecentis nonaginta duobus ſub regula *S. Auguſtini* regulares floruiſſe, quos hanc ipſam à votis eliberationem ſuſpirantes *Langius* ſolandos promiſit, effecitque ex parte, cùm Bullam à Romano Pontifice *Leone X.* exegit: ut novem, qui Collegium incoluerant, Cathedrales, à regula, ſtatutisque viros clauſtrales de more ſtringentibus abſolverentur, obligati tamen adhuc manerent tribus ſubſtantialibus votis, usque dum his morte ſublatis, alii ab hoc onere religionis liberi ſuccederent; quod an præfatis Canonicis ad vota ceſſerit intentæ libertatis, qui voto præcipuè vinciebantur moleſtæ ſibi expropriationis, patebit, fortaſſe cauſas ſcrutantibus, apud clariſſimum Hanſizium eruditè, fundatèque propoſitas pag. 552. n. 12. dum intereà noſtrum hîc non eſt horum quidquam curioſiore ſcrutinio perquirere. Solùm hoc advertiſſe oportet, Bullam Leonis X. nemini fucum impoſituram verbis illis, dum dicitur: *Poſtquam dicta Eccleſia ab ejus primæva inſtitutione in Metropolitanam ſæcularem erecta fuerat &c.* item: *Canonici, ac alii in ea dignitates, & cætera beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, in ſtatu ſæculari per annos quadringentos vel circiter cum Dei laude vixerant in ipſa Eccleſia.* Quod enim hîc aſſeveravit *Leo*, ſuggeſſit *Langius*, qui ita errare potuit in aſſerendo ſtatu ſæculari primævis Canonicis hujus Eccleſiæ, ſicut contradixit ſynchronis ſcriptoribus, Chroniſtæ nimirum Reicherſpergenſi non minùs, quàm *Gerhoho* Præpoſito, qui vitam, ac converſationem Salisburgenſium ante *Conradi* reformationem aliis aliquantùm verbis depinxerant. Facta verò hæc vitæ canonicæ immutatio eſt ſub *Leonardo* Archiepiſcopo ex Canonico Regulari, ac Præpoſito Oberndorffenſis propè Clagenfurtum Carinthiæ urbem Cœnobii ad Infulas Archiepiſcopales vocato, cui (quippe viro religionis arctioris amanti) haud

equi-

equidem gratum acciderit, ſub ſuo regimine id eveniſſe, quod multi Deceſſores ſui quamvis à numero ſæcularium aſſumpti caverunt. Verùm id *Langio*, & jugi regularis impatientibus Canonicis, non *Leonardo* adſcribendum.

Dum Cathedralis cætus Canonicorum adhuc ſub *Magni Auguſtini* regula meruit, cum pluribus aliis ejusdem inſtituti Collegiis ſocietatem, ac confraternitatem inivir, & quidem nominatim cum *San-Hippolitanis* annô 1326. cum *Ranshovenſibus* annô 1293. denique cum *Voravienſibus*, apud quos adhuc aliquot copiæ rotulorum mortualium ſuperant, hinc inde ſubmiſſis, quæ tamen tunc finem ſuum ſortita videtur, cum æqualitas inſtituti regularis ſublata eſt.

Hund. Metrop. tom. 1. pag. 6. & 22. Rader. Bavar. ſanct Vol. 2. à pag. 247. Vita S. Conradi ab Anonymo ſcripta edit. Pez. anecdot. tom. 2. parte 3. Col. 238. vita S. Hartmanni ab Anonymo ſcripta in ſcript. Auſtriac. tom. 1. col. 501. Duker. Chronic. Saliſb. p. 106. ſeq. Hanſiz. Germ. ſacr. tom. 1. in Conrado I. & Leonardo. Chron. Reicherſp. edit. Ludewig. col. 242. ſeq. &c.

Fund. an. 1137. Erem. S. Aug. Schamhaptenſe. Præpoſitura, antiquæ originis, ac fundationis, teſtantibus *Heinrici* Epiſcopi Ratisbonenſis litteris annô 1137. Indict. X. quarto Cal. Maji extraditis. In quibus ait, *nobilem viduam Gertrudem nomine cum unica filia ſua Lucarda ſæculo renuntiantes, & Deum facultatum ſuarum heredem eſſe cupientes, pro ſalute animarum ſuarum, parentúmque ſuorum tradidiſſe ad altare S. Petri in civitate Ratiſponenſi præſente Clero, & populo prædium ſuum, quod Schamhapt dicitur &c.* ea videlicet conditione, *quatenùs regulares Canonici ſecundùm regulam S. Auguſtini ibidem ordinentur, & ordinati inviolabiliter conſerventur &c.* aſſenſit Ordini Canonico affectiſſimus *Heinricus*, & ut favorem ſuum munificentiâ comprobaret, adjecit ipſe quoque dotem liberalem.

Continuavit inſtitutum usque ad Ducis *Maximiliani* tempora: rum enim ad hujus Principis inſtantiam Præpoſirura in parochiam mutata redditus ejusdem diſpertiti ſunt, ut pars religioſis Eremitarum *S. Auguſtini* proveniret, Pars Univerſitati Ingolſtadienſi, illis quidem, prout *Paulus V.* in ſua Bulla allegar, ut Ingolſtadii bonarum litterarum ſtudiis incumbere valeanr. Iſti autem ob indefeſſam (à tempore exactæ in Germania Lutheranæ hæreſis) avitæ religionis Catholicæ propugnationem. Data eſt ſummi Pontificis Bulla annô 1606.

Extitit propè Ingolſtadium. Hund. Metrop. tom. 2. pag. 168. & tom. 3. pag. 194.

Fundat. ... ſæcul 8. Horet. Schlechendorffenſe S. Petri Abbatia. Collegium iſtud quemadmodùm eosdem cum Pollingano fundarores, ſic antiquitate ſua non minorem venerationem meretur. Iidem igitur tres germani fratres *Landfridus*, *Waldramus*, & *Eliland*us ſub *Utilone* Duce Bavariæ originem huic ſeu monaſterio, ſeu fortè tantummodo orarorio, aut cellæ dederunt: devaſtatus hic ſacer locus ab Ungaris circa annum 907. reficitur ad annum 1140. aſſerit Hundius ab ini io iſthìc Benedictinos fuiſſe, cui aſſentitur Mabillonius, Bucelinus, aliíque, quia verò in Charta *Gajonis* apud Hundium ſolummodò lego monachos, ex his Benedictinos nolo effingere, cùm latiſſimè his temporibus, quibus Charta prædicta prodiit, annô ſcilicèt 799. nomen monachi uſurparetur. Refert quoque hiſtorico-topographica deſcrip-

tio Bavariæ pag 247. part. primæ, vetuſtum manuſcriptum in hoc collegio oſtendere à *Waldramo* ſub *Zacharia* ſummo Pontifice aſſentiente *Thaſſilone* ſecundo hoc monaſterium 25. monachis conditum, & attributum fuiſſe; verùm mihi nec antiquitatis, nec ſinceritatis hujus Chartæ ulla notitia usque dum occurrit. Dum ſupra de memorato anno ab *Heinrico* Bavariæ Duce refectum eſt *Schlechdorffium*, in illud aſſumpti ſunt Canonici regulares *S. Auguſtini*, ad noſtra hæc tempora laudabili diſciplinæ converſatione florentes. Tempore Hundii tenues adeò proventus huic ſuppetebant Canoniæ, ut vix tribus, aut quatuor Canonicis alendis ſufficerent. Minimè autem ambigo, ſereniore fortuna ſuccedente nunc quemadmodùm pleráque alia Bavariæ Collegia, iſtud quoque quotidie, & numero religioſorum, & copia redituum augmentari: Divinâ munificentiâ præcipuè per illorum ſanctorum patrocinium obtentâ, quorum ſacra corpora magna iſthic reverentia, ac devotione ſervantur, De quibus nos in opere, habitâ nonotitiâ, plura referemus.

Exiſtit ad lacum Cochlenſem. Hund. Metrop. tom. 3. p. 221. ſeq. Mabil. Annal. Bened. L. 22. n. 78. Bucel. Germ. ſacr. in Monaſteriol. Part. 2. pag. 79. Hiſtorico-Topogr. deſcrip. Bav. pag. 247. Ert. Atlant. Bav. 2. p. 221. ſeq.

Schlierſeenſe S. Syxti Præpoſitura.

Fund. an. 777. Secular.

Olim quidem Abbatia, de cujus fundatióne Hundius ex Aventino, ex utróque autem Mabillonius, *anno*, inquit, 777. *fundatum eſt monaſterium in Schlierſee pro monachis S. Benedicti &c. proceſſu temporis everſum fuit ab Hungaris hoc monaſterium, quod ſæculo duodecimô Otto Epiſcopus inſtauravit, ac regularibus Canonicis conceſſit.* Factum id anno 1141. porrò ex hoc cœnobio ſurrexiſſe collegiatam B. Virginis *Mariæ* Monacenſem conſtat ex Bullis ſummorum P.P. apud laudatum Hundium; an verò tunc primùm ſoluta ſit regularis vita, ex nulla earum diſcimus, veriúsque mihi eſt, priori longè tempore vitam regularem ibidem ceſſaſſe.

Exiſtit propè Kueffſtenium. Hund. metrop. tom. 2. p. 331. ſeq. & tom. 3. p. 223. Mabil. Annal. Bened. L. 24. n. 92.

Subenſe S. Lamperti Abbatia.

Fund. circa an. 1130. floret.

Aventinus in ſuis Annalibus fundatores hujus Canoniæ adſtruit *Engelbertum* Carinthiæ Ducem cum *Uta*, ſeu *Tuta* uxore Comitiſſa de *Sulzbach*, ſeu de *Bütten*; verùm Hundio teſtante, quidam ſcriptus Catalogus Tridentinorum Epiſcoporum *Altmanno* hanc fundationem attribuit, utrúmque ego combinandum cenſeo ita, ut cum *Altmanno* præfati Conjuges huic Canoniæ conſtruendæ vires, opesque jungerent: certè *Tutam* excludere, nefas eſſet, cùm ejusdem ſepulchro ad aram *S. Crucis* in hoc Collegio exſtanti inſcriptum epitaphium diſertè illam enunciet hujus Canoniæ fundatricem. Quid *Altmanno* Epiſcopo Subenſes debeant, ejus litteræ oſtendunt, in quibus ipſe ait: *ſe ob Dominicæ remunerationis obtentum inter cætera Donaria, quæ Eccleſiæ Salzburgenſi donavit pro remedio animæ ſuæ, & progenitoris ſ.i Adalſcalci Comitis, cui poſt mortem hæreditario jure ſucceſſit, tradidiſſe ad præfatam Eccleſiam locum ſubenſe dictum ſuper ripam Eni fluminis ſitum &c. ad inſtituendum ibi Apoſtolicam vitam ſecundùm regulam B. Auguſtini, ſicut in eadem principali Eccleſia Canonicos in Dei ſervitio vivere regulariter viderat, tali forma &c* hic *Altmannus* fortè fuerat de familia Sulzbacenſium,

ac

ac *Tuta* conſanguineus, quod necdum aſſecutus ſum, de Comitibus Bavariæ ſe ipſum nuncupat in mox allegato inſtrumento, quod an. 1142. ſignatum eſt. Tuta autem obiiſſe annô 1136. Cal. Maji dicitur, fortè non diù pòſt Collegium Subenſe conſtructum.

Subenſi huic Canoniæ ab Hundio exigui, ac tenues reditus aſſeruntur. Quod ſi verum eſt, profectò ad hanc anguſtiam devenerit injuriâ malorum: quippè cùm plurimæ à Gewoldo adductæ dotationum Chartæ oſtendant, neque fundationem exiguam fuiſſe, neque benefactorum munificentiam. Nos de his minimè edocti ſumus, id tamen aliorum relatione didicimus, florere hoc collegium magno exemplo regularis diſciplinæ.

Exiſtit propè Paſſavium. Hund. Metrop. 3. pag. 255. Germ. ſacr. tom. 2. pag. 241. Ughel. Ital. ſacr. tom. 5. col. 596. n. 68. Ertl. Atl. Bav. part. 2. p. 227.

Fund. an. circà 1124. Floret. Undenſtorffenſe S. Mariæ, & S. Petri Abbatia. Nobiliſſimum, ac inclytum hoc collegium originem ſuam debet *Ottoni* Palatino Comiti de Witlspach, & Parenti *Ottonis* Ducis Bavariæ inter annum Domini 1119. & 1124. quo tempore *Calliſtus II.* ſedi Romanæ præfuit. Hic enim *Otto* illi funeſto certamini præſens (quo *Henricus* quintus Romæ inaugurandus coronâ imperii, inveſtituras per pedum, & annulum ultrò ſibi concedere detrectantem *Paſchalem* vinculis, & cuſtodiâ arcuit) redux in patriam tanto facti enormis dolore compunctus eſt, quamvis nec manum captivando ſummo Præſuli injecerit, nec accommodârit conſenſum, ut ſummoperè intenderet, qualiſcúnque ſe demum vel ſola ſua præſentia criminis reum egerit, pœnitentia à *Calliſto* ſibi injungenda expiare. Gratulabatur equidem hic ſummus Pontifex tam tenerè pœnitenti, & quandoquidem à Cæſaris partibus *Otto* ſteterit, adeóque commune excommunicationis fulmen in *Henricum* non minùs, quàm omnes complices ejus latum is ipſe perſenſerit, hinc exiſtimo *Calliſtum* recepiſſe eâ conditione, in communionem fidelium dictum *Ottonem*, ut in remiſſionem peccatorum ſuorum Eccleſiam, monaſteriúmque conſtrueret. Etenim quamvis *Calliſtus* alicujus excommunicationis ſuis in litteris non meminerit, eam tamen contractam ab *Ottone*, & remiſſam à *Calliſto* metior ex pœnæ injunctæ gravitate, quæ profectò in hominem fieri non potuiſſet, nullo peccati vinculo obſtrictum, ac penè innocentem. Colligo & ex illis verbis, quibus Pontifex ait: *Deo gratias agimus, quòd cor tuum S. Spiritûs viſitatione ad pœnitentiam inclinavit, ut autem de bono in melius proficias, atq; in Eccleſiæ unitate ſemper, & obedientia perſeveres &c.* Colligo, inquam ex his *Ottonem* ad Eccleſiæ unitatem reverſum, cùm anteà Schiſmaticis, ſi non adhæreret omninò, ſaltem communicaret. Idem porrò *Calliſtus*, dum Eccleſiam conſtruendam *Ottoni* præcipit, regularium fratrum eam futuram decernit. Cui obtemperans vir piiſſimus *totum prædium ſuum Undenſtorff Chriſti pauperibus ibidem ſub regula S. Auguſtini militantibus in proprium tradidit.* ùt ait *Lotharius* Imperator in ſuo privilegio an. 1130. extradito. Obiit *Otto* annô 1131. ſepultus in domo Capitulari. Patris veſtigiis ut majore adhuc virtute filius *Fridericus* Palatinus inſiſteret, non ſua tantùm huic Monaſterio, ſed & ſeipſum, depoſito ad ſummam aram annô 1173. gladio, & omnibus ſæcularibus actibus dimiſſis, addixit, ordinémque recepit. Ut inquit Hundius.

Ve-

Verùm hallucinatur in eo, aut typo Sphalma irrepſit, dum dicitur an. 1077. ab *Hainrico Paſchalem* Papam captum fuiſſe, cùm extra omne dubium ſit, factum id annô 1111.

Ampliſſima ſunt privilegia, quæ huic Canoniæ ſummi Pontifices contulerunt præcipuè *Innocentius II. Cæleſtinus, Martinus V. &c.* nec minùs liberales exſtitére principes ſæculares, quorum profuſa penè liberalitas fundationis dotem alioquio opimam, ampliotibus bonis, opibúsque cumulavit.

Sed quantumcúnque Splendore rerum temporalium emiouerit Undenſe Collegium, exiguæ tamen videntur in comparatione donorum ſpiritualium, quibus veluti quâdam gratiarum pluviâ aſſiduò cæleſtis beneficentia illud irroraverat. Fuêre in ipſo viri complures virtute venerabiles, ſcientiáque conſpicui, atque nè in hoc compendio ad vetuſta regrediar, toti litterario orbi notiſſimus occurrit vir clariſſimus *Auguſtinus Michel*, qui quantum ſuis luci publicæ contraditis lucubrationibus, aliquot volumina complectentibus, Eccleſiæ univerſæ, omníque (ſcientiam præcipuè è ſacris canonibus petenti) profuerit, cuique in comperto eſt; Dignus planè cui annô 1736. die 30. Septemb. ſecundas Deo Sacerdotii primitias litanti Concanonici ſui magno cum Jubilo, & reverenti applauſu *amoris Arcum* concentu muſico inſtruerent, & viro tam benè de ſcientia merito, juſtas laudes occinerent, quibus ſimul caput cum membris hujus celeberrimi collegii apud omnes eruditos præcipuam ſibi memoriam comparavit, dum ſe nôſſe oſtendit, quo honore viri Litterati, ac præclarâ doctrinâ ornati colendi ſint, & obſervandi.

Exiſtit ad Gelonum fluv. Hund. Metrop. tom. 3. pag. 303. Pag. crit. Baron. tom. 4. ad an. 1111. Germ. ſacr. Hans. tom. 1. pag. 227.

Wejerenſe S.S. Petri, & Pauli Abbatia. *Fund. an. circa 1132. floret.* Nec minùs, quàm enarratis hactenùs inſignium prærogativarum gloria huic, de qua agere ſtatuimus, Wejerenſi Canoniæ attribuenda eſt, quippè quæ antiquitate ſimul, ac optimæ fundationis titulô io paucis reſpicitur. Conditorem vetuſta documenta *Sigebothonem* nuncupant Bavariæ Comitem *de Valchenſtein*, ſic enim ipſe io ſua fundationis Charta affirmat: ſe *partem hæreditatis ſuæ, ad conſtruendam in honorem Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli vinariam cellam contradidiſſe, ibiq. Deo opitulante Canonicos, ſub regula B. Auguſtini communem vitam providentes locare diſpoſuiſſe.* Confirmationem fundator ipſe mox à *Conrado* Salisburgenſi Archiepiſcopo aſſecutus eſt annô 1133. inſuper, & dotis pro nova hac plantatione augmentum.

Infeliciſſima calamitas hanc Canoniam annô 1350. (non 1236. ùt perperam in nova Hundii editiooe legitur) occupavit, voraciſſimâ flammâ monaſterium ipſum, tum diplomata, officinas, ac quæque pretioſa abſumente; ſed labenti Collegio divina Clementia peculiari auxilio ſuccurrit, dum aliquanto pòſt tempore *Henrico* Præſuli eam virtutem ac apud magnates egregiè valendi dexteritatem contulit, ut ob reſtitutum novo Splendori collegium & obtenta diverſimoda bona, beneficiáque (inter quæ incorporatio Neukirchenſis meritò cenſenda) alter quaſi fundator à gratis Wejerenſibus Canònicis hoooretur.

Præeſt iſto, quo ſcribimus, tempore huic inclyto Collegio *Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus*

minus Patritius, quem ſicut hactenùs munificum planè, ac gratioſum Patronum operi noſtro præſenti nacti ſumus, nunquam non deſinemus divinam deprecari pietatem, ut hunc ultrò ad ſolatium tum ſuorum religioſorum filiorum, tum omnium ejusdem benevolentiam, ac favores cumulatè ſentientium diù incolumem ſervet, ac tueatur.

Exiſtit ad Manqualdam fluv. Hund. Metrop. tom. 3. pag. 342. ſeq. Germ. ſacr. tom. 1. p. 231. Deſcrip. hiſtorico-Typogr. Bavar. pag. 59. Ertel. Atl. Bav. part. 2. p. 236.

Fund. circa an. 1126 Ord. S. Bened.

Weltenburgenſe: Abbatia. De hac ſequentem notitiam ſuppeditat Hun'ius ex Aventino: nam quæ ejus concernunt originem, videnda apud clariſſimum Hanſizium. *Hardovicus Epiſcopus Regi-noburgenſis* (præfuit hic ab annò 1105 ad 1126.) *Weltenburg, templum D. Georgio dicatum pulſis monachis benedictinis tradit Auguſtalibus flaminibus, hoc eſt, Canonicis regularibus D. Auguſtini, accito Hardovico ejus ordinis ex Norico de æde D. Floriani. Id eſt, ex monaſterio S. Floriani in Auſtria, ſupra Anaſſum. Conradus itidem Epiſcopus Reginoburgenſis, quinq; poſt annos monachos Benedictinos rurſum reſtituit.* Catalogus Abbatum inductionem Canonicorum alligat anno 1123, atque per hoc quinquennium duos notat Præpoſitos *Hartvvicum*, & *Adalbertum*. Porrò quò Canonici reductis Benedictinis ablegati ſint à Conrado, ſeu, ùt alioquin nuncupatur, Chunone Epiſcopo, mihi incognitum.

Exiſtit propè Ratisbonam. Hund. Metrop. tom. 1. p. 131. & tom. 3. p. 332. Germ. Sacr. Hanſiz. tom. 2. pag. 60.

S. Zenonis Abbatia. *Fund. circa an. 1146. floret.* à *D. Conrado* Salisburgenſi Archiepiſcopo fundata Canonicis Regularibus ab origine incolenda traditur, circa annum 1146, nam *Conradum* annò 1147. indubitatum eſt obiiſſe. *Ab origine*, inquam, non Eccleſiæ, ſed *conditi Monaſterii*. Illam etenim, jam annò 1094. ùt Hallenſem parochialem exſtitiſſe habemus ex Chroniſta Admontenſi, dum inquit ad annum præfatum: *Apud Halle dedicata eſt Eccleſia à Venerabili Archiepiſcopo Tyemone ſexto ordinationis ſuæ annô.* At à *Conrado* poſtmodùm in Præpoſituram mutata, ùt teſtatur Biographus ejusdem his verbis: *Deparochia præpoſituram Hallæ conſtituit, & Eccleſiam in die B. Martini conſecravit, dans ad uſus Canonicorum regularium ibidem commorantium quartam partem decimarum ſalis &c.* confirmata poſtmodùm hæc ſancti viri fundatio multis cum Archiepiſcoporum, tum præcipuè ſummorum Pontificum privilegiis perduravit, usque ad noſtram ætatem; nec ambigimus ultrò feliciter perennaturam.

Exiſtit propè Salisburgum. Hund. Metrop. tom. 3. p. 310. vita S. Conradi apud Pez. Anecdot. tom. 2. part. 3. Col. 248. Chron. Admont apud Pez. Hier. in Script. Auſtr. tomo 2. Col. 181.

CIRCULUS AUSTRIACUS.

Contrahimus vela deſcriptionis noſtræ hactenùs per ampliſſimos in Germania excurrentis circulos, ſtylô, licèt, laconicô, attamen atticô, ùt ſperamus, ſincerô nimirum, nec plùs ullius aut odio, aut affectui deſerviente inſtructæ. Atque ſic quaſi ad nos ipſos redimus, domeſticósque lares reviſimus, ubi poſtremò ea Collegia exponimus, quæ Auſtriaco Circulo inſeruit avita Principum, Magnatúmque in eodem aliquando præſidentium gloria, ac impenſa Religio. Continet hic circulus portionem Germaniæ non exiguam, quippè qui ſe ad usque Italiæ limites meridiem verſùs, ſpectato verò Oriente, ad amplam Hungariam, circà occidentem ad Bavaricum ſolum, denique versùs ſeptentrionem ad Bohemiæ Regnum latiſſimè extendit, numerátque Archiepiſcopatum unum, Epiſcopatus ſex, cui ſi Patriarcham Aquilejenſem adjicies, reperies hunc circulum ea eminere Eccleſiaſtica Majeſtate, quæ alioquin toti Germaniæ non obtingit, ut nil dicam de primatu temporali, quem ſibi hic circulus meritò adjiciendum ſuſpicit ex reſidentia per aliquot jam ſæcula Auguſtiſſimi Capitis totius Imperii.

Porrò provinciæ in hoc circulo, quæ noſtri inſtituti collegia diù, ſanctéque conſervavêre, fuêrunt præcipè *Auſtria*, *Styria*, *Carinthia*, & *Tyrolis*; periêre equidem communi omnium rerum viciſſitudine jactata, & abſorpta quædam eorum, attamen Dei favore pleráque adhuc noſtra ætate eximiè florent. Stragem quibusdam immodicam intulit illa infernalis furia, hæreſis Lutherana, atque Calviniſtica, per quam plurima bona amiſſa meritò dolemus. Neque minùs expilavit loca ſacra, ac cumprimis noſtro inſtituto affixa, Ottomannici Belli iteratum periculum, cui cavendo, ac reprimendo jam quarta, jam tertia pars omnium bonorum conferri jubebatur. Ex quo ſanè non mirum, quædam collegia ad eas ſucceſſu temporis incitas redacta fuiſſe, ut penè ruinæ ſuccumberent. Neque enim ea (& cumprimis Canonicorum collegiorum ùt plurimùm) eſt Fundatorum at minùs allodialium (ùt vocant) bonorum copia, atque abundantia, ut tertiâ, quartâve parte ſucciſâ, adhue primæ fundationis ſanctionibus ſufficiant; eò quòd prætérquam monaſteria Canonicorum in his terris plerúmque ſæculô duodecimô, ac deinceps exorta, ſuperfluentem adeò munificentiam exper-

expertæ non ſint à Fundatoribus, ut ex abundantibus proventibus alerentur; inſuper regula Canonica ad tam opulentam dotationem dictos fundatores nunquam aut obligaverat, aut obligare poterat, qualem dudum exegerat monaſtica ob hoſpitalitatem diſertè præſcriptam, & ideò prærequiſitum neceſſariò quendam fundum ejuſdem nunquam intermittendæ: prout rerum monaſticarum peritis obviàm eſt.

Cæterùm quod præcipuè in hoc Circulo notatum cupimus, eſt, ingens illud religioſis benefaciendi deſiderium, quô maximè ſæculô undecimô, ac deinceps quaſi toti exarſerant tum Celſiſſimi Salisburgenſes Principes, qui olim omnes huic Circulo inſertas provincias jam à *D. Ruperti* temporibus ſpirituali ſuæ jurisdictioni ſubdita habuêre, nec non & ampliſſima in iis bona temporalia Principum terrenorum magnifica liberalitate aquiſita poſſederant, tum etiam virtute conſpicua, & nunquam non jam per ſeptem, & ampliùs ſæculorum continuam ſeriem inſigni in ſuperos pietate ſpectabilis Auſtriaca, ſeu Habſpurgica Domus, quippè, quæ eos religioſiſſimos, ac ſanctitate Clariſſimos honoris divini Zelatores protulit, qui monaſteria, collegiáque inſtituti noſtri aut ipſi fundarent, qualis fuerat *Leopoldus Sanctus, Fridericus quartus*, aliíque; aut ſuô Clementiſſimô patrociniô potentiſſimè firmarent, quorum tot veluti reperies, quot in cœlo Auſtriaco ſydera numeraveris, his provinciis ſuæ Dominationis felici influxu lucentia.

Deníque quod primigeniam in has terras fidei noſtræ implantationem attinet, quam unàcum Apoſtolica vivendi norma iſthìc conſtitutam, jam aliunde novimus, cenſemus cum potioribus ſcriptoribus factum id eſſe ipſorum adhuc Apoſtolorum viventium tempore, quemadmodùm conſtans traditio habetur, lucem Evangelicam has terras primùm per *D. Hermagoram* adeptas fuiſſe, quamvìs fortè deinceps repetito fidei ſulco opus fuerit ad illius radicem, eâ, qua tot ſæculis fæcundiſſimè exuberat, firmitate figendam: de quo nos luculenter acturi ſumus, dum hujus circuli in ipſo opere generalem hiſtoriam pertractabimus. Intereà ad ipſa deflectimus aſſumpto hactenus ordine, ac methodo, Collegia deſcribenda. Statim verò in limine proteſtamur, unius, alteriúsve documenta etſi iteratis precibus expetita, ſed ammodò deſiderata omnem nobis occaſionem præcidiſſe de illis plura diſſerendi.

S. Andreæ Abbatia.

Fundat. fac. ro. floret.

Fundationis originem quidam anno nongentiſimo nono affigunt, *Ottonis* tertii diplomate in hoc collegio hodiedum proferri ſolito, ac in teſtimonium producto. Verùm, utut ego diploma iſtud volvo, ac revolvo, in eo aliud non occurrit, niſi: *Ottonem ob petitionem fidelis ſui* Henrici *Ducis cuidam* Engilrico *dediſſe, quidquid habuerat inter Riter Rivos Dullona, & Amizinesbach areis, terris, cultis & incultis &c.* eâ videlicèt ratione, ut *quidquid ſibi libuerit, inde faciat, & Trayſinæ Clauſuram habeat.* An hæc *clauſura* habenda ſit pro *clauſtro* potiùs religioſorum, an pro clauſura montana, quam Græci κλεισοῦραι dicunt, nondum ſatìs ex dicto diplomate ediſcere potui. Et quamvìs pro *Ottone* hujus loci fundatore pugnare reperiatur cùm immemorabilis memoria per anniverſarium ſolenniter pro eo haberi iſtbìc ſolitum, tum M. S. Germanicum in Collegio Academico S. J. ammodò exiſtens, in quo legitur *ab Ottone hanc Canoniam*

niam eſſe fundatam. Dubito tamen, an iſta omnia non potiùs intelligenda veniant de Eccleſia aliqua, vel Capella, aut ad ſummum de aliquo oratorio; in quod quinam advocati ſint, incompertum: neque id exprimit privilegium *Wolfgeri* Patavienſis Epiſcopi diſertè hanc Canoniam *anno* 1197. *ſub regula S. Auguſtini Deo militantibus aſſerentis:* neque *Alberti* Ducis Auſtriæ diploma de annô 1330. ſicut igitur nullus ambigo, ſæculô duodecimô exſtitiſſe iſthic Canonicos noſtrates, ita de eorum origine, ac fundatore nil certi habeo, quod adferam, exiſtere autem illud adhuc hodie novimus, cui ab anno 1698. ad 1719. virum celeberrimum *Auguſtinum Erath* præfuiſſe Canonici hujates ammodò ſibi honori ducunt, ac eximio emolumento.

Exiſtit ad Trigiſanum Amn. Miſcell Duel P. 2. à p 369.

Fundat. floret. S. Andreæ Cathedralis. Hujus Canoniæ originem, aut fundatores necdum certò indagare potuimus, cùm ſcriptorum de illa plerúmque mentio ab eo tempore fiat, quo in Cathedralem erecta eſt per *Eberhardum* ſecundum Salisburgenſem Archiepiſcopum annô 1224. porrò dum clariſſimus Hanſizius in ſuo Archiepiſcopatu Salisburgenſi fundatam ab eodem *Eberhardo* ſcribit, & quidem annô 1212. primúmque Præpoſitum conſtituat *Fridericum* Schrolle, huic aſſertioni, cùm refragari nullis in contrarium teſtimoniis valeamus, ultrò ſubſcribimus, dum alia doceamur. Cæterùm adhuc ſub diſciplina regulari Canonia hæc floret ipſéqueReverendiſſimus D.D. Præpoſitus ſemper è gremio electus Archidiaconali honore ſolet fulgere; Epiſcopus verò à ſumma Eccleſia Canonicus à Celſiſſimo Archipræſule Salisburgenſi jubetur.

Exiſtit in Urbe Lavantina. Hanſiz. Germ ſacr. tom. 2. pag. 321. & 325. Zeileri Geograph. Imp. p. 7. Dücker. Salisburg. Chron. pag. 144. Mezger. hiſt. Salisb. Lib. 4. Cap. 21.

Aquilejenſis Beatæ Virginis Natæ Patriarchalis. *Fundat. fac judic. ſæcular.* Eccleſia antiquiſſima, & dignitatis prærogativâ ſoli Romanæ ſedi primas cedens, uti ipſi ſummi Pontifices teſtantur, *Leo Octavus* & *nonus*, *Concilium* etiam *Lateranenſe* ſub *Clemente ſecundo.* Divum *Marcum* primam hic ſedem fixiſſe, & ſucceſſorem ſibi *Hermagoram* conſtituiſſe conſtans ſcriptorum traditio eſt, nec facilè rejicienda. Attamen Coletus hanc Patriarchalem dignitatem in dubium vocat, atque cum Cardinale Noriſio ſentit ſchiſmatis tempore eandem primò obtigiſſe, ac demum ſubſecutis temporibus ab Apoſtolica ſede approbatam, quod profectò non obiter admiſerim: certè plus quàm Epiſcopalem, imò jam Patriarchalem ſæculô ſextô fuiſſe, multa perſuadent, à quibus tamen iſthic abſtinemus, dum ad noſtra digredimur. Hanc igitur Eccleſiam primis inſtitutis in ea Clericis votivam fuiſſe, certum eſt: nam *D. Marcus*, an aliâ vivendi normâ Aquilejenſem Clerum erudiêrit, quàm à *S. Petro*, aliíſque Apoſtolis didicerit, alii viderint, quibus teſtimoniis oſtendant, nobis æqualis Apoſtolorum vivendi ratio argumentum certum eſt, ac manifeſtum. Sic *D. Marcus*, ejuſque ſucceſſor *Hermagoras* vixerat Aquilejæ, quemadmodùm *D. Petrus* cum ſuis degebat *Romæ*, & hic ipſe *D. Marcus* paulò pòſt converſatus eſt Alexandriæ. Dum poſtmodùm diverſis perſecutionum fluctibus jactaretur gens Chriſtiana, & vel maximè Clerus, ſenſimque primus Apoſtolicæ diſciplinæ vigor in eodem deficeret, *Vale-*

Valerianus ſedem Aquilejenſem adeptus, ſolennem Eccleſiæ ſuæ reformationem aggreſſus ad eam pietatem ſubjectum ſibi Clericale gremium reduxit, ut teſtetur *Hieronymus* in Chron. ſuo, ſub hoc ſanctiſſimo viro *Clericos Aquilejenſes velut Chorum Beatorum viſos fuiſſe, ut qui rerum mutabilium curis omnibus exuti, nihil præter Dominum poſſidebant.* Factum id circa annum 376. at neque ex hinc diù tam egregiè reformata diſciplina, firmata ſtetit, iisdem enim viciſſitudinibus recurrentibus, eam quoque vacillare neceſſe fuit. Fluctuabant in hac Eccleſia propè omnia, ad ſæculi fermè usque duodecimi annum 1177, certè non anteà, quo circiter tempore *Udalricus*, vel, ut alii *Voldaricus* aut *Olricus* communem vitam reduxiſſe dicitur, teſte ipſo *Alexandro* tertio ſummo Pontifice, dum inquit: *Olricus Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha, volens neceſſitati Canonicorum, & ipſius Eccleſiæ conſulere honeſtati authoritate Legationis, quâ fungebatur, & ſua in eadem Eccleſia communem vitam inſtituit, & proventus Eccleſiarum, & prædiorum, quæ priùs ad Præpoſituram ſpectaverant, nec non, & obedientiarum, redigi ſtatuit in uſus communes, ſic videlicèt, ut non liceret Præpoſito extra commune refectorium miniſtrare fratribus alimenta, vel Præpoſituræ proventus ſicut priùs, ſuis uſibus applicare.* Sic inducta per *Voldaricum* vita communis quamdiù ſuo in vigore permanſerit, compertum non habeo; ſanè tempore Alexandri IV. hanc vitam communem iterum exoleviſſe, ex ejusdem privilegio annô ſui Pontificatûs primô elucet: Nunc ſæculares Canonici ibidem reſident.

Porrò quòd hanc Eccleſiam Circulo Auſtriaco inſertam notemus, cauſa eſt domûs Auſtriacæ in eandem tanquam ſupremi Advocati, ac Domini totius territorii Aquilejenſis peculiaris prærogativa; & quamvis ſedes Patriarchalis ad Dominii Veneti urbem *Utinam* tranſlata ſit, nihil tamen ideò exiſtimo, Juribus Auguſtiſſimæ Domûs eſſe derogandum.

Exiſtit Aquilejæ. Ital. ſacr. tom. 5. à pag. 10. S. Hieron. in Chron. Innoc. III. Ep. 113. Lib. 2. ſcript. Auſtr. paſſim.

Brixinenſis Cathedralis: *Fund. ſæc. 10. ſecular* Sabionâ urbe Tyrolenſi translatam Epiſcopalem ſedem Brixinam fuiſſe, paſſim conſtat, quamvìs fortè de anno certetur, id tamen ſub *Albuino* Epiſcopo, ùt numerat Hundius, vigeſimo octavo, ſæculô decimô factum, vix ambigitur. Sabionam primus Epiſcopus ſua eximiâ virtute Beatus Martyr *Caſſianus* illuſtrâſſe dicitur; ſunt tamen non nulla, quæ vel ipſum hujus ſancti viri Epiſcopatum (nè dicam Sabionenſem) ſed omnem omninò, dubium reddunt, de qua re acta ſanctorum ad diem 13. Aug.

Intereà quisquis hanc Sabionenſem Eccleſiam Evangelicâ doctrinâ informaverit, Hermagoræ diſcipulus fuiſſe videtur, qui non aliam vitæ rationem inſtituto in eodm Clero tradere debuit, quàm ab *Hermagora* didicerit. Sunt de cætero usque ad prædicta translatæ ſedis Epiſcopalis tempora adeò confuſa, & obſcura omnia, ut ſi pauca diplomata excipias, nihil ad hujus loci hiſtoriam ordinatè ſtatuendam ſuperet: ſed neque inde, & de Brixinenſi ſuppetit diſcurrendum. *Hartmannum* Canonicum Regularem primùm ad *S. Nicolai* Paſſavi, dein Salisburgi, poſtmodùm Clauſtro-neoburgi normam Apoſtolicæ hujus vitæ renovantem Brixinenſi denique infula inſignitum legimus quidem, at an Canonicos ſuos Cathedrales aut votivos repererit, aut fecerit, nulla vetera teſtimonia do-

docent; ideò ſicut pauca ſunt, eaque ex Conjectura ſolummodò, quæ hujus Eccleſiæ Clericos poſt tempora naſcentis Eccleſiæ regulares, ac votivos doceant; ſic facilè nos perſuadent à prolixiori hujus quæſtionis ſermone abſtinere.

Exiſtit in urbe Brixinenſi. Hund. Metrop. tom. 1. à pag. 295. Acta SS. tom. 3. Aug. p. 16. German. Auſtriac. p. 102.

Fund. an. 1114. Floret.

Clauſtro-Neoburgenſe.

S. Mariæ Abbatia. Nomen hujus nobiliſſimæ Abbatiæ damus, quod à recentioribus uſurpatur; intereà non ignari, adeò diverſimodè notari, ut ab aliquibus *Nivvenburgenſe*, ab aliis *Nuenburgenſe*, *Nevvenburgenſe*, *Neunburgenſe*, vel *Neuburga*. ab aliis deníque *Novum Clauſtro-burgum*, *Neunburga-Clauſtralis &c.* nuncupetur. Plurima eaque planè præclara, & hiſtoriæ non ſolùm noſtræ, ſed etiam potiori parti Germaniæ apprimè illuſtrandæ conducentia ſunt, quæ nobis hujus Collegii deſcriptio accuratior copioſè ſuppeditat, Ipſéque ſanctiſſimus Fundator D. Leopoldus campum aperit ampliſſimæ enarrationis, quippè qui auguſtiſſimæ domûs Auſtriacæ pretioſum germen exſtitit, de qua ob fœcundiſſimam rerum ſegetem, nunquam non datur uberrimus campus diſcurrendi. Verùm quia nos Prolixiorem ſermonem diù jam promiſimus ad opus ipſum differre, ideò in deſcriptione hujus quoque Collegii in præſentiarum laconici, ùt fieri poterit, erimus: quamvis quædam ſuo modo inquirenda aliquantùm ſtylum extendent.

Vide Theſaurum Explicationum atheri Ant. Kirchner F. 761.

Diximus fundâſſe hoc celeberrimum ab origine jam Canonicorum (idque ſinè ullius ſcriptoris contradictione) Collegium *S. Leopoldum* Auſtriæ Marchionem cum conjuge ſua *Agnete* annô 1114. ſed paſſim hi ſæculares fuiſſe aſſeruntur. Ego certè non aliter iſtos ſæculares cenſeo, quàm quoscúnque illos, quos in Exegeſi oſtenderam ſæpiùs tales dictos, quòd remiſſiùs viverent, non tamen penitùs à ſimplici expropriationis voto ſoluti eſſent; neque, alios bos Clauſtro-Neoburgenſes unquam convincar, ut fuiſſe, credam. *Leopoldus* igitur ſic inſtituiſſe pro certo æſtimandus eſt ſuos iſthic Canonicos, quemadmodùm à pluribus ſanctitate eximiis viris paſſim ordinabantur, ut ſecundùm Apoſtolicam normam viverent, neque ullum usque tum authenticum inſtrumentum novi, quod me clarè doceat, primitùs Canonicos ſæculares preſſè tales, id eſt, quales nunc intelligere ſolemus, ab omni voto expropriationis penitùs liberos, fuiſſe fundatos. Quòd enim Chronicon ipſum Clauſtro-Neoburgenſe apud Hieronymum Pezium aſſerat, *Nivvenburch Canonicis ſæcularibus Leopoldum inſtituiſſe*, nil plus oſtendit, quàm primos Canonicos eò inductos regulam *S. Auguſtini* necdum habuiſſe, quos non unus ſcriptor, ſed plures ſtricto nomine ſæculares nuncupabant, ſolummodò ob diſcrimen arctioris diſciplinæ, cui ſe *Auguſtini* æmulatores Canonici addixerant. Et quod ampliùs, quamvis me minimè lateat, etiam recentiores noſtræ gentis homines primos Clauſtro-Neoburgi incolas ſacros, *ſæculares* dicere, nec tamen ab iſtis perſuadeor ſolius nominis æquivocatione deceptis; quô, ſicut *monachi*, ſic & *Canonici* liberioris vitæ *ſæculares* habebantur, quod credo omninò bos viros fugiſſe, ut minùs huic vocabulo ſcrutando inhærerent: Hæc intereà pro regularitate primorum hujus Canoniæ Clericorum propugnanda ſufficiant.

Quod

Quod cauſam fundandi hujus Celeberrimi Collegii concernit, referunt eandem paſſim ſcriptores flammeum illud è Capite Agnetis Conthoralis ab urgente improviſo vento ereptum, & poſt aliquot annos inter fruteta ejus loci, ubi nunc ipſum Phrontiſterium exiſtit, repertum dediſſe. Ego licèt hanc traditionem neutiquam præſumam evellere, noto tamen, in antiquis monumentis me eam necdum repetiſſe. Chronicon certè Clauſtro-Neoburgenſe, ubi de hujus fundatione agitur, illis temporibus penè ſynchronum de hac ſyndone nec verbum, neque Haſelbachius ejusdem hujus prodigii (ſi tale nominare libeat) meminit, nec Leopoldus in litteris fundationis apud Bernardum Pezium. Noveram omninò, plura huic non abſimilia portenta Principibus, ac opulentis hominibus non rarò anſam fundandarum Eccleſiarum præbuiſſe, quæ tamen litteris, ac privilegiis inſerta non ſunt, ſcio interim, & quibusdam inſerta legi: certè difficillimum accuratiori, atque veterum rerum ſcrutatori aliquantùm cupidiori accidit, ut fidem ſolis traditionibus, maximè tempora priora non attingentibus, liberò calculò ſubſcribat Ego itaque hanc hiſtoriam veneror, nec ei quidquam veritatis derogo, & eruditiſſimorum virorum, ac ſcriptorum maximè hac ætate florentium firmatæ aſſenſu, ſed tum omni conatu & ego adſtipulabor, cùm documenta maximè ſynchrona video roborantia aſſertum. Intereà flammeolum illud, quod hodiedum inter Cymelia primævæ Canoniæ usque nunc tam ſolicitè cuſtoditum oſtenditur, ſinè ambiguitate approbo, cenſeóque omninò id *Agnetis* fuiſſe, quod tamen, an hoc modò, ùt ſupra retulimus, an alio hìc aſſervatum permanſerit; in vetuſtis ſcriptoribus, ùt dixeram, non elucidatur.

Porrò regulam *S. Auguſtini* non diù poſt fundatam hanc Canoniam ipſum induxiſſe fundatorem, ejusdem litteræ annô 1136. ſignatæ probant, factum verò id jam fuiſſe annô 1133. ſcribit Chronicon hujus loci. Secundus tum nomine, tum ordine *Otto* Præpoſitus numerabatur, cùm ſtrictior noſtra obſervantia ſucceſſit remiſſæ hactenùs iſthic Canonicorum degentium vitæ, prout iterum præfatum Chronicon teſtatur. *Otto* hic filius Fundatoris aſtruitur, idem ipſe, qui poſtmodùm monachum Morimundenſem Ciſtercienſis Ordinis induens, ex hinc ad Friſingenſem elevatus Cathedram orbi litterario immortali memoriâ ſe dignum fecit ſcriptô Chronicô, quod ſub notiſſimo *Ottonis Friſingenſis* nomine eruditis eſt uſui, atque inſigni utilitati. Primus, qui Canonicos ſinceriore *D. Auguſtini* diſciplinâ inſtituerat Præpoſitus, *Hartmannus* erat, præclaro ſuæ ſanctitatis Splendore, & fœcundiſſima imbuendi requiſitis vivendi mediis deviantes Canonicos dexteritate toti Germaniæ notiſſimus. Hic ex Præpoſito Chyemenſi, adſcitus, pauco tempore (nam non niſi ad annum 1140. præſidens aſſumptus eſt ad Infulam Brixinenſem) ad eam perfectionem totum Clauſtro-Neoburgenſe Collegium reduxit, ut omnibus totius Auſtriæ monaſteriis in exemplum eſſet, & admirationem. Sic enim diſertis verbis legimus in Summario Canonizationis D. Leopoldi: *Ex eo etiam hujus ſanctimonia maximè illuſtratur, quòd dum ageret in humanis ſolemne Monaſterium B. Mariæ Virginis ſub ordine Canonicorum Regularium B. Auguſtini conſtituerit, quod usq; ad hodierna tempora famoſum, & glorio-*

Chron. Sa. lisb. Pez. 344.

ſum

ſum ſuper cuncta illius patriæ monaſteria in laudabili obſervantia perſeverat. Et profectò ad hodierna tempora hunc ſuaviſſimum odorem undiq́ue ſpargit, ſeu eminentiam deſideres probitatis, ſeu ſcientiæ, novimus enim, quos viros clariſſimos, usq́ue nunc conſtanter alat.

Multa hodiedum, eaq́ue planè ſumma (ùt ita dicam) decora retinet hujus loci Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus D.D. Præſul; imprimis enim titulô gaudet *Cuſtodis Diadematis Auſtriaci*, hoc eſt Pilei Archiducalis, de qua inſigni prærogativa eruditam enarrationem nuper in ſuo libello doctiſſimo vitam *D. Leopoldi* explanante Cap. 20. & ultimo edidit Clariſſimus ejuſdem Author D. Auguſtinus Riſtl. Deinde idem primas ſibi dudum in publicis congreſſibus inter Abbates, ac Præpoſitos vendicaverat, quod jus tamen cum Mellicenſium Reverendiſſimus D. D. Abbas jam longiori tempore in poſſeſſorio obtineret, quibusdam novis exurgentibus diſſidiis ab Auguſtiſſimo immortalis memoriæ Cæſare *Leopoldo* declaratum eſt, ut Mellicenſis quidem in ſuo jure relinqueretur, Clauſtro - Neoburgenſi verò, ſit primi loci, ac ferendi in Comitiis ſtatuum ſuffragii jus reſervatum in petitorio. Demum dum non ita pridem modernus Reverendiſſimus, ac Ampliſſimus Dominus Præpoſitus aggregationem ſibi ad Lateranenſem Congregationem expoſceret, hoc quoq́ue honore Abbatis Lateranenſis inſignitus eſt, datis annô 1739. die 28. Apr. litteris ab Illuſtriſſimo Generali totius congregationis Rectore Abbate Domino *Angelo Maria Barſotti*, in quibus huic nobiliſſimo Collegio disertè omnia indulta privilegia, Conceſſiones, jura, & exemptiones communicantur, eâdem ad amuſſim formâ, quâ ipſi Canonici Lateranenſis Congr. inter Italiam degentes gaudent, utuntur, & potiuntur.

Neq́ue etiam prætereunda ſilentiô eſt magnificentiſſima Collegii ſtructura, quam novo, eoq́ue ſingulari planè molimine adorſus eſt idem Reverendiſſimus Dominus Præſul, cui vix ſimilem tota Auſtria, ac Styria vidit.

Cæterùm quamvìs piiſſimus Fundator *Hartmanno* plures per viciniam deferret parochias regendas, hujus propenſiſſimus in Auguſtinianam mediocritatem affectus nullam earum, niſi quæ ipſi collegio contigua eſt, acceptaverat, attamen acceſſit poſtmodùm longè celeberrimum, idq́ue Thaumaturgæ Dei parenti ſacrum Odeum, ac ſimul opulentiſſima Parochia Hiezinga dicta, cujus idem qui ſuprà clariſſimus Author originem, & annô 1534. ſolennem, perpetuámque incorporationem, doctiſſima elucubratione typô vulgavit. Nos hæc omnia luculento ſermone curioſo Lectori communicabimus, quibus nunc brevitatis propoſitæ causâ cogimur ſuperſedere.

Exiſtit propè Viennam Cetio monti ſubjacens. Chronic. Claun-Neob. tom. 1. ſcript. Auſtriac. à Colum. 440. ſummar. Canoniz, ibid. col. 616. Haſelb., ib. tom. 2. Col. 704. Meichelbeck. tom. 1. Hiſt Friſing. pag. 317. Germ. Auſtr. pag. 25. & 19. Hanſiz. Germ. ſacr. tom. 1. pag. 293. Docum. communic.

Dirnſteinenſe, Abbatia. *Fund. an 1410. floret.* Hujus Collegii documenta etſi expeteremus, & eò fortaſſe communicari poſſent faciliùs, quò illud nobis propinquius, obtinuimus nihil, nè tamen de eo omninò ſileamus, legimus in Germania Auſtriaca Fundatorem ad annum 1395. exiſtiſſe *Joannem de Meiſ-*

Meiſſau, verùm litteræ fundationis hujus loci innuùnt, primum, ac genuinum fundatorem dicendum *Ottonem* de M ſſaw; quamvis enim ùt (capella, vel Oratorium ab hujus *Ottonis* progenitoribus conditum, dotatúmque ipſæ hæ litteræ prodant, at elevatum, & erectum in collegium Canonicorum Regularium *S. Augnſtini* ab hoc ipſo *Ottone* litteræ præfatæ apertè docent. Quis primus hìc loci Præpoſitum egerit, diſquirit Duellius in ſuis Miſcellaneis, *Stephanum* allegat Reverendiſſimus loci Chroniſta *Honorius* prioris ſæculi annô 1676. præpoſitus, negat Duellius, *Martinúmqne* ſtatuit, argumentô deductô ex ſæculi decimi quinti codice iſthìc loci ſervato, ubi legitur: *Notandum annô Domini M. CCCC. XXVIII. die menſis Aprilis venerunt Dyernſtein Venerabiles fratres Canonici Regnlares de Witignavv ad novam Capellam B. V. Mariæ ibidem in monaſterium erectam. Et ſtatim pòſt, videlicèt XXI. die ejnsdem menſis facta eſt reſignatio per honorabilem Dominum Stephanum omnium bonornm ſuorum, & prædicti fratres eornndem bonorum acceperunt poſſeſſionem, ſimúlque eodem annô prædicti fratres elegernnt ex ſe Venerabilem Dominum Martinum in ſuum patrem, & Præpoſitum, qni & ipſe ſtatim pòſt V. die Maji per Reverendiſſimnm in Chriſto Patrem D. Georgium Epiſcopum Patavienſem in Capella domûs ſuæ in Mauttarn in Præpoſitnm eſt confirmatus.* Alterum argumentum ſumit ex codice alio Chartaceo ibidem cuſtodito, ubi diſertè *Martinus* Prælatus Monaſterii primus dicitur. Deniqúe tertium ex Necrologio capit: ubi notatur: *XIV. Octobris Ven. D. Stephanus Fundator, & conſtructor hujns monaſterii.* Verùm ego hac in re adeò magnam difficultatem non reperio, nec reprehendendus videtur Reverendiſſimus Chroniſta, hunc, de quo quæſtio vertitur, *Stephanum* primum Præpoſitum numerans; nam in litteris Fundationis legitur, quòd *Otto Capellam, quam ipſe priùs ſub feudo habuit, cnm omnibus ſuis bonis &c. conſentiente Georgio Epiſcopo Patavienſi, & cnm bona voluntate Domini Stephani pro tempore Capellani, & Reſtauratore ejnsdem ſacelli &c.* dum itaque primùm hujus loci Præpoſitum *Stephanum* nuncupat *Honorins*, eô modô facit, quô Seherus nominatus eſt S. Leonis Tulii, & Calmuſiacenſis Fundator, & Abbas, præerat Stephanus huic loco, & haud dubiè ſuberant ipſi unus, altérve Presbiter Clericus, quorum ipſe tunc Præpoſitus ſuô modô dici poterat. Apud Ebendorffum de *Alberto* quinto Duce Auſtriæ agentem hæc legimus: *Ejus denique favore Stephanus in Diernſtein Eccleſiam ibidem, & dotem convertit in Cænobium, inſtituendo inea fratres Canonicos Regulares de obſervantia regulæ S. Augnſtini: qnibus, & Dominus Otto ultimus de Meiſſau Baro per Eccleſiam parochialem Gravenvverth, qnam eidem Conventui incorporavit, plurimnm præſtitit ſolatinm, & nntrimentum.* Itaque poterat *Stephanus* haberi Præpoſiſitus, maximè cùm idem dicatur convertiſſe Eccleſiam in Cœnobium, fortè interim vicariè præſidens, dum *Martinus* inſtitueretur. Factum verò id haud apparet ante annum 1410. aut 1411. quô tutorio *Leopoldi* defuncti jure liber evaſit *Albertus*: alioquin non *Albertus*, ſed *Leopoldus* faviſſe diceretur. Deníque non aſſerit *Honorius*, *Stephannm* primum Præpoſitum fuiſſe Canonicorum Regularium, ſed ſimpliciter talem nuncupat, id eſt, illius loci ſeu capellæ, quam fundatam ipſe ait annô 1378. ſicut igitur in quodam Codice Chartaceo Duellius legit *D. Stephanum de Haslach Fundatorem monaſterii Canonicorum Regu-*

larium in Dirnſtein. Nec id impugnar, quamvis reipſa non fuerit; ſic minùs impugnare debuit *Honorium*, dum *Stephanum* dixit primum Præpoſitum, qui talis à tempore fundatæ Capellæ verè fuit.

Cæterùm ambigerem ego Colonia prima Dirnſteinium inducta fueritne ex Witignaw, ſeu Trebona, an potiùs petita ex Glacenſi Cœnobio, dum iſtud Balbinus affirmat: prout ejusdem verba legere licebit inferiùs, ubi de Glacenſi agemus. Ambigerem, inquam, niſi alterum errorem apud eundem reperiens, dum ait *Albertum Ducem Auſtriæ hoc Dirnſteinenſe Cœnobium fundaſſe* (cùm huic tam litteræ fundationis, quàm Ebendorffi teſtimonium renitatur) & in hoc diffidam, credamque potiùs ſuperiùs relato documento, inſuper, & inſtrumento Confirmationis datæ Dirnſteinenſi cœnobio à *Georgio* Patavienſi Præſule, in quo clarè præcipitur: *ut Præpoſitus, & Conventuales ipſius hujus monaſterii regularem normam ad inſtar, & ſecundùm morem, & obſervantiam profeſſorum Monaſterii in Witignau obſervent.* Porrò *Alberbertum Balbinus* mihi videtur ſinè omni vererum monumentorum præſidio Fundatorem hujus collegii aſſignare, quippè cujus mentionem nec litteræ Fundationis, nec aliæ Chartæ oſtendunt, niſi fortè tanquam terræ Auſtriacæ Domino conſenſum præſtanti ideò hunc honorem attribuas, cui nec ego diſſenſero.

Deniqùe florere hanc Canoniam adhuc noſtris diebus ſcimus; Exſtat in Codice diplomatico Bernardi Pezii quædam ſyngrapha Annæ de Chlamb Abbatiſſæ Parthenonis Dirnſteinenſis, an autem hic junctus fuerit collegio, de quo agimus, cujúsve ordinis exſtiterit? nobis eſt incognitum. Situm eſt Dirnſteinium ad Danubium, quod dum nos leniori littera initiali, minùs forrè uſui accommodè, notavimus aliorum calculo ſiniſtrè edocti, benignus Lector huic errori facilè condonabit. Germania Auſt. p. 29. Germ. ſacr. Hanſiz. tom. 1. pag. 441. Miſcellan. Duell. tom. 1. p. 157.

S. Dorotheæ Abbatia. *Fund. an. 1360. floret.*

Nobiliſſimam totius Auſtriæ, imò Germaniæ Metropolim, ſedem quippè, ac palatium Auguſtiſſimi quondam Romanorum Imperatoris ingredimur, cùm *S. Dorotheæ* Abbatiam deſcribendam ſuſcipimus, neque iſta inter plura, eaque præclara religioſorum diverſorum domicilia, in hac urbe florentia, minima videri poteſt, aut haberi, quam non ſolùm Fundatorum Authoritas, ſed & ſtructuræ ſplendor, religioſorúmque, ac maximè Reverendiſſimorum D.D. Præpoſitorum ab origine conditi Collegii, usque ad hanc diem præſidentium, eximia probitas, doctrina, ac in agendo prudentia ſpectabilem reddit, & in univerſa Auſtria, Styriáque vicina venerandam.

Fundâſſe ipſam hujus Canoniæ Eccleſiam *Albertus* Archidux Auſtriæ à *trica* nominatus, hujúsque nominis tertius, conſecraſſéque in honorem SS. Virg. & Mart. *Dorotheæ*, & *Catharinæ Georgius* Patavienſ. Epiſcopus, annô 1360. dicitur: verùm hoc annô ſedi Pataavienſi non *Georgius*, ſed *Godefridus* ſecundus præfuit, hinc errorem Calami arguas, atque *Georgio Godefridum* ſubſtituas, neceſſe erit. Hanc Eccleſiam ab *Alberto* ſecundo cœptam à *Rudolpho* quarto perfectam fuiſſe aſſerit Germaniæ Auſtriacæ Author, quod nos quamvis ex modernis ſuppeditatis documentis nequeamus rejicere, neque tamen alteri opinioni omninò audeamus diſſentire, hinc ad certiora, ac clariora documenta provocamus.

Quin-

Quinquaginta annis, & quod ſuprá eſt, Clericorum ſæcularium directioni hic ſacer locus tituló beneficii ſubfuiſſe aſſeritur, demúmque *Andreæ Planck* cum Gärſenſi Parocho ceſſiſſe *Alberti V.* Archiducis Authoritate Andream à teneris moderatorem nanciſcentis, quo facto *Andream* mox omnem impendiſſe operam, Eccleſiam ſuam San-Dorotheanam cultu ſacratiore, ſtabilioréque ornare, hinc cum Archiduce enixis precibus egiſſe, ut commiſſæ ſibi Eccleſiæ monaſterium adderet Canonicorum Regularium, neque piiſſimum Principem votis defuiſſe, itáque condito ſacro domicilio accerſitos ex Tirnſteinenſi Canonia Tres, ex San-Hypolitana duos religioſos, ſolenníque ritu poſſeſſionem annô 1414. ſuſcepiſſe. Deníque ſperâſſe magna beneficia ab hoc Principe laudatam canoniam eadem documenta communicata inſinuant, at mortem annô 1440. ſecutam munificentiæ intentæ effectum ſuſtuliſſe. Verùm videtur hæc narratio neutiquam legitimæ Chronologiæ conformis: imprimis enim de *Albertis* Auſtriæ Ducibus tertio, quarto, & quinto hæc certa, & indubitata Chronotaxis eſt: *Albertus tertius* incœpit ſolus præſidere Auſtriæ annô 1376. obiit 1395. ſucceſſit Albertus IV. obiit 1402. deniqúe *Albertus V.* Auſtriacas habenas moderari cœpit, Tutore *Leopoldo* quarto, annô 1406. cùm 'decennis eſſet, præfuítque ad annum 1439. combinatis jam Albertinis annis, deprehendimus, non eſſe poſſibile *Albertum* tertium annô 1360. fundâſſe Eccleſiam San-Dorotheanam, nam, cùm conſtet patrem hujus obiiſſe annô 1358. relictis filiis nondum annos diſcretionis adeptis, ùt refert fragmentum hiſtor. de quatuor *Albertis*: Cùm inſuper juxtà Chronicum German. Auſtriæ apud Pez. tom. 1. p. 1150. *Albertus* III. regimen primò adeptus ſit cum fratribus 1365. non video, quî hic annô 1360. Eccleſiam iſtam fundâſſe dicatur, cùm uſqúe ad annum 1365. præſideret *Rudolphus*, nullumqúe jus ſibi adhuc vendicaret in urbem Viennenſem *Albertus*. Deinde ſi 50. & ultrà anni abſceſſerant, cùm hæc Eccleſia an. 1414. Canonicis Relaribus per *Andream* Planck contraderetur, fieri id non potuit ſub *Alberto quarto*; *Andreas* enim non fuit moderator *Alberti IV.* ſed *quinti*, velut teſtatur Ebendorfferus in ſuo Chronico mox referendus. Ex quo pariter liquet, *Albertum tertium* nè quidem fors cogitaſſe, de condenda hac Eccleſia, ſed quartum tantummodò commendâſſe ſuo huic filio ejus fundationem. Neqúe uſqúe tum in alio ſcriptore reperi ædem hanc ſacram ante tempora *Alberti V.* fuiſſe conditam. Porrò non tam *Andrea* Planck, quàm verè, & legitimè utriqúe Alberto, quarto nimirum, & quinto in acceptis fertur San-Dorotheanæ Canoniæ fundatio; quippè illo, patre nimirum, commendante, & haud dubiè executuro propoſitum, nî mors præveniſſet, filio autem voluntatem patris perficiente, Andrea deníque ſolùm cooperante tanquam tum Regis Cancellario, anteáque ejusdem Pædagogo. En Ebendofferi verba: *Iſte glorioſus Albertus* (quintus nimirum, de quo eidem ſermo) *Cœnobium Sanctæ Dorotheæ Canonicorum Regularium Viennæ ſub obſervantia regulæ B. Auguſtini fundavit per Andream Plebanum in Gars Cancellarium, quondam ejus Pædagogum, prout & Illuſtris Dominus Albertus Dux præfati Regis Alberti pater, ſibi commendavit, dum viveret, & primum Præpoſitum fratrem Ægidium profeſſum in Witingau magiſtrum in artibus eidem præfecit Anno Domini* 1415. ex quo pariter neqúe mihi ſubſiſtere vi-

detur, quod de Colonia prima ex Tirnſteinenſi Collegio aſcitâ refertur, prætérquam enim Ebendorfferus diſertè primum Præpoſitum ex Witingau, ſeu Trebonenſi Canonia adveniſſe aſſeveret, inſuper aſſertioni obſtat recentiſſimè fundatum Tirnſteinenſe Monaſterium, certè ipſius hujus *Alberti* favore id conditum eſſe ſuperiùs audivimus ex eodem hoc Ebendorffero, cui refragari nemo facilè poterit, qui ipſum his temporibus ſynchronum, & ſcriptorem apprimè laudatum apud ejusdem Editorem Clariſſimum Pezium legerit. Tirnſteinenſe Aſceterium Canonicos Regulares ante annum 1410. neutiquam excepit, effluxis necdum quinque omninò annis San-Dorotheana Canonia incœpit; vix mihi igitur fidem ſufficientem aſtruet, qui contendet inter tam breve tempus adeò profeciſſe Tirnſteinium, ut jam è gremio ſuo aliis providendis ſufficeret. Quidquid ſit intereà de adductis aliunde Canonicis, Præpoſitum certi ſumus fuiſſe Trebonâ expetitum, ùt audivimus ex Ebendorffero Synchrono. *Ægidium* factum Præpoſitum, S. Crucis monachus confirmat ad annum 1414. *Confirmatur*, inquit, *eſt Dominus Præpoſitus Magiſter Ægidius ad S. Dorotheam Wiennæ feria ſexta poſt Aſcenſionem Domini, à Domino Georgio Epiſcopo Patavienſi.*

Cæterùm hæc inclyta, & *Cæſareo* nomine, quô dignè nuncupatur, conſpicua Canonia, quemadmodùm continuis gratiis, ac favoribus ad hæc uſque tempora, Clementiſſimè à Domo Auguſtiſſima dignata eſt, ſic indies progreſſus in omni laudum genere eximios fecit. Fuêre in ea non ſolùm eximiæ virtutis; ſed & perpetim viri doctiſſimi, atque clariſſimi. Jam quintum à fundatione Præpoſitum nôrunt eruditi, quantâ non minùs virtute excelluerit, quàm ſcientiâ, *Stephanus* is fuit de Lantzkrana, cujus egregium tractatum de quatuor noviſſimis clariſſimus Pezius in Biblioth. Aſcetica, Epiſtolam autem unam ad ſcrupuloſum in Miſcellaneis ſuis edidit Duellius. Plures tanti viri elaboratas elucubrationes titulò tenùs notas idem hic poſterior Collector fecit, typis vulgare ex his præclarum opus via cœli nuncupatum, idiomate vernaculo ſpopondit Pezius, an fidem liberaverit, mihi incompertum. Miror autem, quòd in communicato no l is Catalogo de hoc inſigni viro ꞇquentia notentur: *Stephanus utriúsque Juris Doctor quintus Præpoſitus: plus de illo nulla diligentia diſcere nobis licuit.* Vix enim opinandum hujus nobiliſſimi Præſulis tot ſcriptorum pretioſiſſima Cymelia adeò diſtracta, nè dicam diſſipata fuiſſe, ut ſaltem horum notitia tanti viri non vulgarem doctrinam patefaceret, imò & admirandæ virtutis animum. Opera ab eo confecta in præfatione ad Miſcellanea enumerat Duellius ſeptem, eáque omnia Aſcetica, quæ ſanè oſtendunt virum iſtum in Divina totum fuiſſe abſorptum.

Porrò ut nil in hac ſynopſi dicam de aliis æternâ memoriâ digniſſimis huic Canoniæ præſidentibus, unus ſuffecerit nunc feliciter eandem moderans Reverendiſſimus Perilluſtris, ac Ampliſſimus Dominus *Joſephus Roſner* omnium reliquorum prærogativas repræſentans, quem nos in Canonia noſtra annô 1737. duriſſimo Itinere Viennâ Voravium uſque peracto, tum obſequiosè reverendi gratiam nacti ſumus, cùm Neo-electus noſter 8. Cal. Aug. à Celſiſſimo, ac Illuſtriſſimo Principe, ac Domino *Jacobo de Liechtenſtein* tum Seccovienſi, nunc Olomucenſi Epiſcopo in noſtra Eccleſia mitra, pedóque inauguran-dus

dus eundem ſibi aſſiſtentem expetiit, & adeptus eſt. Cæterùm in communicatis nobis ex inſigni Collegio iſto, de quo agimus, documentis dum de eodem ſequentia pro breviſſima laude concinnata legeramus, nimirum: *Abſtinere nos jubet hic laudibus Præſulis noſtri tot virtutum excellentia, nè quid infra rerum dignitatem, ac publicam famam ſcripſiſſe videamur. Facit de laudibus illius communis, ac vulgata vox, publicúmque oculorum omnium teſtimonium, quapropter injurium foret, de illius integritate, divinæ gloriæ Zelo, Clementia in ſubditos, cæteriſque tum naturæ, tum cæli dotibus referre, utpote quæ notiora in vulgus ſunt, quàm ut à nobis celebritatem accipere poſſint &c.* eò promptiore calamo his noſtrum teſtimonium ſubſcribimus, quò luculentiore experimento ipſi vera hæc eſſe profitemur, & ſi quid demum aliud, profectò nullo ſufficienti præconio putamus extolli poſſe incomparabilem ejusdem ſeu in ſuos, ſeu in quosque alios civiliſſimam urbanitatem, ſuaviſſimam cum quibusvis non plus, ac cum ſibi commiſſis agendi conſuetudinem, quâ, dum prono, hilarique vultu ad primum intuitum ſeſe accedentes excipit, & amæno colloquio dignatur, cuique aliunde palam eſſe debet, quàm amoroſo affectu, & paterno favore omnes ſibi devinciat, & obſtringat. Sed iſta hactenùs, usquedum ampliora proferamus, dum ipſum opus majorem nobis diſcurrendi campum aperiet. Intereà ex corde precamur, ut divina bonitas diutiſſimè hunc noſtri cumprimis litterarii laboris ſtudioſiſſimum promotorem incolumem ſervet, & fortunatum.

Exiſtit in Metropoli Viennæ. Docum. commun. Ebendorffer. in ſcript. Auſt. tom. 2. col. 855. & fragm. hiſtor. ibid. Col. 383. Germ. ſac.Han. tom. 1. p. 493. n. 20. Duell. in miſcell. t. 1. Bibl. Aſcet. Pez. t. 8.

Ducumburgenſe S. Georgii, Abbatia. *Fund. an. 1112. Floret.* Elegantiſſimum Canonicorum Regularium S. *Auguſtini* cœnobium Bruſchius nuncupat, neque vanè, ùt opinor, quippè quòd ſtructuræ venuſtate; ſed & ipſius diſciplinæ regularis obſervantiâ totam circùm viciniam illuſtret. Fundavit hanc nobiliſſimam Canoniam *Udalricus* primus Pataviensis Epiſcopus ad annum Domini 1112. & quidem, ùt communis fert traditio ſcriptorum, voti causâ, quô ſe damnaverat, dum Archiepiſcopo Salisburgenſi *Thiemoni* ſociatus felici fatô Saracenorum rabiem, illo martyrium paſſo, effugit, redúxque incolumis fidelis, quod ſpoponderat, exſolvit, monaſteriô in Inſula intra Danubium ſita, non procul, ubi Traſena huic prægrandi fluvio copulatur, conditô. Eccleſiam ibidem jam conſtitiſſe anteà ex actis *Perengeri* vigeſimi primi Epiſcopi Pataviensis docemur, dum *Henricus* Imperator profitetur, *Berengerum* ſeu Perengerum *Eccleſiam in Herzogburck conſtruxiſſe circà annum*, ùt videtur Hanſizio 1018. ſed fundationem Collegii, ùt dixeram, ad annum 1112. referunt ſcriptores paſſim, à qua tamen traditione abit clariſſimus Hanſizius, censétque jam annô 1105. cœptum, ſed dictô 1112. demum abſolutum. Ego primas fundationis tabulas nullas conſpexi, hinc fidem viro clariſſimo prudentibus conjecturis utenti nullus abrogo. Cur Canonicis potiùs, quàm monachis hoc ſuum ex voto ſacratum Deo monaſterium conceſſerit, non ineptè augurantem eundem Authorem licebit audire: *Credibile eſt*, inquit, *Udalricum ad Canonicos præ monachis inſtituendos impulſum fuiſſe, quò*

exemplô Deceſſoris ſui Altmanni, quà piâ vitâ Canonicorum Reitenpuchenſium, quorum hoſpes exſtiterat. Eorum inſtitutum multa approbatione proſecutus eſt Urbanus Papa in litteris ad Udalricum Præpoſitum Reitenpuchenſem annô 1092. *datis, quibus vitam Canonicam, quæ per virtutem monachorum obſcurari videbatur, graviter ſuſtinet, unáque vetuſtatem Ordinis Canonici ab Urbano Papa, & Martyre, à S. Auguſtino, & Hieronymo repetit.*

Unde primò Colonia acceſſita ſit, minùs eſt reperire, ſed vix dubitem, ex Reitenbuchio adveniſſe, quod tunc odore ſuæ ſanctæ converſationis totum penè Noricum pervaſerat. Annis centum, & duobus ſupra tringinta, cùm in Inſula permanſiſſent, demum loci inſalubritate commoti Canonici à *Rudigero* translationem ſui domicilii obtinuêre jam dudum *Conrado* Epiſcopo deceſſore *Rudigeri* annô 1150. aſſenſum præſtante. Referunt verò hujus Canoniæ documenta, *Conradum* collegium *S. Andreæ* cis tranſennam (de quo nos ſuperiùs egimus) unire voluiſſe San-Georgiano, idque non alio ex fine, quàm *ut fratribus ad S. Georgium degentibus melius ſit*, quos præprimis dilexiſſe memoratur, ſed Conradi propoſitum mors ſuccidit: Igitur variatis haud dubiè circumſtantiis variavit *Rudigerus Conradi* ſententiam, & Ducumburgum trajecit Canonicos.

Hanc porrò translationem Bruſchius annô 1267. aſſerit contigiſſe, ſed Domeſticis tabulis eam anno, ùt diximus, 1244. affigentibus potiorem fidem aſtruendam exiſtimo. Non minùs in hac celeberrima Canonia viros eximios vixiſſe, vel una tot ſæculis continuata probat regularis obſervantia, etſi graviſſimæ calamitates eandem multifariàm impeterent, ac tantùm non omninò abſumerent. Neque deeſſent argumenta evidentia, quibus complura congerere in laudem hujus poſſemus, niſi compendio ſtudentes ea, quæ promenda potiùs ad ipſum opus noſtrum differenda cenſeremus.

Floret autem adhuc eximiè Collegium iſtud, & præcipuè ſibi de præclariſſimè nuper præſidente Reverendiſſimo D.D. Præſule Leopoldo Theodorico gratulabatur, cujus favore hujus ſuæ inclytæ Canoniæ, hiſtoriam nacti ſumus.

Exiſtit ad Oppidum hujus nominis. Docum. communic. Bruſch. monaſteriol. centur. ſec. p. 180. Germ. Auſtr. pag. 15. Germ. ſacr. Hanſ. tom. 1. p. 290.

Eberndorffenſe, ſeu Oberndorffenſe, Abbatia.

Fund. an. 1164. Patrum S. J.

Udalricum Carinthiæ Ducem aliqui, alii *Achatium* Bogenſem Comitem annô 1164. hoc cœnobium Canonicis Regularibus condidiſſe ferunt: quod nos inquirere non admittit documentorum penuria. Præmonſtratenſium legibus primos aſtrictos fuiſſe, legimus, ſed quibus paulò pôſt noſtri ſucceſſère. Memorandus inter viventes in hoc collegio Canonicos venit *Leonardus Keutſchach*, qui primùm annô 1461. iſthìc ſua vota religioſa deprompſit Deo, poſtmodùm (ſex annorum evolutô ſpatiô) Oeconomum ſex annis in monaſterio egit, inde Præpoſituræ munus in Steinenſi *S. Laurentii* Eccleſia indeptus, Octennio dilapſo ab Oberndorffenſibus Confratribus in Præſulem aſciſcitur, exactô autem Novennio Præpoſitus Saliſburgenſis, ac poſt quinque non omninò annos nempè 1495. Archipræſul Saliſburgenſis ſalutatur. Ingentem laudem huic viro quique Scriptores attribuunt, quam haud dubiè nulla intercedente umbrâ, uſque hodie mereretur, niſi ſub ipſo regu-

la

la *S. Auguſtini*. quam à teneris ſervandam juraverat, & amaverat in ſenium uſque, operâ Matthæi Langi dudum primam ſedem, *Leonardo* obeunte, ſperantis ſublata fuiſſet, extinctáque vita regularis, de qua viciſſitudine nos aliàs dicturi ſumus. Collegium iſtud Succeſſu temporis Patribus ſocietatis ceſſit annô 1598. quibus adhuc ſubeſt.

Exiſtit propè Gentiforum. Germ. Auſtr. p. 60. Germ. ſac. t. 1. p. 545. Metrop. Salisb. Mezg. L. 4. C. 46. à pag. 512. Hund. in Metr. Sal. p. 21. Valvaſor Topograph. Carint. p. 23. Breviar. Hiſt. Carint. p. 171.

Fundat. an. 1678. floret.

Eiſenſtattenſe S. Joſephi Virgin. Canon. Prioratus.

Recenter fundati hujus Parthenonis hiſtoriam, etſi nec in ullo quidem ſcriptore Typis vulgato compererim, certam tamen, nullóque fuco illitam eò firmiùs inter monumenta mea conſervo, quô evidentius mihi eſt, originaria manu ab eo conſcriptam, fideliterque uſque ad annum 1692. exaratam, qui octo integris à fundatione annis ſacris iſthic Veſtalibus à Confeſſionibus inſerviit. Pauca inde, quæ ad propoſitam ſynopſim conferunt, hic delibabimus.

Fundatorem hoc ſacrum Gynæceum habuit Illuſtriſſimum Principem *Paulum Eſterhaſi* de Galanta cum piiſſima Conjuge ſua *Urſula Chriſtina*, quorum inſignis virtus, ac probitas quemadmodùm per omnes vicinas terras notiſſima effulſit, ſic eidem perpetuæ memoriæ monumentum in hoc ſacro loco fuerat ſtatuendum, factum id annô 1678. aſſenſum tunc præſtante ſummo Eccleſiæ præſule *Innocentio Undecimo*, & Jaurinenſi Epiſcopo *Georgio Szezenii*; poſtulatis, quæ religionis Canonicæ primitias iſthic conſtituerent, geminis ſacris Virginibus ex *S. Laurentii* Cœnobio Viennenſi Anna Barbara Renata, nata ex Comitibus de Mollar ætatis ſuæ annô 43. & Maria nata ex Comitibus de Kerin ætatis ſuæ annô 47. Domicilio intereà in urbe aſſignato, dum demum annô 1683. Eccleſia cum potiori parte Clauſtri conſtructa Virgineum Chorum ſolenni ritu ipſo *S. Joannis* Bapt. feſto excepit.

Pauciſſimum à fundatione hujus Parthenonis tempus effluxerat, cùm plures ſeſe inſinuarent divini Sponſi Thalamum in hoc loco ambientes; inter quas haud dubiè à Capite memorandæ Illuſtriſſimæ fundatoris quatuor ſoboles, *Helena*, *Urſula*, *Juliana*, & *Chriſtiana*, ſub prima tunc Præpoſita *Anna Barbara de Mollär*; accrevítque hæc ſacra ſocietas tam bonorum temporalium, quàm præcipuè ſpiritualium affluentiâ, Patrocinio Magnatum quàm maximè eidem opitulante: Inter quos ipſe Auguſtiſſimus Imperator *Leopoldus* cum Conjuge Eleonora Magdalena ſuâ auguſtiſſimâ præſentiâ adeò hunc locum dignatus eſt, ut inveſtitioni non ſolùm Venerabilis Virginis *Thereſiæ Eleonoræ* annô 1681. die 4. Novembris, quæ ipſi Auguſtiſſimæ à Cubiculis ſervierat, aſſiſterent, verùm & actu ſolenni finito in reſidentia harum Virginum ſolenni convivio recrearentur.

Quantis calamitatum procellis jactatæ ſæpiùs fuerint hæ ſacræ Veſtales, non eſt hujus loci enarrare, neque tamen defuiſſe divina ſolatia, ac præcipuè manifeſtè oſtenſa cœleſtis in hoc fundato Parthenone placiti approbatio, ſuo tempore dabimus.

Porrò floret adhuc hoc Gynæceum, at, ùt audio, non exiguâ penuriâ afflictum.

Exi-

Exiſtit in Urbe hujus Nominis in Hungaria ad Confinia Auſtriæ. Documenta Domeſtica.

Fundat. floret.

S. Floriani Abbatia.

Magnificum hoc, & antiquitate non ſolùm, ſed dignitate quoque eximiè venerandum Collegium ſuæ originis epochum reperit non diù poſt Divi *Floriani* glorioſa pro Chriſto peracti Martyrii funera. Cellam enim pauló pôſt conſtructam hoc in loco vetuſta monumenta narrant in hujus ſancti honorem, religioſisque viris conceſſam. Monaſterium nuncupat *Eynvvicus* hujus Canoniæ ſæculò decimò quartò ſcriptor, ſimúlque Præpoſitus. Diſceptant de hujus loci ſacri origine eruditi, inter quos primatum ducit vir clariſſimus, Venerabilis *Wilburgis* vitæ editor Bernardus Pezius, dumque diſſertationem Iſagogicam huic præmittit, de origine, ac progreſſu celeberrimæ Florianenſis Canoniæ luculentiùs diſputans, nobis quidem occaſionem ſuppeditâſſet, aliqua, quæ ipſe in aliis ſcriptoribus, minùs ſincera, caſtiganda putabat, aut obſcuriùs tradita, ſuo ingenio elucidabat, penitius disquirendi, atque ad amuſſim Exegeſis noſtræ revocata metiendi; verùm ùt plerúmque ſunt antiquiſſima rerum acta meris tenebris involuta, ſic iis diſpellendis eò difficilius medium ſuppedit, quò contemporanea illi ævo monumenta, aut vorax flamma abſumens, aut inveterata oblivio contumaci quadam invidiâ propè univerſim ſuſtulêre. Igitur, quia conjecturis ſolis, ac umbris pro unius loci vetuſtate in incertum certare haud expedit, ad clariora tranſeuntes tempora illa ſcrutari libet, quibus aut reviresſcere, aut in veram monaſterii formam primùm coaleſcere cœpit hæc notabilis Eccleſia. Factum id fuiſſe ante *Piligrini* inter annos 971. & 991. præſidentis tempora, vix negandi locum admittit diſertum Cellæ *S. Floriani* teſtimonium in diplomate *Ottonis ſecundi* repertum, in quo hic Auguſtus profitetur, jam *Carolum, Ludovicum*, ac *Ottonem primum Patavienſem ſedem cum pertinentibus monaſteriis, id eſt, Cella S. Floriani Martyris &c. ſub immunitatis ſua defenſione conſiſtere feciſſe.* Neque refert *Cellam* vocari, quippè, quæ haud dubiè eam monaſterii formam non habuerit, quam alia, aut plenè reparata, aut nullis hoſtium, tunc paſſim Noricum pervadentium, rabie iteratò peſſumdata: Cellam tamen unam ex talibus fuiſſe, in quibus Canonici juxta Aquisgranenſis Concilii Canones viverent, quasque *Abbatibus* habere *licuit*, nè dubitandum quidem videtur. Sed modica hæc Florianenſis ſocietas non niſi ſub *Altmanno* adeò viritim accrevit, ut veri collegii faciem obtineret: qua de re meritò *Eynvvicus V. Wiliburgis* Biographus audiendus: *Paſſavienſi*, inquit, *Eccleſiæ annum propè* 1067. *præfuit Altmannus ſanctitate vitæ celebris, qui tanta pietate Florianenſis Eccleſiæ curam amplexus eſt, ut non ſolùm devaſtatam readificârit, verùm etiam, quæ iniquè bonorum illius direpta fuerant, reſtitui fecerit, de propriis inſuper redditibus non modicam addens portionem. Cùm autem præfatus Antiſtes Clericos, & ſæculares ibidem licentioſam agere vitam deprehendiſſet, Apoſtolica, quâ fungebatur, legati authoritate in eorundem locum ſpirituales viros ſub regula D. Auguſtini in commune viventes ſubſtituit, conſecrata per eum perſonaliter cum quinque Altaribus Eccleſia, cujus omnia jura, poſſeſſiones, & privilegia firmiſſimè confirmavit, Hartmannum, virum in ſancta converſatione apprimè probatum, primum eidem Præpoſitum conſtituit, omnibus demum ita previdit, ut non modò bonus Paſtor,*

ſtor, ſed & Florianenſis novus quodammodò fundator jure meritò ſit nuncupandus.

Atque hæc de origine hujus Eccleſiæ producere libuit; cúmque nobis fortaſſe tanti ponderis non fuiſſet, etiam ante *Altmanni* tempora Clericos, eosque regulares votiva converſatione junctos probare, aſt ubi aliquando noſtras ſupplices ad hoc celeberrimum collegium direxeramus, inque reſponſo nobis ſubmiſſo ad ipſa V. Wilburgis acta annô 1715. à clariſſimo Patre Bernardo Pez (ùt ſupra notavimus) cum prævia diſſertatione Iſagogica typis vulgata ablegati fueramus; ſanè ſatis deprehendimus, eâ, qua Bernardus, de origine hujus Eccleſiæ ſententiâ ſtare, & ipſos Florianenſes, cui cur nos multùm obſiſtamus, nec operæ pretium reperimus, nec meritum.

Cæterùm an non potius 1081. quàm 1067. *Altmannus* cenſendus ſit hanc reformaſſe Eccleſiam clariſſimi Hanſizii legant obſervationem hac de re agentem, qui volunt, ut alia ſileamus. Vixerunt in hoc quoque inclyto collegio viri celeberrimi, quamvis nobis (ſi nomen ad ſummum excipias) omninò incogniti. Reperiri quoque iſthic plurimorum ſanctorum reliquias, nec non & opulentam. Manuſcriptorum bibliothecam aliundè edocti ſumus, ſed quia de bis omnibus nulla cæterùm notitia communicata eſt, brevi hiſtoria contenti erimus.

Exiſtit propè Lincium. Acta SS. Boll. ad 4. Maji Germ. ſacr. t. 1. pag. 220. & p. 268. Hund. in Catal. Epiſcop. Patav. Eynwicus in vita Wilh. in ſcript. Auſtr. c. 2. Bernard. Pez cit.

Fundat. ſecular. Friſacenſe S. Magdalenæ, Præpoſitura. Quamvis ad propoſitum noſtrum hujus Præpoſituræ pauciſſima ſuppetant, circà ſæculi XV. medium tamen hunc locum Canonicos Regulares incoluiſſe probant *Joannis Jung à Dinckbichl* acta, ex quibus diſcimus eundem ex Canonico Regulari S. Dorotheæ Viennæ in Auſtria, factum Præpoſitum Rotenmannenſem, exinde autem in Aw monaſterium Can. Reg. in Bavaria translatum, demum hanc, de qua agimus, Præpoſituram adiiſſe. Cætera incomperta, niſi quòd nunc Clericorum ſit ſæcularium collegium.

Exiſtit propè urbem Friſacum. Documenta Domeſt.

Gottvvicenſe S. Mariæ Abbatia. *Fund. an. 1073.* Communis ille Religioſorum virorum Pater, & Tutor *B. Altmannus* non unius cœnobii fundandi munificentiâ contentus, eandem liberali manu per plura eaque præclara omnia monaſteria diffudit, fuerat quippe hic ſanctus vir iſtius quoque nunc celeberrimi, & auguſtiſſimi Aſceterii largus inſtitutor. Primum poſuiſſe lapidem fertur annô 1073. ſed novem poſt annis religioſa ſocietate informâſſe: de qua Biographus, poſtquàm non nulla de extructione, ac conſecratione ipſius Eccleſiæ præmiſerat: *His ita ritè*, inquit, *Celebratis, undique religoſis fratribus congregatis communem vitam ſub regula S. Auguſtini inſtituit, locum cuidam Ottoni prudenti viro commiſit, qui ſtrenuè injunctum ſibi officium implevit.* Hic verò primus Eccleſiæ hujus Præpoſitus Otto dictus, ex quo Phrontiſterio Canonicorum expetitus? haud facilè divinavero? maximè cùm biographus afferat, *undique*, id eſt, diverſis è locis *religioſos fratres acceſſitos fuiſſe.*

Porrò non immutabilis adeò illa fundationis, aut inductorum Canonicorum eſt epocha, quin alia

alia ex aliis eruatur. Chroniſta Clauſtro-Neoburgenſis ad annum
Col. 440. 1083. ait: *in monte Kottvvigenſi Monaſterium S. Mariæ à Venerabili Altmanno Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopo conſecratur.*

Leobienſis Anonymus hoc ipſum ad annum 1077. revocat: iisdem planè verbis Monachus Zvvetlicenſis ad annum 1082. putat vir clariſſimus Auſtriac. ſcriptorum editor conditum certo fuiſſe ante annum 1082. neque ego diſſentio, an verò novem integri anni in fabrica inſumpti, ut demum Canonici introducerentur, velut ex Mabillonio, & Stengelio docere Hanſizius videtur, non ſatis perſpectum: Mabillonium in ſuis Annalibus id ex Stengelio ſumpſiſſe, ſat apprehendo; verùm nec Stengelius ex tripode locutus videtur, cùm in recentiori Epitaphio fundatum fuiſſe Gottvvicum annò 1073. (ubi fortè pro numero 8. 7. irrepſerat vitiò cælatoris) legatur.

Duraverat autem vitæ Auguſtinianæ diſciplina nonniſi ad annum 1094. quo Canonici dicuntur depoſito Clericali habitu monachi facti concedente id tum ſummo Pontifice, tum petente loci Ordinario; de quo audiendus *Bertholdus Conſtantienſis*, *Dominus*, inquit, *Otto Venerabilis Abbas* (monaſterii nempè *S. Blaſii* in Nigra ſylva) *ejusdem loci priorem Dominum Hartmannum in Orientale regnum in Marcham Ungaris Collimitaneam cum aliis Confratribus ſuis direxit, ad novam Abbatiam in Epiſcopatu Patavienſi, in loco, qui Cotevvich dicitur, inſtituendam. Erat autem in illo loco cœnobium Clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc à Domino Papa, & per Papam à proprio eorum Epiſcopo impetrârunt, ut depoſito habitu Clericali fierent monachi. Quapropter Dominus Abbas de ſancto Blaſio ex præcepto Domini Papæ, & ex Epiſcopi poſtulatione in eodem loco Abbatiam inſtituere diſpoſuit, fratresque ſuos illuc ad hoc exequendum direxit.* Ubi breviter obſervo, modicam apud me fidem mereri *S. Altmanni* Biographum vetuſtiorem, dum ait, immutationi huic cauſam dediſſe, *laxatam Canonicorum converſationem.* Bertholdum enim ſcimus *Altmanno* ſynchronum, & hoc biographo ſeniorem, qui nec ignorare potuit, nec reticere tam notabilem cauſam, ſi ea fuiſſet. Hæc interim.

Exiſtit ſuprà urbem Viennenſem ad Danubium. Vita Altmanni. Edit. Hieron. Pez. tom. 1. ſcript. Auſtr. col. 128. & 132. Chron. Clauſtro-Neob. ib. col. 439. Chron. Leob. ib. col. 773. Chron. Zwetlic. ib. Col. 974 ibid. tom. 2. Col. 278. ſeq. Hanſiz. Germ. ſac. tom. 1. p. 261. Hund. metrop. Salisb. tom. 1. p. 246. acta SS. in vita B. Mariani Ab. Ratisb. in notis lit. h. die 9. Febr. Mabil. Annal. Bened. L. 64. n. 3. & L. 68. n. 110.

Grieſſenſe, Abbatia. *Fund. 1167 floret.*

De hoc Collegio illiberalis retentio documentorum omnem alioquin diſcurrendi materiam nobis ſubtraxit, niſi quam prodidit editus de Tyrolenſi Comitatu Libellus: & ex eo Germania Auſtriaca p. 101. ubi legitur annò 1167. *Arnoldum Comitem de Margreit cum uxore ſua Mechtilde in Atheſinæ ripa, quæ nunc Kayſerau vulgò dicitur, annuente Salomone Tridentino Epiſcopo Collegium ſub Henrico primo Præpoſito fundaſſe. Verùm cùm annò 1417. intumeſcens fluvius illud penè totum inundaſſet, in locum, quem modo occupant, & Grieß appellant, transmigraſſe, converſa in Collegium arce, quam undecim annis priùs Leopoldus Archidux eisdem liberaliter contulerat.* Hæc ibi, verùm ſi annò 1167. conditum eſt cœnobium iſtud, non *Salomon* ſed

ſed *Albertus* dicendus eſt, Fundationi annuiſſe, hunc enim ſcimus annô 1178. mortem violentam oppetiiſſe, & hoc eodem anno *Salomonem* ſucceſſiſſe. Cæterùm ex Ughello habemus, hujus Collegii Reverendiſſimum D. Præſulem uſu Pontificalium gaudere; & Canoniam ipſam adhuc florere aliundè didicimus.

Exiſtit propè Bocenum trans Talſerum amnem. Ughel. Ital. ſacr. tom. 5. Col. 588. & 597. ſcript. cit.

Fundat. 1042. Floret. Gurcenſis S. Mariæ Cathedralis. Sed longè antea Regularium Canonicorum Collegium, quàm Epiſcopali honore inſigniretur: Fundatum quippè novimus annô 1042. dum Epiſcopatum ibidem erectum primò legimus annô 1072. Fundatum, inquam, annô 1042. nam litteræ, quas *B. Hemma* in teſtimonium erectæ à ſe Gurcenſis Eccleſiæ reliquit, annum præferunt quadrageſimum tertium ſupra milleſimum, & quidem quarto Nonas Februarii, id eſt, ſecundam, ut adeò neceſſe ſit ad annum priorem ſtructuram ejuſdem Eccleſiæ referre, cùm eam diſertè memoret Fundatrix tanquam completè conditam, & habitu religionis ſe ibidem jam indutam. In hanc verò ſacram ædem primò inductas Virgines fuiſſe æquè certum eſt; nec minùs, junctum illis Clericorum contubernium debitis ſeptum limitibus honeſtatis. At ſolùm ambigi poſſet de inſtituto: Virgines Numbergenſium normam aſſumpſiſſe arguit Papebrochius cum Cbriſtophoro Jägero Priore ad S. Lambertum, ac Bucelino; & quidem ideò *Benedictinam*, quod aliam Numbergenſes, quàm *Benedictinam* ſæculô undecimô tenuiſſe non appareat. Ego de Virginum Numbergenſium Cboro non litigo, an à *B. Ruperto* Canonicâ diſciplinâ inſtitutus, deindè cùm *Henrici* ſancti tempore è cineribus ad hunc (ubi nunc exiſtit) locum revocaretur, primò Benedictinis placitis fuerit informatus? de Virginibus à *B. Hemma* nec non & Clericis Gurcæ poſitis *Mezgerus* non minùs, quàm *Albertus Reichart* ad D. Paulum annô 1677. digniſſimus Abbas utérque Benedictinæ familiæ religioſus Canonicas non Benedictinas leges geminam ſocietatem tenuiſſe fatentur. *Structurâ*, inquit Mezgerus, *Eccleſiæ ad Calcem perductâ, duo cænobia Hemma illis adſtruxit, quorum priori vigenti Canonicos familiæ S. Auguſtini impoſuit, Deo in Eccleſia ſacris operaturos, alteri ſeptuaginta Virgines ſub eodem inſtituto Numini ſervituras.* Albertus autem *perfectâ* ait, *ſtructura impoſitis in alterum domiciliorum, qui divina peragerent, viginti S. Auguſtini Canonicis, S. Hemma, ſacris operante Balduino Archipræſule Salisburgenſi, ſacrum habitum ſeptuaginta Virginibus comitibus, quæ nova vitæ inſtitutum æmulabantur, magna cum animi jucunditate ſuſcepit.* Conſentit relatio à Gurcenſibus data ad proceſſum Canonizationis *B. Hemmæ*, ejuſque vitæ enarratio ab iiſdem vulgata: Canonicos Regulares, & quidem *Lateranenſes S. Auguſtini* eâ formâ, eóque ritu vivendi à *B. Hemma* conſtitutos fuiſſe, quo, eos *Hildeboldus* Gurcenſis Epiſcopus conſtituerat anno 1120. (vel 22. ſi Indictionis potiùs Chartæ Hildeboldianæ, quàm annorum Charactéri adhærendum) niſi ſolita prolepſi (ùt aliàs monueram) uti velimus, vix quiſquam probaverit. Quemadmodùm enim lubens conceſſerim tam *Hemmam* fundatricem, quàm *Waldvvinum* Archipræſulem voluiſſe Clericos Gurcenſis Eccleſiæ eſſe regulares, atque votivos, nil tamen movet, ut dicamus *Lateranenſes*, quorum pro

pro certo nomen tum primò Collegiis Germaniæ dari cœpit, quandò Congregatio Lateranenſis coaluit. Neque etiam dixero, eo nomine Gurcenſes ante *Hildeboldi* reformationem *Lateranenſes* nuncupandos, quô ipſi normam horum ſecuti dicuntur, dum nimis patenter *Hildeboldi* Charta vitam hanc ab ipſo introductam declarat; ſic enim ille: *Notum ſit omnibus .... quòd ego Hildebold, Gurcenſis Eccleſiæ, Dei gratiâ Epiſcopus in præfata Eccleſia Clericos Apoſtolicæ paupertatis, ſecundùm regulam B. Auguſtini, communis vitæ dignitatem juxta Apoſtolicorum actuum inſtitutionem reparantis, ordinavi, in quibus nulli fas eſt, aliquod jus obtinere proprietatis, quibus omnis poſſeſſio in ſubſidium cedit communis utilitatis &c.* Vixiſſe igitur *B. Hemmæ* tempore ſecundùm Auguſtinianum Apoſtolicúmque inſtitutum votivè Canonicos, vixiſſe quoque ùt Lateranenſes, nullus inficior, at haud admiſero, eos jam tum *Lateranenſes* dictos fuiſſe, aut habuiſſe *S. Auguſtini* regulam preſsè talem, quæ non niſi annô 1063. jubente Alexandro II. obtigit Canonicis obſervanda, quamvis certum, eos pridem votivè vixiſſe; neque ſpecie diſconveniſſe, qui ſe ex induſtria Auguſtinianos dicebant, quod qualiter intelligendum, alibi ſufficienter oſtendimus. Vix tamen crediderо, allegatos Authores, qui Gurcenſes à ſui fundatione *Lateranenſes* nuncupaverant, hoc nomen eis citiùs attribuere voluiſſe, quàm annô 1063. aut potiùs poſt erectam congregationem Lateranenſem, quando tales dici paſſim in aliis quoque locis Canonici votivi cœperunt.

Itaque Hildeboldus verè fuerat, qui regulam *S. Auguſtini* primus Gurcenſibus Canonicis impoſuit, & quidem, ùt non vanè conjicio, quia Canonici (ſeu juxta Romanum morem, ſeu Aquiſgranenſem regulam viventes) nimium in liberam vitæ licentiam dilaberentur, quod paſſim in aliis Eccleſiis factum illis temporibûs abundè perſpeximus. Profectò ſæculô undecimô, ac duodecimô regula Auguſtiniana lapis ille lydius fuerat, quo uno ubique Canonicorum vita moréſque probabantur, normam communitatis Apoſtolicæ an reipſâ æmularentur, an nomine potiùs gauderent, aliúdque longè dicerentur, quàm eſſent: non quòd regula iſta Canonicos votivos faceret, ſed quòd ipſam eligentes diſcerneret à proprietariis, votáque mittentibus. Neque opus eſt in hujus regulæ commendationem pluribus excurrere, quippè, quæ ſola, ùt dixeram, adeò ſuffecerat illud ingens diſcrimen ſtatuere Canonici votivi, & ſæcularis. Sunt ſanè cuíque ad manus ſcriptores doctiſſimi æquè, ac ſapientiſſimi, qui in hanc commentantes abundè penetraverant ejusdem opimam planè, ac religioſæ inſtitutionis refertiſſimam medullam, ùt videre licet apud *Hugonem noſtrum Victorinum*, *Humbertum* Ord. Præd. Generalem Magiſtrum, *Michaëlem Pocciantium*, *Martinum Petromannum*, *Laurentium Landmeterum*, *Joannem Trullum*, *Proſperum Stellartium*, alioſque quàmplurimos, qui omnes quantô, & quàm dignô præconiô hanc regulam exornent, cuíque eorum commentarios perquirenti patebit. Quæ utut certa ſunt, & facilè obvia, ſatis ſtupere nequeo, Germaniæ Auſtriacæ ſcriptorem potuiſſe in enarratione Gurcenſis Eccleſiæ quaſi vulgatiorem adhuc, & notiorem mundo erudito reddere pericopen illam à doctiſſimo Papebrochio ſuo Commentario ad vitam *S. Ubaldi* de regula *S. Auguſtini* inditam: ubi ait: *eandem Authoris, potiùs nomine, quàm ſuf-*

fici-

ficientiâ ſuâ commendatam. Sanè non malè auguror, virum hunc dudum optâſſe, ſi verba iſta nunquam è penna ſua alioquin adeò erudita fluxiſſent; quis enim quæſo, hoc adeò liberè præſumat aſſerere, qui penitius obſervat, quàm non ſolùm ſolidiſſimum hæc regula tradat religioſæ inſtitutionis firmamentum, verùm etiam illa non intermittat, quæ qualitercúnque homini ad perfectionem tendenti expediunt: ut ideò vel ipſum *D. Benedictum* plura ex ea in ſuam regulam tranſtuliſſe conſtans ſit doctiſſimorum Benedictinorum confeſſio. Prætérquam, quod tot ſacrorum ordinum in hanc unam regulam juramentum, Excellentiam illius non à ſolius Authoris nomine, ſed vel maximè à ſua ſufficientia commendet. Unde *Cælius Pannonius* in proemio explanationis regulæ *S. Auguſtini* ait, quòd, *quia* hæc *particulatim, & maximè in ſenſu excerpta eſt ex ſacra ſcriptura, revera Chriſti potiùs dicenda eſt, qui ſpirètum excitavit in B. Auguſtino, ut illam juxta formam Apoſtolicam conſcriberet: ſeu daret certas præceptiones, qua modum rectè vivendi præberent hominibus religioſis, ut per eas ad perfectionem vitæ tenderent.* Neque crederem vel ipſum *S. Auguſtinum* unquam tam ponderoſa commendatione traditurum fuiſſe *S. Norberto* regulam ſuam, niſi ſufficientiam tantam reperiendam in illa agnoviſſet, ut qui obſervarent eam *ſecuri adſtarent in extremi Judicii die.* Atque hinc omninò cenſendum, *Pium quartum* Pontificem regulam hanc nuncupâſſe *divinam: Navarrum* noſtrum, *aliis regulis altiorem, & digniorem: Hyacinthum Donatum, cæteris regulis præſtantiorem:* denique *Mauburnum* noſtrum ſolidè enuntiâſſe: *Non eſſe talem regulam, inter regulas univerſas, ſicut regulam S. Auguſtini; excedere enim non ſolùm ab Authoris conditione, verùm etiam ab exemplaris perfectione, temporis antiquitate, mandatorum diſcretione, & ſpiritualitate.* Apage igitur! qui ais hanc regulam ſufficientiam regendi minùs habere, quam tot tum ingeniò præclari, tum virtute illuſtres copioſiſſimè repererunt. Sibi imputent, non regulæ *S. Auguſtini*, qui in ea ſufficientiam ſpiritualis perfectionis non aſſequuntur, idem enim de ea, quod *Thomas* noſter de Evangèlio ſenſerat, æſtimandum, nempè, ſolùm *eos, qui ſpiritum habent, abſconditum ibi manna invenire.* Vel unum ſi percurreris Clariſſimi, àc Præſtantiſſimi Abbatis Picinelli in hanc regulam diſcurſum 95. occurret n. 945. quàm eadem à S. Authore ſuo meritò appellata ſit *Speculum, illic* (verba ſunt hujus eximii commentatoris) *excellenter delineatæ viſuntur religioſæ virtutes, & exemplar abſolutæ perfectionis: illic olivis Coronata apparet pax, & Concordia: Unanimes habitetis in domo, illic Apoſtolica paupertas longiſſimè à compendiis ſæculi, & ſordibus vanitatum remota emicat: Non dicatis aliquid proprium &c.* Itaque meliori ſibi, ut opinor, proſpexiſſet Conſilio, tam Germaniæ Auſtriacæ Author, quàm ſubſequus Typographiæ Ducatuum Carinthiæ, & Carnioliæ annò 1728. deſcriptor, ſi uterque ab hac Papebrochii repetenda ſententia abſtinuiſſet: ſed nos ad alia. Ab anno igitur 1124. aut ſi mavis 1120. inductâ *S. Auguſtini* regulâ Gurcenſes mirâ religionis fragrantiâ per totum Carinthiam innotuère.

Vide Noviſſimæ Edit. S Aug Tom. Notas in laudatam regulam.

Hæc omnia dum nobis diverſi ſuppeditârunt ſcriptores, neque collatis ex ipſo Gurcenſi Collegio, quamvis repetitò poſtulatis documentis: reliqua incomperta, aut differimus adhuc obtinenda ad ipſum opus, aut non impetratis vel inviti abſtinebimus.

Exiſtit ad Gurcam amnem. Acta SS. Boll. ad diem 29. Junii in vita B. Hemmæ. Vita Conradi Archiep. Saliſb. Edit Pez. Anecdor. t. 2. P. 2. p. 238. Metrop. Saliſb. L. 3. C. 28. p. 319. Hanſiz. Germ. ſacr. t. 2. p. 217. & alibi ſæpius. Alberti Reichart. Brev. hiſt. Carinth. p. 121. ſeq.

Fundat. floret.

S. Hippolyti, Abbatia. Reliquos inter qui originem aliáque memoranda hujus collegii prodiderunt, non poſtrémum locum ſibi vendicat, ejusdem hujus loci Reverendiſſimus Dominus Præpoſitus *Chriſtophorus Müller* ab annô 1688. ad usque 1715. clavum regiminis tenens. Scripſerat hic introductionem in hiſtoriam Canoniæ San-Hippolytanæ præcipuè originis Jura inſtituto Canonico argumentis gravibus, ac ponderoſis propugnat. Hoc igitur, quantum licuerit, Duce iſtius collegii enarrationem deſcribendam ſynopticè ſuſcipimus, non diſſimulaturi, ſi quid clarioris lucis ex aliis ſcriptoribus aucupari concedetur.

Fundationis originem antehac utcunque aut obſcuram, aut potiùs obſcuratam quorundam recentiorum minùs veritati inveſtigandæ adlaborantium vitio, claram omninò, ac perſpicuam expoſuit clariſſimus ſcriptorum Auſtriacorum Editor, dum trium veterum inſtrumentorum teſtimoniis confectum facit, non ſolùm ab iisdem fundatoribus, qui Tegernſeenſi cœnobio initium dederunt, ſed & eodem haud dubiè tempore hoc collegium conditum fuiſſe, & quidem neutiquam pro monachis Benedictinis, ſed pro Canonicis, ut ejusdem Clariſſimi Editoris diſerta verba ſonant, argumento ex citatis monumentis adducto, in quorum uno ante quingentos annos exararo, dum vita *S. Quirini* deſcribitur, ſimul refertur fundatio monaſterii Tegernſeenſis facta à Duobus Germanis fratribus *Adalberto*, ſeu *Adelperto*, & *Otkario* Comitibus, tempore *Zachariæ* Papæ: adeoque inter annos 742. & 756. ibidem ergò, dum de horum Comitum Romana peregrinatione quædam præmittuntur, ſubjicitur: *Redeunt Româ Bavvariam Principes referentes Patronos* (id eſt ſanctorum Reliquias) *à Papa, quibus in ſuis mox fundis monaſteria ſtatuerunt. Norica provincia tria fert horum, quæ priùs in honore trium Apoſtolorum fundaverant: è quibus duo Canonicorum Cænobia, duobus ſanctis Arſatio, & Hippolyto Confeſſori, & Martyri renovant, ſicut hodiéque cernuntur; aliud in Friſingenſi Parochia, aliud, id eſt, Sancti Ypoliti in Orientali Bavvaria, quæ Noricum Ripenſe vocatur &c.* habemus igitur indubitatum teſtimonium ab his comitibus San-Hippolytanum monaſterium Canonicis contraditum fuiſſe. Verùm ſæcularibus, an regularibus? hic Nodus Gordius eſto: ſanè ut Pezius Benedictinis abnegat Collegium iſtud, ſic non minùs Canonicis Regularibus *S. Auguſtini*. *Illud à vero*, inquit, *propius abeſſe arbitramur, ab Adalberto, & Otkario loci iſtius conditoribus, Canonicos ſæculares, quales in variis Auſtriæ Monaſteriis &c. à primâ Fundatione fuerunt, primitùs ibidem conſtitutos fuiſſe: minimè verò Canonicos Regulares ex regula S. Auguſtini viventes. Ut quos primùm ſæculo Chriſti undecimo, auctore potiſſimùm Anſelmo Lucenſi in Hetruria Epiſcopo, poſtea Alexandro Papa ſecundo exortos fuiſſe apud omnes ferè eruditos in Confeſſo eſt.* Hæc ille.

Sed noſtrum non eſt toties crambem recoquere, qui ſatis oſtendimus, regulam *S. Auguſtini* in ſpecie ordinis nihil immutâſſe, cùm eadem paſſim à Canonicis ſeverioris inſtituti ſuſciperetur in locum

Cano-

Canonum vel regulæ Aquisgranenſis: ut igitur malè dicat hic ſcriptor, Canonicos regulam *S. Auguſtini* ſuſcipientes, fuiſſe ſæculo undecimo exortos: dum ſolum hanc regulam tunc *apertè*, & nulla inſtituti priſtini, aliunde votivi, factâ immutatione fuerunt amplexi. Porrò neque nobis unquam libet aſſerere Canonicos ante ſæculum undecimum Eccleſiam hanc incolentes fuiſſe ſignatè nuncupatos *Auguſtinianos*, quamvìs ad normam à S. *Auguſtino* dudum præſcriptam viverent, ùt aliàs abundè probavimus. Regulares itáque ab origine fuiſſe omninò perſuadeor, quales nempè paſſim fuerunt, qui ſæculis undecimum præcedentibus inſtituebantur, ſub regula (ut tunc diu mos erat) S. Gregorii, Sylveſtri, Urbani, Auguſtini, Chrodogangi aut Aquisgranenſi. Quemadmodum enim nec Reittenbuchenſes, nec Pollinganos in Bavaria Canonicos quisquam Eruditus ſpecie diſtinctos aſſeret, quòd aliquot annis ſolis excerptis Patrum non regulæ *S. Auguſtini* devoti viverent, quam demum aliquantis etiam luſtris dilapſis ſuſceperant: ſic neque ideò Hippolytanos Canonicos usque ad ſæculum undecimum alios ſpecie diſtinctósque aſſeruero, quod tum primò ad regulam *S. Auguſt.* arctarentur. Verùm ut cum Reverendiſſimo Præpoſito *Chriſtophoro* eam ſententiam propugnandam ſuſcipiam, qua ipſe verbis, ut prætenditur, Auguſtiſſimi Imperatoris *Joſephi* firmatus contendit ſuum hoc Collegium in tota Auſtria antiquiſſimum aſſerere, ſola S. *Severini* nunc omninò extincta Capella exceptâ, non inducor; multúmque erit, ſi quis communem ab eruditis pro hac opinione præcipuè nullis exploratis documentis ſuffultâ aſſenſum extorſerit: neque enim conjecturæ illæ ab ipſo productæ, vel mediocrem approbationem perſuadere videntur. Sit tamen cuique ſenſus ſuus, nos ad certiora divertimus.

Obſervat Reverendiſſimus Dominus hiſtoriographus noſter cum Bruſchio jam annô 1040. *Peringerum* Patavienſem Epiſcopum, hanc Canoniam dotâſſe liberaliter, & anno 1065. *Engelbertum* ejus ſucceſſorem confirmâſſe conceſſa, ſimulque templum *S. Hippolyti* dedicâſſe, cui pariter Hanſizius ſubſcribit. Sed quia hi non leguntur reformâſſe clerum ad mores regulares, niſi dicas tum hac iis reformatione needum opus fuiſſe, malumus tamen, etiam hoc ſtante, *Altmanno* tribuere, quod de eo diſertè biographus ſuus memorat, regulæ Auguſtinianæ ipſum primò fuiſſe ad hanc Eccleſiam promotorem. Documenta, Chartas Fundationum, *Altmanni* quæcúnque Privilegia, uti & ſummorum Pontificum, qui ſæculum duodecimum præceſſerant, ſi requiras, ſummariè occurrent illa non indigna lamenta, quæ Reverendiſſimus noſter magno fervore promit, dum oſtendit proprio ad hoc teſtimoniô *Conradi* Præpoſiti Spirenſis S. Guidonis, & Apoſtolicæ ſedis legati, ea malevolorum duorum à gremio Canonicorum, ac ſpeciatim unius *Hunonis* dicti flagitiô membratim dilaniata fuiſſe, & per medium ſciſſa, ſicque fortè omninò deperdita. Certè ego nullum adhuc antiquius anno 1213. me reperiſſe novi hujus collegii documentum; neque ambigendum, ſi quæ præfatus perduellis *Huno* non diruit, jam antea injuria bellorum ac incendiorum fuiſſe amiſſa.

Porrò ex *S. Altmanni* Biographi verbis elucet ſolidam diſciplinæ Canonicæ reformationem ab hoc S. Præſule fuiſſe factam, plurimis redditibus, ac donationibus tum antea à *Pelegrino* & *Engelberto* collatis, tum confirmatis pluribúsque adjectis ab hoc S. *Altmanno*, ut ideò

meritò

meritò credam paſſim Succeſſores Patavienſis Eccleſiæ in ſuis litteris ac Privilegiis enunciâſſe, quód *hæc Canonia de viſceribus Patavienſis Eccleſiæ funditùs ſit extracta*, ùt ajebat *Wernhardus* annô 1300. aut quòd *de Corpore Patavienſis Eccleſiæ primæva fundatione receperit originem.* ùt effatur *Albertus* ibidem Præſ · & fortaſſe meritò idipſum intelligi poteſt de prima Colonia Patavio huc miſſa, de qua tamen alioquin certa ſcientia non habetur, an *Altmanni* tempore in Cathedrali votivè vixerint ſub regula S. *Auguſtini.* Profectò multa & nervoſa dicere voluiſſe hos eximios præſules illis verbis *de Viſceribus* & *de corpore Patavienſis Eccleſiæ* San-Hippolytinam Canoniam recepiſſe originem, nemo non videt, neque id cenſendum eſſe de ſolis bonis ac redditibus inde collatis optimè arguit Reverenpiſſimus noſter; &, ùt dixeram, mihi penè in argumentum hæc verba eſſent, *Altmanni* tempore Patavienſes Cathedrales Regulares fuiſſe, ſi modò vel adhuc ſuppeteret vetus documentum, *Altmanni* acta planiùs declarans.

Deníque habemus ex inſtrumentis à Duellio hujus loci Canonicô editis, Reverendiſſimos D. D. Præſules cum ſua Canonia cumprimis ob diſciplinæ illibatam obſervántiam & devotionem ad Eccleſiam univerſalem, tum à ſuis ordinariis, cum à Concilio Baſileenſi plurimùm fuiſſe commendatos; hinc quoque legimus annô 1301. Dominum Præpoſitum hujus Canoniæ ùt videtur, *Eckhardum* cum aliis denominatum fuiſſe à *Bernardo* Epiſcopo Patavienſi ad viſitandas omnes Eccleſias Cathedrales ipſi ſubjectas infra Anaſum conſtitutas. Anno quoque 1471. *Georgius* Præpoſitus in Capellanum ab Archi-Epiſcopo Salisburgenſi *Bernardo Rohr* aſſumitur, peculiaris epiſtolæ in hunc finem extraditæ teſtimoniô roboratus, in qua pariter reperimus, hunc *Bernardum* aliquando iſtius Collegii fuiſſe Canonicum, ut aſſentitur Hanſizius; quippe quòd in laudata ad *Georgium* Epiſtola diſertè dicat *Bernardus ſe in minori ſtatu cum ipſo Georgio in dicto monaſterio vitam egiſſe.* Quamvis verò hæc ſecundùm litteram non omninò oſtendant *Bernardum* fuiſſe Hippolytanum profeſſum; quis enim neſciat, ſæpiùs ſæculares Clericos convixiſſe in eodem cœnobio Regularibus Canonicis, nolim tamen omninò huic aſſertioni diſſentire, eò, quòd necdum ſatis ſinceritatem hujus Epiſtolæ, nec ſynchronam veritatem necrologii Hippolytani, cui pariter inſertus dicitur *Bernardus Monaſterii hujus profeſſus*, licuit examinare. Cæterùm coluntur iſthic quoque duorum Sanctorum Anonymorum reliquiæ, quæ non ſine prodigio feruntur ſub annum 1209. fuiſſe reperta, de quibus præter ea, quæ tum ab Antverpienſibus in ſuis SS. actibus tum à Clariſſimo Pezio, promuntur, nobis nil ſupereſt, ut addamus.

Exiſtit in urbe hujus nominis vulgò *Sanct-Pöltn* ad fluvium Trigiſanum. Miſcellan. Duellii. L. 1. & 2. Hiſtor. Friſing. P. 1. p. 41. ſcript. rerum Auſtr. t. 1. p. 739. acta SS. ad diem 19. Junii Mabill. Annal. Bened. L. 22. n. 12. Germ. Sacr. Hanſiz. t. 2. p. 517. & t. 1. p. 244. &c.

S. Jacobi Virginum Canonicarum Prioratus. Seu Præpoſitura. *Fund. an. 1141. Floret.* Pauca de hoc parthenone, quæ penè emendicare ad notitiam aliquam oportuit, communicabimus: Eccleſiam iſtam anno 1113. à *Leopoldo* quinto Divi filio aut conditam aut condi cœptam legimus; occaſionem dante huic ſtructuræ imagine quadam ſculpta *S. Jacobi*, ad hunc præclarum

rum Marchionem, dum propè Viennam ad littus torrentis perambularet, aquæ ſubſidio delatam, & miniſtrorum haud dubiè manibus è rivo ſuſceptam. Quo poſtmodum tempore Virgines quædam piæ ex Carinthia huc appulerint, Eccleſiæ ſibi conceſſæ Monaſterium adjacentes, incompertum habeo. De inſtituto religioſo ſuſcipiendo fluctuantibus *S. Auguſtinus* in ſomno comparens dubium dicitur ſuſtuliſſe. Ex quo tempore in leges non minùs hujus inclyti Doctoris, quàm inſtitutum Canonicum juràſſe cenſentur, quale hodiedum piè, ac illibatè obſervant.

Exiſtit in Metropoli Vienna. Vien. Glorioſ. pag. 11. Germ. Auſtr. p. 8.

Fund. ſæc. 11. floret. Kirchbergenſe S. Jacobi Prioratus vel Præpoſitura.

Antiquitate præcipuè venerandum eſſe hoc ſacrum Gynæceum nobis perſuadent vetuſtiſſima, quæ propriis oculis luſtravimus, documenta, quorum unum de anno 1108. diſertè affirmat, teſtatúrque jam in loco iſto Eccleſiam conventualem fuiſſe, habuiſſéque Monaſterium Sanctimonialium adjunctum. Penè tamen poſtmodum exoleviſſe in hoc eodem loco religioſam obſervantiam immodicè oſtendunt, probantque litteræ *Friderici* Saliſburgenſis Archiepiſcopi, in quibus ad *Bernardum* Seccovienſis Diœceſis Antiſtitem præter alia hæc enuntiat: *Religioſam vitam eligentibus congrua nos oportet conſideratione proſpicere, nè cujuſquam neceſſitatis occaſio aut defides faciat, aut robur, quod abſit, converſationis infringat. Hinc eſt, quod nos devotarum in Chriſto filiarum Gertrudis & Mechtildis videlicet de Kranichberg in ordine aliquo approbato ſervire ſimpliciter Domino dominantium multo devotionis deſiderio quærentium & maximè in Eccleſia de Kirchberg Parochiali noſtræ Diœceſis, quam conventualem deſiderant fieri &c.* Adverto autem lapſu temporis factum, ut, quæ jam antea Conventualis, anno nempè 1108. imò & antea extiterat, poſtmodum, maximè bellorum violentiis fracta, in parochialem commutaretur. Nam *Pius ſecundus* Pontifex in ſua Bulla anno 1461. conceſſa apertè ait: hanc S. Jacobi Kirchbergenſem Eccleſiam, antequam in Parochialem erigeretur, prioratum conventualem extitiſſe, & à quadam Domina de Kranichberg primitùs conſtructum clauſtrum fuiſſe Sanctimonialium, confirmat Ottokarus Bohemiæ Rex anno 1271. datis Regiis litteris. Ex quibus patet, non exiguam injuriam Virginibus ſacris irrogari, ſi eisdem vetuſtiſſima, quæ habebant in hanc Eccleſiam, jura infringantur, utpote quæ Eccleſia cum omnibus proventibus ex fundationis jure clauſtralis fuerat, & poſtquam in parochialem tranſiit, hac ipſa de cauſa iterum pleno jure Monaſterio cum omnibus proventibus *Pio II.* definiente unita & incorporata eſt hac unica obligatione adjecta, ut ipſæ Virgines unum aut duos Capellanos (qui Eccleſiam inofficient) ad ſuum tamen arbitrium, nulla perpetuitate Beneficii (quippè non Capellanis, ſed clauſtro ſeu Parthenoni affixi & perpetim inviſcerati) conſtituant, atque ſecundùm præſcriptos Canones ſuſtentent.

Erant igitur jam ſæculi 12. initio, imó fortè adhuc citiùs in hoc loco congregatæ Virgines ſacræ, quarum inſtitutum ſi prudenter augurari libeat, ſecurus dicam jam primitùs Canonicum atque ſub regula *S. Auguſtini* perſtitiſſe. Movet ad id aſſerendum, teſtimonium Dietrici Epiſcopi Laventini de anno 1323. datum; tum enim exortalis inter veſtales Virgines ob habitum

bitum religioſum, quem geſtandum baberent? cùm componi neſquiret, ad ipſum devoluta eſt ordinarium, ſubmiſſus ad curandam compoſitionem *Dietricus* eſt, examine igitur præhabito, cùm de fundatione loci, ac ordinis inſtitutione ibidem, videlicet *S. Auguſtini* (ut inquit idem Epiſcopus) tam ipſæ ſanctimoniales, quàm dein *Rector* ac *Corrector* earum (ut nuncupatur in laudato inſtrumento) cum litteris & privilegiis, quibus munitæ erant, concordarent, de habitûs portatione hæc edixiſſe idem Rector memoratur: *Quòd habitum illum, quem nunc geſtant, ſeu portant, videlicèt pallium nigrum, & tunicam Albam, & Zonam ſeu cincturam ad nudum corpus, & absque camiſiis hucúsque portaverunt, præter quasdam, quæ nuper ex mandato Archidiaconi camiſias portare cæperunt. Poſtea audivimus* (inquit Dietricus) *Prioriſſam & ſanctimoniales prædictas, & quamlibet ſingulariter, & ſecreto, quæ juratè omnes & ſingulæ concordant, de fundatione loci & ordinis inſtitutione cum litteris & privilegiis nec non cum Domino Hainrico præfato, & ſimiliter de habitûs deportatione, quæ etiam interrogatæ, quare, & ob quam cauſam magis portarent habitum congruentem & convenientem ordini & regulæ Prædicatorum, quam ordini* S. *Auguſtini, quem aliæ ſanctimoniales civitatis Diœceſis & Provinciæ Salzburgenſis portant, & portare conſueverunt: quarum aliquæ reſponderunt, ſe neſcire cauſam, major pars earum reſpondit, quòd propter hoc erat, quòd Prædicatores plus eas frequentabant, quam Canonici Regulares, qui Prioriſſam, & alias inducebant ad illum habitum deportandum, & ad quasdam alias obſervantias obſervandum. Ex quibus dicebant, & nos invenimus, non parvum ſcandalum, & diſcordiam multam de portatione habitûs inter ipſam Prioriſſam, & conventum ſanctimonialium prædictarum ſubortam, ex quo per certas conjecturas timebamus, & ſuſpicabamur vehementer, non ſolùm periculum animarum ipſarum, ſed & mutationem & ſubverſionem ſtatûs imminere, nósque circà officium nobis commiſſum volentes jugem ſollicitudinem adhibere, & præcavere prædictis, duximus Reverendorum Patrum videlicèt Domini Chunradi quondam Archiepiſcopi Salzburgenſis & Domini Bernhardi quondam Epiſcopi Seccovienſis veſtigia imitari, inſtitutionem & confirmationem Ordinis & Regulæ S. Auguſtini in dicto loco Kirchberg manu tenere, & ipſi devotæ inſtitutioni & inconvulſæ confirmationi reverentiam omnem exhibere, ſancto quóque Patri Auguſtino, cujus regulam profeſſæ ſunt, debitum honorem impendere, ſcandala removere, & diſcordias ſedare, Fundatorum pias intentiones adjuvare de voluntate & conniventia & conſenſu Prioriſſæ & Conventûs, & auctoritate nobis in hac parte easdem concordando commiſſa &c.* Ex quo teſtimonio luculenter elucet, ex fundationis origine has Virgines & regulæ *S. Auguſtini* devotas fuiſſe, & mancipatas inſtituto Canonico, quippè quòd tum temporis regulæ *S. Auguſtini* non aliæ veſtales Virgines addictæ haberentur in Diœceſi & provincia Salisburgenſi. Néque tenendum, ut quibusdam viſum eſt, Kirchbergenſes Virgines aliquando Ord. S. Dominici exſtitiſſe, cùm præfatum documentum manifeſtè convincat, eas contra inſtitutum, & ex quadam ſolùm irrepente ignorantia habitum Ord. Prædicatorum geſtâſſe, atque ideò mox abrogatum hoc inſolitum fuiſſe indumenti genus, præceptúmque, *ut perpetuò ferrent & portare deberent habitum, quem geſtant ſanctimoniales de ſummo Salzburge ejusdem Ordinis S. Auguſtini, nè membrum videatur quaſi à capite diſcordare, & tanquam pars à ſuo toto, videlicet à prædicta Eccleſia Salzburgenſi & cæteris ejusdem*

dem Diœceſis ac provinciæ & Ordinis eundem habitum geſtantibus, *diſcrepare.* Ut idem inquit Viſitator *Dietrſus.*

Hic parthenon hodiedum præclarè floret, & usque nunc celſiſſimo Principi Salisburgenſi tanquam ſuo ordinario ſubeſt, quem ſicut ſibi ſemper protectorem expertus eſt Clementiſſimum, ita & continuatò patrociniò, nunquam defuturum confidit.

Exiſtit propè Neoſtadium in confiniis Auſtriæ & ſtyriæ: Document. Domeſt. Cod. Diplom. Bernardi Pez. part. 2. & 3. ſparſim.

Fund. ſæc. primo Extincta. Laureacenſis S. Laurentii Cathedralis. Mitto eò faciliùs, quò feliciùs jam à clariſſimo Germaniæ ſacræ Authore elucubratam primævam hujus Eccleſiæ hiſtoriam, eáque omnia, quæ ſeu primos hic loci præſidentes Epiſcopos, ſeu originem conditæ Eccleſiæ, ſeu erectæ ſedis Cathedralis &c. reſpiciunt, & eruditos ad geminam diſſidendi partem trahere ſolent. Tantummodò id mihi hic igitur negotium eſſet, ut oſtenderem, poſtquam à ſæculo ſaltem tertio ordinaria Laureaci ſedes Epiſcopalis firmata eſt, Clericos quoque ibidem votivos vixiſſe; ſed nec in iſto multum operæ pooeodum, nam quemadmodùm ex hactenùs dictis conſtat, néque primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopos ſine ſocietate clericali, néque hanc ſinè votiva converſatione vixiſſe, ambigi nequit, Eccleſiam quóque Laureacenſem ejusdem inſtituti homines informâſſe. Hinc cum *Vrvilo* Cathedram Laureacenſem primus transferens, collocaret Patavii, Canonicos ſimul monachósque ad ſæculi 8vi medium æquè illo deduxit teſte *Arnulpho* Imperatore, ut legitur in ejusdem diplomate anno 898. extradito Patavienſi Epiſcopo *Wichingo.* An Eccleſia Laureacenſis, quam Canonici cum *Vrvilone* incoluerant, illa ipſa fuerit, quæ nunc S. *Floriani* cum auguſto monaſterio Canonicorum Regularium conjuncta eſt, ut vult Germaniæ ſacræ Author, difficulter aſſenſero, certè Laureacum quſque Geographi, quin hic Author ipſe, eo in loco ſtatuit, ubi Anaſus à Danubio excipitur, à quo loco tamen *S. Floriani* Collegium aliquantum ſupra Anaſum deflectit, ut ideò non videam, cur Laureaco propriam ſuam negemus Eccleſiam non *S. Floriano*, ſed *Laurentio* ſacram.

Audivimus autem tranſtuliſſe *Vrvilonem* Laureaco Patavium Canonicos & Monachos: non negligit in hæc verba commentari doctiſſimus Hanſizius, fuiſſe *Vrvilonem* aliorum antehac & alibi Epiſcoporum illectum exemplo, ut in eodem Monaſterio Cathedrali jungeret Monachos Canonicis, ſed *ſæcularibus* non *votivis*. Minimè verò me in hoc aſſerto concedere aliquid huic eximio ſcriptori, patet ex toto priori tomo, patet non minùs ex ſparſim hinc inde præſenti in tomo exaratis, ac eumprimis ad præſentem rem facit teſtimonium, quod de Magdeburgenſi Eccleſia ex antiquiſſimo chroniſta adduximus, ubi cùm Monachi curæ animarum ſervire nequirent, juſſi potiùs ſunt emigrare. Iode aſſignata iisdem alia D. *Joannis* ad montem Eccleſia, quodſi tamen alicubi, uti Romæ ſub *Gregorio Magno*, aut *ſecundo* ad eandem Eccleſiam rogarentur, factum id, ut quotidianum in choro penſum aliáque in templo munia agerent, Canonicis in cura animarum, Monachis ſemper tum inhibitâ, occupatis. Deinde nè Canonicos cum Hanſizio tam facili negotio ſæculares ſub *Vrvilone* dicamus, prohibent teſtimonia propè evidentia votivam vitam io Canoni-

nonicis paſſim aſſerentia. Et profectò longè procliviùs erat oſtendere, quo pactò *Canonici* vocabulum ex ſui interpretatione nativa primùm Regularibus, poſtmodùm, ex accidenti, ut nimirum Canon matriculam ſonare apud Græcos cæperat, præbendatos quóque, quamvis non votivos indigitaret, ut ideò biviâ hac ſignificatione ſemel inductâ nulla culpanda ſit tautologia in Regularibus Canonicis.

Quod itáque *Arnulphus* de Canonicis, ego ſub hoc uno nomine intelligo de regularibus, maximè pro temporibus *Virilonis*, quibus certè nondum prævalebat illa ſæcularium Canonicorum nuncupatio, ut nos alibi ex *Caroli Magni* initio ſeculi octavi adhuc viventis quodam Propoſito erotemate oſtendimus, nec minùs ex Cypriano didicimus, ſportulantes Fratres qui fuerint? certè tum non Canonici ſub hac, qua autumat vir clariſſimus, interpretatione, quod ipſum citato loco explanavimus. Atque iſta de Laureacenſi Eccleſia dixiſſe ſufficiat, quæ à longiſſimis temporibus ſub tanta ruina jacet, ut nè ejusdem rudera ampliùs pro certo monſtrari valeant.

Exſtitit, ut diximus, ad confluxum Danubii & Anaſi. Hanſiz. Germ. ſac. tom. 1. ab initio paſſim. videatur etiam Pagii Crit. tom. 4. ad an. 979. n. 3. Chron. Laureac. Epiſc. tom. 1. ſcript. Auſtriac. Col. 5. vita S. Maximil. Archiep. ib. col. 13. ſeq. &c.

Fundat. 1337. Floret.

Laurentii virginum Canonicarum Prioratus vel Præpoſitura. Annô 1337. ab Ottone I. & Friderico. III. Auſtriæ Ducibus fundatum hoc Gynæceum legimus, & Monialibus quibusdam, cujus neſcio, inſtituti contraditum. His ſenſim decedentibus, nè ſacer locus vacaret, ſucceſſêre virgines Canonicæ ſub regula ſancti *Auguſtini*, quæ modicam ante hac extra urbem Viennenſem Capellam incoluerant in loco *Prater* dicto.

Floret hic adhuc parthenon in urbe Viennenſi. Vienna Glorioſa pag. 12.

S. Mariæ de coronato, Præpoſitura. Fundat. Ord. Teut. Olim Canonicorum Regularium fuiſſe, ſed annô 1225. ceſſiſſe Theutonicis Equitibus per *Innocentii IV.* aſſenſum, legitur, de quibus tamen Ughellus, & Coletus nil omninò meminerunt, fortè quòd noſtris temporibus penitùs perierit.

Exiſtit in urbe Tridentina. *Deſcrip.* Comit. Tyrol. *Ughel. tom. 5.* à col. 583.

S. Michaëlis, aliàs Welſch Michaël, Abbatia. Fund. an. 1145. floret. Originem eidem dedêre Comites de Eppan *Udalricus*, ac Filius ejusdem *Henricus* annô 1145. extructâ in ſuo dominio *Königsberg* Eccleſiâ cum cœnobio, inductísque in id Canonicis *S. Auguſtini*, anteà ad S. *Florianum* ſubſiſtentibus. Dotem auxerat cum conſenſu *Innocentii VI.* ſummi Pontificis Marchio *Ludovicus* de Brandenburg attribuens parochiam *Salum* cum proventibus *univerſis*.

Exiſtit, florétque adhuc in pago S. *Michaëlis* propè Trientum ad Athaſim. fluv. Deſcript. Comit. Tyrol. Ughel. tom. 5. col. 588.

Neocellenſe S. Mariæ ad gratias, Abbatia. Fund. an. 114[?]. floret. Quis neget? inſigni prærogativæ cedere, *Hartmannum*, ſanctum illum Brixinenſem Antiſtitem ſi non fundatorem, certè Authorem eſſe inclytæ hujus Canoniæ; vixdum enim ſedem iſtam vir hic nulli eo tempore ſanctitate ſecundus conſcenderat, proximum ſibi optavit, voluítque Canonicorum

rum Regularium Collegium, quale tunc Tyrolis necdum viderat. Igitur *Reinberto* Nobili Dynaſtæ de Suben, & Saboníenſi Caſtellano Author exſtiterat exſtruendæ ſuo in fundo nobiliſſimæ huic, de qua nobis ſermo eſt, Canoniæ, *quæ etiam*, ut inquit, *B. Hartmanni* Biographus, *Dei adjutorio, & per Beati viri merita tam in religione, quàm in perſonis Eccleſiaſticis, & in rebus temporalibus in brevi adeò profecit, ut antiquis Eccleſiis æquiparata de Theſauro ſuo nova proferre poſſet, & vetera.* Tanto verò affectu exarſerat fundator, ipſe in hoc à ſe novum conſtructum monaſterium, ut diſtributis omnibus bonis ſuis, renuntians ſæculo, religionis in eo habitum ipſe ſuſceperit, qui etiam *poſt* hujus vitæ curricula conſummatis iis, quæ circa ipſam Eccleſiam facere decreverat, felici fine quievit.

Primum, qui novellæ congregationi præeſſet, acceſſivit *Hartmannus Henricum* Clauſtroneoburgenſem Canonicum, annô 1143. quo circiter tempore haud dubiè potior monaſterii pars ad ſtructuræ apicem perveniſſe videtur. *Henrici* præclares dotes acta de eo conſcripta teſtantur, ſed non niſi communi laudum genere congeſta: mirum verò, Chroniſtam Neoburgenſem nullam illius feciſſe mentionem; neque *Rudigeri*, quem tamen eundem fuiſſe, qui ad Clauſtro-Neoburgenſem Præpoſituram in defuncti fratris *Marquardi* locum aſſumptus eſt, vix ambigo.

Porrò quod reliquam hiſtoſtoriam hujus Canoniæ attinet, licèt eandem nacti ſimus, multa tamen adhuc deſiderantur, præcipuè Bullarum, ac privilegiorum autographa, aut ſaltem transſumpta, quorum copioſa ſeries ſummariè, & curtatim deprompta nihil confert ad medullam hiſtoriæ.

Floret autem hæc Canonia noſtris temporibus. Exiſtit propè Brixinam Chron. Clauſtro-Neoburg. tom. 1. ſcript. Auſtriac. col. 446. Metrop. Saliſb. Mezger. L. 3. C. 5. in fine Hund. Metrop. tom. 3. pag. 81. & tom. 1. p. 299. & Gewoldus in addit. pag. 320.

Neoſtadienſe, S. Udalrici Præpoſitura. Fundaverat annô 1444. *Fridericus Imperator in ſacello Caſtri ſæcularium Canonicorum Collegium ad laudem omnipotentis Dei, & in honorem ipſius virginis glorioſæ &c. ut ibidem divinum cultum ordinabiliter, & devoti peragerent: donec illis de alia Eccleſia provideretur:* Erat enim ſacellum iſtud in dicto novæ civitatis caſtro (quod nos aliàs Burgum ſeu aulam, quam Princeps incolit, nuncupare ſolemus) uni capellano aulico commiſſum, dein hac *Friderici* fundationem collegium immutatum. Quindecim effluxêre anni, cùm idem *Fridericus* his Canonicis Eccleſiam parœcialem *S. Udalrici* contulit, atque cum nè Caſtrenſis Eccleſia cultu divino imminueretur, ſucceſſêre ſæcularibus Regulares, annô nempè 1460. ùt patet extraditionem litteris à *Friderico* neo-inductæ coloniæ conceſſis, in quibus vernacula lingua hæc ediſſerit: Als wir mit wohlbedachten Muth / rechter wiſſen, und zeitigen Rath, ein Convent und Kirchen in unſer Burck auf dem Chor zu der Neuſtatt / mit Fürſatz / das darin ewiglich wohnen / und ein Convent machen / und ſein Pullen Probſt, Dechant / und Convent der Chor-Herrn *S. Auguſtinus* Regl gebauet / erhebt, und geſtifft ꝛc. confirmavit fundationem ſummus Pontifex, ſed de quo mox inferiùs. *Fund. an. 1460. Sæcular.*

Dilapſo octo annorum circulo *Fridericus* Imperator Neapolim

lim ſuam novo honore aucturus Epiſcopatum conſtituit ad Eccleſiam B. V. M. fundato Canonicorum ſæcularium collegio; cùm verò idem Imperator Author quóque fieret in terras ſuas inducendi *Equites S. Georgii*, illísque ex decreto *Pauli II.* ſummi Pontificis pro domicilio aſſignâſſet *Monaſterium Milſtat*, *Domum* ſeu *praeceptoriam Margberg S. Benedicti*, *Hoſpitale S. Martini* aliàs *monaſterium Wiennenſe* nuncupatum, ac deníque *Capellam B. Mariæ in Monteſtraden*, idque eôdem inſtituti Neoſtadienſis Epiſcopatûs annô 1468. decurrentibus iterum undecim annis per *Sixtum IV.* inſtante Imperatore decretum eſt, ut Epiſcopatus hic Neoſtadienſis cum ordine Georgiano uniretur, ita quidem, *ut Epiſcopus, ac ſingulæ de eodem capitulo perſonæ, poſteàquam eosdem Canonicatus, & præbendas per ceſſum, ac deceſſum modernorum Canonicorum vacare contigerit, de cætero perpetuis etiam futuris temporibus eorundem ordinis, & militiæ ſint, & illum profiteantur. Præterea, ut primus in eodem ordine dignitate, & præeminentia ſit Epiſcopus Novæ civitatis, poſt illum verò ſecundus ſit Magiſter Generalis.* Quæ tamen conſtitutio *Sixti* mox annô ſequenti immutata eſt per novam bullam annô 1480. ſignatam, in qua decernitur: *ut magiſter Generalis ſit in ordine primus, Epiſcopus verò ſit ſecundus.* Annis exindè vix ſeptem abeuntibus Rex Hungariæ *Matthias* notis illis motibus concitatis adversùs domum Auſtriacam Neapolim an. 1487. poſt diuturnam obſidionem fame ſuffocante expugnavit, poſſedítque, donec morte ſublatus *Maximiliano* Romanorum Regi eandem hanc urbem cedere cogeretur, intereà pleríſque locis ſacris penè ad incitas redactis; quibus tamen *Fridericus* cumprimis paterna cura ſuccurrit: Canonicos profectò Regulares hactenùs parochiam *S. Udalrici* annô 1478. &c. Caſtrenſi cœnobio illuc tranſlatos, incolentes præcipuô patrociniô. foviſſe ex diplomate annô 1493. emanante comperimus, in quo inquit: *Dum autem præfatum S. Udalrici parochialem Eccleſiam, & monaſterium ibidem per nupernas Guerras inter nos, & quondam Matthiam Hungariæ Regem, & ob alias notabiles cauſas ad ſolum devaſtata ſunt, ut igitur iidem religioſi non exulent, nec ſine reſidentia, & domicilio relinquantur, ſed in placita ſubſiſtentia, pluribus honoribus provideantur, ac promoveantur, nos ex ſpeciali intentione, & amore, quem in eundem ordinem habemus, commoti ſumus, ut apud Beatum Patrem noſtrum Papam laborando ageremus, quatenùs ſua ſanctitas B. Virginis Cathedralem Eccleſiam in ipſa noſtra nova civitate, quæ antehac ordini ſancti Georgii incorporata, & eidem ordini inutilis fuerat, ab eo abſtulerit, & venerabili honeſto, dilecto noſtro devoto Auguſtino Epiſcopo ibidem ad Novam civitatem, & præpoſito, Decano & Capitulo prætacti ordinis S. Auguſtini incorporavit, & univit, ut poſthac iidem præpoſitus, & conventus, & eorum ſucceſſores ſub prædicto Epiſcopo, & ejus ſucceſſoribus ſui ordinis reſidentiam, & domicilium apud memoratam Cathedralem Eccleſiam habeant, quod nos exindè benè præmeditando maturo conſilio noſtrorum Principum Eccleſiaſticorum, & temporalium comitum, & aliorum noſtrorum fidelium, & juſta notitia præmemorato Epiſcopo, Præpoſito, Decano, & Capitulo cum ſuis hominibus, bonis, utenſilibus & redditibus prædictæ Eccleſiæ S. Udalrici, & quidquid peculiariter fundavimus, & contulimus, juxta Papalem hanc translationem ad præfatam Cathedralem Eccleſiam ordinavimus, & conſtituimus. Ordinamus, & conſtituimus quoq; ſcienter in vigore harum litterarum ita, ut illi, & eorum ſucceſſores præfati ordinis S. Auguſtini*

apud

apud eandem Eccleſiam Cathedralem ſuam reſidentiam, & domicilium habeant juxta ſuam regulam, & ſtatuta, ſicut ab antiquo conſuetum fuit, vivant, cultum divinum cum quotidiano cantu horarum Canonicarum diù noctúque de cætero laudem, ac gloriam Omnipotenti Deo, Genitrici ſuæ, & omnibus ſanctis, ſine fine perficiant, & tam ſuis, quàm ipſius Eccleſiæ utilitatibus, ac proventibus ad utriúsque conſervationem utantur. Habitum quoq;, & veſtitum in Eccleſia, & foro cum violaceis palliis, & in Eccleſia cum cappis ex murum ponticorum pellibus habere, & portare valeant, coram omnibus imperturbatè, & alioquin in obſervantia, & regula eſſe debeant, qualis in Monaſterio S. Dorotheæ obſervatur &c. itáque hoc annô in poſſeſſionem admiſſos fuiſſe Canonicos noſtros, indubium eſt. Quamvis mors Imperatoris *Friderici* paulò pòſt ſecuta nempe 14. Cal. ſept. moram aliquam injicere facilimè potuerit; attamen non injeciſſe, colligimus ex inſtrumento anni 1498. quo Canonici ſede vacante officialem inſtituerant, in eo enim ſic legitur: *Bernardus Præpoſitus, Petrus Decanus, totúmque Capitulum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Kathedralis Eccleſiæ S. Mariæ in Nova Civitate &c.* anni quoque 1505. Charta hoc initium præfert: *Bartholomæus Chablon Decretorum Licentiatus Venerabilium in Chriſto Patrum: & Dominorum Egidii Præpoſiti, Sebaſtiani Decani, totiúsque Capituli Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Cathedralis Eccleſiæ S. Mariæ in nova Civitate ejusdem Nova Civitatenſis Diœceſis vacante ſede in ſpiritualibus Vicarius Generalis, ac Curiæ ejusdem officialis.*

Porrò obſervat in ſua diſſertatione de fundatione templi Cathedralis Neoſtadienſis Duellius, *Maximilianum* primum teſtationem, vel fortè obteſtationem potiùs interpoſuiſſe ob primum *Friderici* Patris 1491. editum diploma, quo ipſe decreverat, ut ordo Equitum *S. Georgii* cum ordine Canonicorum Regularium in unum coaleſceret, & quia Ordo S. Georgii in poſſeſſionem Eccleſiæ Cathedrariæ hucúsque necdum venerit, inſequenti annô 1507. effectum dicti diplomatis ſeriò urſiſſe, ac demum executum fuiſſe, ſed quo poſt notatum mox annum, tempore, ignotum. Verùm & hic ordo in Cathedrali Neoſtadienſi diù non ſubſtitit, cùm ſciamus, Cathedralem non minùs, quàm ipſam quoque divini officii ſolennitatem ibidem defeciſſe, usquedum tandem annô 1692. *Chriſtophorus Royas* eos, qui antehac ſolummodò beneficiati habebantur, Canonicos Cathedrales, & quidem ſæculares eſſe voluit, de quibus diſcurrere noſtrùm ampliùs non eſt.

Cæterùm producit Duellius in ſuo faſciculo Epiſtolarum Bullam *Pii II.* ſuper colligatione quinque Monaſteriorum, nempè *S. Mariæ*, & omnium SS. in Caſtro Novæ civitatis: *in quo*, ùt Bulla inquit, *ſub regula Beati Auguſtini unus Præpoſitus, & unus Decanus, ac triginta duo regulares Canonici degentes obſequium Domino jugiter præſtare debeant.* Dein *S. Dorotheæ in Wienna, & B. M. V. in Tirnſtein, nec non utriúsque Joannis in Rotmanu, denique ejusdem Matris Dei in Glatz Pragenſis Diœceſis.* Statuit in hac Bulla Pontifex dicta monaſteria iisdem privilegiis, juribúsque gaudere poſſe, quibus *Martinus* Pontifex prædeceſſor ejus Windeſemenſe Capitulum donavit, ita quidem, acſi tenor Martiniani privilegii de verbo ad verbum inſertus Bullæ ſuæ foret. Certè ſi hæc bulla nullum contradictionem alioquin ſubire cogatur, ſummoperè dolendum, colligatio-

tionem iſtam jam diù fuiſſe diſruptam. Neque opinarer difficilem fore renovationem hujus bullæ à ſumma ſede obtinendam, ut colligatio illa tam laudabilis, & proficua reflorefceret. Verùm laborat hæc eadem charta, ut à Duellio prolata, non exiguo parachroniſmo: Nam ſubjectæ Chronicæ notæ: *Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimô, quadringenteſimô, ſexageſimô quintô Kal. Decemb. Pontificatûs noſtri annô tertiô.* Nunquam combinari poſſunt cum *Pii II.* regimine, quippe qui omnium hiſtoricorum calculo an. 1459. die 19. Auguſti creatus Pontifex obiit annô 1464. Auguſti die 14. igitur annum tertium ſui Præſulatûs *Pius* numeravit annô 1462. non ſexageſimô, quintô, & hoc annô jam *Paulus II.* quinto Kal. Dec. id eſt 17. Nov. *Petri* ſedem in decimum quintum menſem obtinuit: an igitur Duellius Originale, an apocryphum, quod deſcripſerat, ad manus habuerit, me fugit omninò, quo comperto, apertiùs dicere liceret, quod intereà ſentio. At hæc hactenùs.

Extitit in urbe hujus Nominis. Duell. diſſert. de fundat. templi Cathed. Auſtriaco-Neap. Germ. ſacra Hanſ. tom. 1. p. 487. & 519. Chron. Mellic. tom. 1. ſcript. Auſt. col. 268. Cod. dipl. Pez part. 3. pag. 430. Miſcell. Duellii parte 2. pag. 113. ſeq.

Fundat. 1482. Floret. Pöllenſe S. Viti, Abbatia. Fundatorem Pollenſis collegii conſtans cum Domeſticorum tum extraneorum traditio uſque ad hæc tempora aſſeveraverat *Joannem Liberum Baronem de Neuberg* hujus familiæ poſtremum: nobis quoque ad manus ſunt ejuſdem fundationis litteræ de annô 1482. à quibus non qualitercúnque popularibus, ac trivialibus teſtimoniis pro dicto fundatore haud licere credimus adeò facili motu deſilire. Quis enim credat, domeſticos ſaltem, hiſtoriam Pöllenſem ſcriptô tradentes tam ſocordi indagine laboràſſe, ut, dimiſſa Neubergenſi fundationis Chartâ, non potiùs litteræ *Friderici IV.* Imperatoris de annô 1485. aut *Maximiliani* de annô 1502. Cal. Maji Oeniponti datæ occurrerent, quibus docerentur, non *Joannem de Neuberg*, ſed *Fridericum* Imperatorem hujus Inclyti collegii extitiſſe Authorem. Profectò tam culpandæ oſcitantiæ nunquam ego viros illos damnabo, qui Pöllenſem originem Metropoli Salisburgenſi à Mezgeris editæ; *Gracio* etiam *topographicè* annô 1700. *deſcripto*, ac publici Juris factô, inſeri fecerunt, utrobique *Joanni de Neuburg* fundationis Jura deferentes, Litteræ *Friderici III.* & *Maximiliani* primi Imperatorum innuunt, Jus, ac dominium (quod in caſtrum Pöllau per obitum *Joannis de Neuberg* hi Principes tanquam ſupremi terrarum auſtriacarum Domini, obtinuerant) remiſſum fuiſſe, ut ultima *dicti Joannis de Neuberg* voluntas adimpleretur, verùm ſi hæc conceſſio *Fridericum* fundatorem conſtituit, non video, cur non omnium monaſteriorum Germaniæ illi principes fundatores habeantur, in quorum terris eadem conſtructa ſunt. Mea opinione longè aliud eſt, monaſterium fundare, aliud ad id fundandum conferre aſſenſum.

Licèt autem inter ſtyriæ collegia Canonica Pöllenſe iſtud recentius ſit, non tamen defuère eximii, ac præclariſſimi viri, qui illud tam virtute ſua, quàm doctrinâ luculentiſſimè illuſtràrunt. Primam, quam hæc Canonia ad ulteriorem propagationem recepit coloniam, Voravienſibus vicinis ſuis refert in acceptis, inde enim Præſul eo tempore, id eſt, annô

1504.

1504. *Virgilius* Canonicum ſuum *Udalricum* è familia Comitum de Trautmonſtorff, & tunc Decanum ſuum præpoſiti primi munus in Pöllenſi Aſcეterio obiturum cum quibusdam ejusdem gremii Canonicis dimiſit: Qui profectò vir, & vitæ moribus, & regendi prudentiâ integerrimus neutiquam ſuis partibus defuiſſe unquam compertus fuerat, velut hanc laudem ſibi à ſuis ſemper ſucceſſoribus meruit.

Cæterùm inſigniter hallucinatur in hoc noſtro *Udalrico* Bucellinus, dum ſcribit: *Udalricus de Trautmonſtorff Præpoſitus Pöllenſis Fundator Monaſterii Patrum Prædicatorum Neoſtadii claruit Annô* 1448. certè claruiſſe tum non potuit, cùm monaſterium Pöllenſe nec fortè adhuc annô 1480. primum fundationis ſuæ lapidem acceperit. Ego quemadmodùm de Dominicanis Neoſtadii tempore *Udalrici* fundatis nihil omninò ſuſpexi, ſic minùs longè in ullo aut ſcriptore aut monumento reperi Udalricum talis ibidem Monaſterii fundatorem, erat Udalricus Voravii à teneris religioni Canonicæ addictus, cujus adhuc ibidem teſtamentum profeſſioni ſacræ præmiſſum de annô 1467. habetur, quòd ſi legationis jure, ante tyrocinii terminum emiſſámque profeſſionem, ſeſe fundatorem præſtitiſſet, vix ambigam, memoriam hujus beneficii alicubi exſtituram, de quo tamen Pytagoricum ubique ſilentium. Neque hanc fundationem factam credas ab Udalrico tanquam Præſule Pöllenſi; Quippè, cujus non erat alienis Eccleſiis fundandis, ſed ſuæ novellæ ſtabiliendæ attendere: maximè cùm legamus proventus factæ fundationis adeò exiguos, *ut ſe Canonici exinde honeſtè ſuſtentare difficilimè potuiſſent*: niſi *Julio tertio* aſſentiente annô 1555. ipſa Eccleſia Parochialis Collegio cum omnibus proventibus incorporata fuiſſet. Denique quod præcipuum, ab hominum memoria nec cognitum quidem eſt aliquod Neoſtadii monaſterium unquam exſtitiſſe Patrum Prædicatorum.

Non omninò prætereundos quoque æſtimo geminos ſucceſſores Præſules *Chriſtophorum Tryckl*, & *Petrum Muchitſch*. Illum, qui virtuti ſuæ præmium in Infula Ratisbonenſi reperit, qua ampliorem meritorum colligendorum occaſionem nactus majorem inde, imò maximam ſibi mercedem in cœlis pararet. Alterum, qui Præpoſiti ſimul, & Archidiaconi Voravienſis diſtrictûs officium aliquot luſtris ſuſtinuit. Porrò dum ex parocho Græcenſi poſtulatum novimus utrúmque ad Præſulatum Pöllenſem, moveri quæſtio poſſet, an vinculis ſe religionis obſtrinxerint clavum adipiſcentes, an (quemadmodùm id ſæculo XV. non omninò inſolitum erat) ſub ſæculari Eccleſiaſtico (ùt dicere conſuevimus) ſchemate Præpoſiti curaverint munus? Petrum certè fuiſſe pro tuenda contra hæreticos intemerata Catholica fide Zeloſiſſimum, abundè ejus opera oſtenduat, quorum Elenchum Draudius hæreticus ſuæ Bibliothecæ librorum Germanicorum à ſe annô 1611. æditæ inſeruit.

Hæc Inclyta Canonia eximiè floret, & alterum veluti fundatorem veneratur, quem & nos operis noſtri Patronum prædicamus eximium Reverendiſſimum Perilluſtrem, ac ampliſſimum D.D. *Joannem Erneſtum*, qui ultra 44. annos præſedit, & quidem profeſſione religioſa Jubilæus, cujus unius ſolertiæ, cultûs Divini ſtudio, & ſagaciſſimæ, his alioquin invidioſiſſimis temporibus œconomiæ gratiſſima adſcribit, quidquid in ea Splendoris accrementi, & omnimodæ ubertatis oculis ſpectantium, illúcque confluentium admi-

admirandum offertur: nec dubitandum, quin Numen, quod laboribus ejus adeo Benedixit in terris, eos modò ſit munificentiſſimè remuneraturum in cœlis.

Exiſtit ad Sabam Fluv. docum. domeſt. Germ. Auſt. pag. 45. Bucel. ſtemoto Graph. tom. 4. pag. 238. Græcium Topograph. deſcriptum. L. 2. c. 4. p. 51. Draudius cit. pag. 330. Metrop. Salisb. Mezg. p. 1262. ſeq. Teuchmann. Alt und neues Oeſterreich.

Fund an. 1267. Doret. Porta Cœli Virginum Canonicarum Prioratus vel Præpoſitura. De hujus ſacri Gynæcei origine Ebendorfferus in ſuo Chronico Auſtriæ ſignavit ſequentia: *Annô*, inquit, 1267. *Gerhardus Plebanus Viennenſis conſtruxit clauſtrum ſanctimonialium Viennæ, quæ porta cœli dicitur, & eodem annô Petrus Patavienſis Epiſcopus prædictum clauſtrum dedicavit, & profeſſionem regularis vitæ ſecundùm regulam B. Auguſtini in ſuas manus à præfatis ſororibus ſuſcepit*, meminit ejusdem, & fundationis, & fundatoris Lazius quoque in ſuo Auſtriaco Chronico. Hanc profeſſionem ad regulam *S. Auguſtini* factam à præfatis Veſtalibus die 18. Julii anni 1267. teſtantur alia complura inſtrumenta, quæ adhuc in hoc Parthenone proſtant nobis meliori uſui profutura, ſi ad literam communicata fuiſſent, quàm illa, quæ transmiſſa hiſtoria per longum ex Laxio, Pazio, ac Hanſizio aliundè nota deducuntur. Neque nobis per inſtrumentorum fragmenta transſcripta quisquam conſulit, ſed per eorum transſumpta accuratè, & ex integro originalibus ſpondentia fideliter concredita.

Porrò triplicem hæc virginum ſacrarum canonia novæ immutationis Epocham ſibi conſtitutam habet: primam, qua ſui originem obtinuit ſub *Gerhardo*, ac pauló pòſt regulam *S. Auguſtini* ſuſcept. Secundam, dum aut reparavit deſolatam, aut certè reformavit enervatam per bellorum incurſus diſciplinam cum Eccleſia, ac clauſtro *Agnes archidux Auſtriæ*, & poſtmodùm Hungariæ Regina, & Conjux Andreæ ad mors Præmonſtratenſes hoc pacto, ut poſthac Virginibus ex Hungaria venturis deſerviret: Eccleſia ab *Agnete* novo Splendore condita à *Dietrico* Epiſcopo Dionyſienſi in honorem *S. Agnetis*, & *Catharinæ* annô 1331. conſecrata eſt: ex quo fortè colligere licet, huic anno aut circa affingendam fore ſecundam immutationis memoratæ epocham. Virgines ipſæ ab *Agnete* ad Præmonſtratenſem, ut diximus, normam conſtrictæ curæ commiſſæ ſunt Abbatis Geraſſenſis ejusdem inſtituti cœnobii ad fines Auſtriæ adhuc noſtra ætate florentis; & ſæculo XII. exeunte fundati ab *Egoberto* Perneckenſi Comite: quod mirari ſubit, ab Hygone ſtivagienſi in ſuis Annalibus Præmonſtratenſibus penitùs prætermiſſum.

Duravit Norbertina inſtitutio in hoc Parthenone usque ad ſæculi 17mi initium, quò cùm clauſtrum rurſum deſertum exiſteret, tertia immutatio ac reparatio ſecuta eſt, quam mandante *Paulo 5to* ſummo Pontifice curavit *Franciſcus de Dietrichſtein* Epiſcopus Olomucenſis. Primam inſtantiam ad hanc reformationem exegerat *Matthias* cum Auſtriæ Archidux & Gubernator, ùt Bulla dicti Pontificis enuntiat data anno 1605. verùm jam anno 1586. inducta iſthuc Barbara Dorothea Bauhofferin fuerat, translata ex monaſterio Canonicarum Virginum S. Jacobi cum ſex ſodalibus, ut interea providerent locum deſolatum ob peſtem eo anno (ſalva unica ſancti-

mo-

moniali locum ideò dimittente, ac in Hungariam Patriam ſuam remeante) omnes reliquas Virgines ſuſtollentem. Atque ab eo tempore exſtincto Præmonſtratenſium inſtituto pariter cum illis, florere cœpit Canonicarum *S. Auguſtini* vivendi norma, ſublata ſimul omni dependentia à Geraſenſi Cœnobio. Verùm ne quid de optima reſtauratione hujus Parthenonis deſideraretur, manum adjutricem omni conatu adhibuit Eminentiſſimus Cardinalis & Epiſcopus Viennenſis *Melchior Kleſsl*, dirutas clauſtri ædes reſtruxit, dotem optimam adjunxit, clauſuram Virginibus firmavit, deníque ſaluberrima ſtatuta contradidit, quorum obſervantiâ regularis Diſciplina in ævum retineretur.

Exiſtunt in hoc venerando ac inclyto Gynæceo multa ſacra Cymelia; ùt ſunt: Crucifixi imago duplex, una huic loco data à laudato Cardinali Kleſſelio, altera, quàm tenerrimè coluiſſe dicitur piiſſimæ memoriæ *Eleonora* Auguſta; præterea Corpus *S. Valentini* Martyris Dominica poſt Feſtum *S. Annæ* iſthic annuè honorari publicè ſoliti; quod ipſum contingit cùm ſtatua quadam Beatiſſimæ Virginis, quam Matrem familiàs Virgines nuncupant, alioquin in ſacello domeſtico privatæ conventûs devotioni propoſita, ſed quam annuè octo diebus, Virginis aſſumptæ feſtum præcedentibus, in publica Eccleſia totius populi copioſiſſimè confluentis pietati avidóque conſpectui (veniâ Nuncii Apoſtolici anno fortè 1686.) exhibere conſueverunt, ſunt adhuc complura, quæ quidem eò promptiùs in ipſo opere nos enarranda ſpondemus, quò communicata hactenùs ex hoc Parthenone documenta diffuſiore liberalitate, maximè quoad Privilegia & inſtrumenta, augebuntur.

Floret hic Parthenon in ipſa Metropoli Vienna. Docum. Commun. Germ. Auſtr. p. 8. Ebendorff. Chron. Auſtr. tom. 2. ſcript. Auſt. col. 733. cod. dipl. Pez. p. 120.

Rottenmannenſe S. Nicolai Abbatia.

Fundat. 1341. floret.

Quanto inſtitutum noſtrum Canonicum affectu complexus ſit *Fridericus* tertius, teſtantur complures ſacræ ædes, aut ex origine, aut dotatione ab hoc Principe peculiari favore eidem adſcriptæ, ut ſi faventiori cælo ejus regimen pax atque concordia comitata fuiſſet, vix opiner, ulli plus obſtrictum fore ordinem noſtrum in Germania, quàm hujus optima quæque volentis Cæſaris pietati. Verùm non ſolùm exteri hoſtium inſultus, ſed cumprimis inteſtina ac civica bella plurimùm impediêre tam eximia molientis Principis propoſitum. Hic igitur ipſe collegio quoque iſti, de quo agimus, faviſſe adeò dicitur, ut communi, ac imprimis *Callixti* Papæ, hujus fundationem confirmantis, teſtimonio ejuſdem Fundator aſſeratur.

Originem tamen genuinam monumenta vetera adjudicant *Wolffgango Diez* civi Rottenmannenſi & Prætori * Cæſareo, hic cùm Capellæ extra muros civitatis Rottenmannenſis anno 1341. cujuſdam militis *Marquardi* beneficio in Honorem *B. V.* & *S. Joannis Evang.* conditæ adjecto per eundem Hoſpitali nova dote anno 1439. ſuccurreret, & in dies penè augeret in ea fervorem pietatis, demùm anno 1451. firmaturus in ævum cæptum in hoc loco Dei cultum *Friderico* prædicto ſupplicem ſe ſtitit, ut ſua Authoritate Canonicos Regulares ibidem conſtitueret ex Viennenſi *S. Dorotheæ* aſceterio advocandos; annuit propenſiſſimus aliunde ad omnem virtutem Princeps, expeditis hunc in finem dicto

* Vulgò Ammann.

ćto anno litteris ſignatis Græcii in Feſto *S. Andreæ*, ſeque fundatorem fore benigniſſimè promiſit, curâ interea tum conſtruendi Monaſterii, tum augendæ dotis laudato *Wolffgango* demandatâ: ſpopondit idem augmentum ſuſtentationis additurum. Verùm ùt referunt hujus collegii documenta, diſturbavit tam pia volentem aſſidua bellorum ferocia intùs foriſque debacchans, ærariúmque Principis enormiter exhauriens. Nè tamen nullam præſtitiſſe ultra fundationis conſenſum *Fridericus* munificentiam arguerетur, ſolerti opera apud ſummam ſedem incorporationem parochialis in urbe Eccleſiæ *S. Nicolao* ſacræ obtinuit, litteris eum in finem ad ipſum *Callixtum* per proprium Secretarium *Jacobum de Kramburga* tranſmiſſis, in quibus & confirmationem neofundati Collegii, & dićtam incorporationem depoſcens, per remiſſam Bullam anno 1455. pridie nonis May ſignatam utrúmque aſſecutus eſt. Eidem Bullæ inſertum legimus mandatum *Nicolao* ad *S. Dorotheam* Præpoſito, ut *ſi omnia pro monaſterio debitè erigendo diſpoſita invenerit, hujusmodi erectionem, conſtrućtionem & dotationem authoritate Apoſtolica approbet, & confirmet, inſuper regularem obſervantiam in hoc novum monaſterium ad inſtar ſui ad S. Dorotheam invehat, Præpoſitum deputet, Canonicos de dićto ſuo monaſterio huc transferat, eisque alios ſub competenti numero aſſociet &c.*

Cùm primùm ſummi Pontificis Bulla Præpoſito ad *S. Dorotheam* per geminos deputatos *Udalricum* Guocenſem Epiſcopum & alterum *Udalricum* Præpoſitum Friſingenſem extradita eſt, executionem Apoſtolicarum litterarum neutiquam moratus eſt ad S. Dorotheam Præpoſitus, ſed mox primum Rottmanenſium præſulem eſſe juſſit *Joannem Jung de Dünckhlbichl*, virum ad præfećturæ Canonicæ munus & implantandæ religioſæ obſervantiæ Zelum apprimè accomodatum. Non eſt noſtrûm hic vix evireſcenti novæ Canoniæ jam quaſi ad natas calamitates ac incommoda enarrare, quibus à cujusvis pene conditionis hominibus premebatur, hæc enim potiùs ipſi operi reſervanda ducimus, quàm præſenti ſynopſi immiſcenda. Ejus tamen quæ poſtrema erat, & collegium hoc in ſortem adeò ſiniſtram decidere cogebat, ut vix ampliùs ſpes reviviſcendi adeſſe videretur, meminiſſe eò juvabit congruentiùs, quo digniore memoria nuper imperantem Auguſtiſſimum *Carolum* tanquam ejusdem novum reſtauratorem & conſervandæ primæ fundationis vindicem demiſiſſima gratitudinis reverentia honorat, & perpetuis laudibus extollit. Viginti quatuor propè anni effluxerant, cùm commiſſum adminiſtrationis negotium Voravienſis ſuſtenturus Præpoſitus tum ſui vices agentem ad hoc Rottmannenſe afflićtum collegium tum alios in ſubſidium deficientium alioquin inibi religioſorum ſubmitteret, ſed Collegii proventibus nunquam eam adæquantibus ſummam, quâ ſeu ſuſtentationi religioſorum neceſſariæ ſeu expungendis ſaltem ex parte debitis ſubveniretur, demum piiſſima Auguſtiſſimi Cæſaris reſolutione factum, ut aſſignato ad tempus beneficio Parochiæ Pölſenſis non immodicè ſublevaretur extenuatum hoc collegium.

Porrò jam ab anno 1736. ſummis ac conſtantiſſimis Voravienſium precibus idem ipſe clementiſſimus Princeps tandem ſecundaturus hos ab ulteriore adminiſtratione ſic abſolvit, ut tamen dolenti adhuc collegio fraterno charitatis ſubſidio patrocinaretur, & præter non exiguum gratis collatum pecuniarum ſubſidium ſex de ſuo gremio religioſos in perpetuum

tuum

tuum ibidem permanſuros dimitteret. Quod ſic factum, ut unus eorum, qui antea adminiſtratoris, nunc Decani titulo gaudeat, præſideátque aliis, alioquin prælatitiò jure, ipſi tam per Celſiſſimum Ordinarium Salisburgenſem Archipræſulem, quàm Auguſtiſſimum contradito.

De quibus autem viris proviſum fuerit huic reparandæ Rottenmannenſi Canoniæ, non ſolùm dabit omnium bonorum ore dilaudata per 24. illos adminiſtrationis annos regularis Diſciplinæ reintroductio, Chori nullo excepto tempore penitus ad amuſſim perſolutus, divinorum ad manifeſtam totius populi ædificationem ordinata diſpoſitio, ſed & oſtendet duorum ex illis ad Voravienſem Infulam ſucceſſivè digniſſima aſſumptio. Ut his perpenſis, & ad lancem veritatis libratis facilè ora loquentium iniqua obſtrui valeant. Quamvis alioquin non minima, vel in hoc ipſo, laus Voravio noſtro ex dicta adminiſtratione accreſcat, quòd nullo tempore malevorum detractiones quieverint: Nam teſte Sarisberienſi: *Oportet ſapientiam ab inſipientibus feriri; eſſe enim meliorem judicat mala lingua, quem carpit.*

Cæterùm mirari quis fortè poſſet, cùm nuper hujus ipſius Collegii Rottenmannenſis ſynoptica deſcriptio ederetur, cur tamen Voravienſium, etſi eidem immodicè ſubſidenti manifeſta ope ſuccurrentium, nulla memoria promeretur, dum id tamen (nec fors ſine invidia) à nobis hac in enarratione tam ſollicitè fit. Verùm mirari deſinet obſervaturus, neceſſariò nos ſupplere debuiſſe, qui vetera recentioribus copulamus, & in utróque reticere noluimus veritatem.

Extitit ex orgine, propè hoſpitale, quod nunc eſt ad urbis portam ſuperiorem (quam Salisburgenſem dicunt) Eccleſiâ primi monaſterii adhuc ſuperſtite, at, quod nunc eſt, collegium ad Eccleſiam parochialem in urbe ſituatur, huc translatum annô 1480. faxint ſuperi, ut optato vigori ſic reſtituatur, nè aliorum ſubſidiô iteratò indigeat. Docum. Domeſt. Mezger. Metrop. Salisb.

Seccovienſis S. Mariæ Cathedralis. Nobiliſſimum ac Canonici Ordinis eximium Collegium iſtud non ea hic, qua par eſt, imò qua omninò obligàremur ſollicitudine enarrandum ſuſcipimus, eandem quippe & in iſto (quam alioquin) brevitatem obſervaturi, non tamen intermittemus omninò, quæ in hoc prodromo enarranda cenſuerimus. Fundatum id eſt an Domini 1140. ab *Adelramo de Waldecke* Nobili Dynaſta, cui cùm nec à prima, quam ſibi connubio junxerat *Perchta ab Offenberch*, nec eâ decedente, ab altera *Richiza de Perge* liberi obtingerent, hæredem immortalem ſuorum bonorum Deum ejúsque ſanctiſſimam Matrem ſcripſit. *Conradus* primus tum Salisburgenſi ſedi præerat, *Romanus* Gurcenſi, qui vices illius geſſerat: utriúsque conſilio ſui animi ſententiam dum Adelramus exponit, non tantum aſſenſum obtinet, ſed & auxilium, ſuppeditante *Conrado* tum Friſaci exiſtente è ſuo Cathedrali, ac Metropolitano gremio *Wernerum cum aliis utriúsque ſexûs hominibus*, qui primam in neo-condito ſacro domicilio coloniam conſtituerent. Fund. 1140 Floret.

Locus cœnobio deſtinatus in *Feiſtrice* dicebatur: ubi jam Eccleſia B. Virgini dicata ſteterat dudum à parochiali jure exempta. Huic Canonicorum ædi ſacræ junctum Veſtalium clauſtrum fuiſſe inſinuare videtur Chroniſta Seccovienſis his verbis: *Tranſmiſſis ergò illuc fratribus de Choro S. Rudberti,*

Venerabilibus Wernhero poſtmodum Præpoſito, cum aliis utriúſque ſexûs religioſis perſonis advenientibus feria 6. in Feſto S. Margarethæ ſupra dictus Adelramus mirè lætificatus, quidquid verſus Carinthiam, & circà Hartbergam, & juxta Mueram Fluvium, vel in Marchia poſſeſſionum ſeu familiarum habuit, totum contradidit. Sanè utriúſque ſexûs religioſæ perſonæ haud aliæ intelligi poſſunt, niſi viri non minùs, quàm fæminæ religioſæ, erant enim jam anno 1121.(ut notat Hundius, & monumenta San-Petrenſia pleráque aſſeverant) aut certè non diu poſt inductam vitam communem in Salisburgenſem Cathedralem, à *Conrado* Canonicæ Virgines inſtitutæ, quarum parthenonem prope Collegium Canonicorum, non pauci ſcriptores oſtendunt, nunc ejusdem nè veſtigio quidem exſtante. Ex hoc ergò aſſumptum pariter ſequiorem ſexum fuiſſe credibile eſt, ſed non omninò certum, nam in geminis à *Conrado* datis litteris, quibus, & Adelramo fundatori ſuffragatur in ſuſcepto Conſilio, & Præpoſitum confirmat è gremio electum, nec ulla mentio harum Virginum legitur, nec mihi cognitum, an adhuc talis Gynecæi oſtendantur indicia.

Wernherus igitur à *Conrado* Archiepiſcopo in Præſulem anno 1141. firmatus, & à *Romano* Gurcenſi ad ſedem novæ Canoniæ adductus, primæ huic fundationi felix cum laudabili regimine initium dedit. Néque tamen diu in hoc loco perſtitit, teſtante enim Seccovienſi Chronico anno 1142. *Fratribus ſuprà memoratis in loco Feiſtrice manentibus, nullámque religionis quietem propter vicinum ſtratæ tranſitum, & villarum circumjacentium quotidianum tumultum habentibus, præfatus Fundator aſſumpto Præpoſito Dominum Archiepiſcopum adiit, & ut cellam in poſſeſſionis ejus adjacentiam, in locum ſcilicet Seccovve dictum, transferret, obnixè concupivit. Communicato itáque ſapientûm Conſilio prænominatum Præpoſitum Romam ad Innocentium Papam dirigendum cenſuit ſuper hoc negotio, qui proſpero curſu iens & rediens Privilegium cum banno Apoſtolico ſuper obſervantia Canonici. Ordinis, mutatione loci, traditionibus prædiorum factis, & deinceps faciendis reportavit.* Obſervandum tamen, *Conradum* hanc mutationem loci debito Chyrographo ſtabiliviſſe anno 1142. cùm adhuc Friſaci moraretur, *Wernerum* verò ab Archipræſule Romam dimiſſum anno 1143. quo etiam bulla confirmationis Pontificiæ reportata eſt.

Nè autem *Adelramus* minùs ſe, quàm ſua Divino cultui ſacraſſe culparetur, anno 1147. depoſito militari cingulo, mundi rebus renuntians Seccovienſis ipſe Canonicus quinto Kal. Martii efficitur, qua in profeſſione vitam ponens, mercedem, quam ſibi tot piis operibus paraverat, anno 1174. recepit in cælis. Ejus exuvias in Eccleſia Cathedrali proſtans ſupra pavimentum tumulus hodiedum ad ſanctuarium conſpicuus retinet, diesque mortualis, anniverſaria parentatione à Seccovienſibus Canonicis Feſto *D. Stephani* ante auroram ex peculiari indulto celebratur.

Piiſſimos hos conjuges communi conſenſu diſſoluto conjugali thoro Deo ſe devoviſſe, non ſolùm ex Seccovienſi Chronico, ſed ex Necrologiis diſcimus; nam de Richiza hæc notantur: *Nonis Julii Richizha de Perge Fundatrix noſtra converſa.* At ubi Richiza converſam egerit, Necrologium Admontenſe apud Hanſiz. prodit. in quo iſta leguntur. *Septimo Idus Julii Richiza, Fundatrix Seccovienſis converſa noſtræ Congregationis.* Cui verò quoad diem obitûs potiùs deferendum, Seccovienſi, an Admontenſi Necrologio? nobis

non

non datur divinare, quippe quibus néque hujus néque illius aut vetuſtas innotuit, aut ſinceritas.

Pietati fundatoris quàm præclarâ religioſæ vitæ ſanctimoniâ reſponderit primus hujus Canoniæ Præpoſitus, acta ejus apprimè teſtantur, confirmant & ipſi, qui tanti viri Regimini ſubditi erant: quâ probitate *Adelramus*, totúsque Seccovienſis Chorus adeò ſibi demeruit *Othocarum* (quem alii 5tum, alii 6tum volunt) ſtyriæ Marchionem, ut, cùm is annô 1163. Voravienſes ejusdem Canonici inſtituti ſacras ædes conderet, non aliundè niſi Seccoviô primam Coloniam aſciſceret. Quod profectò quanto ſibi honori uſque dum ducat Voravium, à tam eximio & inclyto collegio animam veluti ſuæ primævæ informationis traxiſſe, tantô ſemper adlaboravit obſequiô, ut perpetua gratitudine ſe obſtrictum fateatur. Cùm virtutem plerúmque velut pediſſequa inſequatur honoris dignitas, hinc factum autumem, ut *Eberhardus* Salisburgenſis Archimyſta Epiſcopatum etiam in ſtyria erecturus Seccovienſem Eccleſiam in Cathedralem elevare ſtatueret, obſtitêre primùm aliquæ, ùt plerúmque in rebus piis accidit, difficultates, quas tamen facili negotio ſubmovens vir ſagaciſſimus Conſilium ſuum executus eſt annô 1218. extradita in rei confirmationem Bulla ab *Honorio* Papa, in qua præter alia legitur; Præpoſitum & Capitulum Seccovienſe perſonaliter allocutos fuiſſe illos, quos Commiſſarios delegaverat Pontifex accepiſſéque reſponſum, quòd per hanc Epiſcopatûs erectionem, Seccovienſis Eccleſia illæſa remaneret penitùs, & indemnis.

Fortè hæc tum *Honorii*, tum ſubſequorum Pontificum intenta Seccovienſibus indemnitas aliquantum ſubſequis labefacta temporibus anſam dederat, ut priori ſæculo quædam ideò exorta diſſonantia, non niſi ſummo ipſo Eccleſiæ præſule mediante, ad priſtinam harmoniam, concordaretur: de quo legi poſſunt, quæ tunc ab utráque parte typis chartæ divulgabantur, anno 1267. conſtituta eſt iſthic viſitatio & regularis Diſciplina aliquantum titubans egregiè firmata ſub Archiepiſcopo *Wodislao*.

Numerat hæc celeberrima Canonia actu, dum iſta ſcribimus annum jubilarem ſexti ſæculi à prima origine, quam ad *S. Mariam* in valle Feuſtrice ſumpſerat, quem, ut perceperam ſolenni ritu D. D. Canonici elapſo Julio celebrârunt, ſolenniore haud dubiè pompâ, ac jubilo alterum in Seccovienſi ſua reſidentia adornaturi anno ſubſequo, 1742. quo proprie hæc facta eſt translatio, aut 43. quo confirmationem *Innocentius* Papa contribuit.

Præſules, quod concernit, fuêre penè omnes virtute non minùs quàm doctrinâ notabiles, quorum acta ſuo tempore nos ſperamus diſertiori calamo exaraturos. Palmam inter pleróſque, ſi non omnes, judicio prudentûm certè præferet, qui nunc præeſt Reverendiſſimus Perilluſtris ac Ampliſſimus D. D. *Franciſcus Xaverius*: neque eſt, ut litteris hiſce ejus præconium promamus; qui omnium ore & calculo per totam ſtyriam Auſtriámque notiſſimus, à regiminis ſuavitate, diſciplinæ religioſæ Zelo, æconomica induſtria, omnibus deníque illis prærogativis deprædicatur, quæ abſoluti ac perfecti Præſulis exemplar ſolent efformare, quem ſicut noſtro litterario operi integerrimè patrocinantem experti ſumus, ſic Deum pro ejusdem diuturna incolumitate aſſiduò deprecabimur.

Deníque reſtaret adhuc, ut virorum, qui præcipua in hoc Collegio

legio doctrina floruerunt, memoriam iſthic innecteremus, è quorum numero non exiguam ſibi famam promeruit hujus præclaræ Canoniæ digniſſimus aliquando Decanus *Thomas Jorichius*, qui doctiſſimis elucubrationibus (quæ utinam lucem typo obtinerent) mundo erudito memoriam ſui non interituram reliquit. Reſtaret non minùs ampliſſima enarratio monimentorum, Epitaphiorum, ac Cenotaphiorum, in Baſilicis hujus Collegii copioſè conſpiciendorum, quibus præter alia diſertè docemur, pretioſiſſimè conditum hic Mauſolæum commune quietorium Archiducibus Auſtriæ ac Ducibus ſtyriæ conſtitutum fuiſſe, à quibus omnibus tamen prolixè in opere tractandis in præſenti ſynopſi opus eſt promiſſæ brevitatis cauſâ abſtinere.

Exiſtit propè Judenburgum. Docum. communic. & domeſt. Mezger. Metrop. L. 4. c. 21. & L. 6. p. 996. Hund. Metrop. p. 9. Hanſiz. Germ. ſacræ. t. 2. p. 239. & ſeq. &c.

Fundat. 1109 *Ord. S. Bened.*

Seitenſtetenſe S. Viti. Abbatia aut potiùs tunc adhuc Præpoſitura. Quam annô 1109. *Regenbertus, & Levir ejus Udalſchalk nobiles viri conſtruxerunt, ubi communis Canonicorum Vita inſtituta eſt ad Sitaneſtetens* ut inquit Schritovinus apud Hanſizium. Et Gundacherus Abbas, atque Chroniſta Seittenſtettenſis teſtatur primò in augia ad *S. Vitum* Cœnobium Canonicorum Regularium *Udaſchalcum* conſtruxiſſe, ſed eosdem ob laxiorem vitæ rationem amotos locum an. 1116. ceſſiſſe Benedictinis. An idem hic ipſe locus, ubi Canonici Regulares antea reſederant ſit Seittenſtettenſe monaſterium, quod *Udalricus* an. 1116. Beatæ Virginis honori ſacravit: An aliud omninò, atque non in Seittenſtetten, ſed in Augia quadam diſtincta ſitum, & *S. Vito* ſacrum, fateor me nondum plenè attigiſſe. Mabillonius in ſuis annalibus hæc ad verbum: *Sidteſtettenſe Auſtriæ inferioris monaſterium, quod ante annos decem pro Canonicis Regularibus conditum fuerat, hoc annô ab Udairico ſeu Udalſcalco Comite illius fundatore monachis inſtituti noſtri commiſſum fuiſſe perhibetur, ipſôque annô Eccleſia ab Ulrico Epiſcopo Patavienſi, uterino ejus fratre in honorem B. Virginis dedicata.* Hæc Mabillonius, quæ ſe accepiſſe ait ab Abbate Stengelio.

Exiſtit prope Aniſum fluv. Hanſiz. Germ. ſacr. tom. 1. pag. 291. Chron. Monaſt Admont. tom. 2. ſcript. Auſtr. col. 184. & col. 304. Mabill. Annal. Bened. L. 72. n. 136.

Stänzenſe S. Catharinæ Abbatia. Cogimur etiam ipſa in brevitate hujus operis ſuſcepta præſentis in deſcriptione collegii eſſe breviores, cùm quæ hujus ſaltem priorum temporum hiſtoriam reſpiciunt, penè omnia in tenebris deliteſcant: fundatum id ſcimus à Nobili Dynaſta *Luitoldo* Wildonenſi, venuſtiſſimam ſuæ ditionis partem exſtruendæ huic Canoniæ devovente; Cúmque idem florentiſſimum tunc Cathedrale ſeccovienſium Collegium meritò veneraretur, inde ſibi ab *Hermanno* ibidem præſidente Coloniam cum futuro Præſule *Geroldo* depopoſcit. Erat nec erigenda Stainzenſis cum clauſtro Eccleſia in Seccovienſis Epiſcopi territorio, à quo ſicut veniam *Luitoldus* ſuæ ſtructuræ perficiendæ, ſic admovente pariter ſupremam manum Salisburgenſi Archiepiſcopo *Eberhardo* ſecundo confirmationem adeptus eſt ad promiſſum munimen.

Inter præcipuos, qui memoriam ſibi apud poſteros meruerunt, non immeritò digniſſimus

Præ-

Præſul habetur *Jacobus Roſolenz*, quem Deus eô, quo præfuit tempore, irruenti in Styriam hæreſi velut murum quendam aheneum oppoſuiſſe videtur, quemadmodùm abundè liber ab eodem contra hæreticos graſſatores in vernaculo editus conteſtatur. Cæterùm ulteriori narratione jam manum abſtrahimus, cùm vix aliquid usquedum promendum ſuppetat, potiora fortè aliundè ſperantibus.

Exiſtit propè Amnem Reinach. Puſch. Chronol. ſacr. Ducat. Styr. part. 2. p. 269. ſeq. Græcium Styriæ Metrop. Topograhicè deſcript. pag. 51. Germ. Auſtr. pag. 47.

Fundat. 1163. Floret. **Voravienſe S. Thomæ, Abbatia.** Ad finem dum prodromi ſuſceptus labor properat, intra lares noſtros, ubi ſtudiorum initia ſuſcepimus, recondimur: & quemadmodùm haud uspiam tot documentis inſtructi fuimus quot domeſtica nobis hiſtoria noſtra ſuppeditat, eò proniori uſu, quò feliciori, ac commodiori, ut libet, indagine, ſic profectò id nobis maximè in votis eſt, ut omnium hactenùs memoratorum collegiorum deſcriptionem ſaltem in ipſo opere eâ curâ, eaque perſpicuitate explanare poſſemus, qua hanc ipſam domeſticam noſtram, non gravante adeò negotio, & labore deducere nobis licet. Itáque cùm in nullo penè tam liberè ſimul, atque ſecurè Specimen intenti laboris prodere, quàm in iſto nobis conceſſum fuerit; hujus iſthic enarrationem conformiter normæ hactenus aſſumptæ, id eſt, ſynopticæ ſuſcipiemus: ſed ex qua ſimul liquebit, qua Eurythmia optaremus cujusvis Collegii deſcriptionem eſſe inſtructam, quæ tamen in plurimis, aut ob decurtatè communicata documenta, aut ob inſtrumenta nonniſi obiter contradicta deſiderabitur, niſi potiora adhuc communicentur.

Voravium itáque noſtrum olim Vorowe, Forawe dictum, & colli peramæno ad torrentem hujus nominis aſſurgenti inſidens exſtruxerat omnium penè hiſtoricorum calamo præclarè notatus *Ottacher Marchio Styriæ*, ille nimirum, qui Pater *Ottochari Leproſi* primi Styriæ Ducis fuit: quem alii quintum, alii ſextum dicunt, de quo diſceptare nec tempus, nec neceſſitas exigit.

Erant hìc loci, ùt vulgò traditur, iſtius Principis venatoriæ ædes, præplacet tamen aliis, fuiſſe villam paſcuariam, quod minùs mihi probatur: quidquid horum fuerit, in litteris Fundationis nihil exprimitur, ſed communi vocabulo *prædium* nuncupatur. Extat inter monumenta noſtra, licèt non adeò antiqua, tabula quædam picta fundationem referens, quâ proditur, *Ottocharo* in loco iſto venatum egredienti cervum occurriſſe inter cornua *crucifixum* præſentans, quo conſpectu commotus propoſuerit Collegium iſtud condere, quod verè annô 1163. executus eſt. Aſſeritur quoque, ideò ad noſtra, usque tempora vallum ædes religioſas utrínque ambiens à cervis nomenclaturam vulgò accepiſſe: hæc an originariæ fundationis veritatem aſſequantur, ſuo in loco relinquimus; Chartæ primitùs contradictæ, hujus hiſtoriæ ne quidquam attingunt. Novi tamen, tale ſilentium non omnem traditionem labefactare, maximè cùm conſtet, plura collegia talibus prodigiis animos piorum moventibus fundata fuiſſe, quamvis nihil eorum privilegiorum, aut fundationum Chartis inſertum legamus.

Si Principis aut diverſorium, aut omninò caſtrum quoddam hìc exſtitiſſe cenſeamus, opinioni

nioni pondus addet Chroniſta noſter Voravienſis, qui in Rubrica de origine noſtri fundatoris Cap. 1. hæc ait: *Hoc prædium Voravvæ erat ſub dominatione Ottokari, & habuit olim unicam Eccleſiam cum ſepultura ſitam in loco hujus monaſterii. Annô M. CLIX. Indictione XIII. dedicata erat ipſa Eccleſia Idus Decembris à Venerabili Romano Gurcenſi Epiſcopo in honore S. Thomæ Apoſtoli, tandem originem ſumpſit hoc Cœnobium ordine ſequenti.* Hæc ibi. Patet ex his Eccleſiam ante conditum monaſterium, & quidem cum ſepultura exſtitiſſe. Quæ *ſepultura* notat hujus Marchionis familiæ poſt mortem conditorium, quod quàm commune olim in Dynaſtiis, & ſuburbanis Principum caſtris fuerit, ut iis Eccleſias cum ſepulturis jungerent, non eſt cur demonſtremus eruditis.

Fundatum annô, quo diximus, collegium piiſſimus *Ottocharus* mox poteſtativa manu ad Juvavenſem ſedem tradidit, ſub tali conditione, *ut in eodem prædio viri religioſi Canonici Regulares ſecundùm regulam B. Auguſtini viventes jugiter Deo ibidem militarent.* Charta fundationis, quam annô eodem 1163. ſignatam fundator extradidit, diſertè memorat, factam hanc fundationem fuiſſe *auctoritate Domini Eberardi Venerabilis Archiepiſcopi:* Et eadem auctoritate Ottocharum dictos viros Religioſos (tum, quando hæc Charta prodiit) in Voravienſi neo-erecto Cœnobio jam collocâſſe, ipſa quoque manifeſtè enuntiat. Sic enim ibidem fundator: *in eodem*, inquit, *prædio viros religioſos ſecundùm regulam B. Auguſtini viventes, jugiter ibidem permanſuros auctoritate Domini noſtri Eberhardi Venerabilis Archiepiſcopi collocavimus.* Hæc omnia facta fuiſſe oportebat ante 21. Junii, quô Eberhardus obiit. Cùm *Ottocharus* ejusdem *Eberhardi* tanquam adhuc præſidentis in ſæpè laudato ſuo privilegio meminerit. Quòd verò Chroniſta noſter ſcribat, ob deceſſum *Ottochari* ſequente annô 1164. 2. Cal. Jan. factum, fundationem devolutam ad Salzburgenſem Archiepiſcopum; id intelligendum autumo, partim, quòd illa necdum plenè abſoluta fuerit, ùt ſatis conſtat ex dotationibus ab Archiepiſcopô *Conrado* immortalis memoriæ apud nos benefactore, uti & ab *Ottochare* filio Collegio Voravienſi Collatis: partim, quòd hoc eodem *Ottocharo* adhuc imbelli facilè differretur negotium, maximè cùm regnum, & ſacerdotium graviſſimis tunc diſcordiis turbaretur. Atque ideo annô demùm 1168. confirmatio fundationis à *Conrado* roborata ſucceſſit, in qua omninò profitetur, *Ottocharum* in prædio ſuo *Vorovve* dicto viros religioſos ſecundùm regulam *B. Auguſtini* viventes jugiter ibidem permanſuros auctoritate felicis memoriæ Anteceſſoris ſui Eberhardi Archiepiſcopi collocâſſe. Et quia eandem traditionem ſuô privilegiô, morte præventus, confirmare non potuit, *Nos* (inquit) *qui favente Domino in ſede Juvavenſi ei ſucceſſimus, noſtra auctoritate ratam habemus, & confirmamus &c.*

Primus, cui Voravii Clavus regiminis concredebatur, *Lupoldus* erat, ſeu *Leopoldus*, qui mox, ùt gubernium ſuſceperat, fideliter probavit non uno ſed pluribus ſolertiæ exemplis promeritum ſe collati primi Præſulatûs honorem, nulli parcens aut oneri, aut labori, quo Eccleſiæ novellæ firmiùs ſtabiliendæ emolumenta ampliora aſſereret. Obtinuit à *Conrado* duarum Parochiarum *Vorovve* nimirum, & *Tchanskyrichi* collegio jam ab *Eberhardo* attributarum omnimodam confirmationem, decimas quoque vini de quatuor vineis apud Hartperg, & de tribus

apud

apud Fiſchab, quidquid etiam intra terminos eorum prædiorum, quæ *Ottocharus* adſcripſerat jure fundationis in præſentiarum cultum eſt, vel in futurum Domino favente coletur, omne id gratioſè à *Conrado Lupoldus* obtinuit, ut parochiali jure ad Voravienſem Eccleſiam pertineret. Ultrò ab ipſo quoque ſummo Pontifice hic ſollicitus pro ſua Canonia Præpoſitus confirmationem efflagitans, mox eandem ab *Alexandro tertio* aſſecutus eſt an 1170. ſucceſſorum præſulum electione ipſis Canonicis liberrimè attributa. Denique quem Salisburgenſis Metropolis poſt *Conradum* Succeſſorem habuit *Adelbertum*, eundem non minùs novum benefactorem veneratus eſt *Liupoldus*, velut ampliſſimæ donationes litteris originalibus adhuc exſtantibus ſignatæ exactè docent.

Quales verò *Lupoldus* faventes ſuo Collegio præcipuos Eccleſiæ Præſules nanciſci conatus eſt, tales non minùs ſagaci induſtria principes ſibi terrenos accivit: Filium ſanè Fundatoris adeò benevolum demeruit, ut usque hodie tanquam alteri fundatori gratiſſimam memoriam defetamus. Habuit hic religioſiſſimus Princeps ſummo ſibi Voravium noſtrum affectui, teſtatus id eſt, propriis verbis, *cùm enim* (inquiebat ipſe in Charta noſtris data, dum faſces deponere infirmitate corporis gravatus conſtituerat) *locum Vorovvenſem ex plantatione novella ex nimio dilecti patris noſtri pia memoria diligeremus affectu, optimam villam in Marchia ſitam &c. eidem loco contulimus.* Atque hæc, pluráque alia beneficia, redditus, & proventus ſolita ſua pietate converſationisque ſuavitate collegio *Lupoldum* conciliâſſe, ne dubitamus quidem.

Quæri autem hìc meritò poteſt, unde prima Voravium Colonia accita fuerit, cùm nihil planè annales noſtri, chartæque domeſticæ hujus quæſtionis attingant. Non defuêre, qui cenſuerant, è Choro Salisburgenſi ipſum Archipræſulem primum manipulum præclarorum virorum vel ſaltem Præpoſitum ſuppeditaſſe; ſunt tamen alii, qui meâ opinione veritati propiùs aſſerunt, *Lupoldum* accerſitum Seccoviô. Libet hanc in rem promere, quæ Vir doctiſſimus *Jurichius* ſuo tempore in Collectaneis à ſe elucubratis annotaverat: *Inter primos*, inquit, *Canonicos, qui de Choro Salisburgenſi S. Ruperti ad Eccleſiam S. Mariæ in Feuſtritz venerant, fuit Lupoldus, qui factus eſt Decanus Seccovienſis. Sed non eſt memoria ejus ſub nomine Decani in necrologiis, In Necrologio Confraternitatis: Tuticha Converſa ſoror noſtra, ſoror Liupoldi Præpoſiti Forovvenſis. XII. Kal. Apr. Liupoldus Laicus Pater Liupoldi Præpoſiti Forovvenſis VI. Kal Aug. Liupoldus, primus Præpoſitus Forovvenſis Frater noſter. Quia ergo non eſt credibile, Liupoldum inter primos Canonicum, & Decanum Seccovienſem, in Necrologiis fuiſſe omiſſum, in quibus diligentiſſimè, & exactiſſimè omnium defunctorum nomina eorúmque ſtatus, & officia conſignabantur, in promptu eſt conjicere, Liupoldum noſtrum Decanum, poſteà primum fuiſſe Præpoſitum in Vorau.* Hæc Jurichius. Cui profectò Necrologia vetera ſcrutanti non facilè licebit ſine novi argumenti pondere refragari. Monitum quidem me aliquando memini, exſtare in celeberrima Clauſtro-Neoburgenſi Canonia Necrologium, quod lumen aliquod dare huic dubio poſſit, ſed cùm id necdum nobis intueri conceſſum ſit, Jurichio adhæremus.

Tam egregiè autem in temporalibus æquè, ac ſpiritualibus Voravium noſtrum ſtabilitum haud opinaret unquam calamitatibus ſub-

ſubjiciendum fuiſſe ſaltem adeò atrocibus, niſi in quæque pericula vocata vicinitas ad æqualem miſeriam illud quoque traxiſſet, Modicis ſolummodò interjacentibus milliaribus; Hungariæ ſeſe confinia explicant orientem verſus, & ad Septentrionem imminent montoſi Auſtriæ termini, utrobíque prioribus ſæculis infeſta mala minabantur, ſed Hungariâ nullo tempore quietâ. Erant Voravio, ùt documenta certiſſima produnt, tot tantáque bona olim, non ſolùm usque ad Hungariæ confinia, ſed ultrà ipſos quoque limites protenſa, ut medietatem omnium proventuum modernorum collegii facilè æquarent, quæ tamen univerſa furor bellicus, nefanda hæreſis, aſſidui rebellantium Hungarorum, & impii, quibus ea gens adversùs Germanos ſemper affecta eſt, tumultus, deníque exactiones graviſſimæ, quæ Præſules noſtros ad tertiam, quartámque partem bonorum (ut nil dicam de aliis oneribus impoſitis) contribuendam coëgerant, alienis manibus ſubjecerunt: ſed neque in his calamitatum meta. Memorat etenim Præpoſitorum noſtrorum Catalogus, ſub *Conrado* circà annum 1230. ac deinceps Infinita damna Varavienſi noſtræ Eccleſiæ à vicinis illata fuiſſe, ſic enim ibidem: *Dominus Gottſchalcus de Neuburg quingentarum librarum Denariorum damnum intulit, Dominus Henricus de Hertenfels* 327. *librarum & 25. modiorum Bladi, ſimiliter cùm reſidebat in Talberg centum, & ſeptem librarum denariorum damnum intulit, dum Caſtrum Talberg erat in poteſtate Domini Gerardi de Krumpach, ab eo quoq; ad* 168. *talentorum denariorum damnum ſuſtulit, à D. Heinrico de Krumpach apud Tuchnam in Pincka, & in prædio ubique ſito in Fridberg per ipſum homines deſolati ſunt, etiam ad* 124. *libras denariorum damna illata ſunt, item de Rainberg à Domino Heinrico, à Domino Wulffingo de Fridberg, à Domino Chonrado de Aichberg, à Domino de Stadeckh, à Domino Wulffingo de Stubenberg, à Rechlino de Feiſtriz, à Rudolffo in Travvnſtein, à Domino de Puechaim ad Fellenbach, in Starchavv, dobruetten, Müldorff, ibidem ad innumerabilia damna hoc monaſterium ſuſtinuit ... & ſic multa perpeſſus eſt hujus Cœnobii ſtatus, ſicut in mari piſces magni ſolent parvos devorare, ſic in hoc ſæculo præfati potentes prætendebant hoc minùs Cœnobium opprimere, ſed Deo volente quidam nunc deprimuntur per culpam, tunc elevantur per gratiam.* Hæc ibidem, neque inane iſtud præſagium fuerat, dum ærumnarum copia etiam quandóque divinarum gratiarum rore mitigabatur: unde quantumcúnque ſæcularium quorundam principum injuriæ Voravium noſtrum colliſerant, non defuerunt tamen aliorum Patronorum favores eximii. Superiùs relatum eſt, jam *Eberhardi* beneficiô collatam Eccleſiæ noſtræ geminam parochiam fuiſſe, ipſam nempè matricem Voravienſem, & alteram in Tekanskyrchen, hæc Eccleſia tanquam parochialis ab *Eberhardo* Archiepiſcopo annô 1161. fundata, & inſtituta eſt, ùt originales apud nos teſtantur litteræ, erant eidem ùt filiales illigatæ, *S. Jacobi in Fridberg*, & *S. Laurentii*, ambas has à *Friderico* Imperatore Voravium Incorporatas obtinuit, Unum erat, quod collegio moleſtum obvenerat, in deſignandis ſcilicèt ad hæc loca ſæcularibus Vicariis, ſuſtulit gravamen Archiepiſcopus, dato Privilegio an. 1443 12. Nov. in eo, inquit: *Cùm itáque conſtet ex privilegio quondam Conradi Prædeceſſoris noſtri Eccleſias parochiales in Voravve, & Dechanskirchen cum nonnullis bonis aliis Voravvenſi monaſterio cum omni integritate, & jure eorum liberaliter fo-*

re

re donatas, & ſicut accepimus S. Jacobi in Fridberg, & S. Laurentii propè Fridberg Eccleſia, quæ olim dictæ parochiali Eccleſiæ in Dechandskirchen tanquam matrici ſubjectæ fuerant, nunc in matrices Eccleſias erectæ, ipſaq; in Dechandskirchen, ac S. Laurentii Eccleſiæ ſupradictæ illi in Fridberg hodie ſubjectæ cernuntur, propter quod inter venerandæ memoriæ prædeceſſores noſtros memoratos, ac nonnullos præpoſitos Voravvenſes ſuper Jure conferendi eaſdem gravis diſſenſionis materia non ſine monaſterii Voravvenſis, nec non dictarum Eccleſiarum diſpendio dudum fuit ſuborta. Nos igitur --- præfatas duas Eccleſias, videlicet S. Jacobi in Fridberg, nec non S. Laurentii propè Fridberg cum omni integritate, ac jure in uſus dicti monaſterii Vorovvenſis, nec non tuos, ſucceſſorúmque tuorum, ac fratrum inibi Deo ſervientium præſenti pagina contradimus, liberam tibi, ac ſucceſſoribus tuis facultatem donantes, ut eaſdem Eccleſias Rectoribus nunc in eis inſtitutis cedentibus, per fratres tui monaſterii aut ſacerdotes alios idoneos, quoscúnque religioſos, vel ſæculares regere, & gubernare, ipſosq; ſacerdotes, quoties id eisdem Eccleſiis accomodum proſpexerint ad nutum removere, alioſq; in eorundem locum ſubſtituere. Idem *Fridericus* gratioſè hactenùs conceſſa à ſuis Deceſſoribus privilegia, ac fundationis jura peculiari privilegio confirmavit. Utque de ipſis quoque Eccleſiam noſtram aliquando vexantibus firmius teſtimonium ſumamus, mirámque Dei obſtupeamus providentiam: narrant Chartæ noſtræ domeſticæ, quòd *Rudolffus de Talberg*, qui paulò ante damnis plurimis infeſtabat Voravium, *conſcientiæ adactus ſtimulo*, ùt inquiunt laudatæ Chartæ, *cupiens ſatisfacere eidem Eccleſiæ, unacum fratr um ſuorum conſenſu Gebhardo, & Hainrico tria Curtilia ſeptuaginta denariorum annuatim perſolventia, quæ etiam ſita ſunt inter S. Jacobum, & villam, quæ dicitur Waldbach, manu poteſtativa &c. contradidit.* *Henricus* etiam *de Hertenfels* idem ipſe, cujus ſuprà meminimus, graviſſimè in mortis anguſtia laborabat, pro ſupradictorum damnorum recompenſatione. Hinc integrum talentum denariorum Vienneſium teſtamento Eccleſiæ noſtræ legavit, ipſiúsque hæredes ſcriptis caverunt ab omni ſe poſthac injuria monaſterio inferenda abſtenturos. Neque reſtrictiores exinde fuère ſummi æquè Principes, ac reliqui potentes utriúsque fori; cumprimis etenim *Rudolfus* Romanorum Imperator annô 1277. totum Voravium cum Præpoſito, & conventu perſonis etiam ibidem famulantibus ſub ſuam, & ſacri Imperii protectionem ſpecialem recepit, quod quidem privilegium annô 1443. à *Friderico* tunc Romanorum Rege ampliſſimè communitum, deinde à *Ferdinando primo* annô 1560 à *Carolo Archiduca* 1588. iterúmque à *Ferdinando* Archiduce annô 1598. clementiſſimè firmatum, ac roboratum fuit adjectis favoribus, quibus in perpetuum ab omnibus teloniis exſolvendis, ac oneribus reliquis pro ſtabilienda religioſa quiete Canonici abſolvuntur: quæ tamen privilegia his temporibus modicè, immò nihil prodeſſe quotidiè experimur. Annô 1454. Æneas ſylvius Apoſtolicæ ſedis Legatus, is nimirum, qui quinto poſt annô, id eſt 1459. Apoſtolicam cathedram conſcendit, ſpeciali gratia primus indulſit Voravienſi Præpoſitæ *Leonardo*, ut novitiorum nomina in Baptiſmate aquiſita ad religionis ingreſſum commutare pro libito valeat, hac tamen causâ adjectâ, ne pluralitas ſimilium propriorum nominum inter fratres confuſiones, & errores generet. *Leonardus* Archiepiſcopus Salisburgenſis hu-

hujus noſtri Collegii Clementiſſimus Ordinarius an. 1512. per quamvis quadrageſimæ hebdomadam ſemel officium Divinum ac horas Canonicas de *S. Thoma* tanquam ejusdem Eccleſiæ Patrono celebrare indulſit.

Cùm an. 1539. Lutherana hæreſis religioſis locis non ſolùm, ſed ipſis quoque ibidem Deo ſervientibus adeò adverſaretur, ut hi paſſim è ſuis domiciliis expulſi per avia & devia vagari cogerentur, hoc turbine Voravium quoque numerò religioſorum adeò deficiebat, ut non niſi duo Canonici cum Præpoſito illud incolerent. Mox ſuppetias daturus Legatus à latere ſacræ ſedis *Joannes Moronus* ſummi Pontificis *Pauli 3tii* Authoritate *Auguſtino Geyer* Voravienſi Præſuli contribuit, *ut ad Dei honorem & Divini cultûs in hoc monaſterio ſub ſtricta regula B. Patris Auguſtini antiquitùs fundato manutentionem & ſuſtentationem aliquos probos religioſos ex illis, qui ex aliis monaſteriis, & ordinibus etiam mendicantium de obſervantia minorum, vel prædicatorum expulſi fuerunt, & vagari cogebantur, colligere, & ſub habitu, & regula D. Auguſtini, relictâ priori, redigere & retinere poſſet.*

Anno 1452. agente ipſo *Friderico* Imperatore ac impetrante, emanavit Bulla *Nicolai 5ti*, quâ Præpoſito *Neoſtadienſi*, *Voravienſi* & *Stänzenſi* poteſtas concedebatur Pontificalibus utendi, ex quo tempore his inſignibus decorati Reverendiſſimi D. D. Præſules Voravienſes, ſicut virtute, ſic eminuerunt ampliore authoritate. Et quamvis hanc inculpatæ vitæ laudem pleriſque ſine adulationis fuco attribuere liceat, tamen ſi priorum acta conſulamus, præcipuus inter eos exſtitit *Leonardus de Harnu*, qui an. 1453. electus, & quadraginta, ac uno anno præſidens meritò velut abſolutum quoddam Præſulum exemplar dilaudatur. Non hic in omnem commendationem excurrimus, quam ipſi prolixè concedunt chartæ noſtræ domeſticæ, data occaſione meliùs promendam, ſolùm aliqua, quibus & nomen ſuum æternâ memoriâ dignum, & Collegio Voravienſi famam non vulgarem attulit, enumerabimus. Vix etenim clavo hic præclariſſimus vir admotus fuerat, totum ſe ad augendum cultum Divinum in erigendis ſanctorum aris, inſtruenda duobus organis, turre, ac commodiori tecto Eccleſia, comparandis pretioſis ad Divina miniſteria ornamentis impendit. Et quia regendi ſagacitate non minùs, quàm diſcretionis Spiritu celeber undique jam prædicabatur, tum à celſiſſimis Ordinariis, tum ab ipſo quoque ſummo Pontifice ad diverſa præclara munia obeunda vocabatur. Nam an. 1478. deſignatus eſt à *Paulo 2do* Conſervator & Judex Monaſterii Novi-Montis Ordinis Ciſtercienſium. An. 1475. conſtitutus Commiſſarius Patriarchæ Aquilejenſis demandatur ad viſitandum Monaſterium *Oberndorffenſe* Canonicorum Regularium in Carinthia, hancque ei laudem in ſuis commiſſorialibus litteris Gubernator Aquilejenſis adſcribit: *qui*, inquit: *de veſtra bonitate, prudentia, integritate, munditia & ſcientia & multarum rerum uſu & experimento plurimùm confiſi harum ſerie litterarum committimus vobis &c.* Quam viſitationem etiam tanto ipſe applauſu peregerat, ut datis deſuper approbationis litteris idem Generalis viſitationem illam tanquam æquam, ſanctam, & honeſtam plurimùm laudaret, commendare, & confirmaret, agens inſuper gratias, quòd omnia juxta deſiderium ſuum bene facta ſint. Deníque viſitationis prærogativâ cum pleno jure corrigendi, abſolvendi,

di, reformandi &c. *Leonardum* noſtrum annô 1466. Archiepiſcopus *Bernardus* inſignivit pro monaſterio in Kirchberg Virginum Canonicarum; atque id effectu tam proſpero, ut non ſolùm, dum *Leonardus* vixerat, hoc ei munus enixè commendaretur, ſed exinde ad hodierna usque tempora gratioſiſſimè à Celſiſſimis Archiepiſcopis concreditum fuerit Voravienſibus Prælatis.

Quemadmodum autem tot ſibi commiſſas provincias laudabiliſſimo Zelo ſuſcepit, peregitque *Leonardus*, ſic tantorum meritorum vir præclarus non exiguis favoribus ſibi, ſuóque Collegio perpetuò profuturis honoratus eſt; ipſe enim, ut diximus, primus Pontificalium uſum à ſumma Sede accepit, eidem etiam, nec non & Canonicis ſuis ab *Alexandro* Forolivienſi, Epiſcopo, & cum plena poteſtate Legato à Latere, ac in Germania Nuntio, atque oratore *Sixti* Papæ hujus nominis quarti, conceſſa eſt libera facultas eligendi ſibi in confeſſarium ſeu regularem ſeu ſæcularem, qui eos ab omnibus & ſingulis excommunicationis ſententiis, quin etiam à ſimoniæ labe abſolvere, ſuper omnibus quoque irregularitatibus qualitercúnque contractis diſpenſare, omnémque inhabilitatis & infamiæ notam abolere, etiamſi talia ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica meritò foret conſulenda, ſemel in vita, & in mortis articulo plenariè valeat. Deinde data quoque iisdem noſtris Canonicis licentia eſt, celebrandi coram Fratribus infirmis, & Prælato extra Eccleſiam in Altaribus portatilibus: præterea ipſi D. Prælato conceſſum, ut ſeu *per ſe, ſeu per ſubſtituendos ſæculares vel religioſos Sacerdotes omnes & ſinguli Parochiani præſentes & futuri omnium Eccleſiarum pleno jure ad idem Monaſterium ſpectantium in caſibus de jure vel conſuetudine ad Ordinarium pertinentibus, & etiam ab homicidiis caſualibus vel voluntariis toties, quoties opportunum fuerit, abſolvi valeant &c.* Præcipuè autem, quòd omnia & ſingula prædicta perpetuis temporibus ſint duratura. Denique cùm annô 1489 Bulla Cruciata ab *Innocentio 8vo* per totum Chriſtianum orbem divulgaretur, certæque in cunctis Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum Diœceſibus Eccleſiæ decernerentur, quibus ſolennitatem hujus Jubilæi celebrandam demandarent; in Styria, quamvis eſſent ob concurſum populi tum rerum victualium opulentiâ, tum loci, ſitûsque commoditate alia monaſteria longè aptiora, opinabar tamen præcipuè *Leonardi*: noſtri perſpectam prudentiam, & verſatiſſimam ſagacitatem Principum Eccleſiaſticorum animos allicuiſſe, ut præ reliquis ad hoc inſigne opus Voravium eligeretur. Datis igitur litteris commiſſorialibus an. 1490. 3tiâ menſis Januarii ipſi *Leonardo* Præpoſito, tempus lucrandi plenarium Jubilæum ab omnibus Chriſti fidelibus deputatum eſt à Vigilia Epiphaniæ usque ad vincula S. Petri. narrant verò chartæ domeſticæ noſtræ tantum hominum pænitentium numerum Voravii confluxiſſe, ut, cùm in ipſo hoc Jubilæo certæ diſtribuerentur litteræ confeſſionales à Jubilæo diſtinctæ, & à quovis nominatâ taxâ poſitâ redimendæ, ſolùm eas redimentium numerus eſſet quinquaginta millium nongentorum & triginta ſex. Addunt verò laudatæ chartæ, vix tertiam partem (Jubilæi obtinendi cauſâ huc accurrentium) ſe harum litterarum feciſſe participem: obſervant inſuper eædem chartæ Monaſterium pro tunc ſic depauperatum fuiſſe, ut unicum vas vini ſolummodò pro commeatu totius conventûs ſimul & familiæ adhuc haberetur reſiduum. De-

Demum tot meritis, virtutibúſque plenus æternam, ùt diximus ſui memoriam relinquens piiſſimus Præſul *Leonardus* annô 1493. ætatis ſuæ 81. evolavit ad ſuperos.

Non tamen tantum ſui deſiderium vir præclariſſimus poſteris reliquit, quin aliis eximiis ſucceſſoribus identidem & abundè leniretur: talis erat *Daniel Gundau*, qui totum collegium ſua æconomia, nova, eáque venuſtiſſima forma, magna ex parte veſtivit. *Michaël Toll*, quem magna virtutis famâ vixiſſe, ac obiiſſe ejus acta memorant. *Philippus Leisl*, cui diſciplinæ regularis non minùs, quàm Eccleſiæ Collegiatæ feſtivam planè ſpeciem contuliſſe, nemo non agnoſcit. Ut nil dicam de ejusdem Illuſtriſſimo ſucceſſore *Franciſco Sebaſtiano*, qui propè omnium prædeceſſorum ſuorum laudabiliter regnantium & Zelum æmulatus eſt, & exemplum. Quod ipſum dum jam in hodie præſidente Reverendiſſimo ac Ampliſſimo Domino *Laurentio Joſepho* omnes fideli mente experimur, quemadmodùm ſemper majora ſperare poſthac nos jubet, ſic ut exequatur actu, quod intendit animo, longævum eidem ſanúmque regimen ex corde precamur.

Porrò gaudebat quoque Eccleſia noſtra eximio reliquiarum theſauro, & præ reliquis quâdam inſigni S. Crucis particulâ, quæ non ſine prodigio Canis Venatici terram ſubitò effodientis indicio an. 1414. ſub Præpoſito *Joanne* in Campo diſtante mille circiter paſſus à Collegio eſt reperta, cui etiam magna cum reverentia extructa eſt Eccleſia hodiedum ad S. Crucem nuncupata. Sed ipſi particulæ diù jam amiſſæ per Reverendiſſimum piæ memoriæ DD. *Franciſcum Sebaſtianum* alia, authenticis teſtimoniis firmata, eſt ſubſtituta, ad quam adorandam annuè ex vicinis quibúsque Parochiis cum vexillis ſolenni pompâ fideles convolant.

Præterea in ipſa Collegiata Eccleſia aſſervatur publicæ venerationi ad dextrum altare laterale *S. Auguſtini*, Corpus *S. Julii* Martyris, quod annô 1695. Reverendiſſimus DD. Præpoſitus hujus Collegii *Philippus* Româ obtinuit cum authenticis conteſtantibus illud ex Cæmeterio *Calepodii* fuiſſe elevatum. Intimatum id eſt (antequam Tomus tertius Auguſti prodiret) Antverpienſibus, ut hujus memoriam facerent ad decimam nonam Auguſti, quo die in Martyrologio notatur: *Romæ S. Julii Senatoris & Martyris &c. cujus Corpus in Cæmeterio Calepodii via Aurelia ſepultum fuit.* Quia verò jam olim Vir doctiſſimus Papeprochius obſervavit in dicto cæmeterio non niſi unicum *S. Julii* Martyris Corpus reperiri, meritò inferendum cenſuimus, hoc noſtrum idem ipſum eſſe: at cùm in laudato tomo Auguſti nulla penitùs hujus memoria reperiatur à doctiſſimis Antverpienſibus facta, quid poſthàc forſitan edituri ſint, intereà exſpectamus.

Demùm in hac quoque noſtra Collegiata Eccleſia pro certo habeo requieſcere corpus piiſſimi noſtri fundatoris, quod, quamvìs argumentis redundantibus probari poſſet, id in hac ſynopſi unum ſuffecerit, anno nimirum 1335. extra omne dubium ſtetiſſe hanc veritatem, ſic enim ad hunc annum Chartæ noſtræ valdè antiquæ, & haud dubiè ex originali transſcriptæ apertè loquuntur: *Annô, inquiunt,* 1335. *ſecundo idibus Julii miſit idem* (Marquardus) *Præpoſitus dedicare altare juxta Sepulchrum fundatoris noſtri Eccleſia Voravv à Domino Hainrico Seccovienſi Epiſcopo in honorem S. Spiritûs. Hoc Altare ipſe erexit, cum miſſa feriâ tertiâ & lumine decoravit, ad ſuas autem ædificationes ſufficientia bona emit &* com-

comparavit, Fundatorem de Crypta in locum, ubi jam jacet, ſuſtulit, & ſepulchrum fieri fecit. Ex quibus verbis, *ubi jam jacet:* evidenter oſtenditur, tempore, quo hæc Charta aut originaliter condita, aut ex veteribus notitiis transſumpta eſt, adhuc indubitatum fuiſſe Corpus Fundatoris Voravii exſtitiſſe. Quì verò factum ſit, ut crypta illa unà cum ſepulchro diſparuerit, facilè conjectabit, qui non ſolùm incendia, bellorum incurſus, aliáque innumera penè pericula Collegium iſtud affligentia cogitaverit, verùm etiam magnas perpenderit deſolationes, quibus maximè prædominantis in Styria hæreſis tempore vix duo religioſi hic commorantes reperiebantur. Ex quo ſanè fieri potuit, ut súsque déque mutarentur omnia, & obſervatione alioquin digniſſima irremedibili ſepelirentur oblivione. Inter alia, quæ huic Collegio ad ſtabile quoddam regularis Diſciplinæ conſervandæ emolumentum fuiſſe comperio, ſunt non infrequentes viſitationes ab Ordinariis locorum demandatæ, quantùm enim hæ religioſis locis profuerint, non eſt neceſſe multis hìc demonſtrare, cùm tot Canones Conciliorum, paſſim noti, & per Concilium Tridentinum Seſſ. 24. de refor. Cap. 3. renovati id abundè prodant: ut ideò acutè, ac doctè in ſuo antiquario monaſtico Nebridius edicat: *Non eſt melior cos ad acuendam religioſam Diſciplinam Viſitationibus.* Sed hæ fortè illæ fuerint, quæ ſolùm inſtituebantur ad ſalutem viſitandorum, ideóque ſic inſtructæ, quemadmodùm idem Nebridius obſervat, ut monaſteria juxtà Lateranenſe Concilium an. 1267. habitum *viſitentur*, non *graventur*, utque juxta Tridentinum Viſitatores tales conſtituantur, qui neutri parti ſtudeant, & viſitationem non niſi ſecundùm regulam extendant; ut denique aptiores ad viſitandi munus, & perſpectiores adhibeantur, quos nemo non novit potiùs inter religioſos reperiri, quàm ſæculares. Hinc idem rurſus annô 1420. notat *Eberhardum* Salisburgenſem Archiepiſcopum Clericos Regulares reformaturum, per totam Archidiœceſim ſuam, nec unum aſſumpſiſſe de Conſiſtorio ſuo hominem ſæcularem, ſed Præpoſitum Clauſtro-Neoburgenſem *Georgium*, eíque impoſuiſſe officium Viſitatoris Generalis. *Joannes* quoque ejusdem Succeſſor Collegium noſtrum viſitandi provinciam quamvis concederet *Silveſtro* tum Pataviensis Eccleſiæ Decano, junxit tamen eidem *Petrum* Decanum *S. Hyppoliti*, & Simonem Cellerarium, ac Canonicum Newuburgæ clauſtralis.

Hæ verò univerſim viſitationes ſaluberrimè ſemper peractæ id effecerant, ut etſi in Collegio noſtro Diſciplina regularis humanæ fragilitatis vitiô laxata quandóque vacillaret, mox uberrimô præſidiô elevaretur. Exſtant hodiedum ſtatuta illa, quæ dum paſſim ab omnibus Canonicis per *Bohemiam*, *Auſtriam* & *Bavariam* recipiebantur in uſum, etiam Voravii introducebantur, paucis quibusdam immutatis. Verùm quemadmodùm temporis lapſu neceſſe erat, quædam antiquitùs conſueta tollere, alia acontra ſubſtituere, ſic pariter ipſæ immutatæ ſunt conſtitutiones, quarum poſtremæ annô 1695, à Celſiſſimo, ac Clementiſſimo Ordinario Joanne Erneſto examinatæ & approbatæ, adhuc Deo donante florent, & magno Zelo obſervantur.

Ut autem obſervationi regulari uberior adeſſet ſtimulus, jam an. 1682. adlaboratum eſt conſtituendæ aggregationi ad celeberrimam congregationem Lateranenſem, quæ pariter dein fuit eodem anno ſubſecuta, datis ab ipſo tunc præſidente Reverendiſſimo, ac Illuſtriſſimo Domino Generale *Paulo Æmilio Maphæo* Vicentino litteris, quibus pleno jure, juxta conceſſam à *Mar-*

tino Papa ſuo authoritatem, *omnes & ſingulos participes reddit, ac in communionem recipit omnium privilegiorum, indultorum, conceſſionum &c. quibus ipſi Canonici Lateranenſes gaudent &c.* ut ſic jure, ac meritò Collegium noſtrum tanquam verum membrum Congregationi Lateranenſi aggregatum, omnéſque ejuſdem Canonici, Lateranenſes dicendi, habendi, ac æſtimandi ſint. Quid verò inde juris, ac facti acceſſerit Collegio noſtro, diſcemus, cùm ipſo in opere Privilegia Lateranenſium prout aggregatis communicativa per extenſum producemus. Cæterùm non defuiſſe quoque Collegio noſtro viros eximios, doctrina, & virtute pollentes, poſſemus oſtendere, tum tabularum domeſticarum, tum teſtium aliorum ſufficiente authoritate. Certè ſis unquam, tempore Lutheranæ hæreſi (per hæc loca debacchantis) integritas Voravienſium probata eſt: cùm communis ſit traditio, nullum unquam per ea tempora (paſſim alioquin malevolis, ac votifragis religioſis, cingulo ſacri Ordinis cum faſciis Hymenæi commutato, ad ſacrilegas nuptias convolantibus) ex Voravienſibus noſtris religioſis, hanc prærupteam vitiorum viam arripuiſſe. Alioquin autem neutiquam dimittemus ex animo quorundam optimo calculo notatorum apud nos Canonicorum memoriam, qualis fuit *Jacobus Textor* Lutheranorum rabie è turri præcipitatus Eccleſiæ Parochialis, cui utiliſſimus Paſtor aliquot annis ſerviërat. *Abrahamus Preiner*, *Stephanus Käinz*, *Euſebius Kendlmayr*, aliique, qui quantum pro Eccleſia Dei ac Diſciplinæ regularis conſervatione laboraverint, chartæ noſtræ, & adhuc vivax quorundam exſtans recordatio declarat. Nec minùs multorum præclaras elucubrationes (quæ licèt lucem publicam necdum per typum conſpexerint, aliis intercurrentibus cauſis, ac pleróſque ipſo ſuo in labore morte præoccupante) attamen luce publica digniſſimas, quemadmodùm multi viri doctiſſimi affirmârunt, ſuo tempore peculiariter memorabimus.

Hæc de Collegio noſtro Voravienſi (cujus indignum membrum nos, dum iſta ſcribimus, jam in trigeſimum ſeptimum annum profitemur) obſervâſſe intereà ſufficiat, quod Deo favente ſperamus adhuc ultrò ſua incrementa capturum.

Exiſtit ad Rivum hujus nominis, & non procul à Laffniz fluvio. Inſtrumenta, ac Documenta domeſtica.

Waldhuſanum S. Joannis Evangeliſtæ. Abbatia. *Fund. an. 1147. Floret.* Honorat hoc Collegium Bruſchius *præelegantis* titulô, conditum annô 1147. ſed Hocheneckius ſignat annum 1144. (quod credibilius videtur) ab Illuſtri Comite *Othone de Machlandt*, qui nulla prole ex conjuge ſua *Geuta Conradi* Comitis de *Rilſtein* donatus paulò poſt cucullam induit in Abbatia Paumgartenbergenſi (à ſe fundata pro Ciſtercienſibus an. 1141.) ibíque diem clauſit extremum anno 1149. locum, in quo hoc Collegium ſitum eſt, ob amœnitatem ſuam Andreas Cydonius epigramate dilaudavit.

Combinatis, quæ Hocheneckius in deſcriptione hujus Canoniæ, ac in decurrente de Reverendiſſimis D. D. Præpoſitis iſthìc præſidentibus diſcurſu narrat, videtur illa neutiquam infimæ ſortis, néque deeſſe adhuc tum tam abundantes proventus, qui eam inter optimè etiam inſtructa monaſteria collocent. An igitur ſubſiſtant illa, quæ nobis ex hoc Collegio ante biennium documenta petentibus ſcripta ſunt breviſſimâ hâc pericope: *Canoniam Waldhuſianam duriſſimo jugo æris alieni eſſe preſſam*, alii viderint, nobis, quid ultrò differamus, nil ſuppetit.

Exiſtit propè Kambum fluv. Bruſch. in ſupplem. pag. 173. ſeq. Hocheneck parte ſecunda. p. 754.

IN REGNO BOHEMIÆ CUM CONFINIIS POLONIÆ.

INter Imperii Romani Circulos communiter receptos, dum iter noſtrum abſolvimus, ad ampliſſimam Bohemiæ Regionem adhuc paucis perluſtrandam invitamur, eò quòd ipſa non ſolùm Germaniæ accenſeatur, ſed & Imperii, quia jam propè fuerat, ut decem Circulis undecimus adderetur.

Bohemiæ autem Regnum, ante 1086. annum Ducatus fuerat, Religione Chriſtiana jam ab annô 894. imbutus per *Divum Methodium* hujus inſignis Provinciæ Apoſtolum, *Borivoyum* Ducem ſacro fonte tingentem, quem alii *Worſivvoium* aut *Borivorium* dicunt, cujus exemplum mox triginta Palatini ſecuti non exiguum quoque ad lucem Evangelicam amplectendam numerum è vulgo attraxerunt; multis tamen intereà huic, ùt impiè videbatur, novitati inductæ fidei obſiſtentibus; adeò, ut non niſi ſanguine complurium fidelium hæc terra riganda eſſet ad ſementem optatam ſuo tempore legendam. Porrò *S. Methodius* non ſolùm *Bohemorum*, ſed anteà jam *Moravorum* Apoſtolus *Zventibaldum* ſeu *Zventibolchum* eorum Regem ad fidem perduxerat, quin & ante hunc, *Raſtilaum Zventibaldi* Deceſſorem, ac Avum circà annum 863. idque præcipuè augurante D. *Cyrillo* Germano ſuo, ùt ex vita hujus glorioſi viri diſcimus. Eccleſias ab his ſanctis per Bohemiam, Moraviámque conditas fuiſſe, certiſſimum eſt; Pragæ profectò (quæ totius Bohemiæ Metropolis dignitate non minùs, quàm antiquitate nobiliſſima ſemper habebatur) à *Worſiuojo* Duce Viceградenſem Eccleſiam extructàm, à *S. Cyrillo* conſecratam conſtans [Pagius ad an 1070. N, ult.] Bohemiæ ſcriptorum traditio eſt. Nec minùs Olomucenſis in Moravia Cathedralis *S. Methodium* Authorem fuiſſe legimus, opes ad ejuſdem ſtructuram *Zventibolco* largiſſimè contribuente. Clericos illinc congregatos (qui rudem plebem tam per Bohemiam, quàm Moraviam, divinam legem docerent) & in pluribus poſtmodùm erectis templis, monaſteriíſque collectos fuiſſe, acta *SS. Cyrilli*, & *Methodii* produnt: pleriſque alioquin ſcriptoribus ad propoſitum noſtrum perpauca, eaque tenuiter, tractantibus, quod tantò vehementiùs dolemus, quò

majori ſtudiò optaremus præcipuè in opere noſtro luculentiora proferre. Atque id ipſum comprimis peſſulum nobis obtruſit, ne celeberrimam Olomucenſem Eccleſiam noſtro Catalogo infereremus, eò quòd nulla planè occurrant documenta primævum hujus ſtatum explanatè aperientia: Quòdſi tamen intereà temporis potiora obtinere contingat, neutiquam eandem, quam aliis deſcribendis Collegiis, ipſi huic Olomucenſi hiſtoricè elaborandæ ſolertiam noſtram ſubtrahemus.

Addidimus autem diffuſis per Bohemiam, Moraviámque Monaſteriis Inſtituti noſtri, etiam quæ Sileſia continet, quæque his vaſtiſſimis locis in Poloniæ regno contermina ſunt: partim quòd fortaſſè Poloniæ totius Phrontiſteria non immeritò inter Germanica numerare poſſemus; partim, quòd minimè lateat, Bohemiæ Regnum, ac Moraviæ quantùm olim in laudatam Poloniam extenderit fines ſuos. Verùm ubi de his agendum erit, nolim Lectorem mirari, adeò nos in iisdem Laconicos eſſe; eadem quippè nobis cauſa eſt conquerendi, quæ Reverendiſſimo Stivagienſi Abbati *Hugoni* in ſua prafatione ad Annales Præmonſtratenſes. Quamvis etenim omni niſu ſatageremus ſaltem à Nobilioribus Poloniæ Monaſteriis (quale nobis eſſe SS. Corporis Chriſti Cracovienſe, & Caſimirienſe, nec non S. Ægidii Clodovienſe videbatur) documenta nanciſci, unde tum litteris horumReverendiſſimorum Abbatum gratiam, ac liberalitatem, tum aliorum amicorum imploratis ſuffragiis pulſavimus, at auribus omninò ſurdis usque dum excepti, his contenti eſſe cogimur, quæ ex ſcriptoribus faciliore negotio corradere licuit.

Cæterùm obſervamus in Bohemia floruiſſe Canonicum inſtitutum planè eximiè ante revolutiones ab Huſitis commotas, fuiſſéque ex aliis præclariſſimis non minùs,quàm ſanctisPræſulibus ejuſdem provehendi *Beatum Ernestum* Bardevicenſem, & Primum Archiepiſcopum Pragenſem ad medium ſæculi XV. præſidentem apprimè ſtudioſum, prout infrè videbimus. Sed hæc peſtifera hæreticorum lues, & perverſior multis nefandis Tyrannis, impuriórque eluvies, ſicut nulli pietati pepercit, ita cumprimis in religioſos, ac ſacra loca deſæviens, nobiliſſima quæque Ordinis noſtri Collegia devaſtavit, ſuppellectilem omnem diripuit, ipſósque Canonicos inaudita crudelitate mulctatos, ex hac ærumnoſa vita compulit evolare ad ſuperos, quemadmodùm hæc omnia in deſcriptionibus ſubjectorum monaſteriorum perſpiciemus, non quidem tam enucleatè, in hac ſynopſi, at explicatiſſimè in ipſo opere, ubi quoque præclarorum, deque ordine noſtro optimè meritorum virorum accuratam memoriam proferemus.

S. Adalberti Præpoſitura.

Fund. 1134 Ord. S. Dominici.

Annò 1134. à *Vlasdislaio* Polonico Principe condita fertur, & Canonicis regularibus *S. Auguſtini* commiſſa, *illis nimirum*, qui jam anteà montem Silentii incoluerant, de quibus nos, ubi B. V. in arena Collegium deſcribemus. Dùm montem, aëris incommoditate compulſi, dimittere cogebantur, de cœnobio ad urbem Wratislavienſem condendo eisdem proviſum eſt, igitur parvo tum adhuc collecto ædificio, cùm omnes aptari religioſi nequirent, pars eorum *S. Adalberti* (tum permodicam Capellam) adierunt annò 1150. ſed ſtructurâ dicti in arena cœnobii ad faſtigium deductâ annò 1226. Adalbertinæ Eccleſiæ hactenùs incolæ reliquis ſe ſociâ-

ſociârunt, dum mox iſta Patribus Prædicatoribus à *Laurentio* Epiſcopo Wratiſlavienſi eſt conceſſa.

Exiſtit in urbe Wratiſlavienſi. Compend. memorab. Wratiſlav. Daniel. Gomolckii. docum. communic.

Fund. an. 1363 ſæcular.

S. Apollinaris Abbatia vel potiùs Præpoſitura.

Duplicem legimus S. huic Martyri Sacratam Pragenſi in ſolo Eccleſiam, unam, quæ Saczkæ, alteram, quæ in Monte Ventoſo (*Wetrovv* Bohemicè dicto) dudum condita exſtiterat; at neutrius originem aucupari ex ſcriptoribus licet. Hagecius enim de hac memoriam faciens ſic inquit: *eodem anno* (hoc eſt 1363.) *conſultabant invicem Ceſar, & Archiepiſcopus Pragenſis, ſinebántque ex Eccleſia S. Apollinaris Saczkenſi non procul Nimburgo, omnes Canonicos Pragam in novam civitatem ad Eccleſiam in montis cacumine Wietrovvic dicti exiſtentem traduci, hi ſacerdotes erant ſacrarum litterarum viri periti.* Bohuslaus Balbinus in vita *Erneſti* ex eodem Hageeio ſcribit: *Illud aquè certum eſſe, ab Erneſto doctiſſimo præſule doctiſſimos quosq́ Saczkam adductos, quorum ſingulari doctrina commotus Carolus quartus Imperator Annô* 1363. *Bonâ Erneſti Veniâ Saczenſes Canonicos Pragam itidem in montem, qui Wentrovv appellatur, ad aliud S. Apollinaris templum tranſtulit.* Hos verò *Saczenſes Canonicos* jam anteà dixerat *regulares S. Auguſtini* fuiſſe, velut id luculentiùs apparebit in deſcriptione Saczenſi, & Raudmizenſi. Igitur annô 1363. Wetrovienſis Eccleſia ad *S. Appollinarem* inſtructa eſt Canonicis Regularibus, & iis quidem, qui ſua doctrina toti Pragenſi urbi inſigni ſapientiæ obtinendæ emolumento eſſent; de quo ultrà Balbinus audiendus: *Ibi*, inquit, *ut ſapientia ſuus honos eſſet .... Scholas ſacrarum litterarum à Canonicis apprimè, & juventutem alteram diſciplinis informari juſſit. Secuta utilitas manifeſta, nam ex proxima Wiſſehradenſi Eccleſia Clerici, atque juniores ſacerdotes doctrina invitati frequentes veniebant. Ergo alter ille ... mus Princeps montem illum S. Apollinaris totum elegantiſſimis domibus implevit, & Magiſtris Canonicis, quibus jam ante de neceſſariis Arneſtus ſtabili fundatione providerat, victum lautiorem, & cenſus plures, ut ſine economia cura docerent liberiùs, adjecit; quam donationem novam litteris Arneſti confirmatam ſcribit Hagecius. Latum id ſine dubio Canonicis: Pragæ in urbe in ſumma doctrina auctoritate potiùs (quàm in ſolitudine villarum) atq́ non procul à Carlovienſibus ſuis, quibus mons S. Apollinaris imminet, verſari.* Hæc Balbinus.

Itáque annô 1363. ad *S. Apollinaris* firmati Saczenſes Canonici ſcholas eodem anno aperientes per aliquot luſtra protraxêre ſuæ ſapientiæ laborem.

Occurrit verò hìc alia, eaque non digna quæſtio ventilanda, attingens glorioſum, ac innumeris prodigiis noſtra præprimis ætate conſpicuum nuper ſanctorum calculo adſcriptum *Divum Joannem Nepomucenum*. Quem vulgò omnes ſcriptores moderni Canonicum Pragenſis Metropolis ad *S. Vitum* nuncupant: Neque iſtud etiam me invito, ſolùm ne illa aut reticeantur, aut negligantur, quæ præclarum hunc Martyrem (antequam ad Regium miniſterium, munúsque in metropolitana laudata obeundum promoveretur) attingunt. Fuerat *Joannes* (ut in præſentiarum rem paucis exſequamur) Canonicorum Regularium diſcipulus *Saczæ*, dum in ſtudiis humanioribus verſabatur; inde Philoſophiam auditurus *Pragam* ſe contulit, ſed Saczenſes, ùt ex Præfatis Balbino, & Hagecio audi-

 divi-

divimus, ad montem Ventoſum docendæ Theologiæ cauſâ tranſlatos etiam *Joannem* noſtrum inſecutum fuiſſe cum multis aliis Balbinus in vita hujus ſancti teſtatur. Occurrit tamen hic recentiſſimus actorum D. *Joannis* Collector Adalbertus Berghauer in ſuo *Protomartyre pœnitentiæ &c.* aitque: vix iſtud veriſimile videri poſſe, eòquòd ſtudia Theologica *Joannis* abſque neceſſitate, & antiqui monumenti auctoritate, ultrà trigeſimum, imò & quadrageſimum (cùm iidem nativitatem ejus propè annum Domini 1320. figant) ætatis ſuæ nempe adannum 1363. relocarentur, quò præfati Canonici, ex *Saczka* propè Nimburgam, ad Eccleſiam collegiatam S Apollinaris tranſlati primò eam facultatem docere publicè inceperant; dum intereà certi eſſe debeamus, eò propemodùm tempore *Joannem* ſacerdotio pridem inſignitum primitios curæ animarum fructus jam magna animi contentione collegiſſe &c. atque hæc quidem laudatus ſcriptor de *D. Joanne*: quem indubitatè ſupponit Clericali, eique ſæculari inſtituto nomen dediſſe, unde meritò aliquot anni incaſſum decurriſſent, quibus dimiſſis demum applicuiſſet animum ſacratioribus ſcientiis. Verùm longè alterius inſtituti ego Divum noſtrum conſpicio, & nè ambigo quidem, eundem à Saczenſibus Canonicis Regularibus veſtem religioſam, profeſſionémque accepiſſe. Inter alia, quæ fidem firmiſſimè ſtabiliunt, nón poſtremum eſt teſtimonium quorundam doctiſſimorum virorum, qui affirmabant (cùm aliquot abhinc annis Pragam inviſerem) ſeſe oculis ſuis conſpexiſſe Divi *Joannis* noſtri libellum ſupplicem, quo fores præfatorum Canonicorum pulſabat, eorum in gremium, ac ſocietatem ſuſcipiendus ſubſcripto propria manu nomine *Joannes Laſſal*, afforis autem appoſita hac Epigraphe: *Suſceptus eſt*. Atque hunc libellum adhuc hodie exſtare certum eſſe. Hujus verò teſtimonii firmamentum cùm ego ſcriptis luculentiùs roborandum enixè peterem, reſponſum tuli, hæc mihi ad aurem dici, neque tutum, promulgari iſta, juxta illud: *in Cœlum nè exſpuas*: intereà tamen cùm noſcerem, hæc mihi referentes intaminatæ veritatis aſſertores, neque fallere me velle viros integerrimi cordis, plus omni etiam ſcripto documento hoc apud me teſtimonium evicit, ut pro regulari Canonicatu Divi *Joannis*, & nunc, & ampliùs ſuo tempore certarem, præcipuè ubi conjecturæ, ac circumſtantiæ (quantùm ex tenebris obvolutæ undique ſæculi XIV. Bohemicæ hiſtoriæ lucent, documenta vetera Huſſiticô bellô penè omnia abſumente) apprimè huic argumento conſentiunt. Nam neque vir Clariſſimus Berghauerus, neque Balbinus ex ullis documentis antiquis docere poſſunt, ac prodere, Sacræ Divum noſtrum humanioribus ſolutis, mox Pragæ Philoſophiæ operam dediſſe, ſed conjecturam tantummodò; ubi interim ſupplex ille libellus *Joannis* arguendum ſuppetit, non diù inter ſæculi fluctus morantem ad portum Religionis *Sacza* appuliſſe. Atque tum quadriennio (ſaltem triennio) Inſtituti Canonici Tyrocinio, ac legibus imbutum, demum Pragam ad audienda Philoſophiæ placita à ſuis ſuperioribus miſſum aliquot annis huic ſcientiæ, dein quoque Divinæ, nec minùs utriúsque fori legibus aures applicuiſſe, ad quod ſtudium bene capeſſendum facilè anni octo novémque effluxerint: præcipuè ſi, quod in multis tunc collegiis Canonicorum Regularium receptum fuerat, abſolutis Philoſophicis ad recol-

recolligendum ſpiritum uno alterovè anno abſtractum aliquantulùm clauſtrali pietati ſe dare oportuerat. Cùm deníque Saczenſes Canonici annô 1363. ad *D. Apollinaris* translati ſuum *Joannem* exceperint iterum in gremium ſuum, ubi aut ipſe Theologiæ Auditor, aut fortaſſe cum aliis jam Doctor evaſerit. Neque enim in hoc punctô multum meâ intereſt cum viro eruditiſſimo pugnare, malóque ipſe adſtruere, quòd, ubi paſſim creditur Sanctus inter annum 1320. & 30. natus, annô 1363. jam tricennarius, & ultrà fuerit, cumque ſtudiis ſuis eximiè in Univerſitate Pragenſi tranſactis impoſuerit diſcendi Coronidem. Verùm affirmare tam liberè cum eodem non audeam, *eô tempore Joannem pridem ſacerdotiô inſignitum primitios curæ animarum fructus, jam magna animi contentione collegiſſe.* Primum enim Evangelicum munus obtinuiſſe, & exercuiſſe *Joannem* ex Balbino diſcimus, cùm ad B. Virginem ante *Letam curiam* (*Teinam*, vulgò *Tein*, dicunt) populo à concionibus fieret; quod antè annum 1373. non contigiſſe ipſe laudatus ſcriptor affirmat. Quî ergò annô 1362. aut 1363. primitios fructus curæ animarum jam magna animi contentione collegerit, optarem peculiari ab eo deductione oſtendi: Nam neque id Hagecius, neque antiquior Author inſinuat. Potiùs igitur ad annum usque 1373. otium ſpirituale (religioſis viris, ac maximè ſanctitatem ſpirantibus ſemper anteà, quàm ſe publicis Eccleſiæ miniſteriis traderent, quaſitum) etiam Nepomuceno noſtro vindicemus, per quod continuato virtutum exercitio quaſi quodam ſe clypeo muniens tam egregius poſtmodùm Athletha prodiret, qualem ſe invicta concertatione probaverat, dignus, ut demum Martyrii laureâ decoraretur. Eccleſiam Teinenſem, an *D. Apollinaris* membrum, an alia, quin parochia fuerit, necdum reperi apertiùs deſcriptam, Canonicos tamen regulares huc ad curam vocatos, probant acta *Conradi de Stikna*, quem* Canonicum regularem, & quidem hujus Eccleſiæ plebanum (Hagecius ſimpliciter ſuperiorem aut Præpoſitum nominat) ſeu Parochum fuiſſe, *Benedictus de Weitmill*, aliíque paſſim, ac unanimi conſenſu affirmant, eò igitur faciliùs poterat *Joannes Conrado* alter Canonicus Regularis ſuccedere, cùm *Joannes Militius* non niſi poſt *Conradum* quatuor annos Teinenſis Concionator mereret.

* Quamvi ex Bohemico Berghauerus vertat Plebanum, in vernaculo legitur: In der Capellen zum Tein Oberiſter.

Porrò dum dico Divum *Joannem* Saczæ, ſeu Zatecii audiviſſe humaniores litteras, mea non refero, ſecutus Balbinum dicentem, Parentes Zatecium ad celebres ea tempeſtate latinitàtis Scholas miſiſſe. Hinc ſæpefatum Berghauerum non moror, civitati Pilsnenſi applaudentem: tanquam *quæ jam à Joannis Regis tempore eâ gauderet gloria, quòd & litterarum cognitione præſtantes admoveat in ſenatum, & grammaticales inſtitutiones civitatis ærario, Baccalaureo Juventuti procuret &c.* an enim ex his inferri poſſit, Divum *Joannem* Pilſenæ ſtuduiſſe, ipſe viderit, qui adſtruit: mihi ſatis eſt, tempore D. *Joannis* apud veteres ſcriptores ſolùm extra Pragenſem urbem Saczenſes commendari, ideò annô 1363. ad *S. Apollinaris* translati. Cæterùm quæ ultrò de *S. Joanne* noſtro adferenda eſſent, tum in Saczenſis cœnobii deſcriptione, tum ampliſſimè in ipſo opere dabimus. Hoc *D. Apollinaris* Collegium nunc ſæcularium eſt clericorum.

Exiſtit in urbe Pragenſi. Hagecius. Chron. Bohem. ad an. 1363. & 1369. Balbinus in vit. Erneſti. L. 2. C. 14. & in not. & L. 3.

3. C. 3. Berghauer. Proto-Martyr. Pœnit. C. 3. & 4. act. SS. ad diem 16. Maji. Dlugoſſus. hiſt. Polon. L. 9. Col. 1129.

Fundat. an. Exſtinct.

Bezdiezienſe Abbatia.

Meminit hujus Monaſterii Canonicorum Regularium Bucelinus, illudque funditùs ait periiſſe. Bona ejusdem Patribus Benedictinis ceſsêre.

Exſtitit propè Boleslaviam. Bucel. Germ. Topograph. ſacr. Part. 4. pag. 11. Document. communic.

Fundat.

Blonizenſe Abbatia.

Fundatorem habuit *Conradum* Maſoviæ Ducem, fertúrque hic locum iſtum *Introitibus, & ornamentis, munificentiâ Ducali dotâſſe* ſepultus in Czirwienskenſi Canonicorum non minùs monaſterio, de quo nobis alioquin nihil cognitum.

Dlugoſſus hiſt. Polon. L. 7. ad an. 1294.

Fund. an. 1454. Floret.

Borobonenſe S. Mariæ Viſit. Præpoſitura.

Fundata à *Petro* ex Clariſſima, & nobiliſſima familia de *Linden* toti Belgio, ac maximè Teneremondæ notiſſima, quippè quæ non ſolùm viros in ſaga, ſed & toga, pietate quoque in ſuperos eximia ornatos protulit: ùt videre apud Joannem Baptiſtam Gramajum licet, ex hac eadem egregia ſtirpe laudatiſſimum Surculum. Hic *Petrus* à quodam ex gente de Urſinis invitatus in Bohemiam, ſoli poſtmodùm amæniſſimi Suavitate illectus, ternas villas, atque inter has *Borovan* à præfato Dynaſta coëmit, ſedémque in aliqua earum, & fortè in Borovannenſi fixit. Cœlô poſtmodùm pietatem *Petri* probaturô, unicus ei demortuus filius eſt, nullâ deinceps ampliùs prole ſuperſtite opportuna Petro occaſio fuerat rerum ſuarum hæredes ſcribendi ſuperos, hinc Borovannum (pagus fuerit tum, ſeu villa) in monaſterium, ſive Collegium Canonicorum Regularium mutavit, in *Collegium*, inquam, ut iterum aliquantulùm in memoriam revocem, modernis quibusdam ſacri inſtituti noſtri cavillatoribus, nè dicam contemptoribus, qui, nè eidem vel minimum de antiquiſſimis, ac probatiſſimis juribus faveant, nomen *Collegii* adeò appropriandum ejusdem negant Phrontiſteriis, ut in Canones, & effata Patrum ſe peccare autument, ſi hôc eadem titulô honeſtent. His ego oppono viri ſæculô decimô quintô clariſſimi *Hieronymi* Archiepiſcopi Cretenſis, & *Pii ſecundi* per Bohemiam atque Poloniam &c. Apoſtolici Legati diſerta verba, quibus in litteris fundationem Borovannenſem confirmantibus hanc præpoſituram Collegium nuncupat, & collegiatam Ecelefiam: *ſanè petitio*, inquit, *pro parte dilecti in Chriſto nobilis Petri de Linden* ...... *nobis nuper exhibita, continebat, quòd olim ipſe cum conthorali ſua* ...... *quoddam monaſterium in honorem* ... *præcelſæ Dei Genitricis, in loco parochialis Eccleſiæ, Borovan Pragenſis Diœceſis, quæ Eccleſia eſt, & fuit de jure patronatûs ipſius, quamq; in* Collegiatam *Eccleſiam* ..... *erigi facere, atq; fratribus Ord. S. Aug. Canon. Regularium de obſervantia donare intendit &c.* & iterum paulò inferiùs: *ùt eadem petitio ſubjungebat, aſſectat; ut præfata Eccleſia* in Collegiatam, *ſeu in conventualem erecta fuerit &c.* atque hanc *collegiatæ Eccleſiæ* formam ſæpiùs adhuc deinceps memorat, ut nihil omninò manifeſtius, quàm Canonias regulares, quamvis Conventuales, id eſt, regulari ſocietate conſtarent, *collegiatas*, ac *collegia* impunè fuiſſe nuncupatas. Sed cùm nolim ego cauſam modernorum adeò regularibus Cano-

nüs

niis (ne Clericales æſtimentur) adverſantium quorundam Scriptorum attentiùs, ac ſcrupuloſiùs fodere, hæc dicta, notatáque ſufficiant.

Fundationis annum Catalogus D.D. Præpoſitorum nobis communicatus 1454. aſſignat, quæ tamen in virore ſuo, impierate Huſſitarum, diù perdurare non potuit, etenim ſub ſexto Præſule *Mathia de Rzinarz* lugubrem vultum hæc Canonia induere coacta eſt in Emporium divendendæ Cereviſiæ poſt annum 1557. mutata, Dominium temporale tunc tenente *Petro Wok* de Roſis, viro nimirum infelici labe Huſiticæ pravitatis maculato, per quem religioſis ejectis venuſtiſſimum collegium ſpeciem adeò omnem religioſæ pietatis amiſit, ut etiam, quæ idem in ædium ſtructura ſanctiore intuitu præſentabat, in rorum vaſtarentur.

Jacuit hic locus ſacer ſub plebejo amictu ad annum usque 1631., cùm demum clementiſſima in religioſos virtute motus *Ferdinandus tertius* Imperator tunc verò adhuc Rex Rom. decretô editô ejusdem loci reſtitutionem ad priſtinum regulare inſtitutum præciperet, cui recuperando præcipuam operam contulit celeberrimum, ac diſciplinæ regularis obſervantiâ per omnem Auſtriacam terram famoſiſſimum collegium Canonicorum Clauſtro-neoburgenſe propè Cæſaream Metropolim Viennenſem; hujus enim Reverendiſſimo Capiti *Bernardo* contraditâ curâ non ſolùm (de qua loquimur) Borowanenſis, ſed & Trebonenſis æqualia fata perpeſſa (de qua inferiùs) utráque recuperatæ in integrum priſtinæ ſubſiſtentiæ vigorem feliciſſimè eſt adepta, ut usque hodie præclariſſimè floreat.

Exiſtit in Circulo Bechinenſi. Hagecius in Appendic. ad Chron. Bohem. Bucel. Germ. Topograp. Sacr. Par. 4. pag. 12. Docum. commun.

Camenzcumenſe S. Mariæ Abbatia. Aut potiùs Præpoſitura. Tum ſcilicèt cùm à ſui origine Canonicorum Regularium erat, fundante circà annum 1227. *Vicentio* Wratislavienſis Eccleſiæ Præpoſito non tam Eccleſiam (jam à *Breczislao* Duce Bohemiæ vitam cum ſæculo undecimo finiente in honorem *S. Procopii* conditam) quàm Monaſterium. De hoc igitur ſequentia nobis in Excerptis Nicolai Henelii Somersbergius indicat ad annum 1222. Damus è vernaculo in latinum verſa: *Circà hoc tempus Monaſterium quoq. Camenzcumenſe, in Franckſteinenſi Diœceſi ad Niſſam amnem ſitum .... originem duxiſſe fertur, de quo autem ex Sileſia Magna Heſſi, præſertim ex Archivis cœnobii id compertum habeo, quòd extructa per Ducem Breczilaum in honorem S. Procopii Eccleſiola, ſeu Capella Camnizii, exinde ſub Innocentii tertii Pontificis Romani* (qui ab annò 1198. ad 1216. regnaverat) *& Laurentii Epiſcopi Wratislavienſis* (qui annô 1207. Epiſcopatum adeptus, eidémque usque ad annum 1232. præfuerat) *quidam Nobilis Vincentius dictus, olim Eccleſiæ Wratislavienſis Præpoſitus ex Clauſtro Beatæ Virginis ad Arenam Wratislaviæ aliquot fratres Canonicos Regulares illic induxerit, ibidem permultis annis ſub regula D. Auguſtini Obſervationis Arvaſienſium viventes, ab Henrico etiam Barbato* 150. *manſis, deſertum magnum nuncupatis, pro ſuſtentatione fratrum conceſſis, in quibus poſtmodùm quatuor, nimirum Meifridi, Volmari, Heinrici, & Hemerici Villæ erectæ &c.* idem verò paulò inferiùs hujus Cœnobii extraditionem factam Ciſtercienſibus monachis hiscè ſub-

Fund. an. 1227. Ord. Ciſt.

ſubjungit, in Henrico tertio Sileſiæ Duce: *ſub hujus*, inquit, *Regimine magna mutatio accidit Collegio Camenzcumenſi, dum ſcilicet Thomas I. Epiſcopus Wratislavienſis Canonicos Regulares poſt Præpoſiti Vincentii obitum inde dimovit, illorúmque locò quosdam fratres Leubenſes induxit, à Jacobo Archidiacono Leodienſi Apoſtolico Legato per Poloniam, & Pomeranniam ſollicita tranſactione ſtabilitis. Quemadmodùm hæc omnia legenda Privilegium Thomæ Epiſcopi exhibet ſub Annum* 1249. *id ipſum confirmat Chronica Princip. Polon.* cauſa verò hujus immutationis factæ deſiderato illo diplomate, & alioquin ſcriptoribus tacentibus, nos quoque latet.

Exiſtit Caminzii. Sommerbergius cit. tom. 1. pag. 143. Chron. Roſitzii apud eundem com. cit. p. 65. & Chron. Polon. Princ. ibid. pag. 61. & tom. 2. p. 244. Buc. monaſteriol. Germ. Part. 4. p. 20.

Fundat. Ord. Ciſt. Carmenzenſe, Præpoſitura. Exiſtere hanc in urbe Wratislavienſi didici olim à Canonicis Regularibus inhabitatam, nunc Ciſtercienſium Abbatiam. Reliqua incomperta.

Fundat anno 1311. Floret. Carlovienſe S. Mariæ, Abbatia. Moveret gratitudinis debitum, ut aliquantò prolixiùs in hujus inclyti collegii deſcriptione excurreremus, quippè cujus non ſolùm Reverendiſſimus D.D. Præſul, ſed & totum gremium Canonicum eâ me annô 1725. à prima Julii, ac deinceps aliquot diebus humanitate foverunt, ut talem homo alioquin peregrinus, & ſolius ordinis, ac inſtituti ſacri ratione ſuſceptus, nè quidem ſperandam ſibi unquam perſuaderet; neque enim tantummodò ad epulas ſolitas lautiſſimè (non tamen frugalitatis religioſæ exceſſu) ac amiciſſimè habitus, ſed iis quoque perdius officiis civilitatis præveniebar, ut quoties ferebat occaſio, tum per ampliſſimam Triurbem, tum ad ipſam Raczinenſem Metropolim Archiepiſcopali non minùs, quàm Regiâ aulâ magnificam biiugi Carpento (eoque ipſius Reverendiſſimi D.D. Abbatis) ſtipantibus geminis ejusdem famulis, Comite ſemper aliquo Domino Canonico, qui ubicúnque locorum notitiam conciliaret ignoranti, deducerer: dimitto favores alios, quos grati animi memoria nunquam oblitterabit. Atque hæc, ùt dixeram, in me Benevolentia depoſceret ſanè quoddam reciprocandum hac occaſione obſequium, quod etiam ſi iſthic non exſolverem, ſaltem ipſo in opere præſtare minimè omitterem: verùm quod vehementer indoleo, ubi volenti facultas ſuggerenda negatur, inculpari nequit, quod prætеritur. Promiſſa (ùt bene memini) Carlovienſis hiſtoria erat, atque in hunc finem adhuc Pragæ exiſtenti prævìè mihi ſuccincta, eáque ſolùm duobus in octavo foliolis conſiſtens narratiuncula raptim collecta, ac contradita eſt à clariſſimo viro, nunc Decano ibidem digniſſimo *Auguſtino Stizki*; at cùm diutinè expectata luculentior hiſtoriæ Carlovienſis expoſitio per complures annos deſideraretur; ſubmiſſis deníque ad eundem ſupplicibus redditum eſt reſponſum Datum anni 1735. die 17. Nov. *nil ſpecialius jam communicatis haberi præ manibus in Canonia Carlovienſi.* Cui cùm fidem derogare non audeam, contentus iis, quæque alioquin pauciſſima ex Serie D. D. Prælatorum ſuppetunt, amicorum favore perſcripta, & iſthìc, & in ipſo opere promam.

Fundatum itáque Carlovium eſt annô 1351. à *Carolo quarto* piiſſimo Auguſto Coloniam primam ex Gallia evocatam æſtimat Crugerius, ex quo tamen monaſterio ig-

ignorat haud dubiè: crediderim ego potiùs ex aliqua Canonia ſuperioris Germaniæ, ſed nec iſtud certum. Hanc verò Carlovienſem religioſiſſimus Princeps miro affectu dilexit, nam cùm an. 1377. *Joannem* Archiepiſcopum Pragenſem ad eandem conſecrandam requireret, hocque petitis obtemperante ſolennitas iſta eo cum apparatu ageretur, ut in eo monaſterio *Carolus* cum Archi-Præſuli laudato, cum reliquis Eccleſiaſticis, ac religioſis perſonis Regium omninò convivium ornaret, finitis epulis, toto nobiliſſimo apparatu religioſos Carlovienſes muneravit, cujus pretium centum millia Hungaricorum aureorum adæquaſſe dicitur.

Abbas Carlovienſis eximiâ quoque Authoritate effulſerat; *Carolus* enim, cum Ingelheimenſem paulò poſt Canoniam fundâſſet, hunc Patrem immediatum ejusdem Collegii eſſe decrevit, Archiabbatem quoque juſſit, inſuper Eleemoſynarium Regium, ſed & ultrò in choro Archiepiſcopali Baſilicæ Cathedralis Stallum eidem conſtituit: quæ ſingularitas nulli regularium extra Cleri primores, quacúnque demum prærogativa emineret, concedebatur. ut idem Crugerius notat.

Hæc tamen, aliáque complura decora intercidiſſe videntur maximè injuriâ Hæreticorum. Quamvìs certum omninò viros ſemper exſtitiſſe in iſto Collegio virtute præclaros, qui vitam, ac ſanguinem pro Eccleſia Dei, & antiqua fide neutiquam dubitabant effundere. Exſtat hodiedum in ipſâ venuſtiſſima Eccleſia ſub ara laterali ex Evangelii parte tumba trium Canonicorum Carlovienſium oſſa conſervans annô 1611. 15. Feb. ab Hæreticis peremptorum, quod ſub utráque ſpecie renuerent communionem tribuere malevolis contra Eccleſiæ decretum perentibus. Verè ſancta Trias, & eò pretioſior, quòd ipſo Abbate *Caſparo Tſcheppl*, Decano *Melchiore Hofmann*, & uno Sacerdote *Andrea Kober* conſtaret. Sub his iniquis devaſtantium Hæreticorum fatis, fugati Canonici reliqui, ipſúmque Monaſterium igne conſumptum eſt, locus denique Carlovienſis, ſola remanente Eccleſia, deſolatus perſtitit usque ad annum 1660. quô incomparabilis Princeps, ac Imperator Leopoldus, nec non Pragenſis Archiepiſcopus *Erneſtus ab Harach* reparandum conſtituit tam dira deſolatione emortuum Collegium; & ne quid Celſiſſimo iſti in Zelo ſolidæ reſtaurationis deſideraretur, ipſe de ſuſcipiendis primis hominibus ſollicitus, ſuſceptos binos, ùt audieram, hebdomodaria viſitatione in propria perſona inſtituit, primámque religionis Canonicæ vivendi normam pulcherrimìs doctrinis oſtendit, docuítque, ut exhinc usque ad noſtram hanc ætatem præſtanter hæc Canonia floreat.

Exiſtit in nova urbe Pragenſi. Crugerius ad 28. Jan. Hagec. ad an. 1351. p. 572. & 1377. p. 622. Docum. Communic.

Caſimirienſis SS. Corporis Abbatia.

Fund. 1347. floret. Conditorem hujus *Caſimirum ſecundum Poloniæ Regem* legimus anno 1347. fuiſſe, incolendum verò hoc Monaſterium primitùs conceſſiſſe Fratribus Eremitis ſub regula *S. Auguſtini* viventibus, ſed *Wladislaum* ſecundum Poloniæ Regem dimotis Eremitis ſubrogaſſe Canonicos Regulares annô 1405. hæc quidem ex Dlugoſi hiſtoria, quæ aliis deficientibus documentis rejicere non præſumo, quamvìs Pennotus noſter ſcribat *Caſimirum* teſtamento hoc Monaſterium legâſſe Canonicis, & de Eremitis apud eundem nullum indicium. Cæterùm in hoc Cœnobio venerandæ memoriæ vixerat *B. Stanislaus*, multis clarus pro-

prodigiis, licèt igitur pauciſſima occurrant de ipſa hac Caſimirienſi referenda, non tamen hujus piiſſimi viri in opere noſtro acta præclara ſilebimus, quippe quorum prælixam ſeriem orbi jam communicavêrunt Eruditiſſimi Antverpienſes.

Floret adhuc hæc Abbatia in ipſa urbe Caſimirienſi. Dlugoſs. Hiſt. Polon. L. 9. col. 1084. & L. 11. Col. 658. Pennot. Hiſt. Tripar. L. 2. Cap. 40. n. 2.

Chemnicenſe Abbatia.

Fund. an. 618 Ord. S. Ben. Profero, quæ *Albini* ſua in Chronica Miſnenſi ediſſerit, *Lotharium* nimirùm Regem Francorum pro Canonicis Regularibus poſt devictos Hunnos an. 618 condidiſſe hanc Abbatiam, quam dein Imperator ejusdem Nominis transſcripſerit Monachis S. Benedicti 1143. poſterius iſtud confirmat Langius, ſed fundatum his Monachis primùm ab hoc Imperatore, ait. Quodcúnque ſit, noſtrûm erat ſine lege non loqui: neque dubitem, rerum miſnenſium *Albini* abundè peritum ſine documentis hoc Monaſterium ab origine Canonicis Regularibus non adſcripſiſſe.

Exſtitit in Diœceſi Caminenſi ad fluv. Wartbam. Albini Chron. Miſnens. Langius. Chron. Citiz. Edit. Piſt. tom. 1. p. 1156.

Cernenſe. Abbatia.

Fund. . . . . Epiſcopatûs, inquit Philippus Bonanni S. J. Plocenſis, in Principatu Mazovienſi Abbatia Canonicorum Regularium B. V. dicata. Reliqua ignota.

Clodovienſe S. Ægidii Abbatia

Fund cir. 1085. Floret. Fuiſſe antea Eccleſiam Parochialem in urbe Klodawa, diſcimus ex Dlugoſſo, poſt annum 1085. fundatam. Anno 1387. eadem hæc Eccleſia adſcripta eſt à *Wladislao* Rege menſæ Epiſcopali Vilnenſi, demum *Pauli Wladimiri de Brudzevvi* Canonici, ac Cuſtodis Cracovienſis, ſimúlque hujus Eccleſiæ Plebani precibus in Monaſterium, ac Abbatiam converſa Canonicorum Regularium anno 1435. quam mox *Sandivagius* de *Czechel* ſuâ ſanctimoniâ dicitur inter primos Canonicos colluſtrâſſe.

Exiſtit in urbe Clodovienſi. Dlugoſs. L. 4. col. 308. & L. 10. col. 112. & L. 12. col. 686.

Clovvicenſe S. Martini Abbatia.

Fund. circa an. 1440. Floret. Exſtruxiſſe primùm hanc Eccleſiam Divo *Martino* dicatam videtur *Petrus Skrzynenſis* Comes, vir pietate non minùs, quàm egregiis factis toti Poloniæ notiſſimus, eóque omnium bonorum memoria dignior, quò impiæ, ac Crudeli *Chriſtinæ Wladislai* Ducis Conjugi infenſior, de cujus acerbiſſimo in virum hunc odio legi Dlugoſſus intereà poteſt. Vixerat *Petrus* ſæculi 12. medio, & ante annum 1144. ædificaſſe Eccleſiam illam probabile eſt, quippe quòd hoc circiter anno invidiâ Chriſtinæ oculis orbatus vix eas vires caperet, quibus condendis Eccleſiis ſufficere poſſet. An tum junctum Monaſterium ſit, non lego, id in comperto, ſub *Caſimiro* 4to ab anno 1446. regni Polonici habenas moderante, Dlugoſſum (qui ad annum usque 1480. vixerat) inſtituto Canonico tenerrimè addictum effeciſſe, ut hæc Eccleſia noſtris traderetur, de quo in ejusdem Dlugoſſi vita ſequentia referuntur: *Impetravit ab inclyto Cazimiro Rege Poloniæ, ut liceret ſibi inducere in Eccleſiam Parochialem ſancti Martini abs ſe adificatam in agro Klobucenſi Canonicos Regulares Beati Auguſtini, quorum ſanctimonia & religio in præcipua apud omnes æſtimatione habetur. Idq; deinde accedente conſenſu & favore Zbignei* (Cardinalis nimirum) *executus eſt, in quam rem præter labores & expenſas alias, impendit fructus, & admi-*

niſtra-

niſtrationem unius Eccleſiæ, quam Germano reſignavit, qui tum in eo oppido plebanum gerebat. Hæc ex vita Dlugoſſi. Florere adhuc hodie hanc Abbatiam certiores ſumus.

Exiſtit in urbe Clowicenſi Cujaviæ. Dlugoſs. L. 5. Hiſt. Polon. col. 465. & in vita huic operi præp. Acta SS. ad 7. May in vita B. Stanislai Ep. M. in not. n. 3.

Cracovienſe SS. Sacramenti Abbatia. Exſtat in urbe Cracovienſi hæc Eccleſia diù jam condita, & annô 1347. ob ſurreptam à furibus Hierothecam Sanctiſſimum Sacramentum continentem quaſi novo ſydere prodigioſi tunc obtingentis miraculi longè celebrior haberi cæpta. Licèt verò nec Pennotus, nec Dlugoſſus eandem Canonicorum eſſe obtervent, id tamen certum habeo tum aliis argumentis, tum relatione ſuprà jam laudati à nobis Philippi Bonanni, dum disertè ait: *Abbatiam Sanctiſſimi Sacramenti in urbe Cracovienſi Canonicorum Regularium S. Auguſtini actu eſſe, beréque ſub ſe ſeptuaginta ſeptem alias Abbatias, quibus omnibus Cracovienſis hujus Cænobii Præſul tanquam Abbas Generalis præſideat.* Dolemus illiberalitatem horum virorum, qua minùs nobis licer, eam in noſtro opere laudem his Abbatiis notam facere, qualitercúnque id etiam deſideramus.

Exiſtit in urbe Cracovienſi. Dlugoſs. Hiſt. Polon. L. 9. col. 1083. ſeq. Bonnani de Ordin. Relig. P. 1.

Fund. 966. Secular. **Culmenſis S. Crucis Cathedralis.** à *Miceslao* Principe, primóque fidem Chriſtianam Polonicis terris invehente fundata dicitur circa annum 966. ùt Dlugoſſus in ſua hiſtoria Polonica indicat. Cùm verò hujus ipſius Eccleſiæ modica notitia eluceat hiſtoriæ noſtræ deſerviens, ſolùm ea obſervaſſe expediet, quæ idem Dlugoſſus ad annum 1264. enarrat: *Culmenſis*, inquit, *Epiſcopus Henricus Ordinis Prædicatorum Frater Eccleſiam ſuam Culmenſem, quam ſæcularem reperiebat, in regularem Canonicorum Regularium Beati Auguſtini transtuliſſe non contentus, iterum illam in Cruciferorum Ordinem, Metropolitano ſuo Archiepiſcopo Guesnenſi ignorante & inconſulto transmutat, & ritu Canonicorum Regularium atq; habitu abjecto, habitum atque ritum Cruciferorum Ordinis Theutonicorum ſanctæ Mariæ unàcum Capitulo ſuo Culmenſi aſſumit.* Hæc ubi ex Dlugoſſo percipimus, jam non eſt de inſtituto Auguſtiniano Canonico in Culmenſi Cathedrali, tempore B. Juttæ Prurenæ iſthic piè viventis, atque obeuntis, cum Clariſſimo Papebrochio ambigere, quippè cujus notitia Dlugoſſum pro illis diebus latere non potuit. Nunc ibidem reſident ſæculares.

Dlugoſs. Hiſt. Polon. col. 772. act. SS. Bol, ad diem 5 May in append, ad vitam S. Juttæ.

Fulnecenſe Abbatia. *Fund. 1389. Floret.* Communicavit de hujus Collegii fundatione & quibusdam viciſſitudinibus nonnulla ex Archivo domeſtico excerpta nobiscum vir humaniſſimus, ejusdémque Canoniæ Decanus emeritus *Jacobus Franciſcus Erbsman.* Ex quibus diſcimus fundatam fuiſſe à Nobili Domino *Beneſio* ſeu *Benedicto* de *Kravvarcz* Domino in Chruman, Romanorum Regis Cameræ Magiſtro an. 1389. ſtatuente, ut *ibidem novem Fratres Canonici Regulares cum Præpoſito Divino cultui vacent, & quotidianas laudes Deo Creatori ſuo depromant.*

Tempore Ducis Taboritarum *Ziscæ* Moraviam penè totam devaſtantis Fulneckium quoque horum furori ſuccubuit, repetitam calamitatem inde expertum, tum ubi Bohemi rebelles Moraviam invaſerant, tum quando Suecus ipſum

Caſtrum Fulnecenſe ſuis armis ſubjecit. Néque tamen adeò ipſum Monaſterium his duriſſimis preſſuris afflictum eſt, quin ſemper Canonici inibi Divinâ opitulante gratiâ morarentur, usquedum reducta tranquillitate liceret amiſſa recuperare & priſtinæ Diſciplinæ vigorem, propè tantarum calamitatum turbine peſſumdatum, revocare; quod cùm annô 1654. per electionem novi Reverendiſſimi Præſulis *Pauli Brugmann* conſtitutum eſſet, exinde majoribus ſemper accedentibus incrementis usque ad noſtra tempora eximiè florere hæc inclyta Canonia conſpicitur.

Exiſtit propè Olmucium. Documenta communicata.

Fundat. • *floret.* S. Georgii Prioratus. Meminit hujus Prioratus *Philippus Bonnani* in ſuo, quem ſcripſit, tractatu diverſorum Ordinum religioſorum, innuítque eundem Varſovii adhuc florere. Reliqua incomperta.

Fundat. an. 1350. *Soc. Jeſu.* Glacenſe S. Mariæ Præpoſitura. Piiſſimus *Arneſtus*, ſeu *Erneſtus* Pragenſium primus Archiepiſcopus Canonicis Regularibus tam impenſè affectus, ut, ſi per Imperatorem ſimul, ſummúmque Eccleſiæ Præſulem licuiſſet, humilem candoris Canonici amictum lubens cum Archiepiſcopali pallio commutaſſet: hic itáque eximius Princeps Glacenſis, de quò nobis ſermo, Cœnobii fundatorem planè munificum ſe exhibuit anno 1350. quemadmodùm ejusdem Charta docet hoc anno ſignata. Binæ à Balbino fundationis repertæ litteræ, quarum una memoratum annum, altera 1352. præſefert; factum id opinor à ſollicito, & ſancto viro, ut exſtaret teſtimonium duplex nempè tum fundare cœpti, tum abſoluti, & jam perfecti monaſterii. In poſterioribus ampliſſimæ largitiones notantur, quibus hæc Præpoſitura ab *Erneſto* locupletata eſt, ut Balbinus teſtetur, nullam unquam donationem, aut fundationem tot Regum, Cæſarum, ac Principum litteris confirmatam ſe vidiſſe, quàm hanc *Erneſti*. Nec minùs ædificium ipſum ſumptuoſo quodam apparatu conſpicabile fuerat, ut ſatis de Excellentia ſua commendari vix poſſit eodem Balbino teſte. *Stetit autem* (verba ſunt Balbini) *exſtructúmque eſt in monte Glacenſi, cui annexum ab Erneſto & ædificatum Cœnobium in loco totius urbis altiſſimo, vicinorum, ac remotorum montium aſpectu lætiſſimo. Laudat Glacenſis Hiſtoricus Furius in Glaciographia part.* 1. *C.* 3. *ſect.* 1. *præſtantiam illius, miratur aulas, ambitus, Cameras, aliáque ad æternitatem quandam parata. Hujus quoque Cœnobii venuſtatem, formam, arcus, columnas, & Fornicum prætenſiones, & projecturas, Seniores noſtræ ſocietatis (à quibus id audivi) mirè deprædicare ſolebant. Ajebántque nullum id temporis tota in Bohemia & Moravia Collegium, huic comparari potuiſſe.* Hæc Balbinus.

Nullum porrò ex omnibus, quæ *Erneſtus* aut dotaverat, aut condiderat, Cœnobiis adeò in amoribus videtur habuiſſe, quàm iſtud Glacenſe; prætérquam enim quòd ſe ad illud ſæpiſſimè conferret, inſuper quotannis ibidem ſolitudinis otium capiebat, quem in finem intra clauſtri penetralia conſtrui quandam arcanam cellulam ſibi fecerat, penè ab ipſis Canonicis ignoratam, intra quam cum uno famulo deliteſcebat, à mundi ſtrepitu remotus, cæleſtibus delitiis commodiùs perfruiturus. Chronicon Glacenſe refert quidem fundationem ad annum 1349. ſed exiſtimo potiùs Chartâ prædictâ ſtandum, in qua diſertè dicitur annô 1350. cœptum, ſed non abſolutum Cœnobium iſtud fuiſſe.

Primos Canonicos ex Raudnicenſi Collegio aſſumptos idem Chronicon adſtruit:

Nullus planè dubito, egregiis documentis hanc tam celebrem Canoniam fuiſſe repletam, quæ tamem furor Bellicus, atque Hæreticus conſumpſerat fermè omnia. Exſtare Chronicon Glacenſe diſco ex Balbino, quòd ſi per humanitatem Patrum Societatis iſtud Collegium ab anno 1597. poſſidentium (cum jam antea ab anno 1490. dilabi occiperet, & ad incitas deduci) præfatum Chronicon aſſequi liceret, quippe quod juſti voluminis vaſtitatem adæquet, multa nobis inde eruenda forent, ac in ipſo opere promenda. Vixêre etiam in hoc loco præſtantes, & eximii viri, florente inter eos tanto Diſciplinæ, ac obſervantiæ ſpecimine, ut complures tum ad inſtituenda, tum ad reformanda alia noſtri inſtituti Collegia hinc, inde fuerint expetiti: Verùm an ad Dirnſteinenſe quoque, de quo ſuperiùs egimus, & de quo Balbinus hæc ſcribit: *Cùm Albertus Dux Auſtriæ in Dirnſtein Cœnobium fundaſſet, non aliunde quàm Glacio Religioſos petiit. Unde Andreas ad S. Dorotheæ Præpoſitus in litteris ad Glacenſes transſcriptis: Veſtra, inquit, Congregationis fragrantia, omnia Monaſteria noſtræ religionis odore boni nominis ſemper ſuperavit.* An, inquam ad Dirnſteinenſe quoque Collegium? mentem noſtram in hujus deſcriptione declaravimus. Suppetunt quidem complura nobis de hoc Glacenſi Cœnobio referenda, ſed quia *Erneſti* Venerabilis ipſo in opere vitam, quippe fundatoris hujus loci, daturi ſumus, ibidem & reliqua ſecuriore atque luculentiore ordine enarrare licebit.

Exſtitit in ipſa urbe Glacenſi, ùt dictum eſt. Balbinus in vita Erneſti à cap. 5. Hagec. in Chron. Bohem. ad an. 1364. p. 600.

S. Jacobi Virginum Canonicarum Prioratus *Fundat. 1299. floret.* Non procul Arenenſi Abbatia exſtiterat domus Gyſillheriana, quam prolixiore tempore quædam Virgines veſtitu nigro amictæ, ſed nullo religionis vinculo illigatæ incoluerant; ceſſit demum Dominus domûs plenâ extraditione ſub forma conſueta annô 1299. ædem hanc ſuam præfatis Virginibus, quæ non niſi annô 1653. in regulam tandem *S. Auguſtini* jurantes Veſtales ſacræ effectæ ſunt, obtentis ex *S. Jacobi* Viennæ Auſtriæ Parthenone ſtatutis, normáque vivendi. Accrevit cum pietate & religioſæ Diſciplinæ fervore tum ipſius Monaſterii, tum Eccleſiæ neo-exſtructæ annô 1690. venuſta moles, quam dictô annô honori *S. Jacobi* Wratislav. Suffraganeus *Carolus Neander* dicavit. Exiſtit hic Parthenon ſub Viſitatore Reverendiſſimo Abbate B. V. ad Arenam. Docum. commun. Daniel Gomolky in ſuo libello, quem theutonico idiomate edidit. ſub titulo Epitomes potiſſimarum rerum Wratislavienſium.

Jaromirienſe S. Mariæ Præpoſitura. *Fundat. 1356. Exſinct.* Fundationis exordium quamvìs ad Venerabilis Archi-Epiſcopi *Erneſti* tempora indubiè referatur, quippe ejusdem liberaliſſimi Fundatoris, annus tamen omninò incognitus. Laterent de hoc celeberrimo Collegio reliqua fortaſſè univerſa, niſi quædam laudabili ſolertiâ è tenebris eruiſſet optimè de *Erneſto* meritus *Bohuslaus Balbinus*, quæ nos in præſentiarum ſubjungimus. Anno 1356. Balbinus conditum autumat opulentiſſimum hoc Cœnobium: & multorum poſtmodùm benefactorum favore, dotatum; Inter Præpoſitos nominatum facit *Jacobum* annô 1410. virum, ùt ipſum laudat, doctrina & probitate conſpicuum: exſtant plures ab

ab eo conſcriptæ Epiſtolæ, quibus Præpoſitum Glacenſem inter,ſuóſque Canonicos exortas diſcordias ſedare conatus eſt, ac demum feliciſſimè compoſuit, has reperiri in Glacenſibus membranis idem Balbinus affirmat, quas Patrum Societatis Beneficiô (utpote quibus ſemper volupe eſt aliorum indigentiæ patrocinari) nos obtenturos bene confidimus.

Demum interitum ſupremum ſubiit hoc collegium annô 1421. nefando illo religionis, & fidei Apoſtatâ Ziſchka perduelli, & plusquàm infernali infidelitate civitati Jaromirienſi pactam fidem violante: nam, cùm ab hoc ſceleſtiſſimo, votifragóque nebulone cives Jaromirienſes primùm nuntiis ad deditionem poſtulati, renuentes, ſe fidem Catholicam, cui plerique obſtricti erant, ad extremam ſanguinis effuſionem propugnaturos nunciarent, oppugnatione duriſſima decertatum eſt, conflictu ad ſex integras horas durante; in quo ex *Pragenſibus* (hi erant *Sigismundo* legitimo Regi non minùs, quàm Eccleſiæ ſub una panis ſpecie laicum populum communicandum præcipienti obedientiam detrectantes) ſeptingenti, ex Thaboritis nongenti, & ſedecim deſiderati leguntur. Animadvertens verſipellis prævaricator Jaromirienſes jam penè ſuperiores vincendo, colloquium inclamat: immiſſis verò in urbem hæreticis glorioſè cœpta, turpiſſimâ pactione defædata eſt Catholicorum victoria, ſed (ùt ex Hagecio claret) ſubornantibus miſeram tragædiam haud dubiè multis in hac urbe commorantibus nobilibus, qui Pragenſibus, & Ziſchkæ impio fædere occultè adhæſerant. Igitur conventum, ut urbs hæreticis traderetur, incolæ ſectam eorum amplecti nolentes urbe excederent, quidquid ſupellectilis ſecum habere vellent, poſſéntque, efferrent incolumi ſecuritate etiam juramentô adpromiſſâ. Verùm cùm primùm omnes rerum exportandarum onere gravati januas urbis egreſſi eſſent, ab hæreticis ſtrage crudeliſſima invaduntur, ad nudum corpus exſpoliantur viri, mulieres, & Virgines; deterrimóque ludibrio expoſitæ deníque in Albim flumen præcipitantur. Sed ut ad propoſiti noſtri metam deveniamus, urbem ingreſſi perduelles, Monaſterium, de quo agimus, furiæ avernales adoriuntur; in eo viginti degebant Canonici, hi ergò in ſpectaculum ferociſſimæ lanienæ producti, lento igne cruciantur; usquedum ſpiritum amitterent, ipſo deníque cœnobio unácum tota urbe in cineres redacto. *Hic exitus* (inquit laudatus Balbinus) *Celebris Cænobii; cujus hodiéque ruinæ, & ſubſtructiones miraculo ſunt. Laudant, qui viderunt, ambitus quosdam ſubterraneos, & viam procul ducentem hodiéque mirantur. Redierunt poſt multum tempus Canonici, ſed occupatâ ab hæreticis bonorum parte inopes vixére; deinde incendiis fortuitis, quibus illa civitas, fato quodam ſæpiùs concidit, ambuſti, tandem huſſitis, & Lutheranis regnantibus, ad paucos redacti, fortaſſis etiam violentiâ vicinorum nobilium, fortunarum ſuarum reliquiis exuti omninò ex oculis amiſſi ſunt.* Hæc Balbinus.

Exſtitit Joromiriæ, Balb. in vita V. Erneſti c. 6. Hagec. Chron. Boh. ad an. 1421. p. 700.

Klepizenſe Abbatia.

Propè Zarnovium adhuc florere dicitur ſub ordine votivo Canonico. alia incomperta. Doc. Com. ex Abb. S. M. in Arena. *Fund. floret.*

Kreidlenſe Præpoſitura.

De hac ex documentis Collegii S. *Mariæ* in Arena ſequentem notiam, obtinuimus, Præpoſituram eſſe ipſi huic celeberrimo collegio ſubjectam, ſed rantummodò ab ab uno Præpoſito, & altero Curato adminiſtrari ſolitam. *Fundat. floret.*

Exi-

Exiſtit propè Volaviam. Doc. memorata.

Fund. circà 1371. Exſtinct. Landscronenſe S. Mariæ Præpoſitura: An potiùs Abbatia. certè *Mathiam* Nonum hujus loci Præpoſitum, quamvìs non in eodem (quippe ab Hæreticis tum jam penitùs expilato) reſidentem mitra, ac pedo uſum fuiſſe hodiedum utrúmque exiſtens, & in teſtimonium venerandæ antiquitatis oſtendi ſolitum probat, Hoc igitur cœnobium annô circiter 1371. fundatum eſt à *Petro Gelyto* quatuor Epiſcopatuum Præſule, *Curienſi* nimirum in Helvetia, *Lithomiſlienſi* in Bohemia, *Magdeburgenſi* in Saxonia, ac demum *Olomucenſi* in Moravia. Exſtat fundationis Charta ab ipſo edita ſub anno memorato ſignata, in qua inquit: *Fabricavimus, & conſtruximus pro Regularibus Canonicis &c.* moverat huoc per totam penè Europam ob excelſam, qua eminebat, ſcientiam notiſſimum virum, ac eximium Præſulem, regularis per Bohemiam, ac inculpata converſatio Canonicorum, ut his potiùs, quàm quibusvis aliis religioſis ædem ſacram conderet, ſic enim propria ejusdem in præfatis Fundationis litteris conteſtatio: *Licet*, inquit: *univerſi, qui divinis mancipantur officiis, & obſequiis divini cultûs deputati, digno ſint, & congruo proſequendi favore, &c. ſanè attendentes, quòd in Regno Bohemiæ hæc ſancta Canonicorum Regularium nigrorum* (diſtinquit hoc verbo iſtos à Præmonſtratenſibus) *Ordinis S. Auguſtini exiguo, quo ibidem nutrita exſtitit, tempore ſic fructuosè profecit religio, quòd non ſolùm ingenio ejus Profeſſores monaſterium ſuum honorabilibus ſtructuris, & aliarum rerum * potiuntur; ſed etiam pauperibus copioſas eleemoſynas erogant, debilibus & infirmis alimenta miniſtrant, hoſpitalitatem ſervant, varia pietatis opera exercent, ſimplices erudiunt, ac loca, in quibus monaſteria eorum conſiſtunt, exemplis, & doctrina radiantes illuſtrant, Volentes idcirco tam fidelibus noſtri Litomiſlii diſtrictûs conſulere, quàm religioſis dicti ordinis providere &c.* confirmaverat fundationem Cæſareo ſuo diplomate mox annô ſubſequô *Carolus* quartus; plurésque collatos, aut etiam conferendos fundos gratiosè conceſſit habendos.

Quæſtio moveri hìc poſſet, unde prima adducta ſit Colonia hanc novam Canoniam informatura; putant communicatorum nobis documentorum exhibitores (cùm ex veteribus obtineri nequeat) ex Carlovienſi Collegio eosdem fuiſſe adſcitos, cauſam ſubdunt, quòd veſtitus niger, quô Landſcronenſes amicti dicuntur in Fundatoris litteris, proprius fuerit Canonicorum regularium tum in Galliis de congregatione S. Rufi ampliſſimè florentium; ex qua Carlovium primitùs inſtitutum, *Crugerius* ad 28 Januarii, & *Hammerschmid* in ſuo prodromo aſſeverant. Verùm ſicut Crugerius ex coojectura, alter verò ſcriptor Crugerii opinionem ſecutus loquitur, ſic mihi hoc argumentum neutiquam ad id aſſerendum ſufficit. Quamvìs alia non tam opioio, quàm hallucinatio ingenti paracroniſmo laborans *Joannis* nimirùm *Strzedowoskii* longè minùs arrideat dicentis, an potiùs fingentis ex Franciſco Geidowski: primos Landſcronenſes Canonicos ex Borowanenſi fuiſſe aſſumptos, quam Præpoſituram ante annum 1454. non fuiſſe fundatam jam ex ejus deſcriptione didicimus. Ego verò autumarem potiùs, ex communi illo virtutum Seminario, ex quo *Carolus S. Apollinaris* Lycæo præeſſe voluit ad erudiendam in altioribus diſciplinis Pragenſem Juventutem, & ex

* Senſus minùs accommodus & fortè amanuenſis vitio aut alioquin depravatus.

eodem *ErneſtusSaczenſe* annô 1349. *Glaczenſe* quoque annô 1350. inſtituit, *Raudnizenſi* nimirum, hoc noſtrum Collegium primitùs informatum fuiſſe. Neque enim mihi viſum *Carlovienſe* adeò jam annô 1371. abundâſſe Canonicis, quamvis, quibus providebatur, præclariſſimi illi fuerint, virtute, ac doctina inſignes. Moveor, quòd Chroniſta Glacenſis diſertè narret annô 1464. veniſſe Glaczium *Joannem* Abbatem Carlovienſem, petiiſſeque, ut aliquis fratrum,ſibi concederetur de Glaczenſi conventu, qui idoneus eſſet adjutor, & director novi Præpoſiti, quem præficere intenderet in *Engelsheim* circa partes Rheni &c. *quia ipſe careret fratribus ad hoc valentibus*. Non cenſeo hanc carentiam ex defectu minùs idoneorum ſubjectorum, ſed multitudinis prognatam, eòquòd, ùt dixeram, illo tempore eximios viros Carlovium aluerit, at reſtrictiori numero fuerit inſtructum. Monaſterii Carlovienſis ſtructuram annô 1377. quô Eccleſia conſecrata primùm dicitur, ob templi, & habitationis magnitudinem necdum omninò fuiſſe abſolutam, ùt tradit Paulus Zideck in M.S. ſuo Chronico, atque ideò necdum annô 1371. aptum capiendis pluribus habitatoribus religioſis. Neque obſtat, Carlovienſi Abbati plurima alia monaſteria ſubjecta aſſeri à Balbino; præterquam enim, quòd nullum horum cognitum nobis ſit, nulla etiam documenta docent talem ſubjectionem hoc ipſum, de quo agimus, Landſcronenſe attigiſſe. Quodque amplius; illud mihi debile argumentum præbet, quô dicitur, ideò ex *S. Rufi* congregatione Gallicana advocatos Canonicos argui, quòd Carlovienſes, annô fortè 1389. Liſſæ ad arcem ædificaverint *Eccleſiam S. Deſiderii Epiſcopi*, qui ſanctus colitur in Gallia. Quaſi verò ex hoc cultu aliquid de Canonicorum patria inferri poſſit, cùm ſciamus *S. Martinum*, *S. Ægidium*, *S. Germanum* celeberrimos in Gallia Sanctos, non minùs honorari in multis Germaniæ monaſteriis, ac Eccleſiis nè unquam religioſum Gallum (ut nil dicam de prima colonia) ſuſtinentibus. Neque cauſam etiam urgentem ullam ſub oleo, ob quam *Carolus* Carlovium Gallos potiùs, quàm Germanos, vel Bohemos Canonicos accerſendos voluerit: quin obſtebat (etſi intendenti) linguæ Bohemicæ non minùs, quàm Theutonicæ apud Canonicos maximè S. Rufi imperitia, præterquam, quòd Raudnizenſes tum celeberrimi habebantur, virtute, ſcientia, exemplo. Aut igitur (ſic firmus credo, niſi luculentis documentis in adverſum edoceat) Raudnizio, aut Saczio advocati Canonici Landſcronenſe primi informaverant, neutiquam è Gallia petiti. Quamvìs in hoc non multùm laborem, an primi in Bohemia Canonici ſub regula *S. Auguſtini* reformati, Lateranenſes fuerint, an Rufenſes, pro utriſque ſua produci argumenta poſſent, plus tamen pro illis, quàm iſtis, quippe quibus *Arneſtus* quatuor integerrimis annis *Paduæ*, *Bononiæ* nec non *Romæ* ſtudiorum causâ verſans, ignotus eſſe non potuit; imò quorum converſatione ſancta, & pia allectum, crediderim, tantum affectum in hoc factum inſtitutum hauſiſſe, ut vixdum Pragenſis Epiſcopus factus omnem penè munificentiam in dilectos ſuos regulares Canonicos effunderet. Fortè hi ipſi *Carolo*, ut Carlovium fundaret, authores fuêre, cùm princeps hic an. 1343. cum *Joanne* Rege Genitore ſuo Romæ aliquandiù ageret, ut ex Hagecio patet. Intereà, & probæ pro Rufenſibus non omninò inanes ſunt, cùm

cùm ſciam *Erneſtum* non minùs Avenione, ubi tum Curia Romana cum Pontifice reſederat, fuiſſe; & ubi Congregatio S. Rufi celeberrima florebat. Nihil igitur abſolutè deciderim, dum etiam pluſculum adhæſerim Lateranenſibus, ſolùm, ac poſtremò in eo perſiſtens, ut, etſi Raudnizii Rufenſes Canonici primùm ſubſtiterint; Carlovii, ac deinceps in cæteris Bohemiæ Canoniis alii, quàm Bohemici, vel Germani Canonici propagationem ordinis neutiquam obtinuerint procurandam, opiner.

Perſtitit, floruítque Landſcronenſe cœnobium ad uſque annum circiter 1420. quô tempore invaleſcente Apoſtatæ Ziſchkæ tyrannide, Canonici, cùm jam anteà ex prima ſua ſede in urbem transmigrare cogerentur, demùm omninò hac poſſeſſione dimiſſa, & pretioſiore ſuppellectili jamjam accurrenti Pragenſium hæreticorum fæci ſubtractâ Olomucium profugêre, cùm paulò pòſt hæretici Landſcronium invadentes, monaſterium potiori ex parte diruerunt, aut fortè omninò flammis immolarunt, velut id in hiſtoria Lichnowiskiana pag. 32. adſtruitur. Quidquid horum ſit, illud certum, ab hoc tempore Landſcronium à priori forma ſenſim deſiiſſe, nec opinor ſupereſſe aliud niſi ſolùm præpoſituræ titulum, quo gaudere Abbates hodiedum ſolent Olomucenſis Canoniæ ad omnes ſanctos, de quibus inferiùs. Nam, ùt documenta nobis Communicata hujus Canoniæ exhibent, certum eſt, ex quo Canonici Landſcronenſes Olomucii ſedem firmam ad Eccleſiam omnium ſanctorum obtinuêre, monaſterium Landſcronenſe adeò immutatum eſt, ut pauca reſtantia antiquæ ſtructuræ veſtigia, hæcipſa in domum profanam immutata hodie habitaculum præbeant queſtori officiali Dominii Landſcronenſis ditionis Principis de Liechtenſtein. Ipſa verò Eccleſia parochialis ſuos habet peculiares curatores ſine dependentia à Canonia Omnium SS. Olomucenſi.

Exſtitit primùm extra, dein intra urbem Landſcronenſem. Docum. commun. Nucl. Annal. Can. Reg. Olomuc. &c. in append. ſacr. Morav. Balbin in vita Erneſti Arch. Prag.

Littomislienſe, Abbatia.

Fund. an. 1145 Ord. Præm.

Ne poſt ſpatioſam tot monaſteriorum in Circulis Imperialibus exiſtentium enarrationem præmonſtratenſes Canonicos, ùt ſe primis temporibus habuêre, penitùs videamur tranſiiſſe, hanc Abbatiam memorare oportuit, quæ antequam Cathedralis fieret, his religioſis condita eſt annô, ùt ſcribit Hagecius, 1145. quod ipſum approbat Hugo Stivagienſis, primâ Coloniâ illuc ex Strahovienſi aut, ùt Hugo vult, ex Siloe Czaslaviæ civitate inductâ. Inſeruiſſemus eadem de cauſa (qua moti Littomislienſe iſthic memoramus) ſuo in ordine Strahovienſe, aliáque ſæculô duodecimô exorientia, verùm cùm necdum dubio noſtro in circulo Burgundico, ubi de *Furnenſi S. Nicolai* ſermo erat, eliberati ſimus, ſaltem non omninò, hanc memoriam prætериiſſe ſufficiet.

Exiſtit in urbe hujus nominis, Hagec. Chron. Bohem. ad an. 1145. p. 320. Prodrom. Glor. Prag. cap. 6. p. 409.

S. Mariæ in Arena Abbatia.

Fund. an. 1110. Floret.

Multa, ac præclara ſunt, quæ nobis de hac inclyta Canonia tum documenta gratioſè ab ejuſdem loci Reverendiſſimo D. D. Præſule etiam proprio charactere, dum adhuc Decani officiô digniſſimè fungeretur, nec minùs, ubi paulò pòſt ad infulam maximè meritus vo-

vocatus eſt, exarata, & communicata, cum multorum ſcriptorum de hac eadem Canonia egregiè diſſerentium ſermo numeroſus ſuppeditat, ut ideò ampla iſthìc de ea diſcurrendi ſeges non deficeret, niſi limes propoſita brevitatis arceret. Atque ideò ſuſcepto conſilio inhærentes perſtringemus breviter, quæ in præſentiarum referenda occurrunt.

Fundatæ hujus Abbatiæ Authorem referunt vetera, eáque certa monumenta Generoſum Dominum *Petrum Wlaſt de Dacia*, id eſt, *Dania* comitem Sileſiæ in Skrzyn cumConjuge ſua *Maria*, *Swventoslao* quoque, ac *Beatrice* prolibus ſuis. Addixit in dotem conſtruendi cœnobii, & alendorum in eo Canonicorum ampliſſimum ſpatium, nempè circà montem *Sileni*, villam in exitu civitatis Wratislavienſis, ſeu totam arenam de ponte ad pontem, prætereà præpoſituram in *Gorcka*, ac denique ipſum montem *Sileni* cum appendiciis. Exſtructum primitùs monaſterium legimus in monte *Sileni*, ſeu *ſilentii* annô 1110. ſed intemperie aëris gravati Canonici intervallô temporis in Arenam diſceſſerant, ubi usque hodie domicilio egregio conſtituto perſeverant. Inducta pimitùs Aroaſienſis congregationis diſciplina eſt, tunc nobiliſſimè florentis. Nam, ut ſolidior antiqua traditio perhibet, erat *Mariæ* Conjugi *Petri* Comitis à ſacris Canonicus Regularis de Eccleſia Aroaſienſi, quem fortè non immeritò ipſum licebit credere primum Præpoſitum nomine *Oggerum*; hic itáque facili negotio eo more vivendi primam fundationem informare potuit, quem ipſe didicerat.

Hiſtoriam hujus non ſolùm antiquiſſimæ, ſed & celeberrimæ Canoniæ cum Reverendiſſimorum D.D. Abbatum ſerie, ùt præfati ſumus, ſat dilucidam obtinuimus, at quod deſiderare ſupereſt, occurrunt præcipuè plurima inſtrumenta, quæ paſſim citantur, aut decerptim dantur, neutiquam verò ullum eorum, ùt originalia præſeferunt. Pauca in ſcriptoribus Sileſiacis Sommersbergii exſtant, quæ tamen modicum juvamen ad hiſtoriæ verum ſenſum capiendum ſuppeditant: hæc obſervare voluimus, eò quòd quædam dubia, ac præcipuè an fundationis origo certiùs affigenda ſit anno 1108. quàm anno 1110. non meliùs fortè, niſi ex habitis genuinè documentis primævis diſſolvere valeamus.

Cæterùm absque dubio præclariſſimi identidem Præſules hoc Collegium rexerant, & alioquin in gremio religioſos ſcientia virtutéque notabiles nullos defuiſſe, vix dubitandum. Præreliquis inter antiquiores, non prætereundus *Stephanus*, qui Nonus in Serie Abbatum notatur; Hunc Dlugoſſus ſcribit annô 1267. conſtitutum fuiſſe Judicem à *Guidone* Legato Apoſtolico totius Regni Poloniæ, ad examinandam componendámque litem longam, & ùt inquit laudatus Dlugoſſus, periculoſam inter Epiſcopum Wladislavienſem *Volmirum*, & Ducem Caſimirum ob caſtrum Racziasz ab utróque prætenſum. Ex quo viri hujus prudentiam, ac dexteritatem meritò licebit arguere. Inter recentiores verò ipſe nunc præſidens Reverendiſſimus D. D. *Joannes Franciſcus Lauſter* eximiè effulget, qui dignum meritis ſuis nomen patrio idiomate gerens, verè exultavit ùt gigas ad *currendam* viam virtutum, imò *curſorem* egit adeò velocem, ut vix dum annô 1713. presbiteratûs honore præditus jam ad diverſa, eaque honorifica ſui Collegii munia promoveretur: cùm denique ex Præpoſito Kreidlenſi annô 1731. factus Arenenſis Capituli Decanus mox

mox primò poſt quadriennium die omnium votis ad infulam vocaretur.

Idem autem Reverendiſſimus D.D. Præſul communicata documenta ſcripſerat, excerpta eſſe ex domeſticis conſcriptis, quatuor integros tomos 2040. plagularum conficientibus: ex quibus colligo plurima indè ſuppeditari poſſe non ſolùm ad hujus inclytæ Canoniæ, ſed & aliarum ſeu actu, ſeu aliquando ſubditarum elucidandam hiſtoriam opportuna: quæ etiam à nota liberalitate, ac humanitate me obtenturum planè nullus diffido.

Cæterùm an hoc Collegium membrum aliquando fuerit CongregationisAroaſienſis non reperio in Catalogis geminis ejusdem. Interim emendandus Pennotus noſter, exiſtimans Saganenſem, hanc eſſe Arenenſem, qui & Petrum fundatorem ſcribit *de Dara*, cùm *de Dania* ſit.

Demum hæc Abbatia pluribus prærogativis eminet, habet quippè ſibi incorporatas præpoſituras, ad *S. Spiritum* in urbe, ad *S. Georgium* Oelsnæ, ac deníque in Kreidel, de quarum prioribus geminis ſeſe Reverendiſſimus D.D. Præſul ſcribit Præpoſitum perpetuum, nec non & viſitatorem per Sileſiam, & certam partem Poloniæ, Abbatem inſuper Præpoſituræ Can. Reg. Lateran. ad S.Michaëlem in Roſenberg, & Parthenonis S. Jacobi in urbe, de quibus ſuperiùs egimus. Deus diù ad Collegii Arenenſis emolumentum, totiúsque ſacri ordinis noſtri profectum conſervet hunc Inclytum virum, noſtro non minùs operi litterario (quemadmodùm grato animo ejus jam expertam munificentiam profitemur) impenſè affectum.

Exiſtit ad urbem Wratiſlavienſem. Docum. commun. Pennot. Hiſt. tripart. L. 2. c. 39. n. 2. ſcript. Rer. Siles. apud Sommersberg. To. 1. pag. 937. &c. Dlugoſſus hiſtor. Polon. L. 7. Col. 768. Mir. L. de Can. Reg. c. 10.

Michovienſe S. Sepulchri Abbatia.

Fund. circà an. 1162. Floret.

Hanc conditam pro S. Sepulchri Canonicis Dlugoſſus docet; cujus verba ſubnectimus: *Magno*, inquit, *in Deum & meritum Paſſionis Jeſu Chriſti miles nobilis Jaxa de Miechovv armiger Diœceſeos Cracovienſis actus ardore, vir pro ea tempeſtate magnarum poſſeſſionum, atque opum abundantiâ inſignis, in ſubſidium terræ ſanctæ perſonaliter cum familiaribus atque armigeris ſuis profectus, aliquanto tempore illic moram geſſit, & enixiùs quò poterat, pro terra Sanctæ defenſione cum ſuis militavit. In Poloniam autem reverſurus, inter alia ſuæ devotionis inſignia apud Patriarcham Sacri Sepulchri Jeroſolimitani* Monachum *nomine, & ejus Conventum ſub S. Auguſtini regula Deo militantem, biſurcatam Crucem rubram deferentem, obtinuit, ut ſecum unus ex Canonicis ſuis in Poloniam Ordinem prædictum plantaturus mitteretur. Tres itáque villas patrimonii ſui, videlicèt Miechovv, Zagorzyce & Komorovv in dotem præfato Ordini conferens, in villa Principali Miechovv, quam nunc in Civitatem frequentia populorum & redituum habente, increviſſe videmus, Eccleſiam & primum Cænobium de ſpeciali conſenſu & voluntate Matthæi Cracovienſis Epiſcopi conſtituit &c.* Obſervat autem hic idem Dlugoſſus, nè temporis proceſſu donatio à viro iſto facta infringi per propinquos & cognatos, vel labefactari poſſet; à Boleslao Criſpo ſuppliciter confirmandam petiiſſe; cujus precibus Dux permotus, & operi Sancto confirmationem præſtitit, & bona huic Cœnobio collata à Ducalibus Servitiis, oneribus, & tributo liberavit. Statuit ſiquidem, *ut homines villarum hujusmo-*

jusmodi ad expeditionem contra hoſtes non eant, caſtra non ædificent, Poradine & Struzne non ſolvant, monetario non obediant, Povvoz & Podvvodas dare non ſtringantur. Hæc Dlugoſſus. Porrò non dubitamus hanc Abbatiam adhuc florere, quamvis aliam, niſi ex hoc ſcriptore, notitiam nacti minimè ſimus.

Exiſtit in urbe Michovienſi. Dlugoſſus Hiſt. Polon. L. 5. ad an. 1162. Col. 501. & 502.

Fundat. -- floret. Mlecovienſe S. Sepulchri Abbatia. Breviſſimam hujus adhuc florentis Cœnobii notitiam prodit Bonani in ſuo de diverſorum Ordinum perſonis libro, & Cracoviæ exiſtere ait: alia nobis incognita.

Fundat. -- floret. Mſtovienſe. Præpoſitura an *Abbatia?* nos latet: de qua hæc ſolùm ex documentis Arenenſibus diſcimus, eandem aliquando unàcum Caliſſienſi & Klepizenſi, Arenenſem Abbatem habuiſſe viſitatorem, cui tamen juri violentè ſe ſubtraxerit Gneſnenſi Archiepiſcopo obeditura, ſub quo etiam hodiedum exiſtit. Nos ſicut hanc ſubtractionem neutiquam approbamus, ſic ex incognitis inſtrumentis aliquid definire minimè nobis convenit.

Exiſtit propè &c. vartam fluv. Docum. Aren.

Fundat. -- floret. S. Nicolai Præpoſitura. Hanc mox meminimus unam fuiſſe, quæ Abbati Arenenſi Viſitationis obedientiam renunciaverat; alia noſtram notitiam fugiunt.

Exiſtit Caliſſii. Docum. Aren.

Fundat. -- floret. Noſiliſcenſe Prioratus. Hujus mentionem Bonani profert, dum inquit: *In Epiſcopatu Plotezcko Cernenſi Canonicorum Regularium Abbatiæ præter alios hunc quoque Noſiliſcenſem ſubeſſe*, quem etiam ideò non dubitamus florere.

Exiſtit in Suburbio Noſiliſcenſi. Bonani Cit.

Fundat. 1217. floret. Novum Caſtrum. Præpoſitura, ſeu potiùs *Abbatia* Præclariſſimum illum Principem Sileſiæ Ducem, ac S. Hedwigis maritum Henricum barbatum hoc Collegium meruit habere fundatorem annô 1217. *Abbatiam*, inquit Sommerbergius: *B. V. Canonicorum Regularium S. Auguſtini Naumburgi ad Quiſſum fundavit.* Hoc ſe ſumpſiſſe ſcribit ex Scholiaſte ad Herrelii Sileſiographiam renovatam. Concordant quoque traditiones domeſticæ inclyti Collegii Saganenſis, in quibus dicitur: *Anno ab Incarnatione Domini 1217. Sereniſſimus ac Pientiſſimus Dux Sileſiæ & Poloniæ dictus Barbatus ad inſtantiam & preces piiſſima ſua Conjugis S. Hedvvigis fundavit & erexit in Ducatu Saganenſi Neo-Caſtri vulgò Naumburg ad Hebrum Collegium Canonicorum Regularium S. Auguſtini primùm in ipſo monte & oppido propè Eccleſiam Parochialem S. Bartholomæi.* Quamvis verò hæc ipſa traditio nullam præſeferat antiquitatis authoritatem, minimè tamen ambigimus eadem ex vetuſtis documentis (quæ maluiſſemus aſſequi) fuiſſe collecta.

Cæterùm, ut patet ex litteris *Premiconis*, ſeu *Primislai* Sileſiæ Ducis & Domini terræ Saganenſis annô 1284. datis, translata eſt hæc Canonia Saganum, ubi Canonicis Eccleſiæ Parochialis cura contradita fuit, approbante Epiſcopo Wratislavienſi Thoma, datóque ad id proprio Privilegio. Quia verò in Charta utráque *Abbas* & *Abbatia* Novi-Caſtri memoratur, hinc certum, jam ab Origine Collegium hoc titulum Abbatiæ obtinuiſſe, qui tamen translatis Canonicis pariter Saganum tranſiit, novo Caſtro in Præpoſituram mutato, qualis ammodò ſub Saganenſi Abbatia manet.

DO-

Docent nos Saganenſia documenta, probabiliùs primos Canonicos Aroaſiâ ex Belgio aſcitos fuiſſe; opinarer tamen Arenenſes potiùs primos exſtitiſſe informatores. Si liceret utriúsque Canoniæ vetera monumenta penitiùs Scrutari, eſſent fortâſſe, quæ dubium diſſolverent.

Exiſtit ad Fluv. Tober. Docum. Commun. ſcript. Rer: Sileſ. tom. 1. p. 308. Henelius Sileſiogr. renov. §. 129. p. 447.

Fundat. -- *floret.* Oelſenſe S. Georgii Præpoſitura. Hujus Origine, aliíſque fatis mihi incognitis ſolùm occurrit ex documentis Arenenſibus eandem ſub decimo octavo Præſule Conrado Arenenſi Abbatiæ ante annum 1363. fuiſſe incorparatam unà cum hoſpitali adjecto.

Exiſtit, ùt videtur, in urbe hujus nominis. Doc. Aren.

Fundat. 1492. *floret.* Omnium Sanctorum. Abbatia. Cùm annô 1421. Landscronenſis Canonia per Hæreticos flammis conſumeretur, ipſique Canonici, furori malevolorum ſubtracti, unà cum Præpoſito Laurentio Fulnecam effugiſſent, hic idem Præpoſitus ad annum usque 1423, ùt hoſpes, deníque in defuncti Præſulis locum à Fulnecenſibus Canonicis Succeſſor ſuſcipitur, qui tamen aſſumpta hac prælatitia curâ, neutiquam alteram Landſcronenſium dimiſit, ſollicitus utriúsque gremii Pater futurus: hinc ſummo ipſe fervore inſtitit, ut annô 1434. iisdem profugis in æde poſthac Krawarziana urbis Olomucenſis, jam antea ab exulibus Proſtanenſibus Canonicis habitata, divertere daretur. Hos verò, cùm *Petrum de Kravvarz* Fundatorem habuerint (ùt infra videbimus) vix crederem legitima ejusdem ædis poſſeſſione unquam excludi potuiſſe, ſed ùt fert hominum temporalium, & ſæcularium in religioſos quotidianus livor, ac odium, ſeu documentis abſumptis, ſeu avaritia prævalente, quæ domus primitùs indubitato Jure Proſtanenſibus aſſerebatur, vi erepta facta eſt primùm incerti juris, exin in litigii materiam devoluta, variis de ejus poſſeſſione ad hanc diem contentiones ſuppeditat, fortè veriùs uſurpandi, quàm vindicandi causâ, genuino, ùt diximus, Domino dudum jam aut repreſſo, aut dejecto.

Proſtanenſibus autem ſenſim in hac Krawardziana domo (modô infra dicendô) ſublatis remanſere ſoli Landscronenſes *Nicolaô* in Præpoſitum aſſumptô: & quamvis tum hic, tum Succeſſores ejus usque annum circiter 1492. magno niſu Cœnobium ſuum revendicare conarentur, incaſſum cecidit omnis ſolertia. Demum Præpoſito *Matthia* ſors felicior illuxit, dum Olomucenſis Epiſcopus eidem Eccleſiam omnium Sanctorum perpetuo poſſidendi jure contradidit, eandémque jam ruinæ proximam novâ ſtructurâ firmavit, inſuper Sacra ſupellectili liberaliter dotavit. Acceſſit huic Epiſcopali donatio, Wladislai Hungariæ, ac Bohemiæ Regis, Marchioníſque Moraviæ gratioſa annô 1492. conceſſa confirmatio: à quo tempore felicior rerum ſerenitas arriſit, præcipuè cùm ſimul favente cælo inimicis diſpulſis, amici, patroníque augerentur; unde factum, ut paulò poſt Canonia hæc ad omnes Sanctos novô titulô inſignita nova non minùs facie optimè conſtituti Phrontiſterii compareret, adeo quidem, ut meritó inter præclariſſima totius Moraviæ, ac Bohemiæ Collegia numeretur; cui ſplendori non minimùm contulit, qui primus poſt *Matthiam* Præpoſitus Olomucenſis ad omnes Sanctos præfuerat *Joannes Stiavuza* ſeu *Stiavvka* ex Equitibus de *Ho-de*

denitz, hic etenim non ſolùm plurima Landscranenſia bona recuperavit, ſed & maximè Diſciplinam curavit regularem, & quod omnino memoratu digniſſimum, peculiari moderamine inter limites requiſitos ſuæ Prælaturæ jura vir diſcretiſſimus ſic continere voluit, ut ideo non ſolùm ſibi, ſed omnibus tunc Præſulibus, nè Dominos ſuorum Religioſorum ſe potiùs habere attentent, quàm Patres, *ſpeculum Prælatorum* inticulatum elucubraret, quô doceret, ac oſtenderet, quomodò *Præpoſitus privilegiò ſuæ dignitatis, non poteſtate dominante, ſed Charitate ſerviente felix aſſumi meruerit &c.* Quod nos ſicut communicatum nobis eſt, ſuo tempore edemus. Confert non minùs modernus egregiè præſidens Reverendiſſimus D. D. Præſul *Alexander Maximilianus*, cujus eximius Zelus Divini honoris in adornanda Eccleſia non ſolùm, ſed & amplificando Collegio ſuorum Canonicorum, aliiſque ſumma induſtria curandis ampliorem nobis campum promendæ laudis ſuæ ipſo in opere ſuppeditabit.

Exiſtit in Suburbio Olomucenſi. Docum. Commun.

Fund. 1391 Exſtinct. Proſtannenſe S. Mariæ Viſitationis Præpoſitura.

Fundatorem habuit Illuſtrem Dominum *Petrum L. B. de Kravvarz*, ad eam condendam motus præprimis videtur inſtitutâ tunc Virginis Eliſabetham viſitantis feſtivitate. Sic etenim in Charta fundationis annô 1391. ſignata devotionis ſuæ prodit fervorem, dum ait: *Ad honorem omnipotentis Dei, ac Genetricis ejus glorioſæ Virginis Mariæ, ſingulariterque propter modernæ feſtivitatis adinventionem, ſeu inſtitutionem, cujus quidem feſtivitatis talis perhibetur fore titulus: Viſitatio Elegantiſſimæ Virginis Mariæ in montana ad Eliſabeth. Nempè cordis noſtri intima, magna Charitatis cum ferventia nos compellunt, faciúntque anhelare ſinceriter ad tantæ magnificæ Imperatricis laudiſonam feſtivitatem: eatenùs Monaſterium noſtrum novum in civitate noſtra Proſtiegavv ſub titulo, & inſcriptione, ac vocabulo præmiſſo, per nos fundatum ac erectum pro inhabitatione Fratrum Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, ut ibidem Præpoſitus cum duodecim Fratribus habeatur, continuò Divinæ pietatis aſpirante clementia conſtruendum duximus &c.*

Sperata à Fundatore Divina ſuo neo-condito Cænobio benedictio neutiquam defuit, felicíque incremento numerum augebant in dies Canonici; usque dum infernalis Huſſitarum Tyrannis Bohemiam totam, ac loca vicina, gladio, flammísque vaſtavit: tum enim & Proſtannenſes ultima inceſſit calamitas. Tradunt námque illorum temporum monumenta anno 1434. ipſos exules ad Olomucenſem urbem confugiſſe, ubi domum Krawarzianam à dicto anno ad usque 1525. incoluerunt, cúmque nullâ ſolertiâ Proſtannenſe Monaſterium vendicare poſſent, avaritiâ, ac fraude prævalente, maximè ipſius Advocati huic Canoniæ conſtituti Nobilis Iworonsky, cum quibusdam de Pernſtein, bona, fructúsque eorum ſibi attrahentibus, demum tribus, quatuorve ad ſummum adhuc è Canonico gremio reſiduis, ſimul fatis cedente Præpoſito novus quidem eligitur ex gremio Joannes Parochus Drahanonicenſis, ſed qui variis technis adverſantium à poſſeſſione impeditus, ſolius adminiſtrationis titulum ſuſtinens, paulò pòſt omnem fundationem in fumum abeuntem conſpicere debuit.

Exiſtit in urbe Proſtannenſi. Documenta Communicata. Nucleus

cleus Annal. Can. Reg. olom. ad Omnes SS. edit. Georgii Stredawiky. in Sacra Moravia à p. 587.

Fundat an. 1339. Exſtinct.

Raudnicenſe S. Mariæ Præpoſitura. Quam *Joannes* Pragenſis Epiſcopus Canonicis Regularibus præcipuô à ſe affectu dilectis annô 1339. conſtruxit, dotavítque. Sed needum centeſimum ſuæ fundationis annum attigerat, ruinæ ſubacta eſt ab Apoſtata Ziſcka annô 1421. & quamvis aliquantùm ſurrexerit è cineribus ſuis, pauco tamen poſt tempore annô nimirum 1467. flammis iteratò vaſtata per milites Regis Georgii, ſic priſtinam ſpeciem amiſit, ut nunc ſolam Eccleſiam reſtructam titularis quidam Præpoſitus adminiſtret junctis duobus Capellanis, regularitate omnino exſtinctâ.

Exſtitit in urbe hujus nominis. Hagec. Chron. Bohem. ad an. 1343. p. 550. Balbinus in vita Erneſt. Docum. Commun.

Fundat, an an 1349. Exſtinct.

Rockizanenſe S. Mariæ. Præpoſitura. à Piiſſimo *Erneſto* Archiepiſcopo annô 1349. fundata, præclarè locupletata, ac præcipuè venuſtiſſimo templo inſtructa: teſte námque Balbino, quidquid in eo conſpiciebatur, quandam magnificentiam perpetuò duraturam præſeferebat. Verùm & hæc Dei ſedes per Diabolicum illum antepilanum Ziſkam expilata eſt, ac everſa, Canonicis fugam quidem quærentibus, ſed interceptis, ſuſpendióque crudeli necatis. Unus horum ſenectute Venerabilis vaſe pice illito incluſus, in medio templi igne ſubacto crematus eſt, adjecto hoc epiphonemate à Ziſka: *Sic decet nos implere omnem juſtitiam.*

Cæterùm plurimarum donationum, ac Privilegiorum chartæ, quibus hoc Collegium abundâſſe ſcitur, dicuntur latere intra manus Decani Rockizanenſis, ibidem à tempore exciſi, ac plus centum annis à noſtris quidem miſerrimâ ſorte diutiùs inhabitati, tandémque omni reintegrationis ſpe exſtincta derelicti Cœnobii curam parochialem agentis.

Exſtitit in urbe hujus nominis. Balbinus in vita Erneſti. Hagec. in Chron. Boh. ad an. 1421. p. 695. Col. i Docum. Commun.

Fundat an. 1374. floret.

Roſenbergenſe S. Michaëlis. Præpoſitura. Legimus in documentis communicatis Areno-Braliſlavienſibus, Abbati vigeſimo à *Ladiſlao* Oppolii Principe annô 1374. Eccleſiam Parochialem in Roſenberg cum omnibus juribus, proventibus, & pertinentiis ſuis pro Præpoſito & quatuor Fratribus hujuſmodi ibi inſtituendis fuiſſe collatam, confirmatione incorporationis à *Preczeslao* de Pogarella Epiſcopo Bratiſlavienſi anno 1375. attributa. An verò ante hanc collationem Præpoſitura exſtiterit, non edoceor: præcipuè eùm nullæ (ùt jam ſuprà obſervavimus) nobis Chartæ Fundationum, aut donationum harum Eccleſiarum contraditæ fuerint, ex quibus potiora colligantur.

Exiſtit propè Vartam. Ubi monendus eſt lector, hunc locum malè tum in mappa tum Elencho *Abbatiam* notari. Communic. Docum.

Fundat annis non adeo multis poſt 1217. floret.

Saganenſe S. Mariæ. Abbatia. Multa ſunt, quæ hanc eximiam Collegiatam Eccleſiam conſpicuam, ac dudum notiſſimam reddidère. Nos in hoc Compendio pauciſſima libabimus.

A Fundatore jam ſuo Saganum ex origine inſigniter emicuit, quem habere meruit *Henricum* Barbatum Sileſiæ, ac Poloniæ Ducem. Perſuaſus Princeps ad hoc pietatis opus fuerat à ſancta *Hedvvige* conjuge ſua, ut illud conderet in *Caſtro novo* ſeu

Naumburg, de quo ſuperiùs egimus. Itáque hîc obſervamus, primam Saganenſium Fundationem ab hoc Caſtro novo Exordiendam, quam factam annô 1217. jam citato loco audivimus. Porrò translatum totum Collegium cum jure Abbatiali paucis pòſt annis ex Caſtro ad pedem montis fuerat: iterum verò ſecundò indè Saganum ad primariam Eccleſiam traductum usque ad noſtra tempora præclarè floret.

Diù hoc Collegium communi vocabulo *opulentum Monaſterium* nuncupari meruit ob proventus, quibus affluebat, ampliſſimos; colligimus autem ex documentis, Hæreticorum injuriâ, immodica bona peſſumdata fuiſſe, ſic ex quinque Præpoſituris, & Prioratu uno, non niſi paucis cenſibus in fructum cadentibus, ſola Præpoſitura ad S. Spiritum, & novi Caſtri reſtant.

Intereà tamen ipſius Reverendiſſimi D. D. Abbatis prærogativa inſignis eminet inter Sileſiæ Pirmates, cui modò præſidenti (ùt eſt ſtudiorum noſtrorum Patronus eximius) ſic animitùs, ut diù præſit inclyto huic ſuo Saganenſi Collegio, vovemus.

Exiſtit in urbe hujus nominis. Docum. Communic. Henelius apud Roſenberg in ſcript. Siles. tom. 1. à p. 308. &c.

Fundat. 1117. Exſtinct. **Saczenſe S. Apollinaris. Præpoſitura.** Hoc illud eſt nobilitate non minùs, quàm antiquitate inſigne Cœnobium, cujus à nobis in limine hujus Circuli facta eſt memoria: quippè in quo *Carolus* quartus viros eâ ſcientiâ claros reperit, ut dignos cenſeret ad D. *Apollinaris* in monte ventoſo transferre, ibidem Sacratioris Studii palæſtram aperturos.

Collegium iſtud Saczenſe jam annô 1117. *Borzivogius* ſecundus Bohemiæ Dux ope *D. Apollinaris* ab inſtanti mortis periculo è carcere liberatus, & in collem Saczenſem inviſibili, quamvìs certò Divinâ ope translatus gratitudinis ergò fundavit.

An ab Origine Regulares hîc conſtituti ſint Canonici, ob Inſtrumentorum inopiam paſſim in Bohemia deploratam, aſſerere nequimus; eſt equidem notum, nuperum Prodromi Pragenſis gloriæ Authorem non minùs, quà alterum vitæ *D. Joannis Nepomuceni* commentatorem ſcribere, dum in novum montis ventoſi athenæum translocabantur, Sæculares, non Regulares fuiſſe, hósque tunc primùm eorum loco *Erneſti* induſtriâ inductos annô 1362. firmat iſtud poſterior ſcriptor teſtimonio litterarum ipſius *Erneſti* dictô annô die 29. Novem. ſignatarum, ſed quas non niſi ſuis verbis decurtatim prodit? nobis quia has videre necdum licuit, intereà conſtitutum eſt Stare Clariſſimi Balbini diſerta relatione, quâ ait: *certum eſſe ab Erneſto doctiſſimo Præſule doctiſſimos Saczkam adductos fuiſſe Canonicos jam anno* 1349. *ex Raudnicenſi Collegio: atque horum ſingulari Doctrina commotum Carolum quartum Imperatorem anno* 1363. *bona Arneſti venia Saczenſes hos Canonicos Pragam in montem Wetrovv, id eſt, ventoſum ad S. Apollinaris templum transtuliſſe.* Quòdſi prædictas litteras, aut reperire erit in *Gloria Pragenſi*, Cujus editio jam anno 1723. propediem promiſſa eſt, aut in tomo altero vitæ *D. Joannis Nepomuceni*, iis aſſertionem laudatorum ſcriptorum tuentibus, néque nos gravabimur aſſentiri.

Saczenſe hoc Collegium eandem, quam pleráque alia in Bohemia

hemia aliquando florentia Sortem fatalem ſubivit anno 1419. dum furore Huſſitarum ad ſolum devaſtatum eſt.

Exſtitit Zatecii. Docum. Commun. Balbin. in vita V. Erneſti L. 3. c. 3. in not. Prodr. Glor. Prag. C. 5. p. 331. Vita S. Joan. Nep.

Fundat. floret. **S. Spiritus. Præpoſitura.** Erroneè in mappa & Elencho Virginibus accenſita, nam Arenenſibus Documentis inſtruimur, ab origine virorum fuiſſe, unà cum hoſpitali poſtmodùm *Witoslao* Abbati Arenenſi ab *Henrico Barbato* anno 1204. conceſſam; Verùm, ùt jam ſæpiùs monuimus ſine productis donationum chartis. Scribit ſe hodiedum Reverendiſſimus D.D. ad Arenam Præſul Præpoſitum ad S. Spiritum. Plura ſuppetent de hoc loco fortaſſe dicenda, communicatis Privilegiorum, ac Fundationum Chartis. Ex hac Præpoſitura adſcitus ad Infulam Arenenſem refertur *Conradus de Leslavia* annô 1328. quem nuperi cujusdam cavillatoris fabula in ſua confixa antilogia finxerat ex coquo factum Abbatem Arenenſem, at deinde linguam latinam edoctum in tantum, ut Sacerdos ordinari poſſet, quod commentum larvatus ille antilogiæ ſcriptor ſe à quodam Arenenſi Canonico accepiſſe affirmat. Sed nos de hoc plura ſuo tempore.

Exiſtit in urbe Wratislavienſi. Docum. Arenenſia.

Fundat. an. 1371. Floret. **Sternbergenſe S. Mariæ Annunciatæ Abbatia.** Fundationem ſuam *Alberto de Sternberg* Principi, ac Archiepiſcopo Magdeburgenſi debet. Qui eandem annô 1371. quatuordecim Religioſis Canonicis, ac decimo quinto, quem Præpoſitum eſſe voluit, conſtruxit, addita ſufficienti dotatione. Fuerat huic neo-erecto Collegio proximè contigua Eccleſia Parochialis *S. Georgio* Sacra, ſed, ùt Charta Fundationis innuit, labefactata antiquitate, ac ruinæ proxima, hanc igitur recenti fabrica innovatam cum jure curiali Canonicis Sternbergenſibus *Albertus* contradidit. Auxit bonorum dotalium copiam annô 1384. Petrus de Sternberg, numerúmque Canonicorum ad viginti quatuor præter Præpoſitum ampliari decrevit. adjectis pluribus immobilibus bonis. Et licèt tempore motuum Pragenſium Collegium iſtud graviſſimè premeretur, tam proſperè tamen emerſit, ut hodiedum ſub Reverendiſſimo Domino Præſule *Joanne Joſepho Glätzl* præclarè floreat.

Exiſtit in urbe hujus nominis. Docum. Commun.

Trebonenſe S. Ægidii Abbatia. Fund. an. 1367. Floret. Tot ſunt hujus inclytæ, ac per univerſam Bohemiam celeberrimæ Canoniæ decora, tot illuſtres prærogativæ, ut nulli penè, quotquot hactenùs in hoc regno exiſtentia deſcripſimus, ſecundas cedere videatur, etſi etenim aliæ reperiantur antiquitate potiores, attamen & conſtantia obſervatæ Diſciplinæ, & inſigni numero doctiſſimorum virorum, quibus ſemper effulget, ac deníque ædium Sacrarum magnificentia præcipuè eminere dignoſcitur.

Fundavit hanc Canoniam anno 1367. nobilis quatuor Fratrum ex proſapia Roſenſium Dynaſtarum Progenita Societas, *Udalricus* nimirum, *Petrus*, *Jodocus* & *Joannes*, adnitente indubiè piiſſimo Pragenſium Epiſcopo *Joanne* Ordinem Canonicum tenerrimo affectu complexante.

Eſſent multa, quæ differere oporteret de hujus Collegii poſt enarratum exordium fatis, ac viciſſitudinibus, præcipuè cùm nobis liberalem valde deſcriptionem

nem ſuppeditaverint ejus loci Canonici, at nè nimii ſimus, exactam hiſtoriam ſpondemus nos in ipſo opere daturos.

Exiſtit Treboniæ vulgò Wittigenau in Circulo Bechinenſi. Docum. Communic. Hagec. in Chron. Bohem. ad an. 1367. p. 605.

Fundat. - - floret. Tresmesnenſe. Monaſterium iſtud in Polonia ſitum, à Canonicis Regularibus inhabitatum, pridémque fundatum partim ex certis communicatis documentis novimus, partim ex Dlugoſſo diſcimus, dum ad annum milleſimum translationem corporis Divi *Adalberti* Gnesnenſis Archiepiſcopi, & Martyris à *Boleslao* Polonorum Duce factam his verbis enarrat: *Omnibus Pontificibus Eccleſiaſticis quòque, & ſæcularibus viris accerſitis, in grandi & numeroſa multitudine omnium Statuum, & Ordinum Sancto Corpori obviàm proceſſit* (Boleslaus) *& univerſo comitatu; deinde laudes concinendo, corde & ore excepit, & illud in Cænobium* Trzemeszno *Ordinis Canonicorum Regularium Beati Auguſtini, quod Pater ſuus Miſceslaus Polonorum Princeps in primodio aſſumptæ fidei fundaverat, & mirifica largitate dotaverat, deferens illic collocavit.* Illud adhuc exiſtere percepimus; ſed ubinam locorum hujus regni, nullâ operâ indagare licuit.

Hiſt. Polon. Dlug. L. 2. p. 127. Henel. Annal. Siles. apud Roſenb. tom. 2. p. 203. ad an. 996. Docum. Commun.

Fund. an. 1042. Secular. S. Wenceslai. Præpoſitura. Scribit de hac Cosmas Pragenſis in ſua Hiſt. Bohem. *Dux*, inquit, *Brzetislaus ſub honore S. Wenceslai Martyris in urbe Boleslai juxta flumen* (Albini) *venuſtiſſimum fabricavit Cænobium, in quo, ſicut & hodie cernitur, Deo ſervit caterva Fratrum numeroſa, & habetur Præpoſitura & Baſilica valdè religioſa.* Meminit etiam cujusdam Eccleſiæ cum Collegio Canonicorum exſtructæ in ipſa præfata urbe ſub honore S. *Wenceslai* Hagecius ad an. 1039. idque à *Brzetislao* ex Decreto *Benedicti Noni* Papæ factum ea de cauſa, quòd Bohemi Poloniam invaſerint, diverſa Chriſtiano nomini inimica patraverint, & Rex cum Epiſcopo Pragenſi *Severo* Gnesnâ Corpus S. Adalberti abſtulerit: de quibus idem Author ampliora, ſed forſitan non omninò veridica. Nos pro certo habemus, hanc Eccleſiam cum illa de qua Cosmas, eandem eſſe, & cujus ille ſtructuram ad annum 1042. protrahit, iſte ad annum 1039. decretam à Benedicto, ut conderetur, memorat. Nunc ibidem Canonici ſunt Sæculares. Néque cognitum, an unquam alia, quàm ad ſummum regulæ Aquisgranenſi conformis Regularis vivendi norma ibidem floruerit.

Cosmas L. 2. Hiſt. Boh. Balbin. L. 3. C. 6. Hagec. in Chron. Bohem. ad an. 1039. p. 193. ſeq. Mabil. Ann. Ben. L. 58. n. 4.

Wiſcheradenſe. Præpoſitura. *Fundat. ſæc. 9. Secular.* Teſtanrur paſſim Scriptores Bohemici, Collegium iſtud jam à ſui Fundatione per *Borzivogium* Ducem facta Monaſterium exſtitiſſe Clericorum. Hic *D. Methodius* non ſolùm prima fidei diſſeminandæ fundamenta conſtituit, verùm & Clericos congregavit, ut vitam Apoſtolicam adamuſſim obſervantes tum domeſticos inter parietes, tum afforis, legitimos ſe ſe Apoſtolorum imitatores comprobarent. Voluerat hanc Eccleſiam Cathedralem inaugurari Borzivogius, ſed teſte Peſſina mors D. Methodii abrupit Conſilium.

Dubitari autem nequit, pluribus

ribus ſæculis hoc cum Eccleſia Cœnobium votivâ ſuorum Canonicorum vitâ eminuiſſe; certè cùm *Wratislaus* illam priſtino, quin majori Decori, quem bellorum, ac malevorum hominum depopulatione amiſerat, reſtitueret, narrat Cosmas, quòd *anno* 1070. *inſpiratione Divinâ commonitus Monaſterium in Metropoli Bohemiæ urbe Wiſcherad vocata - - - Deo juvante conſtruendum pia mente propoſuit &c. Monaſterium*, inquam, quod nimirum Canonicis in communi victuris deſerviret. Hic *Wratislaus* Eccleſiam novâ magnificentiâ conſtructam, quæ antea *D. Clementi* Sacra fuerat, SS. Apoſtolorum Principibus dicari fecit. Cenſemus porrò votivam vitam abiiſſe, cùm, ut ſæpiſſimè jam monuimus, *Auguſtini* Regula Canonicis eos limites poſuit, quos, qui excederent, Regulares eſſe aut haberi non poſſent: quod ideò ante ſæculum duodecimum vix contigiſſe exiſtimo. Unde quamvis *D. Procopium* magnum illum Bohemiæ Taumaturgum Ordini Benedictino (quem juxta Hagecium ab anno 1033. ad 1052. Profeſſus eſt) minimè ſurripiam, quandam tamen partem gloriæ ex hoc Divo lucentis pro eo tempore nobis vindicamus, quô ante ſuſceptum Monachismum virum Sanctum legimus Wiſſerhadenſis Eccleſiæ ûsque ad annum nempe 1033. vixiſſe Canonicum, dum lineam cum laneo habitu, & Canonicatum cum Monachatu arctioris vitæ deſiderio commutavit: de quo prolixiùs in ipſo opere.

Hodie hæc Eccleſia antiquiſſimis adhuc quibusdam prærogativis inclyta, multùm tamen hæterodoxorum injuriâ expilata Sæcularibus Canonicis incolitur.

Exiſtit in Caſtro Wiſſehradenſi. Vita S. Joan. Nep. Cap. 7. p. 207. Hagec. ad an. 1033. p. 285. Prodr. Glor. Prag. C. 5. p. 374. Acta SS. Tomo 2. Jul. in Vita S. Procop. die 4. ejusd.

Zobbtenſe. Præpoſitura. Quæ ſubeſt Abbatiæ Arenenſi, & exinde per Præpoſitum cum curato uno providetur, velut nos Reverendiſſimus Dominus Dominus Præſul feliciter præſidens dignatus eſt edocere. Sed quæ hujus origo ſit, qui Fundatores; aut à quo tempore inclytæ Arenenſi Canoniæ incorporata exiſtat? necdum didicimus. *Fundat. Floret.*

Exiſtit propè Vratislaviam: Docum. Arenens. Commun.

Zuchenſe ſeu Suchenſe. Abbatia. Hujus memoriam nobis Doctiſſimus Papebrochius ſubminiſtravit, qui in appendice ad vitam *B. Stanislai* Caſimirienſis Canonici Regularis, dum Comitis Petri Komorowski Capitanei Oswiecinenſis miram, ac prodigioſam narrat per merita hujus Beati viri curationem, hæc ſubdit: *Cujus*, inquit, *Beneficii accepti non ingratus, adiit Præpoſitum Eccleſiæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & in villa ſua hæreditaria Sucha dicta, Eccleſia & Monaſterio ac muro non modicis ſumptibus ædificato, Canonicos Regulares Conventûs Cracovienſis in eo fundavit, & dotavit: ita in erectione hujus Eccleſiæ.* Inquit laudatus Papebrochius. *Fundat.*

Exiſtit Cracoviæ. Acta SS. in append. ad menſem May.

AD-

ADDENDA AD CIRCULUM BURGUNDICUM

Fund. circà init. Sec 12. floret.

MOns SS. Trinitatis aliàs Belli Campi dicta Abbatia. Exſtitiſſe hujus Abbatiæ Fundatorem *Albe-ronem* Tullenſem Archidiaconum dictum de Monaſteriolo à *S. Bernardo* laudatum, poſt Archiepiſcopum Trevirenſem & Cardinalem ſcribit Miræus in notis ad Chartam donationis, ſeu potiùs fragmentum huic Abbatiæ, factæ à Bertha Mathæi Ducis Lotharingiæ vidua; eidem operam ſuam locâſſe *Petrum* Germanum ſuum, nec non *Beatricem* utriusque neptum cum *Segrino* & *Gerardo* filiis aliundè edocti ſimus. Miræo conſenſit in ſuis Trevirenſibus Annalibus Browerus ſic inquiens: in Leucis veteri ac nobili familia natus (Albero) ampliſſimum *Monaſterioli* (vulgò *Montreul* cujus adhuc vicinus Mons retinet nomen) patrimonium hæreditatis nomine adiit: optimis prætereà Diſciplinis, & apud excellentes Magiſtratus inſtitutus, cum primùm adolevit ætas, Monaſterium cum Mehonchortis (vulgo Menhoncuortum arcis dimidiæ luculentiſſimis fundis atque poſſeſſionibus Canonicis Regularibus conſummata virtute ac religione præcellentibus habitandum perpetuò conceſſit, atque in Abbatiam, Belli Campi cognomine, poſteà donatio iſta tranſiit. Dum igitur Miræus ſcribit Belli Campi Fundatorem *Alberonem*, fieri potuit, ut is ipſe, qui primitus Mehonchorium Canonicis inhabitandum tradidit, fundationem hanc cum integra dote in bellum Campum transferret. Annum fundati ſeu in priori, ſeu poſteriori loco monaſterii, non eſt liberum definire, cum litteræ primariæ deſiderentur. Certùm tamen id ante annum 1122. contigiſſe, nam, ut idem Browerus notat: *Alberonem:* deinde, id eſt, poſt conditum Cœnobium, imò & poſt translatam in Bellum Campum donationem, in Leucorum urbe ſe religioni conſecrâſſe, Clericum profeſſum eſſe, móxque per ætatis gradus virtutis atque indolis præſtantiâ ſic auctum, ut Eccleſiæ Tullenſis Archidiaconus, & in Gengulphi inde Præpoſitum aſſumptus ſit: ergò juxta Chronologiæ rationem (cui obniti per contraria teſtimonia non poſſumus) *Albero* adhuc ſæcularis fundationem iſtam conſtituit, econtra hic idem ab anno 1122. jam dignitatem Primicerii Metenſis obtinuit,

tinuit, prout ex notis Mabillonii in Epiſt. 30. novæ Edit. D. Bernardi apparet, quia autem *Albero*, non ex Præpoſito S. Gengulphi, ſed ex primicerio Metenſi Archiepiſcopus Trevirenſis Creatus eſt, ùt patet ex Roberto de monte ad annum 1227. hinc facilè deducitur, ſaltem Abbatiam Belli Campi dotatam (ſi non fundatam, de hoc enim necdum ſufficiens notitia ex adductis ſuppetit) ante annum 1122. fuiſſe, ſi etiam concedamus Alberonem uno, eodémque anno ſe religioni conſecrâſſe, & duplici illô Archidiaconi ſcilicèt, præpoſiti, & primicerii honore eſſe inauguratum: quod tamen vix quisquam probaverit.

Hæc Abbatia cùm fortaſſe labente tempore à primævo religionis fervore deflexiſſet, illucenti Forerianæ reformationi manus dedit annò 1626. ídque maximò regularis Diſciplinæ fœnore, cùm ab eo tempore eximiè refloruerit, & inter Principes Forerianas Abbatias numeretur: & Abbas gaudet jure quaſi Epiſcopali plures Eccleſias, ùt ſunt Mecboncurienſis, NeovillenſisS.Tbeobaldi, aliæque. Præfuerunt eidem multo tempore Abbates Commendatarii, qui quaſi mures devorabant medullam ejus, & in lamentabilem ſtarum, quidquid ſeu bonorum temporalium erat, ſeu ſpiritualium, redigebant; cùm demum inductâ priùs ſæpè laudatâ reformatione Forerianâ effectum eſt, ut Harpijæ iſtæ abigerentur, & annò 1671. Abbas Regularis primus ſalutaretur Reverendiſſimus Dominus *Claudius de Lozane*: ſcriptum autem nobis eſt, hunc ipſum digniſſimum Præſulem fuiſſe, qui Forerianam reformationem quoque primò ſuſceperit, quod, an ita ſit? indeciſum relinquimus, certè Bedelius Forerianæ vitæ ſcriptor hanc ſuſceptionem anno 1626. alligat, cùm expreſſè dicat, hanc Abbatiam ſe ipſi B. Petro Forerio adhuc viventi cum ſeptem aliis intra quatuorannorum ſpatium ſubmiſiſſe. Fortaſſe tamen fieri potuit, ut adhuc commendatariis Abbatibus Belli-Campenſi Cœnobio imperantibus, Diſciplina aſſumpta rurſus labeſcere cæperit, donec Claudio clavum accipiente, quaſi noviter in Foreriana reformatione reviviſceret, ac firmas radices conſtitueret. Sanè cùm annò 1632. totius Congregationis capita in locum defuncti primi Generalis Nicolai Guineti B. Petrum eligerent, hæc electio in ipſa Bellicampenſi Abbatia celebrata, loco ſcilicet huic Congregationi unito, in quo & tunc Petrus morabatur, quod Abbatia iſta hodiedum gloriæ, ac præcipuo decori ducit. Ergo negari nequit tum Bellum Campum inter Foreriana membra numeratum jam fuiſſe.

Floret autem, ùt diximus hæc Abbatia his noſtris temporibus omni virtutum, ſcientiæque laude conſpicua, cujus Præſulem, dum hæc ſcripſimus, egit Reverendiſſimus Abbas *Carolus Maſſu*, qui etiam cum reliquis quinque exhumationi interfuit B. Petri Forerii venerandi Corporis.

Sita eſt hæc Abbatia 2. Milliar. ſupra Gerbeviller. Mir. Cod. Donat. Belg. L. 1. C. 71. Browerus Ann. Trevir. L. 14. n. 2. Notæ fuſior. Mabill. in D. Bern. Tom. 2. N. marg. 20. Bedel. Vit. B. Petri. L. 1. C. 18. & L. 2. C. 15. p. 458. Docum. Communic.

AD

AD CIRCULUM SAXONICUM.

Fundat. floret.

S. Bartholomæi in Sulta Prioratus Windeſemenſis. Hoc Cœnobium duplici reformatione memorandum à ſui Fundatione ſemper Clericos aluit primum (quô Regula S. Auguſtini introducta legitur, ut ſecundùm eam Canonici viverent) ſæculum notatur 12mum dum circà annum 1180. primus regularis Præpoſitus extitit Benkerus: poſt hunc Henricus, quem ſubſecutus Heidenricus eſt, cui ſucceſſit Hildo circa annum 1200. Berwardo, ſeu Bernardo Præſulatum reſignans, qui reſignationis imitatores non paucos habuit, ita, ut 13tiô ſæculô cum Hildone quinque reſignantes numerentur. Quamvis autem Diſciplinam nuſpiam collapſam reperiamus per hæc tempora, attamen tantùm potuit illa Windeſemenſis in Ordine noſtro ſæculi 14ti fine inſtituta reformatio, ut Sultenſes Canonici minus aliquid ad obſervantiam regularem contribuiſſe putaverint, niſi eandem & ipſi reciperent. Igitur ad annum 1440. expetitus, atque electus eſt ex Windeſemenſi gremio Joannes Buſchius, idem ipſe, cui præcipuam Hiſtoriæ Windeſemenſis notitiam debemus, Vir Religioſiſſimus, & Diſciplinæ Regularis Zeloſiſſimus, plurimorum Monaſteriorum non ſolùm noſtri, ſed & diverſi ordinis ex Commiſſione Pontificia Reformator, & Viſitator eximius; *per* 6800. *milliaria* (ùt ipſe l. 3. reform. in fine teſtatur) *pro animarum ſalute ambulavit*, aliáque præſtitit, quæ eum inter viros verè Apoſtolicos digniſſimè locant. Dum verò 8. annis laudabiliſſimè Sultano huic Monaſterio præfuiſſet, reſignato regimine poſtulatus eſt in Prælatum ad Novum opus Hallæ in Saxonia. Ubi 7. annis laborioſo Diſciplinæ Zelo conſumptis iterum reſignans remeavit in Windeſem, ſed inde rurſum à Sultanis Canonicis expetitus per 20. annos, id eſt, usque ad an. 1478. præfuit, quô ob ſenium denuò reſignans paulò poſt ad æternam requiem (quam nullam ſibi in hac vita favere volens, ut illam certiorem curaret) cum opinione ſanctitatis evolavit in Sultano Monaſterio, debitô honore cumulatus. Habuit & alios Præſules doctiſſimos, æquè, ac virtute conſpicuos hoc celebre Cœnobium, quorum ſeriem aliquando daturi, non omittemus, quæcúnque notatu digna de iis innotuerint, proferre.

Floret autem Sultanus hic Prioratus ſub Congregatione Windeſemenſi adhuc noſtra ætate cum temporalium cum Spiritualium bonorum munitus præſidiis, qui Prioribus temporibus, multis obnoxius ad-

adverſitatum procellis, non rarò in ipſam penè ſui ruinam decidit, præcipuè ſub Præpoſito Henrico 4to, dum annô 1546. civitas Hildeſienſis miſſis ad eundem Præpoſitum aliquibus ex ſenatoribus mandavit, ut Monaſterium ſuum totum ipſe demoliri curaret, quod eum recuſaret, cives ipſi die 30. Julii ſummo manè erumpentes gregatim ex urbe, Monaſterium unà cum amplo, & venuſto templo, omnibúsque ædificiis ex fundamento totaliter deſtruxerunt, à quo tempore bona Monaſterii per duos Adminiſtratores curata fuere, Religioſis interim in ipſa urbe commorantibus usque ad annum 1565. quô, adnitente ùt plurimùm Hildesheimenſi Epiſcopo reſtructum eſt cum templo Cœnobium, primô poſt illam deſolationem Præpoſitô Victore Ebenhoch indefeſſam operam conferente. Habet Collegium Sultanum aliquot ſub ſe Parochias, inter quas præcipua memoratur Lbündenſis Archi-Diaconali honore inſignis. Annô 1728. præfuit in 2omum annum laudatiſſimè Reverendiſſimus Dominus Joan. Caſparus Zeppenfeld.

Exiſtit proximè ad ipſam urbem Hildesheimenſem. Leibnitzius. L. a. de reformat. Monaſt. Buſch. ibid. Docum. Domeſt.

Fund. Sec. 8. Extinct. S. Petri, & S. Gorgonii Mart. Cathedralis Mindæ. Eodem penè tempore, quô Saxonum effrænis feritas Magni *Caroli* ſubacta eſt Triumphis, quôque hic quatuor Weſtphaliæ Epiſcopatus erexerat, ùt ſcribit Albericus ad annum 795. hos inter non mediocri ſplendore refulſit Mindenſis, cui primum Epiſcopum ſanctum virum *Erkambertum* præfecit. Nec dubitandum, ab iſto eximio paſtore ad exemplum aliorum convocatos in unam Societatem à ſe Clericos fuiſſe, qui neo-converſum populum verbô, ſimul & exemplo ad viam ſalutis ſedula pietate, Zelôque animarum perducerent, Monaſterio, ſolitóque clauſtrô Eccleſiæ Cathedrali, velut ubíque tunc conſuetudo ferebat, adjunctô. Nam cùm eadem Eccleſia cum Monaſterio annô Domini 1062. ſub *Egilberto* decimo ſeptimo Epiſcopo in die S. Vincentio Sacra per incendium, ùt narrat Chroniſta Epiſcoporum Mindenſium (a) deſtructa ſit, & armarium combuſtum, ita, ut quidquid priùs Imperator *Carolus* & Witekindus Rex Mindenſium & Angarorum ex magnificentia regia in ornamentis, & Donariis plurimis reliquerant ad Honorem, & Decorem ſæpedictæ Eccleſiæ per flammam ignis corruptum, & deletum ſit, usque ad Othonem magnum omnia anteriora Documenta legitima deſiderantur, bujus autem dum primum privilegium Annô Dominicæ Incarnationis 1096. conceſſum extat, jam in eo pariter Mindenſis Cathedralis Eccleſiæ Monaſterium, Fratrésque memorantur. (a) apud Piſt. Tom. 3. p. 811.

Primò enim dum ejusdem Eccleſiæ priſtina jura, gratiásque à ſuis Deceſſoribus datas confirmat immunémque ab omni Laica poteſtate conſtituit, adjungit dicens: *Hominibus quoque famulatum ejusdem Monaſterii facientibus ---- prædictum Mundeburdum & tuitionem noſtram conſtituimus*, mox autem ſequentia ſubdit: *quidquid verò fiſcus exinde ſperare potuerit, pro æterna remuneratione dictæ Eccleſiæ, ad ſtipendia pauperum, & luminaria continuanda conceſſimus, & ipſe Epiſcopus cum omnibus rebus ſuis, noſtro fideliter pareat Imperio, & ſub noſtra conſiſtat defenſione, quatenus ipſum, Fratrésque ejusdem loci pro nobis, conjuge, prolèque noſtra Dominum melius, jugitérque exorare delectet, Fratribus au-*

tem ejuſdem loci præfati dedimus Licentiam eligendi paſtorem inter ſe, qualemcunque voluerint &c. Habes ergo ex hoc diſplomate *Monaſterium*, *Fratres*, eóſque *pauperes*, ut jam non dubicandum ſit, ſub tempore *Otthonis* (imò longè antea, néque enim tanquam novum aliquid privilegio nomen Monaſterii inſertur) *Clericos* ibidem *regulariter* vixiſſe. Adeſt verò adbuc aliud, ídque ab *Henrico* quarto extraditum inſtrumentum de quodam prædio Eccleſiæ Mindenſi collato, quod dicitur *Loſa*: in eodem *Henricus* inquit: quidquid in ſupradicto loco regio jure contrahente habuimus &c. ad Monaſterium Mindenſium, in honore S. Petri & S. Gorgonii conſtructum, in uſum Fratrum Deo inibi ſub Canonica regula ſervientium, tradidimus. Cæterùm obſervabile eſt, Mindenſem Epiſcopum jam à tempore Wedekindi, qui ex Præpoſito ad Cathedram evectus eſt, Principis titulo, juréque gaviſum eſſe, quam dignitatem temporalem addidiſſe Epiſcopali videtur Wilhelmus Rex Romanorum anno 1253. tempore ſcilicet illius proclamati interregni per factionem Guelficam cauſati; exinde tamen ſemper Epiſcopatui Mindenſi Principatûs prærogativa adhæſit. Habuit autem Eccleſia Mindenſis non ſolùm à terrenis excellentiam, verùm vel maximè à ſpiritualibus decorem eximium: quantum enim eandem virtutibus, ac exemplis Sanctiſſimis illuſtraverint plures ſancti Epiſcopi ipſi præſidentes, non eſt noſtrum ante conſtitutum tempus enarrare: certè, *Sigibertus*, *Hanno*, *Dethmarus* viri fuêre, quorum memoria apud omnes in benedictione, vitáque præcipuè Venerabilis *Dethmari* non ſine miraculis comperta eſt, ac per Deum honorata. Sed quod dolentes ſcribimus, hic egregius Epiſcopatus jam ab anno 1649. ſub hæreticorum manibus detentus ingemiſcit. Quando verò vitam regularem ejusdem Canonici abjecerint, non eſt facilè divinare: cùm ſciamus, quantis preſſuris dicta Eccleſia iteratò jam à ſæculo præcipuè duodecimo ſubjecta, ſæpiùs omnes Canonicos ſuos Tyranidem incumbentium hoſtium metuentes, aut amittere coacta ſit, aut ſic ſervare, ut tum plus de vita, quàm diſciplina regulari cuſtodienda laborandum fuerit. Regulariter illos ſæculô undecimô adhuc vixiſſe monſtravimus, an verò *S. Auguſtini* individuè regulam amplexi ſint, definire non poſſumus.

Chron. Mind. apud Piſt. Edit. nov. t. 3. p. 811.

IN-

INDEX GENERALIS

Præcipuorum, quæ in utroque hujus Prodromi Tomo continentur. Numerus Rom. I. notat Tomum primum, II. ſecundum, ſubſequus paginam. C. Columnam primam, vel ſecundam juxtà additum Num. p. Columnæ Principium. m. medium, f. finem.

A.

ABbatis Canonici nomine an intelligendus Abbas Benedictinus. I. 130. C. 2. f.

Abbas lineus Canonicum ſæculo decimo ſignificabat. I. 160. C. 1. p. ſeq.

Abbatis nomen & uſus apud votivos clericos non minùs, quàm ſæculares, quin ipſos Epiſcopos. I. 205. C. 1. f. & ſeq.

Abbas Palatinus quid? I. 206. C. 1. p.

Abbas non ob mitræ pediq; uſum ſic dictus. I. 207. C. 2. m.

Abbatis nomen primitùs officium ſollicitudinis, non dignitatis. I. ib. f.

Abbates cur Præpoſitos nonnunquam præcedant? I. 210. C. 2. per tot.

Abbatum Baculus ſeu Pedum diſtinctum formâ & figurâ à Pedo Epiſcoporum. I. 208. C. 1. p.

Abbates mitrâ non niſi poſterioribus ſæculis honorati. I. 210. C. 2. m.

Abbates multi ex Clero monachis præfecti, qui nunquam monachi fuêre. II. 712. C. 1. per tot.

Abbates ad tempora usq; ſynodi Romanæ ſub Eugenio II. per monaſteria monachorum laici erant, quales ipſe Mabillonius ſæc. 10. adhuc Benedictinis ſacerdotio nempe expertes præfuiſſe affirmat. I. 565. C. 1. f.

Abſalon Epiſcopus Roſchild. per S. Wilhelmum Canon. Regulares ſua Diœceſis reformat. II. 709. C. 1. m.

Abſalon Abbas Springerbacens. Can. Reg. 51. ſermones divino Spiritu repletas componit. II. 601. C. 2. m.

Achardi Can. Reg. Aroaſienſis & Archidiaconi Morinenſis laus. II. 24. C. 1. m.

Adalberto metens. Epiſc. amotis in Eccleſia S. Arnulphi Canonicis ſubſtituit Benedictinos. II. 20. C. 2. p.

Adalbertus Comes Scheüerenſis fundat Rorenſe Can. Reg. monaſt. II. 738. C. 2. m.

Adalbertus & Conjux ejus Regina fundant Dononienſem parthenonem pro 10. filiabus Canonicum inſtitutum eligentibus. II. 64. C. 2. m.

Adalbertus Archiepiſ. Mogunt. inducit Can. Reg. in Pfaffenschvvabenheimenſe monaſterium. II. 597. C. 1. p.

Adalbertus frater D. Othiliæ in Altitonenſi monaſterio fundat S. Stephani Can. Reg. Abbatiam. II. 604. C. 2. p.

Adalochus Epiſc. Argentin. in D. Thomæ monaſterio Benedictinis ſubſtituit Can. Reg. II. 609. C. 2. m.

Adalungus quartus Aichſtädienſis Epiſc. regularem vitam ſuæ Cathed. reſtituit. II. 674. C. 2. f.

Adalsquarus & ejus conjux Aneglia monaſterium Alciacenſe pro Virginibus Canonicis conſtruunt. II. 12. C. 1 p.

Adellinda (Sancta) Comitis Ottonis uxor fundat pro Virginibus Canonicis Buchovienſe Cœnobium. II. 633. C. 2. p.

Ado Belgii Comes ob uxorem per S. Rumoldum à ſterilitate liberatam fundat Mechlinienſe monaſterium pro Clericis Votivis. II. 178 ſeq.

Ado Comes Mechliniæ fundat Prioratum Blidenbergenſem Virg. Canon. II. 42. C. 2. p.

Adolphus Mogunt. Archiepiſc. inducit in ſuam Diœceſim inſtitutum Windeſemenſe. II. 597. C. 1. m.

Adolphus Dux montenſis ex Capella S. M. in Bodinghem prioratum facit Congreg. Windes. II. 338. C. 1. f.

Adolphus II. Wagriæ Dominus Sigesbergenſe Can. Reg. monaſterium reſtaurat. II. 467. C. 2. f.

Quære poſthac Fundatorum nomina in ipſis monaſteriis nominatis.

Aggregatio monaſteriorum ad aliquam congregationem, quid rei? I. 423. C. 2. m.

- - *quomodo fiat Can. Reg ad Congregationem Later.* 424. C. 1. p. & ſeq.

Agathæ (S.) V. M. reliquiæ in Priorat S. Maximini Virg. Canon. conditæ coluntur. II. 581. C. 2. p.

Aichſtadienſis Cathed. olim. regularium Clericorum. II. 673. C. 1. m.

Albertus Godefridi tertii Brabantiæ Ducis Filius ex Can. Reg. Epiſcopus Leodienſis Mirtyr. II. 120. C. 2. m. & 331. C. 2. f.

Albo ex Canonico Archiep. Veſontion. reformat Can. Reg. S. Stephani. II. 235. C. 2. m.

Alexander Epiſcopus Plocenſis Molonienſis Eccleſiæ Can. Reg. reſtituit. II. 137. C. 2. m.

Altfridus (S) Canonicos ſanctè viventes in Cathedrali Hildesheimenſi conſtituit. II. 106. C. 2. p.

Almutia quid? I. 433. C. 1. p *ejus à Mozzetta differentia ib. an monachis licita?* 434. C. 1. p. *Almutiæ â Cuculla monaſtica diſcrimen.* ib.

Almutia quando, quo Colore, portanda â Canonicis Regularibus I. 435. C. 1. p. ſeq. *an ſericia ab iisdem deferri valeat.* 437. f.

Altmannus Epiſc. Trident. beneficus in ſubenſes Can. Reg. II. 742. C. 2. m.

Altmannus (B.) Paſſav. Epiſc. in Florianenſes Can. Reg. beneficus. II. 760. C. 2. m.

- - *diſciplinam regularem reformat ad S.* Hypolitum. II. 767. C. 2. per tot.

Alvara (Vener.) de Virmund. ſanctè obit in Abbatia Juliacenſi Virg. Can. S. Sepulchri. II. 332. C. 1. p.

Ambroſius (S.) Divi Euſebii Clericos nunquam inter monachos cenſuit, ſed inter Clericos votivos. I. 117. C. 2. m.

- - *Clericos ſuos ſub ſimplici voto paupertatis habuit.* I. 104. C. 2. f.

- - *vitam votivam in ſe ac ſuis clericis promovit.* I. 44. C. 1. p. &. 60. C. 1. f.

- - *nunquam monachus fuit.* Ibid. C. 2.

Amandus (S.) Traject Epiſc. Ex Clerico Votivo. I. 87. C. 2. f.

Andreas ex Can. Reg. Creuzlingano Præpoſitus Cellæ Brisgojæ, penè dilapſam priſtino vigori reſtituit. II. 657. C. 1. f.

Ansgarius (S.) Bremis Can. Reg. Congregationem ſibi junctam habuit. I. 176. C. 1. f.

- - *primus fidem induxit in Sueciam.* II. 512. C. 1. p.

Anna Maria B. Petri Forerii ex fratre filia mirá ſanctitate in monaſterio Nomenienſi Can. Reg. profeſſa claret. II. 310. C. 2. m.

Antonius Geentius Rubeæ Vallis Can. Regul. Scriptor inſignis. II. 217. C. 2. f.

Antonius de Lenoncour beneficus in Can. Reg. Forerianos. II. 298. C. 1. m. & 308. C. 2. p.

Aquisgranenſis Concilii regula pro reformandis Canonicis quæ, qualisvè? I. 97. C. 2. ſeq.

- - *pro Canonicis votivis primùm tradita.* 99. C. 1. ſeq. *non tamen omiſit etiam proprietarios, quos ex Pomerio infirmos nuncupat.* 100. C. 1. ſeq. *non fecit ex Regularibus ſæculares, ſed tales inventos toleravit.* 104. C. 2. p.

Aquisgranenſis regula Canonica ritus monaſticos præſcribit. 148. C. 2. f.

Aquilegienſes Clerici votivæ vitæ addicti, aliiq; complurium Eccleſiarum enumerantur. I. 57. C. 2. p. ſeq. & 61. C. 1. ſeq.

Arbaldus Archiepiſc: Remens annô 952. dimiſſis Canonicis ſæcul. inducit regulares. I. 176. C. 1. f.

Archidiaconi aut Archipresbyteri quid olim nominis? II. 686. C. 1. f.

Archidiaconi munus, quod? I. 202. C. 1. p.

Archidiaconorum ſæcularium jure liberum per Summam ſedem decernitur Collegium Waldſeenſe in ſuevia. II. 666. C. 1. p.

Archidiaconatûs munere gaudent Prælati Canonicorum: Garſenſis. II. 701. C. 2. f.

Paum-

Paumburg. 706. C. 2. f. *Reittenbuechenſis* 731. C. 1. m. *Ranshovienſis.* 729. C. 2. m. Seccovienſis. 781. &c.
Arduinus primus Benedicti montis Præpoſitus ſui Collegii exemptionem obtinet II. 37. C. 2. m.
Archipresbyteri nomen unde? I. 199. C. 2. f. & ſeq.
Arelatenſis Eccleſia Cathed. Auguſtinianam reformationem aſſumit ſub Raimbaldo Archi-Epiſc. I. 145. C. 1. f. ſeq.
Arnolphus Metenſis Epiſc. Canonicos ſeorſim viventes in unam communionem vivendi colligit. II. 181. C. 2. p.
Atrebatenſis Eccleſiæ regularis diſciplinæ obſervantia ac ritus I. 148. C. 2. p.
Auguſtinus (S.) Primarius reformator Clericalis inſtituti. I. 61. C. 1. ſeq.
- - *non eſt inſtitutor vitæ Votivæ Canonicæ.* I. ib. C. 2. m.
- - *obligabat ſuos Clericos ad ſecundum gradum paupertatis, uti & S. Ambroſius.* I. 44. C. 1. p.
- - *condidit duo monaſteria.* I. 224. C. 2. m. & 229. C. 1. f.
- - *neutrum illorum monachos habuit.* I. 226. C. 1. p.
- - *ejus Clerici in utroq; monaſterio verè vovêre paupertatem.* I. 61. C. 1. ſeq.
- - *Vir ſanctus nunquam Monachus fuit.* 226. C. 1. ſeq.
- - *Presbiteratum non ſolùm non fugit, ſed etiam intendit.* 228. C. 1.
- - *ejus regula vide regula.*
Auguſtinus (S.) Cantuarienſis Eccleſiis Angliæ providet de monaſteriis Clericorum Regularium. I. 73. C. 1. p. ſeq.
- - *pleroſq; ſecum in Angliam non monachos; ſed Clericos ex Gallia Comites habuit.* I. 74. C. 1. p.
Auguſtiniani ſeu potiùs Eremitæ B. Joannis Boni, cur dicti Ordi. S. Aug. I. 413. C. 1. p.
Auguſtinianos Clericos, qui dicunt votivos non fuiſſe perſtringuntur. II. 669. C. 1. ſeq.
Auguſtinus Imhoff ad S. Crucis Auguſtæ Vind. Præpoſitus laudatur. II. 642. C. 1. p.
Auſtriaci Circuli nobiliſſima Provinciæ. II. 746. per tot.
Auſtriaca Domus in Canonicos Regulares beneficia. II. 747. C. 1. m.

B.

BAduradus (S.) Badebornenſis Epiſcopus diſciplinam votivo-regularem in ſua Cathedrali inſtituit circa ſæcul. 9. II. 347. C. 2. m.
Balneorum uſus apud Sanctimoniales rarus, aut nullus. I. 372. C. 2. per tot.
Balnearum & balneorum differentia. I. ib.
Banda linea quid? I. 431. C. 1. p.
Bavaria laudatur. II. 684. C. 1. m.
Benedictini ſæculo octavo ignoti in Germania II. 433. C. 2. p. & 438. C. 2. p.
- - *non erant à S. Ruperto in Salisburgenſem Eccleſiam introducti.* II. 713. C. 1. per tot.
- - *vi ſuæ regulæ arcentur potiùs ab amplectendo clericatu* I. 78. C. 2. p.
- - *adhuc ſæculo XI. à prædicatione prohibebantur.* I. 78. C. 2. m.
Benedictus (S.) maluit monachos ſuos alienos eſſe à Clericatu. I. 128. C. 1. p.
Benno (S.) ex monacho Benedictino Canonicus Regularis & Præpoſitus Goslarienſis. II. 423. C. 1. m.
Bernardus (S.) de mentona Can Regul. laudatur. II. 627. C. 2. f. ſeq.
- - *duo Canonicis Regularibus inſtituit Monaſteria.* II. ib.
Beneficium Eccleſiaſticum quid? I. 328. C. 1. p.
- - *Monachis prohibitum, non autem Canonicis Regularibus.* . I. 329. C. 1. f.
- - *ſæculare quid? & an olim nota hæc Beneficii Eccleſiaſtici Regularis ac ſæcularis diverſitas?* I. 330. C. 1. per tot. *Ejusdem etiam ut ſæcularis ſunt Capaces ſempérque fuére Canonici Reg.* 336. per tot.
Beneficia quæcunq; curata etiam monachorum monaſteriis incorporata, non audebant providere monachi, ſed Clerici. I. 121. C. 2 p.
Beregiſus (S.) vitam votivam Clericalem in Germania reſtaurat. I. 90. C. 1. p.
- - *Ipſe Canonicum regularem profeſſus.* I. 223. C. 2. p.
Bernardus ex Canonico Regulari Hypolitano

Inf. Auſtriæ fit Archiepiſcopus Salisb. II. 768. C. 2. p.

Bernardus Streller Decanus Wettenhuſanus laudatur. 671. C 1. f.

Berengarius Epiſcopus Verdun. pium quendam ſuum Canonicum calce percutiens D. Thecla vindice ariditate pedis pœnas ſolvit. II. 245. C. 1. f. ſeq.

Byrrum quid? I. 158. C. 1. p.

- - *ſeu birreti uſus qualis.* I. 433. C. 2. m.

Bohemia laudatur. II. 795.

Bonifacius (S.) vitam Communem Clericalem in Germania cum Burchardo, Gregorio Trajectenſi, aliisq; viris ſanctis & Apoſtolicis reſtaurat. I. 89. C 2. f.

- - *non fuit monachus Benedictinus.* II. 564. C. 1. p.

- - *monachos addixit ſacræ ſolitudini non curæ animarum gerendæ.* II. 567. C. 2. p.

Bononienſes Canonici S. Salvatoris dicti ſunt veri Canonici Regulares II. 86. C. 1. p. & I. 422. C. 2. f.

Borſemins fabulator notatur. II. 453. C. 1. f.

Bremenſis Cathed. à S. Uvvano ad vitam Canonicam & regularem reducitur I. 109. C. 1. f.

Bucelinus Benedictinus refutatur II. 576. C. 1. m. & 659. C. 2. per tot.

Buſchius Joannes Can. Reg. Vir Apoſtolicus laudatur. II. 824. C. 2. p.

C.

CÆleſtini (S.) M. Corpus adfertur magna ſolennitate ad Parthenonem Mariæſteinenſem. II. 680. C. 2. m.

Cabont de Director *Annonæ in Alſatia magnus Benefactor in Religioſos Canonicos Forerianos.* II. 287 C. 2. p.

Caſarius (S.) regulam ſuo Parthenoni traditam ex regula S. Auguſtini in multis defloravit. I. 373. C. 2. p. *Auguſtini inſtitutum Arelati tuetur.* I. 67. C. 2. ſeq.

Cabaſſutius fatetur S. Auguſtinum Clericos votivos inſtituiſſe. I. 61. C. 2. f.

Calicis aurei Moguntinenſis inſignis magnitudinis deſcriptio, II. 587. C. 2. p.

Camiſia qualis veſtis? I. 154. C. I. f. & 158. C. 1. f.

Canonicis Sæcularibus an injurioſum, priores ipſis fuiſſe regulares? I. 40. C. 1. p.

Canonici nomen temerè adjudicatur monachis I. 131. C. 2. p.

Canonici in Communi viventes, cur dicti ſæculares, & an tales fuerint? I. 164. C. 2. m.

Canonici an ſæculares dici poſſint? I. 165. C. 1. f.

Canonici ante Sæculum XI. cur regulares dicti? I. 176. C. 1. ſeq.

- - *ſic dicti ob vitam votivam.* I. 177. C. 1. f.

- - *non ob regulam, ſed ob vitam votivam dicti regulares.* I. 174. C. 2. per tot.

- - *Nomen & quando caperit.* I. 184. C. 2. f.

- - *datum fuit primitùs Clericis ad denotandam vitam votivam* I. 186. C. 1. m.

- - *non ſignificat ex ſua natura matricularium.* I. 187. C. 1. ſeq.

- - *ſimpliciter prolatum ſæculo 12. notabat Canonicum Regul.* I. 190. C. 1. per tot.

- - *mox ad latiorem Significationem devolutum. ib.*

Canonici ſub regula Aquisgranenſi militantes votivi erant & regulares? I. 196. C. 2. m.

- - *an ab antiquo ſtabilitatem habuerint? Vide ſtabilitas.*

Canonici Ordinis reformatio non eſt confundenda cum ejus originali inſtitutione. I. 246. C. 1. f.

Canonici ordinis reformationem non autem inſtitutionem ſæculo undecimo ſuſceptam certiſſimis habetur documentis. I. 247. C. 2. m.

- - *hujus progreſſio qualis?* I. 250. C. 2. f.

- - *ſub diverſis regulis, eadem fuit ſpecies.* I. 264. C. 1. m.

Canonica regula quid? I. 86. C. 1. f. ſeq.

Canonici inſtituti reformatio non origo ſæculo 11. I. 110. C. 1. m.

Canonici Regulares cur dicti S. Auguſtini, ſeu Auguſtiniani? I. 111. C 2. p. ſeq.

- - *regulam S. Auguſtini dicebantur profeſſi, etſi vulgarem illam nec haberent, nec noſſent.* I. 112. C. 1. f.

- - *diverſas nuncupationes ſortiuntur.* I. ib.

Canonici arctiorem vitam ſeu modum vivendi amplexi neutiquam novum ideò ordinem inſtituiſſe dicendi. I. 113. C. 1. per tot.
- - *ſimpliciter ſic dicti non differunt à Canonicis S. Auguſtini.* I. 275. C. 2. m.
- - *prohibentur ad monachiſmum tranſire.* I. 284. m. & ſeq. & 332. C. 1.
- - *variè, multúmque diſcriminantur à monachis, quomodocunque regulariter & in diſciplina vivant.* I. 286. & ſeq. prolixè.
- - *non poſſunt dici tertium quoddam genus in ſtatu religioſo v. g. monacho-Clerici.* I. 310. C. 1. f.
- - *ſunt Capaces beneficiorum ſecularium. V. Beneficia.*
- - *in Epiſcopos promoti veſtes ferunt ritu quorumcúnque aliorum Clericorum, quod tamen non licet monachis.* I. 320. C. 1. f. & 438.
- - *ad Beneficia ſecularia promovendi petunt nonnunquam à ſumma ſede confirmationem, non diſpenſationem incapacitatis.* I. 331. ſeq.
- - *ſi qui Clericatum non ſuſcipiant fini ſuo adverſantur.* 355. C. 1. m.
- - *ut ſint ſub eadem ſpecie debent portere veſtem lineam, & à tempore ſeculi. 12. profiteri. S. Aug. regulam.* 409. per tot.
- - *quo modo vivere dicantur ſub regula S. Auguſtini?* II. 651. C. 1. per tot.
- - *poſſunt obtinere officia Clericalia S. R. E. non monachi.* I. 441. C. 1. f.
- - *cur dicti Ordinis S. Auguſtini.* 4t2. C. 2. m.
- - *in Epiſcopos promoti extra ſuam Diœceſim mozzetam portare nequeunt.* 438. p.
- - *Convixère monachis in multis Eccleſiis.* II. 363. C. 1. p. & 392. C. 1. m. & 618. C. 1.
- - *poſſunt ſub regula S. Benedicti vivere, non tamen profiteri.* 453. C. 1. p.
- - *& ſeculares quondam fratres dicti.* 491. C. 1. p. *cur id factum?* 182. C. 2. p.
- - *Sacri ſepulchri ſunt ejusdem ſpeciei cum Canonicis Lateranen.* 188.

Canonici Seculares ſubſunt in Collegio Arschotano Prapoſito & Decano utrique Canonico Regulari. II. 26. & 27.
Canonicorum Regularium S. Huberti Cameracenſium laus. II. 30. C. 1. m. *eorum Abbas perpetuus Epiſcopi Cameracenſis Capellanus.* II. 30. C. 1. f.
Canonici ſeu Clerici, quòd habitum quandoque monaſticum geſtaverint, non ideò facti ſunt monachi. II. 393. C. 1. p.
Canonici Colonienſes regulares in Cathedrali vixere ſecundùm regulam S. Iſidori. II. 60. C. 1. p.
Canonici Hildesheimenſes Cathed. an unquam ſub regula Benedictina. II. 448. per tot.
Canonici inſtituti Virgines ante ſeculum nonum exſtitiſſe contra Mabillonium oſtenditur. II. 52. C. 1. p.
Canonicatus etiam regularis verè eſt perſonatus, ac dignitas Eccleſiaſtica, non item monachatus. II. 200. C. 1. f.
Canonici S. Bartholomæi Vercellenſes præ S. Auguſtini regula eligere volunt regulam S. Euſebii minimè ſpeciem inſtituti mutare cupientes. I. 266. C. 2. per tot.
Canonici Bremenſes ſub regula monaſtica dicebantur vivere, cúm minimè monachi eſſent. I. 81. C. 1. p.
De Canonicis quidquid in jure ſtatuitur niſi repugnet religioſo inſtituto ipſos quoque Canonicos regulares attingit. I. 290. C. 2. f.
Canonica vita, vita Apoſtolica ab ipſo ſummo Pontifice aſſerta. II. 690. C. 1. m.
Canonicorum Regularium ſeculo XIV. inſignis à virtute & ſcientia Commendatio. II. 804. C. 2. f. & 809. C. 1. ſeq.
Canonicum inſtitutum nequit ſumi in ſpecies ſubalterna. I. 416. & 417.
Capellanus aulicus Prapoſitus ad S. Hypolytum. II. 768. C. 1. f.
Cappa Choralis quid, & quando portanda? II. 433. C. 1. p.
Carnium eſus S. Auguſtino ſuisq. Clericis uſitatus. I. 322. C. 2. m.
Carnutenſis Eccleſia Cathedralis ſexto ſeculo regularis. I. 69. C. 2. m.
Carolus M. mirabatur, quomodo renuat ſecularis dici quisque Canonicus, ſi tamen retinere proprium velit. I. 46. C. 2. m.
- - *vita Canonica reformandæ operam omnem impendit.* I. 97. C. 1. p. ſeq.

Carolus M. fundat Oſnabrugenſem Cathedralem Clericis regularibus. II. 360. C. 2. f.

- - *Aquisgrani Abbatiam Committit Canonicis Regularibus, eamq́ magnis prærogativis exornat.* II. 336. C. 2. p. &c.

Carolus IV. Imperator mirè affectus in Canonicos Regulares. II. 803. C. 1. p.

Cathedrales Eccleſiæ primæ erant, quæ votivam vitam amplexæ ſunt. I. 39. c. 2. f.

Cathedralibus ab Eccleſiis arcebantur monachi. I. 77. c. 2 p.

Carthuſiani nulla certa regula ſecernebantur ſed ſolius inſtituti ratione, usque ad Guigonem V. ſui ordinis Priorem. I. 169. c. 2. m.

Cathedrales Eccleſiæ easdem notas diſcretivas clauſtralis diſciplinæ habuerunt, quas alia clericorum regularium monaſteria. I. 147. c. 2. p.

- - *non differunt earum Canonici ab illis, qui incolunt Eccleſias Collegiatas regulares.* I. 413. c. 2. per tot. & 323. c. 1.

Cathedralem Cantuarienſem monachos primùm non incoluiſſe evidenter oſtenditur. I. 73. C. 1. ſeq.

Cathedrales Eccleſiæ cur Sæc. 10. *monachis interdictæ, ut ab iis regerentur?* II. 480. C. 1. m.

Cathedralitas abſolutè accepta Canonicis convenit, non monachis. I. 145. c. 2. p.

Ceremonias, ritusq́ nonnullos monaſticos aſſumpsêre Canonici, non, ut his inſtitutô æquarentur, ſed ut ſuam firmiùs regularem vitam talibus mediis ſolidarent. I. 149. c. 1. f. & ſeq.

Cereus à B. V. Lamberto Epiſcopo Atrebatenſis Eccleſiæ traditus hodiedum accenſus, non conſumitur. II. 28. c. 2. p.

Chorum Canonicum conſtituunt quatuor: quin & integram congregationem. I. 52. c. 1. f.

Chorus an apud Veteres votivos clericos? I. 218. c. 1. m.

Choro addicta erat, etiam S. Auguſtini clericalis ſocietas. I. 219. c. 1. p. *non eſt finis eorum principalis.* 309. c. 1.

Chilianus Leib Præpoſitus Rebdorffenſis laudatur. II. 682. c. 2. m.

Chryſtophorus S. Hypoliti Præpos. ſcriptor chronici ſan. Hypolitici. II. 766. c. 1. m.

Chrodegangus Eccleſiam Metenſem ad vitam votivam reducit. I. 90. c. 1. m. vide Regula.

Chunegunde (S.) operariis in exſtruendo monaſterio S. Stephani Can. Reg. Bambergæ lancem cum pecuniis offerente, non plus ab his mercedis auferri poteſt quàm quisque meruerit. II. 683. c. 2. p.

Clauſtroneoburgenſe collegium egregiam operam impendit Borovanenſi in Bohemia reſtituendo. II. 801. c. 1. f.

Ciſtercienſis Ordinis Origo, & prima monaſteria. II. 623. c. 1. m.

Clericorum duplex notio. nempe cum Epiſcopo viventium in communi ſocietate, ac votiva, altera ſeorſim conſiſtentium, & proprietariorum. I. 39. c. 1.

Clerici ac Canonici ſæculares quo modo ex Regularibus orti? I. 41. c. 1. m.

Clericorum Regularium vices, quæ & quantæ? I. 43. c. 1. m.

Clerici votivi ſæculo quarto non illicò, ac Clericatum aſſumpſerant renuntiare ſuis cogebantur. I. 43. c. 2. p. ſeq.

Clerici primorum ſæculorum quo modo expropriationem voverint? I. 38. c. 1. ſeq.

Clerici Auguſtiniani ex Africa in Italiam venerunt. I. 64. c. 1. m.

- - *Romæ à S. Gelaſio ſtabiliuntur.* I. 64. c. 1. p.

- - *cur non etiam, ùt nunc Auguſtiniani dicti.* I. 68. c. 1. ſeq.

- - *voverunt expropriationem, idque plures eruditi pro certo habent.* I. 85. c 1. f.

Clerici à ſæculo ſeptimo ac deinceps quandòque monachis cohabitantes. I. 119. c. 1. f.

- - *& monachi in eodem monaſterio commorabantur.* I. 120. c. 1. & 122. c. 2. m.

- - *à monachis tamen jam antiquis canonibus diſcernebantur.* I. 120. c. 2. f.

- - *de ſuo officio ſponte ad monachismum diſcedentes de Eccleſia repelli præcipitur à Concilio Cæſarauguſtano.* I. 121. c. 1. f.

Clericorum nomine paſſim monachos intelligendos eſſe temerè prætendit Mabillio. I. 125. c. 2. f.

Clerici nomen unde, & quamdiu uſurpatum, ut per

per id ſolùm ſine adjecto nuncuparentur clerici votivi. I. 184 c. 2. p.

Clerici ſine injuria ſui inſtituti dicuntur monachi. I. 80. c. 2. p.

- - *quomodo monachi? & an ſuo inſtituto unquam monachismum junxerint?* I. 140. c. 2. per tot.

- - *ritus ſibi, tum & uſus quoſdam ex ipſa regula S. Benedicti ſumpsêre, neq; ideò facti monachi.* I. 141 c. 1. p.

Clerici qui canonicè & regulariter Deo ſerviant, deputantur in Ecleſia SS. Acheoli &c. II. p. 1. c 2. f.

Clerici ſæculares juncti Regularibus, hisq; ſubjecti in Præpoſitura S. Walburgis. II. 252. c. 1. p.

Clerce de Alexia ſanctitate Clara inter primas filias B. Petri Forerii. II. 281. c. 1. f. ſeq.

- - *ejus vitæ ſynopſis. ibid.*

- - *ejus Vaticinium.* ib. 309. c. 1 p.

Collegia an rectè nominari valeant Canonicorum Regularium monaſteria. II. 800. c. 2 p.

Colimbricenſis Can. Reg. Congregationis inſtitutio. I. 422. c. 2. f.

Colobium & Cotta quid? I. 429. c. 2. per tot.

Columbanus & Gallus (SS.) an monachi? II. 647. c. 2. m.

Colonienſes, deficientibus aliis confratribus in cathedrali Ecclesia & deflectentibus ad proprietatem arripiendam, in priſtina obſervantia perſeveraturi monaſterium Nuſſienſe incolendum eligunt. II. 550. c. 1 f.

Communis vita per Apoſtolos non ſolùm in oriente, ſed etiam in occidente propagata. I. 50. c. 2. f. ſeq.

Communiter in eodem monaſterio, diſtinctis ſolùm conclavibus habitabant Monachi & moniales ſæculo tertio ac deinceps. I. 50. c. 1.

Communitas bonorum & hominum vigebat Apoſtolorum tempore. I. 49. C. 2. p.

Concilium Remenſe ſæculo ſeptimo vitam canonicam reſtaurat. I. 88. c. 1. m.

Concilium Moguntinenſe ſæculo octavo ſtatum clericalem reformat in Germania, Lo-veshovienſe pariter in Anglia, & Romanum in Italia. I. 88. c. 1. f.

Congregationes canonicorum diu ante ſæculum VIII. exſtitêre. I. 91. c. 2. p.

- - *florent regulari diſciplina prædicto ſæculo.* I. 96. c. 1 f.

Congregationis duplex acceptio. I. 213. c. 2. p. & 403. c 1. m.

Congregationes canonicorum, in quibus communis domus, menſa communis, & norma vivendi ſecundùm regulam S. Auguſtini vigebat, longè ante ſæculum XI. reperiuntur. 214. ſeq.

Congregationi alicui ſubordinata alia monaſteria non mutabant ſpeciem infimam clericalis, ſeu Votivo-canonici inſtituti ab aliis, quæ nulli Congregationi jungebantur. I. 221. c. 1 p.

Congregationes, an ante ſæculum XI. exſtiterint? I. 256. c. 1. p

Congregatio inſtituitur inter monaſteria Auſtriæ, Styriæ, & Bohemiæ. II. 775. c. 2. m.

Congregationum, quibus plura monaſteria uniuntur ſub uno Generali inſtitutarum quæ cauſa? I. 404. c. 2. per tot.

Congregationes Can. Reg. quænam illæ adhuc florentes? I. 422. ſeq.

- - *an ejusdem ſpeciei* I. 409 c. 1.

Congregatio Bononienſis aliàs ſcopetinorum an ejusdem ſpeciei cum noſtris ſeu Lateranenſibus. I. 422. c. 1. p.

Congregationis Forerianæ inſtitutio. II. 263. & ſeq.

Congregationis Aroaſienſis initium 23. c. 1. m.

Cono can. Reg. & poſtmodùm Cardinalis ac Epiſcopus Prænestinus Pontificatum recuſat ab humilitatis meritum. II. 22. c. 1. ſeq.

Conradus ſecundus Imperator fundat monaſterium Grauhoffenſe. II. p. 425. c. 1. p.

Conradus Archiepiſcopus Salisb. Canonicum S. Auguſtini inſtitutum in ſuam cathedralem inducit. II. 368. c. 2. p. *Beneficus in Voravienſe Collegium.* II. 786.

Conradus de Leslavia Propoſitus Bratislaviæ ad arenam an ex coquo factus? II. 819. C. 1. m.

Conradus (Ven.) Waldſeenſis Præpoſiti cor-

pus prodigioſè reperitur. II. 666. C. 1. m. laudatur ib.

Conradus Froberle, vid. *Fröberle.*

Conſtantinus Cajetanus Benedictinus notatur. II. 698. C. 2. p.

- - *Egregius fabulator.* II. 7. c. 2. p. & deinceps.

- - *ab ipſis Bollandiſtis præclarè depingitur.* Ib.

- - *potiſſimarum ſimultatum ac diſcordiarum Coriphæus.* Ib.

Cornelius Bartholomæi inſignis Scriptor, & Vindex Canonici Ordinis, Quercetani in Belgio Collegii Canonicus Regularis. II. 213. C. 1. m.

Cornelius Sconhovianus (Ven.) Can. Reg. Hemmenſis à Calviniſtis Martyriô afficitur. II. 183. C. 2. p.

Conſtitutiones monaſteriorum diverſæ non inducunt diſcrimen inſtituti. I. 419. C. 2. p.

Critica ſeu criſis moderata laudanda, nimis cenſoria execranda. I. 65. C. 2. m.

Corporis Chriſti feſtum primò celebratur ſolemni pompa in Præpoſitura S. Martini Can. Reg. annô 1247. II. 347. C. 1. m.

Corpus Chriſti è ſtomacho ejectum & in forma pueruli comparens occaſionem præbet fundando monaſterio Can. Reg. SS. Corporis Chriſti Coloniæ. II. 552. C. 2. p.

Crucis inſignis particula prodigioſè inventa in quodam Can. Reg. Voravien prædio exſtruendæ Eccleſiæ occaſionem præbet. II. 792. C. 1. f.

Cucullas affectantes Sæculô Nonô portare Canonici arcentur à Concilio Aquisgr. I. 157. C. 2. f.

Cura animarum non adverſatur regularitas. I. 351. C. 1. *Nec profeſſio religioſa.* 355. C. 1. m.

- - *Canonicis Regularibus ex ſui inſtituti ratione & fine convenit.* Ib. C. 2.

- - *Nonnunquam eisdem injurioſè ab Epiſcopis ablata, at ſemper iterum adjudicata.* I. 318. C. 1. ſeq. per tot.

Cuſtodia clauſtralis, ac ſilentium Clericis à S. Auguſtino præſcripta. I. 144. C. 2.

- - *à S. Cæſario pariter in ſuam Cathedralem inducta.* Ib.

Cyprianus (S.) uſus veſte linea. I. 154. C. 1. p.

- - *Clericalem votivam vitam reſtaurat.* I. 59. C. 2. p.

D.

Dalmatica proprius habitus Clericorum. I. 153. C. 2. p.

Decani Nomen apud Veteres votivos Canonicos uſitatum. I. 199. C. 1. p.

- - *unde ſuam originem ducat, & quando apud Canonicos in uſu eſſe cœpit?* I. 204. C. 1 m.

Diadematis Auſtriaci ſeu Pilei Archiducalis cuſtos Reverendiſſimus Dominus Præſul Clauſtroneoburg. II, 752. C. 1. p.

Differentia unius inſtituti Regularis ab altero fundatur in doctrina diſcriminandi unum totum morale *ab altero, qua neglecta non eſt poſſibile prudenti & diſcreto judicio deprehendendi diſcrimen inter inſtituta hominum qualiacúnque, adeoq; nec inter religioſa.* I. 130. per tot.

- - *Non ſumitur ex ſubſtantialibus, ſed accidentalibus religionis.* I. 114. C. 2. f.

- - *difficulter cognoſcitur inter genuinos Clericos, & Monachos curam animarum exercentes.* I. 119. C. 2. per tot.

- - *qualis inter clerum votivum & alterum ſine expropriatione viventem.* I. 44. C. 2. p.

- - *non poteſt mox argui ob quasdam partes in toto morali mutatas.* I. 37. ſeq.

Dionyſius Samarthanus S. Benedicti Monachus notatur. II. 663. C. 1. m.

Diſciplina regularis injuriâ hominum ſæcularium plurimùm labefactatur. I. 96. C. 2. m.

Diſciplinæ corporales apud Cathedrales Canonicos Remenſes ſæculo 9. in uſu fuêre. I. 149. C. 1. p.

Diſciplinæ rigor in aliquo monaſterio non immutat ſpeciem Ordinis. I. 419. C. 2. m.

Diſciplina celebris & rigida Can. Reg. congreg. Vallis Scholarium. II. 94. C. 2. p. & 97. C. 1. per tot.

- - *Canonicorum Hierevallenſium.* II. 110. C. 2. f.

- - *Windeſemenſium.* II. 156. C. 2. p. & 138. C. 2. f.

Dominii plena abrogatio per votum paupertatis

Digitized by Google

tatis, aut uſûs rerum diverſitas, aut nova forma vivendi ſpeciem infimam religioſi cujusdam inſtituti non immutat. I. 303. C. 2. f.

E.

Eberhardus I. Archiepiſcopus Salisburg. inſignis Benefactor & veluti alter Fundator Voravienſis Collegii Can. Reg. II. 786. C. 1. f.

Eboracenſis in Anglia Cathedralis ab Egberto Epiſcopo Regularis efficitur. I. 92. C. 2. p.

- - *ab eodem ad Auguſtinianam normam inſtituitur.* Ib.

Egino Lundenſem Cathedralem Can. Reg. inſtituit. II. 476. C. 1. p.

- - *primus Danis & Suecis Evangelium prædicat, & Scarenſem, aliásque Eccleſias erigit.* II. 511. C. 2. f.

- - *apud Dalbojam Præpoſituram Can. Reg. conſtruit.* II. 399. C. 1. p.

Epiphanius (S.) in ſua ſede Epiſcopali non monachos, ſed clericos inſtituit. I. 146. C. 1. ſeq.

Epiſcopatui admovendi, qui claro genere & opulenti ſunt, non ut opulenti fiant. Ex S. Chryſoſtomo. I. 44. C. 1. p.

Epiſcopi in monachos invehuntur temerè ſe in clericorum munia ingerentes. I. 142. C. 2. m.

Epochæ Ord. Can. Reg. præcipuæ enumerantur. I. 140. C. 1. ſeq. *malè à quibusdam aſſertæ tanquam inſtituti originariæ ut S. Auguſtini, Chrodogangi, Ivonis, rejiciuntur & refutantur.* 241. ſeq.

Epomidis ab Almutia diſcrimen. I. 432. C. 2. m.

Equitum quorumdam Religioſorum, ut Hoſpitalariorum & Teutonicorum differentia à Can. Reg. S. Sepulchri. II. 193. C. 1. p. tot.

Erneſtus (B.) Archiepiſcopus Pragenſis inſignis amator & propagator Canonicorum Regularium. II. 796. C. 2. p. & 806. C. 1. ſeq.

Erneſtus ab Harroch Archiepiſcopus Pragenſis Carlovienſe collegium reſtituit, primósque ibi canonicos ipſe imbuit & ad vitam religioſam inſigniter inſtituit. II. 802. C. 2. p.

Eremitæ cur Auguſtiniani dicti vel Ord. S. Auguſtini. I. 413. C. 1. p. ſeq.

Eraſmi Roterodami ſententia clericos ſub S. Auguſtino non voviſſe damnatur ab Univerſitate Pariſienſi, velut ſcandaloſa. I. 61. C. 1. f.

Eſſeni erant ſelectiores ex gente Judæorum non ſolùm ad fidem veram converſi, ſed & veri clerici religioſi. I. 152. C. 2. per tot. & 222. C. 1.

Eugenius Papa II. decernit clauſtra Canonicorum Regularium Sæculo nono. I. 72. C. 2. f.

Euſebius (S.) Sæculo quarto clericalis votivæ cultor & propagator. I. 60. C. 2. f.

- - *non Monacho-Clericos ſed votivos eósque genuinos inſtituit in ſua Vercellenſi Eccleſia.* I. 143. C. 2. & II. 160. C. 1. f.

- - *à D. Ambroſio monachos non clericos intellectos fuiſſe malè quidam augurantur ex ejus genuino ſermone.* I. 117. C. 2. m. & 90. C. 1. m.

F.

Felix Nolanus (S.) Sæculo tertio indubitatè clericus votivus fuit. I. 59. C. 2. f.

Fidelibus primis quis in communi vivendi modus? I. 50. C. 1. ſeq.

Flameum Agnetis conjugis S. Leopoldi an cauſam fundando clauſtro-Neoburgenſi collegio ſuppeditaverit. II. 751. C. 1. per totum.

Florianenſe collegium in Auſtria ſubmittit primam coloniam in neo-conſtitutum pro Canonicis Regularibus collegium Weltenburgenſe in Bavaria. II. 745. C. 1. f.

Firmini (S.) Martyris & Epiſcopi Ambianenſis corpus Sacrum cauſam dat litigandi inter cathedrales Ambianenſes & Can. Reg. SS. Acei & Acheoli, ubi requieſcat. II. 2. C. 2. per tot.

- - *operâ fundatur Ambianenſis cathedralis pro clericis votivis.* II. 13. C. 2. p.

Folmari Præpoſiti Petræ Stillantis lapſus. II. 676. C. 1. m. ſeq.

Foreriana congregationis Origo & propagatio V. congregatio & Petrus Forerius.

Franconia laudatur. II. 672.

Fratrum nomine etiam canonici veniunt. II. 491. C. 1. p.

Fratrum nomen Canonicis ſæpiſſimè attributum, absque eo, quòd inter monachos haberentur. I. 211. C. 1. f. ſeq.

Franciſcus Petri Can. Reg. Wettenhuſanus explicatur. II. 670. C. 1. m.

Frendesvvegenſium Can. Reg. pietas, & B. V. in eosdem præcipuus amor. II. 328. per tot.

Fridericus de Blankenheim Epiſcopus Trajectenſis verus amator Canonicorum Regularium. II. 4. 2. p.

Fridericus Barbaroſſa Imp. in Canonicos Regulares pius & Beneficus. II. 682. C. 1. p. & 665. C. 2. m.

Fridericus (S.) Ultrajectenſis Epiſcopus Can. Reg. glorioſus pro Chriſto Martyr. II. 177. C. 1. f. ſeq. item I. 106. C. 1. f.

Fridislavienſem Can. Reg. Eccleſiam Saxo quidam combuſturus morte punitur. II. 568. C. 1. f.

Fridolinus (S.) inſtituit Seckingenſem Can. Reg. Parthenonem. II. 662. C. 2. p.

- - *non fuit monachus,* Ib.

Frigdiani (S.) Lucenſis Congreg. inſtitutio. I. 422. C. 2. f.

Froherle Conradus (Vener.) Can. Reg. Bodecenſis vitæ ſanctitate inſignis à B. V. miro prodigio ſanitati reſtituitur. II. 580. C. 2. f.

Friſingenſis Cath. jam anno 995. incolebatur à Canonicis Regularibus. I. 253. C. 1. p.

Fulbertus miraculo commotus fundat Canonicis Regularibus Cameraci Eccleſiam S. Vindiciani cum adjecto monaſterio. II. 185. C. 2. p.

Fundationes Can. Reg. ut plurimùm parciores quàm monachorum. II. 747. C. 1. p.

G.

GRraduum paubertatis diverſitas præcipuè attendenda judicium ferre volenti de aliquo prioris ævi, an religioſus an ſæcularis Clericus vel Canonicus fuerit. I. 47. C. 1. p. & 48. C. 1. m.

Galli (S.) monaſterium Monachos cum Canonicis habuit. I. 192. C. 2. p.

Galterus Megalonenſis Epiſcopus ex Can. Reg. D. Norbertum incuſat, quod inſtituto Canonico jungat officii divini recitandi ritum monaſticum. I. 149. C. 2. p.

Gardolphus Halberſtadenſis Epiſcopus in Præpoſitura Kaltenbornenſi Can. Reg. educatus in eodemq; ſæpiſſimè ſpirituali otio vacans demum cor ſuum ibidem Vir piiſſimæ vitæ condi curat. II. 469. C. 2. f.

Gaudentius (S.) Epiſcopus Novarienſis Canonicus ſeu clericus votivus. I. 86. C. 2. m.

Gaſparus (Ven.) Can. Reg. Hemmenſis pro fide Martyr occumbit. II. 183. C. 2. p.

Gelaſius (S.) Papa. Sæculo V. Clericos ſuos juxta Auguſtinianam regulam viventes habet. I. 62. C. 2. p.

Georgii (S.) M. brachium in Eccleſia Baralenſi can. Reg. II. 33. C. 1. p.

Georgii de Alga congreg. can. Reg. inſtitutio. I. 423. C. 1. p.

Genovefæ (S.) can. Reg. Congregat. inſtitutio. I. 423. C. 1. m.

Genulphus (S.) primus ſæculo III. Cadurci vitam communem clericorum inſtituit. I. 52. C. 1. p.

Gerardus delft (Ven.) Vir tantæ devotionis, ut ſupra celebrantis caput globus igneus comparere viſus ſit. II. 162. C. 1. p.

Gerardi M. (Ven.) æſtimatio inſignis canonici inſtituti, cujus conſilio Archiprioratus Windeſemenſis exordium cœpit. II. 152. C. 1. m.

Gerhohus (Ven.) Reicherſpergenſis Præpoſitus laudatur. II. 737. C. 2. f. ſeq.

Gerlindis Virgo Canonica gallum vulpe ablatum invocato S. Rumoldo incolumem recipit. II. 43. C. 1. p.

Gerlacus (B.) Eremita à monachis ejus curam prætendentibus abſolutus canonicis Regularibus Abbatiæ Rhodenſis, ut ipſe flagitaverat, committitur. II. 367. & ſeq.

Germana & Proba (SS. V. M.) reliquiæ in monaſterio Henniacenſi can. Reg. conditæ honorantur. II. 104. C. 2. p.

Gertrudianus Can. Reg. Abbas perpetuus Lovanienſis Academiæ Privilegiorum conſervator. II. 100. C. 2. f.

Gilbertus (S.) Can. Reg. guttur prius ſuum ſecandum obtulit, quàm vel apicem ſui inſtituti violari admitteret. II. 388. C. 1. m.

Giſlebertus can. Reg. S. Germani Præpoſitus & Cancellarius Balduini Imper. celeberrimus

mus Scriptor Chronici Hannoniæ. II. 43. C. 1. m.

Germanus (S.) Antiſsiodorenſis Clericus, non monachus fuit. I. 156. C. 2. p.

Gocelinus & Lubricus can. Reg. partes S. Gregorii 7. legitimi Pontificis adversùs Schismaticos inſigni conſtantia tuentur. II. 279. C. 1. m.

Godo (S.) montis Falconis Abbas can. Reg. II. 93. C. 2. p.

Gorcomienſium Martyrum inter quos B. Joannes Oſtervvicanus Can. Reg hiſtoria deſcribitur. II. 72. C. 2. ſeq.

Gorcomienſis Anonymus Can. Reg. martyrium pro fide crudele ſubit. II. 72. C. 2. f.

Gramaii (J. B.) ſcriptoris Antiquitatum Belgicarum in Tenkendorffenſi Præpoſito lapſus notatur. II. 41. C. 2. p.

Gregorius (S.) Magnus clericos ad vitam communem in Patriarchio ſuo componit. I. 69. C. 2. f.

- - *cum monachis jungit obſervata tamen diſpari profeſſione.* ib.

- - *non in Patriarchio, ſed in Eccleſia S. Pancratii monachos conſtituit.* I. 70. C. 1. f.

- - *ſtrictè obſervari vult monachorum inſtitutum, nè ſe cleri curis implicent.* I. 75. C. 1. m.

- *vetuit, monachos, qui curæ animarum præeſſent, in presbyteros ordinari.* I. 76. C. 2. ſeq.

- - *ſecum Romæ clericos habuit.* I. 59. C. 1. p.

Gregorius (S.) Thaumaturgus ſæculo tertio votivus clericus. I. 59. C. 2. f.

Gregorius Trajectenſis (S.) Canonicus Regularis. II. 177. C. 1. m.

Grueber Rupertus canon. Regul. Garſenſis ſcriptor inſignis, & de labore noſtro optimè meritus. II. 702. C. 1. p.

Guillelmus de Roggendorff Viennam ab inſultibus turcarum, & multa millia Chriſtianorum à jugo Maurorum liberans laudatur. II. 215. C. 2. m.

Giſele (Ven.) Stubenſis Parthenonis can. Reg. Præpoſita inſignis probitas. II. 600. C. 2. f.

H.

Habitus monachum non facit, ſed oſtendit. I. 151. C. 1. m.

Habitu differebant primis Sæculis Religioſi & ſæculares. I. 151. C. 2. m.

Habitum monachilem indiſcretè affectantes clerici reprehenduntur à Cæleſtino Papa. I. 155. C. 1. & 2. & pag. ſeq.

Hager Chryſoſt. Decanus Garſenſis inſignis ſcriptor. II. 701. C. 2.

Hamaburgenſes Virgines ſub S. Odilia non monachæ, ſed Canonicæ. I. 376. C. 2. & 378. per tot.

Hartmanus Præpoſit. Clauſtroneob. fit Epiſc. Brixin. II. 751. C. 2.

Hartesbacenſes Canonici primitus in Goslarienſe monſterium ab Henrico III. Imper. vocati II. 422. C. 1. p.

Haſta linea Canonicorum quid? I. 431. C. 1. p.

Hathamuda (Ven.) prima Virg. Gandersheimenſium Abbatiſſa ſanctitate Conſpicua. II. 419. C. 1. p.

Heldemarus & Rogerus prima abbatiæ Aroaſienſis fundamenta jacentes à ſanctitatis ſimulatore quodam clerico crudeliter occiduntur. II. 22. C. 1. p.

Henrici Magiſtri Pariſienſis ſub humilitatis Studio ſcientiam ſuam premens laicum apud Windeſemenſes fratrem agens ab Energumena proditur. II. 329. C. 2. f.

Henricus Van dem Stalle reformator eximius cœnobii Dalheim. II. 366. C. 1. p.

Henricus Præpoſitus Weyerenſis laudatur. II. 744. C. 2. f.

Henricus Leo Razeburgenſem Can. Reg. Eccleſiam dignitate Epiſcopali condecorat. II. 509. c. 2. f.

Henricus Henrici Ducis filius fit Canonicus Regularis Divione ad S. Stephanum. II. 234. c. 1. f.

Hermanus (Vener.) Van ter Steere Can. Reg. V. Bodecenſis monaſterii Prior ſanctitate conſpicuus. II. 61. c. 2. f.

Henſchenius (S. J.) non bene arguit Eccleſiam SS. Acei & Acheoli ex Prioratu in Abbatiam per Theodoricum Epiſcopum fuiſſe mutatam. II. 2. c. 2. f.

 Her-

Hercula (B.) Bernriedenſis laudatur. II. 691. c. 1. p.
Hilarius (S.) Arelatens: Auguſtinianam diſciplinam in Gallia promovet. I. 66. c. 1. ſeq.
- - *in Lerinenſi ſuo Cœnobio monachos reliquit, in Cathedrali Canonicam vitam in clero reformat.* I. 145. c. 1. m.
Hildesheimenſis ſub S. Godehardo Regularis. I. 109. c. 1. f. ſeq.
Hiſpania vitæ votivo-Canonicæ propagationem curat. I. 68. c. 2. ſeq.
Hieronymus (S.) Vita Votivo-Clericalis promotor & Vindex. I. 60. c. 2. f.
Honorius Tertius Victorinam inſtitutionem in Virginibus Canonicis S. Nicolai de Ditiaco tuetur, eisq; liberam electionem decernit. II. 35. c. 1. f.
Hoſpitalia Leproſorum ſæculo XIII. copiosè conſtructa, & Canonicis Regularibus commiſſa. II. 204. c. 1. f.
Hrosvvita Abbatiſſa Parthenonis Gandersheimenſis aliquot ſcriptis Clara. II. 419. c. 1. p.
Hugo de Foliaco Can. Reg. Author libri de clauſtro animæ. II. 125. c. 1. m.
Hugo de Oiſii multum affectus Canonicis Regularibus Cantipratenſibus. II. 49. c. 2. p.
Hugo Metellus Monachum Benedictinum de Sacramento Euchariſtiæ malè ſentientem reducit. II. 275. c. 2. m. ejus laus. ibid. & 276.
Humbertus Archiepiſcopus Veſontion. abdicato Archiepiſcopatu ſit Can. Reg. in Abbatia S. Pauli Veſontion. II. 204. c. 1. f.
Humbertus Trajectens Clericus Vot. I. 87. c. 2. f.

I.

Jacobus (B.) de Vitriaco ex Can. Reg. Oigniacenſi ſit Epiſcopus Acconenſis & per totam Syriam Legatus Apoſt. S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus ſanctitate & ſcriptis clariſſimus? 201. c. 1. p. ſep.
Jacobus (Vener.) Can. Reg. Hemmenſis Martyrio coronatur. II. 183. c. 2. p.
Jacobus Roſolenz Præpoſitus Stainzenſis ſcriptis adversùs Hæreſim Lutheranam clariſſimus. II. 785. c. 1. p.
Incluſionem ad modum Carthuſianorum rigidioris diſciplinæ conſervandæ cauſa nonnulla Canonicorum Regularium monaſteria recipiunt? II. 159. c. 1. p. ſcq.
Inſtitutum. Vide ſingularitas.
Invidia quorumdam in communicandis ſuis documentis notatur. II. 672. c. 2. f. & 685. c. 2. p.
Joannes Nepomuc. (S.) cujus inſtituti fuerit? perquiritur. II. 799. c. 2. m.
Joanna de Louvrais (Vener.) Virgo Canonica in monaſterio Nomenienſi ſanctitate celebris. II. 311. c. 1. p.
Joannes (S.) ex Canon. Regul. montis S. Eligii Epiſcopus Morinenſis. II. 63. c. 1. m. & 171. c. 2. f. & 187. c. 1. p.
Joannes (B.) Abbas Cantipratenſis à Thoma Cantipratano mirè laudatus. II. 49. C. 1. m.
Joannes Robat Abbas Choquenſis Orator inſiquis, Arteſiæ Legatus ad Regem Galliæ. II. 63. C. 2. m.
Joannes Hoybergius Chronicon Chorſendonkanum Can. Reg. ipſe ibidem Abbas notis doctiſſimis illuſtrat. II. 68. C. 1. p.
Joannes Latomus Can. Reg. Chorſendon. Chronicon egregium conficit. ib.
Joannes Kempis (Vener.) maximis virtutibus floret. II. 162. C. 1. f.
Joannes Rusbrochius (Vener.) ſanctitate & ſcriptis inclytus, Doctor exſtaticus. II. 247. C. 1. & 2.
Joannes Franciscus Præpoſitus ad Arenam Bratislaviæ laudatur. II. 812. C. 1. f.
Joannis de Vitriaco Can. Reg. Aroaſienſis laus. II. 23. C. 1. f.
Joannes de Bellinis Can. Reg. & Abbas Aroaſienſis Orator coram Alexandro Tertio in Concilio Later. inſigni præconio ornatur à toto Patrum Conſeſſu. II. 24. C. 1. m.
Joannes Naeltevick Prior Can. Reg. Windeſem. in Brevort. diſciplinæ Regularis æmulator eximius. II. 45. C. 2 m.
Joannes à Brück Can. Reg. S. Sepulchri Congreg. Generalis, Vir incomparabilis. II. 192. C. 2. f.

Joan-

Joannes de Nivella (B.) Can. Reg. oigniacenſis miraculis clarus. p. 201. ſeq.

Joannes Guillemanus Can. Reg. rubeæ Vallis ſcriptor eximius. II. 217. C. 2. f.

Joannes de Leevvs (B.) & inter divos computatus ob ſuarum virtutum præſtantiam, Can. Reg. Viridis Vallis. II. 248. C. 2. p.

Joannes Bedellius Biographus B. Petri Forererii Canonicus Reg. Muſſipontanus. II. 279. C. 1. p.

Joannes Tylichius S. Mauritii Præpoſitus ſcriptor Chronici Miſſnenſis & Lector Studii Lipſienſis. II. 488. C. 2. p.

Joannes Reicherus Præpoſitus ad S. Georgium Auguſtæ laudatur. II. 649. C. 2. m.

Joannis Aichinger Præpoſiti Bernriedenſis mira & dira fata. II. 691. C. 2. m.

Joannis (B.) Oſtervvicani Mart. Synopſis vitæ. II. 34. C. 2. ſeq.

Jorichius Thomas Decanus Seccovienſis inſiquis ſcriptor. II. 784. C. 1. p.

Joſephus Præpoſitus ad D. Dorotheam Viennæ laudatur. II. 757. C. 1. p.

Juramentum apud Clericos antiquos idem, ac votum. I. 219. C. 2. m.

Iſidorus (S.) Seviliæ pro Clericis monaſterium inſtruit. I. 232. C. 1. f.

K.

KEtillo Can. Reg. Cathed. Wiburgenſis Vir inſignis. II. 519. C. 2. f.

Kham Corbiniani Ord. S. Benedicti de Canonicis Regularibus protruſus & à ſummâ ſede confixus Prodromus Vellicatur. II. 624. *& ſæpius alibi in utróque Volumine.*

Kilianus (S.) Canonicæ vitæ Profeſſor & implantator in cathed. Herbipol. II. 678. C. 1. f.

Khuen Michaël Decanus Wengenſis laudatur. II. 667. C. 2. p.

L.

LAmbertus ex Can. Reg Sonuebekano fit Epiſcopus Noviomenſis, & Tornacenſis Vir ab omni virtute & doctrina celebris. II. 230. C. 1. f.

Lanea veſtis propria monachorum. I. 158. C. 2. f.

Lateranenſis Eccleſia dudum Canonicis Regularibus adſcripta. I 62. C. 2. p.

Lateranenſes inter & monachos Caſſinenſes de præcedentia cauſa ſolummodò ideo Lateranenſibus Pontificio oraculo aſſerta eſt, quòd his clericatum eſſentialiter proprium agnoſcerent. I. 288. C. 2. f.

Lateranenſem Eccleſiam nunquam monachi incoluêre. I. 72. C. 1. per tot.

Lateranenſis Congregationis inſtitutio. I. 422. G. 2. m.

Lateranenſis Eccleſiæ reformatio per Canonicas Regulares S. Frigdiani. I. 424. C. 2. m.

Laureacenſis Eccleſiæ Origo. I. 57. C. 1. p.

- - *ſaltem à ſæculo III. Cathedralis extitit.* II. 771. C. 1. p.

Launomarus (S.) Abbas Carnutenſis & Canonicus Regularis. I. 88. C. 2. m.

Laurentius (S.) Dublinenſis ex Can. Reg. Archiepiſcopus Aroaſienſes Canonicos in ſua Cathedrali collocat. II. 24. C. 1. p.

Laurentii de plebe Martyrum Congregat. Can. Reg. Inſtitutio. I. 423. C. 1. m.

Lazarus (S.) Mediolanenſis Epiſc. in ſuam Cathedralem ſæculo V. inducit Clericos votivos. I. 62. C. 1. f.

Lefricus Exonienſis Epiſc. Canonicos ſuos ad vitam regularem reducit. I. 96. C. 2. p.

Lemovicenſis Eccleſia à Turpione Epiſcopo in Canonicis ſuis ſine proprietate degentibus ad clauſtralem diſciplinam inſtituitur. I. 107. C. 1. f.

Lendrada (S.) mira viſione inducta fundat Münſterbilſienſe Can. Reg. Cœnobium. II. 357. C. 1. p.

Leodienſis cathed. à Notgero Epiſcopo reformatur ad regularitatem. I. 107. C. 1. f.

- - *diſciplina vivendi ſæculo XI. juxta regulam Aquisgranenſem.* I. 148. C. 1. m.

Leonardus Keütſchacher ex Can. Reg. Oberndorffenſi fit Archiepiſcopus Saliſb. II. 758. C. 1. f.

Leonardus Præpoſitus Voravienſis multis titulis inſignis II. 790. C. 1. f.

Lethardus (S.) ante S. Auguſtinum Cantuarienſem in Anglia ad Eccleſiam S. Martini

tini Clericos Regulares conſtituit. I. 73. C. 1. m.

Liberia (S.) Corpus requieſcit in Collegio Can. Reg. S. Leonis Tulli, ibique præcipuo honore colitur. II. p. 272. C. 1. p.

Linea veſtis prohibita ad uſum communem Canonicis ſæcularibus. I. 163. C. 1. ſeq.

Linea veſtis à Canonicis Regularibus ſemper retenta. I. 409. C. 1. p.

- - *propria & diſcretiva eſt canonicorum Regularium ab omnibus aliis religioſis.* I. 428. C. 1. per tot. & 153. C. 2. p. ſeq. & 160. C. 2. p.

- - *Quid eadem denotet.* ib.

- - *ejus antiquitus forma & varia nomina.* I. 429. C. 1. ſeq. 153. C. 2. & 158. C. 2.

- - *Uſi ſunt hâc ipſi Apoſtoli.* 157. C. 1. & 2. etiam S. Auguſtinus. 158.

- - *non obſtat, hac veſte ſæculis recentioribus, uſos quandóque fuiſſe Clericos ſæculares.* I. 162. C. 1. m.

Loenſis Monaſterii Can. Reg. Abbas eſt perpetuus Comes Loënſis. 129. C. 2. m.

Lovanienſis Etuarcha. in Bankenſi. Virg Canicarum Monaſterio ſuum juramentum deponit. II. 23. C. 2. m.

Litteras ſcribendas quo ſenſu S. Auguſtinus probibeat in ſua regula. I. 373. C. 1. & ſeq.

Lubecca Urbs à S. Vicelino ad fidem Convertitur. II. 474. C. 1. p. vide Vicelinus.

Lubricus vide Gozelinus.

Lubertus Haudschiltius Abbas Quercetanus Can. Reg. Doctrina, morúmque pietate præſtans & prophetico ſpiritu illuſtris à P. P. Concilii conſtantienſis mitra decoratur. II. p 213. C. 1. p.

Lucenſis S. Frigdiani Eccleſia Can. Reg. ab Alexandro II. obtinet. I. 251. C. 1. ſeq.

Ludenkerckenſis Cænobii quidam Canonicus apoſtatare conſtituens, viſô in manibus ſui Confratris celebrantis loco S. Hoſtiæ ſpecioſiſſimum puerulum elevari, pœnitentia motus reducitur. II. 173. C. 2. f.

Ludgerus (habitum monaſticum portans non tamen monachus, ſed verus votivus Canonicus fuit. II. 392. C. 2. f.

- - *Abbas Canonicorum, non Monachorum.* 356. C. 1. p.

- - *Monaſterienſem Eccleſiam Canonicis Regulariter victuris condit.* I. 97. C. 1. f.

M.

Mabilonii Joannis Ord. S. Benedicti monachi ſententia ex monachis relaxatis proſiliiſſe Canonicos reprimitur. I. 87. C. 1. m.

- - *vocabulo Servi Dei ſemper intelligendum monachum exploditur.* I. 89. C. 1. f.

- - *ſententia aſſerens in Eccleſia S. Arnulfi annô 585. exſtitiſſe monachos, qui ſimul fuêre Canonico-Clerici, rejicitur.* II. 10. C. 2. m.

- - *aſſertio Monachum non exſtruxiſſe niſi monaſterium monachorum refutatur.* II. 564. C. 2. p.

Magdeburgenſis S. Joannis fundata pro monachis cùm elevaretur in Cathedralem, emigrandum erat monachis, quòd his cathedrales concedi nequirent. II. 77. C. 2. item 146. C. 1. item II. 479. C. 2. p

Magenſe in Anglia monaſterium, quòd examen ibi collectum fuerit monachorum ſub Abbate Canonico, malè à Mabillionio decernitur fuiſſe Ord. S. Benedicti. I. 130. C. 2. f. & 131. C. 1. per tot.

Malabayla ſcriptor vitæ B. Landulphi refutatur. I. 120. C. 1. p.

Marci (S.) Congregatio Can. Reg. Mantuæ inſtitutio. I. 423. C. 1. m.

Manualis Labor etiam Clericis ſolitus. I. 382. C. 1. & 388. C. 2. p. ſeq.

Marius (S.) Aquilejenſi Eccleſiæ Clericos votivos attribuit. I. 56. C. 2. f. & 58. C. 1. p.

Machtildis filia Bonifacii Marchionis longobardiæ & Beatrix filia Friderici II. Ducis Lothar. benefica in monaſterium Petri montis Can. Reg. II. 280. C. 1. p.

Manna de cælo tempore S. Hieronymi cadens in Eccleſia Cathed. Atrebatenſi aſſervatum majore ſiccitate ingraveſcente expoſitum, ſalutares pluviæ conſequi ſolent. II. 28. C. 28. C. 2. f.

Maria Franciſca de Peyvvegh. (*Vener.*) *Congreg Dominæ noſtræ Can. Reg. Virg. Apoſtolicæ in fama ſanctitatis moritur.* II. 300. C. 2. f.
Maria (*S. Deigenitricis*) *Icon in Hansvvyckenſi can. Reg. monaſterio multis prodigiis claret.* II. 104. C. 2. m. *NB. ſimilia plura in diverſis Collegiis memorata reperies.*
Maria Oigniceuſis (*S.*) *can. Reg. incluſa vita ſanctitate mirabilis.* II. 202. C. 1. & 2.
Malachias (*S.*) *Aroaſienſium Canonicorum fama allectus, ferè omnia Collegia per Hyberniam ad eorum inſtituta reformat.* II. 24. C. 1. p.
Marquardus Can. Reg. Sereni Moutis vir inſignis virtutis, præficitur Luſenicenſi Eccleſiæ in Præpoſitum. II. 476. C. 2. f.
Margarita (*Ven.*) *fundatrix & profeſſa Luxenburgenſis Parthenonis Fovorianæ Congreg. dein in religione dicta Monica de Busbach. famâ ſanctitatis clara obiit.* II. 303. C. 1. m.
Manegoldus de Lutterbach can. Reg Lauterbacenſis Author Congregat. Marbacenſis. II. 575. C. 2. m.
Maſenius dicens in Valender Eremitas S. Auguſtini eſſe conſtitutos refutatur. II. 575. C. 2. m.
Marbacenſis Congregat. origo. II. 576. *&c.*
Martinus (*S.*) *falsè ab Evverbino Abbate Monacho Monachus aſſeritur &c.* II. 346. C. 1. p.
Martinus Lipſius Can. Reg. ad S. Martini Editor operum S.S. P.P. Auguſtini & Hilarii item aliorum &c. Vir inſignis litteraturæ. II. 173. C. 1. m.
Matricularii. Vide Canonici.
Mathildis Edelſtettenſis Canonica Regularis fuiſſe oſtenditur. II. 644. C. 1. m.
Metenſis Eccleſia votiva ſub Chrodegango V. Chrodegangus.
Melota Veſtis monachis propria. I. 434. C. 1. p.
Michel Auguſtinus Can. Reg. Undenſis in inſignis noſtræ ætatis ſcriptor. II. 744. C. 1. m.
Migetius (*S.*) *Epiſcopus Veſont. vide Veſontionenſis.*
Millo II. ex Abbate Ruſſevilienſi Can. Reg. Epiſcopus Morinenſis. II. 218. C. 2. p.
Miraculis non mox adſcribendas monaſteriorum fundationes, niſi ponderoſis argumentis innitantur. II. 681. C. 2. p.
Miraculum in floribus excreſceutibus, ubi Corpora SS. M.M. Gorcomienſium condita fuerant, deſcribitur. II. 74. C. 1. m.
Miſnenſis annô 971. Canonicis Regularibus fundatur. I. 253. c. 1. p.
Miræi ſententia de monachorum ſucceſſione in Alciacenſe Virg. anteà Canonicarum monaſterium rejicitur. II. 12. C. 2. f.
- - *nou ſuſtinetur: Abbatiam S. Benigui eſſe Canouicorum Reg.* II. 38. per tot.
- - *de fundatione Cantiprat: Abbatia refutatur.* II. 48. C. 1. m.
Monachi ab antiquo affectant Nomen, normam, & prærogativas Canonicorum. I. 47. c. m.
- - *S. Benedicti uon minùs, ac Canonici prioribus Sæculis diverſos obſervabant gradus paupertatis, ueque ideò iuter ſe diverſum ordinem conſtituebant.* I. 47. c. 1. ſeq.
- - *& Canonici quoad voces nonnunquam confundebantur apud veteres ſcriptores.* I. 56. c. 1. ſeq.
- - *inſtitutum ſuum ſeriùs, quàm Aſcetæ cœperunt, ſub quo nomine propriè veniebant Clerici votivi.* I. 58. C. 1. m.
- - *in Gallia ſæculo VI. pauciſſimi ſacerdotio initiabantur.* I. 74. c. 1. f.
- - *quin & ipſi ibidem pauci exſtiterant.* ib.
- - *& Clerici quo diſcrimine S. Auguſtino coopsrabantur?* I. 74. c. 2. m.
Monachorum nomine apud Bedam ſæpius intelligendi Votivi Clerici. I. 75. c. 2. f.
Monachi ad curam animarum aſſumpti adhuc ſæculo VI. renuntiabant monachatui. I. 77. c. 1. f.
Monachiſmus (*factâ per Siricium veniâ, ut monachi in ſacerdotes ordinarentur*) *uon continuò factus eſt ex eſſentia* (*ut nonnulli improvidè fabulantur*) *clericalis,*

alioquin tum monachismus ſecundùm principale inſtitutum ſuum periiſſet ; ſed obtentum eſt ſolùm, ut monachi aſſumerentur in Clerum, non verò, ut poſthac Monachismo ex inſtituto jungeretur clericatus &c. I. 115. c. 2 per tot.

Monachis non poteſt ex inſtituto ſuo convenire ut Clerici ſint, ſed per accidens poteſt fieri, ut monachus honoretur dignitate clericali, quemadmodùm id paſſim nunc videmus contingere. Vide etiam hac de re S. Bernardum. Ep. 89. & Serm. 64. in cant. n. 3. Epiſt. 365. n. 1. I. 116. per tot. & 121. c. 2. ſeq.

Monachi in presbyteros Cardinales aſſumpti veſte clericali induebantur, & propoſitum monachi in ſecreto cordis ſervabant. I. 117. c. 1. m.

- - *non audebant ſacerdotio inſigniti jura clericalia exercere extra ſepta ſui monaſterii.* I. 121. c. 1. p.

- - *duplicis generis ſunt attendendi Urbani & ſolitarii,* I. 122. c. 1.

- - *Urbani etiam Chriſtiani cenſebantur aliquantò modeſtiùs & religiosè magis ſe habentes.* I. 123. c. 1. ſeq.

- - *inter hos non malè cenſendus ante Presbyteratum S. Auguſtinus* I. 124. c. 2. m *huc quoque vocandi S. Chryſoſtomus, Gregorius Naz. Cæſarius Arelat. aliique plurimi.* Ib.

- - *tales multi ſæculares, fuêre ſæculis prioribus.* ib. & 125. per tot.

Monachorum urbanorum, & ſolitariorum, ſolida obſervatio plurima diſſolvit dubia in diſcernendis antiquis Clericis, ac monachis. I. 126. c. 2. f.

Monachi etſi clericatu inſigniti attamen diſcernebantur à Clericis. I. 128. c. 1. f. ſeq.

Monachorum & clericorum veterum incepta confuſio à nonnullis ſciolis excogitata, nè ſuccumbere cogantur votivam vitam adjudicantibus primitivo cætui Clericorum. I. 130. c. 1. p.

Monachos à Clericis juxtà D. Thomam ſolus finis particularis diſcernebat. I. 137. c. 1. m.

Monachismus ex inſtituto ſuo prætendit finem particularem vitæ purè contemplativa, per quod ſatis diſcernitur à clericali inſtituto. I. 140. c. 2.

Monachi Clericis ſuum finem particularem, nempe contemplationem referunt in acceptis. I. 143 c. 1. m.

Monachi veſtigium nullum erat tempore Apoſtolorum. I. ib.

Monachi ſæculares an, & qui dicti? I. 164. c. 2. f.

Monachi & Canonici diſcrimen ſeu notas diſcretivas Petrus Cellenſis monachus enarrat. I. 143. c. 2. ſeq.

Monachorum ſtatus magis alligatus eſt regulæ certa, quàm Canonicorum. I. 170. c. 2. per tot.

Monachorum integra monaſteria nonnunquam in Canonicorum mores tranſiêrunt. I. 193. c. 2. f. & ſeq. & 206. c. 1.

Monachi quomodo dicti Canonici? I. 194. c. 2. m. & 287. c. 1. & 289. c. 1. & 291.

Monachorum nomen quomodo attributum Canonicis? I. 211. c. 2. & 289. c. 2. & 291. c. 1. per tot.

Monachis ſæpe Clerici & Canonici in Abbates ſunt præpoſiti. I. 105. c. 2. p. ſeq.

Monachus eſt, qui cuculla, habitúque indutus monaſtico vivit Deo, legi, & Communitati, ubi monachus eſt. I. 222. C. 2. m.

Monachi nomen etiam notat religioſum qualemcúnque juxta jus Canonicum. I. 289. C. 1. m.

Monachi in Gallia ſæculo V. nullam certam regulam habuêre. I. 384. C. 1. p.

Monachorum Eccleſiam mulieres ingredi vetantur, usque ad ſæculum nonum, & ultra. I. 79. C. 1. m.

Monachi & Clerici juncta opera, diverſis licèt exercitiis proderant convertendis Anglis. I. 79. C. 2. f,

Monachi nomen olim quoque datum Clericis, quòd regulariter viverent. I. 80. C. 2. ſeq.

Monachi ante ſæculum IV. nulli fuêre. I. 87. C. 1. p.

Monachos rexiſſe olim Cathedrales Eccleſias non probandum, ex conjecturis vel obviis, & minùs ſolidis traditionibus, ſed ex natura inſtituti & ex Canoni-

nonum certiſſimis decretis. II. 720. C. 1. & 2.

Monachi convivunt Canonicis in eodem cœnobio. II. 268. C. 2. p. & 363. C. 1. p.

Monachi cluniacenſes convivunt Canonicis Regularibus in Præpoſitura S. Salvii. II. 224. C. 1. f.

Monachorum cœnobiis adjuncta fuêre cœnobia clericorum. II. 69. C. f. & 452. C. 2. m.

Monachi nomen, quo ſenſu conveniat Can. Regul? II. 161. C. 1. p.

Monachos S. Ben. diſtinqui penitùs à Can. Regularibus agnoſcit Albero Verdunenſis Epiſcopus. II 225. C. 1. f.

Monachos ſæculo X. nonniſi adjecto Monachi nomine dictos ſacerdotes contra Mabillonium oſtenditur. II. 251. C. 1. f.

Monachorum Eccleſias fœminis adire illicitum. II. 566. C. 1 p.

Monachorum, & Clericorum diſcrimen inſinuat S Bonifacius Moguntinus. II. 566. C. 2. p.

Monaſteriorum clericalium ante conſtantini tempora eadem erat cum ipſis conſtructio. I. 54. C. 2. p.

Monaſteria tam Canonicorum, quàm monachorum initio ſæculi decimi paſſim rectoribut ſuis deſtituta. I. 106. C. 2. f.

Monaſterium non ſolummodo ſignficat monachorum cellas, ſed, & clericorum Collegia. I. 222. C. 2. f.

Monaſteriorum utrúmque S. Auguſtini clericorum fuit non monachorum. I. 224. C. 2. m. & deinceps.

Monaſteria & Abbatiæ clericorum multa florent octavo ſæculo. I. 96. C. 1. f.

Monaſteriorum regularium in ſtatum ſæcularem mutatorum nullum emolumentum. II. 8. C. 2. m.

Monaſteria Canonicorum nonnunquam monachis erant ſubjecta. II. 113. C. 2. f.

Monaſterii nomen apud Veteres ſæpe ſumitur pro Eccleſia. II. 182. C. 2. p.

Monaſterium nomine non veniunt ſola monachorum Benedictinorum cœnobia. II. 450. C. 1. f.

Monaſteria; Conventus, cœnobia &c. jam olim canonicorum habitaculis attributa. II. 582. ſeq.

Monialibus ſeu Monachabus ſæculo VI. & VII. extra ſepta monaſterii exire vetitum erat. II. 132. C. 2. p.

Monialis Canonica Regularis reformationi reſiſtens divinitùs punitur, & ad eam aſſumendam compellitur. II. 482. C. 1. p.

Moniales tempore S. Auguſtini, jam ſua clauſtra habebant. I. 372. C. 1. & 379. C. 1. p.

Monica (S.) Corpus non eſt Romæ, ſed in Belgio. II. 24. & ſeq. per tot.

Mortarienſis S. Crucis Congreg. origo. I 423. C. 1. p.

Mozzetta quid? ejusq; varia nomina. I. 432. ſeq.

Muchitſch Petrus. Püllenſis Præpoſitus, præclarus Luthero-Maſtix, & Catholicæ fidei acerrimus propugnator ſcriptis clariſſimus. II. 777. C. 2. m.

N.

NEpotianus (S.) ſæculo IV. fuit Clericus votivus. I. 60. C. f. *tamen dictus monachus.* Ib. 80. C. 2. f.

Nicolaus Cuſanus dein Cardinalis fuit Canonicus S. Florini, & Decanus ibidem. II. 560. C. 1. m. & 562. C. 1. f.

Nicolaus Guinetus Congregat. Forer. primus Præpoſitus Generalis. II. 264. C. 2. p.

Nithardus Can. Reg. S. Mauritii eandem Præpoſituram mirâ ſagacitate erexit. II. 488. C. 2. p.

Nivellenſes Virgines ſub S. Gertrude erant votivæ Canonicæ. I. 376. C. 1. f.

Nivernenſis Eccleſia ad vitam canonico-votivam reformatur ab Hugone Epiſcopo. I. 251. C. 1. m.

Nomen Clerus *unde?* I. 184. C. 2. p.

- - *Canonici quando uſurpatum primitùs* I. 185. C. 1. p.

- - *non ſignificat ex origine ſua prabendatum &c.* ib.

Nomenclatura varia non immutat ſpeciem religioſi inſtituti. I. 184. C. 1. & 2.

Nomine ſervorum Deì falsè prætendit Mabillonius intelligendo ſemper eſſe monachos. I. 129. C. 1. m.

Nobilitas ſanquinis ſine virtute plus obeſt, quàm proſit monaſteriis. II. 682. C. 1. f.

Norbertus (S.) mulieri cæcæ viſum reſtituit. II. 677. C. 2. p. vide Præmonſtratenſes.

Notgerus Epiſcopus Leodienſis miro ſtratagemate caſtrum Caprimontenſe ſuæ Eccleſiæ infeſtum ſuæ poteſtati ſubegit ibique Collegium Can. Reg. conſtituit. II. 321. C. 2. m. & 324. C. 1. p.

- - *Vir Eximiæ virtutis.* II. 333. C. 2. f.

Notas diſcretivas quaſnam S. Thomas inter monachos, & Canonicos Regulares ſtatuat? I. 289. C. 1. f.

Novi-operis Præpoſitura plurimis donationibus aucta hæreticorum petulantia, & livore miſerè devaſtata, & exſtincta eſt. II. 496. per tot.

O.

ODilia (S.) Virgo canonica. I. 378. C. 2. f.

Odulphus (S.) Trajectenſis Can. Reg. optimis diſciplinis ſuum monaſterium informat. I. 106. C. 1. f.

Officia Clauſtralia ſolita fuère jam apud veteres Canonicos. I. 221. C. 1. p. ſeq.

Oratorium quid? I. 159. c. 1. p.

Ordinis, *hujus nominis Ethymalogia & diſcrimen.* I. 255. & 256. c. 2. f.

Obedientiarii Vox ſæculo XII. ſolis religioſis propria. I. 117. c. 2. p.

Obedientiæ excellentiſſimæ exemplar Virgines Canonicæ in Monaſterio Bronopienſi. II. 118. c. 2. p.

Ottacher ultimi ſtyriæ Marchionis corpus in Voravienſi collegio ſepultum. II. 792. c. 2. f.

Otto Friſingenſis Epiſcopus ex clauſtro-Neoburgenſi Præpoſito. II. 751. c. 2. m.

P.

PAchomius (S.) monachorum genuinus Patriarcha feralem dicit ambitum, ſi monachi, aut primi cupiant eſſe, aut clerici. I. 128. C. 1. p.

Paderbornens: Eccleſia ſæculi undecimi initio ſub S. Meinvverco fuit Regularis. I. 108. C. 2. f.

Parochiis regendis ſæculo VIII. arcebantur Monachi I. 78. c. m.

Parochiæ etsi incorporatæ monaſteriis monachorum, à Clericis, non monachis proviſæ. I. 146. c. 2. p.

Parochiarum regimen nullo novo jure ſed antiquiſſimo conceſſum Canonicis Regularibus. I. 331. c. 1. p.

Paſſavienſis Cathedralis haud ante medium ſæculum ſextum initium ſumpſit. II. 708. c. 1. p. ſeq.

Patritius (S.) Epiſcopus Hybernenſis inter clericos regulares cenſendus. II. 221. c. 2. f.

Paupertatis religioſæ quadruplex gradus, quorum quivis ſufficiens eſt ſtatui religioſo Ex Suario Tomo III. de ſtatu relig. l. 8. cap. 6. n. 7. *quem locum ſic reſtitue.* I. p. 30. c. 2. n. 5. & 305. c. 1.

Paupertas perfectiſſima in Apoſtolis & eorum clero. I. 43. c. 1. f.

Pauperatatis tertius gradus ad clerum inductis. I. 43. c. 2. m. ſeq.

- - *ſecundus gradus ſæculò VI. in uſu.* I. 44. c. 2. f.

Paupertatis quartus omnem viam ad remiſſionem induxit. ib. c. 1. m.

Paupertatis gradus tertius adhuc ſæculo XV. in quibuſdam can. Reg. monaſteriis in Germania ſolitus. II. 561. C. 1. m.

Paulus (S.) Verdunenſis Epiſc. clericos votivos inſtituit. I. 87. C. 2. f.

Paulus Bernriedenſis Præpoſitus celebris ſcriptor vitæ S. Gregorii ſeptimi. II. 691. C. 1. p.

Petri (S.) monaſterium Romæ à S. Leone conditum Clericorum erat. I. 63. C. 1. f.

Pennotus (Gabriel Abbas Later.) de regulari vita Avenionenſis Eccleſiæ ſæculo undecimo florente ſcribens notatur. I. 110. C. 1. f.

Petrus Impens Can. Reg. & Prior in Bethlehemitico monaſterio ſcriptor, ac auctor Chronici Bethlehemitici. II. 40. C. 2. p.

Petrus Foverius (B.) Can. Reg. Calmuſiatenſis author Congregat. S. Salvatoris laudatur, ejusq; vita cum beatificatione, & translatione ſui ſacri corporis deſcribitur. II. 258. per tot.

Petri

Petri (S.) monaſterium Salisburgi, clericos primitùs habuit ſub S. Ruperto. II. 709. C. 2. ſeq.

Philippus Säller (P. M.) vir integerrimus, & magna non ſolùm Doctrinâ, ſed et probitate Conſpicnus Can. Reg. Pollinganus laudatur. II. 685. C. 1. m.

Pierius (S.) ſaculo tertio clericus votivus. I. 59. C. 2. m.

Pileus quis can. Reg. in Epiſcopos promotorum. I. 441. C. 2. m.

Piperacenſis monaſterii inſtitutio obſervabilis I. 251. C. 1. m.

Pollinganus Præpoſitus gaudet peramplo Archidiaconatu. II. 730, C. 2. m.

Pontius (B.) can. Reg. & primus Abbas Sizenſis, cujus vita ſynopſis datur. II. 622. C. 1. ſeq.

Poſſidius (S.) teſtatur, plures de gremio S. Auguſtini ad alias Eccleſias promotos Auguſtinianam vivendi normam illuc introduxiſſe. I. 62. c. 1. p.

Portuenſis Congreg. *can. Reg. inſtitutio.* I. 423. p.

Præbendæ ipſis quoque monachis, canonicis verò Regularibus adhuc recentioribus temporibus ſine læſione paupertatis præſtabantur. I. 188. C. 1. ſeq. & II. 17. C. 2. per tot. & 92. C. 1. p. ſeq. & 200. C. 1. m. & 561. C. 1. f.

Prædicatorum (Ordo S. Dominici) an Ordo Canonicorum regularium, veluti nuperus quidam fabulator ſomniavit? I. 421. C. 1. p. ſeq.

Præcepto, non voto, primos Clericos conſilia Evangelica obſervâſſe, dum quidam fingunt, exploditur. I. 83. C. 1. p.

Pragenſis Eccleſia Cathedralis authore, ac Fundatore Wratislao primo Bohemiæ Rege habuit votivè viventes clericos. II. 251. C. 2.

Pragenſes Canonici Regulares Athenæum Pragæ inſtituunt pro inſtruendo præcipuè Clero, Summô totius Regni emolumentô. II. 797. C. 1. f. ſeq.

Præmonſtratenſes an ſpecie infima differant à Canonicis Regularibus S. Auguſtini? I. 282. C. 1. f. & 410. C. 1. f. & 417. C. 2. m. & II. 84. per totum.

Præpoſiti nomen, & res antiquitùs apud Canonicos Regulares uſum obtinuit. I. 198. C. 2. p.

- - *officium.* 202. C. 2. p.

- - *non à monachis ad Canonicos hoc nomen aut officium Fluxit.* ibid.

- - *nuncupatione quis intelligendus in regula S. Auguſtini.* I. 203. C. 1. m. & 365. C. 2. m.

Præpoſitura Can. Reg. eſt dignitas Eccleſiaſtica. I. 202. *neutiquam autem Præpoſitura monachorum.* ib. 203. C. 1. p

Præpoſiti Generalis congregationis Salvatoris noſtri Forerianæ quanta authoritas. II. 265. C. 2. f. eorum Catalogus. 266. C. 2. p.

Præpoſitus carlovienſis can. Reg. Pragæ Eleemoſynarius regius, & Archi abbas totius regni Bohemiæ decernitur à Carolo quarto Imperatore, utque inter Pragenſes cathed. ſtallum in choro habeat II. 803. C. 1. m.

Presbyterorum, & *Diaconorum nomine ſine addito, non monachi ſed clerici veniunt.* II. 46. C. 2. p.

Primatûs cauſa inter Clauſtro-Neoburgenſem, & Mellicenſem Abbates mota quô modô compoſita? II. 752. C. 1. m.

Prioris Nomen unde? & quô modô apud canonicos uſitatum. I. 204. C. 1. ſeq.

Prioratus (excepto clauſtrali) eſt dignitas Eccleſiaſtica. I. 204. C. 2 f ſeq.

Profeſſio Stabilitatis apud veteres canonicos. I. 219. C. 2. p. ſeq.

Profeſſionis apud canonicos variæ formulæ I. 305. c. 2. m. ſeq.

Proprietas paulò poſt Apoſtolorum tempora videtur ſaltem in Clericis nonnullis tolerata fuiſſe, ſi non omnino conceſſa. I. 38. c 2. f.

Protonotarii poſſunt fieri canonici regulares non monachi ſecundùm jura loquendo. I. 441. c. 2. p.

Purgatorium S. Patritii: quid de eo ſentiendum? II. 220. & ſeq.

R.

Radgundes (S.) Virgo canonica à S. Medardo in Diaconam conſecrata. I. 376. c. 1. f.

Ratisbonenſis cathed. Regulares primitùs clericos, non monachos habuit. II. 735. c. 2. p. ſeq.

Reformatio an ſemper novum Ordinem inducat? I. 281. c. 2. p. Quid ſit? ibid.

Reformatio Canonicorum ſæculo præcipuè

XI. ac deinceps facta, nihil ſubſtantiale immutavit in inſtituto. I. 284. *nihil quoque induxit de monachiſmo, quo Ordo hactenus Clericalis factus fuiſſet monachilis.* ib.

Regula ſtrictiùs accepta non requiritur ad conſtituendam alicujus inſtituti religioſi ſingularitatem. I. 168. c. 2. m.

Regula ad conſtituendum inſtitutum in particulari ſolùm inducta eſt jure Pontificio à tempore Concilii Lateranens: annò 1215. *celebrati.* I. 169. C. 2. f.

Regula non eſt, ſimpliciter loquendo, anima *ſtatûs religioſi.* I. 170. c. 1. m.

- - *hinc neutiquam requiritur etiam ad deſignandam aut conſtituendam ſpeciem infimam inſtituti. Votivo-Clericalis.* I. I. 170. ib. & 411. c. 1.

Regula vera, & genuina Votivorum Canonicorum erant Canones Eccleſiaſtici. I. 171. c. 2. m.

- - *nec ipſis monachorum inſtitutis conferebat ad ſtatuendum diſcrimen regula.* I. 173. C. 1. ſeq.

Regula diverſa, quibus olim Canonici Regulares veluti quibusdam ſolummodò conſtitutionibus regebantur? I. 173. & 174. ſeq.

Regula Aquisgranenſis concedebat propriis uti, & de iis teſtari, accedente nimirum Epiſcoporum per hanc ipſam, ut liquet, regulam, generali licentia, quod tamen adhuc quartum paupertatis gradum non excedebat. I. 180. C. 1. f.

- - *non admiſit plenam ſæcularitatem in Clero, ut quidam malè judicabant.* I. 181. c. 1. m.

- - *S. Auguſtini quoad rem vigebat ante ſæculum etiam undecimum apud Canonicos Regulares.* I 215. c. 2. p.

Regulam profiteri aliud eſt, quàm profiteri ſecundùm regulam. I. 215. c. 2. f.

Regulæ S. Auguſtini fit mentio pro Canonicis ante ſæculum nonum. I. 261. c. 1. p.

- - *Canonum inſtar multa ex ea excerpta habebantur.* ib.

- - *ſuſceptio, uti, & nomen canonicorum regularium aſſumptum nihil in ſpecie infima inſtituti ex antiquo immutare potuit.* I. 264. c. 1. ſeq.

- - *mentio, quæ fit ante ſæculum XIII. ſubſtantiam ſeu normam vivendi Auguſtinianam notat, non ipſam vulgatam regulam.* I. 266. c. 1. per tot. ſeq.

Regula S. Auguſtini quotuplex, & quænam genuina? I. 362. ſeq.

- - *genuina Viris non fœminis ſcripta eſt.* I. 362. c. 1. f. ſeq. prolixè.

- - *Viris* Clericis, *non monachis data.* I. 379. c. 2. m.

- - *Initio ſæculi Noni dudum viris ſcripta agnoſcebatur, & Clericis, non monachis.* I. 385. c. 1. p. ſeq. &c.

- - *medio ævo idem notabat, ac certam vivendi rationem ſecundùm normam à D. Auguſtino ſuis Clericis præſcriptam.* II. 120. c. 1. f.

- - *contra ejusdem vituperatores commendatur, & defenditur.* II. 764. c. 2. m.

Regula diverſitatem Ordinum ſpecificam non poteſt cauſare. II. 529. c. 2. m. & I. 136. c. 1. m. &c.

Regula S. Benedicti non niſi ſæculo decimo jubar ſuæ claritatis plurimis Germaniæ Eccleſiis teſte Vita S. Bercharii ſcriptore Anonymo eo tempore vivente infudit. II. 720. c. 2. ſeq. *Ignota tunc in Gallia.* I. 74. c. 2. p.

Regula qualis vivendi norma apud Canonicos Regulares. II. 732. c. 1. ſeq.

Regulam S. Iſidori quondam obſervavêre canonici Colonienſes. II. 60. c. 1. p.

Regula S. Chrodogangi ſeu Metenſis à Dacherio minùs ſincera edita. I. 93. c. 2. p. ſeq.

- - *genuina expropriationem diſertè commendat.* I. 94. c. 2. p. ſeq.

Regula Metenſis, & Aquisgranenſis multos ſibi ritus monaſticos aſſumpſerunt. I. 147. c. 2. p. & 148. c. 2. f. & 310. c. 2. f. ſeq.

Regulam nullam ad medium quinti ſæculi habebant monachi in Gallia. I. 384. c. 1. p.

Regularitas duo involvit, vitam votivam, & obſervantiam cujuscúnque demum accomodæ ad inſtitutum regulæ. I. 179. c. 1. p.

Religio ordinis S. Auguſtini, cur dicatur Ordo Canonicorum Regularium? I 112. C. 1. f. ſeq.

Reymundus ſeu Raymundus (S) etſi teſtamentum condiderit, fuit Canonicus regularis. I. 180. C. 2. ſeq.

Reicherſpergenſes Canonici diù regulares S. Auguſtini regulam tamen ignorantes Romam

mam ad eandem obtinendam petunt. - I. 267. C. 1. p. ſeq.
Reittenbuchenſes erant quoque S. Auguſtinè Canonici Regulares, aliam non habentes regulam niſi Aquiſgrenenſem ſeu excerpta P.P. ibid.
- - *Coloniam mittunt in novum Cœnobium novi operis in Saxonia.* II. 95. C. 1. f.
Religioſorum refractariorum ſeu diſciplinæ reformationem aſſumere renuentium gravès pœna à Deo immiſſa. II. 229. c. 1. p.
Remenſis Eccleſia diſciplinas Corporales indixit Canonicis delinquentibus. I. 149. C. 1. p.
- - *olim rigorem diſciplinæ regularis inſignem tenuit.* I. 147. C. 2. & ſeq. &c.
Reliquiæ S. Firmini. vide S. Firmini.
Rhembertus (S.) Bremenſis Epiſcopus habitu quidem monachus, profeſſione tamen Canonicus Regularis. II. 393. C. 1. m.
Rigobertus (S.) Remens. Epiſ. primus ſuis Canonicis ærarium commune inſtituit. I. 223. C. 2. m.
- - *in unam communitatem matricularios colligit.* II. 181. C. 1. f.
Riſtl Auguſtinus Can. Reg. Clauſtroneob: *laudatur.* II. 752. c. 1. p.
Rochettum quid? I. 431. C. 1. m.
- - *non licet eò indui Abbatem monachum.* ib.
Retomagi annô 543. *monaſterium fundatur pro clericis votivis.* I. 69. C. 2. p.
Rufi (S.) Eccleſia ſub Benedicto Avenion. Epiſc. regularem S. Auguſtini diſciplinam aſſumit. I. 109 C. 2. f.
- - *Congregationis inſtitutio.* I. 422. C. 2. f.
Rupertus (S.) Wormatienſis adhuc Epiſcopus Canonicos conjunctis Monachis habuit. II. 618. C. 1. & 2. Vide S. Petri Monaſterium.
Revius Hæreticus Chroniſta perſtringitur. II. 144. C. 2. m.

S.

SAcerdos ſecundi Ordinis quis intelligendus. II 565. C. 2. m.
- - *non intelligendus Abbas, ſed Præpoſitus vel Archipresbyter.* ib.
Sacramentorum adminiſtratio ſæculô XII. Monachis primùm conceſſa etiam in ſuis monaſteriis parochialem curam annexam habentibus inſtituto monaſtico v.g. S. Benedicti nihil immutavit. I. 142. C. 2. p.
Seculum octavum funeſtiſſimum tam clericis, quàm monachis in communi viventibus. I. 91. C. 1. p.
Säller vide Philippus.
Salisburgenſes Archi-Præſules à munificentia in religioſos laudantur. II. 747. C. 1. m. & 757. C. 2. p.
Salisburgenſis S. Ruperti Cathedralis. II. 739. C. 1. m.
Salisburgenſis Eccleſia ab origine Clericos non Monachos habuit. I. 129. C. 1. f.
Salisburgenſes Canonici à Conrado I. Archiepiſcopo reformantur ad vitam communem. I. 268. C. 2. f.
- - *ſocietatem ineunt cum pluribus aliis ſui inſtituti religioſis, qua tamen inducta ſæcularitate evanuit.* II. 741 C. 1. p.
- - *primam Coloniam ad novum Seccovienſe Collegium mittunt.* II 781. C. 2. f.
Salviani locus oſtendit clericos primè ævi fuiſſe votivos. I. 57 C. 2. m.
Salvatoris Congregationis inſtitutio. I. 403. C. 2. f. & 282. c. 2. f. ſeq.
Sanctimonialium nomine ſæculo X. monachæ, ſed Canonicæ Virgines dicebantur. II 555. C. 2. f. & 71. C. 1. p.
Sanctimoniales Clericales virgines ante ſæculum nonum exſtitiſſe oſtenditur. II 52. C. 1. m.
- - *hæ poterant etiam vivere ſub regula S. Benedicti quamvis non eſſent ordinis S. Benedicti.* II. 57. C. 2. p.
- - *non provenère ex relaxatione monachorum.* II. 53. C. 2. m. & 60. C. 2. m.
Sanguis Chriſti miraculoſus in Collegio Iſaacano can Reg. II. 123. C. 1 f.
Sclavonia quomodo diviſa, & quando ad fidem Chriſti converſa? II. 459. C. 1. &c.
Sebaſtiani (S.) telum in Grevenrodenſi Virginum Canonicarum Collegia. II. 569 C. 1. m.
Seccovienſe Collegium per Eberhardum Archiepiſcopum in Cathedrale elevatur. II. 783. C. 1. m.
Seccovienſes Canonicè primam Coloniam deducunt in Stäuzenſe Collegium. II. 784. C. 2. m. item in Voravienſe. 783. C. 1. m.
Sepulchri (S.) Canonici ſunt ejusdem ſpeciei cum Canonicis Regul. S. Auguſtini. II. 188. C. 1. m.
- - *poſſidebant quædam monaſteria in terra ſancta.* II. 192. C. 2. p. vide Canoni-

cl. *Servi Dei nomine non venit monachus, ſed quicúnque fideli.* I. 130.
C. 1. f.

Silentium de vita votiva Clericorum primi ævi non dat argumentum ad eandem negandam, alioquin idipſum dicendum foret de monachis. I. 83. C. 1. m. & ſeq.

Silentium regulare Clericis tempore S. Auguſtini præſcriptum. I. 144. c. 2. m.

Simpertus (S.) Epiſc. Auguſtod. can. Reg. II. 624. per tot.

Sindulphus (S.) Epiſc. Viennens. in Gallia inſtitutum votivo-Clericale ſæculo ſeptimo propagat. I. 82. c. 2. p.

Singularitas alicujus inſtituti firmatur partim in ejus fine ſpeciali, partim in mediis præfinitis ad finem. I. 114. c. 2. f. &c.

Soter (S.) Papa clericalis paupertatis propagator. I. 59. c. 2. m.

Sportulantes fratres erant de gremio communitatis clericalis. I. 53. c. 1. f.

Stanislaus (B.) Can. Reg. Caſimirienſis ſua ſancta vita, multisq́; prodigiis totam Poloniam illuſtrat. II. 803. c 2. f.

Statua lapidea B. V. inter glebas eruta cauſam præbet condendo can. Reg. monaſterio, multis poſteà prodigiis claro. II. 3. c. 1. f.

Staupitius monachus Eremit S. Auguſtini notatur. II. 692. c. 1. f.

Stephani Regula ſic dicta, ſcripta eſt Canonicis Metenſibus. II. 183. c. 2. p.

Stola quid? I. 159. c. 1. f. ſeq.

- - *linea fuit ſæculo nono, & ab Orario diſtincta.* ib.

Strictior vivendi regula cur, & quomodo ſine inſtituti Canonici immutatione morali inducta, atq́; recepta ſit? I. 111. c. 1 m.

Subtile habitus ſummi Pontificis caterorúmque Italiæ, Franciæ, Angliæ Epiſcoporum, licèt eodem in Alemania ſolùm in Pontificalibus utantur. II. 592. c. 2. f.

Suevorum gentis quondam Bellicoſiſſimæ laus. II. 620.

Suibertus ex Monacho Epiſcopus non tamen in ſua Verdenſi Cathedrali congregationem monachilem, ſed Clericalem habuit. II. 517. c. 1. f.

Sulpitius (S.) Canonicam vitam tenuit, & in multis à ſe fundatis monaſteriis ordinavit. I. 88. c. 1. p.

Sylvanectenſis Canonicæ fundatio pro Canonicis Regularibus. I. 265. c. 2. p. ſeq.

- - *ea in litteris Fundationis inſtituta dicitur, ut vivant Canonici ſecundùm ſanctorum, & B. Auguſtini vitam canonicè.* ib.

T.

Anchelini Hæreſis profligatur. II. 15. c. 1. f.

Templariorum inſtitutum diſtinctum à Canonicis S. Sepulchri. II. 198. c. 1. p.

Teſtimonia ex diplomatibus &c. petita, ſi diſcordent eorum temporum Juri, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, nulla ſunt, & minimi roboris. II. 720. c. 2 per tot.

Teſtamenta ſæculo adhuc undecimo condita à Canonicis, nihil præjudicant eorum paupertati votivæ. I. 177. c 2. per tot.

- - *imò nec monachorum.* I. 29. c. 2.

Theodoricus (Ven.) Hemmenſis Can Reg. præ Chriſto Martyr occumbit. II. 183. c. 2. p.

Thetmarus (S.) can. Reg. & primus Hagelſtorfenſis Præpoſitus vitæ ſanctitate, & prodigiis inſignis. II. 427. c. 2. m.

- - *in pauperes miſericors.* ib. ſeq.

Thomas (Vener.) à Kempis can. Regul. Summa probitate conſpicuus. II. 6. c. 1. p.

- - *eſt Author ſine prudenti controverſia, libelli de Imitatione Chriſti* ib. c. 2. per tot. &c.

Thomas Cantipratanus (B.) ex canonico Regulari tranſit ad ordinem S. Dominici. II. 49. c. 1. f.

Thomæ Mori Cilicium, & Roſarium aſſervatur in monaſterio can. Reg. Virginum Lovanii. II. 185. c. 1. p.

Thomas Vercellenſis (Ven.) Can. Reg & Abbas Vercellens. Inſtructor fuiſſe oſtenditur evidenter S. Antonii de Padua contra ſupinum errorem Polycratis Gerſenſis. II. 96. c. 2. p.

Trevirenſis Eccleſia primo ſæculo à S. Euchario Clericis Votivis inſtituitur. I. 58. c 2 p.

- - *ab Henrico Præſule iterum ad regularitatem reducitur.* I. 107. C. 2. m.

- - *vitam communem iterum abjicit.* ib. m. & deinceps 108. per tot.

- - *ad eandem libertatem procurrere paulò poſt Collegia S. Paulini S. Caſtoris, Wormatienſe, & Moguntinum.* ib.

Troslejanum Concilium reformat annô. 909. Canonicum inſtitutum. I. 107. C. 1. p.

Trückl Præpoſitus can. Reg. Pöllens. fit Epiſcopus Ratiſbon. II. 777. C. 2. p.

Tru-

Trudo (S.) Metenſis Clericus votivus. I. 87. C. 2. m.

V.

Valerianus (S.) Aquilejenſem Eccleſiam ad vitam regularem revocat. I. 61. C. 1. p.

Vallis Scholarium Congregationis origo, aliaq; II. 94. ſeq.

Ubaldi (S.) Eugubini Epiſc. Can. Reg. jam defuncti pietas, & liberalitas prodigioſa ergà famulum ſuum. II. 608. C. 1. p.

- - *inſtituti Canonici Congregationis Lateran. fuiſſe probatur.* I. 426. C. 1. p. ſeq.

Udalricus ex Can. Reg. Epiſcopus Curienſis. II. 642. C. 2. m.

Vedaſtus (S.) Epiſcopus Atrebatenſis ex genuino Clerico, non monacho factus. II. 27. C. 2. m.

Velitrenſis Eccleſia per B. Petrum Damiani regularem vitam aſſumit. I. 251. C. 1. m.

Velum Quadruplex Virginum ſacrarum &c. II. 52. C. 2. p.

Veſmarus (S.) quamvis monachus dictus, tamen citra omnem controverſiam genuinus, ac purus Clericus fuit. I. 80. C. 2. f.

Veſtes S. Auguſtini, ſuorumq; Clericorum candidæ erant, & fere hodiernis Canonicorum nonnullorum in albis incedentium Similes. I. 32. C. 1. ſeq. & 394. C. 2. p.

Veſtis Alba & linea Clericorum uſus vetuſtiſſimus. I. 153. C. 1. p.

Veſtes Canonicorum Regularium propriæ, quæ? I. 428. C. 1. m. ſeq.

- - *qualis Coloris eſſe poſſint.* I. 435. C. 2. m.

Veſte Violacea, & pileo utuntur Can. Reg. S. Auberti. II. 31. C. 1. p.

Veſtes Clericorum etiam primis ſæculis discernebantur à communi veſtitu aliorum fidelium. I. 152. C. 1. m.

Veſte linea uſus eſt S. Cyprianus. I. 154. C. 2. p.

Veſtis Clericalis cujus forma, qua ſe Clerici diſtinguebant à monachis aquè ac ſæcularibus? I. 157. C. 1. p.

Veſtitus qualis Canon. Regul. Herivallenſium II. 111. C. 2. f. item Windeſemenſium. 158. C. 1. f.

Vicariatus Epiſcopalis eſt munus Clericale. II. 225. C. 1. f.

Vicelinus (S.) Can. Reg. Sigebergenſis, & Apoſtolus ſclavorum Illuſtriſſimus. II. 427. C. 1. f.

Victorinæ Congregationis inſtitutio. I. 423. C. 1. m.

Victorini Canonici habitum album portarunt. II. 52. C. 2. p.

Vindiciani (S.) rarum prodigium, quô monaſterium ejus honori conditum pro Clericis votivis. II. 185. C. 1. f.

Vinum & carnes ſuæ menſæ adhibuit S. Auguſtinus. I. 322. C. 2. m.

Virginum Canonicarum Origo &c. I. 443. per tot. Cap. C. 2.

Vitam votivam Clericorum analogicè propagatam fuiſſe ab Apoſtolorum tempore usq; ad noſtram ætatem oſtenditur. I. 48. ſeq.

Vitam communem viguiſſe in Clero Apoſtolorum tempore, propugnant Viri doctiſſimi. I. 49 C. 1. p.

Vita mixta Clericis à tempore Apoſtolorum propria, non monachis. I. 143. C. 1. p.

- - *qualis illa?* I. 308. C. 1. f. ſeq.

Vota ſimplicia à ſolennibus prudenter ſecundùm temporum diſcrimina diſtinguenda, ut omnis tollatur in dignoſcendis inſtitutis ſacrarum Religionum confuſio. I. 31. C. 1. ſeq.

- - *cum paſſim in Religionibus antiquiſſimis vigerent, mirum eſſe non debet, dum legimus easdem profeſſos attamen Teſtamenta quandóque condidiſſe.* ib.

- - *probantur viguiſſe ex ipsa S. Auguſtini Regula.* ib. C. 2.

- - *viguerunt usque ad tempora Innocentii ſecundi.* Ib.

- - *imò adhuc ſæculo XVI. in quibusdam monaſteriis ſolita.* I. 30. C. 2. p.

- - *ab ipſis S. Auguſtini Clericis obſervata, & emiſſa.* I. 33. C. 2. f.

Vota ſolemnia annô 1140. legaliter & generaliter inducta. I. 136. C. 1. p.

Votorum ſimplicitas vel ſolennitas nihil contribuit ad notas diſcretivas unius inſtituti religioſi ab altero. I. ib. C. 2.

Vota ſolennia per Juſtinianum Imp. ſæculo ſexto pro monachis conſtituta, & à Gregorio M approbata non erant lege univerſali adhuc recepta, neque pro omnibus monachis, minimè verò pro Clericis. I. 32. 1. ſeq.

Voti paupertatis ſolennitas per quid conſtituatur? I. 31. C. 1 f.

- - *monachis dudum impoſita, neutiquam per multa tempora Canonicis.* II. 584. C. 2. m.

Vota ſimplicia, quæ ad teſtamenta condenda viam abſolutè non præcludebant, ſuppeditarunt ſimul licentiam ad nimium abuſum, adverſus quem tot Canonum decreta. I. 35. C. 2. ſeq.

Vota religioſa plerúmque olim ſub ſolo caſtitatis nomine emittebantur, & notabantur. I. 45. C. 1. m.

Voti promiſſio Epiſcopo facta, quo ſenſu intelligenda? I. 86. C. 1. p.

Vota ſolennia & ſimplicia accidentaliter tantummodò differunt. I. 303. C. I. m.

Vovendi variæ formæ à Canonicis Regularibus uſurpatæ. I. 305. c. 2. m. & 324. c. 2. f.

Votorum religioſorum obſervantiam præſcribit Concilium Toletanum ſæculo VII. habitum. I. 45. c. 1. f. ſeq.

Votiva vita Clericorum Auguſtanæ Cathedralis præclarô teſtimoniô ſtabilitur. II. 664. c. m.

Uſus diverſus vovendi, neque forma diverſa inducunt diverſam ſpeciem inſtituti. I. 305. c. 2. m.

Volckerus (B.) Can. Reg. Falderenſis glorioſus pro Chriſto Martyr. I. 492. c. 1. f.

Voravienſis Præpoſitus per 24. *annos adminiſtrat Rottenmanenſe Collegium.* II. 780. c. 2. m.

Voravienſes Præpoſiti aliquot præcipua laude digni memorantur. ib.

Vox ſervi Dei, *non notat ſolos monachos?* I. 129. C. 2. f. item 196. c. I. ſeq.

Vox ſæcularis Canonicis non nunquam addita non notabat ſæcularitatem ad hodiernum loquendi modum, ſed ſolùm liberiorem normam vivendi I. 196. C. 2. p. ſeq.

W.

WAlterus Prior Canon. Regul. Aroaſienſium Oſtiæ ablatum S. Monicæ corpus propriis manibus Aroaſiam defert, ubi hodiedum Colitur. II. 24. c. 1. f.

Wazo Decanus Leodienſis Clerum ad Apoſtolicam vivendi normam egregiis documentis revocat? II. 333. c. 1. m.

Wernerus Keinkamp hæreticorum malleus, & diſciplinæ regularis Zelator eximius can. Reg. Windeſemenſis. II. 162. c. 1. f.

Wernerus Cathed. Eccleſiæ Saliſb. Canonicus Regularis primus diſignatus Præpoſitus ſeccovienſis. II. 782. c. 1. f.

Wigbertus (S.) Can. Reg. & primus Fridislarienſis Præpoſitus. II. 565. c. 1 p.

Willehardus (S.) Epiſcopus Bremenſis primus in ſuam Eccleſiam diſciplinam regularem inducit. II. 392. C. 1. p.

Willelmus (S.) Can. Reg. S. Genovefæ Pariſiis reformat Can. Reg. in Diœceſi Roschildenſi. II. 405. C. 1. m.

Willelmus Epiſcopus Eiſtettenſis beneficus in Virgines Canonicas ſuæ Dœceſis. II. 679. c. 2. p. & 680. c. 2. p.

Willibrordus (S.) Epiſcopus Ultrajectinus in uno monaſterio Canonicos, & monachos jungit. I. 193. C. 2. p.

Windeſemenſis Congregat. inſtitutio. I. 423. c. 1. f. *ejusdem prima exordia.* II. 3. c. 2. m. & 79. c. 1. m. & 152. c. 1. m.

Windeſemenſium prodigioſa præſignatio Paſtoribus quibusdam facta. II. 4. c. 1. m.

Windeſemenſium conſtans fides in ſedem Apoſtolicam, & pro ea multa exantlata pericula, exilia, & adverſa. II. 144. c. 1. f.

- - *laus in Concilio Conſtantienſi in publico conſeſſu à Cardinalibus decantata.* II. 161. c. 2. p.

- - *ſtrictior, & monaſtica diſciplina nil minùs, quàm monachos fecit.* II. 160. c. 2. m.

- - *prima omnium in ſuſcipiendo ad ſuum inſtitutum interrogatio facta: an poſſit bene comedere, bene dormire, & bene obedire.* II. 157. c. 2. m.

- - *duo ſolùm Priores ex tota Congregatione gaudent inſignibus Pontificabilibus.* II. 578. c. 1. f.

Winebaudus (S.) Abbas S. Lupi Trecis Clericus Votivus II. 169. c. 2. f.

Wirzburgenſis ſeu Herbipolenſis Eccleſia à S. Burchardo informatur Canonica diſciplina I. 92. C. 1. f.

Wolbodo (S.) Epiſcopus Leodienſis Canonica votivæ vitæ æmulator. I. 126. c. ſeq.

Wolffgangus (S.) Epiſcopus Ratisbonenſis Canonicos Moguntinenſes vita regulari Canonica informat. I. 107. c. 2. m.

FINIS.

Errores Typi in hoc ſecundo Tomo.

Pag. Col. Lin. In epiſt. dedicat. pag. 5. lin. 27. Genevenſem. leg. Mediolanenſem.

1. 2. 3. Alcei. l. Acel.
33. 1. 14. referendum. l. referenda.
35. 2. 3. Illector. l. director.
68. 1. 34. ac. leg. an.
81. 2. 15. inſignitam. l. inſignitum.
96. 1. 24. eminuerit. l. eminuerint.
132. 2. 26. monachorum. leg. monacharum.
137. 1. 12. accenſendas. l. accenſendos.
167. 2. 44. ante *habebant* pone *ſe*
178. 2. 17. cœnobi l. cœnobia.
183. 1. 46. promitteret leg. permitteret.
184. 2. 37. jacerunt l. jecerunt.
195. 2. 34. dici l. diu.
207. &c. 2. 23. &c. Rodulphus leg. Radulphus.
210. 1. 29. meminiſſe. l. non meminiſſe.
235. 1. 46. admittens l. amittens.
286. 2. 11. cettæ. l. certè.
287. 1. 13. commoraretur. l. commorarentur.
292. 2. 19. curata l. curta.
302. 2. 21. normiter. l. enormiter.
308. 2. penult. eventibus. l. eventus.
314. 1. 44. imperta. l. impertita.
319. 1 9. Eccleſia l. Eccleſiæ.
347. 2. 3. temporibus l. temporis.
355. 1. 21. ante *fieri* pone *qua*
367. 1. 41. dignum l. dignus.
374. 2. 47. Eccleſiæ l. Eccleſia.
408. 2. 8. voluiſſes l. voluiſſet.
421. 1. 24. Pontificium. l. Pontificum.
444. 1. 7. profuit. leg. præfuit.
504. 1. 42. tredecidi. l. tredecim.
529. 1. 34. conſtruebat. l. conſtruebant.
ibid. 2. 46. perſuaderè. l. perſuaderi.
533. 2. 2. cum cœnobio l. cum Religioſorum cœnobio.
537. 1. 20. indigni leg. indigno.
ibid. 2. 34. chronicos. l. chronicas.
539. 1. 1. Blindeſtadenſe. l. Bleidenſtatenſe.
540. 1. 49. iſt eſt. l id eſt.
542. 1. 23. ſciente. leg. ciente.
553. 1. 14. & leg. ut.
554. 2. 13. chron: leg. Chriſt:
564. 2. penult. apettè. leg. apertè.
565. 1. 43. Romano leg. Romanæ.
570. 2. 11. exorrandæ. l. exornandæ.
577. 1. 48. ableris. leg. abſoletis.
588. 1. 43. liberatis. leg libertatis.
594. 2. 27. annum. l. ad annum.
604. 2. 8. Altivens. l. Altitonenſi.
ibid. - 30. afflamdum. l. affirmandum.
612. 2. 33. nomen. leg. nomine.
622. 1. 39. hilium. leg. lilium.
624. 1. 32. teſtantur l. teſtatur.
633. 2. 2. ſubriptam l. ſubſcriptam.
ibid. - 35. quadringinta leg. quadraginta.

Pag. col. lin.

632. 1. 15. evaſsere. l. evaſêre.
642. 1. 24 Præſul. leg. Præſule.
643. 1. 13. Strumphius l. Stumphius.
644. 1. penult. clauſos l. clauſas.
656. 1. 1. abanno ad 1254. dele *ad*
658. 2. 41. ſæculi XVI. extiſis. l. ſæculum XIV. extitiſſe.
672. 1. 6. de ubi leg. ubi de.
ibid. 2. penult. non miſi. l. non niſi.
674. 2. 3. aperico l. aprico.
ibid. - 7. apogryphum. leg. apographum.
679. 1. 40. proprior. l. proplor.
682. 1. ult. aſſignaret l aſſignare. poſt numerum pag 684. pro ſubſequo 585. ſubſtitue 685. & ibid. col. 1. l. 5. in hujus laboris. l inde.
690. 1. 15. religionis. l. religioſos.
692. 2. 21. ſuſpicio l. ſuſpicere.
ibid. - 22. dele dum.
695. 2. 11. virtute, meritóque adde: *præclaris.*
696. 2. 10. manet, adde: *ſublata*
699. 1. 39. litteræ. l. litteras.
701. 2. 32. hiotus. l. hiatus.
ibid. - 45. hos. leg. nos.
717. 2. 10. nuſitatum. l. Inuſitatum.
726. 1. 38. conſtitutus. l. conſtituto.
728. 1. 32. Canonicas. l. Canonicos.
ibid. 2. 10. ab. leg. ob.
730. 1. 32. annuunt. l innuunt.
745. 2. 16. parochialem. leg. paroch. Eccleſiam.
746. 2. 4. præcipe. l. præcipuè.
748 1. 39. conſtituat. l. conſtituit.
752. 2. ult. exiſtiſſe. l. extitiſſe.
760. 1. 8. epochum. leg epocham.
773. 1. 32. præclares leg. præclaras. Ibid. c. 2. lin. 24. fundationem Collegium l. fundatione in collegium. ibid. extraditionem. l. traditionum.
775. 2. penult. nullum. l. nullam.
777. 2. 36. æditæ leg. editæ.
778. 1. 40 ex laxio, Pazio. leg. Lazio Pezio. ibid. lin. 46. ſpondentia leg. reſpondentia. ibid. col. 2. lin. 3. ſuſcept. l. ſuſcepit. ibid. l. 10. mors l. mores. ibid. lin. 28. Hygone. l Hugone.
779. 1. 26. Cardinal: l. Cardinale.
780. 1. 43. Guoconem. l. Gurcenſem.
789. 2. 44 Præpoſitæ l Præpoſito.
790. 2. 48. commendare. l. commendaret.
794. 1. 23. ſis unq: l. ſi unquam.
797. 2. 30. non digna. l. non indigna.
812. 1. 2. propoſita. l. propoſitæ
822. 1. 16. neptum. l. neptem. ibid. lin. 18. ſimus. leg. ſumus. ibid. c. 2. lin. 15. deriderentur. l. deſiderentur.
823. 1. 29. plures, leg. in plures.

Cæteros prudens Lector corriget.

Digitized by Google

XXXX (1+2) X.34

Digitized by Google